
C. 584.
c. 4.



807.

VETERUM SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM HISTORICORUM, DOGMATICORUM, MORALIUM, AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS VII.

COMPLECTENS VARIA CONCILIA, EPISCOPORUM STATUTA SYNODALIA, ACTAQUE PLURIMA QUÆ CONCILIUM PISANUM PRÆCESSERUNT, AC SUBSECUTA SUNT.

Prodiit nunc primum studio & opera domni EDMUNDI MARTENE, *& domni* URSINI DURAND, *Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri.*



PARISIIS,
Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Augustinianorum, prope Pontem S. Michaëlis.

M D C C. X X X I I I.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO IN TOMUM VII.

POST ſacras ſcripturas, quas ad doctrinam & conſolationem Deus nobis indulſit, nihil ad corroborandam adverſus hæreticorum inſidias fidem catholicam, aut illuſtrandam eccleſiæ diſciplinam, emendandoſque mores utilius aut efficacius eſſe videtur ſacris cõciliis, præſertim generalibus, quorum canones eodem, quo & ſacri codices Spiritu aſpirante, editi conſcriptique ſunt: unde & S. Gregorius ad Johannem Conſtantinopolitanum alioſque patriarchas ſcribens; *Sicut*, inquit, *ſancti evangelii quatuor libros, ſic quatuor concilia ſuſcipere ac venerari me fateor..... quia in his veluti in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cujuſlibet vitæ atque actionis exiſtat, quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium jacet.* Quam bene igitur de eccleſia meriti ſunt egregii illi viri, qui ſuam operam vigiliaſque ſuas in edendis ampliſſimis conciliorum collectionibus impenderunt. quos inter primus hic nominandus venit Jacobus Merlinus, ſacræ theologiæ doctor, & eccleſiæ Pariſienſis pœnitentiarius, & poſt eum Petrus Crabbeus Franciſcanus, quorum egregios conatus & accuratam diligentiam nemo eſt qui non prædicet. Hos ſubſecutus eſt Laurentius Surius, ſacri ordinis Carthuſienſis religioſiſſimus aſceta, qui cum contemplationi totus incumberet, non vulgarem eſt conſecutus eruditionem rerum eccleſiaſticarum; Romani deinde editores, quorum ſtudio generalium conciliorum Græco-latina collectio prodiit, tum Severinus Binius canonicus Colonienſis, Philippus Labbeus & Gabriël Coſſartius, Societatis JESU viri eruditiſſimi, & alii, qui nullis laboribus aut expenſis pepercere, ut accuratam ac numeris omnibus abſolutam conciliorum omnium editionem publicæ luce donarent. Taceo clariſſimum virum Jacobum Sirmondum, ſocietatis ſuæ decus & ornamentum, qui tria conciliorum Galliæ volumina notis illuſtrata vulgavit; Garſiam Loaiſiam archiepiſcopum Toletanum, primum conciliorum Hiſpaniæ editorem, quæ poſtmodum concilia noſter Joſephus Aguirius S. R. E. cardinalis multis acceſſionibus aucta, & eruditis diſſertationibus ac notis illuſtrata, quatuor voluminibus evulgavit; Henricum Spelmannum, qui inſulárum Britannicarum concilia duos in tomos collegit; nec non & noſtrum Franciſcum Pommeraium, cui ſua concilia ſuaſque ſynodos Normannia refert accepta, uti & Juliano Bellaſio & Guillelmo Beſſino, noſtris æque fratribus, quorum maximo ſtudio typis novis nuper edita prodiere cum multis additionibus. *Lib. 1. epiſt. 24.*

2. Jam vero quam uberes fructus ex immenſis illis collectionibus univerſo orbi provenerint, quotidieque proveniant, quis digne explicare poſſit? id vero nobis non ſumimus. Teruntur paſſim ab omnibus, avide tractantur & evolvuntur. Hinc mores emendati, inſtaurata diſciplina, ritus ſacri jam pene obſoleti, ad veteres reſtituti ordines. Hinc eccleſiæ præſides ac ceteri miniſtri ſacri, hinc religioſorum cœtus, doctores & theologi apoſtolica in-

ſtructi traditione, impias novitates & vana humani ingenii figmenta, quæ hac deploratiſſima ætate undique pullulant, radicitus exſtirpare cœperunt, evertere, abſumere. Hic omnis ætas edocetur, & jam tenet quid fugiendum, quidve ſit ſequendum, ut jam ignorantiam excuſare nemo poſſit. Ex quibus colligitur, quam optime operam collocaverint ſuam viri illi egregii, quos modo dicebamus hiſce collectionibus incubuiſſe, viros a Deo electos, qui fructus afferrent in ævum tranſituros.

3. Poſt tot ac tantos eorum labores ac perquiſitiones, qui ut ſuis collectionibus nihil prorſus deeſſet, omnes bibliothecarum forulos ſummo ſtudio perſcrutati fuerant, vix hoc in genere quidquam inveniri poſſe videbatur. Nam poſt tam amplam nec indiligentem conciliorum meſſem, quis vel pauciſſimas ſpicas, quarum non modicam partem jam in ſuo Spicilegio collegerat noſter Acherius, ſibi relictas ſperet aut exiſtimet? Pergratam ergo litteratis omnibus futuram hanc noſtram opellam vix dubitare licet, cum tot nihilominus adhuc hujuſmodi ſpicas collegimus, ut præter eas quas jam non parvo labore tomo IV. Anecdot. collocaveramus, duos hîc conciliorum aut monumentorum ad concilia ſpectantium tomos, eoſque non modicæ molis exhibeamus: quos tamen non tam diligentiæ noſtræ acceptos referre debent viri eruditi, quam ardentiſſimo zelo reverendiſſimi admodum patris Caroli *de L'hoſtallerie* congregationis noſtræ præpoſiti generalis, qui cum novam ac numeris omnibus abſolutam conciliorum editionem meditaretur, hanc nobis provinciam commiſit, ut luſtratis Belgii ac Germaniæ bibliothecis impenſis noſtræ congregationis, vetera omnia ad ſuum propoſitum ſpectantia aliaque monumenta colligeremus. at brevior ei vita fuit, quam ut meditatum tantum opus exſecutioni demandari poſſet. Cum ergo ſummo omnium luctu & deſiderio nobis præreptus eſſet, quid reliqui ſupererat, niſi ut hæc omnia locum hac in ampliſſima collectione invenirent? nec dubitamus, quin ſtudioſi omnes & litterati viri eadem protegant voluntate & indulgentia, qua noſtrum hactenus Anecdotorum theſaurum, quem ſuis etiam ſcriptis ſæpiſſime laudare & uſurpare non dedignantur; atque ut illic placuerunt in primis acta varia de ſchiſmate pontificum Avenionenſium, ut maxime hiſtorica; ſic nec forte diſplicebunt quæ hîc proferimus numero plura & potiora, cum prævia ad concilium Piſanum, quod continuando Johannes XXIII. Conſtantienſe indixit, tum pertinentia ad Baſileenſe generale concilium. Cum enim inveteratum per annos circiter XL. ſchiſma in priori ſit exſtinctum, novum vero in altero conflatum, quid aliud tot præclara monimenta ſtudioſo offerunt lectori, niſi accuratam utriuſque ſchiſmatis rerum & cauſarum cum pleriſque circumſtantiis expoſitionem: quorum omnium pars vel plane nova, aut perperam, ſeu modice, aut jejune ab æqualibus etiam ſcriptoribus enarrata hactenus fuerit? Quæ quantum lucis afferant hiſtoriæ illorum temporum, cum verbis explicari vix poſſit, paucis his quæ ſequuntur obſervationibus veluti ob oculos ponemus: ita ut ſpecimnis loco habeantur, alias hic texenda eſſet integra hiſtoria, quod nec noſtri eſt otii, nec propoſiti.

§. 1. *De origine ſchiſmatis poſt mortem Gregorii XI. in eccleſia exorti.*

Tranſlatio throni pontificii Avenionem, cauſa & origo ſchiſmatis.

4. Teterrimi hujus ſchiſmatis præcipua velut ſemina tum primum jacta credimus in agro Dominico, cum Romanam curiam Clemens V. Avenionem advexit. Nam cum ægre admodum ferrent Romani tanta ſe exui prærogativa, ſimulque nec ſine indignatione proſpicerent diuturniorem ſui pontificis abſentiam maximo ſibi fore detrimento; contra vero Galli ſeu potius Vaſcones tam inſperato bono elati ac prope inſanientes, nihil facerent reliqui, ut ne e manibus efflueret; vix fieri potuit, ut aliqua inter utroſque non

oriretur ſciſſio. Et vero defuncto XII. calendas Maii MCCCXIV. Clemente V. apud Rocham-Mauram prope Carpentoratum, ubi ſuam tunc curiam tenebat, ingreſſiſque ad futuram pontificis creationem conclave eadem in urbe cardinalibus numero XXIII. tanta ſubito inde velut e monte Æthna erupit diſſenſionum flamma, ut jam parum abfuerit, quin horrendo ſchiſmate eccleſia Romana conflagraret. Rem ita narrat Bernardus Guidonis in tertia vita Clementis V. ex editis a Baluzio: *Defuncto autem Clemente papa, cardinales numero* XXIII. *qui Carpentoratum cum alia curia reſidebant, intrantes conclave in palatio epiſcopali, pro electione ſummi pontificis facienda, cum ibidem aliquandiu perſtitiſſent, non valentes concordare, ſuborta gravi & grandi turbatione & commotione exterius inter familias eorumdem, ipſum conclave circa feſtum B. Mariæ Magdalenæ concorditer exierunt, ſtatuentes tempus infra quod redire deberent ad eumdem locum, ad electionem ſummi pontificis celebrandam: ſed ſubortis variis quæſtionibus & jurgiis in invicem, quæ ſtilo magis relinquenda ſunt, quam ſcribenda, illuc minime redierunt, ſed in diverſis civitatibus & villis diſperſi ſunt; ſteteruntque ſic diviſi loco ac propoſito annis amplius quam duobus.* Turbæ in conclavi excitatæ poſt mortem Clementis V.

Ab his non multum diſcrepat Amalricus Augerii, prior S. Mariæ de Aſpirano in diœceſi Elnenſi, cujus in chronico hæc leguntur: *Defuncto iſto Clemente, cardinales numero* XXIII. *qui erant apud civitatem Carpentoratenſem, ubi tunc dictus Clemens ſuam curiam tenebat, in palatio epiſcopali, ſecundum juris formam, in conclavi incluſi fuerunt; & pro electione Romani pontificis uſque ad feſtum ſubſequens S. Mariæ Magdalenæ ibi pacifice & quiete interfuerunt. Sed ex tunc inſtinctu diaboli propter diſcordias graviſſimas, quæ inter familiares dictorum cardinalium exortæ ſunt, & quæ per aliquem tunc pacificari non poterant, ideo dictos cardinales de dicto conclavi oportuit exire: qui quidem inter ſe promiſerunt & ſtatuerunt, quod pacificatis eorum familiis, ad dictum conclave redire deberent. Cumque ipſi exiviſſent de dicto conclavi, dictos familiares pacificare nequiverunt: immo majores diſcordiæ & capitales inimicitiæ tam inter ſe, quam inter dictos familiares dictorum cardinalium, hoſte antiquo procurante, ſupervenerunt. Quare ipſi cardinales præcaventes & dubitantes plura pericula & ſcandala, quæ ſupervenire poterant, ad dictum conclave redire noluerunt; immo ipſi ſingulariter per civitates & caſtra per duos annos & plus diſperſi exſtiterunt.*

5. His ſi credimus auctoribus, excitatus in conclavi tumultus inter cardinalium familiares erupit. At Johannes Pariſienſis S. Victoris canonicus, cujus ſincera fides magni debet hic eſſe ponderis, abſque ulla diſſimulatione, expreſſe atque ingenue teſtatur effuſam eſſe contentionem non *inter familiares*, ſed *inter principes*. Nam cardinales *Italici*, inquit, *talem eligere intendebant, qui ad Romanam ſedem curiam revocaret, quod cardinales Gaſcones facere formidabant: quia cum ſui de Gaſconia Italicis multas injurias irrogaſſent, certi erant, quod ſi in manibus Romanorum inciderent, æquipollentiam ſuſtinerent. Fuerunt ergo diu in tali diſcordia, licet incluſi multa incommoda ſuſtinerent, quia cibaria eorum ſubtrahebantur, & domus eorum deſuper diſſipata. Tandem hæc Vaſcones non ferentes, ignem in palatio poſuerunt, per quem combuſta eſt pars maxima civitatis, & ſic diſperſi cardinales.* Addit idem auctor cardinales in hac rerum confuſione fuſos ac diſperſos paſſim evagaſſe. Ex quo refutata manet ſententia Bernardi Guidonis, aſſerentis cardinales *concorditer exiſſe de conclavi; ſtatuentes tempus, infra quod redire deberent, ad celebrandam electionem Romani pontificis.* Et vero quis concordiæ locus, ubi populi inſanientis impetus omnia vaſtabat; ubi Vaſcones intenta morte in quemcumque obvium velut belluæ immaniſſimæ ruebant; ubi cardinales ipſi, nulla habita ratione loci, temporis aut di- Unde ortæ & a quibus.

gnitatis, igne & ferro petiti, ſpoliati, cæſi, probris affecti & contumeliis, ut vix demum & jam deſperata ſalute evaſerint? Exſtant Italicorum cardinalium litteræ encyclicæ, quibus feralem hanc tragœdiam ſuis depingunt coloribus: *Et quidem dum nos & alii ejuſdem eccleſiæ cardinales*, inquiunt, *poſt obitum domini Clementis papæ V. eſſemus in palatio civitatis Carpentoratenſis, ad eligendum futurum ſummum pontificem, ſub uno conclavi, & nos cardinales Italici non quærentes quæ noſtra ſunt, ſed quæ Dei, neglectis ſingularibus affectionibus reciprocis in nos ipſos, peteremus hominem ad ſuſtinendas columnas eccleſiæ, qui dictam eccleſiam reformando dirigeret, eſſetque in hoc tantum noſtra omnis cura, omnis intentio, hic affectus, ſubito Vaſcones, ſeu quod libram examinis ſub futuro ſummo pontifice, teſte conſcientia, formidarent; ſeu quod armorum violentia crederent hereditario jure Dei ſanctuarium poſſidere, ex deliberato atque propoſito, tamen ſub palliato colore, deferendi videlicet corpus ejuſdem papæ, in copioſo peditum & equitum armatorum multitudine convenerunt, & ſcelus quod mente conceperant producentes in actum, die* XXII. *Julii arma ſumſerunt bellica, & ſub ordinatione Bertrandi de Guto & Raymundi Guillelmi domini papæ nepotum, civitatem Carpentoratenſem intrantes, multos curiales Italicos, cum ſoli Italici peterentur ad mortem, inhumaniter trucidarunt, & ſe ad prædam convertentes & ſpolia, creſcente rabie, & ad crudelia ferveſcente furore, in diverſis civitatis partibus incendia poſuerunt. nec iis contenti, plurimorum cardinalium ex nobis hoſpitia duris inſultibus & injectis ignibus invadentes, bella ibidem acerrima cum clangore tubarum hoſtiliter intulerunt. Invaleſcente tamdem graviori periculo & graviſſimo, ſicut in captis civitatibus aſſolet, increbreſcente rumore, multitudo Vaſconum & equitum armatorum oſtium conclavis obſedit, acclamando:* Moriantur cardinales Italici, volumus papam, volumus papam; *& ipſis in hujuſmodi acclamatione frementibus, alia multitudo Vaſconum & equitum armatorum plateam dicti conclavis invaſit, ſimilibus circumdato palatio vocibus acclamando. Nos vero præfati cardinales Italici circumſepti tantis anguſtiis, & mori tam turpiter, tam crudeliter metuentes, cum omnia circa conclave armatorum multitudo teneret, neque publicus pateret egreſſus, tamdem poſteriorem murum palatii, facto inibi parvo foramine, pro noſtra ſalute rupimus. De Carpentorate poſtmodum diſperſi diſcedentes, non ſine mortis periculo ad diverſa loca diſceſſimus, & per miſericordiam Dei, quæ eſt illa quæ nos ſalvos reddidit, ad terras pervenimus amicorum.*

Apud Baluz. tomo 2. vit. Pap. Aven. n. 42.

Diſperſi cardinales, ad conclave redire nolunt.

6. Cardinales fuſi, ut modo obſervatum eſt, & diſperſi, non jam de creando pontifice, ſed de quærendo ſibi loco a Vaſconum impetu & inſolentia tuto cogitarunt: quare nec aſſignato ad redeundum in conclave tempore, ſi tamen aliquot aſſignatum, reverti voluerunt, devitato ſemel mortis periculo iterum exponere ſeſe formidantes. Sicque per duos integros & amplius annos variis in civitatibus & caſtris ab invicem ſeparati & diviſi, nullis precibus aut artibus adduci potuerunt, ut interim ad providendum eccleſiæ viduatæ congregarentur. Nam etſi ſecundum eccleſiæ leges, ea in urbe qua ſummus pontifex diem clauſit extremum, ſucceſſoris ejus debeat electio celebrari, *Italici* tamen *diſcordabant, volentes quod electio ad Romanam curiam transferretur, & alii alibi*, inquit Johannes Victorinus. Nec ſane Italicorum cauſam parum adjuvabat Carpentoratenſis incendii recens memoria; addebant Clementem, quem ipſi ſpe melioris fortunæ elegerant, abuſum auctoritate, cum ſedem ſuam Avenione poſuerat. Hinc perturbatam eccleſiam, divina & humana jura violata, infinitas denique calamitates inde conſecutas, pluresque adhuc imminere, quæ Neapoleo de Urſinis epiſtola ad Philippum-Pulcrum Francorum regem his verbis exponit: *Urbs tota*

ſub

ſub eo & per eum extrema ruina ſubjacuit, & ſedes B. Petri, immo Domini noſtri JESU CHRISTI *diſrupta eſt, & patrimonialis non per prædones potius, quam per rectores ſpoliata eſt & confuſa, & adhuc ſubjacet vaſtitati. Italia tota, ac ſi non eſſet de corpore, ſic quoad omnia eſt neglecta, quod poſſet fides Chriſti in Threnis Jeremiæ renovare lamenta: nam quaſi nulla remanſit cathedralis eccleſia, vel alicujus ponderis præbendula, quæ non ſit potius perditioni, quam proviſioni expoſita*, & plura hujuſmodi, quæ proſequitur in dicta epiſtola de ſtatu Romanæ eccleſiæ poſt obitum Clementis. Atque ut, non quæ ſua, ſed quæ Dei & univerſæ eccleſiæ erant, quærere ſe demonſtrarent, nulla eorum qui inter Italicos cardinales, aut aliis in regnis exiſtebant, proborum virorum habita ratione, non Italicum, ſed Gallicum, Aquenſem archiepiſcopum Guillelmum nomine, quem *bonæ famæ, rectæ conſcientiæ, excellentis ſcientiæ, probatum in multiplici regimine, in omnibus ſuis actibus a clero & populo commendatum* noverant, in papam eligendum propoſuerunt, in eumque ſua direxerunt vota, exiſtimantes *quod ſtatim Vaſcones acceptarent*. Sed longe aliter evenit, tantamque in eis repererunt *reſiſtentiam*, ut obſtupeſcerent, *nec apud nos*, inquit Neapoleon de Urſinis, *hujuſmodi reperire poſſumus cauſam, niſi forte, quod abſit, crederent aliqui proxime defuncti continuare defectus.*

7. In tanta igitur animorum contentione, quis non videat jam turgentia futuri ſchiſmatis ſemina? quis non advertat quam timendum foret, ne redeuntes Romam Italici cardinales ſuum, revertentes vero Carpentoractem Gallici ſuum crearent pontificem? & ſic, quod dictu horrendum, inconſutilis Chriſti tunica diſſcinderetur. Quapropter Philippus rex Francorum tantis volens obviare periculis & ſcandalis, cum litteris tum nunciis hortatus eſt, ut alio in loco regni ſui apto & idoneo, ubi integra gauderent libertate, non refugerent congregari, declarans, re Pariſiis in præſentia ſua diligenter diſcuſſa, Avenionem & Carpentoractem civitates Italicis merito viſas eſſe ſuſpectas: Italicos offerre acceptareque Lugdunum, ubi Romana curia olim diverſis ſucceſſive temporibus reſedit, pluraque celebrata fuere concilia generalia: quam proinde civitatem recuſare non debeant. Denique monet eos, quod in caſu diverſarum electionum, neutrum ex hujuſmodi *electis* haberet, nec urgente conſcientia habere deberet pro papa, idemque procul dubio ab aliis regibus & principibus præſtandum.

Schiſmatis periculo it obviam rex Francorum.

8. His tamdem cardinales permoti monitionibus, atque induſtria ac ſollicitudine Philippi comitis Pictavenſis, regis Francorum fratris, Lugdunum convenere, fide prius accepta, *quod nulla eis violentia inferretur, nec cogerentur ad eligendum carcerem introire.* Verum defuncto mox rege, cum comes nec poſſet moram Lugduni facere, nec vellet cœptum electionis negotium abſentia ſua intermitti, aut omnino relinqui, quæſito eruditorum & ſapientum virorum conſilio, declaratum eſt juramentum de non includendis cardinalibus, in præſentiſſimo hoc diſcrimine non obligare. *Tunc omnes in domo Prædicatorum ad colloquium convocavit, quibus dixit, quod inde non recederent, donec de papa eccleſia providerent*, inquit Johannes Victorinus. *Poſitis ergo cuſtodibus, qui eos exire non permitterent, ipſe in Franciam reverſus eſt.* His in anguſtiis coacti cardinales, quadrageſimo & primo incluſionis ſuæ die, VII. ſcilicet idus Auguſti, poſtquam ſedes annos II. menſes VI. dies XVII. vacaſſet, in Jacobum de Portu vota direxerunt ſua, qui aſſumto Johannis XXII. nomine, curiam pontificiam Avenioni retinuit.

Lugdunum conveniunt cardinales, ibique eligunt Johannem XXII.

9. Quam moleſte id pertulerint Romani, facile eſt conjicere; unde nec mirari debemus, ſi altercante cum Johanne papa Ludovico Bavaro, qui irrequiſito pontificis conſenſu, imperatoris nomen aſſumſerat, eidem Urbem accedenti cives Romani *cum apparatu & ingenti gaudio occurrerunt: quem*

Nangii continuator ad ann. 1328.

cum hymnis & canticis ad eccleſiam S. Petri tam clerus quam populus perducentes, aſſenſu omnium imperator ſemper auguſtus nominatus eſt; & ſic conſummato toto myſterio, quod in coronatione imperatorum conſuetum eſt fieri, eum ad imperiale palatium perduxerunt. Vixque elapſo menſe, non contenti temporali capite, ſcilicet imperatore, ſpirituale ſibi præficere non ſunt cunctati: quod tantum nefas ſibi divinitus permiſſum temere jactabant & gloriabantur, uti legitur in continuato Nangii chronico: *Ex quo Deus dedit nobis & civitati Romanæ, quæ ab antiquo dicitur & eſt caput totius mundi, unum caput, ſcilicet imperatorem, in brachio potentiæ temporaliter nos & civitatem noſtram, immo totum mundum defendi & tueri, bonum eſt & omnino expedit, quod habeamus caput aliud, quod in ſede Petri reſideat, & more prudentium patrum nobis ſpiritualia miniſtret.* Subjungebantque, *quod haberent chartas authenticas, & prudentium patrum ſanctorum auctoritate factas, in quibus contineri videbatur, quod ubi papa ſufficienter requiſitus per cives & populum Romanorum, nollet vel differret ad ſedem S. Petri accedere, ex hoc ad canonicos S. Petri & S. Johannis Lateranenſis devolvebatur poteſtas & auctoritas papam alium eligendi. Quod verbum*, inquit chronici continuator, *toti populo placuit, & ſic ad electionem alterius papæ proceſſerunt*, Petro Corbario Franciſcano in thronum Petri intruſo. Addit continuator Nangii: *Aſſerunt tamen nonnulli, quod hujuſmodi non papa, ſed antipapæ electio de Ludovici ducis aſſenſu & conſcientia non proceſſit; ſed nequiens tumultuationem tumultuantis populi ſedare, quod voluit populis facere, neceſſitate magis quam voluntate compulſus, toleravit.* Idem haud obſcuris verbis aſſerit Henricus Rebdoff in Annalibus; *Eodem anno idem Ludovicus ad complacendum populo Romano, & ad ſuggeſtionem quorumdam clericorum & laicorum, quemdam fratrem de ordine Minorum, nomine Petrum de Corvario erexit, & poſt coronationem præfecit papam, vel potius antipapam, deponens papam Johannem XXII.* Clarius adhuc ipſe Johannes in proceſſu adverſus eumdem Corvarium habito, ubi ait Ludovicum Bavarum in ſubverſionem fidei & totius eccleſiaſtici ordinis ſpirantem, *una cum nonnullis Romanis clericis, qui cleri Romani ſe procuratores eſſe dicebant, ſeu ad eorum inſtantiam, ad electionem Romani, non quidem apoſtolici, ſed apoſtatici procedere* non expaviſſe. Quid vero ex tanto facinore ſecutum fuerit, dictu horrendum enarrat Cornelius Zantflietus in Chronico tom. 5. hujus collectionis a nobis edito: *Qui ambo*, inquit, *videlicet imperator & ſuus antipapa, in civitate Piſana imaginem ſive effigiem Johannis papæ induentes ſtraminibus, & papalibus circumfultam indumentis, præſente multitudine populorum, ſub hac forma Johannem papam condemnaverunt, degradaverunt, & tamdem ejus effigiem igne cremaverunt.*

Romani ſibi creant antipapam.

10. Qui Johanni ſucceſſit Benedict. papa XII. Romanorum ad ſchiſma propenſionem ex abſentia ſuorum pontificum animadvertens, ſtatim a ſua promotione, de reſtituenda Urbi ſede apoſtolica cogitavit, idque Philippo regi Francorum litteris ſignificavit, quas Raynaldus ad annum 1335. num. 3. edidit. in quibus hæc inter alia: *Nunciis namque Romani populi coram nobis fratribus in conſiſtorio pridem proponentibus & allegantibus plures cauſas efficaces, quare deberemus Urbem, in qua noſtri apoſtolatus ſedem divina providentia ſtatuit..... ac inſtanter & ſuppliciter a nobis petentibus, ut illuc vellemus cum curia noſtra nos transferre, tamdem cum eiſdem fratribus deliberatione ſuper iis præhabita diligenti, videntes quod tam piæ & honeſtæ petitioni non poteramus exauditionis aditum denegare, reſpondimus, quod noſtræ & prædictorum fratrum erat intentionis & voluntatis, facere, divina præeunte gratia, quod petebant; & ad declarandam voluntatem no-*

Benedictus XII. Romæ ſedem figere ſtatuit.

ſtram ſuper termini præfixione, in quo illuc eſſemus cum eadem curia, uſque ad calendas Octobris proxime futuri duximus differendum.

11. Quid vero cauſæ fuit, cur rem ſanctiſſimus pater tam ardenter petitam & ſolemnius promiſſam, quamque ipſe præ ceteris affectaret, exſecutioni non mandarit; ſi fides Raynaldo habeatur, hoc ſoli tribuendum Philippo Francorum regi, qui cœca ductus ambitione, ſummum pontificem intra regni ſui fines habere ſemper vellet, & revera arte & induſtria retinuerit. quod quam inique ab Uultramontano auctore, eodemque regibus noſtris alias infenſiori tradatur, teſtantur ſcriptores etiam æquales, quos ſane ipſe videre & conſulere poterat, qui nulla Philippi regis facta mentione, Benedictum aiunt perpetuis Bononienſium ſeditionibus deterritum a propoſito fuiſſe. Rem clare exponit vitæ Benedicti auctor anonym. a Boſqueto primum editus, qui teſtis omnium fuerat. *Sub pontificatus initium,* inquit, deliberaverant *transferre curiam ſuam in partes Italiæ, moramque facere in civitate Bononienſi, dummodo tamen debite & honorifice ejus incolæ & cives vellent eum recipere & tractare, ſibique obedientiam vellent præſtare & fidelitatem ſervare: & hoc ipſe dixit in publico conſiſtorio, voluitque ut divulgaretur & publicaretur ubique, præſertim in partibus Italiæ ſupradictis: volenſque experiri & ſcire, an ita facere vellent, miſit ad dictam civitatem certos nuncios ſuos, ad eis intimandum hujuſmodi voluntatem, intentionem & deliberationem ſuam; deditque eis in mandatis, ut ſi ipſi viderent dictorum civium voluntatem conformari pro manſione ſua, ibi palatium præpararent, libratasque pro cardinalibus præpararent, dividerent & ordinarent. Nuncii vero illuc accedentes, invenerunt civitatem prædictam ad hoc male fore diſpoſitam, cum adhuc cives ipſius eſſent in rebellione, & inobedientia contra Romanam eccleſiam, prout etiam erant tunc fere omnes aliæ terræ ad eamdem eccleſiam in illis partibus pertinentes, quæ non diu ante, ſcilicet tempore Johannis papæ XXII. ſuum legatum vituperoſe & violenter expulerunt de civitate memorata. Quod dicti nuncii videntes, redierunt Avenionem, papæque retulerunt; qui de hoc doluit ſed videns quia tunc aliud facere non poterat, mutato propoſito, deliberavit manere in Avenione cum dicta curia ſua.* Videns igitur Benedictus pacem in Italia atque etiam Romæ ſe ſperare vix poſſe, ne Romanis ingratus omnino videretur, quinquaginta florenorum millia, ad reparandas Vaticanam, Lateranenſem, aliaſque Urbis baſilicas, deſtinavit.

Cur non impleverit propoſitum.

12. Benedicto XII. anno MCCCXLII. ſubrogatur Clemens VI. qui *audiens guerras, diſſenſiones & turbationes, quæ erant & vigebant quaſi communiter in Italiæ partibus,* de repetenda Urbe non cogitavit; ſed miſſo legato a latere viro ſtrenuo Guillelmo Curti cardinali, has, eo mediante, tempeſtates *per bonas treugas ſedavit.* Qua captata occaſione, Romani ſolemnes ei nuncios deſtinant, qui præmiſſis debitis gratulationibus, ſuo nomine exorarent, *ut ſenatum, capitanatum, ceteraque Urbis officia, quæ ſibi tunc, ad ejus dumtaxat vitam, tamquam Petro Rogerii, non ut Clementi ſummo pontifici, per eorum procuratores & ſyndicum præſentabant, acceptare benigne dignaretur.* Tum, *ut placeret ſibi civitatem Romanam & ſacro-ſanctam eccleſiam Lateranenſem, quæ mater eccleſiarum omnium Urbis & orbis exiſtit ..... viſitare.* Denique ut jubilæum a Bonifacio VIII. ſingulis centenis annis indultum, vellet ſolita clementia reducere ad quinquagenos. Quibus benigne auditis, pontifex *Urbis officia, quod non præjudicarent eidem, conditionaliter acceptavit; acceſſum ejus ad Urbem non poſſe tunc, licet velle ſe aſſerens, ad tempus poſſibile reſervavit; quinquageſimum tunc & in poſterum per decretalem illam, quam papa tunc noviter edidit & dictavit, quæ incipit* Unigenitus Dei Filius, *in perpetuum ordinavit.*

Vita tertia Clem. VI.

Innocentius VI. rebellant Romani

13. Defuncto anno MCCCLII. Clementi ſucceſſit Innocentius VI. qui ad compeſcendos ſedi apoſtolicæ rebelles, Ægidium Alvarum Albornotium miſit in Italiam. Verum cum ſeveriorem ejus diſciplinam ferre non poſſent Romani, a pontificis imperio ſubduxerunt ſeſe, commiſſa Urbis adminiſtratione Lello viro plebeio, qui futoriam inibi artem exercebat: ſed tamdem ignobilis viri arrogantia fatigati, & vitandi periculi, quod ſibi ab indigno gubernatore imminebat, anno MCCCLXII. ut ait Raynaldus, *rediere ad pontificis obſequium Romani, qui ob nonnullas inteſtinas turbas ab illius imperio ſe ſubduxerant*; ſed ea lege, *ne Ægidius cardinalis eis præeſſet.*

Rayn. ad an. 1362. n. 2.

14. Eo in ſtatu erant Romanæ res, cum Dei ordinante providentia, ac benignius Urbi proſpiciente, renunciatus eſt Innocentii nuper defuncti ſucceſſor Urbanus V. abbas Maſſilienſis S. Victoris, vir certe cum ingenii urbanitate, quam ipſo nomine præferebat, tum ſuavitate morum ad conciliandos animos, & reparandas diſcordiæ ruinas mire compoſitus; ſed Romanis in primis acceptus, ob ſingulares virtutes, ob ſanctitatem & religionem nemini comparandus. Quapropter cum recordarentur eum aliquando dixiſſe Florentinis, *ſi ſe pontificem creatum videret, Romam veniret, reductaque ad Petri ſedem eccleſia, & repreſſis moleſtiſſimis Italiæ tyrannis, non amplius viveret*, legatos Avenionem deſtinarunt, qui invitarent, & *cupientem* vehementius inflammarent. Peracta hæc legatio eſt anno MCCCLXIV. quo, ut ait auctor vitæ Urbani, *nuncii Romanorum venerunt Avenionem ad prædictum Urbanum papam, petieruntque inter alia, ut Romam cum ſua curia ſe transferret. qui eorum petitioni benigne annuit, dixitque eis circa eam taliter, Deo duce, facturum, quod ipſi merito deberent contentari.* Verum etſi de aggrediendo itinere Romano tunc cogitaverit Urbanus, illud tamen ita maturare minime potuit, ſive *propter infeſtationem prædonum*, ſive quod mortuo Johanne rege, nonnihil immutatum in rebus Gallicis fuiſſet, ut tradit Bzovius. His tamen haudquaquam immutatum ſemel infixum menti propoſitum. Sed tamdem anno MCCCLXVI. teſtante vitæ ipſius auctore, *publicavit ſeu manifeſtavit intentionem ſuper acceſſu ſuo, & tranſlatione curiæ verſus Romam; deſtinavitque certos nuncios tam Viterbium, ubi primo declinare & aliquandiu morari intendebat, quam Romam, cauſa diſponendi & ordinandi neceſſaria, reparandique ſua palatia, & libratas pro dominis cardinalibus dividendi; & ad hoc aſſignavit ſeu ordinavit tempus paſchale.*

Bzov. ad an. 1362. n. 12.

Urbanus a Romanis invitatus, Romam venire proponit.

Romam accedit.

15. Anno vero MCCCLXVII. Aprilis die ultimo, Avenione relicta, itineri ſe commiſit, atque Octobris die decimo ſexto *Romam intravit, occurrentibus ſibi clero & populo Romanis, ipſumque ſolemniter ſuſcipientibus cum magno gaudio, & Deum laudantibus de jucundo adventu ſuo.* Urbani Romam ingreſſum eleganti carmine cecinit Franciſcus Petrarcha poëta laureatus, qui & duabus ad Urbanum litteris ei gratulatus eſt. Has litteras vidit laudavitque Collutius Salutatus, qui tamen in ſecunda hoc carpit, *quod nimis mordax fuit* nationis Gallicæ, addit nihilominus: *Tamen ab illo ſummo mortalium apice benigne ſuſcepta eſt.*

Sacras ædes reſtaurat.

16. Tantæ Romanorum exultationi reſpondit Urbanus, non verbis, ſed factis: qua de re audiendus eſt idem Collutius, qui *mirabile Chriſticolarum decus* eum appellat. Sic autem ille ad prædictum Petrarcham ſcribens, quem Urbani adventus teſtem optaverat: *Cerneres Urbanum non ſolum reparatorem Urbis, ſed totius Italiæ, & ſi fata patiantur, etiam orbis ..... Videres etiam, quod tu jam diu deploraſti, templa collapſa, quorum opificia & devotione & ſanctuariis veneranda, ipſa quidem mole admirabilia ſunt, ferventi opere refici. Delectareris, ſcio, novi enim animi tui pietatem, cum videres Lateranenſem baſilicam incendio pene conſumtam, undique reſarciri;*

Pauli

Pauli ſacratiſſimam ædem, cujus rectores deformem ejus ruinam jam diu neglexere, nunc non minori ſtudio reſtaurari, quam conſtructa fuit. in quod opus nedum quicquid ex defuncto abbate reperium eſt; ſed de publico fiſco, ille omnium eccleſiarum princeps ingens aurum condonavit. Et nunc circa Petri delubrum, cujus de majeſtate tacere potius, quam pauca proſequi conſilium eſt, ne olim corrumpenti vetuſtate marceſcant, ſummopere provideri. Quid dicam Italicorum clericorum laſcivias, quibus etiam, ut audio, in hoc orbe Romano amplior licentia erat, quanta ſeveritate repreſſas? &c.

17. Poſtquam tam Romæ, quam in circumvicinis locis, per tres aut circiter annos commoratus fuerat Urbanus, Romanoſque ſuis cumularat beneficiis, Avenionem repetiit, ſpe pacis inter Franciæ & Angliæ reges procurandæ, iis tamdem, ſi fieri poſſet, conciliatis, Urbem rediturus. At vix Gallias attigerat, cum gravi affectus infirmitate, relicto Romanis magno ſui deſiderio, vitam ſanctiſſimam felici exitu complevit, ut probant miracula prope infinita, quibus glorioſum ejus ſepulcrum fuit. Avenionem repetit.

18. Gregorius XI. qui die xxx. menſis Decembris anni MCCCLXX. poſt Urbanum V. thronum apoſtolicum aſcendit, primos pontificatus ſui annos apud Avenionem exegit; ſed a Romanis invitatus, & aliunde turbis fatigatus Italicis, quos ſua præſentia comprimere ſperabat, Romam petere & ibidem commorari conſtituit anno MCCCLXXVI. Sunt qui Catharinam Senenſem virginem ſanctiſſimam, id a Gregorio ſuis exhortationibus obtinuiſſe aſſerant, nec deſunt qui dicant eum ad maturandam profectionem ſuam, non parum motum fuiſſe liberrimo cujuſdam epiſcopi reſponſo: *Cum enim*, inquit Bzovius, *iſtum, quod eccleſiam ſuam deſereret, ſequereturque curiam, increpitaret, ille ubi per familiaritatem licuiſſe credidit, reſpondit: Eadem mea qua tua eſt cauſa, maxime pontifex, quod ego meam, tuque Romanam deſerimus eccleſias, rectèque me increpatum agnoſco.* Quidquid eſt, conſtat Gregorium de repetenda Urbe votum emiſiſſe, quod licet ſecretiſſimum, ſolique Deo cognitum, ei manifeſtavit Catharina Senenſis. Unde nullis repugnantium cardinalium aut amicorum, plura hoc ex itinere incommoda timentium, precibus retineri potuit. Gregor. XI. Romam accedere deliberat.

19. Iſtud Gregorii propoſitum a Deo minime probatum, ex his quæ proxime ſecuta ſunt, contendunt nonnulli. Audiendus vitæ Gregorii XI. auctor ſecundus. *Anno nativitatis prædicta* MCCCLXXVI. *die ſabbati intitulata* XIII. *menſis Septembris, dominus Gregorius papa XI. receſſit ab Avenione, cauſa eundi Romam; & dum in palatio vellet aſcendere equum, equus vix permiſit ipſum aſcendere, & quando fuit in villa juxta macellum, ex toto recuſavit ipſum portare, & ipſum oportuit deſcendere, & aſcendere alium equum. Et propter hoc & multa alia pericula, quæ poſtea evenerunt, cogitatum & dictum fuit a multis, quod contra voluntatem Dei ibat Romam.* Avenionem deſerit.

20. Quanta vero, quam crebra, ne dicam quotidiana pericula in mari incurrerit, Petrus epiſcopus Senogienſis tunc incondito verſu, ſed quam accurate deſcripſit in ſuo Gregorii Itinerario apud Bzovium, & patriarcha Conſtantinopolitanus ſermone habito in depoſitione Urbani: *In tempeſtate*, inquit, *magna ſuper procellas maris & fluctus pelagi, ſuper pennas ventorum, in periculis plurimis cum ſuis fratribus, ingratum pervenit ad locum.* Ex quibus refutatus manet Cornelius Zantflietus, cum Gregorium aſſerit *proſperis ventis* Romam appuliſſe. Certe iter illud maritimum, quod paucis ſolet confici diebus, quatuor integris menſibus & eo amplius emenſus eſt, ut vix Urbem ingredi potuerit XVI. cal. Februarii, S. Petri cathedræ pervigilio. Receptus autem in ſpeciem eſt quam honorifice, & applaudente omni populo, delatiſque ipſi, ut convenerat, ſicuti Urbis domino, primis honoribus; Præfecti, ſeu, ut vocabant, Bandarenſes, & duodecim capita re- Tomo 2. Anecdotor. pag. 1079.

gionum, ad quos rerum ſumma attinebat, præfecturas depoſuere. Sed eis ſtatim reſumtis, ut ex arbitrio ſuo, præſente etiam ac renitente pontifice, omnia regerent, ſerius cognovit *ſe fuiſſe deceptum & illuſum tam per eos, quam per alios qui ſibi ſuggeſſerant, quod in ejus adventu tam prædicta, quam alia, quæ in ſui & dictæ eccleſiæ præjudicium & jacturam attentata fuerant in partibus illis, ad ſtatum debitum reducerentur, & ad nutum ſuum diſponerentur*, inquit primus ejus vitæ ſcriptor, qui ſtatim addit: *De reductione aliquali nihil pro tunc actum* fuiſſe, ſed potius *de nova rebellione*, &c.

21. Quid tùm ageret pater ſanctiſſimus, quo ſe verteret prorſus neſciebat. *Non poterat*, ait prædictus auctor, *ſine ſcandalo eorum reſiſtere voluntati.* Fidum beneque meritum Gallum reviſeret? perfidum deſereret populum? utriuſque ſeſe patrem agnoſcebat, commotiſque viſceribus præferendos ducebat, qui magis opera ſua indigerent. Ad Romanos itaque & alios Italiæ populos verſus, tanta omnes benevolentia, tanta gratia & voluntate proſequebatur, ut quemvis alium populum & feras ipſas emollire potuiſſet. Sed deſolatæ interim & oppreſſæ eccleſiæ ut ſubveniret, totis nervis contendit. *Pro recuperatione dotis ejus*, ait laudatus jam patriarcha Conſtantinopolitanus, *pro pace & quiete miſeræ Italiæ labores paſſus, lugubria, ſuſpiria, ſingultus, lacrymarum imbres ſapiſſime emittebat. Et norunt qui circa eum erant, quod dolor de ſponſa, & amor ad eam fuerit magna cauſa accelerationis mortis ejus.*

22. Multis itaque obitis laboribus, cum nihil ſe proficere adverteret, ac Romanos quo pluribus & majoribus cumularet beneficiis, eo experiretur ferociores, maxime eum pœnituit, quod ſic Romam invitis fere omnibus demigraſſet, jamque Avenionem reverti propoſuerat, cum contractus ex mœrore morbus, finem ipſi vivendi fecit. Auctor eſt Hugo de Britannia cardinalis, Gregorium morti proximum, convocatis omnibus cardinalibus, expoſuiſſe, *quod ipſe habebat conſcientiam, quare duxerat eos ad illas partes, & poſuerat eccleſiam Dei in periculo. nam dicebatur, quod poſt eum deberet aſſumi in papam unus quidam malus homo & diabolicus. Et propter hoc rogabat eos, quod vellent eſſe in perfecta caritate, & eligerent de collegio aliquem, de notabilibus perſonis quæ ibi erant; & non curarent de rigore illius decretalis* Ubi majus, *& expedirent ſe cito, & eligerent illum, in quem major pars collegii conſentiret. Nam ipſe ſuſpendebat decretalis illius rigorem, & alia quæ loquuntur de iſta materia, uſque in menſem Septembris.* Eadem fere prodidit Petrus de Croſſo S. R. E. cardinalis.

Apud Baluz. tom. 1. vit. pap. Aven. p. 1224.

Gregorius morti proximus provident electioni futuri pontificis.

23. Porro bullam, qua revocato decretalis *Ubi majus* rigore, permittit ſacro collegio, ut nunciato ſuo exitu, locum ſtatim idoneum ſive intra, ſive extra Urbem, ne expectatis quidem nec vocatis abſentibus, eligerent, atque etiam, ſi ita conveniret, ad maturandam futuri pontificis creationem, ſubinde mutarent, edidit Raynaldus ad annum 1378. num. 2. *Datam Romæ apud S. Petrum* XIV. *cal. Aprilis, pontificatus ſui anno octavo.* Tum converſo ad Petrum Roſtagni, arcis S. Angeli caſtellanum, quem pariter advocaverat, ſermone; *Caſtellane, ego ſentio, quod Romani ſperantes me non poſſe evadere, jam imaginantur velle facere ad eorum votum ſummum pontificem: qui ſi per violentiam fiat, pontifex non erit; & ideo nolo reddi caſtrum ſine conſenſu cardinalium qui remanſerunt Avenione.* Atque his dictis, ipſum *ita jurare voluit obſervaturum, ſub pœnis perjurii & proditionis, in manu ſuæ ſanctitatis*, uti atteſtatur ipſe Petrus Roſtagni in epiſtola ad cardinales Avenione tum commorantes. Quæ certe demonſtrant prævisam a Gregorio fuiſſe, quæ jam jam imminebat univerſæ eccleſiæ ſciſſionem. Jam vero ex dictis hactenus, & clarius luce meridiana patet, quod initio poſi-

Apud Baluz. tomo 2. vit. pap. Aven. p. 815.

tum eſt primam ac fere unicam ſchiſmatis originem repeti merito poſſe abs Romanæ curiæ Avenionem migratione, Romanis iniqua ac prorſus odioſa, nec ullo modo tolerabili. Jam de ipſius ſchiſmatis ortu agendum eſt.

§. II. *Quomodo ortum eſt ſchiſma poſt mortem Gregorii XI.*

24. Defuncto pie ſummo paſtore die XXVII. menſis Martii MCCCLXXVIII. *ſparſa eſt in Urbe fama*, inquit Raynaldus, *Gregorii mortem divinitus acceleratam, ut in Urbe ſedes apoſtolica defixa hæreret, cum illam Avenionem reducere meditaretur.* Eadem ſcribunt Thomas epiſcopus Lucerinus, Bido prior Sanctorum, & epiſcopus, quorum teſtimonia refert Baluzius in notis ad Vit. paparum Avenionenſium. Tunc Romani provide ſibi agendum exiſtimantes, ut futuri pontificis electio ex ſententia ſuccederet, omnem moverunt lapidem, ut vi aut aſtutia papam haberent Romanum, aut ſaltem Italicum, qui amore patriæ illectus, ſedem in Urbe figeret. Rem paucis enarrat Petrus Roſtagni epiſtola ad cardinales Avenione commorantes: *Romani claves omnium portarum Urbis & pontium acceperunt, & cuſtodes ad omnes exitus poſuerunt, & poſt multa conſilia, & varios tractatus habitos cum dominis cardinalibus, promiſſum fuit, quod ipſi libere juxta canones eligere poſſent ſummum paſtorem. Die itaque quo intraturi erant conclave, reverendiſſimi domini domini cardinales, cum maxima parte populi coadunati, incœperunt clamare:* Italicum volumus ſine fallo. *Et fere oſtia dicti conclavis clauſa erant, quando hominum multitudo armata clamare incœpit comminando:* Romanum vel Italicum volumus ſine fallo. *Et cum talibus clamoribus perdurarunt uſque mane: quo veniente, fregerunt domos conclavis violenter, ubi erant domini cardinales, & clamabant:* Romanum volumus vel ſaltem Italicum. *Et quidam ex dominis fuerunt tracti & peſſime pertractati, & quidam fugerunt. Quæ omnia vidi & audivi relatu dominorum cardinalium, qui mortis timore ad caſtrum prædictum fugerunt.*

Romanorum motus ad habendum papam Rom. aut Italicum.

Apud Baluz. tomo 2. vit. pap. Aven. p. 813.

25. In tanta animorum commotione, ſi Froiſſardo credimus, cardinales aſpectu triginta armatorum millium, qui fractis etiam conclavis portis, mortem reluctantibus minitabantur, territi, in virum probum & ſanctum, cardinalem ſancti Petri vulgo appellatum, vota direxerunt ſua, quem mula alba vectum circumduxerunt, quo ex labore fatigatus optimus ſenex, triduo poſt mortem non evaſit: eoque fatis functo, cardinales iterum a Romanis territi, Bartholomæum Barenſem archiepiſcopum, tunc abſentem, elegerunt. Verum in tota hac narratione non ſemel erravit Froiſſardus: nam cardinalis S. Petri in ſummum pontificem electus non fuit. Sed cum inſtarent Romani, ut Romanus aut Italicus papa ſibi daretur, dictumque eis fuiſſet, *Ite ad ſanctum Petrum;* hæc verba gratanter excipientes, & cardinalem S. Petri papam eſſe non dubitantes, raptum & reluctantem, ſeque non papam eſſe nec eſſe velle proclamantem, inthronizaverunt. Errat etiam cum triduo poſt mortuum aſſerit, qui ſexto ſolum ſequentis menſis Septembris die exceſſit e vita. Errat adhuc cum Bartholomæum abſentem ſcribit electum fuiſſe, quem conſtat tunc Romæ verſatum, magnæ huic tragœdiæ fere ſemper adfuiſſe.

Froiſſardi lib. 2. cap. 12. non accurata narratio.

26. Theodericus Niemus, qui Bartholomæo erat ab epiſtolis, diſſimulata Romanorum impreſſione, ſic ejus electionem deſcribit: *Cumque omnes cardinales poſt obitum dicti Gregorii..... ut moris eſt, intrarent conclave, in palatio papali, prope baſilicam principis apoſtolorum, ſupradictus etiam Urbanus cum eis, non tamen ut cardinalis, intrabat, & expectans inibi, donec omnes alii prælati, qui tunc pariter intraverunt, abinde receſſerant, ſolis eiſdem cardinalibus in cameris eorumdem ſigillatim loquebatur, ipſos devo-*

Theoderici Niemi ſententia.

Lib. 1. de Schiſm. c. 2.

tius deprecando, ut Deum & juſtitiam præ oculis haberent, & omni affectione ſemota, eccleſia Romana de utili & idoneo paſtore per electionem canonicam proviserent: ſicut hæc fieri vidi & audivi, cum eodem Urbano ibidem exiſtens. Et quia dicti domini cardinales per multos dies, antequam eligerent, in dicto palatio ſeu conclavi remanſerant, ſingulis diebus ad altare ſecundum in ipſa baſilica legit miſſam, ut exiſtimo Dominum deprecando, ut cardinalibus ipſis ſuam gratiam dignaretur infundere, quod cito pontificem utilem & idoneum eligerent, ut præfertur. Cumque poſtea dicti cardinales in eumdem Urbanum in ipſo conclavi, quod aſſumeretur in papam per electionem uniformem, ſcilicet nemine ipſorum diſcrepante, factam inſimul concordaſſent, quadam die Veneris, ſcilicet VI. *nonas Aprilis tunc currentis anno prædicto, paulo ante horam tertiam miſerunt pro eo* accerſendo, &c. An vero omnino ſincera ſit hæc enarratio poſtea videbimus. Certe quomodo ſtabit quod ait, cardinales in conclavi per plures ante electionem dies ſimul conveniſſe, cum aliunde conſtet eos feria IV. ſub veſperam ingreſſos conclavem, electionem vero biduo poſt feria VI. VI. idus Aprilis, non VI. nonas, ut ait, proclamatam fuiſſe?

27. Tunc data purpuratis exeundi poteſtate, quatuor ex ipſis aut quinque loca extra Urbem, ubi tute poſſent agere, quæſierunt, ſex in caſtrum S. Angeli confugerunt, reliqui ſuas ſe ſinguli in domos receperunt. Sedata vero utcumque animorum commotione, ad Urbanum acceſſerunt omnes, ac ſolito more ut verum papam ſalutatum inthronizavere, ac die Paſchæ pontificali thiara redimivere.

Lib. 1. de Schiſm. c. 4.

28. Accidit autem, *ut die lunæ infra feſta paſchalia*, inquit Niemus, *dictis veſperis in ejus præſentia, in eodem palatio, in capella majori, me præſente, ipſe Urbanus publice incœpit increpare epiſcopos, qui illic venerant, dicendo quod omnes eſſent perjuri, quia eccleſias ſuas deſererent, in eadem curia reſidendo. Sed omnibus tacentibus ipſis prælatis, quondam dominus Martinus epiſcopus Pampilonenſis .... ſolus papa reſpondit ſatis acerbe, dicendo, quod non eſset perjurus, quodque dictam curiam, non propter ejus privatam, ſed potius propter publicam utilitatem ſequeretur, & paratus erat de illa recedere, nec non ad ejus eccleſiam accedere.*

Urbanus epiſcopos durius increpat.

Et cardinales Ibid. c. 5.

29. Addit Niemius; *Subſequenter die lunæ immediate poſt ſecundam Dominicam poſt Paſcha, ipſe dominus Urbanus tenendo publicum conſiſtorium, & confluentibus illic dictis dominis cardinalibus, nec non prælatis ac officialibus, & curialibus in magno numero, ut eſt moris, incœpit ſermonem facere in præſentia illorum, cujus thema fuit:* Ego ſum paſtor bonus, &c. *quem minus caute nec non minus ornate fecit; in quo etiam mores dictorum cardinalium & prælatorum incœpit redarguere: quod ipſi agre tulerunt .... Veniens etiam illo tempore quidam collector fructuum camera apoſtolica, de quadam provincia ad præſentiam dicti Urbani, ei quamdam pecuniæ ſummulam ratione ſui collectaneæ officii offerebat: cui reſpondens, ait: Pecunia tua tecum ſit in perditionem; ac illam recipere non curavit.*

Hiſt. Richardi II. regis pag. 219.

30. His adde quæ ſcribit Thomas Walſinghamus auctor Anglus & Urbaniſta: Poſt adventum cardinalis Ambianenſis, *cum novus pontifex intraſſet conſiſtorium, cœpit ethice tractare de multis, & inter multa diſputare contra cardinalium avaritiam, qui fulvo corrupti metallo, aut excœcati pecunia, plus venabantur argentum, quam pacem gentium, ad quam miſſi fuerant inter regna reparandam. Ambianenſis autem amplius publice deteſtabatur & condemnavit perfidiam, imponendo ſibi, cum ſæpius miſſus fuiſſet a papa Gregorio prædeceſſore ſuo, ut quoquo modo pacem inter Angliæ & Franciæ reges firmaret, & ipſe inæſtimabiles auri & argenti ſummas pro labore ſui itineris, juſſu papæ, de utroque regno cepiſſet, omiſſo ſuæ legationis officio,*

non

non curavit paci providere regnorum; ſed potius elaboravit, ut diſſenſiones & odia continuarentur inter reges diutius, ut dum ſæpius deſcenderet taliter ſub umbra firmandæ concordiæ, rediretque multoties infecto negotio, ſuo provideret uberius inflando marſupio..... Ambianenſis vero, his auditis, in furore mentis exivit ſe cum indicibili faſtu, & in propatulo extento digito, domino papæ hæc verba furioſe reſpondit: Tu, inquit, tamquam Barenſis mentiris. Et mox relicto conſiſtorio, cum contumelia receſſit a conſpectu papali; quem illico ſecuti ſunt plures e cardinalibus, qui parti ſuæ favebant.

31. Paulo aliter cardinalium ab Urbano ſeceſſum enarrat Theodericus Niemius, ſingulos ſcilicet circa medium Maium ab Urbe, ubi adhuc agebant, ſenſim egreſſos, Anagniam civitatem commigraſſe *recreationis cauſa, æſtivali tempore, ut dicebant, quia tunc, ut communiter, incipit calor in eadem urbe vigere.* Sive, ut ait auctor vitæ ſecundæ Gregorii XI. *Poſt paucos dies domini cardinales incœperunt exire Romam, duo una die, unus alia, alter cum licentia, alter ſine licentia, & ſic de aliis, taliter quod nullus Gallicus remanſit, & omnes iverunt Anagniam.* Eorum Roma egreſſum acceleravit ipſius Urbani anxius ardor recuperandi caſtri S. Angeli, cujus cuſtodiam cuidam concivi ſuo Neapolitano committere volebat. Præerat ea in arce Petrus Roſtagnus, ſeu Gandelinus, vir nobilis, a Gregorio XI. ibi conſtitutus, in eaque remanſit uſque ad menſis Aprilis finem, quo ab Urbano juſſus eſt eam reſignare. Juſſionem declinare exiſtimavit Roſtagnus, mandanti pontifici reſpondendo, *quod ſolveret ſibi decem millia florenorum, quos debebat recipere de ſuis ſtipendiis, & de reparatione facta in dicto caſtro, & poſt daret ſibi dictum caſtrum.* Ad hæc Urbanus caſtellanum coram ſe citavit. Comparuit ille, prius accepta ſecuritate, de libero ſibi ad caſtrum reditu conceſſa, nihilque ab eo potuit obtinere, ut tradit Menandus epiſcopus Cordubenſis, homo partis Urbani, qui nihil aliud addit. Sed quod ille omiſit, diſcimus aliunde ex epiſtola Roſtagni patrui dicti caſtellani, quæ extat in codice olim Harleano, nunc Chauveliniano; Urbanum ſcilicet intactum nihil reliquiſſe, pecunias pro eo apud mercatores depoſuiſſe, maximos ei obtuliſſe honores, quos ille conſtanter recuſavit. Tamdem cum ſemper urgeret Urbanus, reſpondit Caſtellanus non ſibi integrum eſſe arcem reddere, niſi cardinales Avenione reſidentes aſſenſiſſent, id ſibi a Gregorio XI. paulo ante mortem, ſub pœna perjurii & perduellionis fuiſſe injunctum. *Propter quam cauſam*, pergit in epiſtola ſua Petrus Caſtellani, *ante diſceſſum dominorum cardinalium de Urbe, miſit mihi & meo nepoti, dicendo, quod niſi caſtrum redderemus, cardinales ante caſtrum per Romanos ligatos duci videremus; & niſi caſtrum reſtitueremus, videremus ipſos fruſtatim ſcindi per furioſas manus Romanorum.* Subdit Petrus Roſtagni: *Ob quam cauſam cardinales qui remanſerant, de receſſu celeri aviſavi, quem fecerum.*

Cardinalium receſſus Anagniam.

Lib. 1. c. 7.

Petrus Roſtagnus recuſat Urbano reddere arcem S. Angeli.

32. Poſt cardinalium ab Urbe exceſſum, ſcripſit Roſtagnus ad eos qui Avenione remanſerant, quid ſibi agendum tanto in diſcrimine eſſet, non differrent indicare. Dedit & ipſe Urbanus litteras eiſdem, ſignificans, uti arcem ſancti Petri ſibi reſtitui mandarent prædicto Caſtellano. Erant tum Avenione ſex omnino cardinales, e quibus duo ſolum, Anglicus Albanenſis, & Petrus Pampilonenſis epiſcopi, præmiſſis Roſtagno de reſtituenda arce mandatis, Urbano reſcripſere, jam per ſe non ſtare, quin arce potiatur: at quatuor alios collegas *hoc differre volentes, ſuam ſuper hoc intentionem noluiſſe declarare, nec etiam ſcribere de præſenti, aſſerentes ſe velle prius per alios dominos cardinales, in illis partibus exiſtentes, vel eorum litteras de ſuper præmiſſis certius informari.* Qui hiſtoriam eccleſiaſticam Gallico idiomate conſcripſit abbas *Fleury*, qui has legerat epiſtolas, exiſtimavit Gan-

delinum ab omnibus cardinalibus Avenionenſibus mandatum de reddendo caſtro accepiſſe, cum duo tantum id præceperint; aliis quatuor intentionem ſuam declarare nolentibus, ſed nec tunc Urbano reſcribere volentibus.

Ad an. 1378. num. 24. unde Raynaldus, qui Albanenſis & Pampilonenſis epiſcoporum ad Urbanum epiſtolam edidit, aſſerere non dubitat, Gandelinum *ad conjuratorum cardinalium nutum armatum in arce ſtetiſſe*. Et certe qui Anagniam ſeſe receperant purpurati, datis ad eum litteris, inhibuerunt, ne Urbano caſtrum reſignaret, *& pro fulcimento aliquali dicti caſtri, mille florenos auri tranſmiſerunt: reliquam autem partem munitionis dicti caſtri*, inquit Petrus Roſtagnus, *habuimus a certis Romanis non de infimo genere natis, ſed de majoribus dictæ terræ, qui nos animabant ad detentionem dicti caſtri, ut citius idolum evectum per furioſum populum Romanum ſubverteretur*. Quæ poſtrema verba oſtendunt Urbanum non omnium Romanorum corda ſibi devinxiſſe, ſed multos etiam, nec ipſos infimos, habuiſſe adverſarios; & hac forte occaſione accidiſſe potuit id quod de ſancta Catharina Senenſi teſtatur Thomas Senenſis a nobis editus tomo ſexto hujus Collectionis, eam nimirum *Urbanum defendiſſe, & impediſſe ne a Romanis cum ipſo turbatis occideretur*. Retinuit igitur Roſtagnus arcem S. Angeli, nec ſine conditionibus, poſt annuam circiter obſidionem, & deficiente commeatu, reſtituit, uti habet Theodericus Niemius.

Pag. 1297.

Theodericus Niem. lib. 2. cap. 8.

33. Interim Otto dux Brunſwicenſis & princeps Tarentinus, *cum eſſet vir totus catholicus, ac etiam ipſi Urbano compatiendo, cum decenti comitiva juriſperitorum & militum de Neapoli venit ad ipſum papam apud Tiburtum, conando eum cum dictis cardinalibus in amicitiam reponere .... Sed videns ipſe princeps ſe non proficere in promiſſis, cum eodem Urbano, quia erat aliqualiter litteratus, quadam vice dolenter cum nonnullis dicebat: Pro certo pater noſter non Urbanus, ſed potius, ut timeo, Turbanus dicetur, & multis erit adverſitatibus involutus, & ruina multorum. quod audiens tunc præſens quondam ille celebris doctor legum Nicolaus de Neapoli, rector Provinciæ in Gallia, pro ipſis domino Ottone principe & Johanna regina, tunc temporis acceſſit ad eumdem Urbanum, qui erat ei valde familiaris ante papatum, & rogando ipſum, ut omnino conſiliis dicti principis acquieſceret, qui niſi bonum ipſius Urbani, & ut concordia vigeret in Romana eccleſia, quæreret & peteret ab eodem. quem cum etiam obaudiret dictus Urbanus, ipſe dominus Nicolaus propterea ira commotus, ad præfatos cardinales infra pauca tempora acceſſit, ex tunc partem eorum publice fovendo, nec non eis aſſiſtendo conſiliis & auxiliis opportunis.*

Papatus Carolo regi oblatus.

34. Hæc dum in Italia agerentur, triſtis & acerbus nuncius, de vi & impreſſione in Bartholomæi electione facta allatus, & tota ſtatim Gallia diſſeminatus, Carolo regi illuſtri quamplurimorum ab Urbe redeuntium teſtimonio confirmabatur; atque eodem tempore accidere potuit id quod legitur in conſultatione tum facta Pragæ, cum Wenceſlaus imperator Rhemos acceſſit, de unione eccleſiæ cum Carolo rege tractaturus, cardinales ſcilicet papatum *Francorum regi*, defuncta non ita pridem regina, ultro obtuliſſe, quem quidem honorem ſapientiſſimus princeps non modo a ſe removit; ſed, qua erat modeſtia, vel ejus repudiati memoriam perpetuo videtur occultaſſe ſilentio. Exſtat hæc conſultatio tomo 2. Anecdotorum pag. 1272. & in Chronico Cornelii Zantfliet tomo quinto hujus Collectionis, pag. 349.

Urbanus offert concilium generale, quod cardinales repuunt.

35. Cum vero Anagniam ſeceſſiſſent cardinales Gallici, Urbano Italici aliquanto tempore adhæſerunt, e quibus tres, Petrus Florentinus, Simon Mediolanenſis, & Jacobus de Urſinis ab eo miſſi, in agro Prænestino convenere, cum totidem ex adverſariis, Roberto Gebennenſi, Guidone Pictavenſi,

& Roberto S. Euſtachii, quibus ad dirimendas enatas controverſias, Urbani nomine obtulerunt concilium generale. Reſpondérant Gallici hac de re deliberandum eſſe cum collegis ſuis Anagniæ reſidentibus: qui quidem omnes viam concilii, in conſilio regis Francorum jam ante propoſitam & rejectam reſpuerunt. Eadem fuit ſententia S. Vincentii Ferrerii, & Roberti Gervaſii epiſcopi Senecenſis. Sed nec ſincere ab Urbano oblatam probat Baluzius in notis ad Vitas paparum Aven. pag. 1109.

Cardinales Italici Anagniam accedunt, novos creat Urbanus.

36. Non multo poſt cardinales Italici, uno excepto cardinali ſancti Petri, qui numquam ab Urbano divelli potuit, obiitque die lunæ 6. Septembris, Gallicis adjuncti, Anagniam acceſſerunt. Tunc Urbanum imprudentiæ ſuæ pœnitere cœpit, ac mœrore confectum aliquando vidit Theodericus Niemius; videnſque ſe eſſe ſine cardinalibus, hortante ſancta Catharina Senenſi, novos creavit XXIX. ex quibus tres oblatam reſpuerunt dignitatem, duo ad Clementem, eo deſerto, migraverunt. Circa hanc cardinalium creationem tria licet obſervare. Nam 1. quidam aſſerunt auctores, viginti ſex tantum ab Urbano fuiſſe creatos; eos prætermittentes haud dubie, qui hunc dignitatis gradum accipere noluerunt. Ita Theodericus Niemius lib. 1. de Schiſm. cap. 12. Radulfus de Rivo de Geſtis epiſcoporum Leodienſium cap. 12. Onuphrius Panvinus in Epitome. 2. Cantelorius inter promotos recenſet Philippum Carafam, Guillelmum cardinalem ſancti Euſebii, Ludovicum S. Mariæ-novæ, & epiſcopum Tiburtinum: quorum loco Gallicus Nangii continuator numerat epiſcopum Paduanum, epiſcopum *de Tuille* & archiepiſcopum Salernitanum. 3. Theodericus a Niem, Radulfus de Rivo, Onuphrius Panvinus, Odoricus Raynaldus, Gallicæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ auctores dominus *Fleury* & ejus continuator, hanc cardinalium creationem poſt Clementis electionem conſtituere. Verum hi toto aberrant cœlo. Nam Clementis electio 20. Septembris, cardinalium creatio 18. ejuſdem menſis celebrata fuit: quæ cum ad aures cardinalium perveniſſet, indignati tot purpuratorum promotione, novi papæ creationem accelerare decreverunt.

Electio Clementis VII.

37. Monuerant jam per litteras Urbanum cardinales, ut nomen & inſignia pontificis deponeret, haud ignorans factam per impreſſionem electionem ſuam, ipſo jure nullam eſſe; at ille jure fretus ſuo, cum nullis voluiſſet monitis aut precibus obſequi, die 20. Septemb. non in feſto S. Michaëlis, ut habet Zantflietus, omnium Gallicorum cardinalium ſuffragiis electus eſt Robertus Gebennenſis, XII. apoſtolorum cardinalis, Clemens VII. deinceps appellatus, ad cujus perſonam, præter propria merita, reſpectum habuiſſe dicuntur propter duo. *Primo, quia inter alios erat admodum bene paratus, totuſque agilis & diſpoſitus ad laborandum. Et ſic tenebant eum eſſe cordatum, & animoſum, & voluntarium ad exponendam etiam propriam perſonam, ubi neceſſe exiſteret, pro liberatione & ereptione Romanæ eccleſiæ a manibus dicti Bartholomæi intruſi in ea, medio prætermiſſo, ac ipſam occupare præſumentis; præſertim cum in talibus pro negotiis memoratæ eccleſiæ alias exercitium & experientiam habuiſſet. Secundo, quia erat valde generoſus, cum gradu conſanguinitatis ſecundum majus & minus attingeret fere omnes majores principes Chriſtianos: propter quod ſperaverant, quod tam conſideratione eccleſiæ, quam contemplatione ſuæ perſonæ, ſibi vellent obedire, ac viriliter aſſiſtere & favere.*

Vita prima Clementis.

Ipſo repugnante & ſilente.

38. At longe alia erat Roberto ſui ipſius opinio, vixque cardinalium votis ac precibus acquievit. Audienda eſt hic miſſi regii ad comitem Flandrenſem expoſitio, ex mſ. Gemmeticenſi edita tomo 4. hiſtor. Univerſitatis Pariſienſis, pag. 522. *Cardinalis Gebennenſis, præſentibus omnibus cardinalibus in civitate Fundorum, ... videns ſe ſic electum ſecundum canonicas ſan-*

ctiones, renuit toto poſſe, allegans ſe defectuoſum, imperitum & inſufficientem, cum maxima humilitate, ita quod videntes provocabat ad fletum, & omnibus moventibus coactus conſenſit: qui ſicut eſt genere nobilis, ita moribus maturus & tacitus, devotus & honeſtus. Idem teſtatur Hugo cardinalis de Britannia in depoſitione ſua his verbis: *Quando fuit nominatus per dictos cardinales ipſe Clemens, remanebat plorando, excuſans ſe; quod expediebat habere alium, ſupplicando quod alium præficerent.*

§. 3. *De obedientiâ utriuſque electi.*

Orbis chriſtianus tres in partes diviſus.

39. Audita Clementis electione, ſtatim viſus eſt orbis Chriſtianus tres in partes diviſus, in Urbaniſtas ſcilicet, in Clementinos, & neutrales. Urbanum verum pontificem agnovere Alemanni, Hungari, Bohemi, Angli, Poloni, Daci, Sueci, Norwegi, Flandri, & Italiæ pars maxima. Clementi paruerunt Galli, Scoti, Siculi, Sabaudi, Lotharingi, & quidam Alemannorum populi. Neutrales fuere Hiſpaniarum reges, Caſtellæ, Legionis, Atagonum & Navarræ, qui tamen poſtea Clementinis acceſſerunt. Hannones ſemper neutrales fuere.

Urbanus Carolum imperat. ſibi devincit.

40. Cum deploratas fere cerneret Urbanus res ſuas, atque ex tot populorum defectione contractas, & pluribus quotidie dilabentibus, ſimulque Romanis & ceteris vicinis vacillantibus, ſalutem ſuam in ſummo diſcrimine poſitam, nullum vero præſenti procella ſubſidium certum adeſſe, quod a ſuis ſperare non poterat, ab exteris quærere inſtituit. Omnia igitur circumſpicienti optimum viſum eſt, Carolum IV. imperatorem ad partium ſuarum ſtudium allicere. Is paucis ante annis, vivente adhuc Gregorio XI. papa, Winceſlaum filium in regem Romanorum deligi procuraverat, atque electionis ejus confirmationem ab ipſo Gregorio petens, repulſam fuerat paſſus, exigente pontifice, ut ante omnia ſolita præſtaret juramenta. Hac capta occaſione, Urbanus quod merito negaverat deceſſor ſuus, ultro indulgens, Winceſlaum, ne quidem ipſo aut patre petente, confirmatum futurum imperatorem declaravit. Facta eſt ſolemnis hæc declaratio ante Clementis promotionem die XXVI. Julii MCCCLXXVIII. ut diſcimus ex epiſtola Marcilii de *Inghen* univerſitatis Pariſienſis olim rectoris, qui tum Tibure, ubi & Urbanus verſabatur. *Papa*, inquit, *heri publice in conſiſtorio confirmavit electionem factam de rege Alemannorum per electores, & ipſum denunciavit futurum imperatorem, quamvis ex parte imperatoris nulli ambaſſiatores pro eo fuerint miſſi.* Res pro voto ſucceſſit Urbano. nam, ut ait primus auctor vitæ Clementis VII. *Eodem tempore*, XXIX. Novembris MCCCLXXVIII. *obiit Carolus Romanorum imperator, qui paulo ante illectus & circumventus per dictum Bartholomæum intruſum, pro eo quod, omiſſis ſolemnitatibus in talibus obſervari conſuetis, electionem perprius ad ejus procurationem factam tempore Gregorii XI. per electores imperii, de Winceſlao rege Bohemiæ filio ſuo in regem Romanorum, approbaverat & confirmaverat, etiam non petitus & requiſitus per eum, ſibi obedire & adhærere decreverat, ac ipſum pro vero papa tenere & habere diſpoſuerat, ſicque ſervari & obſervari voluerat per præfatum filium ſuum: qui etiam in hoc inhærens paternis veſtigiis, ſic fieri voluit & ſervavit, mandavit & ordinavit in regno Bohemiæ, & generaliter in omnibus terris & dominiis ſuis, ſibique & imperio ſubjectis. Nec fuit qui hujuſmodi ordinationi voluerit, aut auſus fuerit contraire.* Si Theoderico Niemio credimus, Urbanus ad Carolum imperatorem & Ludovicum Hungariæ regem, cujus filiam Mariam duxerat Sigiſmundus imperatoris filius natu minor, ſe valde *humiliando nuncios ſuos deſtinavit, diverſis litteris propria manu ſcriptis, de violentiis & injuriis crebriſque damnis ſibi per Gallicos cardinales illatis conquerendo. Quod cum prædicti imperator*

Hiſt. Univ. Pariſ. to. 4.

Lib. 1. de Schiſm. cap. 15. & 17.

perator & Ludovicus audiſſent, ipſe Carolus imperator cum eodem Urbano tractavit, quod dictam electionem filii in regem Romanorum approbavit, & quondam Johannem tunc archiepiſcopum Pragenſem, & etiam ad honorem dicti regis Ludovici epiſcopum Quinqueccleſienſem creavit cardinalem. Quibus ex verbis patet Carolum imperatorem & Ludovicum Hungariæ regem eo potiſſimum inductos ad adhærendum Urbano fuiſſe, quod Winceslaum Romanorum regem electum confirmavit, ac futurum imperatorem declaravit, ſimulque adſcripſerit cardinalium cœtui Pragenſem & Quinqueccleſienſem antiſtites: tametſi Winceſlaus de Urbani jure nonnihil dubitaſſe viſus eſt, cum miſſis poſtea ad Clementem legatis, iterum petierit ejus auctoritate confirmari, ut ex regiſtro ejuſdem Clementis docet Bzovius ad annum 1377. n. 3.

41. Quid Richardum Anglorum regem impulerit ad obediendum Urbano, diſcimus ex his Theoderici Niemii verbis: *Stantibus autem iſtis, quondam Richardus rex Angliæ ſororem Winceſlai regis duxit uxorem, propter quam affinitatem, inter ipſos Winceſlaum & Richardum heredes contractam, ipſa obedientia Urbano tunc augebatur.* Aliam cauſam adducit Thomas Walſinghamus, quod ſcilicet excommunicato ab Urbano Carolo rege Francorum, opportuna ſe Anglis offerret occaſio regni ejus invadendi. Sic enim ille ad annum 1379. *Sub iiſdem rebus venit a Roma archiepiſcopus Caſſilienſis Hibernicus .... Cum autem veniſſet Londonias, habito ſermone ad populum, denunciavit regem Franciæ & quotquot antipapæ adhærebant, involvos excommunicationis ſententia: aſſeverans etiam Angliæ fore tempus acceptabile, tam in cauſa regis Angliæ ad invadendum regnum Franciæ, præſertim cum veriſimile eſſet, quod rex anathematizatus, non haberet fiduciam reſiſtendi.* Ex his patet quam vitioſa eſſet illa Germanorum & Anglorum adhæſio, cum ſuis eos potius quam eccleſiæ rebus conſuluiſſe manifeſtum ſit.

Angli adhærent Urbano. Lib. 1. c. 17.

42. Religioſior forte videbitur illuſtris comes Flandriæ, qui cum Clementi eſſet proxima conſanguinitate conjunctus, ab Urbano divelli numquam potuerit, eum conſtanter aſſeverans ſummum pontificem Romanum, quem jam inauguratum Clemens ipſe, tum dictus Robertus de Gebennis, ſibi ſcripſiſſet libere & canonice electum: unde cum poſtea creatus ipſe pontifex litteris comitem vehementioribus allicere tentaret, priores litteras his poſterioribus, beneficiaque comes opponebat, quæ tum ſibi impetraverat ab Urbano pontifice. quamquam valde vereor, ne ſpe majorum ab Urbano beneficiorum, eidem fuerit ita addictus: quem, nuntiata a Roberto de Gebennis ejus electione, vehementer gaviſum tradit Thomas Walſinghamus, *quaſi per ipſum*, Robertum, *multa eſſet apud papam facturus & impetraturus, nec ſecus accidit.* Nam ſtatim Urbanus S. Donatiani præpoſitum ad ſedem Morinenſem comitis precibus tranſtulit, præfecto etiam ejus loco, quem comes poſtulabat, quodam alio clerico.

Comes Flandriæ.

43. *Succeſſive cum Florentinenſi ac Pemiſinenſi, nec non Marchiſanis, ſcilicet de Marchia Anchonitana, & cum dominis Barnabove & Galeatio fratribus, qui tunc Mediolanenſem & multas alias civitates Lombardiæ tenuerunt, & qui erant de ipſa liga contra eccleſiaſticam pacem, fecit, ſic eos paulatim ſuæ obedientiæ attrahendo, & cooperante dicto imperatore, ſuam obedientiam pene per totam Alemanniam dilatavit*, inquit Theodericus Niemius.

Italiæ pars magna. Theodericus Niem. lib. 1. cap. 17.

44. Clementis obedientiam decoravit ſacrum purpuratorum collegium, qui cum ſint eccleſiæ columnæ, omneſque ad unum, poſthabito Urbano, Clementi, quem elegerant, ad mortem uſque adhæſerint, nobilioremque ejus obedientiam reddidere. Tres tamen Italici cardinales, celebrata Clementis

Clementi adhærent cardinales.

electione, cui nec conſenſerant nec contradixerant, in Talacozi caſtrum ſeſe receperunt, non quod, rejecto Clemente, obedire vellent Urbano; ſed quod ſciſſuram in eccleſia videntes, rei exitum, & determinationem concilii generalis, quod poſtulabat Urbanus, exſpectarent, ut cui contendentium ſibi parendum eſſet, agnoſcerent. Extat hac de re Jacobi de Urſinis cardinalis declaratio, anno MCCCLXXIX. die XII. menſis Auguſti coram notario facta apud Raynaldum; cui declarationi potius credendum cenſemus, quam aut his auctoribus, qui cardinalem eumdem in Urbani obedientia mortuum, aut qui ad extremum uſque Clementi adhæſiſſe tradunt.

45. Quod ſpectat ad duos alios cardinales, certum eſt eos in Clementis obedientia inconcuſſe perſeveraſſe: immo & cardinalis Mediolanenſis, qui Niciæ die XXVII. Auguſti anni MCCCLXXXI. obiit, morti proximus publice declaravit Bartholomæi electionem nullam, Clementis vero canonicam & validam, petiitque hanc ſuam declarationem in cunctis orbis partibus publicari: quæ quidem declaratio exſtat apud Bulæum edita tomo 4. Hiſt. Univerſitatis Pariſ. pag. 586.

46. Jam prædiximus, tres, ex deſignatis ab Urbano cardinalibus, oblatam dignitatem repudiaſſe, duoſque alios, Pileum de Prata, Ravennenſem vulgo appellatum, & Galeotum de Petra-mala, ea ſuſcepta, defeciſſe ad Clementem: immo ſi Gobelino Perſonæ credimus, ipſe *Pileus in majorem Urbani contumeliam, capellum, quem ab eo inſigne cardinalatus accepit, Papiæ in foro publice combuſſit.* Sed qua levitate, dimiſſo Urbano, ad Clementem ſe contulit, ad Bonifacium IX. reverſus eſt. At ex omnibus cardinalibus, qui Clementi nomen dederant, ne unus quidem, quem ſciam, eum aliquando dereliquit, omnibus ad mortem uſque ejus in obedientia perſeverantibus.

Gobel. 6. ætat. c. 81.

Carolus rex Francorum. Paul. Emil.

47. Ex regibus & principibus Carolus V. rex Francorum, *qui litterarum & litteratorum amator erat ſummus & admirator, jus ex æquo ut diceretur in primis curabat, judiciſque frequenter aderat, in pauperes liberalis & beneficus, propterea que Sapientis nomen merito aſſecutus, quique in omni genere lectiſſimos viros habere voluit*, primus omnium, non cœco impetu, ſed poſt maturam & accuratam diſcuſſionem, Clementem agnovit pro vero ac legitimo Romano pontifice. Is poſt factam Urbani electionem, ſecrete monitus fuerat, ne litteris nunciiſve ab Urbano ſibi miſſis fidem ullam adhiberet. *Annales Franciæ*, inquit Paulus Emilius, *auctores ſunt purpuratos quamplurimos, poſt delectum Urbanum, extemplo ad Francorum regem miſiſſe, ne fidem ullam haberet litteris nunciiſve Urbani, ſe pontificem maximum creatum nuntiantis.* Idque confirmat Petrus de Croſſo papæ camerarius in ſua depoſitione, his verbis: *Poſt coronationem quadam die, cum ſcriberetur & notificaretur ubique coronatio ipſius Bartholomæi, præfatus dominus camerarius ſcripſit propria manu regi Franciæ, præſente domino cardinali S. Euſtachii, per litteram credentiæ per Petrum de Murlis, quod caveret ſibi, ne crederet quæ ſibi ſcribebantur, quia factum non ſic ſe habebat.* Sed & Henricus de Haſſia in dialogo de Schiſmate, unum aſſerit cardinalem ſecreto ſcripſiſſe regi Francorum, ne ullis cardinalium litteris, nec etiam ſuis fidem adhiberet, quamdiu Romæ eſſent, quia metu tenebantur populi. Similes ab aliis regibus, præſertim Navarræ & Portugalliæ acceptas fuiſſe litteras obſervat Baluzius in notis ad vit. paparum Aven. pag. 1006.

Tom. 4. hiſt. Univ. Pariſ. pag. 461.

48. His acceptis litteris, Carolus, ut erat Sapientiſſimus, nihil ſibi præcipitanter agendum ratus, omnem adhibuit artem & machinam, ut de facti veritate erudiretur ad plenum. Nam præter litteras quas a purpuratis accepit, die XV. Julii allatas ſibi per Nicolaum de S. Saturnino ordinis Prædicatorum, natione Arvernum, ſacri palatii magiſtrum & doctorem theologum;

jam publicum inſtrumentum die 2. Auguſti ſcriptum, ſibi fuerat tranſmiſſum per epiſcopum Famaguſtanum & prædictum Nicolaum de S. Saturnino, ac circa medium Auguſti præſentatum, quo cunctis teſtatum volunt irritam eſſe Urbani electionem. Jamque longe antea per communem famam plurium Roma redeuntium, certa ſibi fides facta fuerat de impreſſione, deinde menſe Maio per Petrum de Caſtro-Villano ſervientem armorum; tum initio menſis Junii per quatuor ſecretarios ſuos, & per quatuor famulos trium cardinalium, vocetenus eruditus fuerat; immo & per ipſos Urbani legatos, quos ille ad Carolum menſe Junio deſtinaverat. Nam cum ex eis unum rex ſecreto interrogaſſet, is impreſſionem ingenue confeſſus eſt, licet dominum ſuum, quod de ea eſſet inculpabilis, niſus fuerit excuſare.

49. Cum itaque factum die 2. Auguſti, nomine cardinalium Anagniæ exiſtentium, de vitioſa Urbani electione inſtrumentum, atque encyclicas ad omnes fideles ea de re 9. Auguſti epiſtolas accepiſſet Carolus, coacto ad hortos Vincennarum patrum, procerum ac doctiſſimorum virorum concilio, rem, ut erat, expoſuit, atque, ut ait Paulus Emilius, *conſenſu ſex archiepiſcoporum, triginta epiſcoporum, complurium cœnobiorum patrum, ſimulque theologiæ juriſque civilis & pontificii profeſſorum conſtitutum, cardinalibus Romana comitia fando improbantibus non aſſentiendum, niſi majore conſilio, gravioreque deliberatione.* At ubi per certum nuncium atque ſibi familiarem & notum audivit, eoſdem cardinales Fundis exiſtentes, Robertum Gebennenſem in ſummum pontificem die xx. Septembris elegiſſe, atque ejus promotioni degentes Avenioni purpuratos aſſenſum præbuiſſe, rogatus ut ſe vellet declarare, nec differret amplius; *convocavit prælatos, clericos, conſiliarios ſuos, & alios nobiles Pariſius exiſtentes pro tunc, & in magno numero, qui ad eum accederent ad nemus Vincennarum; quos ibi congregatos ſigillatim adjuravit, quod omni favore poſtpoſito, ſibi conſuleretur; quid in hac materia eſſet acturus;* atque ex eorum *juratorum ſententia* cauſam Urbani, ut vi vitioque creati, averſatus, agnovit Clementem, ut piis liberiſque Fundanis comitiis lectum pontificem. Facta eſt hæc declaratio xvi. Novembris MCCCLXXVIII. Eamque confirmavit rex Carolus in tertio celeberrimo conventu apud Vincennas, præſentibus quatuor cardinalibus, die ſeptima menſis Maii MCCCLXXIX. Univerſitas vero Pariſienſis, quæ hactenus neutram in partem inclinare voluerat, tamdem ad regis inſtantiam, Clementi cenſuit obediendum die XXII. Maii, repugnantibus tamen Picardica & Anglica nationibus, quæ neutri favebant. Hujus declarationis actum habes apud Bulæum in Hiſt. univerſitatis Pariſienſis. Ceterum, ut quam religioſe in hac tota ſchiſmatis materia ſe geſſerit, rex Carolus coram omnibus palam faceret, ipſo quo obiit die XVI. Septembris MCCCLXXX. accerſito publico notario, teſtatus eſt, *ſe non invidia, odio vel favore* motum, *non ex cognatione carnali, ſeu ex alia inordinata affectione quacumque*, ſed ex determinatione & declaratione cardinalium, prælatorum, doctorum, ac conſilii deliberatione intervenientibus, exiſtimantem bene agere, adhæſiſſe Clementi, paratum eum, quem pro vero pontifice concilium declaraverit, agnoſcere.

Jac. Fabri hiſt. univerſ. Pariſ. p. 514.

Paul. Emil.

Rayn. ad an. 1380. n. 10.

50. Caſtellæ Legioniſque regna ſummo cum imperio adminiſtrabat rex Henricus, qui ut ſciſſam inter duos de papatu contendentes eccleſiam vidit, Rodericum Bernardi & Petrum Fernandi doctorem, legatos ad Carolum Franciæ regem miſit, qui ſuo nomine rogarent, ut ad neutram partem ante vellet deflectere, quam ipſe cum aliis Hiſpaniarum regibus, communicato conſilio, ſcirent veritatem, & tenerent partem veritatis in facto hujus ſchiſmatis. Quibus rex reſpondit, *quod ipſe informatus erat de veritate, ſicut poterat fieri, per homines in humanis, & quod ipſe non poterat differre declarationem, quia ageret contra conſcientiam; quia nullus modus proba-*

Henricus rex Caſtellæ Carolum orat, ut ſuam differat adhæſionem.

tionis poſſet inveniri in iſta materia, niſi quod ſciatur veritas a parte interiori conclavis, & alius modus a parte exteriori. Nam dicebat ipſe, quod impoſſibile eſſet alium modum probationis invenire. A parte utique exteriori eſt, ut ipſe dicebat, impreſſio Romanorum, clamor populi dicentis: Romanum volumus aut Italicum, alias omnes moriantur; *invaſio conclavis & diſruptio, & fuga cardinalium ad diverſa loca extra Urbem & in Urbe. Item, a parte interiori conclavis, ſcire mentes cardinalium, qua intentione elegerunt. Et quia omnes ſub juramento aſſerunt, ſe elegiſſe metu mortis, alias non facturi, videbatur ſibi, quod iſta erat ſufficiens ſibi probatio. Sed quod rogabat regem Caſtellæ, quod ſe informaret de veritate plenius quam poſſet. nam juravit ad ſancta Dei evangelia, & reliquias conſervatas in capella, quæ erat in illo palatio, quod nulla affectione ducebatur in iſto facto, ſed ſolum ſciebat, quod electio primi electi erat impreſſiva; ſecunda erat facta de voluntate libera cardinalium, & canonice celebrata. Et ideo adhærebat iſti Clementi, ut vero papæ, ſequens veſtigia prædeceſſorum ſuorum, qui ſemper ſteterunt pro ſervitio Dei, & eccleſiæ catholicæ honore, etiam ſub magnis periculis. Et jurabat ad illas ſanctas reliquias, quod ſi ipſe ſciret indubitabiliter, quod primus electus eſſet verus papa, quod ipſe dimitteret Clementem, & adhæreret primo, etiamſi omnes homines eſſent contra.* Hæc Roderici Bernardi verba, quæ mirum in modum ea confirmant, quæ Carolus rex morti proximus declaravit, recitata ſunt ab eodem Roderico, Romæ primum coram Urbano, deinde in celebri conventu apud Medinam del Campo coram Johanne rege, Henrici filio & ſucceſſore; exſtantque in notis Baluzii ad Vitas paparum Aven. tomo 1. pag. 1274.

Johannes rex Henrici filius jure utriuſque diſcuſſo,

51. Hoc Henricus accepto reſponſo, neutri adhærendum cenſuit, nec multo poſt 30. Maii moriens, Johannem filium, ut eodem ſe modo gereret, adhortatus eſt. Verum urgente utroque contendente, ut ſe verum pontificem agnoſceret, non regem Franciæ ſolum conſuluit, ſed utriuſque ad papatum contendentis jus per ſe inveſtigare decrevit. Itaque miſſis Romam Avenionemque legatis, oculatos teſtes ſcrutatus, faventium utrique parti rationes & teſtimonia accurate diſcuſſit. Sed & coram ſe in numeroſo apud Medinam del Campo conventu, præſentibus ac perorantibus pro parte Urbani Franciſco de Urbino epiſcopo Faventino, & Franciſco de Siclenis legum profeſſore; ex parte vero Clementis Petro de Luna cardinali, *in præſentia archiepiſcoporum, epiſcoporum, ac nobilium, & militarium, & quamplurium in ſacra pagina magiſtrorum, doctorumque juris canonici & civilis, & aliorum multorum etiam litteratorum regni ſui, examinatis diverſis tractatibus & ſcripturis, quæ hinc inde emanaverunt*, tamdem in civitatem Salmanticam cum tota curia ſua & ſequela ſe contulit, atque ibi die dominica XIX. Maii MCCCLXXXI. celebratis in eccleſia cathedrali miſſarum ſolemniis, præſente prælatorum, procerum, & litteratorum virorum multitudine copioſa, abjecto Bartholomæo, Clementi adhæſit, atque ſuos ei adhærere juſſit. Adhæſionis inſtrumentum edidit Raynaldus ad annum 1381. num. 30. & Baluzius tomo 2. Vit. paparum Avenionenſium. Quantam autem adhibuerit diligentiam rex Johannes examini juris utriuſque pontificum, teſtantur ampliſſimi duo codices manuſcripti in majori forma, in quibus acta varia, depoſitiones, tractatus, & alia hujuſmodi materiam tangentia continentur: quorum alter ex bibliotheca Harlæana tranſiit in Chauvelinianam, alter exſtat in bibliotheca Colbertina num. 814. De quibus vide quæ ſcripſit Baluzius in notis ad Vit. pap. Aven. tom. 1. p. 1281.

Adhæret Clementi.

52. De hac Johannis ad Clementem adhæſione, ſic loquitur auctor vitæ primæ Clementis VII. *Johannes rex Caſtellæ habita plena informatione ſuper intruſione dicti Bartholomæi, & ſubſecuta electione canonica dicti Clementis*

mentis memorati, cum ſolemnitate & maturitate debitis, pro parte dicti Clementis ſe & regna ſua declaravit, volens abinde ſibi tamquam Romano pontifici obedire, ſicque fieri mandavit in regnis ſuis & dominiis per omnes ſubditos ſuos. Ad hoc autem proceſſit cum conſilio & conſenſu unanimi prælatorum, collegiorum, conventuum, ordinum, magiſtrorum, doctorum, magiſtratuum, nobilium dictorum regnorum ſuorum. Quibus expeditis, dictus Gutterus Gomecii perprius epiſcopus Palentinus, qui per præfatum intruſum Bartholomæum ad ſtatum, ſeu verius ad faſtum anticardinalatus aſſumtus exſtiterat, ipſumque acceptaverat, & pro tali, & etiam legato ejus in dictis regnis diu ſe geſſerat, de præmiſſis etiam informatus, ad cor rediens, dictum Bartholomæum abjuravit, & ad dictum Clementem ſe convertit, ipſumque verum papam profitens, Bartholomæum abnegans, ſtatum præfatum ab ipſo receptum totaliter relinquendo. Et idem per omnia fecerunt multi alii, qui tam ad epiſcopatus, quam ad alias veras dignitates & plurima beneficia per dictum Bartholomæum intruſum promoti exſtiterunt in eiſdem regnis, &c.

53. Petrus rex Aragonum, poſthabitis Urbani legationibus & ſcriptis ſibi miſſis, neutri obedire ſtatuit, ſicque ab omni partium ſtudio aliquot annis abſtinuit, dum ſuadente Petro de Luna, *volens ſuper veritate tam electionis dicti Clementis, quam intruſionis dicti Bartholomæi, plenius informari, & præſertim cum cardinalibus, qui talium ſuper omnes mortales notitiam certiorem habebant, miſit Avenionem certos nuncios ſeu ambaxiatores ſuos, utique viros litteratos, providos & diſcretos, tam ad dictum Clementem, quam cardinales memoratos, qui vice ſua ſuper præmiſſis cum eis haberent inquirere diligentius, quemadmodum perprius Romam miſerat ſimili de cauſa.* Audita vero legatorum relatione, receptis, viſis, ac diligentius inſpectis authenticis ea de re ſcriptis, habitaque regnicolarum multimoda deliberatione, tamdem ſecundum Clementem judicare, & verum ac legitimum pontificem declarare inſtituerat, cum morte præoccupatus die v. Januarii MCCC LXXXVII. prohibitus eſt ultimam declarationi manum imponere. At *qui ei ſucceſſit in regno, Johannes dux Gerundenſis, ſuus filius primogenitus, de paterna intentione plene certificatus, præmiſſis informationibus plenius recenſitis, & habita ſecum deliberatione cum ſuis regnicolis, de eorum conſilio & aſſenſu, ad dictam declarationem proceſſit*, &c.

Petrus rex Aragonum primo neutralis, deinde de contendentium jure inquirens obit.

Vita prima Clem. VII.

At Johannes primogenitus ejus Clementi accedit.

54. Neutrius etiam partis fuit Carolus cognomento Malus, rex Navarræ; ſed neque Carolus dictus Nobilis, ejus filius & ſucceſſor, qui anno dumtaxat MCCCLXXXX. ad Clementem promulgato edicto deflexit, ſuaſu Martini epiſcopi Pampilonenſis. Si auctori primæ vitæ Clementis credimus, Carolus pater declarationem pro eodem Clemente, quam *certis ex cauſis diſtuliſſet, facere diſpoſuerat; ſed morte præventus non potuit, eam ad dictum filium ſuum per eum fiendam tranſmittens: in qua etiam ſibi aſtitit & efficaciter operatus eſt memoratus dominus Petrus de Luna diaconus cardinalis.*

Ad eum etiã deflectit rex Navarræ.

55. Unus ex omnibus Hiſpaniarum regibus Ferdinandus Portugalliæ Urbano conſtanter inhæſit, quem ſecutus eſt Johannes ejus filius & ſucceſſor.

56. In Sicilia Johanna regina primum *audiens Urbanum ad papatum promotum eſſe, gaviſa fuit gaudio magno valde, ac per multos dies Neapoli luminaria magna, more illius patriæ, per totam civitatem in crepuſculo veſpertino ad honorem dicti Urbani incendi fecit, nec non ambaſſiatores ipſi reginæ per eumdem Urbanum ſtatim poſt electionem ſuam deſtinatos, benigne recepit, & multis grandibus & liberalibus donariis prævenit, ipſique Urbano quadraginta millia ducatorum in auro partim, partim in moneta argentea, in illo principio deſtinavit, nec non paulo poſt vina, blada, carnes ſalſas & caſeos per mare in navigiis, in magnis quantitatibus ſibi tranſmittendo, regnum quoque ſuum & omnia quæ habebat, ſibi obtulit.* At ubi accepit Ur-

Johanna Siciliæ regina Urbano ſtatim adhæſit.

Theodoric. Niem. lib. 1. c. 6.

Deinde Clementis. bani conſilium de tollendo ſibi Siciliæ regno, eoque in Franciſcum Prægnanum nepotulum ſuum transferendo, nullo negotio *inducta fuit*, etiam *contra voluntatem dicti domini Ottonis mariti ejus*, inquit Niemius, *ad obediendum ex tunc prædicto Clementi; ſed regnicolæ Trinacriæ ipſi Urbano fideliter adhæſerunt, quouſque Bonifacius IX. ſucceſſor ipſius Urbani ad papatum fuit aſſumtus.*

Lib. 1. cap. 17.

57. Jam conflato, uti vidimus, ſchiſmate, cum ambo contendentes de retinenda dignitate ſua ſerio cogitarent, non ſolum litteris, ſed miſſis etiam ad principes legationibus, jus ſuum tueri conati ſunt. Quapropter Johannem de Croſſo epiſcopum Prænestinum Clemens deſtinavit ad Carolum regem Francorum; ad Hiſpaniarum Petrum de Luna; Guidonem de Maloſicco ad Anglicum, & Guillelmum de Agrifolio ad imperatorem: qui duo poſtremi Lutetiam Pariſiorum advenientes poſt Paſcha, recepti ſunt quam honorifice; nec multo poſt Carolum regem, jam Clementis partibus impenſe faventem, in novo apud Vincennas conventu ſolemni confirmarunt. A quo mox digreſſi Guillelmus Metas verſus, Tornacum Guido, legationes obituri ſibi impoſitas, diu ibi, ut convenerat, fruſtraque licentiam abs Romanorum & Angliæ regibus exſpectarunt, utriuſque adeundi regni. Interim Guillelmus cum vigeſimo ſeptimo die Metas attigiſſet, triduo poſt convocato majoris eccleſiæ capitulo, multiſque & graviſſimis rationum momentis probata clero & populo Clementis electione, ut canonica & legitima, id demum pervicit, uti omnes ſe ad ipſum converterent, reprobato una voce Urbano: quod porro Lotharingiæ Barrique ducatus Clementi adjeciſſe, innuit ipſius Clementis vitæ primæ ſcriptor jam ſæpe memoratus. Nam ubi obſervavit decretum a Carolo imperatore & ordinatum fuiſſe, *ut in omnibus terris ſuis & dominiis ſuis, ſibique & imperio ſubjectis*, Urbanus unus haberetur verus & legitimus pontifex S. R. E. ſubdit: *Nec fuit qui hujuſmodi ordinationi voluerit aut auſus fuerit contraire; comitibus Sabaudiæ conſanguineo & Gebennenſi fratre dicti Clementis, ducibus Lotharingiæ & Barrenſi, & aliquibus aliis comitibus & dominis temporalibus, civitatibus & locis, eorumque territoriis & dominiis circumadjacentibus exceptis:* quos Guillelmus de Agrifolio, legatus ad partes illas deſtinatus, *de juſtitia dicti Clementis informavit, & ad ipſum deduxit, & in bono propoſito confirmavit.* Ejus etiam opera Leopoldus dux Auſtriæ junior, *in propria terra dicto Clementi favit & adhæſit, & favori voluit in terris ſuis & locis, non tamen omnibus.* Id quod confirmat Thomæ de Amanatis archiepiſcopi Neapolitani depoſitio his verbis: *Aliqui magni principes in Alemannia tenent partem Clementis papæ, ſicut eſt dux Auſtriæ Leopoldus, & dux Juliacenſis, & dux Barbinciæ, & dux Bavariæ.*

Metenſes, Lotharingi, Sabaudi, & quædam Alemanniæ regiones obediunt Clementi.

58. Ex his quæ hactenus diximus, id obſervare licet, quod olim Petrus Amelii cardinalis ſcripſit, omnes Clementi addictos reges primum edoceri voluiſſe atque *informari pro utraque parte de veritate eorum quæ proponebantur, tam in facto, quam in jure*, & poſtea ſe declaraſſe pro Clemente, *cum magna examinatione negotii, & probatione lucida veritatis.* Contra vero Urbani fautores longe aliam agendi rationem tenuiſſe conſtat, facileque poſſet pluribus probari exemplis. Primum miſſi a Clemente, ut prædiximus, ad Germaniæ & Angliæ reges cardinales de Agrifolio & Pictavenſis, non modo ipſos adire, ſed nec terras utriuſque regni aut civitates ingredi ſunt permiſſi. Deinde comitem Flandrenſem cupientes ex itinere officioſe ſalutare, *tantum abfuit, ut audirentur*, ait Radulfus de Rivo, *ut ne admiſſi quidem fuerint, ſed rejecti, ac faceſſere juſſi, niſi vincula mallent exſpectare.* Denique, ut ne ultra procedam, Petrus de Sortenaco cardinalis Vivarienſis, in tractatu tum edito de via concilii generalis, aſſerit Urbaniſtas magis in

Urbanum inclinaſſe *ex particulari affectione*, quam ex zelo juſtitiæ & veritatis; idque hinc colligi poſſe, *quia informationes veritatis recuſant recipere.* Idem quoque teſtatur Wenceſlaum Romanorum & Bohemiæ regem, nihil prorſus intendere voluiſſe, nihil audire, *ſive conſiſteret in facto, ſive in jure, per quod jus illius de Roma revocaretur in dubium.*

§. IV. *Præcipua rationum momenta, quibus uterque contendentium jus ſuum tuebatur.*

59. Non ſolis ad principes legationibus, aut epiſtolis, ac mandatis, ſed variis etiam ſcriptis, ſuum quiſque contendentium jus tueri & propugnare tentavit. Primi omnium Baldus de Peruſio, Johannes de Lignano, juriſperitorum illa ætate principes & anteſignani, difficilem hanc provinciam aggreſſi, Urbani cauſam doctiſſimis juxta ac acerrimis ſcriptis, quæ Odericus Raynaldus ad calcem tomi 17. Annalium ſuorum edidit, defenderunt. Quibus ſe continuo adjunxerunt Jacobus de Seva doctor Bononienſis, & Pileus de Prato archiepiſcopus Ravennenſis, pariter editi apud Bulæum in Hiſtoria univerſitatis Pariſ. tom. 4. Tum Franciſcus epiſcopus Faventinus in Allegationibus ad regem Caſtellæ, quæ ſecundo Anecdotorum noſtrorum tomo habentur, aliique quamplurimi viri egregii, ex quibus hic juvat graviora excerpere rationum momenta, quibus Urbani jus adſtruere ſatagebant.

Rationes pro Urbano.

60. Primum negant nonnulli, cardinales ante electionem impreſſione ulla petitos aut interpellatos fuiſſe, ſolaſque preces ab Urbis proceribus adhibitas contendunt, ut vel hac vice pontificem Romanum crearent aut Italicum: quidquid vero tumultuatum abs plebe inſolente fuit, id ſolum contigiſſe cum renunciatus eſt pontifex Bartholomæus archiepiſcopus Barenſis. Ita Theodericus a Niem teſtis oculatus, qui Urbano ab epiſtolis exiſtens, hac in re forte ſuſpectus videri poſſet. *Peracta*, inquit, *electione, cum quidam de palatio clamaret ad populum, in maxima turba præ foribus dicti palatii congregatum, in hac verba videlicet:* Barenſis eſt electus in papam, *ad hoc vehemens commotio ſubito facta eſt in populo.* Hujus autem commotionis duas præſertim rationes adducit Niemius. Primo, *quia dictus Gregorius* (papa XI.) *habuit quemdam cubicularium*, Johannem de Bare *vulgariter nuncupatum, Gallicum, ſeu de terra Lemovicenſium oriundum, ſatis, ut fama erat, ſuperbum pariter & laſcivum, qui propterea nedum dictis Romanis, ſed etiam pro majori parte curialibus erat exoſus, & hunc credebant dicti Romani fuiſſe in papam electum loco Gregorii prælibati, & de illo ipſi Romani falſo errore ſeducti dolebant plurimum, & vehemens murmur factum extitit inter ipſos. Dicti vero Urbani electi in papam pauci Romani tunc notitiam habebant, & ejus habentes notitiam, reputabant ipſum quodammodo pauperem & deſpectum, nec domum vel hortum proprium pro tunc habebat in Urbe vel ejus diſtrictu.... At poſtquam Romani in veritate ſteterunt, quod dictus cubicularius, cognominatus Barenſis, non erat electus in papam, ab incœpto rumore penitus quieverunt, ulterius de ipſis cardinalibus & electione facta ſe nullatenus implicando.* Eadem fere eſt ſententia Oderici Raynaldi, a quo non multum diſcrepat Gallicæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptor abbas *Fleury*.

Commotio populi facta poſt electionem, & quare.

61. *Alia etiam hujus rumoris popularis cauſa fuit*, ſubdit Theodericus Niemius: *Nam inter illos prælatos erant tunc aliqui Romani potentes, ſcilicet Petrus abbas monachus Montis-Caſſini, & alii, quorum cujuſlibet conſanguinei & amici credebant, quod amicus ejus electus eſſet in papam: unde repente maximus concurſus & ſtrepitus equitantium & concurrentium per contractas dictæ Urbis ad ipſum palatium illa tempeſtate auditus fuit, ibidem durans pene illa tota die.*

Cardinales antequam conclave intrarent, inter ſe convenerant de eligendo Bartholomæo.

62. II. Non levis eſſe videtur illa ratio, qua contendunt ante omnem Romanorum tumultum, immo longe antequam intrarent conclave, convenisse inter cardinales de eligendo Bartholomæo Barenſi archiepiſcopo, qui tum Romæ verſabatur. Nam cum tres in factiones ſcinderentur purpurati, ſcilicet in Lemovicenſes, qui Pictavenſem aut Vivarienſem volebant papam; in Gallicanos, qui in cardinalem S. Euſtachii vota ſua dirigere meditabantur; & in Italicos: cumque exoſos Lemovicenſes haberent Gallicani, quorum caput erat Gebennenſis, mallentque Italicum eccleſiæ præficere pontificem, quam Lemovicenſem; idque ad notitiam Lemovicenſium perveniſſet: hi Gallicanos ſupplantare cogitantes, mutato conſilio, Bartholomæum eligere conſtituerunt, ad quem proinde omnes tam Lemovicenſes, quam Gallicani inclinabant: quod uſque adeo verum eſt, ut tribus antequam conclave intrarent diebus, Glandatenſis aſſeruerit in quadam epiſtola ſua, quod brevi magnum onus ſuper humeros ejus imponeret, idemque adhuc expreſſius dixerit Gebennenſis.

Electio libere facta.

63. III. Cum conclave ingreſſi eſſent cardinales, deque electione facienda tractarent inter ſe, Florentinus qui primam in electione vocem habebat, cardinalem S. Petri nominavit; at Lemovicenſes eum ob ſenectutem ad tantum onus imparem dicentes, in Bartholomæum contulerunt vota ſua, computatiſque ſuffragiis inventus eſt electus: tum inter ſe deliberantes, utrum fieret proclamatio, an differretur, differendam cenſuerunt. Ex quibus non incongrue concludunt, electionem libere factam & conſummatam ſine impreſſione ulla, atque adeo ſine ullo mortis metu. Et certe ſi timuiſſent cardinales, metum illum, ſtatim declarata Italici viri electione, deponere poterant, jam laudes & applauſus a complicibus voti ſui Romanis pro minis & convitiis reportaturi.

Electionis reiteratio.

64. IV. His accedit iterata poſt tumultum electio, ſacro collegio approbante. Nam cum, cardinalibus ſimul congregatis, unus aſſurgens dixiſſet: Mane cum Barenſem elegimus, nonnulli propter populi clamorem movere dubium; nunc clamore ceſſante, nullus quietis nobis poteſt allegare mortis periculum: videamus jam igitur quid nobis faciendum incumbit. Tunc quaſi omnes, aut ſaltem duæ partes & ultra Barenſem elegerunt.

Electionis forma.

65. V. Ratio, ex hac nova eruitur forma eligendi, *ut eſſet verus papa*, quæ tum primum eo creditur conſilio inventa & uſurpata a cardinalibus, ut aperte conſtaret Bartholomæum, nulla habita impreſſionis ratione, in papam aſſumtum, atque alias, pacatis rebus, aſſumendum alium fuiſſe neminem.

Cardinales abhorrebant a fictione.

66. VI. Cum ad ſedandam populi commotionem unus ſuggeſſiſſet, fingendum eſſe cardinalem S. Petri eſſe electum, refragantibus aliis, Petrus de Luna conſtanter profeſſus eſt, malle ſe mori, quam reverentiam non vero papæ facere. *Non conflabo*, inquit, *vitulum, nec coram Baal flectam genua.* Igitur cum cardinales omnes adeo abhorrerent a fictione, quis credat eos non ſponte ſuas contuliſſe voces in Barenſem archiepiſcopum?

Bartholomæum libere inthronizarunt.

67. VII. His adde, quod omnes cardinales Urbanum libere inthronizarunt, coronaveruntque, ac litteras ad univerſos orbis principes de ejus electione dederunt. in quibus ſaltem tacitum purpuratorum conſenſum advertunt: quem ſufficere contendunt ad aſſerendum verum & certum ejus pontificatum.

Beneficia ab eo petunt & accipiunt.

68. VIII. Poſt factam papæ coronationem, omnes ei cardinales obedierunt, ei in conſiſtoriis publicis adfuerunt, gratias & beneficia ab eo petierunt & obtinuerunt, obtentaque retinuerunt. Legitimum ergo papam eum reputabant. Unico hoc argumento utitur Hermannus Cornerus ad comprobandam canonicam Urbani electionem: *Facta electione Urbani, poſt tres aut quatuor menſes, dicti cardinales & ceteri prælati ab electo & conſecrato papa*

papa Urbano benedictiones papales, beneficia, bullas, abſolutiones receperunt: qua omnia conſenſum manifeſtum in electionem factam & approbationem oſtendebant evidentem.

69. Verum hæc & hujuſmodi argumenta non multum moverunt eos, qui ſtabant a Clemente. Nam & ipſe ſuos invenit fautores & patronos, qui ſcriptis ejus promotionem aſſeruerunt. Hos inter recenſent Johannem Fabri Attrebatenſem, S. Vedaſti abbatem, Petrum de Barreria epiſcopum Auguſtodunenſem, anonymum monachum Clarevallenſem, priorem Carnotenſem Raymundum Bernardi, & alios plures, ex quorum diſſertationibus aliiſque partis Urbani, jus utriuſque contendentis adeo perplexum evaſit, ut vix dijudicari poſſet, ad quem amborum papatus pertineret. Rationes pro aſſerendo Clementis papatu.

70. I. Qui Clementis partes tuebantur, hi ante Urbani electionem, ea durante, & poſt factam ejus coronationem perſeveraſſe impreſſionem & mortis periculum, ac conſequenter nullam ipſo jure ejus electionem contendunt: ad quod demonſtrandum, non ex ſolis Clementinorum, ſed ex ipſis Urbaniſtarum teſtimoniis lucem inquirendam autumant. Impreſſionem accurate deſcribunt auctor vitæ primæ Gregorii XI. qui Romæ exiſtens, teſtis oculatus, quæ propriis hauſit oculis, aut quæ a cardinalibus didicit, refert; & Cornelius Zantflietus Urbaniſta in Chronico a nobis tomo quinto hujus Collectionis edito, ex quorum relationibus, aliiſque, nonnulla libet obſervare, unde veritas facti utcumque demonſtrari poteſt. Impreſſio ante & poſt electionem facta.

71. Primo quidem conſtat Romanos, vivente adhuc Gregorio, ſed ægrotante, inter ſe & ſuæ nationis prælatos habuiſſe conſilia, ut eo defuncto, Romanum vel Italicum haberent pontificem: *ad quod etiam incitabant & inflammabant eos præcipui prælati, immo & eis donaria magna promittebant, ſi ipſos eligi procurarent.* Id præſenſit ipſe Gregorius, qui accerſito caſtri S. Angeli cuſtodi prohibuit, ne cuiquam poſt mortem ſuam traderet arcem, niſi de degentium Avenione cardinalium aſſenſu; bullamque ad ſacrum collegium dedit, ut futuri pontificis electionem accelerarent, ne quid eis ſiniſtri ex parte Romanorum accideret: quam bullam auctor minime ſuſpectus Odericus Raynaldus edidit ad annum 1378. num. 3. Sed quod his majus eſt, cum adhuc Avenioni reſideret Gregorius, ſub finem Auguſti anni MCCCLXXVI. acceſſerunt ad eum Lucas de Sabellis princeps Romanus, & alius, ex parte Urbis & civium Romanorum nuncii, rogantes ut ſe Romam transferre, & continuam ibi reſidentiam facere dignaretur: *alias certificabant eumdem nomine quo ſupra, quod Romani providerent ſibi de papa, qui Romæ moram deinceps contraheret cum eiſdem.* Hæc teſtatur in depoſitione, quam initio ſchiſmatis emiſit Nicolaus Aymerici ordinis Prædicatorum, inquiſitor Aragoniæ, qui tum erat Avenione. Idem aſſerit Petrus Roſtagni, dominus S. Criſpini, in ſcripta ad Johannem regem Caſtellæ epiſtola anno MCCC LXXX. die x. Septembris, quod nimirum cum ipſe eſſet Romæ in caſtro ſancti Angeli, cujus cuſtodiam habebat ejuſdem Petri nepos, *tractatum fuit per nonnullos Romanos, etiam inductione illorum de Italia, qui temporalis dominii ipſius eccleſiæ ſubverſionem procuraverant, quod fieret per Romanum populum ex eis unus antipapa, Gregorio vivente & in Avenione exiſtente.* Romani, vivente adhuc Gregor. XI. papam Romæ habere voluerunt. Vita prima Gregorii.

72. II. Conſtat etiam, defuncto Gregorio, banderenſes ſeu Urbis rectores ſæpius in capitolio congregatos tractaſſe, qua tamdem via papam Romanum aut ſaltem Italicum haberent, atque adeo optimates & nobiles Romanos, qui plebem continere poterant, Urbe ejeciſſe, atque eorum loco ruſticorum ſex millia advocaſſe, qui cardinalibus terrorem incuterent: atque ne Urbe egredi poſſent, cuſtodiam portarum & pontium factioſis commiſiſſe. Id patet ex confeſſionibus Franciſci Faventini epiſcopi Urbaniſtæ, in quibus hæc legimus: *Officiales Romani tenuerunt diverſa conſilia in capitolio juxta* Mortuo Gregorio ejecti Urbe nobiles & vocati ruſtici, qui purpuratis timorem incuterent. Tomo 1. Anecdotor. p. 1094.

morem, in quibus tractatum fuit, quis modus per eos teneri deberet in electione papæ, atque cuſtodiam pontium & portarum Urbis, præter portam pontis, quæ eſt juxta caſtrum, habuerunt: nobilibuſque Romanis mandaverunt ſub pœnis, ad tempus de Urbe excedere, & præfati officiales Urbis, pendentibus decem diebus, qui effluxerunt inter mortem prædicti Gregorii & introitum conclavis, ſemel adunatis cardinalibus pluries ſupplicaverunt atque requiſierunt, ut eligerent papam Romanum vel Italicum. His concinit Cornelius Zantflietus & ipſe Urbaniſta in Chronico: *Quo defuncto*, inquit, ſcilicet Gregorio, *officiales & rectores populi Romani, cum aliquantis Italicis prælatis, pluribus vicibus & horis ſuſpectis, diverſa conſilia tenuerunt in capitulo Urbis contra collegium cardinalium pro tunc Romæ conſtitutorum, quorum quatuor erant Italici, ceteri* XII. *Ciſalpini. In quibus quidem tractatibus decretum & concluſum fuit per Romanos, ut cardinales compellerentur eligere papam Romanum vel Italicum, ut ſic ſedes apoſtolica de cetero in Italia remaneret. Statim ergo dicti rectores miſerunt ad caſtella, pro ſex millibus ruſticorum, qui ſunt de obedientia & comitatu Romano, & ſub dominio Romano gubernantur. Hi ſic, ut præfertur, vocati, Romam armati intraverunt, quotidie vocibus inconditis cardinales Gallicanos irritantes, ac verbis injurioſis contra ipſos cachinnantes. Intromiſſis ruſticis, mox omnes, qui prid'm deputati fuerant ad cuſtodiam portarum, pontium, & exituum urbis Romanæ, amoti ſunt, & novi cuſtodes illic locati, ne quiſquam de cardinalibus poſſet aufugere. nec quiſquam de ſatellitibus cardinalium aut exterorum, qui non erant Italici, permiſſus eſt cultellos longos aut arma deferre, ut per hoc medium & omnis materia renitendi vel contradicendi cœptis Romanorum tolleretur. Poſt quæ rectores Urbis juſſerunt diſcedere a Roma omnes nobiliores & notabiliores civitatis, nec quemquam illorum adeſſe permiſerunt pro cuſtodia conclavis, ut ad nutum ſuum cuncta diponerentur & ſuccederent.* Eadem gravioribus verbis aſſerit auctor primæ vitæ Gregorii XI. apud Baluz. tomo primo Vit. paparum Avenion. pag. 443. a quibus nec diſcrepare videtur Johannes de Lignano, qui pro Urbano ſcripſit: unde & ſincere fatetur electionem non tenuiſſe, ſed ſubſecutum ſacri collegii conſenſum tacitum ſufficere.

Ingreſſis conclavim minas intentant Romani

73. III. Conſtat denique, & Faventini epiſcopi teſtimonio comprobatur, milites, occupata S. Petri area, cardinales conclave ingreſſos obſediſſe, papam Romanum aut Italicum clamore horribili & inconditis vocibus, intentata etiam morte, petentes: *Ingredientibus cardinalibus*, inquit, *in conclave, erat platea ſancti Petri plena & populo Romano & aliis forenſibus, & magna pars populi Romani erat ibi in armis, inter quos ille Barenſis cum illis conneſtabulariis, qui fuerant deputati ad cuſtodiam conclavis. ipſique Romani ipſa nocte intraverunt palatium, & diverſarum domorum portas ejuſdem palatii ruperunt, & palatium hominibus armatis circumdantes & cuſtodientes, altis vocibus clamaverunt: Romanum volumus vel Italicum,* &c. Eadem habet Johannes de Lignano, qui etiam inter alia addit: In craſtinum, *miſſis auditis, cum domini ſe diſponerent, ut de electione tractarent, campanæ capitolii & eccleſiæ S. Petri, quæ eccleſia eſt juxta palatium, incœperunt pulſari pro congregatione populi, & populus fortius cœpit clamare:* Romano volemo, Italiano non volemo. *Fuerunt etiam domini adviſati ab his qui ab extra cuſtodiebant conclave, quorum aliqui erant Romani per dominos electi, & aliqui extramontanei, quod niſi ſtatim ſine aliqua mora eligerent Romanum vel Italicum, omnes cardinales erant in periculo, quod inciderentur per fruſta,* &c. Cornelius vero Zantflietus de hac impreſſione ſic loquitur: *Cum cardinales convenirent ante palatium ſancti Petri, in quo erat conclave paratum, iterato rectores Urbis, cum multitudine maxima*

Tomo 2. Anecdot.

Tom. 4. hiſt. Univ. Pariſ.

Tom. 5. hujus Collect. pag. 312.

ruſticorum & civium, inconditis vocibus perſtrepentes, requiſierunt eoſdem, ut ſine retractatione papam Romanum aut Italicum eligerent, alioquin immineret eis ſcandalum maximum & damnum irreparabile. Porro eodem ſero, quo cardinales pro eligendo papa ſunt ingreſſi, dum janua clauſa fuiſſent, tredecim Romani, qui capita regionum vocabantur, cum multitudine armatorum, contra voluntatem cuſtodum, conclavis januas effregerunt, violenter ſunt ingreſſi, requirentes incluſos, ut papam Romanum vel Italicum nominarent, alioquin corda populi ſic erant ſublevata, quod non evaderent periculum perſonarum. Quibus ſic egredientibus, Romani qui circumdederant palatium, more ſuo clamare cœperunt cum inſultu magno, velut canes rabidi, & lapides ſuper tecta palatii ad terrorem incluſorum indeſinenter jactaverunt. Deinde effractis foribus & parietibus conclavis cum inſtrumentis ferreis, irruerunt ſuper cardinales enſibus evaginatis, clamantes ſuo vulgari: Par la bodella de Dio, vo moriere, o faretti papa Romano. *In quo tumultu dicti cardinales nominaverunt Bartholomæum de Prinhano Neapolitanum, pro tunc archiepiſcopum Barenſem.* Hæc vero teſtimonia & alia infinita, ab ipſis Urbaniſtis prolata, magni videntur ponderis; ſed longe graviora refert primæ vitæ Gregorii XI. ſcriptor, quæ brevitatis ſtudio omittimus, hoc ſolum obſervantes, Romanos non ſolum voce horribili inclamaſſe, ut ſuperius dictum eſt, *Romanum volumus aut Italicum*; ſed & aliquos addidiſſe: *Moriantur, moriantur. Illi vero*, inquit, *qui de directo erant ſubtus conclave, cum gladiis & lanceis ipſius ſolarium fortiter concutiebant, ad eoſdem cardinales amplius terrendum & moleſtandum. Aggravaverunt etiam arundines ſive cannas ſiccas & ſarmenta in grandi quantitate, ad ſupponendum ignem ſolario antedicto: propter quod cardinales nec immerito turbatiſſimi, fere totam noctem illam duxerunt inſomnem*, &c.

Romanorum teſtimonia de vi illata.

74. IV. De vi cardinalibus in conclavi illata, inſigne Romanorum habemus teſtimonium, Anecdotorum noſtrorum tomo ſecundo, pag. 1097. *Romani intrantes cum furia conclave, invenerunt aliquos cardinales propter eorum timorem fugientes, quos per violentiam & inhoneſte injunctos, reduxerunt ad capellam; & niſi finxiſſent aut dixißent, quod eligerent cardinalem S. Petri, omnes fuiſſent occiſi.*

Cuſtos conclavis, audito tumultu, fugit ad arcem S. Angeli.

75. V. Impreſſionem populi demonſtrat in primis factum Petri de Croſſo, S. R. E. camerarii, ad quem de jure ſpectabat conclavis procuratio; qui clamore & tumultu Romanorum territus, ad arcem S. Angeli confugit, vices ſuas epiſcopo Maſſilienſi committens, quas ille comitis Nolani & Petri Flandrini cardinalis ſuaſu vix accepit.

76. VI. Idem ferendum judicium de conſecuta Bartholomæi electionem fuga cardinalium, quorum ſex omnino in arcem S. Angeli, quinque extra Urbem in loca munitiora ſe recepere, aliis in domibus ſuis ſe abdentibus, ſolo electo relicto. Quorſum enim hæc fuga? quæ hujus terroris cauſa? niſi quod Bartholomæi electionem nullam credentes, a Romanis timerent, qui, ut ait Walſinghamus, *crudeliſſimi viri ſunt, & nulla pietate præditi.* Pag. 227.

Bartholomæus ſe Romanis commendavit.

77. VII. Quamvis Urbanus probitatis ſibi famam hactenus comparaſſet, atque a ſacro collegio ideo maxime fuiſſet electus, quod tantæ eum eſſe virtutis & humilitatis exiſtimarent purpurati, ut de ſe factæ electioni, quam probe ſciebat ipſo jure nullam, minime aſſentiret; non erat tamen omnino ambitionis expers. Nam cum inſtarent apud cardinales Romani, ut Italicum eligerent, ipſe apud Romanos inſtabat, ut purpuratis patribus eum commendarent. Saltem ea tunc erat in Urbe fama: *Qui etiam Bartholomæus*, inquiunt in ſua relatione cardinales, *tum archiepiſcopus Barenſis, poſtea, ut aſſerunt fide digni, ſe multum recommendavit banderenſibus in eccleſia beatæ*

Mariæ-novæ, antequam conclave intraretur. Ingreſſis vero conclave cardinalibus, ſequenti die Jovis, *præfatus Barenſis remanſit in cameris papalibus, & fuit ter requiſitus per aliquos de dominis cardinalibus, qui de Urbe receſſerant, ut exiret, & noluit exire.*

Cardinales coacti, cum inthroniza-runt.

78. VIII. Jam vero cum ſolus eſſet in palatio, accerſiti ab eo cardinales, ut ſe inthronizarent, venire recuſarunt, nec niſi minis adducti, cogi potuerunt. Audiendi ſunt hic Romani ipſi, juſſu regis Caſtellæ interrogati: *Die Veneris de mane*, aiunt, *B. exiſtens in palatio apoſtolico, miſit pro cardinalibus, qui ante diem confugerant ad caſtrum S. Angeli, & pro aliis cardinalibus, qui in ſuis remanſerant domibus, & reiteratis vicibus fecit eos requiri, etiam poſt cedulam miſſam per cardinalem Caſtri ſuper inthronizatione fienda, ut venirent ad ipſum inthronizandum. Cardinales vero venire noluerunt..... Tunc ipſe archiepiſcopus Barenſis miſit dicendum vauderenis, quod niſi facerent cardinales venire ad ipſum inthronizandum, nihil erat factum, & ipſi vauderenſes requiſierunt cardinales exiſtentes in caſtro, ſub minis, ut venirent ad eum inthronizandum..... Sed & duo bauderenſes iverunt ad cardinalem de Florentia, & ſibi venire recuſanti dixerunt, quod niſi veniret, eſſet pejus quam heri.* Quibus concinit Cornelius Zantflietus in Chronico: *Itaque ſic diſperſis cardinalibus, Bartholomæus in craſtino perpendens, quod nullus ex cardinalibus manſiſſet cum eo, dixit rectoribus Urbis: Ecce vos feciſtis me, iſti cardinales contemnunt venire ad me: niſi ergo veniant & obediant mihi, nihil actum eſt. His auditis, rectores Urbis miſerunt ad cardinales, qui in ſuis hoſpitiis latuerant, ut ad ſuum papam venirent, & ei obedientiam præſtarent, & conſuetas ſolemnitates ei facerent, alias ſimili vel majori periculo ſubjacerent, quo pridie. Idem mandatum miſſum eſt ceteris ſex in caſtro ſancti Angeli concluſis: qui ſinguli metu corporis inducti, non audentes reluctari, cuncta ad ordinationem & creationem papalem requiſita facere proceſſerunt.*

Tomo 2. Anecdotor. pag. 1097.

Tomo 5. pag. 321.

Nec reputabant papam.

79. IX. Non aliam ob cauſam cardinales tam præfracte detrectabant Urbanum ſolemni ritu inthronizare, quam quod eumdem una voce negarent vere electum: unde dicti Romani, juſſu regis Siciliæ interrogati, præmiſſis ſuperius addunt: *Et fuit dictum Barenſi, quod in caſtro S. Angeli dicebatur, ſpecialiter per camerarium, quod ipſe non erat papa, nec eſſet; & quod idem B. cuidam epiſcopo hæc ferenti dixit: Tace, non dicas: ego mando tibi, quod amplius non facias verbum hoc.*

Tomo 2. Anecdotor. pag. 1097.

Promotionē ſuam Urbanus non per ſe principibus nuntiat.

80. X. Suſpecta etiam ipſi Urbano, nec ſatis firma videbatur ſua electio; unde coronationem ſuam ipſo paſchatis die celebratam non auſus ex more ſignificare principibus Chriſtianis, provinciam hanc cardinalibus imponere non dubitavit, emendicatis, aut potius extortis ab ipſis litteris: quas cum poſtea Clementinis oppoſuiſſent Urbaniſtæ, Guido de Maleſicco, cardinalis & epiſc. Pictavenſis in ſynodo Cameracenſi reſpondit: *Quod cum illas B. litteras petiit, ab omnibus nobis reſponſum fuit ei, quod numquam de more ſacrum collegium notificat per ſuas litteras electionem Romani pontificis principibus vel aliis, & ſic ſe habet veritas..... Ipſe tamen, hoc non obſtante, cum omni inſtantia eas habere voluit. Ad quem finem? bene potes cogitare..... Immo etiam, cum ſecundum ſtilum curiæ, quando collegium ſcribit, litteræ ſigillantur ſolum ſigillis trium priorum trium ordinum, cum actu duo priores eſſent Italici, videlicet Florentinus & de Urſinis, ſuſpicans quod propter nationem, de qua etiam erant, ipſorum teſtimonia reputarentur ſuſpecta, petiit quod alii duo loco illorum ſigillarent; ſed reſiſtentibus dominis Italicis, non potuit obtinere, licet contriſtatus fuerit contra unum de dominis ſatis; propter hoc ad evitandum omnem ſuſpicionem & ſcandalum, quod poſſet inde ſuſcitari, litteras domini conceſſerunt.* His adde quod legitur in Chronico Hermanni

Apud Baluz. in notis ad Vitas papar. Avenionenſ. pag. 1106.

Hermanni Corneri apud Eccardum tom. 2. *Inſuper Urbanus ſic electus & conſecratus, coëgit cum Romanis dictos cardinales, ut ab eo beneficia peterent, benedictionem reciperent, & reverentiam & obedientiam debitam in omnibus ſibi facerent, & quod ad principes terrarum & prælatos eccleſiarum ſcriberent, ſe dictum Urbanum elegiſſe canonice, & ipſum verum & legitimum papam eſſe Romanum. quæ omnia, ſi ex coactione & comminatione perditionis vitæ proceſſiſſent, ut conſtanter cardinales antiqui dixerunt, procul dubio ipſe Urbanus antipapa fuiſſet, & Clemens per eoſdem cardinales libere & canonice electus fuiſſet, verus papa fuiſſet.* Ne quid tamen diſſimulem, in eodem Chronico additur: *Sed alii opinionem contrariam tenentes, affirmant Romanos nullam electoribus intuliſſe violentiam.*

81. XI. Ex Theoderico etiam Niemio colligi poteſt id quod ſuperius demonſtravimus, haud probatam ſacro collegio fuiſſe Bartholomæi electionem. Nam ubi obſervavit magnam in eo imprudentiam, quod decimo quinto ab ejus coronatione die, adeo dure cardinales increpaverit, ſubdit: *Miror enim quare hoc ipſe fecerit, ſciens eos parum ipſum pro tunc curare.* Ut quid enim eum ita deſpexerant? niſi quod verum pontificem eum non credebant. Et certe ex ſacro collegio ſaltem duo cardinales, ante decimum quintum a paſchate diem, jam Roma exierant, ut teſtati ſunt frater Ferrerius de Vergos ordinis Minorum, Martinus de Virdunna canonicus Toletanus, & Petrus canonicus Tiraſonenſis, apud Baluz. tom. 1. pag. 1008. Cardinales de Urbano parum curant.

82. XII. Nec prætereundum eſt Urbanum, ubi ſe a ſacro collegio deſertum ſenſit, nuncios duos Carolo Francorum regi, opem ejus adverſus rebelles imploraturos, deſtinaſſe, quorum alter ſeorſim ab ipſo rege interrogatus, Romanorum ingenue confeſſus eſt impreſſionem, dominum ſuum, quantum in ipſo fuit, excuſans. Urbani nuncii impreſſionem fatentur.

83. XIII. Addimus pro coronide celeberrimam illam declarationem, quam Simon de Broſſano cardinalis Mediolanenſis, Niciæ lecto decumbens, morti proximus, antequam ſuum conderet teſtamentum, coram notario publico, pluribuſque teſtibus, ac præcipue cardinali Florentino, die XXVI. Auguſti anni MCCCLXXXI. pronunciavit hoc modo: *Dico & aſſero & aperte declaro, electionem Bartholomæi, tunc Barenſis archiepiſcopi, factam fuiſſe per impreſſionem, & nullam ipſo jure, ſicut etiam ipſi reverendiſſimi patres & domini domini cardinales Ultramontani hoc idem declaraverunt & publicaverunt, & electionem ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri Clementis, divina providentia papæ VII. factam a numero ſufficienti reverendiſſimorum patrum dominorum cardinalium, eſſe validam & canonicam.* Quod quidem *in cunctis mundi partibus* publicari mandavit. Hanc declarationem cum alia ſimili ab Hugone cardinali Sabinenſi, de Britannia vulgo nuncupato, factam poſt receptum ab eo ſacrum viaticum, edidit Bulæus in tomo quarto hiſtoriæ univerſitatis Pariſ. pag. 586. Declaratio duorum cardinalium morti proximorum.

84. XIV. Si quis forte objiciat Catharinam Senenſem virginem admirabilem, ſanctitate & miraculis illuſtrem, quæ Urbanum verum pontificem agnovit & ubique prædicavit; ſi Birgittam, quæ futurorum præſcia, ipſum ſchiſma diu ante prænunciaſſe fertur; ſi Catharinam Sueciam, aut Petrum infantem Aragonum, ordinis fratrum Minorum, qui Carolo Francor. regi ſcripſit, ſibi divinitus oſtenſum Urbanum ſolum in Petri cathedra legitime ſedere, ipſique uni adhærendum; ſi denique alii proferantur viri ſanctiſſimi, qui Urbani partes ſtudioſiſſime tenuere: his opponimus S. Vincentium Ferrerii, qui non modo Clementi adhæſit, ſed & ſucceſſori ejus Benedicto XIII. fuit a confeſſionibus; Bonifacium Ferrerii, majoris Carthuſiæ priorem, cujus ſanctitatem comprobat naſcens ſuper tumulum ejus herba, quæ morbos curabat: opponimus & Petrum de Luxemburgo, cardinalem & epiſ- Viri ſanctitate inſignes pro Clemente.

copum Metenſem, de quo vitæ Clementis VII. ſcriptor hæc habet: *A die qua corpus ſuum ſepultum fuit in cimiterio communi pauperum, in quo præ nimia humilitate vivens ſuam elegerat ſepulturam, magnis & ſtupendis miraculis claroſcere cœpit. Ejus namque tumulum viſitantes, aut pro ſuis languoribus & neceſſitatibus ſuum patrocinium implorantes, confeſtim remedia invenerunt opportuna, & experti ſunt, nedum liberati a febribus & ab aliis infirmitatibus, quæ communiter accidere ſolent; ſed etiam cœci viſum, ſurdi auditum, claudi greſſum, muti loquelam, leproſi munditiam ſunt ejus meritis conſecuti: ſed & quod majus eſt, plurimi mortui ad vitam priſtinam ſunt reſtituti. quæ adeo continuata referuntur, quod fere ubique infra paucum tempus divulgata fuere. Propter quod de diverſis longinquis & remotis partibus venerunt quamplurimi ad ſuum dictum tumulum, qui perprius magnis gravati languoribus, ejus meritis & interceſſione ſani & incolumes ad propria redierunt*, &c. Hunc non pontifices Avenionenſes, ſed Clemens VII. papa Romanus ſanctorum catalogo inſcripſit, XI. Aprilis, anno MDXXXVII. pontificatus ſui anno quarto. Sed & S. Antoninus Florentinus archiepiſcopus 3. part. tit. cap. 2. §. 1. obſervat in utraque obedientia, *viros religioſiſſimos, & quod majus eſt, etiam miraculis fulgentes* extitiſſe.

§. V. *Quam funeſtum fuerit eccleſiæ ſchiſma ſub pontificatu Urbani VI. & Clementis VII.*

85. Si regnum omne diviſum in ſe deſolabitur, ſi civitas aut domus diviſa ſtare non poteſt; quanta ſit in eccleſia deſolatio ſubſecuta ex conflato inter Urbanum & Clementem ſchiſmate, quot & quanta inde mala nata ſint, quis poſſit verbis explicare? Ea utcumque deſcribere tentarunt viri multi & eruditione & probitate inſignes: quos inter conſuli poſſunt cardinalis Pictavenſis tractatu a nobis edito tomo ſecundo Anecdotorum, Colutius Salutatus in epiſtola ad marchionem Brandeburgenſem, a nobis etiam ibidem edita, & quibuſdam aliis epiſtolis nondum editis; & Petrus Regis abbas ſancti Michaëlis in periculo maris, qui plura hac de re conſcripſit. Hic ea ſolum referre ſufficiat, quæ paucis complectitur primus auctor vitæ Clementis VII. his verbis: *Ut in paucis multa comprehendam, hoc in tempore maligno, dictique peſtiferi ſchiſmatis occaſione, innumerabilia mala & pericula tam animarum, quam corporum provenerunt: videlicet corruptiones morum, ſtrages plurimorum, depreſſiones bonorum & humilium, exaltationes malorum & vilium, juvenum & indignorum promotiones, eccleſiarumque & ceterorum ſpiritualium & eccleſiaſticorum aperta venditio, hæreſum & errorum pullulatio, virtutum & bonorum operum ceſſatio, criminum & peccatorum multiplicatio, guerrarum & præliorum commotio, omneque bonum obedientiæ in contumaciam & contemtum converſum eſt, & religio in apoſtaſiam eſt redacta. Et quia iſta partim audivi & partim vidi pratticari; ideo, licet flens & ejulans recenſeo, partem utramque tunc temporis ex ipſis fuiſſe læſam, ut adverſæ culpam recitando, meam excuſare non videar, cum ſatis hoc vulgus noverit, & officii per me aſſumti debitum exiſtat, ut nulli deferendo, ſicut meritorum, ſic & vitiorum veritas conſcribatur; & ſicut de adverſario, ſic de proprio veritas in omnibus referatur.* Hæc prædictus auctor, cui ſubjicere juvat Conradi *de Geilenhauſen* Wormatienſis eccleſiæ præpoſiti, viri tum doctrina conſpicui, teſtimonium ex epiſtola ad Carolum Francorum regem, quam tractatui ſuo de congregando tempore ſchiſmatis concilio præmiſit: *Ex hac*, inquit, *moderna miſeriali ſchiſmatica diviſione, experientia quotidiana docente, proveniunt & inſurgunt animarum & corporum pericula, corruptioque morum, quoniam hinc ſtrages plurimorum, depreſſio bonorum & humilium, exaltatio reproborum*

Quot mala ſchiſma pepererit.

Pag. 497.

Tomo 2. Anecd. pag. 1201.

& vilium, ſimplicium ſeductio, antichriſti introductio, gaudium Saracenorum, tripudium Judæorum, commotio atque continuatio guerrarum, vaſtatio terrarum & regionum & regnorum; ſpiritalis mutatio virorum fortiſſimorum, ablatio & diſſipatio eccleſiaſticorum patrimoniorum, ſanguine martyrum congeſtorum, ac fidelium devotione oblatorum; fraudatio animæ defunctorum, ſcandalizatio laïcorum, abjectio & vilipenſio clericorum. Devotio Chriſtianorum tepeſcet, fidei fervor areſcet, incorrigibilitas & impunitas delinquentium coacervabit multitudinem apoſtatarum & inobedientium, faſque nefaſque confunduntur, judicia in portis pervertuntur: non ea quæ Dei, non ea quæ juſta, ſed quæ placita ſunt, aguntur, dum quiſque de principatu eccleſiæ contendentium, ut multos ſibi fautores alliciat, & partem ſuam fortiorem efficiat, nulli potenti præſumet quicquam denegare, quatenus partem adverſam poſſit infirmare; & ſic indigni indigne ad dignitates promovebuntur, virtuoſi vero, ſimplices & emeriti, quibus hæc jure divino & naturæ debentur, aſpernabuntur, cultus divinus minuetur, ſacramentorum ſalutiferorum debita miniſtratio poſtponetur, &c.

86. Inter varia autem quæ ex ſchiſmate provenerunt incommoda, illud maxime eſt conſiderandum, quod eamdem ſæpe ſedem duo diverſæ partis occuparent epiſcopi, unus legitimus, ſpurius alter, & perſæpe indignus uterque, qui plerumque jus ſuum tanto æſtu propugnabant, tantaque pertinacia, ut infinitæ hac occaſione cædes editæ, diſperſæ plebes, & hereditas Domini miſerrime vaſtata memoretur. Exemplo ſit eccleſia Leodienſis, quæ hoc infortunio cœpit ante pleraſque alias affici, cum defuncto cal. Julii anni MCCCLXXVIII. Johanne *de Erkel* ejus ſedis epiſcopo, ſuffectus eſt per viam Spiritus-ſancti Perſandus de Rupe-forti. miſſi continuo ad Romanum pontificem, qui electionem ejus ex more confirmari peterent. Hi cum appuliſſent in Italiam, de ſchiſmate, quod tunc imminebat, a quibuſdam cardinalibus edocti, primum Anagniam diriguntur, non Avenionem, ut male legitur apud Radulfum de Rivo, ex eoque excerpſit Fizenius; indeque Fundas, ubi electum reperiunt Robertum Gebennenſem, a quo Perſandus confirmatur. Id ubi, fama vulgante, ad aures Urbani pervenit, Horneum epiſcopum Trajectenſem, qui tum Romæ agebat, ad Leodienſem eccleſiam tranſtulit, quod Leodienſi populo pergratum fuit. Rem paulo aliter narrat Theodericus Niemius: *Iſtis vero ſic procedentibus*, inquit, *ſucceſſit etiam obedientia ipſius* Urbani *civitas & patria Leodienſis, fugato per Leodienſem quemdam Perſando de Rupe-forti, quem dictus Clemens dederat eis in epiſcopum, ſibique Arnaldo* de Horne, *tunc Trajectenſi epiſcopo, per tranſlationem a ſede Trajectenſi per Urbanum factam, ſubrogato.* Uterque autem, cum generoſa eſſet ex ſtirpe ortus, jus ſuum armis defendere ſtatuit, tantaque ſecuta eſt ſtrages, ut triginta hominum millia hac occaſione periiſſe alicubi me legiſſe meminerim. *Tunc invaleſcente ſchiſmate*, ut ſcribit Petrus *de Herentals* prior Floreſienſis, *Urbanus perſonas eccleſiaſticas diœceſis Leodienſis, maxime in civitate Leodienſi, ſuis privavit beneficiis, quæ verbotenus Clementem prædictum aſſerebant fore papam & pontificem Romanum: unde plures privati tranſierunt ad ipſum Clementem.*

Duo in ead. eccleſia epiſcopi.

Lib. 1. c. 21.

In eccleſia Leodienſi jus ſuum armis tuentur.

Vit. ſecunda Clementis.

87. At longe inhumanius habuit Siciliæ prælatos adhærentes reginæ ſuæ Johannæ, quæ Clementi favebat, cardinalis de Sangro. Audiendus hac de re Theodericus Niemius: *Cardinalis de Sangro.... cum ipſo Carolo legatus de latere, per eumdem Urbanum ad ipſum Siciliæ regnum deſtinatus, multum crudeliter archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, presbyteros, & clericos, qui dictæ reginæ Johannæ adhæſerunt, aliud forte facere non valentes, ſi ſuis proventibus eccleſiaſticis in ipſo regno gaudere volebant, plurimum afflixit: multos eorum in equuleo ſeu ad quæſtiones ponendo, eccleſiaſticis etiam præla-*

Siciliæ prælati Clementi adhærentes, inhumaniter tractati.

Lib. 1. de Schiſm. cap. 26.

turis, atque titulis eccleſiaſticis, rebuſque ac bonis eorum inhumaniter ſpoliando; nec parcendo in hoc ætati, ſacerdotio, ſtatui, aut ſcientiæ vel virtuti; nec compatiendo in hoc prælatis & epiſcopis, etiam quantumcumque miſeris in tanto diſcrimine conſtitutis, &c. Hanc procul dubio calamitatem plangere videtur auctor vitæ primæ Clementis VII. in qua hæc leguntur: *Sic tunc incaluit, invaluit & efferbuit ſchiſma prædictum, quod..... qui prius veri prælati, aut aliorum beneficiorum miniſtri extiterant, adhærendo uni ipſorum (contendentium) per alium de ſedibus aut beneficiis ſuis expulſi ſunt, & alii novi eorum loco ſubrogati. quod permaxime contigit de adhærentibus dicto Clementi, qui perantea promoti aut beneficiati erant, aut partibus faventibus & obedientibus dicto Bartholomæo, qui eos in perſonis & bonis adeo immaniter perſecutus eſt, quod oportuit ipſos ad dictum Clementem recurrere, & ut eorum inopiæ ſubveniret, ab ipſo humiliter poſtulare, quod ſibi non fuit uſquequaque poſſibile, propter obedientiæ ſuæ parvitatem, tum etiam quia ad hoc & alia plurima ſibi incumbentia, ei non ſuppetebant facultates. Propter quod prædictorum quamplurimi, qui perprius abundaverant, erantque viri notabiles, in paupertate & miſeria vivere & mori habuerunt.*

Pag. 456.

Nec melius a Clementinis habiti ſunt Urbaniſtæ.

88. Verum ſi ita dure & atrociter Urbanus & ſui in Clementinos irruebant, non mitius in ipſos a Clementinis animadverſum fuit. *E contrario*, inquit Theodericus Niemius, *prædictus Clemens in Avenione cum curia ſua reſidens, ut præfertur, contra dictum Urbanum ejuſque cardinales & ipſi adhærentes, pœnales proceſſus fecit, & illorum proceſſuum occaſione, magnæ adverſitates ac prævaricationes in diverſis regnis & provinciis oriebantur. Multi etiam infelices prælati & presbyteri ac clerici, qui dicto Urbano obedierunt, per pleroſque de alia obedientia per mare ſeu terras tranſeuntes capiebantur, & male tractabantur; quorum multi in aquis ſubmerſi, aliqui ignibus cremati, nonnulli etiam alia ſæva morte perierunt.*

Urbanus reginæ Siciliæ infenſus.

89. Nec ſolos epiſcopos & eccleſiaſticos viros Urbanus inſectabatur, ſed ipſos etiam reges & principes ſibi non parentes, per fas & nefas violabat. Notum eſt Johannam Siciliæ reginam, de ipſo prius præclare meritam, hoc ſolum nomine, regno ac libertate ab eo privatam, quod prima omnium principum ad Clementem tranſiiſſet. nec aliam ob cauſam Ottonem Brunſwicenſem virum ejus, qui reginæ defectionem improbarat, exauctoraſſe fertur, accito in ejus locum Carolo Dyrrachii principe, quem regio diademate propria manu cinxit, cinctum regno Neapolitano ea conditione donavit, ut Franciſco nepoti ſuo Capuæ principatum, Amalfim, Cajetam, Averſam & plures alias arces traderet, atque ut facilius Siciliæ regnum idem Carolus acquireret, immenſas ei pecunias conceſſit; & ut ait Niemius, *proprietates & jura eccleſiarum & monaſteriorum Urbis dictus Urbanus in magna parte, multis civibus Romanis, ad ſubveniendum eidem regi Carolo in acquiſitione regni præfati, vendidit & diſtraxit, ultra ſummam* LXXX. *millia florenorum, etiam aureos & argenteos calices, & alia pretioſa jocalia earumdem eccleſiarum & monaſteriorum in magno numero & valore alienando, nec non & multas imagines ſanctorum etiam argenteas tunc conflando, in monetam reduci fecit, & pecunias quæ exinde provenerunt, ipſi Carolo regi, pro ſolvendis ſtipendiis ſui exercitus, aſſignando.* Neque hic forte ſtetiſſet pontificis indignatio, ni ſtatim Carolus, devicto & capto Ottone, reginam, quæ ſpe vitæ redimendæ ſeſe ſponte tradiderat, *captivam & diligenter cuſtodiendam ad quoddam caſtrum in Apruſio deſtinaſſet. In cujus caſtri capella*, pergit Niemius, *poſtea, cum quadam die oraret; ut fertur, ſedens ante altare genuflexa, de mandato ipſius Caroli, per quatuor ſatellites Hungaros fuit ſtrangulata.*

Lib. 1. c. 22.

Lib. 1. c. 25.

Urbanus a

90. Verum pro Urbano, qui tam inurbane erga Johannam reginam ſe geſſerat,

geſſerat, ipſe poſtea Urbani ſenſit indignationem, jure regio ab eo privatus, teſtante Gobelino. At qui regio titulo exauctoratus ab Urbano fuerat, regis auctoritatem & poteſtatem demonſtravit, eodem pontifice Neapoli capto, & in Caſtro-novo *ſub bona cuſtodia* collocato. Tunc, ut ait Walſinghamus, *metuens ſibi papa, miſit ad regem nuncios pro concordia & pace reformanda; ſed rex multipliciter exaſperatus, reſpondit papam fore falſum, & ſemper conventiones factas inter eos infregiſſe, & nullum ex pactis cuſtodiſſe; & ideo nolle ſe de cetero credere ſuis ſponſionibus fraudulentis.* Verum cardinales de liberatione ejus ſolliciti, ſic tamdem effecerunt, ut *rex flendo publice* veniam a papa petierit, eumque donaverit libertate. At quis hoc de ſummo pontifice credere poſſet? plures ex iis cardinalibus, qui tunc pro ejus libertate ferventius laboraverant, ipſe poſtea incarceratos & immaniter tortos, trucidari crudeliter juſſit, atque *in ſtabulo equorum, in quadam foſſa repleta calce viva, eorum corpora projecta fuerunt, & in ea totaliter combuſta, in cineres converſa fuerunt.*

Carolo rege capitur.

Niem. lib. 1. cap. 31.

Walſing. p. 341.

Niem. lib. 1. cap. 32.

91. Hæc dum in Italia agebantur, res graviores nec minus odioſæ inquietum Urbani animum occupabant. Hactenus ægre admodum ferebat, Clementis partes, Galliæ & Caſtellæ regum ipſi adhærentium potentia fultas, novis quotidie incrementis invaleſcere; ne ulterius promoverentur, ad Anglum Galliæ hoſtem recurrere ſtatuit. Nec mora regem, patruos, & totius Angliæ prælatos blande invitat, ſpecieque religionis inducit, ſcriptis litteris ſeu *bullis amplius triginta*, ſi Froiſſardo fides ſit, ad ineundam adverſus utrumque regem ſacram expeditionem; & commiſſa Henrico epiſcopo Norwicenſi provincia prædicandæ crucis, eumdem privilegiis ampliſſimis ad proſequendum negotium inſtruit. Denique pro certo habens regni nobiles abſolutionibus & indulgentiis parum moveri, nec ſine multæ vi pecuniæ cogi exercitum poſſe, decimas redituum eccleſiaſticorum tota Anglia colligi facile indulget, dum tamen expeditionis dux præficeretur dictus epiſcopus Norwicenſis, qui cum totus flagraret zelo religionis, adeo omnes vel primis concionibus movit & accendit, *ut pene nullus in tam ſpatioſo regno reperiretur, qui non vel ſemetipſum offerret dicto negotio, vel de bonis ſuis aliquid erogaret. factumque eſt, ut in brevi magnæ pecuniarum ſummæ, ex multis regni partibus acervatæ, epiſcopo deferrentur, & jam incœpit videri poſſibile, quod per ante regis conſiliariis vel hujuſmodi profectionis adverſariis impoſſibile viſum eſt: unde videlicet epiſcopo, inter epiſcopos regni pauperrimo, ſubſtantia tanta profectioni neceſſaria miniſtraretur.* Uno verbo obſervat Froiſſardus, Londini & in tota diœceſi collecta librarum quinquies & vicies millia: quæ ſumma regi ejuſque conſilio tanta viſa eſt, ut debellandis duobus ampliſſimis regnis, Galliæ & Hiſpaniæ, ſufficere crederent. Sed juvat hic ipſiſſima Froiſſardi verba promere: *A Londre & au dioceſe, il y eut un plein tonneau de Gaſcoigne d'or & d'argent; & qui plus y donnoit, ſelon la bulle, plus il gagnoit de pardon.... on cuilit tout l'hyvert & en la careſme parmi Angleterre, tant par aumoſnes que par diſmes des egliſes: car tout eſtoit cuillis, & d'eux meſmes ils ſe tailloient ſi volontier, qu'on amaſſa la ſomme de vingtcinq milles francs.*

Urban. crucem prædicari juſſit in Anglia, in Gallos & Hiſpanos.

Walſing. p. 320.

Lib. 2. c. 132.

92. Annuente itaque rege, mari ſe commiſit epiſcopus cum ſuis, præſtito prius ſolemni juramento, nulli ſe umquam Urbaniſtæ bellum illaturum. Appulit Caletum die XXIII. Aprilis anni MCCCLXXXIII. teſtante Froiſſardo, vel, ut habet Walſinghamus, medio circiter menſe Maio, ibique, ut proſequitur Froiſſardus, ad diem IV. Maii commoratus eſt. Habebat inter alios, tres duces inſignes, & rei militaris expertiſſimos viros, Hugonem *Cavrelle*, Thomam *Trivet*, & Guillelmum *Hulmen*, quorum præſertim conſilio utebatur. His convocatis, quæſivit quo primum vellent arma convertere, pro-

Epiſcopus dux exercitus Anglicani tranſfretat.

poſitum ſibi, inquiens, initium belli ab obſidione Gravelingarum ducere. Annuere Thomas & Guillelmus, unus Hugo contradixit, indignum reputans urbem, quam Romano-pontifici devotiſſimam eſſe conſtabat, infeſtis eccleſiæ armis obſideri; comitem Flandriæ, cujus urbes invadere decreverat, omneſque ejus ſubditos Urbani partes ſuſcepiſſe, eaſque hactenus tenaciſſime tenuiſſe: ſatius ſibi videri Ariam aut Monaſterium circumvallare. Tam ſalubre conſilium, multis corroboratum rationibus, ſprevit irriſitque epiſcopus, feliciorique, quam ſperari poterat exitu, facta impreſſione, Gravelingas ſtatim expugnavit. Hinc factus audacior, Dunkerkam urbem munitiſſimam aggreſſus, nullo labore cepit. Eodem prorſus modo Novus-portus, Burburgus, Poperingha, & aliæ quædam Flandriæ civitates ei ceſſerunt. Quæ nova ubi perlata in Angliam ſunt, infinita plebis multitudo, ſpe prædæ illecta, mare pertranſiit, ſeſeque illi adjunxit. Sic optimos Urbaniſtas expilabat epiſcopus Norwicenſis, qui recentibus acceptis copiis, quibus Gandavorum triginta hominum millia ſeſe adjunxerunt, corroboratus, Ipras urbem prædivitem & fortiſſimam obſidere non dubitavit. At Francorum rex Carolus, audita Norwicenſis epiſcopi audacia an temeritate, numeroſo exercitu collecto, Flandriam ingreditur, Iprenſibus laturus auxilium. Regem contemſit epiſcopus; at territus tantis copiis exercitus, ex tam longa obſidione aliquantulum jam imminutus, obſidionem ſolvere coëgit. Pars Bergas, pars Burburgum, epiſcopus Gravelingas ſe recepit; urbes & oppida, quæ feſtinus invaſerat, eadem velocitate amiſit, atque abſumto immenſo illo theſauro, quem ex eccleſiarum decimis & fidelium eleemoſynis collegerat, non ſine magno pudore reverſus eſt in Angliam, factus populo ludibrium & cachinnus.

Arma movet in Flandros.

Ipras obſidet

Solvit obſidionem, ac perditis quæ ceperat, in Angliam revertitur.

93. His non fractus Urbanus, Johanni Lancaſtriæ duci eaſdem indulgentias, eademque privilegia, quæ Norwicenſi epiſcopo dederat, miſit, ut regi Caſtellæ, quem *iniquitatis & perditionis filium* appellat, bellum inferret, eumque ſingulari diplomate eccleſiæ Romanæ vexilliferum creavit. *Verum hæc frequens veniæ & relaxationis conceſſio*, ut ait Walſinghamus, *tantum vilvit & ſordebat in populo, ut pauci forent, qui huic poſtremæ crucis ſignationi aliquid erogarent.* Arripuit nihilominus iter, & in vigilia ſancti Laurentii, integra claſſe, appulit in Hiſpaniam, auxilio regis Portugalliæ, qui & ipſe favebat Urbano, regnum illud invadere proponens. Verum quid inde ſecutum? Nihil prorſus ad Urbani votum: nam dux ipſe ſic bellum geſſit, ut converſa in rem ſuam pecunia expeditioni parata, duas filias ſuas nuptui tradidit, alteram regi Portugalliæ, alteram Henrico filio regis Caſtellæ; & ſic propoſito alias infecto, ad propria remeavit.

Juſſit Urbani dux Lancaſtriæ Hiſpaniam intrat, ſed inani conatu.

Walſingh. pag. 350.

94. Dum res cum regibus ſic infeliciter Urbano ſuccederet, Romanoſque paſſim pateretur infenſos, ipſos etiam cardinales, quos purpura decoraverat; unum ei reſtare videbatur, ut amice cum adverſario componeret. Id ab eo multis precibus orabant plerique Germaniæ principes, qui eidem Lucæ exiſtenti legationem hac de re miſerunt. *Dum eramus Lucæ*, inquit Theodericus Niemius, *quidam magni principes Alemanni & prælati apud eumdem Urbanum per quoſdam ſecretos nuncios eorum ſollicite laborabant, conantes eum inducere, ut unionem faceret in eccleſia cum dicto Clemente, offerentes ei multa ſumtus loco, & alia ad illa perficienda quomodolibet opportuna.* Neque repugnabat ipſe Clemens, qui, ut ait ſanctus Antoninus, *deſtinavit ſolemnes oratores ex Avenione Florentiam*, qui deprecarentur, *ut communitas Florentinorum operam daret, ut fieret concilium univerſale, in quo determinaretur uter e duobus verus eſſet pontifex, & alter apoſtaticus. Et ſi in concilio determinaretur ipſum eſſe apoſtolicum, decernebat Urbanum facere cardinalem ſuum. Si autem judicaretur Urbanus papa le-*

Alemanniæ principes hortantur Urbanum, ut cum adverſario pacem faciat.

Lib. 1. c. 66.

Part. 3. tit. 22. c. 2. paragrap. 14.

gitimus, ſe totum ponebat in manibus ſuis, ut de ſe diſponeret quomodo ei placeret: multumque commendantes communitatem ipſam, multa obtulerunt, & inter cetera, ut Clemens faceret Florentinos vicarios in terris eccleſiæ vicinis ſibi, & interea reditus eccleſiæ nulli darentur, ſed tenerentur ſequeſtrati per communitatem, & uſque ad determinationem cauſa poſtea declarandæ per concilium illi conſignarentur. Sed qui alias concilium obtulerat, tum ſe ab omni colloquio & conventione alienum oſtendit, cum ita ſe Romanæ eccleſiæ pontificem, excluſo quolibet alio, prædicaret, ut nec jus ſuum diſcuti aut in dubium vocari ſineret.

95. Tamdem cum Urbanus anno MCCCLXXXIX, collecto armigerorum opportuno exercitu, autumno appropinquante, redire ad regnum Siciliæ conaretur, *mulus ſuper quem ſedebat ſeſpitans, ad terram cum pontifice cecidit vehementer; quo caſu præcipiti in diverſis partibus corporis læſus, non potuit ulterius equitare.* Quapropter Romam, licet invitus & valde reluctans, ſe recipere coactus eſt, ubi demum, ingraveſcente infirmitate, idibus Octobris e vita migravit. De quo hæc habet Walſinghamus: *Menſe Octobris papa Urbanus VI. diem clauſit extremum, vir cujus capitoſitas multis fuit exitio, & ſibimet, ut fertur, damno. Arcte tamen vivere dicebatur, ita ut mores Carthuſienſium & conſuetudines, quantum res patiebatur, imitaretur. Rigidus erat ſibi, ſed ſuis multo rigidior; ita ut delinquentibus numquam ignoſceret, aut eorum ærumnis aliquatenus compateretur, ut probat hæc pœna ſuorum cardinalium ferociter inflicta, & æterna damnatio carceris ſubſecuta.* Præclara de eo adhuc archiepiſcopo Barenſi narrat Theodericus a Niem, vir, teſte Raynaldo, *ſinceræ fidei.* At quæ de eo poſt adeptam ſedem apoſtolicam ſcribit, inordinatum in ſuos, & maxime in Franciſcum nepotem virum perverſiſſimum, amorem, & immanem in cardinales crudelitatem, quam vix in truculentiſſimo tyranno quiſquam poſſet excogitare, demonſtrant.

Urbani obitus.

Theo. Niem, lib. I. c. 69.

96. Nec lætior fuit in Clementis obedientia eccleſiæ facies. Is Fundis, ut dictum eſt, creatus omnium cardinalium ſuffragiis, ſperabatur ubique habendus pro vero & indubitato pontifice, propter notam in electione Bartholomæi impreſſionem. *Sed, Domino permittente, non ſic ſe res habuit,* inquit primæ ejus vitæ ſcriptor. *Fuit enim ortum ſchiſma peſtiferum in eccleſia, adeoque horrendum & deteſtabile, quod vix legitur alias gravius extitiſſe. Totus mundus diviſus fuit, ſed, proh dolor! multo major pars obedivit & adhæſit memorato Bartholomæo intruſo, immo pro tunc quaſi totus mundus, & hoc propter ignorantiam veritatis eorum, quæ contigerant in intruſione memorata: quæ licet notoria extitiſſent, tamen propter malitiam Romanorum & intruſi, fuerunt multimode palliata, occultata, & aliter quam extitiſſent, recitata & divulgata; nec in hoc fuit bene remediatum, etiam inter illos, qui dicto Clementi carnaliter perprius magis favere credebantur.* Nec multo poſt Britones, quos in ſui tuitionem advocaverat, ab Urbani copiis ita deleti ſunt, ut ex eis quinque hominum millia deſiderarentur. Hinc factum eſt, *ut Clemens de Fundis mutaverit curiam ſuam ad locum de Splonata, diœceſis Gaytanenſis, & abinde paulo poſt cum paucis cardinalibus per mare venerit Neapolim ad Johannam reginam,* quæ ipſum & ſolemniter & honorifice excepit. Verum nec ipſi tuto fuit ibi; & cum utrique, pontifici & reginæ, immineret periculum, *ipſum Clementem ſubito, unde venerat, oportuit remeare, ubi cum perveniſſet, ſatis a certo comperit, quod dictus intruſus ſibi continue inſidiaretur, moliebaturque eum comprehendere, aut alias in perſona damnificare: in quo quaſi totam Italiam tam in terra, quam in mari ſibi adhærentem & colligatam, habebat.* Si Walſinghamo credimus, *Clemens concito fugit ad quoddam caſtrum reginæ Nea-*

Eccleſiæ facies in obedientia Clementis.

Vita prima Clementis, p. 494.

Pag. 225.

polis, quod vocatur Spelunca, ibidem latitans, & in terra comitis Fundorum, donec furtive transvectus est a schismaticis Avenionem. Itaque, ut pergit scriptor primæ vitæ Clementis, *occurrentibus sibi casualiter, immo, ut creditur, divina disponente gratia, certis galeis & navigiis, mense Maii anni* MCCCLXXIX. *mare intravit cum cardinalibus, exceptis duobus, videlicet domino Jacobo de Istro tituli S. Praxedis, & domino fratre Leonardo tituli S. Sixti presbyteris cardinalibus, qui pro suorum & ecclesiæ negotiorum prosecutione, faventiumque sibi consolatione, in partibus illis tunc remanserunt.*

Pag. 494.

Clemens imperatoris nuncios male tractat.

97. Cum autem Clemens adhuc Fundis versaretur, Carolus imperator & Ludovicus rex Hungariæ, missis ad eum nunciis, rogaverunt ut ab incœpto schismate resiliens, Urbano, quem ipsi elegerant, obediret. *Sed ipse Clemens & cardinales ejus,* inquit Theodericus Niemius, *imperatoris & Ludovici regis prædictorum precibus & rationibus hujusmodi temere obauditis, dictos eorum nuncios dehonestaverunt & male tractaverunt, immo aliquos eorum honestos clericos, velut latrones insignes in equuleo tormentaverunt, seu ad quæstionem posuerunt, & carceri manciparunt, & in illis diutius captivos detinuerunt.*

Lib. 1. c. 16.

Et alios de obedientia Urbani.

98. Interim variis processibus & censuris ambo contendentes, seipsos invicem lacerabant, & sic contigit quod ait Niemius: *Prædictus Clemens in Avenione cum curia sua residens, ut præfertur, contra dictum Urbanum ejusque cardinales & ipsis adhærentes, pœnales processus fecit. Et illorum processuum occasione, magna adversitates & prævaricationes in diversis regnis & provinciis oriebantur: multi etiam infelices prælati, & presbyteri, & clerici, qui dicto Urbano obedierunt, per plerosque de alia obedientia, per mare seu terras transeuntes, capiebantur & male tractabantur, quorum multi aquis submersi, aliqui ignibus concremati, nonnulli etiam sæva morte perierunt. Multa etiam oppida, villa, civitates & castra in eisdem regno Siciliæ, & in provincia dicti patrimonii S. Petri in Tuscia, nec non Marchia Anchonitana, & Campania Romana, & alibi per guerras capta & destructa, & etiam multa monasteria, & ecclesiæ pene totaliter desolatæ, & multæ strages hominum & depredationes rerum, nec non alienationes bonorum & jurium, proprietatum ecclesiarum & monasteriorum, in Urbe & aliis diversis locis consistentium, fiebant continuo, & alia innumerabilia mala sequebantur exinde.*

Lib. 1. c. 19.

Urbanistæ pessime habent Clementinos.

99. Nec meliorem Clementinorum sortem fecerunt Urbanistæ: *Eodem tempore,* inquit primæ vitæ Clementis scriptor, *erant Neapoli duo presbyteri cardinales supra nominati, videlicet dominus Jacobus de Istro, & frater Leonardus de Giffonio, cum multis archiepiscopis, episcopis, abbatibus & aliis viris ecclesiasticis, qui dicto Clementi obediebant & favebant; qui una cum dicta regina (Johanna) captivati fuerunt, & demum diutius detenti, ac duris carceribus mancipati, in quibus, administrationibus bonisque suis perditis, in egestate, pœnis & miseria aliqui vitam duxerunt, aliqui vero finiverunt; inter quos fuit dominus Jacobus cardinalis memoratus, qui totus cordatus & intrepidus, fidem suam illæsam servans, ibi post multas afflictiones vitam velut martyr consummavit.* Hæc omnia exercebat cardinalis de Sangro Urbani legatus, & ab eo in expeditione Neapolitana adjunctus Carolo Duratio, qui & vi extorsit a Leonardo de Giffonio cardinali, ut *in templo sanctæ Claræ sacro, solemni ritu, pileum cardinalitium purpuramque abjecerit, professus Clementem non esse verum papam, sed vitio creatum. moxque in medio templo purpura ejus & pileus subjectis facibus* XVIII. *sunt inventa, ipseque cum abbate Radegustæ & tribus aliis in carcerem conjectus est.* Verum ubi libertate perfrui potuit, Leonardus ad suum statim Clementem convolavit.

Pag. 502.

Raynald. ad ann. 1381. num. 26.

His

100. His non obſtantibus, crevit ſenſim Clementis obedientia. Nam præter ſereniſſimos & invictiſſimos reges Caſtellæ, Aragoniæ & Navarræ, anno MCCCLXXXII. teſte Raynaldo, *ſubduxerunt ſe ab Urbani obſequio Tudertini, quos ille qua minis objectis, qua oſtenſa venia ſpecie, in officium niſus eſt revocare.* Idem de Rhodiis ſcribit prædictus Raynaldus, quos ad annum 1387. aſſerit ſchiſmaticis ſeſe laqueis irretiiſſe, abjecto Urbano, *qui eam ob rem vectigalia, quæ in Germania Rhodii magiſtro pendebantur, pontificio fiſco inferri juſſit.* Defuncto etiam Urbano, Flandri magna ex parte acceſſere Clementi. Audiendus hac de re Cornelius Zantflietus: *Eodem tempore Flamingi volentes complacere ſuo principi, qui erat patruus regis Francorum, relicto Bonifacio IX. obedire cœperunt Clementi, præter Gandenſes & Antuerpienſes, qui ſimul confœderati, ab obedientia Romanæ ſedis non poterant ſequeſtrari, quantiſcumque tentarentur minis aut promiſſis.* Quod Antuerpienſes ſpectat, hi non ita conſtantes in Bonifacii perſtitere obedientia. nam anno MCCCLXXXX. ut obſervat Raynaldus, *Simon Morinorum epiſcopus ad antipapam defecerat, pariterque Antuerpienſes ejus laqueis ultro ſe irretierant.*

Creſcit ſenſim obedientia Clementis.

Tom. 3. hiſtorici Collect.

101. Erant Clementi ſex & triginta cardinales, fere omnes Galli ipſi acquiſiti, quibus tamen magis ac magis demerendis pinguiora conferebat ſacerdotia: qui proinde inſtar vigilum tota Gallia poſiti, in vacantes eccleſias opulentiores ſollicite intendebant, ſimulque exorato pontifice pleraſque ſoli abſorbebant. *Ita ſolis cardinalibus*, inquit Bulæus, *& viris potentioribus, eccleſiæ & ſacerdotia contingebant.* Addit idem auctor: *A clero decimæ, & de majoribus eccleſiis, dum paſtore orbata erant, primi anni proventus legebantur: quod exactionis genus annatam appellarunt, cameraque apoſtolicæ deberi contendebant. Tanto vero impurius iſtud pecuniæ genus exigebant, quod dux Andegavorum Ludovicus iis aperte faveret.* His adde quod ſcribit S. Antoninus: *Clemens antipapa Avenione reſidens, licentiam dedit eis, qui Neapolim pro duce Andegavia retinebant, ut venderentur vaſa aurea & argentea eccleſiarum conflata, ut ſtipendia poſſent militibus conductis conferre. indeque notabile detrimentum illatum eſt eccleſiis.*

Pinguiora beneficia data cardinalibus.

Tom. 4. hiſt. Univ. Pariſ. pag. 582.

Vaſa ſacra vendita.

102. Tamdem cum jam ab excitato ſchiſmate ſexdecim effluxiſſent anni, gemeretque ſub peſtifero ejus jugo eccleſia, univerſitas Pariſienſis de eo extinguendo ſollicita, Carolum Francorum regem ſupplex exoravit, ut quod regiæ majeſtatis intereſſe videbatur, huic negotio unice intenderet. Obſervat Bulæus primos illos conatus ſæpe a Petro de Luna cardinali, qui ſchiſma occulte fovebat, mala arte eluſos retardatoſque fuiſſe. Verum petente demum rege, qua tamdem ratione conciliari res poſſe crederet, afflictæque eccleſiæ ſubveniri, tres vias ſive modos univerſitas ſcriptis ad regem litteris graviſſimis aperuit, ceſſionem utriuſque contendentis, compromiſſum, & concilium generale, neque his contenta, eadem Clementi & cardinalibus litteris aliis inſinuavit: quibus ille efferatus, in hæc verba fertur erupiſſe: Litteræ *iſtæ malæ ſunt & venenoſæ.* E contrario cardinales fere omnes, uno excepto Petro de Luna, in ſententiam univerſitatis ultro abierunt, ac ſuis chirographis obſignarunt, unde exulceratus pontifex, paucis poſt diebus ſuffocatus apoplexia Avenione interiit. Non tamen eſt prætereundum, tum paſſim diſſeminatum Petrum de Luna, e Gallica legatione reverſum, ceſſionis viam Clementi approbaſſe, veluti unicam ſedandi ſchiſmatis rationem, a qua nec ipſum Clementem abhorruiſſe tradit Anicienſis cardinalis, quin immo, inquit, *pluries renunciare promiſerat*, ut legitur in hoc tomo pag. 471. Idem teſtatur cardinalis Vivarienſis in Gallica ad Carolum regem epiſtola, hic etiam edita pag. 543. Clementem ſcilicet elegiſſe ſecreto viam ceſſionis, ac de ea ſcripſiſſe priori majoris Carthuſiæ. nec hanc ſolum ſecreto viam ele-

Univerſitas Pariſ. laborat pro unione eccleſiæ.

gerat, ſed ad eam voto obligaverat ſeſe, ut legitur in quibuſdam actis hoc tomo editis pag. 549. *Dominus Clemens videns flebilem ſtatum eccleſiæ, & quod non erat ad quem recurreret pro juſtitia conſequenda, eidem compatiens, diſpoſuit & ad hoc voto ſe adſtrinxit, unire quantocius eccleſiam per viam ceſſionis utriuſque. & hoc aliquibus cardinalibus & prælatis & dominæ matri eccleſiæ declaravit paulo ante mortem.* His ſuffragatur Simon Cramaudus patriarcha Conſtantinopolitanus, qui anno MCCCCVI. perorans in celeberrimo Gallicano concilio, patrio idiomate hæc dixit: *J'ai cogneu Clement, il n'avoit pas juré à ceder, mais je crois que s'il euſt veſcu par ung an, que nous euſſions maintenant la paix en l'egliſe. Je ſuis certain qu'il me en chargea, & me le bailla par eſcript, de dire à monſeigneur de Berry, qu'il eſtoit tout preſt de renoncer à la papaulté pour le bien de l'egliſe.*

De corrupto eccleſ. ſtatu, cap. 27.

103. Ceterum quam dolendam in pontificatu vitam duxerit Clemens, egregie deſcribit Nicolaus Clemangis his verbis: *Quid Clemente noſtro quoad vixit miſerabilius? qui ita ſe ſervum ſervorum Gallicis principibus adjecerat, ut eas ferret injurias & contumelias, quæ ſibi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in viliſſimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati; fingebat, diſſimulabat, large promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba. Omnibus quos aut aſſentatoria aut ludicra in curiis acceptos fecerat, ſummopere placere ſtudebat, eoſque beneficiis promereri, quo talium patrocinio dominorum gratiam & favorem aſſequeretur. His itaque, & juvenilibus nitidis & elegantibus, quorum conſortio maxime gaudebat, ſingulos fere vacantes epiſcopatus, ceteraſque præcipuas dignitates impendebat. Denique ut principum benevolentiam facilius aſſequeretur, aſſecutam foveret, fotamque conſervaret, conſervatam amplificaret, plurima ultro donaria atque xenia illis dabat; quaſcumque ſuper clero exactiones petere voluiſſent, annuebat ultro, ſæpius etiam ingerebat: ſicque omnem clerum ſæcularium, magiſtratuum diſpoſitioni ita ſubjiciebat, ut magis quilibet eorum, papa quam ipſe putaretur. In hac triſtiſſima ſervitute, non dico præſidentia, tria vel ſupra temporis luſtra cum incredibili eccleſiæ attritione conſumſerunt.* Ab his non multum diſcrepant ea quæ ſcribit primæ ipſius vitæ auctor: *Ipſe a Deo multa habere meruit, tam naturalia quam gratuita dona. Fuit enim ſtatura magnus, decorus facie, ſonorus in voce. Scripſit mirabiliter, dictavit notabiliter, & cantavit ſeu celebravit divina officia multum eleganter. Fuit inſuper providus in conſiliis, ſapiens in dubiis, & patiens in adverſis, non elatus in proſperis, non iratus in injuriis, aut commotus convitiis; tam in conviviis quam aliis locis, cum eſſet affabilis, gratus, ſolatiis cunctis loquebatur; egenis, orphanis & viduis libenter ſubvenit, & dedicatis ſtudiis providit frequenter. Tamen contra ritum & conſuetudinem ſuorum prædeceſſorum, conſiſtoria & conſilia tenuit ſatis raro & hora tardiori. Fuit etiam valde moroſus & longus in negotiis ſibi incumbentibus expediendis. Multum etiam ſæcularibus tam principibus, quam aliis fuit admodum familiaris & gratus, eorumque contemplatione & amore plures epiſcopavit, & alias promovit, eis aliquando ſufficientiores & idoneiores ætate, moribus & ſcientia poſtponendo, quandoque ut eorum benevolentiam & favorem ſibi & eccleſiæ acquireret, quandoque ut ipſorum odium & indignationem evitaret: in quibus ſe [parum] profuiſſe reperiit, & ſæpius defeciſſe, cum ex iis plurimi inventi fuerint, qui de ipſo aut factis ſuis modicum curaverint, poſtquam illa quæ voluerant, fuerunt aſſecuti.*

§. VI. *De ſchiſmate ſub Bonifacio IX.*

Bonifacii IX.

104. Defuncto menſe Octobri anni MCCCLXXXIX. Urbano VI. ſtatim ſuf-

fectus est die secunda Novembris Petrus Thomacellus, cardinalis Neapolitanus vulgo appellatus, Bonifacius IX. papa deinceps appellandus, atque in festo S. Martini solemni ritu thiara redimitus. Hic, si Platinæ credimus, annos tunc natus triginta, *juventutem cum ipsa senectute commutasse videbatur*, laudatque in primis ejus castitatem. At Theoderico Niemio longe major videtur fides adhibenda, qui annos tum ei quadraginta quinque tribuit, moresque ejus atro penitus depinxit colore. *Erat enim*, inquit, *insatiabilis vorago, & in avaritia nullus ei similis.* Et alibi: *Nec credo quod umquam adeo inverecundus & ingeniosus quæstor pecuniarum repertus fuit.* Sic vero omnia Urbis vacantia beneficia ab eo vendita asserit, ut *si pecunias habere non posset, res alias in commutationem reciperet, ut porcos, sues, equos, granum & frumentum, vaccas, oves & boves, nihil penitus refutando.* Denique vel in ipso vitæ extremo constitutus, satis ostendit, quanta ureretur divitiarum cupiditate, cum cuidam eum interroganti, *qualiter se haberet aut sentiret, respondens ait: Si pecunias haberem, bene starem.* Pudet ea referre omnia, quæ de ejus simonia & arte congregandi nummos scribit lib. 2. de Schism. cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12. De defectu autem scientiæ, in pontifice adeo necessariæ, hæc de eo scribit: *Scribendi atque canendi imperitus ..... ignoravit gravitatem pontificalis officii, & adeo supplicationes sibi porrectas indiscrete signavit, ac si numquam fuisset in Romana curia constitutus, nec quæ petebantur intellexit, & propositiones factas coram eo per advocatos in ejus consistorio, toto tempore sui pontificatus non intelligens, ad petita nimis confuse respondit. nemo enim prosperatur in eo quod ignorat. Unde inscitia fere venalis facta fuit in ipsa curia tempore suo. Fuit tamen edoctus grammatica & disertus; sed non habuit in aliqua scientia præeminentiam sive gradum.* Ceterum Bonifacius tam malis deturpatus moribus, non male officio suo functus est in procuratione rerum temporalium.

creatio & mores.

Lib. 1. c. 68.

Lib. 2. c. 11.

Lib. 2. c. 19.

Ejus ignorantia.

105. Primo pontificatus anno rem prorsus difficilem aggressus est, quam mediante Stephano duce Bavariæ, perficere frustra speravit: Clementi scilicet suadere, ut depositis pontificalis dignitatis insigniis, agnosceret Urbanum canonice electum, verum & indubitatum papam Romanum fuisse. Annuenti vero obtulit legationem in Gallias & Hispanias, aliaque non contemnenda beneficia. Sic enim scribens ad Stephanum ducem, & facultatem ei tribuens promittendi, *quod post petitam veniam & debitam absolutionem, ac recognitionem publicam, quod felicis recordationis Urbanus papa VI. prædecessor noster, post electionem de se factam, quamdiu vixit, fuit verus papa, Romanus pontifex, Christi vicarius, Petrique successor, & quod post ejus obitum sibi nos legitime successimus in papatu; Robertus in primævo cardinalatus & sequaces ejus prædicti, in eo in quo reperientur statu (quantum sine juris alieni jam quæsiti præjudicio fieri poterit) servabuntur, ipseque Robertus, per eum prius in ipsa reductione omnibus papatus insigniis atque nomine depositis, in partibus Ultramontanis, quas Gallias & Hispanias appellant, regno Portugalliæ, & iis civitatibus atque terris, quæ per carissimum in Christo filium nostrum Richardum regem Angliæ illustrem, & suæ sequelæ personas in eis marinis partibus possidentur, dumtaxat exceptis, apostolicæ sedis legatus, & pro ecclesia Romana prædicta, in temporalibus generalis vicarius deputabitur, & in hujusmodi legationis & vicariatus officiis conservabitur, donec vitam duxerit in humanis.* At Clemens qui de suo jure nec minimum dubitabat, propositionem hujusmodi, quam nec Bonifacius ipse admittendam credebat, longe a se rejecit, ipsumque diris devovit, atque horribili anathemate percussit, simili gladio ab eo feriendus.

Clementem hortatur ad deponenda pontificalia insignia.

Raynald. ad ann. 1390. n. 8.

106. Anno sequenti MCCCXCI. defuncto Johanni regi Castellæ successit Henricus filius: ad quem proceresque Hispaniæ legationem decrevit Boni-

Hispanos ad suas partes attrahere tentat.

facius, juniorem regem a Clementis obedientia facilius eripere, ac ſibi allicere ſperans, alios poſtea reges & principes pari modo ſollicitaturus. Hanc difficilem provinciam Franciſco Burdigalenſi archiepiſcopo, & Johanni Guterio Aquenſi præſuli commiſit: qui Bonifacii litteris muniti, profecti ſunt in Hiſpaniam: at ſuborta inter proceres de gerenda regni procuratione controverſia, Petrus archiepiſcopus Toletanus, invocata Clementis & Franciæ atque Aragonum ope, ſperatum hujuſmodi legationis exitum eluſit. Nec feliciori uſus fortuna eſt Bonifacius apud alios principes, quos ubique ſurdos & Clementi tenaciſſime adhærentes invenit.

Petrus Carthuſiæ Auguſtenſis prior eũ ad unionem eccleſiæ hortatur.

107. Dum ſic Bonifacius reges & principes a Clementis obedientia tentat avertere, Petrus Auguſtenſis Carthuſiæ prior, vir magni apud cardinales nominis, cum de neceſſitate ſedandi ſchiſmatis aliquando contuliſſet cum quodam cardinali, e re ſua exiſtimavit, Bonifacium ipſum convenire, atque ad dandam eccleſiæ pacem exhortari. Hunc Bonifacius loquentem placide audiit non ſemel, ac laudato ejus zelo, interrogavit quid in tanta neceſſitate facto opus exiſtimaret. Legationem ad Carolum regem Francorum Petrus ſuggeſſit, quam papa approbavit, nec alium ab ipſo Petro legatum mittendum cenſuit. Is acceptis a pontifice ad regem litteris, & modeſte rejecto, quem cum eo Bonifacius ire volebat, famoſo juriſconſulto, ſocium itineris & legationis aſſumſit Bartholomæum, Ravennenſis Carthuſiæ inſulæ Gorgoniæ priorem. Ambo Avenionem continuo greſſus direxerunt, ubi Clemens cum illuſtri duce Bituricenſi ſibi in paucis devoto commorabatur. Horum adventu non parum turbati papa & dux, duos priores in Villæ-novæ Carthuſia carceri mancipari juſſerunt: quod cum ad regis aures perveniſſet, ſuadente Pariſienſi univerſitate, rex tam inaudita & contra jus gentium crudelitate offenſus, vinctos libertate donari mandavit: nec reſiſtere auſus eſt Clemens, qui duos Carthuſianos longe clementius excipiens, hortatus eſt, ut regi ſignificarent ſe ad procurandam eccleſiæ unionem omnimodis paratum fore, etiam cum papatus ceſſione & evidenti mortis periculo.

Vita Caroli VI. auctore monacho Dionyſ.

Quem papa legatum ad Carol. regem mittit.

Ab eodem honorifice exceptum.

108. Hac affectata manſuetudine, legationis effectum diſſipare cogitabat, eoque conſilio inſignem juriſperitum, fallaciis & ſophiſmatibus aſſuetum, duorum priorum veſtigia conſequi juſſit. Sed fruſtra, nec ulla enim arte cavillator ille impedire potuit, quin duo Carthuſienſes benigne a rege & proceribus admiſſi auditique ſint. Lectæ Bonifacii litteræ, & laudato ejus propoſito, omnia officia ſua rex ad tam glorioſum opus ultro obtulit: ad quod etiam ſuis epiſtolis Italiæ principes invitavit, ac duos priores, adjunctis eis duobus Gallicis Carthuſianis, quorum unus erat Carthuſiæ Pariſienſis prior, honorifice ad Bonifacium remiſit.

Supplicationes pro ſchiſmatis exſtinctione Pariſiis factæ.

109. Ad promovendam apud Deum piam regis intentionem, publicas preces & ſupplicationes conſtituit clerus Gallicanus. Primam ſupplicationem univerſitas Pariſienſis ad ſanctum Martinum de Campis, cum magna frequentia principum regii ſanguinis habuit dominica ſecunda menſis Januarii. Sequenti dominica rex ipſe cum proceribus & epiſcopo Pariſienſi, ejus capitulo, & omni civitatis clero, tam ſæculari quam regulari, pie luſtravit eccleſiam S. Germani a Pratis.

Et Avenione

110. Bonifacii reſcriptum jam Avenionem miſerat rex Carolus, ut quid de eo Clemens ejuſque collegium ſentirent, reſcire poſſet. Illi intruſi reſcriptum ſpernendum cenſuerunt; ne autem unioni adverſari viderentur, ſupplicationes regis exemplo indixerunt, ordinato etiam huic tempori officio proprio, quod Pariſios regi miſere, cum indulgentiis ampliſſimis illud recitantibus. At ubi Clemens univerſitatem ad utriuſque contendentium ceſſionem inclinare cognovit, Johanni Gelano Carmelitæ præcepit, ut eam publicis in concionibus elevare conaretur, cui quidem quam male ceſſerit neminem

neminem latere credimus. Interim Galliæ & Angliæ proceres, ut de procuranda inter utrumque regnum pace tractarent, convenerant. Collationi intereſſe poſtulavit Petrus de Luna Clementis legatus, qui de ſui pontificis jure multis peroravit verbis, ægre ab Anglis auditus, & minimè exauditus.

Rex ab univerſitate petit ſcripti de viis extinguendi ſchiſmatis.

111. De mediis exſtinguendi ſchiſmatis ſolliciti doctores Pariſienſes, regis iterum adire conſpectum duxerunt operæ pretium: quibus admiſſis, ex his unus ita eleganter de neceſſitate comprimendæ diviſionis peroravit, ut commotus rex, vias aliquas ab eis exquiri ſcriptiſque redigi præceperit. Tam grato reſponſo læti doctores, novas ad ſanctum Martinum ſupplicationes indicunt, in quibus Guido de Moncellis, abbas ſancti Dionyſii, ſolemnem miſſam celebravit, & Guillelmus Barraldus prior de re præſenti ſermonem habuit. Idem Guillelmus Barraldus anno MCCCXCIV. ſcriptum a Nicolao de Clemangis tractatum de ratione exſtinguendi ſchiſmatis regi obtulit; in quo tres procurandæ unionis vias proponunt doctores, ceſſionis, compromiſſi, & concilii generalis, inclinantes tamen magis ad ceſſionem. Eumdem tractatum, annuente rege, Clementi miſit univerſitas. Quo exacerbatus pontifex, triduo poſt apoplexia, ut diximus ſupra, ſuffocatus eſt. Clementis mortem accelerare etiam potuit Petrus de Luna, qui poſtquam incredibili zelo & labore obedientiam ejus dilatavit, ceſſionis tamdem neceſſitatem agnovit & prædicavit; uti legimus in conſultatione facta de recuſanda ei tum papæ obedientia. *Benedictus viam ceſſionis ante papatum commendabat Pariſius, & in curia etiam papæ Clementis, ac domino Burgundiæ, & aliis cardinalibus. Immo voluit de curia recedere, & ire Aragoniam, male contentus de hoc quod Clemens non acceptabat illam viam.* Id confirmat univerſitas Pariſienſis in appellatione anno MCCCCVI. interpoſita his verbis; *Completa legatione, priuſquam ſarcinas & via ſupplementa ſolveret, dominis cardinalibus intimavit, quod niſi dominus prænemoratus Clemens papa ceſſionis viam acceptaret, ſe ne quidem una die in hoſpitio manſurum, ſed omnibus clauſis confeſtim ad propria reverſurum.* Immo Clementi ceſſionem reſpuenti, ſubtractionem ſuadebat. Legenda eſt hic ſcedula adverſus eum ſcripta, & a nobis ex mſ. Coiſliniano edita tomo ſecundo Anecdotorum: *Dominus Benedictus tempore quo cardinalis de Luna & legatus erat ad regem Franciæ, laudabat ſuper omnes vias, viam ceſſionis; & tunc dixit domino Burgundiæ qui tunc erat, quod dominus Clemens & cardinales niſi vellent in eam conſentire, quod eis debeat fieri ſubtractio. Item in regreſſu ſuo de præfata legatione, dixit pluribus cardinalibus, quod niſi dominus Clemens acceptaret eam, ipſe remearet ad propria cum ſarcinulis ſuis & negotiis: ita quod non intendebat fardellos ſuos diſſolvere, nec vaſalias ſuas, ſed remeare ad propria, niſi dominus Clemens tunc papa offerret pro unione eccleſiæ viam magnis præconiis in Francia prædicatam.* Ita hac arte homo verſipellis certiſſimam ad pontificatum viam ſibi aperiebat.

Quod ei præſentatur.

Clementis obitus.

Tomo 2. Anecd. pag. 1177.

Ibid. pag. 1297.

Ibid. pag. 1340.

Novi pontificis electionem retardari petunt principes.

112. Auditis de morte Clementis rumoribus, archiepiſcopus Colonienſis, dux Bavariæ & alii Germaniæ proceres, unionis eccleſiæ cupidi, Carolo Francorum regi ſcripſere, ut quoad poſſet, novi pontificis electionem retardaret. Eorum litteras edidimus tomo ſecundo Anecdotor. pag. 1132. Idem a rege petiere doctores Pariſienſes: quorum votis annuit, per celerem curſorem ſacrum deprecans collegium, ut dum ſuos eis legatos mittere properat, electioni ſuperſedeant. Idem præſtitit rex Aragonum, idem & plures Alemanniæ principes. Verum id fruſtra. Conclave jam ingreſſi erant patres purpurati, ſed necdum ad electionem proceſſerant, cum curſor Avenionem advenit. Decano cardinalium, is erat Petrus de Corſinis, Florentinus vulgo appellatus, redditæ ſunt regis litteræ: quarum ſubodorantes tenorem, eas ante peractam electionem, quam ideo acceleraverunt, legere noluerunt:

113. Ne tamen regem contemſiſſe viderentur, omnes ſe ſolemni & propria manu obſignato ſacramento aſtrinxere, ſeſe procurandæ eccleſiæ unioni, ſi eligerentur, operam daturos, nec quicquam omiſſuros, quod ſacro collegio conducere videretur; immo & futurum pontificem ultro ſe abdicaturum, ſi res ita exegerit. Præcipuum formulæ juramenti auctorem & architectum fuiſſe Petrum de Luna, colligitur ex conſultatione de recuſanda ei obedientia, a nobis edita. *Poſt aliquos inter dominos tractatus de periculis ſchiſmatis, ſemper viam ceſſionis approbantes, & ſpecialiter B. compoſuerunt cedulam, cujus contenta omnes & ſinguli juraverunt & ſubſcripſerunt.*

Tomo 2. Anecdot. pag. 1177.

Ad electionē procedunt.

114. Pronunciato ac ſubſignato ab omnibus juramento, antequam ad electionem procederetur, cardinalis Saluciarum declaravit, ſe illius eſſe *opinionis, quod ad electionem alicujus non procederetur, deinde quod eligeretur intruſus; de qua opinione fuerunt plures domini cardinales, ſicut ipſimet confeſſi ſunt.* Nulla ſane brevior via, nulla exſtinguendo ſchiſmati aptior inveniri poterat, ſed nulla etiam ſatiandæ Petri de Luna ambitioni minus accommoda. Proponitur itaque unus e ſacro collegio eligendus; at cum ille mira eſſet humilitate & modeſtia præditus: *Agnoſco*, inquit, *fragilitatem meam, & timeo fieri perjurus, ceſſionem non amplectendo, cujus rei fieri periculum nolim: ad alium convertite vota veſtra.* Ad hæc quid Petrus de Luna? *Ego autem ſi eligerer, ſtatim ea celeritate & facilitate papatum abdicarem, qua cappam exuere poßem.* Deſignatur deinde ab aliquo majoris Carthuſiæ prior, vir magnæ ſanctitatis. Nec iſte Petro de Luna placuit: *Solitarii*, inquit, *obſtinati ſolent eſſe animi, ſententiæ ſuæ tenaciores, ſuſpicioſi & nimis inquieti. quid de ceſſionis via cenſeat vos ignoratis, quid demum ſi forte nolit abdicare?* Breve hoc colloquium ingenue admodum expoſuit Johannes Parvi doctor Pariſienſis ea in oratione, quam Gallice in percelebri præſulum conventu anno MCCCCVI. præſentibus Franciæ principibus pronunciavit. *Et pourceque l'en vouloit deſcendre à eſlire ung des cardinaulx, il dit lors: Je ſuis trop fragile, paravanture que je ne pourroie deſcendre à ceder. Je ne m'en vueil point mettre en doubte. Et lors reſpondit Benedict: Cela n'eſt rien. Se le cas eſtoit à venir en moy, je y renonceroye auſſytouſt, comme je me depoüillerois de ma chappe. Apres fut parlé entre les cardinaulx de eſlire le prieur de la grand Chartreuſe. Et lors commença à dire: Ces ſolitaires ſont aucunes fois aheurtez & trop affichez à leur opinion, & trop ſcrupuleux, & vous ne ſçavez comment il appreuve ceſte voye de ceſſion, par avanture qu'il ne deſcenderoit pas à ceder.*

Tomo 2. Anecd. pag. 1172.

115. Sic callida vulpes fratres ſuos demulcebat, eorumque ſuffragia hac arte ſibi merebatur. Ceſſionem prædicare non ceſſabat, & quod olim Alexandrino patriarchæ dixerat, continuo refricabat, aſſerens *quod ſi eſſet papa & haberet mille papatus, libenter cederet*; & quod mallet pauperem fratrum Minorum vitam amplecti, quam ſchiſma tam fœdum pontificatus retinendi libidine fovere. Hinc cardinales diuturnitatem ejus ulterius ferre non valentes, alium neminem hoc ipſo creandum cenſebant, qui ad cedendum ceteris propenſior videretur. Itaque altero ab ingreſſu in conclavim die, omnes ad unum ſua in eum ſuffragia contulerunt. Tum adepto, quem ſummopere appetebat, honore ſupremo, *refutationem & lacrymas fingens*, exclamaſſe dicitur: *Heu me! domini mei, quid facitis? heu me! vos profecto deſtruitis eccleſiam ſanctam Dei.*

Hoc tomo pag. 718.

Petrus de Luna eligitur

Epiſt. ad Pet. Meld. epiſc. pag. 850.

116. Electionem tam præcipitem rex Carolus minime gratam habuit; ſed dubius hærens quid eſſet acturus, religioſum & eruditum virum Johannem de Varennis, Rotæ auditorem, & papæ capellanum, qui abjectis eccleſiaſticis beneficiis, quibus olim fuerat abunde cumulatus, in ſolitudinem Montis ſancti Læti prope Remos ſeceſſerat, conſuluit. At vir ſolitarius Ca-

De ejus electione conſulit rex Johannem de Varennis.

rolo reſpondere non eſt auſus, niſi prænonito Benedicto, à quo hoc tulit reſponſum: *Ut autem ſuper contentis in litteris rei veritatem agnoſcas, noverit tua diſcretio, quod tanti molem oneris, nobis Deo & conſcientia & omnibus qui in facto electionis affuerunt teſtibus, nobis injunctam* INVITIS *ad hoc ſolum ſuſcipere conſenſimus, ut unionis prædictæ negotium, per nos in tot regnis & populis, ac cum tot laboribus & ſollicitudinibus ante proſecutum, per ulterioris diligentiæ noſtræ ſtudium, optatum cœlitus ſortiretur effectum, & a certo tanto pacem & unionem eccleſiæ appetimus nunc ardentius & viſceroſius, quanto ſuſceptum per nos, licet immeritos & indignos, ipſius eccleſiæ regimen, ad ejuſdem procuranda commoda, ſubmovendaque poſſetenus ſcandala, peramplius nos aſtringit.* Eodem fere ſenſu loquitur ea in epiſtola, qua regi per epiſcopum Avenionenſem & Petrum Blavi ſuam electionem ſignificavit: Dignitatis pondus *attenta meditatione penſantes, eligentium & offerentium inſtantia, inſufficientiæ noſtræ imparitatem objecimus, noſtram debilitatem, dictante conſcientia, cum repetita multoties relaxationis ſupplicatione humiliter allegantes. Cumque nec ſic ceſſaret inſtans fratrum importunitas eorumdem, ſed vim inferens noſtro propoſito, collegii juſſu urgeret, nos ex defectuum noſtrorum conſcientia diffidentes, de illius omnipotentis clementia, qui pacis & veritatis amator, utrumque fecit unum, & diverſos parietes in ſeipſo angulari lapide copulavit, confidentes: ſperantes quod operi manuum ſuarum dextram porrigens, nos in tam profunda maris altitudine poſitos non relinquet, noſtris per fratres eoſdem multiplicibus excuſationibus non exauditis, ne mundi gravi bellorum multiplicatione divulſi, potiſſime tamen eccleſiæ ſacroſanctæ, ſchiſmaticæ peſtis nunc miſerabiliter lacerata diſſidio, noſtrum electioni prædictæ denegando conſenſum, diſcrimina negligere cenſeremus, quamquam injuncti oneris molem inſufficientia noſtra diffugeret, de ſuperabundanti tamen plenitudine miſericordiæ Dei noſtri confiſi, ei noſtræ imbecillitatis ſubjecimus imperfectum, ac debiles humeros apoſtolicæ ſuppoſuimus ſervituti.*

Petrus de Luna declarat ſe non accepiſſe pontificatum niſi ad dandam eccleſiæ pacem.

Pag. 485.

117. Non ſolum Francorum regi, ſed aliis etiam regibus atque univerſitati Pariſienſi ſuam ad pontificatum promotionem ſignificavit Benedictus, cui ſola ſpe ſedandi inveterati ſchiſmatis, & procurandæ eccleſiæ pacis & unionis, etſi reluctanti animo, aſſenſum ſe præbuiſſe declaravit: regem adhortans, ut ſuum ad tam ſalutiferum perficiendum opus, auxilium impendere non dedignetur: petens inſuper, ut ſibi aliquos mitteret regii ſanguinis nuncios, quibus certam & optimam exſtinguendi ſchiſmatis viam aperiret.

Ad quam implorat regis auxilium, petitque nuncios regii ſanguinis.

118. Pontificis nuncios Carolus benigne excepit, exultans quaſi de proxime futura eccleſiæ unione, ſcripſitque Benedicto revocaturum ſe Burgundiæ ducem, tum Andegavis juſſu ſuo agentem, ut ibi de pace inter ducem Britanniæ, comitem *de Pontievre* & Cliſſonum, qui bellum inter ſe gerebant, tractaret, cumque eo aliiſque regni ſui proceribus, congregatis epiſcopis, abbatibus atque doctoribus ſtudii Pariſienſis, Aurelianenſis, Andegavenſis, Toloſani, nec non & religioſis, de re tanti momenti collaturum in proximo Purificationis feſto, quidque eo in concilio ſtatutum ac deliberatum foret, indicaturum. At Benedictus moræ impatiens, alteram ad regem legationem deputavit, Ægidium nimirum epiſcopum Avenionenſem, & Petrum Blavi, quibus addidit epiſcopum Tiraſonenſem: urgens ut quantocius regii ſanguinis principes Avenionem mitteret: qui quidem nuncii Pariſios die ſecunda Februarii, cum jam concilium eſſet incipiendum, adventarunt.

Novam ad regem legationem mittit.

119. Eo in concilio interfuere patriarchæ duo, ſeptem archiepiſcopi, epiſcopi quinque & quadraginta, abbates duodecim, cum priore Sancti Martini a Campis, Carthuſienſium & Celeſtinorum, pluribuſque tam ſæcula-

Concilium Gallicanum, in quo decernitur ceſſio contendentium.

ribus, quam regularibus doctoribus. Congregatis regio in palatio patribus, Simon Cramaudus, qui ſacro cœtui præerat, quid rei eſſet expoſuit, atque omnibus matureac diligenter diſcuſſis, ad octoginta ſeptem ſuffragiorum pluralitatem ea prævaluit ſententia, quæ ad viam ceſſionis amborum contendentium, tamquam breviorem, certiorem atque utiliorem inclinabat, duobus & viginti tantum aliam viam proponentibus; conſtitutumque fuit, ut ea papæ per modum conſilii, non per modum determinationis ſeu decreti proponeretur.

Legati regii ſanguinis & univerſitatis ad Benedictum miſſi.

120. His ita peractis, rex ducem Bituricenſem, ducem Burgundiæ patruos ſuos, ac ducem Aurelianenſem germanum ſuum legatione ad papam perfungi juſſit: quibus magni ponderis viros adjunxit, epiſcopum Silvanectenſem, Guillelmum vicecomitem Mileduni, Oudardum *des Moulins*, Johannem de Monte-acuto, Ægidium de Campis, & Gunterium Colli ſecretarium ſuum. Suos etiam Pariſienſis univerſitas nuncios eodem tempore miſit: qui omnes, celebratis Lutetiæ Pariſiorum paſchalibus feſtis, itineri ſe commiſerunt, ac die 22. Maii ad Villam-novam, urbem ad alteram Rodani fluminis ripam, in conſpectu civitatis Avenionenſis pervenerunt. Quorum adventus ut nuntiatus Benedicto eſt, cardinalium primarios, cum omnibus ſacri palatii præfectis ac miniſtris obviam præmiſit, a quibus honorifice comitati, Avenionem eodem die, hora circiter quarta ad pontificem acceſſerunt, eique oſculo pacis reverenter oblato, litteras regis obtulerunt. Alias etiam regias ad ſacrum collegium litteras Attrebatenſis epiſcopus cardinali Florentino purpuratorum decano præſentavit. Tum dux Biruricenſis legationis munere functurus, orationem a Benedicto petiit, qui feſſos ex itinere altera die adhibuit menſæ ſuæ. Poſtremo doctores Pariſienſes tertias litteras pontifici, cum regis tum ſtudii nomine directas obtulere, rogantes colloquii diem atque horam.

Ab eo petunt audientiam.

Et obtinent.

121. Sequenti die Dominica xxiii. menſis Maii illuſtriſſimos duces, regis conſilium, atque doctores Benedictus in prandio lepide nitideque accepit, eiſque colloquium ſequenti die lunæ promiſit: quo die coram papa & omnibus cardinalibus eximiam & celebri doctore dignam orationem habuit Ægidius de Campis: cui nulla interpoſita mora eleganter reſpondit Benedictus. Die Martis xxiv. Maii coram papa & cardinalibus, omnibus aliis excluſis, peroravit epiſcopus Silvanectenſis, regis nomine ſchedulam juramenti in conclavi ante & poſt electionem ſuam præſtiti petens, quam ille præmiſſis variis difficultatum nodis, vix tandem per Pampelunenſem cardinalem juſſit afferri, ac coram principibus legi, permittens illius exemplum regi mittendum deſcribi.

Eis viam conventionis proponit.

122. Die Veneris xxviii. Maii, accedentibus ad palatium pontificium principibus, cum regis conſilio, Benedictus aperuit, quam tantopere laudaverat adinventam a ſe viam pacis, ut ſcilicet ipſe cum ſuo collegio, & intruſus cum ſuo, ſub illuſtris regis Francorum protectione ſecuro convenirent in loco, & ibi de mediis procurandæ pacis eccleſiæ inſimul tractarent.

Legati viam ceſſionis.

123. Inſequenti die Martis prima Julii, magiſter Ægidius de Campis, præſentibus ſereniſſimis principibus regioque conſilio, coram papa & cardinalibus ſex vias conciliandæ in eccleſia unionis expoſuit, ex quibus quinque ſolide refutatis, ſextam ceſſionis a rege admiſſam & approbatam validiſſimis argumentis propugnavit, utque dicendi finem fecit, dux Bituricenſis aſſurgens omnia ejus dicta confirmavit, regemque ita velle & ſentire declaravit.

Quam ægre audit Benedictus.

124. His auditis, Benedictus ſuam defendens ſententiam, nihil ſe agere voluiſſe, niſi concordibus cum rege animis aſſeruit, petiitque viam illam, quæ regi ita placebat, ſuis argumentis munitam, cum exequendi modo ac praxi

praxi ſcripto ſibi exhiberi, hac arte ſperans tempus prorogare. At fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum; reſponderunt principes, orante Ægidio de Campis, de via ipſum ſatis ſuperque eſſe inſtructum, quam ut tempus inutiliter conteratur, denique viam illam ſub uno comprehendi vocabulo *Ceſſio*.

Cardinales approbant.

125. Eodem die poſt prandium, accerſitis juſſu principum apud Villamnovam omnibus cardinalibus, rogavit dux Bituricenſis, ut omnes & ſinguli quid de aperta mane ab Ægidio de Campis via ſentirent, ex conſcientia vellent declarare: qui omnes, uno excepto cardinali Pampilonenſi, reſponderunt, ceſſionis viam omnibus tutiorem & breviorem ſibi videri. qua de re Gunterus Colli inſtrumentum confecit, hic a nobis editum pag. 466.

Principes ſeparatim alloquitur.

126. Octo poſt diebus, Martis videlicet die, VIII. Junii, miſſo ad principes epiſcopo Tiraſonenſi, Benedictus poſtulavit, ut cum ſingulis privatim conferre ſibi liceret: quo conceſſo, die ſequenti, vigilia feſti corporis Chriſti acceſſere principes ad palatium, & ſumto cum pontifice prandio, veſperis ſolemnibus, quas ille cantavit, interfuere. His finitis, accedentibus ad cœnam Bituricenſi & Aurelianenſi ducibus, Benedictus cum duce Burgundiæ, qui illa die non cœnabat, longum ſermonem habuit, ſequenti die feſto ducem Bituricenſem allocutus eſt, die vero Veneris ducem Aurelianenſem: qui depoſitis apud eum peccatis, ſacroſanctam euchariſtiam de manu ejus accepit. His in colloquiis pontifex expoſuit, quanto hactenus honore eſſet regem proſecutus, quanto amore complexus, quanta denique ipſe, antequam ad ſummi pontificatus gradum proveheretur, pro eccleſia fecerit, quot pertulerit labores, paratum ſe eſſe vitam & ſanguinem pro eccleſiæ unione fundere, ac mirari, quod viam a rege oblatam ſcripto ſibi dari ac relinqui nolint, cum ipſe ea facile ſcripto tradiderit, quæ ab ipſo poſtulaverant. Ad quæ reſponderunt principes. Et primo dux Burgundiæ ad memoriam ejus revocavit, quanto olim ſtudio, quanto zelo, cum legationis munus obiret, ceſſionis viam prædicaverit; quam ſæpe ſecum colloquens, dixerit nullam videri viam breviorem ac certiorem, & ſemel quidem in caſtro de Tremollia, & bis in epiſcopi Pariſienſis palatio, ſemel in aula paramentorum, & ſemel in capella, præſente Attrebatenſi antiſtite: cui tunc ipſe dux Burgundiæ dixerat, Clementi, niſi ſponte cederet, ſubtrahendam fore in regno Franciæ obedientiam.

Principes petunt colloquium coram ſacro colleg. quod ille ægre concedit.

127. Dominica die XIII. Junii ſereniſſimi principes comitem Sacri-cæſaris, vicecomitem Melodunenſem, cum Johanne *de Bueil* Benedicto miſerunt, orantes ut ſequenti die lunæ, præſente ſacro cardinalium collegio, ſuas eis rationes aperiret. Reſpondit papa, ſatius videri pauciores intereſſe colloquio. Die vero lunæ tres cardinales, Pictavenſem, Anicienſem, & Saluciarum ad duces direxit, qui cauſarentur, quod attenta rerum gravitate, comparare ſe nondum potuiſſet, orare ut ad Jovis diem uſque differrent, paucioreſque ſecum ducerent. De procraſtinatione conqueſtus eſt dux Burgundiæ, quater jam ſibi ſignificans per ſpeciales nuncios, mandatum a rege eſſe, ut præſente ſacro collegio negotium accelerarent. Et tamen nec die Jovis paratus fuit Benedictus, diſtulitque ad diem dominicam ſequentem. Die Sabbati XIX. Junii, epiſcopus Tiraſonenſis & Rhutenenſis comes miſſi a papa, deprecati ſunt duces, ut craſtina die cum paucioribus ad ipſum accederent. Adfuere principes die & hora præſtituta, & ſumto cum papa prandio, tres duces una cum regis conſilio colloquium cum Benedicto habuerunt, præſentibus tribus cardinalibus, Prænestino, Albanenſi & Pampilonenſi; archiepiſcopo Narbonenſi, epiſcopis Avenionenſi, Aſtenſi, Xantonenſi, Tiraſonenſi, & Alectenſi. Generales dumtaxat propoſitiones expoſuit papa, quibus bullam adjecit, qua mentem ſuam exponebat, editam Spicilegii tomo ſexto. Eaque

perlecta, cum revertentes honoris cauſa deducerent Albanenſis & Pampelonenſis cardinales, Albanenſis exprobravit Pampelonenſi, quod bullam illam quæ incipit *Cum dudum ad procurandam* compoſuiſſet, velletque ſolus pontificem regere. Cui Pampelonenſis, mirari ſe, ait, ab eo bullam imponi ſibi, qui prior quid contineret, quave eſſet occaſione data cognoſceret, ut verius ipſe tumultuum horumce auctor dicendus videatur. His accenſus verbis Albanenſis non ſine indignatione repoſuit, nec ſemel ingeminavit: *Mentiris impune*. Et ſic altercantes amplam ducibus ridendi anſam præbuere. Eadem die circa mediam noctem, pons civitatis Avenionenſis, Benedicti, ut opinio fuit, juſſu conflagravit, ut facilem ad ſe ducibus aditum occluderet.

Regis legatos vocat Benedictus.

128. Die xxii. menſis Junii Benedictus colloqui petiit cum Pictavenſi, Silvanectenſi & Attrebatenſi epiſcopis, Almarico *d'Orgemont*, Oudardo *des Moulins*, Ægidio *des Champs*, & Gunterio Colli. Quibus ſtatim ducum juſſu accedentibus dixit, ſe optimam ſedandi ſchiſmatis rationem ducibus aperuiſſe, & qua nulla melior excogitari poſſet: ceterum oblatam a ducibus viam ſe malle amplecti, ſi tuta & ſecura conſcientia admitti poſſe videretur, quam in ſuſpicionem venire eam a ſe ut malam reprobari ac rejici. Cui reſponderunt, ſe quicquid ſuggereret conſcientia ſecuturos, eoſque ſequenti die xxiii. Junii, annuentibus ducibus, ſua menſa excepit.

Principes apud Franciſcanos colloquium habent cum cardinalibus.

129. Die xxiv. Junii S. Johannis-Baptiſtæ nativitati ſacro, accedentes ſereniſſimi principes ad Franciſcanos Avenionenſes, ibique præſentibus cardinalibus, uno Pampelonenſi excepto & duobus ægrotis, ſermonem faciente epiſcopo Attrebatenſi, expoſuerunt, ut ſe hactenus Benedictus in ſchiſmatis negotio geſſiſſet, ac demum viam a ſe electam ſcripto tradidiſſet Dominica præcedenti xx. Junii; qua palam recitata, ingens ſtupor cardinales omnes, exceptis Peneſtrino & Albanenſi, qui ejus credebantur auctores, invaſit. Subjunxit Attrebatenſis articulos novem in papæ ſcripto reprehendendos: ſuper quibus quid illuſtriſſimis ducibus conſulerent requiſivit. Illi conſilio inter ſe habito, reſponderunt, cardinali Ambianenſi verba faciente, omnes a via Chriſtianiſſimi regis, tanta cum deliberatione a cunctis approbata ſtare, hortaturoſque die ſequenti papam ut ei adhæreat: regis & eorum protectionem in re tam ardua petentes, ac papalis ſcripti exemplum. Sequenti die mane ad Benedictum accedentes, id omne quod promiſerant adimplevere: quibus papa reſpondit, ſe eis reſponſum craſtina die daturum. Sequenti vero die cardinalibus dixit, ſe die lunæ & Martis ad prandium duces invitaturum, taleque eis daturum ſe reſponſum, quod merito deberent approbare.

Conqueruntur de papa.

130. Dominica xxvii. Junii congregati ſunt apud Franciſcanos ſereniſſimi duces, ſacrum cardinalium collegium, conſiliarii regis, univerſitatis Pariſienſis nuncii, factaque per Florentinum cardinalem relatione eorum quæ cum pontifice tractaverant, epiſcopus Attrebatenſis, annuentibus ducibus, expoſuit quicquid hactenus actum eſſet a principibus cum papa, quoties ab eis requiſitus, ut viam tandem ſeu modum quem ceteris prætulerat, aperiret; nihil aliud, multis habitis colloquiis, exorari ab ipſo ſeu depromi potuiſſe, præter id ſcriptum quod Dominica die dederat. Jam vero cum ſatis piiſſimo regi facere non curet, nec ſereniſſimos principes a papa reſponſum, niſi coram ſacro collegio, accipere velle. Quod ſi pontifex id negare pergeret, tum cardinales qui ejus mentem apprime noverant, hæc ei declarare velint. Tunc cardinales, conſilio inter ſe habito, dixerunt, nihil ſe aliud poſſe declarare, quam quod cardinalis Florentinus fuerat prælocutus.

Principes ad prandium invitat.

131. Vix exierant cardinales, cum papæ camerarius, epiſcopus Tiraſonenſis, & vicecomes Benedicti nomine principes ad prandium ſecunda & tertia feria invitavere, placitum ab eo audituros reſponſum. Eadem Domi-

nica die prandium cum papa ſumere debebat vicecomes Melodunenſis, cui injunxere principes, ut a ſancto patre reſcire tentaret, an tale pararet reſponſum, quale eos deſiderare haud ignorabat, alioquin nullo modo illud eos audituros, niſi præſente collegio, idque papæ ſignificaret.

132. Sequenti die lunæ xxviii. Junii, vigilia SS. apoſtolorum Petri & Pauli, hora circiter octava matutina, adfuere coram pontifice ſereniſſimi duces, cardinales omnes, regis conſilium, & miſſi ab univerſitate Pariſienſi. Tunc dux Bituricenſis, ſalutato Benedicto, omnes dixit adveniſſe, graviſſimum audituros reſponſum, quale per vicecomitem Melodunenſem eis promiſerat. Libenter, inquit papa, proferam, latine, an vulgari meo ſermone? latine, inquit Bituricenſis. Tunc Benedictus: Non ita pridem, inquit, declaraveram vobis adinventam a me ſedandi ſchiſmatis viam, quam, teſte Deo, exiſtimavi meliorem. Vobis illa non placuit, eamdem nunc clarius vobis explicabo, & ne quis vobis ſuperſit ullus ſcrupulus, ſcripto vobis tradam. Tunc eam legi juſſit, & quia lituris ſcatebat, curaturum ſe ait eam accuratius deſcribi, ut eis expurgata mendis traderetur: credens hac arte doctorum Pariſienſium, quorum ægre præſentiam ferebat, vitare cenſuram. Sequenti die, tranſacta cum pontifice ſolemnitate, novum ab eo ſcriptum acceperunt principes, cujus initium eſt: *Quamvis nuper dilectis filiis ducibus*, edit. Spicil. tom. 6.

Quibus viam ſuam clarius exponit & ſcripto tradit.

133. Eadem die congregati ſunt apud Franciſcanos ſereniſſimi duces, conſiliarii regis, & cardinales novemdecim; tum lecta nova papæ ſcedula, dux Bituricenſis a cardinalibus expetiit quid facto opus eſſe cenſerent. Illi ſeorſim declinantes & inter ſe deliberantes, declaraverunt ſe in regis perſeverare ſententia, eamque aliis omnibus excluſis ſequendam jam intimaſſe pontifici. Petierunt inſuper a ducibus exponi ſibi, ſi qua in papæ ſchedula dubia & difficultates annotaſſent, ut iis privatim mature examinatis, quid videretur, conſulere poſſent. Die xxx. Junii comes Sacri-cæſaris, vicecomes de Meleduno, & Guido de Trimollia, nomine ducum, cardinales ad menſam invitaverunt, atque habito conſilio, rogati ſunt ut ſchedulam, qua ſe ſtare a regis ſententia de ceſſionis via ſæpius teſtati ſunt, ſuis nominibus ſubſignatam dare principibus non gravarentur.

Cardinales apud Franciſcanos congregati, declarant ſe ſtare a via regis.

134. Eadem die congregato apud Franciſcanos regis conſilio, ante adventum cardinalium, accedentes univerſitatis Pariſienſis nuncii, qui ea die cum Benedicto pranſi, ab eo publice audiri petierant, reſponſum a papa ducibus retulerunt; quod ſcilicet eos libenter ad colloquium admitteret, modo ne in publico conſiſtorio perorarent; quod eos in aula, quam paramentorum appellabant, præſentibus aliquibus prælatis & viris doctis, loqui ſe præſente poſſent, quem admodum Toloſana, Andegavenſis & Montiſpeſſulani univerſitates fecerant. At tanti res momenti, quæ perſonam Chriſti vicarii tangunt, non decere palam efferri.

135. Vix abierant univerſitatis nuncii, cum ecce cardinales ingrediuntur, & Florentino pro omnibus ſermonem faciente, declarant, utramque Benedicti ſchedulam, quædam falſa continere & captioſa; ideoque regis opinionem, omnibus aliis rejectis, eſſe amplectendam, cui porro ſe modo adhærere, & perpetuo adhæſuros jam quarta vice palam faciebant. His dictis, Attrebatenſis epiſcopus dubia quædam in dictis ſchedulis annotata exhibuit, quibus ſubſcripſere cardinales, longe plura aientes animadverſione digna his contineri, & præſertim ſecunda.

Cardinales declarant papæ ſchedulas eſſe captioſas.

136. Prima die Julii cardinales omnes Benedictum adeunt, genibus flexis deprecantes, ut pro ſuo & totius eccleſiæ commodo, regis ſententiæ aſſentire non refugiat, plura ſubjicientes quibus ad ceſſionem ipſum induci poſſe exiſtimabant. His ille reſpondit, pacem ſe & eccleſiæ unionem magis dili-

Benedictum orant ut regis adhæreat ſententiæ, quod recuſat.

gere quam explicari verbis poſſit, quam etiam cum vitæ periculo procurare maxime vellet, ad eamque aſſequendam media principibus ſuggeſſiſſe, quæ eos in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœnis juris proſequi jubebat, prohibens ne regis opinioni ullo modo adhærerent, ſubjunxitque eorum ſe eſſe dominum, & non ſolum eorum, ſed & omnium mortalium, nec ulli præter Deum, factorum ſuorum reddendam eſſe rationem. His auditis, cardinales, ut juratam in conclavi ſchedulam, & a duce Bituricenſi ſibi traditam redderę dignaretur, rogaverunt. At ille negavit, vetuitque ne petitam a principibus ſchedulam ſuperius memoratam ſuo chyrographo munirent. Hæc omnia poſt prandium purpurati patres ducibus recitaverunt.

Principes duas a papa ſchedulas petunt & publicam audientiam.

137. Die ſequenti ſecunda Julii convenere apud Franciſcanos ſereniſſimi principes, cardinales, & regis conſiliarii, repetenteque Florentino cardinali ea, quæ pridie ducibus retulerat, tres ex ſacro collegio Peneſtrinus, Anicienſis, & de Petra-mala pontificem adire jubentur, duas ab eo ſchedulas petituri, juratam in conclavi, quam ille negavit, & aliam quam die præcedenti recitari ipſis fecerat, quam eodem ſe die traditurum promiſit. Eodem die inito apud Franciſcanos cum conſiliariis regis conſilio, principes conſtituerunt, ut ipſi cum cardinalibus & regis conſilio Benedictum ſimul convenirent, humiliter deprecantes, vellet tandem ceſſionis viam ſponte acceptare: quam ſi pertinaciter recuſaret, publicam ab eo audientiam poſtularent: rogarent præterea, ut quæ cardinalibus inhibuiſſet, ut injuſta revocaret; poſtremo redderet ſchedulam ab ipſo & cardinalibus omnibus in conclavi juratam.

138. Sabbato congregati mane apud Franciſcanos cardinales conſilium inter ſe inierunt, de dando principibus, qui eos conſuluerant reſponſo. Poſt prandium vero hora poſt meridiem quarta illuſtriſſimis ducibus cum cardinalibus & nunciis univerſitatis ſimul convenientibus, omnium nomine Ambianenſis declaravit deliberatam mane a purpuratis ſententiam, conſtitutis pridie ab ipſis principibus in omnibus eſſe conformem.

139. Dominica, quarto Julii, miſſi ad pontificem comes Sacri-cæſaris, vicecomes Miledunenſis, Guido de Tremollia, & Oudardus *des Moulins*, nomine ſereniſſimorum principum, colloquium ipſis & cardinalibus ſequenti die petentes, quod ægre Benedictus annuit. nam cum ducibus optabat abſentibus cardinalibus colloqui. Eodem die apud Franciſcanos congregati Ambianenſis, Albanenſis & Thurienſis, cum principum cancellariis tractavere de mediis dandæ ſecuritatis ſacro collegio poſt ducum receſſum. Poſt prandium vero Silvanectenſis & Attrebatenſis epiſcopi, ducis Aurelianenſis cancellarius, magiſter Oudardus, Ægidius *des Champs* & Gunterius Colli, orationem ſeu propoſitionem, quæ a prædicto Ægidio pronuntiari debebat, examinaverunt. Quinto Julii novam duci Burgundiæ ſchedulam papa tranſmiſit, quaſi explicationis cauſa eorum quæ in ſecunda ejus ſchedula reprehendebantur. Die ſexto Julii, acceſſere ad palatium principes, ut conditum erat, & cardinales, cumque in ſeparatis aulis expectarent duces & cardinales; Albanenſis & de Agrifolio miſſi a Benedicto, cardinales primum dimiſerunt, nihil hoc die actum eſſe aſſerentes; qui ſtatim triſtes & ſubmurmurantes receſſere. Deinde ad principes accedentes, eos ſimili modo dimiſere. Quo facto, indignati duces, conſilium iniere cum regis conſiliariis & univerſitatis nunciis, cauſantes quod nihil aliud ſuis dilationibus & procraſtinationibus intenderet, quam verba dare & omnes ludificari, nullaque interpoſita mora, per Albanenſem, de Agrifolio & Thureium cardinales craſtinam diem papæ indixerunt ad eum adeundum.

Benedictus principibus correctam

140. Sequenti die VII. Julii, acceſſere ad palatium cum regis conſiliariis, univerſitatis nunciis & cardinalibus, illuſtriſſimi principes, quibus nomine papæ

papæ Albanenſis & Peneſtrinus ultimam ejus ſchedulam, quam non probaverant, exhibuere correctam. Sequenti die VIII. Julii, exiſtentibus prædictis principibus cum regis conſilio, nunciis univerſitatis & cardinalibus, eamdem ſchedulam denuo emendatam attulere iidem Albanenſis & Peneſtrinus cardinales: quæ quidem ſchedula nec cum hac nova animadverſione placuit principibus: qui conſilio inter ſe inito, ſtatuerunt petendam ab ipſo Benedicto abſque ullis ambagibus ceſſionem, uti a rege & concilio Gallicano decreta fuerat, atque etiam ut reddita ipſis cardinalibus ſchedula in conclavi jurata, revocaret factas ipſis inhibitiones, idque etiam præſentibus Silvanectenſi, Pictavenſi & Attrebatenſi epiſcopis, G. vicecomite Melodunenſi, Johanne Sacri-cæſaris comite, Amalrico *d'Orgemont*, Oudardo *des Moulins*, & Ægidio *des Champs*.

Schedulam exhibet.

141. Hæc cum deliberarentur, adfuit in aula paramentorum dicta Benedictus pontifex, cujus pedibus cum ſe omnes provolviſſent, illuſtriſſimus dux Bituricenſis regis & ſuo eſt nomine depreçatus, ut cardinales de mediis procurandæ in eccleſia unionis dicentes audire dignaretur. Reſpondit Benedictus unionem eccleſiæ viis ſeu mediis rationabilibus & honeſtis ſe ſemper optaſſe & adhuc optare; verum quia nec decebat, nec ferre ulla ratione poterat, cardinales quid ſentirent, præſente hac hominum frequentia, declarare; ſatius ſibi videri, his ſeorſim & quoties libuerit admiſſis & auditis, nulla interpoſita mora reſpondere. Quo pontificis reſponſo principes non admodum contenti, iterato colloquium cardinalibus petiere, & ſtatim dato eis ſigno, ex ſacro collegio ſurrexit unus, ac facta pontifici reverentia pluribus expoſuit, quidquid hactenus ex quo Benedictus ſummi pontificatus apicem conſcendiſſet, præſtitum ab eis fuiſſet ad teterrimum ſchiſma comprimendum & eradicandum, denique viam nullam in pleriſque cardinalium & pontificis congregationibus ceſſioni prælatam; ad hanc omnes ſemper fuiſſe propenſiſſimos: quod ſi ſemel, eo urgente, ad conventionem inclinare viſi ſunt, ſolos reſpexiſſe ſereniſſimos principes, quibus ea grata fore videbatur. At audita deliberatione cleri Gallicani, regis & principum cum tanta maturitate facta acceptatione, non poterant ei non adhærere. Itaque omnibus precibus orabant, vellet tandem multitudini adjungi, & cedente adverſario, cedere & ipſe non gravaretur; denique reddita cardinalibus jurata in conclavi ſchedula, factas eis inhibitiones revocaret. Idem illuſtriſſimi principes petere & flexis etiam genibus obſecrare non ceſſabant.

Principes rogant papam, ut cardinales de unione dicentes audiret.

Petunt ut ceſſionis viam amplectatur.

142. Reſtabat ut dicendi publico in conſiſtorio facultatem concederet; ſed ea enixius in craſtinum diem poſtulata, & pertinacius denegata, abnuenti valedixerunt, non viſuri eum amplius. Egreſſi a conſpectu pontificis, Chriſtianiſſimi regis de ratione extinguendi ſchiſmatis ſententiam apud Franciſcanos, præſentibus cardinalibus, & prælatorum atque eruditorum virorum multitudine copioſa, exponi & recitari juſſerunt. Quo tandem peracto, non ſine magno applauſu univerſitatis nunciorum, regem de omnibus fecere certiorem.

Benedicto omnia neganti valedicunt.

143. Vigeſimo quarto die Auguſti, quo S. Bartholomæi apoſtoli feſtum ſolemni ritu celebratur, principes advenere Pariſios; & continuo rex coactis in palatio ſuo regni proceribus, cum deputatis univerſitatis, Johannem Cannartum epiſcopum Attrebatenſem legationis exitum ex ordine referentem attentius audivit: hinc illuſtriſſimorum ducum induſtriam, dexteritatem, ardoremque ad emolliendum Benedicti animum, illinc hujus artes & infinita ſubterfugia, quibus omnes conatus eludere ſatagebat, nihil denique omittentem eorum quæ acta fuerant. Quæ omnia ut ille dicere ceſſavit, confirmavere principes, flexis genibus regem obteſtantes, ut incœptum ne-

Acta cum papa regi referunt.

V. t. Carol. VI. auctore mon. Dionyſ. l. 15. cap. 10.

Legatos ad Germaniæ principes & regem Angliæ rex mittit.

gotium viriliter proſequi non gravaretur. Die ſequenti admiſſi ſunt univerſitatis deputati, atque annuente rege, expoſuerunt expedire in primis legatos in Germaniam & Angliam dirigere, qui principes omnes ad fovendam ceſſionis viam inclinarent. Nec mora, Girardus abbas S. Eligii Noviomenſis, & Ægidius de Campis, cum nonnullis aliis ad Colonienſem & Trevirenſem archiepiſcopos, ad Bavariæ & Auſtriæ duces, alioſque viciniores principes miſſi ſunt, ſed eventu omnino dubio. Nam præter Colonienſem, qui ceſſionis viam amplexus eſt, reliqui omnes legatos ad futuram Germanicæ nationis diætam remiſere. Qui vero ad regem Angliæ directi ſunt, Johannes de Vienna, ſummus maris præfectus, Guillelmus Meloduni vicecomes, Petrus Regis abbas S. Michaëlis in periculo maris, vir non vulgaris ſcientiæ & virtutis, & Johannes de Brevicoxa, qui poſtea fuit epiſcopus Pariſienſis, omni quidem honore a Richardo rege ſunt excepti, & præclaris muneribus donati, ſed eos nihilominus re infecta dimiſit; id tantummodo promittens, parlamentum ſuum de omnibus deliberaturum.

Benedictus principes circumvenire conatur.

144. Quod autem tam frigidi, tam alieni aut male affecti animi eſſent memorati principes, ſoli tribuendum Benedicto, qui vix audito ducûm receſſu, nuncios paſſim ad univerſos principes direxerat, qui Carolum regem ubique diffamarent, falſo diſſeminantes eum ideo ceſſionis viam tanto ardore proſequi, ut papam Gallicum habere poſſet, ut teſtatur Maria Siciliæ regina in inſtrumento ſubtractionis ſuæ hic a nobis edito: *Ipſe vero Benedictus volens decipere mundum, & ſuam impiam ambitionem palliare, per diverſas Chriſtianitatis partes mandavit garrulatores, publice coadunatis turbis aſſerentes, dictos ambaſſiatores viam præſentis ceſſionis ſibi præſentaſſe, ad hoc ut Gallicum poſſent habere papam, quod non fuit verum, quia non fuit præſentata præſens ceſſio, ſed futura conditionalis, ſi antipapa faceret illud idem.*

Pag. 607.

Ejus colluſio cum Bonifacio. Ibid.

145. Nec his contentus Benedictus, *ſed addendo peſſima prioribus, miſit epiſcopum Terracinenſem ad antipapam Romæ ſine conſilio cardinalium & conſenſu*, inquit iterum Maria regina, *ſuper quibus rebus ipſum miſit ignoratur, ſed nihilominus res nova fuit: tamen vehementer & veriſimiliter præſumitur, quod fuit colluſio inter ipſos Benedictum & Bonifacium, quod quilibet ſcindentium eccleſiam Dei, ſit contentus parte ſua quam tenet, & irrevocabiliter ſub papæ nomine perſeveret: quia ex tunc alter contra alterum ceſſavit procedere, & inchoatos proceſſus continuare: quæ ceſſatio per biennium & ultra duravit. Ulterius de colluſione iterato vehementius ſuſpicatur, quia ambaſſiatoribus ipſius regis, regumque Angliæ & Caſtellæ ad eorum quemlibet pro ultima voce deſtinatis, ſupplicando & rogando humiliter & devote, ut viam eligerent ceſſionis, eadem & per eadem verba, ac ſi uno loquerentur ore, uterque reſpondit, videlicet quod nondum erant bene deliberati ſuper acceptanda renuntiationis via, ſed deliberarent cum fratribus ſuis & aliis, de quibus eis videretur, poſteaque eorum deliberatum propoſitum notificarent regibus ipſis.* Hæc dum ageret Benedictus, ceſſionemque a ſe longe removere tentaret, Johannes de Varennis ejus capellanus, eum iteratis & pungentibus epiſtolis urgebat ad eam acceptandam. Piiſſimi ac doctiſſimi viri epiſtolas hic habes pag. 664. & ſeq.

Rex legatos mittit ad varios principes.

Vita Caroli VI. auctore monacho lib. 16. c. 1.

146. Subſequenti anno MCCCXCVI. cum Pariſienſis univerſitas flagrantiſſimo ad eccleſiæ unionem zelo arderet, enixis regem efflagitavit precibus, ut alios legatos ad Chriſtiani orbis principes deſtinaret: quibus precibus exoratus rex optimus, patriarcham Alexandrinum Simonem Cramaudum, virum in rebus agendis peritum & exercitatum, ad Caſtellæ, Navarræ, & Aragonum reges miſit, adjuncto ei Ægidio de Campis celeberrimo doctore. Ad reges Bohemiæ & Hungariæ directus traditur Johannes Deodatus

epiſcopus Silvanectenſis, cum viro nominatiſſimo Petro *Plaot*. Hiſpaniæ legatis proprio motu adjunxit univerſitas Pariſienſis Johannem *Luquet* ſacræ theologiæ lectorem, & Robertum *Dours* juris canonici doctorem; directis vero in Germaniam Johannem de Brevicoxa & Petrum Regis doctores.

Quomodo à Germanis excepti.

147. Et ii quidem qui fuerant ad Germanos deputati, a Colonienſi & Trevirenſi archiepiſcopis, ducibuſque Bavariæ & Auſtriæ favorabiliter exauditi ſunt: at vero rex Bohemiæ a Benedicto præoccupatus, & pretioſiſſimis muneribus devinctus, univerſitatis legatos nequidem audire voluit: verum ſi ſermonem vultis ad populum habere, inquit, quod veſtri muneris eſt & officii, patent regni mei eccleſiæ, ut libuerit in eis prædicate. Regis vero legatos longe urbanius, & eo quo decebat honore excepit: at præter verba & voces, nihil omnino reportaverunt. Longe alia fuit regis Hungariæ agendi ratio. Propoſitam a rege Franciæ ceſſionis viam approbare non contentus, omnem ſe operam collocaturum promiſit, ut Bohemiæ regem fratrem ſuum ad idem alliceret. Eadem fuit mens Colonienſis, Trevirenſis, Bavariæ, Auſtriæ & aliorum circumvicinorum principum, qui etiam univerſitatis nuncios ſuis muneribus honorarunt.

Hiſpaniæ reges approbant regis Franc. viam.

148. Hiſpanias legati a tribus Caſtellæ, Navarræ & Aragonum regibus lautiſſime diutiuſque retenti, idque apud eos effecerunt, ut eorum quilibet convocatis regni ſui prælatis & doctoribus, accederet ad Francorum regis ſententiam: quod tamen regis Aragonum mors ſuperveniens impedivit quoad Aragones. Hæc dum agerentur, nuncii a Benedicto Caſtellæ regi advenere, litteras deferentes his prope ſimiles, quas olim Carolus Francorum rex de electione ejus receperat: quippe hoc unum pontifex deprecabatur, ut ſuos ei legatos dirigeret, *quibus ipſe animi ſui ſecreta penitus, omneſque conceptus in hujuſmodi materia revelaret*. Quid hujuſmodi legationi rex Catholicus repoſuerit, quidve præſtiterit, ipſe declarat in ſubtractionis inſtrumento, hic a nobis edito: *Prudentius tam grave negotium volentes aggredi & operi mancipare, omnibus regni proceribus & baronibus convocatis, necnon univerſis prælatis, magiſtris, doctoribus, religioſis, & aliis recta inſtitutionis perſonis in civitate noſtra Segobienſi, eos conſulendos duximus, quæ via foret melior, brevior & utilior, ad unionem eccleſiæ conſequendam; impleturi pro poſſe quod per eos deliberatum eſſet, examinatum, concorditer & conſultum. Qui omnes jurati ſolemniter ſuper lignum crucis & ſancta Dei evangelia, & ſanctorum reliquias, nobis expoſuerunt, quod licet cariſſimus frater noſter rex Francorum viam ceſſionis præciſe offerendam duxerit eidem domino papæ, ac etiam ſupplicandum per conſanguineos noſtros duces ſuos patruos atque fratrem: nihilominus tamen pro Dei ſervitio & bono unitatis prædictæ, & honore papæ melius conſervando, & ut intentio domini papæ juſta per eum oblata præfatis ducibus, & intentio ejuſdem cariſſimi fratris noſtri ſanius concordarent, dixerunt & conſuluerunt, nos debere procedere in hunc modum, videlicet quod dictus dominus Benedictus cum ſuo collegio, ejuſque adverſarius cum ſuo anticollegio ſimul convenirent, & ſi uſque ad certum terminum non darent unicum papam toti eccleſiæ per viam quam ipſi duxerint eligendam, quod ex tunc ambo tenerentur cedere juri ſuo quod habebant, ſeu habere ſe prætendebant, ſub certis ſufficientibus ſubmiſſionibus & obligationibus ordinandis judicio peritorum.* Summa hæc fuit cleri & procerum Hiſpaniæ comitiorum, quam rex per legatos ſuos Benedicto ſignificavit, ſuppliciter petens & obteſtans, ut poſt elapſos triginta dies, quos ipſi colloquio cum adverſario habendo præfinierat, pacem eccleſiæ conciliare non differret. At longe aliud animo verſabat, ut ex mox dicendis colligitur.

Conventus Segobienſis.

149. Circa illud tempus, cum dux Burgundiæ apud Caletum de matri-

Benedictus legatos regis Angliæ admittere recusat.

monio inter Richardum Angliæ regem & Isabellam Caroli VI. filiam contrahendo tractaret, callide regem induxit, ut legatione instructa, duos de papatu contendentes ad procurandam ecclesiæ unionem efficacioribus verbis exhortaretur; quod ille gratanter præstitit, misso ad utrumque abbate Westmonasterii. Is commissam sibi legationem a Benedicto incipiendam censuit: at ubi Villam-novam pervenit, sciens ille in litteris sibi a rege directis, Petrum de Luna non Benedictum se appellari, abbatem gradum sistere jussit, vetuitque ne ultra progrederetur, denegato ei omni colloquio.

Novi ad Benedictum missi legati.

150. Anno MCCCXCVII. illustrissimi Franciæ, Castellæ & Angliæ reges novos ad utrumque contendentium legatos direxerunt. Hi Junii XI. die Villam-novam applicuerunt; at Castellæ regis nuncii decem ante diebus Avenionem adventarant. Die vero ejusdem mensis XVI. trium regum legati ad Benedicti præsentiam admissi: Ægidius de Campis tam solemnis legationis causam exposuit, ut scilicet Bonifacio cedente ad procurandam ecclesiæ pacem, ipse cedere non denegaret. Ægidii orationem approbavere Castellæ & Angliæ nuncii: quibus respondit Benedictus, rem tanti momenti non leviter terminandam, deliberaturum se cum suo collegio, & habito cum fratribus maturo consilio, quid fuisset conclusum eis significaturum. Hic vide hominis fidem, quinto die Julii nondum cardinales hoc de negotio audierat: & duobus præcedentibus diebus cessionis viam publice impugnari a Bonifacio de Monatis jurisperito jussit: cujus argumenta omnia sequenti die solide confutavit Ægidius de Campis.

151. Eodem die & sequenti cum suis cardinalibus deliberare cœpit, *Primo fraudulenter & ad malum finem, contra morem secrete cum singulis per modum scrutinii, & demum in communi, & finaliter ab omnibus cardinalibus, tribus aut quatuor exceptis, fuit deliberatum, & expresse papæ consultum, quod votis dominorum regum annueret, & viam cessionis vellet amplecti; & insuper fuit ab ipsis dominis solemniter requisitus, ut hanc viam acceptaret.* Pro finali responso Benedictus septima Julii dominis nunciis dixit, *quod attenta arduitate materiæ, nondum reputabat se deliberatum; sed volebat adhuc deliberare plenius cum dominis regibus, antequam suam intentionem significaret.* Indignati hac responsione legati, se aliquantulum subtraxere, moxque ad papam reversi, ipsum præsentibus cardinalibus & pluribus aliis clarissimis viris adoriuntur, verba faciente Nicolao de *Calleville* uno ex legatis, qui de perpetuis ejus dilationibus acerbe questus, salva debita reverentia, subjecit: *Quod rex requirebat & summabat eum una vice pro omnibus, quatenus infra festum Purificationis B. Mariæ Virginis proxime venturum, haberet talem modum in facto unionis tenere, quod infra dictum terminum haberetur in terra unus verus solus pastor universalis.* Alioquin exacto tempore sibi definito, sic rex provideret, ut amota omni cunctationis causa, procederetur in hoc negotio. Vix ille verba fecerat, & ecce Petrus *Loupe de Ayale* regis Castellæ legatus idem argumentum prosequi cœpit, *ac multo magis pungitiva* oratione usus, dixit *quod ab hoc proposito rex Castellæ non recederet;* unde *papa fuit valde turbatus.* Eumdem fere in modum locuti sunt regis Angliæ nuncii; verum surdo omnes cecinere. E contrario vero domini cardinales viam cessionis una voce approbavere. Tunc archiepiscopus Toletanus, primas Hispaniarum, qui & ipse ad pacem anhelabat, annuente rege, scripsit de eodem negotio ad cardinalem Pampelonensem, cujus præsertim consiliis Benedictus utebatur. Scripsit & ad ipsum Benedictum, quo non respondente, miratus est Castellæ rex hominis obstinatum animum: ut tamen omnis excusationis ansa amoveretur, litteras ei ex Abulensi civitate direxit, deprecans ut quam Segobiæ viam suggessisset,

Pag. 557. Consulti cardinales suadent cessionem.

Pag. 558. Regum nomine citatur ad cedendum.

geſſerat, cum ſuo videlicet adverſario conveniendi *ſine cujuſquam termini præfixione*, proſequeretur. Et his quoque litteris Benedictum non puduit non reſcribere; quod porro rex quo animo tulerit, excogitari facile poteſt.

Robertus eremita ad utrumque contendentium miſſus.

152. Præter legatos ſupradictos a Franciæ & Angliæ regibus miſſos, Robertus etiam eremita ad utroſque contendentes miſſus eſt: qui & Avenionem & Romam profectus, omnem movit lapidem, ut ambos ad eccleſiæ unionem procurandam induceret. At nec ille quidquam profecit. Relationem ejus regi & proceribus factam infra edidimus pag. 591. quam ſi voles conſule.

Conventus Remenſis inter Carolum regem Francorum, & Winceſlaum regem Romanorum.

153. His ita ſe habentibus, Carolus Franciæ rex Wenceſlaum Romanorum regem in ſuam ſententiam perducere tentavit, ſcripta ad eum epiſtola, quam hic habes pag. 622. Nec ea contentus, ſub prætextu matrimonii inter ducis Aurelianenſis natum & filiam Moraviæ marchionis contrahendi, eum Remos allexit. Id ubi reſcivit Rupertus dux Heydelbergenſis, omnes ingenii ſui vires adhibuit, ut vel eum ab hoc averteret itinere; aut ſi non poſſet, ne quidquam adverſus Bonifacium papam ſuum attentaret. Ejus hac de re litteras habes tom. 2. noſtrorum Anecdotorum. Venit nihilominus Remos Winceſlaus, a Carolo magnificentia vere regia exceptus, ac pretioſiſſimis muneribus donatus. Ejus receptionem fuſe deſcribunt monachus Sandionyſianus in Vit. Caroli VI. lib. 17. cap. 6. & Froiſſardus lib. 4. cap. 91. Concluſum eſt prædictum matrimonium: deinde inter reges tractatum eſt de mediis procurandæ in eccleſia unionis. Quid ea in collatione deliberatum ſit, ſilentio tegi voluere reges. Si monacho Dionyſiano credimus, ea ſoluta, miſſi ſunt in Germaniam, prout concluſum fuerat, ſolemnes legati, qui epiſcopos clerumque Germanicum ad regis Franciæ ſententiam inclinatos retulere, alios nihilominus huc deputandos, qui facta ab eis confirmarent. At Froiſſardus aſſerit Petrum *Dailly* epiſcopum Cameracenſem juſſu ac voluntate duorum regum allegatum ad Bonifacium IX. fuiſſe, ut ceſſionis viam ei perſuaderet. Et revera Cameracenſis præſul ſtatim Bonifacium Fundis tunc commorantem adiens, cauſam legationis eleganter expoſuit. Qua audita, reſpondit Bonifacius, nihil in re tanti momenti ſine fratrum cardinalium conſilio poſſe ſe concludere. Hac reſponſione pro tempore contentus, Petrus Romam divertit: quem Bonifacius, conſultis cardinalibus, ſubſequutus proxime eſt, & dato ipſi colloquio, quid cum fratribus deliberaſſet declaravit, ſignificans ſibi animo fixum Angliæ & Germaniæ Hungariæque reges diligenter conſulere, quid vero ſentirent, effecturum ſe libentiſſime, dummodo Petrus de Luna primus abdicet papatum. Quibus verbis graviſſime & velut ex cathedra prolatis, Romani proceres metu correpti, ne pontifices ſui relicta Urbe alio ſedem figerent, Bonifacio nomine ſuo miſerunt exoratum, ne dubitaret conſilium abjicere tam odioſum, & ſibi æterno dedecori futurum, Romanæque eccleſiæ damno irreparabili, quos ille e veſtigio delinivit, aſſerens ſe numquam abdicaturum. Horum omnium inſcius Cameracenſis epiſcopus, ad Romanorum regem primum revertitur, Bonifacii relaturus reſponſum: quod ut audivit Wenceſlaus, Bene, inquit, hæc eadem fratri meo regi Franciæ referas: quod ille in regno ſuo faciendum juſſerit, hoc ego in imperio meo jubebo; ſed ante omnia operæ pretium videtur, ut Benedictum cedere compellat.

Concilium Gallicanum.

154. Reverſus Pariſios epiſcopus Cameracenſis, quid in legatione ſua Fundis & Romæ cum Bonifacio, cum Winceſlao in Germania geſſiſſet, Carolo regi accurate expoſuit: qui ſtatim eccleſiæ unionis deſiderio fervens, regni ſui proceres, & epiſcopos, abbates, univerſitates, capitula eccleſiarum cathedralium, ac plures cum ſacræ theologiæ, tum juris utriuſque doctores ad diem primam Maii 1398. convocavit, tametſi vigeſima ſecunda

Froiſſ. l. 4. c. 97. tantum die conveniſſe memorentur. Obſervat autem Froiſſardus haud invitatos ad concilium fuiſſe archiepiſcopos Remenſem, Rothomagenſem, & Senonenſem, ſed neque Belvacenſem, Pariſienſem & Autiſſiodorenſem epiſcopos, qui bene de Benedicto meriti, in ſuſpicionem venerant partes ejus plus æquo fovendi. At in actis hujus concilii tomo IV. hiſtoriæ univerſitatis editis, recenſentur inter prælatos, qui illi interfuere, Rothomagenſis & Senonenſis archipræſules, atque Pariſienſis & Belvacenſis epiſcopi; qui forte ſponte ſua ad illud acceſſerunt. Quidquid eſt, conveniſſe dicuntur cum patriarcha Alexandrino archiepiſcopi XI. epiſcopi LX. abbates LXX. univerſitatis Pariſienſis rector cum decanis facultatum, & nationum procuratoribus, necnon Aurelianenſis, Andegavenſis, Toloſonæ & Magalonenſis univerſitatum, denique theologiæ & juris utriuſque doctorum infinita multitudo. Quibus patriarcha Alexandrinus concilii præſes, eleganti oratione expoſuit quidquid celeberrimo cœtui deliberandum incumberet in hoc potiſſimum verti, utrum Benedicto totalis aut ex parte obedientia ſubtraheretur. Vixque verba finierat, cum ecce miſſus a Benedicto Petrus *de Fuis* epiſcopus Matiſconenſis concilio irrepens, facultatem petere auſus eſt pro Benedicto dicendi: cumque annuiſſent illuſtriſſimi principes, ut omnia ex æquo procederent, & ſuam quiſque ſententiam maturius conceptam ferre cautius poſſet, tutiuſque conſulere, quid ſedando ſchiſmati optimum foret aut magis opportunum, delecti ſunt auctoritate regia duodecim viri, omnes doctrinæ fama conſpicui, quorum ſex a Benedicto diſcedendum negarent, ſex alii affirmarent. Priores ad propugnandam Benedicti cauſam hoc ordine recenſentur, archiepiſcopus Turonenſis, Anicienſis epiſcopus, Petrus Rabanus epiſcopus S. Pontii, abbas Toloſanus S. Saturnini, Petrus Emilarii Dominicanus, & Johannes de Coſta, doctores omnes ac Benedicto impenſe faventes. Partem aliam tenebant Simon *Cramaud* patriarcha Alexandrinus concilii præſes, Johannes Canarti epiſcopus Attrebatenſis, Petrus Regis abbas S. Michaëlis in periculo maris, Ægidius de Campis, Johannes Brevis-coxæ, & Petrus *Plaout*, viri doctiſſimi. Primus in gratiam Benedicti die 29. Maii locutus eſt Petrus Rabanus epiſcopus S. Pontii, dictus etiam Petrus Renatus; poſt quem eodem die ſurrexit Petrus Emilarii Dominicanus; quos proxime ſecutus eſt die 30. Maii Johannes de Coſta legum doctor Toloſanus: qua etiam die impugnare cœpit partis adverſæ caput Simon *Cramaud*, & poſt eum ſubſequenti die Petrus Regis abbas S. Michaëlis in periculo maris; qui poſtquam dixit, ſequenti die ſabbati 1. Junii Ludovicus de *Tignonville* armatæ militiæ miles, & in litteris non modice verſatus, ſacro cœtui narravit, ſe olim legationis officio regis nomine fungentem in Aragonia, cum forte Avenionem pertranſiens Benedictum viſitaſſet, audiſſe eum dicentem: *Credit rex Franciæ facere quod cedam, non certe faciam: vult facere ſubtractionem, faciat debitum in ſuo regno, faciam in meo quod debebo*, eumdemque addidiſſe malle ſe excoriari quam cedere; cum vero Aragoniam adveniſſet, multos, ait, inveniſſe ſe pecunia & donis corruptos. Hæc ubi dixerat, Ægidius de Campis celeberrimus doctor, qui pro ſubtractione agebat, ſuas partes egregie obiit. Cui contradictum ab alia parte eſt ſemel & iterum, ſicque rationes rationibus, argumentis argumenta acerrime oppoſita totos tres dies aut quatuor abſumſere. Ultimus peroraſſe videtur Petrus *Plaout* die ſeptimo Junii, univerſitatis nomine, pro ſubtractione.

Pag. 830.

Totalis obedientiæ ſubtractio ſtatuta, & ab Hiſpanis approbata.

Demum omnibus per multos dies in utramque partem diſcuſſis, cum ventum eſt ad ſuffragia, omnes jurati, præſente ſanctæ crucis ligno, & tactis ſacro-ſanctis evangeliis, requiſiti, ſuam quiſque ſententiam aperuit, numeratiſque ſuffragiis, ex trecentis ad totalem obedientiæ ſubtractionem inclinarunt ducenti ſupra quadraginta ſeptem: quam approbavere regum Hiſ-

paniarum legati, qui præſentes aderant: aſſerentes etiam Caſtellæ regem mirari, quod tamdiu dilata fuiſſet ſubtractio. Eamdem & ſuo calculo confirmavit Carolus rex Navarræ, qui concilio interfuerat, hortatuſque eſt, ut nulla interpoſita mora exſecutioni demandaretur.

Subtractioni promulgatæ adhærent cardinales & cives Avenionenſes.

155. Conſequenter die 27. Julii anni 1398. rex ſingulari edicto omnimodam in toto regno ſuo obedientiam Benedicto ſubtrahi juſſit: deinde Robertum *Cordelerii* legum doctorem, Triſtandum de Boſco Attrebatenſem præpoſitum Avenionem miſit, qui prima die Septembris apud Villamnovam agentes, ſubtractionem promulgarunt, omnibus tam laïcis quam clericis ſub pœnis gravibus præcipientes, ut ab obedientia, officio & curia papæ recederent. *Propter quod capellani, familiares, auditores & alii officiales de domo papæ & curia receſſere. Domini cardinales etiam ad Villamnovam tranſierunt, ubi congregantes cives Avenionenſes, & cum eis conſilio habito, prædictæ regis ſubtractioni adhæſerunt, & ſolemniter ab obedientia papæ ſe ſubtraxerunt, & de rebellione fienda per cives Avenionenſes, & alios de comitatu Venayſini & terris papæ ordinaverunt.* Litteras cardinalium numero XVIII. hoc eſt totius ſacri collegii, præter Pampelonenſem & Terragonenſem cardinales, ad Carolum regem & ad ducem Bituricenſem, quibus animo concordi & voluntate ſincera adhæſiſſe ſe ejus edicto ſignificant, habes hoc tomo pag. 599.

Vit. pap. Avenion. tom. 2. p. 1120.

Inſignes eccleſiæ.

156. Cardinalium exemplum ſequutæ ſunt perplures eccleſiæ inſignes, ac principes. Nam eodem anno eccleſia Biſuntinenſis die 30. Octobris, clerus & civitas Cameracenſis 7. Decembris læti & exultantes a Benedicti obedientia abiere. Inter principes vero Maria Siciliæ & Jeruſalem regina eodem etiam anno die Novembris menſis ultimo, diſceſſionem a Benedicto in regno ſuo edixit. Subſequenti die 12. menſis Decembris, Henricus rex Caſtellæ, congregatis apud villam de Alcala *de Henares* regni ſui proceribus & prælatis & doctoribus, fruſtra tentatis apud Benedictum viis omnibus ad medendum eccleſiæ ſciſſioni, agnovit tandem nihil ſe aliter aſſequi poſſe. Subtractionis ejus litteras habes hoc tomo pag. 613. uti & Mariæ reginæ Jeruſalem & Siciliæ, pag. 602. Quibus accedit Caroli regis Navarræ epiſtola ad Carolum Franciæ regem data die 14. Januarii 1399. qua decretam in generalibus regni ſui comitiis ſubtractionem utrique contendentium ſignificat, pag. 629. His adde Johannis Bavariæ electi, ac totius cleri Leodienſis factam a Bonifacio ſubtractionem 6. Octobris 1390. quam legere eſt in hiſtoriæ univerſitatis Pariſienſis tom. 4.

Et principes multi.

Miſſus ad Benedictum epiſcopus Cameracenſis.

157. Nondum decreta erat in Gallicano concilio ſubtractio, cum, jubente rege, & conſulentibus prælatis, miſſus Avenionem eſt Petrus de Alliaco epiſcopus Cameracenſis, una cum Bucicaldo mareſcallo: qui cum veniſſent Lugdunum, ſubſtitit Bucicaldus, donec legationis exitum a præſule Cameracenſi audiret. Hic ut primum adire Benedictum potuit, non quidem ut papam (ſic enim in mandatis acceperat) licet debita cum reverentia ſalutavit, nomine Franciæ & Alemanniæ regum adhortans, ut cedente aut mortuo Bonifacio, pontificatum reſignare dignaretur. Hæc ad verba mutato vultu, Benedictus exclamavit: Pro eccleſia multum laboravi, in papam « canonicè ſum electus, urgent ut dignitatem reſignem. Abſit hoc a me. Sciat « rex Francorum nihil apud me valitura ejus edicta, & papatum ad mortem « uſque ſervabo. Ad quem Cameracenſis: Conſulite, inquit, beatiſſime pa- « ter, fratres veſtros cardinales, quid vobis facto opus ſit. Nam regi Franco- « rum & imperatori concordibus minimè reſiſtere poteſtis. Tunc ex ſacro « collegio duo purpurati Benedictum alloquentes, recta, inquiunt, ſuadet Cameracenſis epiſcopus; ad ejus monita, rogamus, attendite. Sequenti die congregato conſiſtorio, adfuit Cameracenſis, cauſam ſuæ legationis expo-

Hortatur ut papatum reſignet quod recuſat.

fuit, tum ut liberius inter ſe tractarent, aliquantulum ſeceſſit. Suadentibus cardinalibus ut regi Benedictus obtemperaret, præfracte ille negavit. Tunc accedens Cameracenſis præſul, excepturus quid tandem vellet regi ſuo nomine renuntiari, hoc tulit reſponſi: Dicite, inquit, filio meo regi, quod eum hactenus habui catholicum; at cum perverſorum ſeductus conſilio, ſit immutatus, eum pœnitebit, parcat conſcientiæ.

Bucicaldus papam diffidat, qui ad reſiſtendum ſe parat. Froiſſ. lib. 4. c. 98.

158. Hæc ubi Bucicaldus audivit, coacto a tractu Vivarienſi & ab Alvernia ad uſque Montempeſſulanum milite, papam, cardinales & cives Avenionenſes diffidavit, qui habito inter ſe conſilio, adeunt Benedictum, declarantes ſibi minime ſufficere vires ad reſiſtendum armis regis Franciæ. Quibus ille ait: Habetis civitatem muris validam & bene munitam. Genuenſium & regis Aragonum auxilium implorabo, quod nec denegabit, cum duplici ex cauſa mihi ſit obſtrictus. nam & conſanguineus meus eſt, & mihi ut papæ obedientiam debet; minima vos terrent, ite cuſtodite veſtram civitatem, ego palatium meum defendam. Hæc eo forte dicebat, quod commeatus ad tres annos comparatos haberet. At longe aliter cives purpuratique ſentiebant, qui ſtatim ad pactiones bellicas venientes, ſe ſuamque civitatem Bucicaldo dediderunt. Is urbem ingreſſus, ſtatim pontificis palatium armatis cinxit. Tum Benedictus, diſſimulato periculo, regem Aragonum ſupplicibus litteris deprecatur, ut miſſo exercitu adeſſe ſibi minime dubitaret, promittens, ſi inde eripiatur, tranſlaturum ſe eſſe ſedem ſuam curiamque Perpinianum aut Barcinonam. Has litteras non magni fecit rex Aragonum, nec bellum ejus cauſa regi Francorum indicandum eſſe exiſtimavit, maxime cum regina uxor ſua regis Franciæ conſobrina ad ceſſionem inclinaret, uti & ſuorum, maxime cleri, pars potior, atque inter alios Catalonici & etiam Hiſpani, idemque ſentiebant ii quorum conſilio rex utebatur.

Papæ palatium occupat.

Urget obſidionem. Vit. Car. VI. auctore monacho Dion. l. 18. c. 6.

159. Interim Bucicaldus urgebat obſidionem, nec quicquam commeatus ad Benedictum ingredi ſinebat. Equidem cibaria ad tres minimum annos ſibi proviſerat; at deficiebant ligna quibus ea poſſent coqui. Sed & cives jam facti milites, ſuffoſſo palatii muro, ignem ſubjicere parabant. Sed projectis interim interdum ignibus græcanicis, quicquid ligni ſupererat in palatio conſumſerant. Ea tamen rex uſus eſt clementia, ut Benedictum fame premi noluerit.

Rex Aragonum implorat clementiam Caroli regis.

160. Quamvis autem milites denegaverit Martinus rex Aragonum, eum tamen omnino noluit deſerere, ſed Francorum regi reconciliare tentavit. Quapropter Raymundum Rivipullenſis monaſterii abbatem, Gerardum de Cervilione militem, Petrum Marini ordinis Minorum, provinciæ Aragoniæ miniſtrum, & Petrum Zacalini legum doctorem Pariſios direxit, qui legationis munere egregie perfuncti, Carolum regem haud ægre ad clementiam inflexere, certaſque ab eo conditiones, ſeu ut vocant capitula Benedicto communicanda reportant, quibus ſi aſſentiretur, ceſſaret omnis hoſtilitas.

Capitula ad Benedictum deferenda.

161. Capitulorum illorum hæc ſumma erat: I. Ut Benedictus ceſſionis viæ acquieſcat, & cedente Bonifacio, vel eo mortuo aut ejecto, papatu ſe abdicet, ab omni facti via abſtineat, miſſoſque milites faciat ſibi operam dantes ubi ubi ſint. Quæ ſi adimpleverit, arma etiam cardinales & cives Avenionenſes, jubente rege dimittent.

162. II. Ut nullam moram nullumque impedimentum eccleſiæ unioni & ceſſionis viæ inferat, aut inferri ſinat; idem qui cum eo erant in palatio jurarent, neque Benedicto contrarium volenti conſenſuros, aut auxilium favoremque ei præſtituros.

163. III. Ut congregationibus pro eccleſiæ unione habendis, quoties expedierit, interſit.

164. Et

164. Et quia propoſitum a prædictis legatis fuerat, adeundum prius regem Aragonum eſſe, quam in fidem & clientelam a quoquam Benedictus ſuſciperetur, quod negotii exitum non modice retardaret: Carolus rex obtulit Benedictum ipſum cum centum ex ſuis exarmatis ſub ſua recepturum cuſtodia, modo illi de palatio, aut alio loco ipſis permiſſo non exeant, ſine conſenſu regum illi obedientium.

165. IV. Item, ut Benedicto relicti ad famulatum, jurejurando promittant, omnes ſe aditus obſervaturos diligenter, ne vel exire poſſit aut omnino fugere.

166. Præterea promiſit rex ipſi Benedicto, & centum exarmatis militibus cum eo commorantibus, cibaria impenſis eorum miniſtrari, dum interim cum Caſtellæ, Aragonum, & Navarræ & Scotiæ regibus ad conciliandam eccleſiæ pacem laborabit. Ceterum nullum per prædicta ſubtractioni fiet præjudicium.

167. Hæc ſi acceptare voluerit Benedictus, legati a rege miſſi palatium intrabunt cum eo tractaturi, nulla tamen ei papali reverentia exhibita.

168. Ubi hæc ad Benedicti notitiam perveniſſent, eſſentque ei undique anguſtiæ, cum Bucicaldi manus effugere non poſſet, ne ſibi deterius aliquid contingeret, prædictis capitulis ſubſcripturum ſe promiſit. Hac de promiſſione certior factus rex Francorum, Petrum abbatem S. Michaëlis in periculo maris, Guillelmum de Tignonvilla militem, atque Ægidium de Campis deputavit, qui cum prædictis Aragonum legatis ea Benedicto offerrent. Hi cum Avenionem adveniſſent, atque ad Benedicti conſpectum eſſent admiſſi, Petrus Zacalini, unus ex Aragonum regis legatis, expoſuit, quid cum rege Francorum pro eccleſiæ unione pertractaſſent, & decreta cum eo capitula, quibus ſubſcripturum ſe promiſerat; adeſſe Caroli regis legatos, ex ore ejus audituros, an oblatis capitulis condeſcendere vellet: quæ cum ille dixiſſet, Petrus abbas S. Michaëlis aſſeruit ſe ſocioſque ſuos hanc ob cauſam ejus præſentiæ ſiſti. Tunc Benedictus expoſuit quanta pro eccleſiæ utilitate eſſet hactenus proſecutus, paratum ſe ad omnia ejus unioni peropportuna; ceterum ſe multum de regis Francorum munificentia ſperare, quem probe ſciebat eccleſiam non oppreſſurum; tres cardinales adeſſe, Tiraſonenſem, Girundenſem, & de *Boyl*, quibus ea de re poterant conferre, præſentiam ſuam, ſi neceſſaria cenſeretur, non denegaturum. Hæc quarto Aprilis die anni MCCCXCIX. acta fuere, coram publicis notariis, præſentibus Didaco Gobienſi, & Franciſco Imolenſi, aliiſque pluribus teſtibus.

Offeruntur ei per Aragonum & regis Franciæ legatos. Pag. 633.

169. Conſequenter decimo ejuſdem menſis, iidem amborum regum legati, coram notariis, prædicta capitula Benedicto papæ de verbo ad verbum legenda præbuere, eaque in pergameno ſcripta, regis ſigillo roborata, ac manu Johannis de Sanctis, regis Aragonum ſecretarii ſubſignata præſentarunt: quibus pro reſponſione tradidit cedulam prædicta capitula continentem, ſuumque & ſuorum ad ipſa conſenſum: quam a prædictis notariis recitari voluit: aſſerens multum ſe confidere regis humanitati, cujus litteras de ſua protectione. & de deſignatis ad ejus & ſuorum cuſtodiam tribus baronibus cum archiepiſcopo Narbonenſi ſibi reddi poſtulavit. Petiit inſuper ut contenta in capitulis legati ejus nomine confirmarent, & adimplenda promitterent: qui præſtito ad ſacras ſcripturas manu tactas juramento, capitula ſtatim confirmavere, & quantum in eis eſſet adimpleturos, litteraſque regis ei tutelam ejus aſſerentes tradituros promiſerunt. Eodem die legati coram publicis notariis exhibueruut ac legi juſſerunt gallicas regis litteras ad cardinales, quibus annuebat Benedictum, ſi vellet, ſub ſacri collegii fidem & clientelam ſuſcipi. At ille purpuratorum recuſavit clientelam.

Pag. 638.

Benedictus ſe ſub regis cuſtodia ponit.

P. 641.

Cardinales & cives Avenionenſes ei offerunt ſecuritatem.

170. Die vero Aprilis 23. cardinales coram publico notario omnimodam Benedicto ſecuritatem obtulere, ipſo nimirum ab omni vi abſtinente, & milites quos in palatio habebat dimittente, dimiſſuri pariter in eum hoſtilia, & commeatus aliaque neceſſaria, tam ipſi quam centum ex ſuis cum eo remanentibus exarmatis, eorum expenſis miniſtraturi, nec quicquam adverſus regis tutelam facturi. Si quid vero dubitationis aut ambiguitatis emerſerit, regis judicio omnia relaturi. Sequenti die 24. Aprilis, ſimilem ei ſecuritatem obtulere cives Avenionenſes, quam hic habes pag. 647.

Evacuatur armatis palatium Avenionenſe.

171. His præmiſſis, evacuari cœpit palatium, ac die 29. & ſequentibus emiſſi omnes, qui centenarium perſonarum numerum excedebant, juxta pacta ſuperius capitula. Hi omnes, præſentibus regis legatis, antequam exirent coram notariis publicis juraverunt, numquam ſe bellum aut damnum aliquod cardinalibus, civibuſque Avenionenſibus, aut comitatui Venaiſino illaturos, deinde nihil uſquam mali per ſe aut per alios Franciæ regno, regiſque ſubditis procuraturos, ſed neque pretioſam ſuppellectilem aliave bona Romanæ eccleſiæ ablaturos, nec unionis eccleſiæ negotium aut ceſſionis ullo modo impedituros aut retardaturos.

Juramentum exigitur ab his qui cum Benedicto remanent in palatio.

172. Nec multo poſt, quarto ſcilicet die menſis Maii, Petrus abbas ſancti Michaëlis in periculo maris, Guillelmus de Tignonvilla, & Ægidius de Campis regis legati, acceſſere cum publicis notariis ad palatium apoſtolicum, ab his qui ad Benedicti ſervitium erant cum eo remanſuri, ſequens exegere juramentum. 1. Quod nihil prorſus agerent, unde eccleſiæ unio aut ceſſio impediri poſſet aut retardari. 2. Quod ſi quicquam Benedictus adverſus unionem aut ceſſionem attentare præſumeret, nec ipſi conſentirent, nec favorem aut auxilium darent. 3. Quod nec Benedicto de palatio recedere volenti directe vel indirecte annuerent. 4. Quod deputatis ad Benedicti cuſtodiam eorum familiaribus injuriam nullam aut moleſtiam inferrent. Hoc præſtiterunt juramentum, præſentibus regis Aragonum legatis, Raymundo abbate Rivipullenſi, Gerardo de Cervilione milite, & Petro Zacalini doctore.

Offeruntur Benedicto ad ſui cuſtodiam tres barones.

173. Eodem die prædicti regis legati Benedicto in palatio ſignificaverunt coram notariis publicis, illuſtrem Francorum regem conditionibus ſeu capitulis inter ſe contractis obſtrictum, cuſtodiæ ejus providere volentem, eam commiſiſſe provinciam reverendiſſimo archiepiſcopo Narbonenſi, nobilibuſque viris ſeneſcallo Bellicadri, dominiſque de Caſſenatico & de Volta baronibus, ac domino de Marla ſeneſcallo Provinciæ, jamque eos, ſi grati eſſent, in palatium ſineret introduci: quibus Benedictus viros illos alias notabiles & ſibi gratiſſimos, cuſtodiæ ſuæ & ſecuritati ex omni parte ſufficere non poſſe, reſpondit. Ceterum ſe ex relatu legatorum regis Aragonum accepiſſe, alios ſibi facile conceſſum iri, ſi deſignati iſti minus convenirent, *dum tamen eſſent de regno Francia, & dicto regi bene affidati*, atque ita Carolum regem diſpoſuiſſe, velle & intendere. Quapropter petebat ad ſui cuſtodiam ducem Aurelianenſem regis germanum, in quo plurimum confidebat: idque regi & ducibus per vicecomitem Rodi & Gerardum de Cervilione ſignificavit.

Petit ducem Aurelianenſem.

Nova ei offeruntur capitula.

Pag. 661.

174. Annuit quidem rex, at quia ducem ad præſens a ſe non poterat dimittere, nova neceſſe habuit Benedicto capitula proponere. Itaque die Octobris XI. præſentibus reverendiſſimis Martino Pampelonenſi, Ferdinando Tiraſonenſi, Berengario Gerundenſi, & Gaufrido de *Boyl* cardinalibus, perſonaliter conſtitutis, Petro abbate S. Michaëlis in periculo maris, Guillelmo de Tignonvilla milite, & magiſtro Ægidio de Campis ſacræ paginæ profeſſore, regis Francorum legatis, Johanne de Fontanis milite, & Petro *Beaublé* utriuſque juris doctore, ducis Aurelianenſis item legatis, nec-

non Raymundo abbate Rivipulli, & Geraldo Alamanni de Cervilione, Benedictus papa coram notariis publicis expoſuit ex parte regis Francorum & ducis Aurelianenſis ſibi recenter tradita nova quædam capitula, quibus ipſe ſuas ſubjecit reſponſiones, quas cum ipſis capitulis legi petebat. Capitula autem hæc erant:

175. I. Cum propter rationabiles cauſas, utilitatem regni tangentes, dux Aurelianenſis pro tempore non poſſet a rege abeſſe, rogabatur Benedictus prædictus, ut ſub manu regis certas notabiles perſonas, ſibi fidas & familiares ad eum in palatio cuſtodiendum poſſet ſubrogare. Reſpondit Benedictus ſe paratum mittendos per ipſum dominum ducem recipere, maximaſque habere prædicto duci gratias, quod hoc in ſe onus ſuſcipere voluerit.

176. II. Si pro unionis commodo, Benedictus velit credere & facere quidquid ſibi per ducem Aurelianenſem ſuggeretur, idque ſponte velit acceptare, ipſe dux dabit operam, ut quam citius fieri poterit perſonaliter ad eum accedat, unionem cum eo acceleraturus. Nec repugnavit Benedictus.

177. III. Deputatis ab ipſo duce ad ſui cuſtodiam, ſtipendia & expenſas ipſe ſuppeditabit. Quo nihil æquius ſibi videri reſpondit Benedictus.

178. IV. Per prædicta rex non intendebat quidquam immutare in capitulis ab ipſis regis Aragonum nunciis cum rege concordatis, & ab ipſo Benedicto approbatis & acceptatis. Ad hæc reſpondit Benedictus, aſſertum ſibi eſſe ab ipſis regis Aragonum legatis, conſtitutum in regis conſilio fuiſſe, concedendam ei electionem eorum qui ad ſui cuſtodiam deputarentur: elegiſſe ſe ducem Aurelianenſem, cujus miſſos recipere paratus erat.

179. Ceterum ad omnem tollendam ambiguitatem, cum in primis capitulis aliqua reſtarent adimplenda, die Octobris 14. Petrus abbas S. Michaëlis, Guillelmus de Tignonvilla, & Petrus *Beaublé* Ludovici ducis Aurelianenſis legatus, ipſum convenientes Benedictum, coram publicis notariis rogaverunt, ut ipſe clare & nude ſuam ſuper ſubjectis capitulis intentionem declararet, proprioque chirographo roboraret. Exigitur a Benedicto, ut clare de ſubjectis capitulis intentionem declaret. Pag. 666.

I. *Quod acceptet viam ceſſionis, & promittat quod intruſo cedente, mortuo, aut ejecto, ipſe renuntiabit papatui, ſine aliqua modificatione in bona forma & debita.*

II. *Quod ipſe pure & abſolute promittat, quod ipſe directe vel indirecte, non faciet vel procurabit aliquid, per quod unio eccleſiæ valeat retardari, aut via ceſſionis quomodolibet impediri.*

III. *Quod ipſe pure & abſolute promittat, quod ipſe ibi ad conventum ſeu congregationem, quæ fiet pro unione matris eccleſiæ, veniet.*

IV. *Quod abſolute promittat non recedere de palatio in quo nunc eſt, vel alibi, ubi ejus manſio expediens & honorabilis videbitur, ſine conſenſu regum, qui ſibi obediunt, & ſacri collegii.*

V. *Quod iſta ſpecialiter concedantur ſub inſtrumentis publicis, & cum ſignatione manus propriæ.*

VI. *Quod ad ea quæ ſunt facti, ipſe & ſui remaneant ſine armis, & quod reſtringat ſe ad numerum familiarium in capitulis deſignatum, & reſtantes de facto recedant, &c.*

180. Ad hæc reſpondit Benedictus, *quod ſuper his oportebat ipſum deliberare, ut ipſis reſpondere valeret.* Quæ quidem omnia acta ſunt coram Ferdinando Tiraſonenſi, Berengario Gerundenſi, Gaudefrido de *Boyl* pro cardinalibus ſe gerentibus, Raymundo abbate Rivipulli, Geraldo de Cervilione, legatis regis Aragonum, Johanne Tirelli priore de Burgo-fonte in Valeſio ordinis Carthuſienſis, & multis aliis teſtibus. Quæ omnia hactenus cum Benedicto tractata a legatis regis fuerant, ea Caſtellæ ac Navarræ regibus per prædictos legatos nota facta fuere.

Nova ſecuritas data Benedicto a cardinalibus.

181. Demum ultimo Octobris die novam a cardinalibus dandam Benedicto ſecuritatem exegerunt regum legati. Præſentibus itaque Guillelmo de Tignonvilla & Ægidio de Campis, regis Franciæ legatis, Geraldo de Cervilione Martini Aragonum regis miſſo, atque Petro *Beaublé* U. J. profeſſore, ducis Aurelianenſis nuncio, cardinales coram publico notario, annuentibus civibus Avenionenſibus, nihil ſe innovaturos de facto contra Benedictum, cibaria & alia neceſſaria ipſi & ſuis competenter & honeſte ſuis ipſorum expenſis miniſtraturos, *quouſque de Francia habeatur reſponſio ſuper materiis pro quibus dicti legati miſſi fuerant: ipſo tamen Benedicto nihil innovante contra dictos cardinales, vel ſuos, vel civitatem Avenionenſem & cives comitatus Venayſſini, per ſe vel per alios, quovis modo: ipſo etiam Benedicto in palatio in quo nunc eſt, quia etiam ita expedit, remanente.*

Fag. 671.

Quid interim Romæ Bonifacius Raynald. ann. 1391. n. 3. & ſeq.

182. Dum ſic Avenioni premitur Benedictus, Romæ Bonifacius maxime timebat, ne quid ſibi ſimile contingeret. Anno 1396. quatuor ad eum nuncios miſerat Benedictus, qui de reſtituenda eccleſiæ pace cum eo tractarent, ſed nunciorum ſe fingens metuere inſidias, ipſis Urbem interdixit. Illi denegato ſibi pontificis acceſſu, ad Honoratum Fundanum comitem ſe contulerant. Bonifacius vero ne publicæ concordiæ iter obſtruere videretur, Franciſcum Segobienſem epiſcopum illuc miſit interpretem, a quo tamen magis videtur conſultum Benedicto quam Romano pontifici.

Ibid. n. 4. & 5.

183. Eodem tempore, agente Martino Aragonum rege, a Bonifacio defecerat Trinacria. Sed & Liguriam a ſeipſo divelli ingemuit, quin & Genuenſes civilibus malis pertæſi ex ſenatus decreto, Carolo Francorum regi, exauctorato duce Adurnio, Genuæ imperium contulerunt. *Expavit Bonifacius*, inquit Raynaldus, *qui Gallos tunc ſchiſmate implicitos dolebat, ne ipſi, cum jam Neapolim Genuamque in ſuam redegiſſent poteſtatem, ad reliquam Italiam ſibi ſubjiciendam aſpirarent.*

Bonifacium ad ceſſionem hortantur Germaniæ principes.

184. Bonifacii anxietatem auxere Germaniæ principes, qui ex Francofordienſi conventu anni 1397. ad quem Galliæ & Angliæ regum, pluriumque aliorum principum, necnon univerſitatis Pariſienſis oratores acceſſerant, eum adhortabantur, ut Petro de Luna pontificia inſignia deponente, ea pariter ipſe deponere non dubitaret: quorum tamen nuncios ille beneficiis corrupit, ceſſionis negotio, cujus cauſa venerant, *in primis terminis* remanente. *Præfatus autem Bonifacius*, inquit Niemius, *multum ægre tulit, quod dicti principes eum hortabantur ad cedendum, & libenter eis nocuiſſet, ſi colore aliquo potuiſſet.* Hæc æquanimiter tolerarunt principes, quorum aliqui iteratis eum litteris hortati ſunt ut cederet, neutralitatem neganti comminantes.

Theod. Niem. l. 2. c. 33.

Bonifacius de exauctorando Wenceſlao cogitat.

185. His omnibus acceſſit, quod Winceſlaus anno MCCCXCVIII. de procuranda eccleſiæ per utriuſque contendentium ceſſionem pace, Remis habuerat colloquium cum Carolo VI. Francorum rege. Tantum malum ut a ſe averteret Bonifacius, Winceſlaum exauctorare cogitavit. res factu difficilis, ex qua conſequi poterat Bohemorum & Hungarorum diſceſſio ab obedientia ſua. Itaque arte utendum ratus, electoribus imperii occulte inſinuavit, indignum prorſus imperio Winceſlaum, nec præſentibus ejus malis ullum afferri poſſe remedium, niſi præciſo tam nefando capite. Offenſos aliunde principes in hanc inflectere ſententiam haudquaquam difficile fuit, congregatique in oppido *Lonſtein* Winceſlaum imperiali throno exturbant, ſubrogato ei Ruperto Bavariæ duce, die XX. Auguſti anni MCCCC. quam quidem depoſitionem ſibi poſtea adſcribere non eſt veritus Bonifacius. Sic enim de electoribus loquens: *Ad ipſius Wenceſlai depoſitionem, ſeu amotionem a præfato regno Romanorum*, AUCTORITATE NOSTRA SUFFULTI *concorditer proceſſerunt.*

Rayn. ad ad ann. 1400. n. 12.

186.

186. Electus in regem Romanorum Rupertus, cum ei pene tota Germania obediret, Coloniæ ab ipſo Colonienſi archiepiſcopo, ſacro epiphaniæ die argentea corona pro more redimitus eſt, Aquiſgranenſibus Winceſlao adhuc adhærentibus, civitatis ſuæ ingreſſum ei denegantibus. Moxque invitatus a papa, & promiſſo ei auxilio, expeditionem Italicam ſuſcepit, cum ad recuperanda imperii jura, & deturbandum Inſubriæ principatu Galeatium, quem Winceſlaus ducem Mediolanenſem creaverat, tum ut imperialis dignitatis inſignia de manu Bonifacii reciperet. Quapropter Conradum epiſcopum Verdenſem, nec multo poſt Philippum comitem de *Falckenſtein* & Nicolaum *Buman* Romam direxit, ut electionis ſuæ ab eo peterent confirmationem, ac ſubſequenter de manu ejus imperialem coronam, ſummam dans eis poteſtatem ſolitum papæ juramentum nomine ſuo præſtandi. At præter ſolitum & ab omnibus hactenus imperatoribus præſtitum, inauditum ab omni retro ſæculo juramentum exigere Bonifacius non dubitavit, nimirum *quod ipſe ſe deberet obligare, non ſe velle procuranda ſanctæ eccleſiæ unitati immiſcere*, ut legimus in negotiatione cum principibus electoribus, & in negotiatione cum archiepiſcopo Salisburgenſi, hujus Collectionis tom. 4. Quod quidem juramentum merito reſpuit religioſus imperator, *cum non ſolum ſuam perſonam concernat, ſed quoque tangat ſanctam eccleſiam, imperium, ac totam Chriſtianitatem, necnon omnes qui ad imperium ſpectant.* Itaque *re bene perpenſa cum ſuis conſiliariis, ſtatuit prædicta non ſuſcipere, nec circa illa quicquam agere, ſine principum electorum, aliorumque ſuorum & imperii principum & fidelium ſcitu & conſilio.* Reſcripſitque Verdenſi epiſcopo, ut Romæ remaneret, invigilaretque cauſæ ſuæ.

Electus rex Romanorum Rupertus ſuſcipit Italicam expeditionem.

Bonifacius inſolitum exigit juramentum. Tom. 4. p. 74. & ſeq.

Pag. 74.

187. Huic articulo affinis eſt & ille quem a Ruperto Bonifacius exigebat: ut nimirum *cum rege Franciæ & ſucceſſoribus quibuſcumque de domo ejuſdem, quamdiu in hoc nefando ſchiſmate perdurabunt, nec cum aliquo rege, principe, duce & quibuſcumque aliis ſimili ſchiſmate irretitis, cujuſque ſtatus, dignitatis & præeminentiæ exiſtat, ligam & confœderationem, pactionem, unionem aliquam per ſe vel per alium non faciat, nec fieri permittat. Et ſi aliqua facta fuerit, revocabit & annullabit.* His etiam addere non veretur, ut neque cum rege Franciæ, vel aliquo de ejus domo *aliquam parentelam contraheret*, irrequiſita ejus licentia. Quorſum hæc, nemo non videt. Videbat Carolum regem toto ſe niſu *immiſcere procurandæ eccleſiæ unioni*, quod ille a Ruperto volens avertere, imperialem ei denegavit coronam, niſi prædicto præſtito juramento. Verum ille concedere coactus fuit invitus & repugnans, quod primum recuſaverat, confirmationem enixe deprecantibus electoribus imperii. Ita Cornelius Zantflietus in chronico ad annum 1404. *Cum ante quadriennium principes imperii, & præſertim tres archiepiſcopi, videlicet Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis elegiſſent in regem Romanorum dominum Rupertum ducem Heidelbergenſem, Bonifacius papa prædictam electionem hoc anno victus importunitatibus electorum approbavit & confirmavit, quod adhuc facere diſtulit certas ob cauſas. Quo facto, paulo poſt, videlicet prima Octobris, idem papa morte ſubitanea & infeſtiſſima febre & calculo attritus, deceſſit a ſæculo.* Quibus ſuffragatur Theodericus Niemus: *Non diu ante ipſius* (Bonifacii) *obitum electionem de domino Roberto moderno rege Romanorum per archiepiſcopos Moguntinenſem, Colonienſem & Trevirenſem electores imperii, contra dictum Winceſlaum regem factam, me etiam præſente, in conſiſtorio publico approbavit, promittens quod ſibi favores apoſtolicos impendere vellet.*

Confirmat electionem Ruperti.

Lib. 2. c. 16.

§. VII. *De reſtituta Benedicto obedientia, & de continuato ſchiſmate ſub Innocentio VII.*

Benedictus ex palatio Avenionenſi furtim elapſus.

188. Jam fere quintus effluxerat annus, ex quo Benedictus in ſuo Avenionenſi palatio incluſus & quaſi incarceratus detinebatur, cum ecce, connivente Aurelianenſi duce, faventibus veſpertini temporis tenebris, mutato habitu ex prædicto palatio elapſus eſt, & ſtipatus quingentis viris armatis, ad proximum caſtrum Raynaldi ſe recepit, nihil, præter euchariſtiam, quam ſub pectore geſtabat, & unicam regis Caroli epiſtolam, qua ſubtractionem ab ipſo factam ſignificabat, auferens ex omnibus. Sic elapſo reſtituta mox obedientia eſt, urgente duce Aurelianenſi, cui montes auri pollicitus, nihil quidquam præſtitit. Diſplicuit tamen multis, & maxime duci Bituricenſi, hæc obedientiæ reſtitutio, cujus, ut creditum eſt, juſſu, ab ignotis hominibus evulſa a cereo paſchali eſt in collegiatis & Mendicantium eccleſiis ſolita inſcriptio, cui inſertus erat annus ab electione Benedicti XIII. in papam. Id tamen quibuſdam eccleſiaſticis viris improbantibus, dux ipſe poſtea denegavit.

Vit. Car. reg. auctore monacho Dion. l. 23. c. 1.

Ei reſtituitur obedientia.

189. Ad accelerandam obedientiæ reſtitutionem, duos ad Carolum regem & principes nuncios direxit, Pictavenſem & Saluciarum cardinales, qui ſuo munere egregie perfuncti, regem & ſuos in ejus ſententiam inclinaverunt, duce Aurelianenſi vadem ſe pro Benedicto offerente. Ad majorem autem reſtitutionis ſolemnitatem, idem dux Aurelianenſis auctor fuit, ut ſingularis pontifici fieret delegatio: cui delecti ſunt Philippus *de Villette* abbas S. Dionyſii, & archidiaconus Attrebatenſis, quos proxime ſequuti ſunt Aquenſis archiepiſcopus & epiſcopus Cameracenſis, Benedictum rogaturi, ut factis duci promiſſis ſtaret. Ante horum adventum Philippus abbas, jam coram pontifice eleganter ea de re, ut virum doctum decebat, peroraverat. At Benedictus aliud ſe ore protuliſſe, aliud in pectore geſtaſſe mox demonſtravit. Nam abbatis electionem, quæ ſubtractionis tempore celebrata, ab epiſcopo Pariſienſi confirmata fuerat, duobus cardinalibus examinandam commiſit, moxque cum ſtomacho irritam eo ipſo declaravit, quod ei, ne expectato ſuo conſenſu, annuiſſet, denique abbati ad futuram ingenii ſeu morum & doctrinæ inquiſitionem ſubjecto, & in publico cardinalium conſiſtorio proclamato, bullas expediri juſſit. Hac vero agendi ratione, Carolus ſupramodum offenſus & indignatus, quæ acta ſubtractionis tempore fuerant, publico edicto, Benedicto ſtatim ſignificato, aſſeruit; ſed fruſtra. Spreto enim edicto, Benedictus nihil prorſus eorum quæ promiſerat effecit, quicquid in medium produxerint legati cum priores, tum poſteriores. Unde illuſtris dux Aurelianenſis, qui ſe vadem pro illo dederat, Avenionem properavit, fidem ejus velut ex jure repetiturus: quem quidem Benedictus, eo quo decebat honore receptum, ſed pariter illuſum ac plane inanem dimiſit.

Benedictus de promiſſis nihil ſervat.

Nuncios ad Bonifacium mittit.

190. Ne tamen crederetur eccleſiæ unioni plane adverſari, ſolemnes ad Bonifacium, prius occulte præmonitum, nuncios deſtinavit, Petrum Rabani epiſcopum S. Pontii, Petrum Ilerdenſem electum, Antonium S. Facundi abbatem, & Bertrandum Rodulfi ordinis Minorum, in curia Romana generalem procuratorem, quibus monachus Dionyſianus in vita Caroli VI lib. 24. c. 12. addit abbatem Malleacenſem, viros certe ipſi morem gerentes, & ad omnia officia paratos. Hi exorato per Florentinos ſalvo-conductu, Bonifacium adeunt, *& ſalutantes eumdem depoſitis biretis, atque aliquantulum capitibus inclinatis, nulla tamen eidem per eos alterius generis reverentia exhibita*, inquit Benedictus ipſe ad Carolum ſcribens, ipſum nomine ſui monuerunt & hortati ſunt, non ut ambo depoſita thiara pontificatum

abdicarent, uti promiſerat, ſed ut inſimul aliquo communi in loco ſecuro convenirent, de mediis procurandæ eccleſiæ pacis inter ſe tractaturi, (quam viam ſciebat regem ſemper repudiaſſe) idque *eodem die geminatis vicibus* ab eo requiſierunt. Addiderunt Benedictum paratum eximios quoſdam viros ſibi cooptaſſe Deum timentes, zelo flagrantes, pacificos & ad inſtaurandam unionem apprime inſtructos, hortarique ut tot e ſuis Bonifacius eligeret, qui præmiſſo juramento, utriuſque ad pontificatum jus diſcuterent. Denique ut ſuam ad ſchiſmatis extinctionem propenſionem ampliusdemonſtraret, obtulit ſe, prævia debita ſecuritate, in Italiam profecturum. Et quia uterque morti obnoxius erat, ut ſchiſmati facilius finis imponeretur, propoſuit, ut eorum alterutro ante completum unionis tractatum decedente, ad ſucceſſoris promotionem non procederetur. Hæc autem omnia Bonifacium præfracte negaſſe, prolatis etiam in Benedictum verbis contumelioſis, inde *juſto Dei judicio poſt paululum loquelam perdentem, ante duos completos dies miſerabiliter* expiraſſe.

191. Sic legationis illius exitum narrat ipſe Benedictus in epiſtola ad Carolum regem; at quamplurima omiſit vir malæ fidei, quæ aliunde repetere operæ pretium eſt. Et primo dignum obſervatu eſt, quod decreta fuerit hæc legatio, cardinalibus inconſultis & omnino inſciis. Secundo, quod nuncii reverentiam Bonifacio vero ac legitimo papæ debitam exhibuerint, idque, ut vero ſimile eſt, conſentiente, ne dicam mandante Benedicto. Tertio, quod prædicti nuncii, quoties libebat, ad Bonifacium accedebant, & ſecreta cum eo quotidie colloquia habebant, cum Angliæ regis legati nec difficilem ad eum acceſſum obtinere poſſent. Hæc omnia, quæ manifeſtam inter utrumque papam colluſionem indicant, diſcimus ex Johannis Parvi oratione habita anno MCCCCVI. in concilio Gallicano. Quod autem Benedictus ait Bonifacium contumelioſa in ſe verba protuliſſe, explicare videtur Theodericus Niemus: *Et cum ille Bonifacius*, inquit, *cardinales & nuncii, & multi curiales invicem conveniſſent, tunc præfati nuncii perquam diſcrete & ſolerter, quæ ipſis commiſſa fuerant propoſuerunt, rogando & exhortando, tamen, ut credebatur, ſubdole, dictum Bonifacium, quod finem daret huic ſchiſmati cum eorum domino ad hoc parato, ut dicebant. Quibus ad hoc cum parum benigniter reſpondiſſet, aſſerens ſe eſſe papam, & eumdem Petrum antipapam, & ſimilia verba parum vel nihil ad cauſam facientia. Tunc nuncii dedignati in ejus præſentia dixerunt, quod eorum dominus non erat ſimoniacus: notantes Bonifacium eſſe talem. Unde Bonifacius valde commotus, juſſit eos Urbem exire. Qui reſponderunt, quod ſalvum-conductum haberent ab ipſo & Romano populo, adhuc aliquantulum illuc manendi & inde recedendi, & quod illo gaudere vellent. Unde ipſe pontifex ira immoderatius incaleſcens, & pungente illum dicto morbo calculi, lectum ægritudinis intravit, in quo tertia die ſequenti in feſto S. Remigii mane deceſſit, dictis nunciis adhuc exiſtentibus in Urbe.*

Obſervanda in illa legatione.

Lib. 2. de ſchiſm. c. 23.

192. Defuncto ſic Bonifacio, cum prædicti Benedicti nuncii Urbe recederent, in ſuo confidentes ſalvo-conductu, nec aliunde petitam a purpuratis debitam ſecuritatem obtinere potuiſſent, per caſtellanum arcis S. Angeli ante Urbis ipſius portam capti & retenti, ac veluti ſicarii homines inhumaniter contrectati ſunt. Qui cupientes de proſpero ſtatu eccleſiæ cardinalibus conclave proxime ingreſſuris loqui, libertatem ſuam quinque ducatorum millibus redemerunt, quos Bonifacii ſucceſſor, etiam rogantibus & inſtantibus Florentinis, reſtituere recuſavit. Ita Benedictus in citata ad Carolum regem epiſtola. At Theodericus Niemus aſſerit cardinales & curiales de extorta a caſtellano caſtri S. Angeli, qui Bonifacii erat conſanguineus, pecunia valde doluiſſe, atque interponentibus ſe dictis cardinalibus, infra paucos dies relaxatos fuiſſe.

Legati ejus in carcere detenti.

Lib. 2. c. 24.

193. Soluti e carcere nuncii die XII. Octobris, ad cardinales in camera eccleſiæ S. Petri contigua congregatos acceſſere, ac Benedicti nomine, ut ab electione ſuperſederent hortati ſunt, aientes jam extinguendo ſchiſmati peropportunum tempus adveniſſe, Benedictum, omiſſa electione, jamjam adfuturum, ut qua in urbe teterrimum ſchiſma fuerat excitatum, in ea & ſopiretur. Quibus cardinales, ſe aliis occupatos necdum reſpondere poſſe dixerunt: ſed accepto ad deliberandum ſufficienti temporis ſpatio, per nuncium aut epiſtolam eis tuto in loco exiſtentibus ſignificaturos, quid facto opus eſſet. Recedentes itaque ex Urbe ad caſtellum Soriani, quod Benedicto parebat, accedentes, cum reſponſum ſeptem diebus fruſtra expectaſſent, audita Innocentii VII. creatione, Florentiam verſus ſe receperunt: quo cum pervenisſent, ſignificatur eis ab Aquilegienſi cardinali, Innocentii papæ nomine, ut in Urbem reverterentur, cum novo papa concordiam haud dubium adepturi, atque ad id ſalvum-conductum offerente. Exhilarati nuncii duos ex ſuis Romam miſere, ſalvum-conductum reportaturos: qui jam omnino mutatum Innocentium reperientes, hoc ab eo reſponſum retulere, eos fruſtra Romam venturos, niſi aliud a Benedicto haberent in mandatis, quam quod Bonifacio prædeceſſori ſuo expoſuerant.

Benedicti fraudes detegit Innocentius VII.

194. Hæc omnia Benedictus exponit, mirumque in modum exaggerat in epiſtola ad Carolum regem: quam cum accepiſſet princeps Chriſtianiſſimus, dux Bituricenſis, nulla interpoſita mora, ſcriptis ad Innocentium VII. quem *hominem Dei* nominat, litteris, eum ad procurandam eccleſiæ unionem & pacem vehementer hortatur. Tunc Innocentius Benedicti fraudes & malam fidem detegens, prædicto duci reſcripſit in hæc verba: *Sæpe homines ea quæ numquam facta aut geſta ſunt aſſeverare parati, alios decipere & in ſuam partem trahere conantur: quod incommodum ut vitaremus, ſacris legibus diligentiſſime cautum ac proviſum eſt, ne prius quiſquam judicaret, quam utrimque eſſet res audita. Ad hæc ſcribenda non ſine cauſa movemur, ſuſpicando falſa pro veris ad tuam nobilitatem fuiſſe delata ab his, qui bonos potius videri quam eſſe malunt. Nam quod ſcribis per oratores, qui ad præſentiam felicis recordationis Bonifacii papæ IX. prædeceſſoris noſtri venerunt, de renuntiatione facienda oblatum fuiſſe; id novit Altiſſimus* JESUS CHRISTUS *nullam habere in ſe veritatem. Nihil enim oratores illi umquam obtulerunt, præter unicam conventionis perſonalis viam: quæ tamen conventio ſi fieret, arbitramur omnia bene proceſſura, & quomodocumque expediret, finem optatum habitura. Hanc viam cum prædeceſſor noſter adverſa corporis valetudine oppreſſus, ex qua infra paucos dies e vita migravit, implere nequiret, rogati dicti oratores, ut aliam viam offerre vellent, nullam omnino obtulerunt, ſed in eadem, quam primo abſolute obtulerant, perſeverarunt. Hæc vivente prædeceſſore noſtro facta ſunt. Poſt mortem vero ejus, cum omnium venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium, de quorum numero tunc eramus, una eſſet mens, atque unus animi ardor ad hoc peſtiferum ſchiſma exſtirpandum, unanimiter, Deo teſte, decreveramus, ſi illi ſufficiens mandatum ad reſignandum aut cedendum haberent, idque facere vellent, ſuperſedere nos in nova pontificis electione, donec, Deo auctore, ſalutaris proviſio ſuper hoc ſchiſmate fieret. Cum igitur hanc mentem præfatum collegium haberet, vocatis dictis oratoribus, inter quos etiam, in caſu mortis prædeceſſoris noſtri, ſpecialia quædam ad dictum collegium habere unus affirmabat, intentionem collegii expoſuimus, & ſi facultatem haberent, ut eccleſiam Dei tam dira peſte liberarent, adhortati ſumus. At illi reſponderunt, ſe mandatum ad eam rem non habere, nec id conſonum juri ſuo arbitrari. Itaque cum eos apertiſſime tergiverſantes collegium videret, ne ſub prætextu aliena malitia ſedes apoſtolica vacationis*

Pag. 704.

damnaretur,

damnaretur, Dei nomine invocato, ad electionem novi pontificis, ſervatis ſolemnitatibus, proceſſit. Hæc ut narramus, ita geſta ſunt, nec per noſtros umquam ſtetit, ſed per illos potuit tunc certe res componi, potuit tam horrendum ſcandalum, ſi ipſi voluiſſent, ab eccleſia Dei exſulare; parata erant noſtrorum omnium mentes, parati animi, parata voluntates. Obtulerat ipſe Deus conficiendi idoneam facultatem, quam illi præſentes a nobis requiſiti repudiarunt, &c. Idem duci paulo ante ſcripſerat Innocentius, & univerſitati Pariſienſi, cujus ad eam breve refert monachus Dionyſianus in vita Caroli VI. lib. 25. cap. 3. Porro Innocentii dicta confirmat Johannes Parvi in præcitata oratione his verbis: Cum Bonifacius ex hoc mundo migravit, « erant Romæ Benedicti nuncii, a quibus cum anticardinales inquiſiviſſent, « an cedendi nomine ejus poteſtatem haberent; reſponderunt ſe poteſtatem « non habere. Inſtantibus illis, ut eorum aliqui, reliquis Romæ remanentibus, ad Benedictum reverterentur, prædictam facultatem ab eo reportaturi, « & promittentibus ab electione ſuperſedere, donec illi redirent, S. Pontii « epiſcopus & Ilerdenſis electus reſponderunt, fruſtra eos reverſuros, & *quod* « *non arbitrarentur dominum ſuum illam viam ceſſionis accepturum, tamquam non juridicam, neque bonam, ſed penitus inutilem & inuſitatam.* Et « ſic anticardinales proceſſerunt ad electionem intruſi. „ Sed nec ea diffitetur « Guillelmus Filacius decanus Remenſis, in oratione, quam tunc in gratiam Benedicti pronunciavit. Quin immo Petrus *Plaout*, qui ab univerſitate Pariſienſi orator ad pontificem Romanum miſſus fuerat, teſtatur liberum & gratum ſe & ſuos per omnes illius obedientiæ civitates tranſitum habuiſſe, atque ab omnibus tamquam viros pacificos benigne exceptos fuiſſe. Sed & Romæ a ſacro cardinalium collegio amanter, quoties libuit, auditos fuiſſe, ipſoſque purpuratos ceſſionis viam approbaſſe; utque viam ad pacem aperirent, antequam ad creandum novum pontificem procederent, omnes Deo promiſiſſe ac juraſſe, eum qui eligeretur, adverſario cedente, mortuo, aut ejecto, pariter ceſſurum.

Oratione habita anno 1406. in conc. Gall.

195. Hæc dum Romæ agerentur, Benedictus ut regi, principibuſque ſuis faceret, ardentemque eis ad unionem propenſionem perſuadere poſſet, velle ſe verſus partes Italicas proficiſci, quo citius faciliuſque cum adverſario conveniret, regi ſignificavit, petiitque ab eo regii ſanguinis duces tanti itineris ſocios, quorum tutela ſecurus, eo uſque poſſet incedere. Annuit rex Chriſtianiſſimus, eique & ſuis librarum centum viginti millia diſtribui juſſit, conceſſo ei duce Borbonio. Hoc adjutorio munitus Benedictus Niciam, atque inde Januam contendit, ubi honorifice, ut pontificem maximum decebat, a Bucicaldo urbis gubernatore & civibus exceptus fuit. At cum equites & milites undequaque venientes, & magno quidem numero ſenſim in urbem introduceret; conſulentes ſuæ libertati Januenſes, eos mira arte, ſpecie ſcilicet exercitus recenſendi, e civitate ſua eduxerunt, nequaquam ulterius in eam admittendos. Hanc Januenſium agendi rationem Benedictus injuriæ duxit: at illi conquerentem hac de re placaverunt, dicentes ſecuras eſſe non poſſe uxores ſuas, cum viris incontinentibus habitantes. Ut autem regi & principibus amplius perſuaderet per ſe non ſtare, quin citius ſchiſma ſedaretur, novos ad Innocentium papam recenter creatum nuncios deſtinare decrevit: quos ille, dolos ejus expertus, admittere recuſavit. Januæ moram non traxit Benedictus; nam peſte omnia devaſtante, Maſſiliam acceſſit.

Guil. Filac. orat. in conc. Gall. anno 1406.

Mon. Dion. in vita Caroli VI. lib. 25. c. 5.

196. Interim novos ad Innocentium papam, qui concilium Romæ celebrandum indixerat, oratores mittere decrevit univerſitas Pariſienſis. Id ubi reſcivit Benedictus, hujus legationis exitum pertimeſcens, Chalantium cardinalem ſuum a latere legatum, qui tantum a ſe malum averteret, miſit ad regem & principes; ſed vix habito colloquio, ingratum pontifici ſuo reſ-

ponſum reportavit. Nam cum ille tandem die penultimo Aprilis regium in palatium fuiſſet admiſſus, elegantemque ad principes orationem habuiſſet, Benedicti laudes ad nauſeam uſque effutire non erubeſcens; Johannes Parvi ſacræ theologiæ prælector ſurgens, dicendi licentiam a principibus, jam prolixa Chalantii oratione fatigatis efflagitavit: qua ei ad diem Maii XXII. conceſſa, quidquid a cardinali declamatum fuerat, egregie refutavit: enixe poſtulans, ut infamis illa Toloſanæ univerſitatis littera, quæ ſubtractionem antea a rege & principibus decretam & declaratam temere damnaverat, igni addiceretur. Re ad parlamentum ad diem Junii ſeptimum remiſſa, auditis Petri *Plaout* rationibus, ſingulari fuit edicto pronunciatum, ut prædicta univerſitatis Toloſanæ epiſtola ad portas civitatis Toloſæ, ubi ortum habuerat, tamquam *perniciosa, ſcandaloſa, & regi injuriosa* cremaretur, ejuſdemque exempla ad portas Avenionis, Montis-peſſulani, & Lugduni ignis devoraret; in auctores vero epiſtolæ tamquam reos legibus inquireretur: ſed hi exitum inquiſitionis in caput ſuum redundaturum formidantes, fugam arripuerunt: quos in fuga cardinalis Chalantius eſt imitatus, nullam a Benedicto gratiam ſperans aut reportans.

Toloſanæ univerſitatis littera damnata.

Concilium cleri Galli-cani.

197. Jam vero cum nulla Benedicto fides adhiberi poſſet, de ſubtrahenda ei iterum obedientia cogitatum eſt, rexque, urgente univerſitate Pariſienſi, epiſcoporum Franciæ concilium ad menſem Novembrem Pariſiis indixit; atque ut res ex æquo procederet, conſtituit, ut ſex pro univerſitate perorarent, totidemque viri eruditione conſpicui cauſam Benedicti defenderent, ut ponderatis ex utraque parte rationibus, quid ſequendum eſſet dijudicaretur. Conventum aperuit Petrus *Aboves* Franciſcanus theologiæ prælector prolixo ſermone, qui præter ſtili barbariem nihil prorſus ſcitu dignum continet. Poſt hunc dixit coram Delphino, rege Ludovico, domino duce Borbonio, comite Alenconio, Petro a Navarra, & pluribus aliis, Johannes Parvi, ac duobus conſequenter diebus, ſolidis probavit rationibus a Benedicto eſſe recedendum. Idem argumentum ſabbato ante Dominicam primam adventus proſecutus eſt Simon Cramaudus patriarcha Alexandrinus: quo ſermonem abſolvente, illuſtris regis cancellarius ejuſdem Benedicti patronos admonuit, ut die ſequenti parati eſſent ad dicendum. Illis autem in menſem integrum differri poſtulantibus, cancellarius indixit diem Mercurii. Tunc adfuit Guillelmus *Filâtre* Remenſis eccleſiæ decanus, qui præſente rege, duce Bituricenſi, duce Borbonio & Petro a Navarra, Benedicti cauſam tam acriter defendit, ut poſtea purpura donatus ſit. At cum pontificis auctoritatem ſic extuliſſet, ut regiam deprimeret, juſſus eſt altera die, quod ea de re temere dixerat retractare. Poſt hunc quarto die Decembris Amelius archiepiſcopus Turonenſis coram rege, ducibus & prælatis pro Benedicto locutus eſt, qui ut ſinceram ejus ad cedendum voluntatem oſtenderet, dixit, cum jam papam creatum ea ſibi beneficia reſervaſſe, quæ cardinalis poſſidebat, ne depoſito pontificatu, nudus eccleſiaſticis reditibus remaneret. Subſecutus eſt Petrus de Alliaco epiſcopus Cameracenſis, qui tam libere Benedicti cauſam, præſente etiam rege, ſuſcepit, ut univerſitas Pariſienſis dubitaverit, an deinceps ad publicos actus eſſet admittendus, a quorum ſententia ille ad regem appellavit.

198. Stabilito ſic Benedicti jure, Petrus Regis abbas S. Michaëlis in periculo maris pro univerſitate doctiſſime locutus eſt. Quem ſubſequutus eſt Petrus *Plaout* canonicus Pariſienſis, vir doctiſſimus, qui inter alia Benedictum accuſavit, quod non ſolum cedere nollet; ſed etiam dixiſſet, quod eccleſiam ſic deprimeret, ut vix in poſterum reſurgere poſſet. Hic poſtquam duobus diebus peroravit, decanus Remenſis coram rege iterum petiit audiri: poſt quem patriarcha, & poſt eum archiepiſcopus Turonenſis ſuam quiſque cau-

ſam iterum propugnavit. Ultimus omnium pro univerſitate locutus eſt Johannes Parvi, probavitque quam longe a ceſſione eſſet Benedictus, qui non ſemel dixerat malle ſe mori, & vivum in camera ſua comburi, quam cedere, eoſque qui ceſſionem extollebant afflixiſſet, atque inter alios magiſtrum Johannem *Legay*, quem, eo quod ceſſionem commendaſſet, duobus integris annis in arctiſſimo carcere detentum habuerat.

199. Cum omnes ſufficienter dixiſſent, Johannes *Jouvenel* advocatus regius die Decembris 21. ultimus omnium cauſam agitavit. Qui poſtquam dicere ceſſavit, ſurgens cancellarius declaravit rem fuiſſe ſatis dilucide diſcuſſam, juſſitque principum nomine, ut ad concludendum cras convenirent prælati. Quid vero conſequenter deliberatum concluſumque fuerit, habes in tom. 2. Anecdotorum noſtrorum pag. 1312. quod nimirum Benedictus claram & ab omni ambage liberam ceſſionis oblationem daret, eique recuſanti obedientia totalis ſubtraheretur.

§. VIII. *De continuato ſchiſmate ſub Gregorio XII.*

200. Dum Gallicanum Pariſiis celebraretur concilium, Romæ ad melio- Obitus Innocentii VII.
rem vitam tranſiit Innocentius VII. die Novembris ſexto, cujus mors rerum faciem valde immutavit. Nam cardinales, quos, eo adhuc vivente, dux Bituricenſis, ſingulari epiſtola hic a nobis edita pag. 706. hortatus fuerat, ne vacante ſede apoſtolica, ad electionem novi pontificis procederent; ſchiſmatis & ipſi tædio affecti, conclave ingreſſi, diu deliberaverunt an electionis negotium aggrederentur. Et Aquilegienſis quidem cardinalis ſententia fuit, ut *electio ulterius tardaretur, quo ad unionem facilior eſſet acceſſus*, Pag. 724.
uti ipſe teſtatur in epiſtola ad cardinales Avenionenſes, atque idem quoſdam ſenſiſſe vix dubitari poteſt. Aſt alii varia, quæ ex diuturna vacatione provenire poterant, incommoda intuentes, ſic ad electionem procedendum cenſuerunt, ut prius omnes & ſinguli juramento præſtito promitterent, ſeſe, adverſario cedente, aut mortuo, aut ejecto, depoſituros eo ipſo pontificatum, nullumque creaturos cardinalem, nec gratias illas quas expectativas vocant, ulli conceſſuros, ſi eligerentur, idque auctore ac promovente, ut aiunt, Angelo Corrario: ita ut electus non tam poſſeſſor, quam cuſtos dignitatis ſuæ judicaretur, paratus toties eam dimittere, quoties unionis occaſio præberetur.

201. Hac adhibita cautione, ultimo die menſis Novembris, ſancto An- Electio Gregorii XII.
dreæ ſacro, omnes unanimi conſenſu vota ſua contulerunt in prædictum Angelum Corrarii cardinalem, *Conſtantinopolitanum appellatum, virum utique probatæ converſationis, probabilis & ſanctiſſimæ vitæ, laudabilis innocentiæ, ætate ſenem, honeſtate decorum, probitate conſpicuum, ſcientia præditum, moribus ornatum, ac unionis eccleſiæ ferventiſſimum zelatorem*, Pag. 745.
ut loquitur Aquilegienſis cardinalis, hoc unum in eo timentes, ne ætate jam nimis ingraveſcente, conſequi non poſſet optatiſſimæ unionis exitum.

202. Is aſcito ſibi nomine Gregorii XII. ubi eſt proclamatus pontifex, quod juratus ante electionem promiſerat, innovare ac confirmare non diſtulit: nec mora, promotionem ſuam regibus, principibus, epiſcopis, ceteriſque eccleſiæ præſulibus & fidelibus univerſis, ſcriptis ex more litteris ſignificavit: pro certo affirmans, ſe tanta animi propenſione, tam firma, tam conſtanti voluntate ad procurandam eccleſiæ pacem ferri, ut infulas non ita libenter acceptas libentius eſſet depoſiturus. Ipſum etiam Benedictum ad cedendum prætenſo juri ſuo invitavit. Sed & in primo a ſua coronatione conſiſtorio, facto coram ſacro collegio, curialibus & copioſa populi multitudine ſermone, *vota & juramenta repetiit, affirmans quod ea indubitanter executioni debitæ demandaret*, atque interim *aliquas gratias*

Electionem ſuam ac cedendi voluntatem principibus ſignificat.

Theod. Niem. lib. 3. c. 22.

beneficiales, præsertim expectativas facere noluit, asserens non fuisse assumtum ad aliud, nisi quo unionem faceret antedictam. In epistola vero ad uni-
Pag. 731. versos fideles hic a nobis edita, testatur se non solum cessionis votum renovasse, cum electioni suæ annuere est coactus, verum etiam *tertio post assumtionem nostram*, inquit, *non modo sponte approbavimus, verum etiam ex integro votum emittentes, novi insuper juramenti & propriæ subscriptionis auctoritate munivimus.* Additque: *Nos id quod vovimus non tam sponte quam* CUPIDE *& sine ulla tergiversatione facturos.* Et paulo post: *Quamobrem etsi justissimam foveamus causam, & clarissimo aptissimoque jure utamur, tamen & juri nostro & causæ nostræ cedere sumus parati, arbitrantes esse hoc boni pastoris, hominisque Christiani, sive ut auferenti pallium demus & tunicam, sive cum relictis ovibus, unam quæ aberraverat, sequamur, ut in ovile revocemus... multo nobis gloriosius arbitramur summum pontificatum hujus rei causa deponere, quam retinere; multo profecto laudabilius numquam habuisse, quam vel una die cupide ambitioneque tenuisse, quem quidem si ea mente suscepisse ut deponeretur laudabile est, multo certe erit laudabilius, cum ratio temporis exiget, deposuisse susceptum... præ cujus desiderio omnis hora nobis tarda videbitur, omnis jam dudum mora molesta est; tantumque absumus, ut pigeat nos id vovisse, unde coacti facere forsan videamur, ut id etiam vinculum, quod sponte tunc subivimus, nunc magnopere nos delectet, neque eo soluti esse vellemus.... Itaque tanto nobis pulchrius salubriusque fore judicamus, astrictos id nos facere, quod vel soluti libenter essemus tandemque omnino facturi... Nihil itaque in tota vita nostra obtigisse nobis excellentius judicamus, quam quod digni simus habiti, quibus summus pontificatus ita crederetur, ut omnium esset fides, reddendum esse a nobis in tempore hoc totum depositum, pro quo plerique forsan fidem fallere non dubitarent.* Quibus verbis nihil gravius, nihil validius afferri potest, ad demonstrandum in Gregorio sinceram pro bono pacis & unionis cedendi voluntatem, atque utinam in ea semper perseveraſſet.

Nuncios Massiliam mittit ad Benedictum.

203. Accepto a Benedicto & cardinalibus ejus responso, Gregorius solemnes ad eum nuncios Massiliam destinavit, qui cum eo convenirent de loco ubi cederet uterque. Legationem ducebat Antonius Motonensis ipsius Gregorii nepos, mox futurus, etiam durante legatione, episcopus Bononiensis, duobus stipatus præstantissimis viris, Guillelmo Tudertino thesaurario, & Antonio de Butrio U. J. doctore: qui circa finem Februarii anni 1407. Roma profecti, pauciſque post diebus Massiliam appulsi, non modo humaniter excepti ab ipso Benedicto sunt, sed quam honorifice. At ubi fuit de conventionis loco tractandum, non parum vel semel est altercatum, si monacho S. Dionysii credimus. Nuncii Gregorii offerebant Romam, Viterbium, Senas, Tudertum, Florentiam & Lucam: Benedictus Massiliam, Niciam, Forum-Julii, Genuam & Saonam: quas quidem civitates nuncii recusarunt, sicut & ipse Benedictus oblatas a nunciis respuit. Cumque pluries inter se contulissent, nec concordare potuissent, ventum est tandem ad verba dura & injuriosa: quapropter cum nuncii ad recessum se præpararent, ad regem Franciæ, sicut in mandatis acceperant, venturi, Benedictus regis indignationem formidans, tractatum ingenioſe repetere tentavit. At Gregorii nunciis querentibus modesteque exponentibus sese & numero & facultate impares esse, qui cum tot egregiis viris, cum Benedicto ipso, ampliſſimo ejus collegio, ac universa curia differerent & deliberarent, atque adeo instanter petentibus tres potius ex tanta frequentia deputari insignes viros, quibuscum de certo loco posset conveniri. Annuit Benedictus, huicque operæ delegit cardinalem de Thureio, cum Ilerdensi episcopo & Fran-

Vit. Caroli VI. lib. 24. c. 1.

De loco ad cedendum difficile conveniunt.

ciſco

tiſco de Arenda, qui prædictis nunciis adjuncti, Saonam urbem in Benedicti obedientia poſitam elegerunt: nec ſane improbante Gregorio, qui tanto inſtaurandæ pacis ardore fervebat, *quod ipſe dederat ambaſſiatoribus ſuis in mandatis, quos miſerat Maſſiliam, ſcilicet nepoti ſuo, epiſcopo Tudertino, &c. manu propria, quod prius acceptarent locum Avenionenſem, vel Gandavum in Flandria, quam recederent ſine concordiæ loco aliquo. Et ita coram omnibus nunciis apud Aquenſem civitatem retulit dictus Tudertinus.* Nonnulla etiam capitula ad promovendam unionem neceſſaria pepigere prædicti nuncii, quæ tom. 2. Anecdotorum noſtrorum edidimus. Poſtremo Antonium Gregorii nepotem ad patruum ſuum deſtinant, Tudertinum epiſcopum & Antonium de Butrio ad Carolum regem, res cum Benedicto pactas & definitas ordine relaturos.

Tandem conveniunt de Saona.

Tom. 2. Anecdot. p. 1353.

204. Cum ſuam Carolo regi promotionem ad pontificatum, & veram ac certam abdicandi voluntatem Gregorius ſignificavit, rogavit ſimul, ut ſolemnes ad Benedictum nuncios deſtinaret, qui una cum mittendis a ſe eum ad ceſſionem inclinarent. Annuit votis pontificis rex Chriſtianiſſimus, ſolemniſſimamque, ſi qua umquam fuit, legationem deputat. Ejus princeps fuit Alexandrinus patriarcha, cui ſocii dati fuere Amelius archiepiſcopus Turonenſis, Petrus de Alliaco Cameracenſis, Petrus de *Savois* Belvacenſis, Meldenſis, Trecenſis, & Ebroïcenſis epiſcopi, abbates S. Dionyſii, Gemmeticenſis, S. Michaëlis in periculo maris, Clarevallenſis & S. Stephani Divionenſis, tres laïci viri inſignes, cum doctorum, inter quos Gerſonius, non parva caterva. His Aquas Sextias appulſis, occurrerunt nuncii Gregorii, non ſine magnæ humilitatis indiciis enarrantes, quid Maſſiliæ cum Benedicto peregiſſent, interque alia Saonam delectam ad colloquium utriuſque contendentis, utrique gratam & acceptam eſſe, utrumque ibi adfuturum die S. Michaëli ſacro, vel ad ſummum in Omnium-ſanctorum celebritate: exhortantes eos ne quovis modo Benedictum, hominem ad iram proclivem irritarent, ne forte pacis ipſe tractatus reſcinderetur: ſed neque Gregorium papam approbaturum, ſi vel ſubtractionis via, ut comminati ſunt, aut quovis alio modo cogeretur ceſſionis viam amplecti. His peractis, epiſcopus Motonenſis Romam verſus iter arripuit, Tudertinus & Antonius de Butrio Pariſios, pactorum cum Benedicto confirmationem a rege poſtulaturi.

Carolus rex ſolemnes ad Benedictum nuncios mittit.

205. Interim Maſſiliam advenientes regii legati, a Benedicto humaniter excipiuntur, dataque eis loquendi facultate, egregie peroravit reverendiſſimus patriarcha, pontificem graviſſime exhortans, ut egregium Gregorii exemplum imitaretur, qui ad conciliandam eccleſiam, pontificatu abire non detrectabat. Cui ille obſcuro, ac variis ambagibus impedito, intricatoque ſermone reſpondit, ſe nulla interpoſita mora abdicaturum: adeo ut de intimo ejus ſenſu dubitare omnes viderentur, nec ſane immerito: unde & bullam ab eo petiere, qua ſe revera pontificatu abiturum ſignificaret; ſed ea præfracte, nec ſine indignatione negata, ſuis ait fidendum promiſſis. Tum vero deliberantibus inter ſe an decretam a Gallicano concilio ſubtractionem denuntiarent, continuo Benedictus bullam, inconſulto ſuo collegio, edidit, qua omnes ſubtractioni adhærentes aut faventes excommunicantur, quam etiam regi & univerſitati Pariſienſi auſus eſt mittere. Videntes autem legati nihil ſe apud eum proficere poſſe, in tres partes diviſi, pars cum patriarcha Romam ad Gregorium proficiſcitur, pars Maſſiliæ remanſit cum Amelio archiepiſcopo Turonenſi & abbate S. Michaëlis, Benedicti agendi rationem exploratura, abbate S. Dionyſii & decano Rothomagenſi ad regem reverſis.

Regis legati a Benedicto bullam de ceſſione facienda petunt.

206. Interim Gregorii nuncii, præſente cardinali de Thureio, quatuor ex

Legati Gregorii retenta regis naves ad eum Saonam deducendum.

regis legatis, patriarchæ, Meldenſi epiſcopo, Colardo militi, quartoque cujus nomen excidit, tantiſper ſubductis ſignificarunt, *quod ſi poſſent eis concedere galeas de Janua, vel alias, & eas mittere Romam pro dicto Gregorio, ut poſſet ire ad locum Saonæ a partibus accordatum, ipſe indubitanter illis uteretur.* Sed & poſtea epiſcopus Motonenſis Gregorii nepos, cum Meldenſi epiſcopo & duobus aliis regis legatis Januam celeriter accedentes, cum Bucicaldo urbis gubernatore *tractaverunt & procuraverunt tantum, quod ad illud opus debebant habere galeas, & ex nunc aliquas galeas habuerunt, expenſis dicti regis, quæ etiam ejus expenſis ducta ſunt ſub hac confidentia uſque Romam, in quibus ſine quocumque onere & expenſis etiam ductus eſt dictus Motonenſis.*

Tom. 2. Anecd. pag. 1347.

Gregorius confirmat pacta Maſſiliæ capitula.

207. In prædictis galeis ſimul profecti ſunt Romam P. Pulcri-nepotis regis legatus, nuncii civitatis Januenſis, & nuncii Saonæ cum ſufficienti poteſtate ratificandi & confirmandi, quantum eos tangebat, edita Maſſiliæ capitula: id quod & præſtiterunt coram cardinalibus, approbante etiam Gregorio, qui *per bullas regratiatur Saonenſibus ſibi offerentibus ſecuritates, &c. quas acceptat, & dicit ſe velle eis uti.* Et certe tanto Gregorius inflammabatur deſiderio unionis, ut palam diceret, quod *in quocumque loco, etiam quantumcumque ab ipſa Urbe remoto, illa fieri oporteret, & ſi galeis ſeu forte navigiis careret, paratus eſſet illic etiam in parva cymba ſeu carbaſa navigare: quodque ſi per terram magis illuc pertranſire expediret, ac convenienti equorum vectura careret, certe propter hoc non dimitteret, quin illuc iret, etiamſi eundo pedeſter baculo arundineo per iter ſuſtentari deberet.*

Theod. Niem. lib. 3. c. 6.

208. Romam reverſus Motonienſis epiſcopus, legationis ſuæ acta coram pontifice enarraturus, pro themate aſſumſit: *Opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam*, cumque finem dicendi feciſſet, omnem ejus aliorumque nunciorum operam ratam habuit Gregorius. Verum ſecreto cum eum allocutus fuiſſet Motonienſis, narravit *quod præfatus Petrus* (de Luna) *& ſui cardinales ipſum comiteſque ſuos, qui ſecum iverant in eadem ambaſſiata, multum honorifice pertractaverunt, tamen dictum unionis negotium cum præfato errorio*, id eſt Ggregorio, *quantum potuit ſecretius impedivit.* Hinc conjicio tunc Benedictum cum papæ nepote ſecrete tractaviſſe de colluſione inter duos contendentes facienda. Nam ab eo tempore recalcitrare cœpit Gregorius. Hanc meam coujecturam confirmat Cornelius Zanflietus in chronico: *Videns autem*, inquit, *Gregorius Benedictum vocaliter dumtaxat, & non ex animo ad unionem diſpoſitum, cœpit recalcitrare ex inſtinctu nepotum ſuorum Antonii epiſcopi Motonienſis & Pauli Corrario. Inſuper & omnes qui de ceſſione mentionem faciebant, exoſos habuit ſupra modum.*

Niem. l. 3. c. 15.

Tom. 5. p. 352.

Gregorius Saonam recuſat.

209. Mutatus itaque Gregorius in virum alterum, Saonam conventionis locum, ab ipſo prius approbatum recuſare cœpit, ejuſque juſſu aut ſaltem aſſenſu, Antonius Motonienſis epiſcopus ejus nepos, litteras ad Johannem Dominici dedit, ut Bucicaldum Januæ gubernatorem ad denegandum locum Saonæ inclinaret, vel ſaltem de alio loco uſque ad menſem Martii tractatus haberetur. Eodem tempore litteras plurium ex Roma nobilium accepit Bucicaldus, quibus Gregorium occaſione loci Saonæ, tractatum reſcindere velle ſignificabatur. Has ubi legatis regiis, qui Romam tendebant perlegit, ei minime aſſentire ſtatuerunt. Antequam autem Romam adventarent, ſcripſit menſe Julio Gregorius Benedicto, excuſans ſe quod propter defectum galearum Saonam ire non poſſet. Ad quem reſcribens Benedictus, hortatus eſt ut ſtaret promiſſis. Ejus litteras regi Gregorius poſt receſſum nunciorum tranſmiſit.

Tom. 2. Anecd. pag. 1348.

210. Interim legati regii, qui terreſtri itinere Romam migrabant, IV. Julii Urbem ingreſſi ſunt, undecim ante diebus, quam legati, qui mari ſe commiſerant, adventarent; plurieſque Gregorium & cardinales ejus viſitarunt, de unionis negotio non ſemel collocuti. Cum autem alii adveniſſent, omnes ſimul ſe Gregorii conſpectui præſentaverunt, & factis ex parte regis & univerſitatis propoſitionibus, Gregorius *dixit palam, quod locus de Saona non erat idoneus, nec honeſtus pro obedientia ſua; ſed omnino mutandus. Addidit de via ceſſionis, quod non erat juridica, & multa ſonantia receſſum ab accordatis Maſſiliæ. Inter alia etiam dixit, ſe eſſe verum papam. Cui ſtatim dixit patriarcha: Non fatemur.* Reſilit a pactis Maſſiliæ. Ibid. p. 1349.

211. His licet verbis offenſi legati, iterum a Gregorio audiri petierunt, quo facile exorato, varia colloquia per dies XXIV. habuerunt, nunc cum ejus cardinalibus, *nunc per paucos, nunc per partes* negotium unionis proſequentes. Advocatis autem aliquando in camera ſua Cameracenſi & Belvacenſi epiſcopis, Moliſmenſi & Gemmeticenſi abbatibus, & cancellario Pariſienſi, atque magiſtro Jacobo de Noviano, ſuſpirans ac flens ait: *Ego dabo pacem eccleſiæ, non me deſeratis*, &c. Addiditque *viam ceſſionis ſic circumſtantionatam, ut eſt, hoc tempore eſſe bonam & juridicam, & juſtitiæ; & quod ad eam ex voto tenebatur*, at nihilominus Saonæ locum eſſe mutandum. Cum autem Gregorii paupertatem prætexeret ejus nepos, eam ſublevare promiſerunt legati. Et primo in ipſo Urbis ingreſſu quatuor Francorum millia patriarcha prædicto nepoti obtulit, qui cum pro ea recipienda miſiſſet, peteretque patriarcha, *quod daret cedulam recognitoriam de eundo Saonam, & de receptione dicta pecunia pro hac cauſa, hoc negavit.* Præterea obtulerunt ei, *quod quinque aut ſex galeæ armarentur ſumtibus regis pro ipſo, durante tempore tractatus, & quod capitanei galearum jurarent ſibi fidelitatem ex conceſſione domini gubernatoris, immo omnes de galeis, & quod ibi poneret de ſuis quos vellet; & aliqui de patronis, ſcilicet dominus Johannes de Marinis, adhuc obtulerunt dare filios proprios obſides. Obtulerunt miniſtrare cum galeis navigia minora, ſi opus eſſet, pro cardinalibus & aliis ſecum venturis, ſicut dictus nepos rogaverat gubernatorem in Janua. Obtulerunt etiam pro dicto gubernatore Januæ, quod ipſe daret nepotem ſuum in obſidem, & duos milites, ſcilicet dominum Choletum, & dominum Ro.* de Milly, *centum cives Januenſes & quinquaginta cives Saonenſes, & ſeipſos, ſi opus eſset. Obtulerunt etiam caſtra Januenſia in manu ſua ad expenſas Januenſium, ſic quod ſi plus oporteret, ipſi ſolverent. Quæ omnia offeruntur ſub ſpe & in caſu, quo dictas galeas vellet aſcendere pro eundo ad locum Saonæ, & cum hoc etiam ſalvos-conductus regis & gubernatoris in meliori forma quod fieri poſſet.* Et quia periculum de tradenda Ladiſlao regi Urbe in ejus abſentia objiciebat, *oblatum ipſi & cardinalibus ſuis, quod rex ſolveret per tres menſes mediam partem ſtipendiorum & requiſitorum pro ordinatis ad cuſtodiam Urbis: quæ quidem medietas pro quolibet menſe ad tria millia quingentorum francorum aſcendebat.* Verum hæc Gregorium, de ceſſione jam nihil minus cogitantem, ſed de retinendo papatu omnino occupatum non movebant. Itaque ſalutatis in capitolio Romanis, legati reditum ad Carolum regem parabant, cum retenti aliquandiu, pontificem iterum atque iterum adire cœpere, hortari, ſollicitare, modeſte exponentes, ex quo lubens confirmaſſet articulos Maſſiliæ digeſtos & concordatos, eum jam ab eiſdem deſciſcere ſine dedecore non poſſe. Denique aiebant: *Si pauca obtulimus, adhuc parati ſumus ſtare judicio cardinalium veſtrorum, ſi quid ultra facere debeamus, ſecundum poſſibilitatem noſtram, nihil tamen immutando de tractatu accordato Maſſiliæ. Ad hæc nihil reſpondit.* Paupertatem prætexenti legati obtulerunt 4000. Francorum. Ibid. pag. 1350. Et galeas regis ſumtibus armandas. Et ſtipendia ad Urbis cuſtodiam.

Regis nuncii admoniti de ſtrictis ſibi inſidiis perſeverant in negotio pacis.

212. Interim admoniti ſecrete dicti legati fuerunt *per graves & fide dignas perſonas, quod aliqui familiares dicti Gregorii ſuggerebant ſibi, quod poterat dictos nuncios detinere & arreſtare, immo interimere, & quod ſic feciſſet Bonifacius prædeceſſor ſuus, & nepos Innocentii alterius ſui prædeceſſoris, & multa his ſimilia, quibus ipſe præbebat aures.* Verum neque his territi minis, nec conviciis aliunde acceptis, nec perpetuis faſtidiis offenſi aut dejecti, a proſequenda unione ceſſabant, tametſi irrito conatu. Sed neque Benedicti nuncii, qui tandem Julii die XXIX. Roma exceſſere. At vix Hoſtiam attigerant, cum ecce revocati a Gregorio, prolixum accepere ab eo ſcriptum, ipſis regiiſque legatis commune, quod habes tom. 2. Anecdotorum pag. 1367.

213. Hoc in ſcripto Gregorius minus recte videtur incedere, nihilque aliud moliri, quam ut fucum faciat. Primum cauſas allegat, cur ſuſpectam habuerit Saonam, cauſas vero futiles ac nullius prorſus ponderis. Tum eamdem urbem admittit, ſed conditionibus quas ingratas fore Benedicto ſperabat. Securitati ſuæ ultra modum providens, Bucicaldum Januæ proregem, virum certe ſtrenuum, & præſenti negotio perutilem, in Gallos amandari petit, tum alium ejus loco præfici, quem minus idoneum, ut veroſimile eſt, prævidebat, potiori jure revocandum. Quæ quidem quo tenderent facile eſt deprehenſum. Unde ſtatim impugnatum hoc ſcriptum fuit. Inquirentibus autem regiis legatis, an ei cardinales aſſenſum dediſſent, pars cum Florentino hæſitantes & quaſi vacillantes vix quicquam efferre auſi, unus Leodienſis cardinalis *expreſſe dixit ſe conſentire, in quantum non contradicebat articulis accordatis in Maſſilia. Poſtea, ut dicitur, accerſito tabellario, Florentinus & de Urſinis proteſtati ſunt ſe non conſenſiſſe dicta cedulæ.* Tribus poſt diebus, id eſt tertio Auguſti, obtulit Gregorius Petramſanctam, quam cum pluries *perſonaliter* obtuliſſet, ſequenti die negavit. Interrogatus quem ergo locum præeligeret, reſpondit Piſas, Florentiam, Senas, *dicens ſe non habere locum ſuſpectum in dominio Florentinorum.*

Gregorius petit amandari Bucicaldum.

Anecd. tom. 2. p. 1372.

Novæ artes Gregorii ad declinandum Saonam. Niem. l. 3. cap. 17.

214. Dum ſic verba daret Gregorius cum Benedicti nunciis, tum legatis regiis, novas ad declinandum conventionis locum machinas ſtruebat, ac primum cardinales induxit, *ut ipſi per notabiliores in utroque jure peritos curiales dubium per ipſum compoſitum recenſeri facerent, quod eſt tale: utrum ex tractatu præſentis inſtrumenti Maſſiliæ celebrati, teneamur ire ad locum Saonæ; in caſu quo non poſſimus habere galeas, &c.* utque *ipſi periti conſulerent, & juxta conſcientias ſuas quoad hoc judicarent. Hoc autem dubium*, inquit Theodericus Niemus, *non feciſſet, niſi credidiſſet, quod ipſi metu ipſius non eſſent auſi ſcribere veritatem.* At contra accidit. Nam deſignati per Angelum epiſcopum Hoſtienſem, Gregorii vicecancellarium, viginti quatuor peritiores in curia, omnes fere una voce pronuntiarunt, *quod idem errorius*, id eſt Gregorius, *ſive per mare, ſive per terram, quomodocumque hoc commodius fieri poſſet, in eadem civitate Saonenſi in altero ipſorum terminorum eſſe deberet ad faciendam unionem antedictam, ſicut jam concordatum & acceptum erat inter ipſum & ejus adverſarium.* Accepto hoc reſponſo, homo varius & mutabilis, haud erubuit dicere, ſuſpectos ſibi eſſe juriſperitos, utpote cardinalibus magis faventes, atque ad alia ſe convertit.

A juriſperitis ab eo electis condemnatur.

Cum Ladiſlao ſecrete tractat de tradenda ipſi Urbe. Niem. l. 3. cap. 15. Ibid. c. 18.

215. Multa jam pretioſa jocalia pro menſa ſua acceperat a Ladiſlao rege, qui & Franciſcanum quemdam, ſuum, ut inquiebat, confeſſarium, hominem multis criminibus irretitum, ei deſtinavit: quem apud ſe retinens Gregorius, ejus præſertim conſiliis adverſus unionem uti ſtatuit. Neque hic ſtetit, ſed *cum Ladiſlao rege per intermedias perſonas ſecrete tractavit, quod rex exercitum mitteret cum Nicolao & Johanne de Columna fratribus,*

& quibuſdam aliis baronibus & civibus Romanis, contra Urbem foventibus partes regis. Itaque ubi paratus exercitus Urbi ſe obtulit, aperta ſub noctem porta Tiburtina, duobuſque aliis locis immiſſus eſt, Romanis cum civibus tum curialibus profundo ſomno ſepultis, nihilque hujuſmodi ſuſpicantibus. Unde his territi cardinales, mutato habitu, nocte eadem Viterbium aufugerunt, Gregorio metum fingente, & in arcem S. Angeli ſe recipiente. Et vero quis ſibi perſuadeat Romanum pontificem Urbem ſanctam, & cives proprios inſolenti militi tradere potuiſſe, idque ea mente, ut quod jam ſæpe fuiſſet pollicitus, de eccleſiæ unione cum æmulo convenire eluderet. Quod tamen male ipſi ceſſit. Nam providente Deo optimo maximo, Paulus de Urſinis & Hermannus vir inſignis audaciæ, mane primo collecta feſtinanter quorumdam militum manu, adeo ſtrenue in regium exercitum irruerunt, ut illum omnino fuderint, proſtraverint, deleverint, captis non paucis, ex quibus Nicolaus & Johannes Columnenſes, cum baronibus & nobilibus Romanis eis adhærentibus, per Urbis vias ignominioſe traducti & meritis conviciis affecti, alii capitali ſententia debitas pœnas gladio ultore ſolverunt.

Ejus exercitus proſtratus.

216. Gregorius hujus auctor tragœdiæ, in pervigilio S. Laurentii Urbe excedens, Viterbium contendit, ubi viginti moratus dies, Senas acceſſit, de unione, a qua longe abhorrebat, ſemper affectans loqui, nihilque prorſus omittens, ut fucum faceret. Quapropter ut eam ſe ſincere proſequi cardinalibus perſuaderet, petiit ut ſibi cedenti daretur, quoad viveret, patriarchatus Conſtantinopolitanus, quem ante papatum obtinebat, eique duæ in dominio Venetorum eccleſiæ adjicerentur, Motonienſis & Coronenſis, cum quodam prioratu ſibi olim in commendam conceſſo, atque eccleſia Eboracenſi in Auglia, quam tum vacare fingebat.

Gregorius Urbe excedens petit ſibi cedenti dari beneficia. Niem. l. 3. c. cap. 21.

217. Cum Senis ageret, redierunt ex Gallia Tudertinus epiſcopus & Antonius de Butrio, quos ad Benedictum & Carolum regem direxerat nuncios: & epiſcopum quidem legationis ſuæ rationem ei reddere volentem minime alloquutus, adeo minaci ac torvo aſpexit oculo, fere ut exanimaverit, nec multo poſt deceſſerit. Nec melior Antonii de Butrio fortuna fuit, qui & mœrore confectus, vix epiſcopo ſupervixit. Atque hanc tulere mercedem clariſſimi viri, poſt tot ſuſceptos labores pro eccleſiæ unione, a qua tunc tantum abhorruiſſe dicitur, ut *aliis de nocte quieſcentibus, ipſe vigilaret, cogitans, qualiter aliquod comptum ſeu coloratum mendacium inveniret, per quod mane facto excuſaretur, quomodo per eum non ſtaret, quod dicta unio non fiebat.* Quapropter quoſdam Mendicantium ordinum fratres variis induxit promiſſis, ut Senis & aliis in locis infra miſſarum ſolemnia publice prædicarent, Gregorium, *ſalva conſcientia*, decretæ unioni incumbere non poſſe, nec eo fine cedere, ut illa ceſſionem ſubſequatur, ſine evidenti diſcrimine mortalis reatus, & futuræ damnationis æternæ.

Proprios nuncios ex Gallia redeuntes male excipit.

Ibid. c. 23.

Prædicari jubet contra unionem.

218. Interim Benedictus ſuam perſonam agebat, ſtatuto tempore, immo ante condictum S. Michaëlis terminum Saonæ adfuit, ſimulans ſe flagrantiſſimo unionis & pacis deſiderio teneri; ſeque in firmo cedendi propoſito perſeverantem a Saona conventionis loco diverti nullo modo potuiſſe, non Gregorii ipſius urgentiſſimis litteris, aut Jacobi de Utino Utinenſis notarii, & Johannis abbatis de Pratalia, ac Franciſci Veneti ſpecioſis rationibus: jam per unum ſtare Gregorium, in ejus ſolius ſtudio & voluntate poſitum, ut omnia proſpere cedant.

Benedictus ſtatuto tempore Saonæ adeſt.

219. Neque tamen hujuſmodi fictionibus animi ſui cupiditatem ita obtegebat, quin interdum data occaſione erumperet. Cum legatos ipſi uti & Gregorio miſiſſet illuſtris rex Caſtellæ, rogantes regis nomine, ut pro unionis commodo *viam ceſſionis abſque moroſa dilatione dignaretur acceptare:*

At cedere recuſat.

Anecd. tom. 2. p. 1389.

inſperato ſermone *turbatus non modicum, petiit dictam requeſtam in ſcriptis ſibi dari.* At cum ambiguis omnino verbis reſpondiſſet, legatique ſuppliciter inſtetiſſent, ut clare atque abſque ulla ambage declararet velle ſe cedere, ſi intruſus hoc idem faceret aut feciſſet, id *præciſe facere recuſavit.* Sed & ex Caroli regis Francorum legatis ad Gregorium unus, qui ſociis recedentibus, Romæ remanſerat, Gregorium ipſum & ſuos exploraturus, poſt ejus ab Urbe receſſum declaravit, manifeſtam ſe inter duos pontifices colluſionem deprehendiſſe: cujus litteras habes hoc tomo pag. 768.

Pag. 770. 220. Hæc ubi ad aures Caroli regis perlata ſunt, anno MCCCCVIII. die Januarii XII. Benedicto ſcripſit, ipſum exhortans, ut pacem eccleſiæ dare non differret, alias ſi nihil ultra proximum aſcenſionis feſtum eſſet proceſſum, ipſe cum toto regno ſuo & Delphinatu obedientiam ei & Gregorio ſubtraheret. Verum ſurdo rex optimus canebat. Sed nec Gregorium audire voluit, Lucanam & Piſanam civitates, directis nunciis calendis Aprilis, offerentem ad conveniendum. *Inſuper*, inquit, *civitatem Lucanam ex parte noſtra fecimus offerri, & præcipue Piſanam, qui locus eſt ſic idoneus, ut nullus magis valeat reperiri, diviſus flumine, galeis, ſecundum quod tu optare videris, acceſſibilis, abundans victualibus, capax multitudinis, tutus & omni reſpectu ſic accommodus, ut ad ipſam conventionem fabricatus videatur. In unius diei ſpatio nos per terram, & tu per mare ad eumdem locum convenientes, pacem Chriſtianitati poſſumus reddere, & eam infamem maculam de conſpectu eccleſiæ abolere. Hunc locum tam propinquum & tam idoneum & capacem declinare, & ad caſtruncula non capacia neque decentia, & multas & magnas difficultates continentia convertere, nullam habere poteſt ſinceritatem.*

Gregorius Lucam & Piſas ad conveniendum offert. Niem. lib. 3. c. 26.

221. Paulo poſt, hoc eſt Aprilis die XVI. Simon patriarcha Alexandrinus, Amelius archiepiſcopus Turonenſis, Petrus epiſcopus Meldenſis, Petrus *Plaout* magiſter in Theologia, & Johannes Franciſci magiſter in artibus & licentiatus in decretis, nuncii regis & eccleſiæ Gallicanæ ad Benedictum & Gregorium, cedulam Rothomagenſi & Terraconenſi archiepiſcopis, generali ordinis Prædicatorum, aliiſque Benedicti oratoribus Lucæ agentibus
Pag. 774. præſentarunt, in qua inter alia, *cum quanta*, inquiunt, *humilitate, regis nomine & eccleſiæ Gallicanæ eidem domino* (Benedicto) *ſupplicamus, ipſum in perſonas veſtras, quantum efficacius poſſumus, & dominos ſui ſacri collegii requirendo, quatenus pro bono pacis eccleſiæ, placeat ſibi ad civitatem Lucanam vel Piſanam, una cum dicto ſuo collegio accedere, mediantibus ſecuritatibus... ibique per mutuam renuntiationem pacem eccleſiæ Chriſti fidelibus dare.* Si vero Gregorius accedere nolit, aut aliquod unioni impedimentum objiciat, addunt, ut *Benedictus abſque conventione ejus perſonali, per alium, ad hoc ſufficientem poteſtatem habentem, prædicto domino Angelo ceſſionem offerat, & dicto modo cedat de facto, ut ceſſantibus quibuſcumque fruſtratoriis dilationibus & difficultatibus ſuperfluis, eccleſiæ Dei pax habeatur.* Verum hæc omnia fruſtra. Sed & totus incumbebat Gregorius in novis excogitandis artibus, quibus unionis negotium remoraretur.

Niem. lib. 3. c. 28. Gregorius lætatur de occupata a Ladiſlao Roma.

222. Die Aprilis XXV. *rex Ladiſlaus, patrocinante ſibi Paulo de Urſinis memorato, temporale dominium Urbis interim adeptus eſt.* Quo audito, pontifex, & nepotes ejus & conſanguinei in Urbe commorantes, *ultra modum lætificati fuerunt, & aliqui in privatis ſuis hoſpitiis tripudia fecerunt*, inquit Niemius, *& tunc ne dicta unio fieret, & ne civitas Piſarum, vel alius aptus locus ad faciendam dictam unionem ipſis de papatu contendentibus concederetur, manifeſte impedire modis omnibus conabantur.* Addit
Ibid. c. 31. Niemius, tunc Errorium certiorem factum *de intentione regis Ladiſlai, quod*

rex unionem ne fieret, una cum ipso modis omnibus impediret, Lucæ rectorem demereri & ad suas partes allicere studuisse, oblata episcopo Lucensi ejus consanguineo & aliquot aliis dignitate cardinalitia. *Et deinde*, pergit idem auctor, *virus quod concepit de creandis novis cardinalibus expuendo; quadam die dictis cardinalibus coram eo simul congregatis, dicebat quod quatuor cardinales vellet creare.* Hæc ubi percrebuerunt in vulgus, Simon Alexandrinus patriarcha, Petrus Meldensis episcopus, Petrus *Plaout* & R. de Quesneio, Christianissimi regis oratores, cedulam sacro collegio, ad prosequendam apud Gregorium unionem obtulerunt, *Cum quanta*, inquientes, *possumus humili instantia, vos requirimus, quatenus cum prædicto domino Gregorio sic efficaciter laborare velitis, quod nullo modo ad creationem cardinalium procedat. Et si consilio vestro obtemperare noluerit, etiam, ut prædicitur, vos requirimus, quatenus sicut Paulus Petro fecisse legitur, sibi in faciem resistatis.* Obstiterat jam ei aliquo modo sacrum collegium, cum illi de quatuor creandis cardinalibus referenti ingenue exposuit, se ipsi, salvis juramentis, assentiri nullo modo posse. Sed tum ira excandescens, acerbe conquestus est eos sibi perpetuo adversari. *Et tunc fecit quod tandem cardinales annuerent, quod Antonium nepotem suum crearet cardinalem, dum tamen ad faciendam dictam unionem cum Petro & suis cardinalibus ulterius procederet, quia in hoc eum vellent ad ipsius beneplacitum in omnibus adjuvare*: orantes interim ut a cardinalium creatione absisteret. Sed & multi venerabiles episcopi, & alii magnæ auctoritatis viri, qui de Polonia, Prussia, & diversis aliis regionibus ad eum accesserant, eum ad unionem cohortaturi, eadem supplices petiere, ne hac data occasione, Benedictus & sui cardinales inchoatum unionis negotium male abrumperent, sicque infecta re abirent. Quibus exoratus precibus, aliquot hebdomadis quievit. Sed & ipse rector Lucæ hinc scandalum timens inter Gregorium & suos cardinales exoriri posse, oravit ne ullum sacro collegio adscribere cogitaret, dum paci ecclesiæ consuleretur, sed conciliatis sibi senioribus patribus, huic uni negotio intenderet; addiditque *se nolle quod suum consanguineum episcopum Lucæ crearet in cardinalem: & si secus fieret, certus esset, quod idem episcopus talem nullatenus acceptaret honorem.*

Legati regii orant cardinales, ut obsistant Gregorio volenti cardinales creare. Pag. 772.

Niem. l. 3. cap. 24.

Cardinales orant ut novis creandis cardinalibus abstineat.

Idem orat rector Lucæ.

223. His omnibus postpositis, Gregorius id quod animo infixerat, nulla interposita mora exequi parabat, ac demum die definita cardinalibus in consistorio adesse jussis, hisque abnuentibus, indignatus vocari præcepit episcopos & quosdam causarum palatii apostolici auditores, atque his præsentibus, cardinales pronuntiavit Antonium camerarium, Gabrielem Condelmerium nepotes, Utinensem prothonotarium, & Johannem Dominici ordinis Prædicatorum, eum qui Senis publicis in concionibus prædicaverat, Gregorium tuta conscientia & absque damnationis æternæ periculo operam suam unioni dare non posse. Contristati hac creatione patres, aliique curiales, ad Gregorium per aliquot dies non accesserunt. Juraverant enim ac mutuo promiserant creationi novorum cardinalium minime assensuros. Constante autem ac perseverante in primo proposito Gregorio, nec sua dignitate novos cardinales exuere volente, negantibus antiquis se pro fratribus habituros, causatus est quod sui in eum conspirassent.

Novos cardinales creat.

§. IX. *De subtractione obedientiæ ab utroque contendente, & de conciliis Perpinianensi, Aquilegiensi & Pisano.*

224. Tunc cardinales, captata hac occasione, recedere a Gregorio deliberant. At ille deliberatione patefacta, prohibuit ne ullus sine ejus licentia Luca exiret, neve cum aliquo ullo modo tractaret, maxime cum Petro de Luna & regis Francorum oratoribus. Quo cognito, rector civitatis Lucanæ

Antiqui cardinales, deserto Gregorio, Pisas se conferunt.

vetuit ne per Gregorium ejuſque officiales ulla cardinalibus aut aliis in civitate Luca, ſive illius diſtrictu, fieret injuria. Hæc cum ita ſe haberent, Johannes cardinalis Leodienſis, non Alemannus, ut aſſerit Gallicus auctor hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ſed natione Normannus, vir magnæ probitatis & induſtriæ, mutato habitu, cum paucis ad civitatem Piſanam quam citius potuit equitavit, fruſtra perſequentibus eum deſtinatis a Paulo Gregorii nepote militibus. Eum mox ſecuti ſunt alii cardinales, tribus dumtaxat exceptis, qui ſpe inclinandi ad unionem Gregorii, Lucæ cum eo remanſerant. Sed cum incaſſum ſe laborare viderent, ſimiliter & ipſi ad fratres ſuos qui Piſis erant ſe conferunt, a ſententia & bulla Gregorii appellantes, primo ab eo ad ipſum, deinde ad Chriſtum, tandemque ad futurum concilium & ad novum papam. Appellationis inſtrumentum habes in noſtrorum Anecdotorum tom. 2. pag. 1394.

Ab ejus ſententia appellantes.

225. Nec mitius agebatur in Gallia cum Benedicto. Nam rex Carolus ſubtractionem ab ejus & Gregorii obedientia promulgaverat. Hinc irritatus Benedictus fertur dixiſſe, *quod ſi inde ſubtractio ſuæ obedientiæ ſequeretur, tantum taleque ſcandalum regno Franciæ inferret, quod in centum annis non repararetur*, atque ut hujus edicti impediret effectum, bullam ad regem & Franciæ principes dedit, qua omnes ſe ab obedientia ſubtrahentes, etiam reges & principes excommunicat. Allata regi eſt hæc bulla XIV. Maii a Sanctio Lupi nomine Benedicti; quæ cum die XXI. ejuſdem menſis in publico confeſſu recitata fuiſſet, iniqua & regi injurioſa reputata eſt, *moxque pontificis litteras ſecretarii regii alte elevatas, duplicatas & cum cultello inciſas, rectori* univerſitatis *projecerunt: qui tunc eas inverecunde in fruſta dilaceravit minuta.* Eodem tempore decanus S. Germani Autiſſiodorenſis ſupremæ curiæ ſenator, qui primam ſedem poſt prælatos occupabat, a miniſtris regiis apprehenſus, ignominioſe ductus eſt ad palatium regium incarcerandus. Eamdem ſortem experti ſunt epiſcopus Wapincenſis, abbas S. Dionyſii, & quidam canonici Pariſienſes, aliique notabiles viri, ut Benedicti fautores, qui litteras ab eo mittendas non revelaſſent regi. Nec ſua etiam pœna defuit his qui bullam attulerant. Nam *magiſter Sanctius Lupi & equitator papalis die* 10. *Auguſti, ad majorem eorum ignominiam primo mitris papyreis coronati, cum nigris dalmaticis lineis, militaribus ſignis Petri caracteribus, ſcripturis quoque variis, quæ ipſos falſarios proditores, a proditore miſſos deſignabant, inducuntur. Inde in vehiculis quibus lutum & ſordes efferebantur ex urbe impoſiti, ad curiam palatii inducuntur*, &c. Sed & epiſcopus S. Flori U. J. doctor, cum elegantia admirabili, tum ſingulari memoria clarus, a legatione Hiſpanica ſibi ad ſuadendum regi neutralitatem impoſita revocatur.

In Gallia promulgatur ſubtractio ab utriuſque obedientia.

Mon. Dion. in vit. Car. VI.

Eam probantes puniti.

Monachus Dionyſ. in vita Car. VI.

226. Hæc dum gerebantur in Galliis, cardinales Benedicti Gregorii collegio uniri properant, habitis inter ſe variis tractatibus de danda eccleſiæ pace & ſchiſmatis extinctione; ſed antequam ultra procederent, Liburno Benedictum monuerunt de his quæ cum altero collegio hactenus peregerant. Eorum litteras habes hoc tomo p. 775. His receptis litteris, Benedictus e Portu-Veneris idibus Junii ſcripſit Gregorio, ejus accuſans contumaciam, quod Saonam venire recuſaret, ac ſalvum-conductum nunciis ſuis denegaſſet: utque cardinalium unioni incumbentium effringeret conatus, ſequenti die, indicto ad Perpinianum in feſto Omnium-ſanctorum concilio, cujus convocationis inſtrumentum edidimus hoc tomo pag. 883. mox e Portu-Veneris diſceſſit, cum aliquot ante menſibus quadraginta aureorum millia mutuo * a Bucicaldo accepiſſet.

Benedictus Perpinian. indicit concilium.

Pag. 780.

* Vide hujus mutui inſtrumentum tom. 9.

227. Eodem fere tempore Gregorius obedientiæ ſuæ concilium indixit in provincia Aquilegienſi ad pentecoſtes diem, ut ſic duobus contendentibus

Gregorius in provincia Aquilegienſi.

bus ab invicem ſeparatis, & magno locorum intervallo disjunctis, futuræ unionis ſpes prorſus evaneſceret. Neque ſane aliud uterque videtur mente intendiſſe. *Quis enim credat*, inquiunt cardinales in epiſtola ad Carolum regem, *vero poſſibile, quod per concilium Perpiniani, ubi nulli aderunt niſi pauci, affectionem inordinatam Benedicti ſequentes, pax utriuſque obedientiæ in univerſali eccleſia tribuatur? Idemque fore cenſendum de concilio domini prælibati. Nonne hæc clare demonſtrant, præfatos contendentes ad nihil aliud intendere, niſi ut per hoc ipſum roboretur ſchiſma, quin immo in perpetuitatem irrepat?* Eodem fere modo loquuntur in epiſtola ad regem Navarræ. Pag. 789. Pag. 792.

228. Benedictum ſecuti Perpinianum ſunt Ludovicus de Fliſco, Johannes de Armeniaco, & Antonius de Chalanco; Gregorio unus adhæſit Tudertinus. Si credimus monacho Dionyſiano, Benedictus timens ne a Bucicaldo caperetur, ſub finem Maii deſerto Portu-Veneris, navi impoſitus, duos circiter menſes Liguriæ littus legit, dum Cataloniam advectus Perpinianum ſe recepit. Verum hoc ſtare non poteſt. Nam ex Portu-Veneris idibus Junii ſcripſit ad Gregorium, & XVII. calendas Julii eodem ex loco concilium Perpinianenſe indixit. Jam vero idibus Julii apud Cocumliberum diœceſis Elnenſis litteras dabat ad Nicolaum Albanenſem & ad cardinalem S. Suſannæ, quibus eos ad ſuum invitabat concilium. Benedictus Perpinianum fugit. Lib. 28. c. 5. Pag. 781. & 782.

229. Interim cardinales Gregorii die XIV. Julii litteras Liburno ad Carolum Francorum & Carolum Navarræ reges dirigunt, ſignificantes, duobus de papatu contendentibus viam pacis recuſantibus, concilium ſe generale cum cardinalibus alterius obedientiæ celebrare propoſuiſſe, pro cujus felici exitu regum & aliorum principum favorem & auxilium deprecarentur. Alias eodem tempore ſcripſere ad regem, reginam & infantem Caſtellæ & Legionis, ad ducem Bituricenſem, ad Ludovicum ducem Borbonii, ad ducem Albaniæ, & ad Robertum filium quondam regis Scotiæ, quas omnes habes hoc tomo pag. 788. & ſequentibus. Ut autem utriuſque collegii cardinales palam facerent, quam ſincero corde in viam unionis eccleſiæ procederent, ſolemne votum & juramentum, tam ſuo quam fratrum abſentium nomine, Liburni adhuc commorantes ediderunt, quo inter alia Deo & ſibi mutuo promittunt, neutri ſe umquam contendentium adhæſuros, *permanente in ipſis, vel ipſorum altero indiſpoſitione* ad unionem; deinde quod alterutro obeunte, durante unionis negotio, a creando ſucceſſore abſtinerent: utroque vero moriente, tum communicato inter ſe conſilio, quid faciendum eſſet conſtituerent. Promiſerunt inſuper, quod ſi cardinales contendentibus adhærentes, aut ab ipſis contendentibus recenter creati, alium in defuncti locum eligerent, electum illum numquam agnoſcerent. Præſtitum eſt hoc juramentum Liburni die XXIX. Junii MCCCCVIII. ſingulorum manu propria ſubſcriptum, atque ſigillis eorum roboratum, præſentibus Simone patriarcha Alexandrino, Petro antiſtite Meldenſi, Petro *Plaout* in ſacra pagina profeſſore, & aliis. Conſequenter die XXX. Auguſti, Angelus Laudenſis, Petrus Mediolanenſis, Johannes Ravennenſis, & Balthaſar Bononienſis in eccleſia majori Piſana prædicto juramento eorum in abſentia facto adhæſerunt, præſentibus Petro Meldenſi, Branda Placentino epiſcopis, Johanne abbate S. Juſtinæ de Padua, Nicolao de Robertis de Tripoli milite, & Roberto de Queſnelo decretorum doctore & canonico Rothomagenſi. Similem adhæſionem in ſacriſtia eccleſiæ S. Martini Piſanenſis, ubi collegialiter erant congregati domini cardinales, die XIV. Septembris præſtiterunt Henricus Tuſculanus cardinalis vulgo Neapolitanus; die vero V. Octobris Landulfus S. Nicolai in carcere Tulliano, Barenſis appellatus, ac tandem die XI. Octobris epiſcopus Hoſtienſis. Cardinales regum implorant tutelam pro futuro concilio.

Pag. 818. 230. Tunc Antonius de Luca ſecretarius apoſtolicus Petro Mediolanenſi cardinali ſcribens, dolet ejus vicem, quod a Gregorio pontifice defeciſſet. ſciebat enim eum tantæ eſſe auctoritatis, ut quoſvis in ſuas partes allicere facile poſſet. *Unum*, inquit, *hoc ſcio, ad quam acceſſeris partem, auctoritatis plurimum & honeſtatis feres, eaque in opinione multorum ſanctior eſſe putabitur, quam probaſſe videberis præſentia tua atque judicio: nec in Romana republica majoris fuit tanti momenti pro juſtificatione civilis, qui fuit tanti, ut Deorum judicio opponeretur, quam tu hodie in hac ad extremum laborantis Romanæ eccleſiæ novitate. Multi enim magni & excellentes viri te unum obſervant, ex his quæ feceris conſilium ſuſcepturi.* Quibus cardinalis eleganti epiſtola reſpondet, demonſtratque neceſſariam a duobus contendentibus receſſionem fuiſſe, nec aliter poſſe extingui pernicioſum ſchiſma, quod ambo pontifices ambitionis ſpiritu inflati perpetuare nituntur. *Nam unus in Aquilone*, inquit, *thronum firmavit proprium, alius in medio ſitam conſtituit manſionem, ac per hoc ambo deferentes radios Orientis, ſolem juſtitiæ perdiderunt*, &c. Data eſt hæc epiſtola Bononiæ, unde litteras etiam ſcripſit ſingulares ad regem Romanorum, regeſque Bohemorum & Angliæ, atque ad Cantuarienſem archiepiſcopum, quibus eos hortatur ad ſubtrahendam utrique contendentium obedientiam. Has habes hoc tomo epiſtolas pag. 813. & ſeq. Scripſere & alii Gregorii cardinales ad univerſos principes, & ſingulatim Franciæ regi & reginæ & eorum primogenito. Epiſtolas videre eſt pag. 823. & ſeq.

Pag. 818. Obedientiæ Gregorii pars major favet cardinalibus.

231. Nec ſane fuerunt inanes, nam ut ſcribunt ad Benedictum ipſum P. Peneſtrinenſis, N. Albanenſis, P. Tuſculanus, & P.S. Angeli cardinales, Gregorii cardinalibus, in omni virtuoſa actione conſtantibus *ſic aſtitit Spiritus-ſancti gratia, ut major pars prælatorum, regum & principum, & notabilium communitatum ſuæ partis & obedientiæ cum eis conveniat & concordet*, immo Gregorius *a ſervitoribus laïcis pro majori parte derelictus ſit.*

Libellus famoſus valvis eccleſiæ Piſanæ affixus in Gregorium.

232. Circa hoc tempus affixa eſt valvis eccleſiæ Piſanæ ampliſſima ſcriptura, ſeu mavis libellus famoſus, in quo duo contendentes, eiſque adhærentes mirum in modum lacerantur. In eo introducuntur nuper defuncti duo cardinales, Leodienſis & Florentinus, ea ſincere & abſque diſſimulatione narrantes, quæ de ſingulis in cœlum introducti viderunt. Et de duobus contendentibus inter alia hæc dicunt: *Duo noviſſimi, quorum unus ſe Gregorium nominat, homo vertiginis morbo laborans, multorum malorum patronus ſtolidus; alter lupus rapax & fera inſatiabilis, qui Benedictum XIII. ſe appellat, ſciſſuram illam continuant: ambo viri ſine conſcientia, ſine verecundia, ſine miſericordia, in quibus nulla fides, nulla devotio; in quibus animæ denudatæ virtutibus, extinctis caritatum fervoribus, odiorum diſſenſionumque frigoribus riguerunt. Ecce etiam unum quod admirationem auget, uterque eorum exſanguis, uterque annoſitate conſtrictus, uterque morti contiguus, & utrique jam ſolum ſupereſt ſepulcrum. Hi etiam duo ſe putantes ſimiles Altiſſimo, in Aquilone duas partes dignitatis animo numquam inde deſcendentes, poſuerunt, in quibus ſedentes, vel, ut ipſi ſuperbe dicunt, præſidentes, hunc populum veſtrum ad diviſiones aſſuefaciunt, quilibet unam partem ſecum trahens, fovent inceptum ſcelus ſchiſmatis, illud nutriendo, illud continuando, non aliter quam opus laudabiliter inchoatum. In hoc enim illorum omnis verſatur intentio, omne pervigil ſtudium & varii conatus, fatigationibus onerati, hinc nocturnarum conventionum conſilia, hinc tractatus ſubdoli, hinc mutuæ conſpirationes, hinc crebræ novitates conflatæ mendaciis, hinc inſuper per mundi ignota climata conſiliarii & placidi aſſentatores largiſſuis promiſſionibus attractabantur, & ne proſcripta peſte, ad portum ſalutis deduci queat, etiam novi de antiquitate vulneris ſicarii*

conquiruntur, quorum jam abundans pluralitas palatium illius Errorii occupans, in numeroſum gregem crevit collegii. Deinde poſtquam tetris depinxit coloribus novos Gregorii cardinales, alioſque ei adhærentes, tam curiales quam doctores, iterum de Gregorio ſubdit: *A prima ineunte ætate ſuperſtitionibus perverſis circumvolutus, ut fama communis eſt, ſemel de hæreſi convictus, latæ ſententiæ pœnas, niſi corrigendæ vitæ pœnitentiam aſſumſiſſet, nequaquam poterat evaſiſſe. Item fama eſt etiam eo exiſtente patriarcha, ſæpe collegiſſe Beatricellos, qui coram eo in modum choreæ ſalientes, neſcio quid ſuæ ignotum religionis myſterium præcedentes, ipſum inter carmina quæ canebant, nomine ſuo crebro vocitabant, Angele, Angele geminantes. At ille alta ſede compoſitus membris, ſenſu illapſus in extaſim, ut quondam Apoſtolus, ſe raptum mendoſo apparatu figurabat, quem illi læto clamore inſequentes, Rapitur, rapitur, immo raptus eſt Angelus, ſaltando proclamabant.* Deinde poſtquam multa in eum nefanda peroravit, ait eum viam ceſſionis, quam ipſe ut bonam & neceſſariam juraverat, *tamquam viam diabolicam, viam periculoſam, viam iniquiſſimam publica ſua in audientia damnaſſe*, ac demum pro impedienda eccleſiæ unione, *quam ipſe odit, non minus quam hoſtem capitalem ... a cacodæmonibus, ab incantatoribus & ſortilegis auxilia implorare & expoſcere*, &c.

233. Eodem fere tempore, quidam, ut videtur, Pariſienſes doctores Petro Meldenſi epiſcopo, regis Chriſtianiſſimi ad procurandam eccleſiæ pacem legato elegantem epiſtolam direxerunt, ſub nomine eccleſiæ Benedicto & Gregorio ſcriptam, qua nihil ad pacem utrique pontifici ſuadendam efficacius, nihil vehementius aut nervoſius afferri poterat, ſi vel tantillam ad eam habuiſſent propenſionem. At induratum erat cor eorum. *Bene vident ambo*, ut ibi legitur, *quod errant, & multi erraverunt propter illos. Manifeſte apparet quod volunt adhuc in errore manere, ſolum pro vana gloria, quod eſt de pejori, dum errata corrigere poſtponunt: ſuperaddentes quoque novos errores in malitiis & vanitatibus ſuis gloriantur*, & cetera quæ fuſius & eleganter proſequuntur. Tum ad Benedictum dirigentes ſermonem: *O mi Petre de Luna*, inquiunt, *qui per aliquos Benedictus, & per multos nominaris Maledictus, unde hoc tibi? Ab ineunte enim ætate dies tui laude communi & fama magna radiarunt. Unde hoc tibi nunc ſeneſcenti, cum lucidius virtutes & opera meritoria deberent in te quaſi luna plena clareſcere, & in aula Dei rutilare, ut quivis poſſit inibi recipere lumen? Unde hoc tibi, quod ſic in fine dierum miſerabiliter deficis, & vanitatibus obfuſcaris, turpiter maculans famam tuam? Tu promiſiſti frequenter dare pacem hominibus, ut teneris: nunc vero pacem fugis, pacemque recuſas, pandens quam intentionem habuiſti. Recogita quid pro pace habenda feciſti, & dixeris pluribus in locis, nunc ſecrete, nunc palam, antequam aſcenderes cathedram vanitatis, quam tibi erexiſti. Quid etiam faceres poſtea præpondera in animo, & intuere diligenter veram lucem perambulans ſemitas bonæ juſtitiæ & æquitatis*, &c. *Nonne tu ille es, qui dum aſcenderes ad honorem, quem appetebas, refutationem & lacrymas fingens aiebas promotoribus tuis ſic:* Heu me! domini mei, quid facitis? Heu me! vos profecto deſtruitis eccleſiam Dei: *& nihilominus jactaſti te poſtmodum in tribulationibus & miſeriis ob tui culpam*, quod ſi quandocumque fumus aſcenderet caput tuum, me Chriſti ſponſam unicam in tali ſtatu reponeres, quod de centum annis poſſem vix reſtaurari, *minus bene ſentiens, quæ, qualis & quanta ſum ego. Super his & quibuſcumque aliis, Petre, volo te ſcire, quia non ego per te, neque pro te, ſed magis tu per me, niſi reſipiſcas, deſtrueris.* Et poſt pauca ad ipſum Gregorium: *Tu vero, Angele mi Corrario, qui a paucis Gregorius, a multis Errorius appellaris, vide & conſidera quid agis, recordare pri-*

Epiſtola doctorum Pariſienſium adverſus ambos contendentes.

Pag. 842.

De Petro de Luna.

In Angelum Corrario.

mordia tua ... Tu olim præbere conſueveras aliis pabulum vitæ æternæ maleſanis, doctrina pollens, vita, moribus, exemplo: nunc vero tui creatoris oblitus, in periculum damnationis tuæ viſibiliter inſanis, cum deberent in te virtutes ac bona meritoria potius augmentari. Quid tibi & aliis, Angele? quid agis? aut quid intendis? Es-ne tu ille ſatan vel angelus ſuus, qui, teſte Apoſtolo, ſæpe in lucis angelum ſe transformat, dum apparuiſti hominibus juſtus, bonus, ſanctus, pius & angelus Dei, parans cunctis gaudium inæſtimabile, aperiendo ſcilicet viam ac producendo materiam ſufficientem ad habendam generalem unionem & pacificationem Chriſtianam jam ardenti deſiderio concupitam? Et nihilominus adverſarium tuum per dulces litteras ad hoc induxiſti, quod forte non intendebas, ſperans ſi hoc ille recuſaſſet, bravium ſolus capere, ſoluſque reportare triumphum in honore papali. Et poſt aliqua oſtendentes, quam facile pacem eccleſiæ dare uterque poſſet; *Nec dicat*, inquiunt, *unus veſtrum, quod ſit defectus alterius, ſi pax non fiat: quia ſine dubio poterat is dare operam efficacem ad habendam illam, etiam altero invito, immo & confuſo ... poterat & debebat unus alteri offerre ceſſionem fiendam certa die per eum ſtatim in loco ubi erat, cum ſolemnitate debita, vel etiam inibi de facto, aut per ſufficientem procuratorem ubilibet; quia tunc ſuperſtes ex vi promiſſorum ... tenebatur hoc facere pari modo; alias autem compulſus & impulſus poterat juſte confundi, & veluti ſchiſmaticus, ac fraudator unitatis & pacis merito condemnari ... Quæ licite devoviſtis, juraſtis, promiſiſtis, ſi non adimplere velitis, abſque ulteriori diffugio, contra vos provocatis Dei juſtitiam, & ſimulantes vitare peccatum, telo multiplici animas veſtras jaculatis, incidentes in gravioris peccati laqueum*, &c. ac tandem hortantur eos, citantque ad proxime futurum concilium Piſanum.

Gregorius privat beneficiis cardinalem Mediolanenſem.

Pag. 873.

234. Cum magnæ tunc auctoritatis in eccleſia eſſet Petrus de Candia, archiepiſcopus Mediolanenſis, ut invictum ejus ad unionem animum frangeret Gregorius, non ſolum eum ſede privavit, alio ejus in locum ſubſtituto, ſed & quæ in commendam poſſidebat beneficia omnia abſtulit, *de quo*, inquit idem cardinalis, *gratias Altiſſimo refero, qui propter hanc juſtiſſimam unionis cauſam dignatus eſt me contumelia & perſecutione dignum efficere; nec tamen, eo teſte, mens mea conſtans & fervida frangi poterit aut proſterni, ſed continue ferventius animabor, omne temporale commodum pro Chriſto libentiſſime contemturus.* Hæc ille ſcribit cardinali Præneſtino, cui gratulatur, quod eamdem ob cauſam perſecutionem pateretur. Verum hanc Petri cardinalis conſtantiam aliunde Deus compenſavit.

Creatur adminiſtrator Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoletani.

Nam utriuſque collegii cardinales Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti adminiſtratorem eum creaverunt. Inſtrumentum creationis habes hoc tomo pag. 858.

235. Deſperata, uti jam demonſtravimus, per duos de papatu contendentes, eccleſiæ pace, cum nullus toto in orbe locus, quo ad faciendam ceſſionem convenirent, reperiri poſſet, indicto per utrumque collegium concilio Piſano, archiepiſcopum Solacanienſem cum litteris ad Sigiſmundum Hungariæ regem direxerunt, regium ejus favorem implorantes, & orantes ut legatos ſuos regnique ſui prælatos ad prædictum concilium mitteret. Similiter & Palæologum Romeorum imperatorem per eumdem archiepiſcopum deprecati ſunt, ut & ipſe ſuos ad concilium oratores mitteret. Sed & ipſi regis Francorum legati Piſis tunc commorantes, ad eumdem regem Sigiſmundum, quem nonnulli a cardinalibus avertere, & omnino alienare ſtuduerant, ſignificarunt quanta e contrario eſſet Gregorii iniquitas. *Perſeverat*, inquiunt, *Gregorius in ſuo perverſo propoſito, & ad ſchiſma perpetuandum intendens, quam uſque ad illud tempus celavit hypocriſim,*

Concilium Piſanum indicitur, & ad illud invitantur prælati.

Pag. 860.

Pag. 864.

ſim, ſua perverſa mentis injuſtitiam publice declaravit, omnes unionis tractatus abrupit, nobis ſalvum-conductum negavit: tandem contra ſua juramenta & vota, volens certos unionis inimicos creare, cum in hoc ſibi ſanctiſſime diſſentientes dominos cardinales aut captivare aut trucidare non potuerit, quoniam magnificus dominus Lucanus P. tantum facinus non permiſit, eiſdem cardinalibus ſub formidabilibus panis mandavit, ut amplius non convenirent nobiſcum, neque ipſi ad invicem convenirent, neque ſine ſua licentia civitatem Lucanam exirent; quod quid aliud fuerit, quam de unione nolle verbum fieri, ſerenitas veſtra dijudicet. Deinde narrant quo pacto dicti cardinales Piſis jam exiſtentes per Franciſcum archiepiſcopum Burdigalenſem ad Gregorium miſſum, alioſque U. J. viros doctos eum flectere aut emollire nequeuntes, obedientiam ei ſubtraxerunt, ac concilium ad feſtum Annunciationis indixerunt, Benedicto Perpiniani, Gregorio in exarchatu Ravennenſi, hoc eſt uno ad Occidentem, altero in Orientem concilium aliud indicentibus. Neque his contenti cardinales *collegii Italici, volentes experiri ſi poſſent ullo modo ejus emollire duritiem*, Aquilegienſem ac Mediolanenſem ipſi miſere cardinales, quos ille audire noluit, quem *cum renitentem movere & adhortari non poſſent, affixis patentibus litteris in valvis cujuſdam Senenſis eccleſiæ*, eum requiſiere, ut ſtatuto termino ad idem generale Piſanum concilium veniret. Hæc ubi legati narravere, regem hortantur ad obedientiæ ſubtractionem, & ad mittendos regni ſui prælatos ad concilium Piſanum.

236. Appropinquante vero termino, quo ſuum Perpiniani concilium Benedictus celebrare ſtatuerat, bullam dedit XII. calendas Novembris, qua Pariſienſem univerſitatem regiſque oratores in Italia, ſcilicet Simonem Cramaudum patriarcham Alexandrinum, Vitalem de Caſtro-maurono archiepiſcopum Toloſanum, Petrum Frenelli epiſcopum Meldenſem, Petrum *Plaout*, Arnulfum de Fonte, Jo. Garſiæ ordinis fratrum Minorum profeſſorem, Johannem Parvi, Johannem Guioti Mathurinorum miniſtrum, Stephanum Montani, Gaufridum de Penſio, & Johannem Franciſci, alias *Chauſſe-fourée*, nominatim citat ad comparendum coram ſe, & de ſibi objectis expurgandum. Benedictus citat doctores Pariſienſes.

237. Acta præcipua concilii Perpiniani diſcimus ex epiſtola Franciſci archiepiſcopi Narbonenſis ad cardinales. Statutum ibi fuit, *ut pro faciliori agendorum expeditione, eligerentur ex omni multitudine viri* LX. *boni teſtimonii, quorum deliberationi ſtaret totum concilium. Deinde quia difficulter illi convenire poterant, ſegniuſque expedirent negotia plures, fuit numerus ipſe ad* XXX. *redactus. Sed & iterum poſt aliquot dies etiam ipſi triginta fuerunt ad* X. *dumtaxat reſtricti, videlicet reverendiſſimos patres dominos Toloſanum & de Chalanco cardinales, dominos patriarcham Antiochenſem, & archiepiſcopos Cæſarauguſtenſem & Terraconenſem, cancellarium regis Caſtellæ, epiſcopos Valentiæ, Mimatenſem & Condomenſem, ac generalem fratrum Prædicatorum. Et iſti omnes poſt ſua multiplicia tenta conſilia, & cum quibus voluerunt collatione habita, remanſerunt in his concluſionibus, videlicet quod contra regem & regales, proceſſus dudum non aggravarentur. Secundo, quod via ceſſionis pro pace eccleſiæ alias acceptata & oblata executioni demandaretur. Tertio, quod pro executione fienda, papa, ſi debitas & ſufficientes ſecuritates habere poſſit, Piſis ſe transferat. Quarto, non habitis dictis ſecuritatibus, perſonas idoneas cum plena & irrevocabili poteſtate cedendi, alio cedente, illuc mittat.* Teſtatur etiam Bonifacius Ferrerii Majoris-Cartuſiæ prior, qui directa ad eum bulla ſingulari, juſſus fuerat concilio intereſſe, *in eo deliberatum fuiſſe, quod mitterentur ſolemnes ambaſſiatores Piſas, non ut aſtricti vel ligati, vel tamquam ad concilium, ſed* Acta concilii Perpiniani. Pag. 915. Anecdot. tom. 2. pag. 1476.

ut ſaltem tractando, ſi poſſet inveniri hic vel alibi aliquis modus unitatis eccleſiæ. Si ipſi credimus, eo in concilio, ſeu potius conciliabulo interfuere *omnes prælati de Hiſpania, omnes prælati dominationis regis Aragonenſis, quæ nequaquam minima eſt inter filias Iſraël, potentia, ſapientia, ſcientia & virtute, ſed & multi eorum reperti ſunt de Lotharingia & de Sabaudia, & de Francia aliqui prælati, ſcilicet de comitatu Fuxi, & de comitatu Armaniaci, & nonnulli alii epiſcopi, ſicut Biterrenſis, & ſimiles alii quamplurimi ſe excuſaverunt propter impreſſiones notorias & edicta facta in Francia.*

Appellatio P. de Monticulo a ſententia Gregorii.

238. Eo ipſo die quo inchoatum eſt Perpinianenſe concilium, P. de Monticulo litterarum ſacræ pœnitentiariæ ſcriptor & corrector, qui deſerto Gregorio, ad cardinales Piſis congregatos confugerat, inſignem a depoſitionis ſententia, quam in eum ille vibraverat, appellationem interpoſuit: in qua

Pag. 875. inter alia ipſi exprobrat, quod ſuper facienda ceſſione ſubſcripſerit *quatuordecim publica documenta, & in eis contenta voto & juramento firmaverit;* quod ipſe & adverſarius ejus Benedictus, facti ſint *vulgi fabula*, utpote *cum quo*, inquit, *tu, & ipſe tecum tam aperte colluditis, ut omnes jam manifeſte veſtras muſſas artes intelligant, quod omnes pacificos ſuſpectos, omnes ſchiſmaticos fideles habeant;* quod injuria Chriſtianiſſimum regem ſibi ſuſpectum aſſerat: *quas enim*, inquit, *unquam ulli homini, etiam pagano, clariſſima domus Franciæ ſtruxit inſidias? quod vero contra infideles numquam molita eſt, in te moliretur Chriſtianum?* & cetera quidem lectu digniſſima.

Gregorius novos creat cardinales, Arminumqi ſe recipit.

239. Gregorio Senis adhuc agente, graviuſque ferente ſe ab antiquis cardinalibus deſeri & derelinqui, die Septembris XXIX. novos creare non dubitavit; nec multo poſt, exeunte ſcilicet menſe Octobri, cum nec Senis ſibi

Pag. 929. tuto remanere judicaret; *vixque haberet ubi caput reclinaret, a ſuis fere derelictus*, Arminum ſe recepit, a Carolo de Malateſta perhumaniter exceptus. Interim cardinales Piſis exiſtentes, duos ex ipſis

Pag. 886. *ad diverſas mundi partes pro bono unionis eccleſiæ ſanctæ Dei* deſtinarunt, atque Stenoni duci Venetorum commendarunt. Eo tempore Sigiſmundus rex Hungariæ egre-

Varii principes paci procurandæ incumbunt. gium ac ſpectabilem virum Guillelmum de Prata comitem de Porciliis internuncium mittebat ad Gregorium, qui ipſum cum cardinalibus reconciliare tentaret, atque utramque partem ad generale concilium congregandum induceret: cui ſe Venetorum orator juſſu ſui ducis adjunxit. Verum quæ reconciliatio fieri poſſet cum homine pacis adverſario, qui ſeſe nervis

Pag. 887. omnibus opponebat eccleſiæ unioni? Aliunde Henricus rex Anglorum, qui ſacri collegii litteris & Franciſci archiepiſcopi Burdegalenſis & cardinalis relatu de omnibus edoctus fuerat, ad Rupertum Romanorum regem litteras dedit, exhortans, ut cardinalibus concilium celebrare deſiderantibus favere

Pag. 888. non dedignetur; ſed & ipſi cardinales utriuſque collegii Carolo regi Francorum, atque Iſabellæ reginæ ſcripſere, ut ad futuram Alemanniæ diætam in feſto epiphaniæ Francofurti celebrandam oratores ſuos mitterent, ad promovendum eccleſiæ negotium, pro quo hortantur ut Ruperto imperatori, ſacrique imperii electoribus, aliiſque principibus ſcribere velint. Ea de cauſa jam Nurembergæ die XXI. Octobris congregata diæta fuerat, in qua cum Ruperto imperatore Moguntinus & Colonienſis atque Trevirenſis electores convenerant. At re ibi indefinita, ad futuram Francofurti in epiphania

Diæta Francofordienſis. congregationem delata fuerat. Huic congregationi Piſis deputatus ab utroque collegio Landulfus cardinalis Barenſis, in omnibus Alemanniæ civitatibus, ut pacis angelus, perhonorifice exceptus fuit, qui ubique negotium unionis latine per epiſcopum Laudenſem prædicari præcipiens, germanice vero per alium concionatorem, animos omnium tam populorum quam nobilium ſibi mirum in modum conciliavit. Advenienti autem Friburgum

progreſſus obviam illuſtris dux Auſtriæ magno eum honore affecit: ſæpe & ſtudioſe audiens de rebus a Gregorio & collegio geſtis graviter diſſerentem; ac demum poſt multas cum conſiliariis ſuis deliberationes, palam declaravit, *quod intendit per omnia ſacro cardinalium collegio circa unionem eccleſiæ inhærere, & futuro ſummo pontifici credere & parere;* quod Landulfo cardinali magnum attulit gaudium, *attento quod eſt incredibilis potentiæ, domini novi electi Romanorum regis gener, & magnum ceteris principibus & populis Germaniæ exemplum.* Quin & ipſe dux quod promiſerat verbo, ſtatim confirmavit calamo, ſcripta ad cardinales epiſtola, hic edita pag. 908. qua eos hortatur *ad continuationem tam ſancti & mundo neceſſarii circa uniendam eccleſiam propoſiti, uſque ad perfectionem ejus incluſive;* promiſitque oratores ſuos ad ſacrum generale concilium per eos indictum Piſas miſſurum, ac ditionis ſuæ prælatos, ut ad illud accedant inducturum. Præclaram ad cardinales epiſtolam Argentina ſcripſit Barenſis de proſpero ſuæ in Germaniam legationis exitu: cujus ſub finem hæc addit: *Qualia in hanc horam geſta ſunt, puto me pro parte notabiliora expoſuiſſe, cetera quæ imminent non attingam, ſentiens apud Coloniam a Theoderico Niemo relata, qui meas ſubinde receperat litteras, cum quibus a Piſis domino Colonienſi ſcripſeram acceſſum meum. Venerabilis vir dominus abbas S. Juſtinæ Paduanæ, ſtatim verſus me ad informandum de ſingulis quæ ipſe reperit regreſſus eſt: quem apud Argentinam inveni. Biduo ante prævenerat me expectans: cujus informatione & aviſationibus uſus ſum. Eſt enim vir providus & fidelis, & merito ponendus inter caros. Eo referente percepi, & aliis etiam fide dignis, quod octava Januarii dominus archiepiſcopus Moguntinus concilium ſuum facit, in quo quid in provinciali apud* Francoford *ſentire debeat providebit. In illo itaque intereſſe, niſi alia melior ratio me moverit, diſpono, &c.* Quid in prædicto conventu Francofordienſi actum ſit, non ſcripſit cardinalis Barenſis; ſed totam rei geſtæ ſeriem ex Theoderico Niemio diſcimus: *Tunc*, inquit, *ad Francfordiam Moguntinenſis & Colonienſis archiepiſcopi multum potenter acceſſerunt. Fuit & tunc ibi præfatus rex Rupertus cum ſuis conſiliariis, necnon Henricus dux Brunſvvicenſis, Hermannus lantgravius Haſſiæ, Fridericus marchio Miſnenſis, & Fridericus burgravius Nurembergenſis, & multi epiſcopi, abbates, comites, barones & proceres, & plerique curiales, necnon regis Francorum & regis Anglorum; atque de diverſis provinciis & terris inſignes legati illic convenerunt ad tractandum de unione prædicta. Sed poſtquam ibi per ſex dies ſteterunt, venit etiam Antonius nepos Errorii (id eſt Gregorii) cui modica reverentia in Alemannia impendebatur, quia dicebatur de ipſo quod veniſſet illuc ad turbandam unionem: unde communis populus Germaniæ ipſum habere videbatur exoſum, ſalvo quod ipſe rex Rupertus eum per iter quod egit cum ſecuritate duci procuravit, & multum honoravit.* Admiſſus vero in publico conſeſſu, prolixum & tædioſum habuit ſermonem adverſus cardinales Piſis exiſtentes, gravia & turpia convicia evomens in cardinalem Barenſem, nec ſine magna principum omnium præſentium, excepto forte uno Ruperto rege, offenſione; *& poſtea infra duos dies, rex & Antonius prædicti, & paulatim etiam alii ad propria redierunt, concludendo finaliter, quod rex Rupertus ſuos, & Moguntinenſis & Colonienſis & marchio Miſnenſis prædicti eorum ambaſſiatores mittere vellent ad ſollicitandum factum unionis. Ipſe vero Rupertus eumdem Antonium ſecum ad Heydelbergam duxit, & ibidem multis diebus in ſuis expenſis procuravit.*

Pag. 899.

Dux Auſtriæ promittit inhærere collegio.

Acta diætæ Francofordienſis.

Theoderic. Niem. l. 3. cap. 39.

240. Hæc dum in Alemannia geruntur, Florentini in Italia die Januarii XII. ſalvum-conductum Benedicto papæ miſere, hortantes eccleſiæ pacem conferre ne tardet, veniatque ad indictum Piſis concilium: ad quod facien-

Florentini Benedictum invitant ad concilium Piſanum.

Pag. 918. dum vel ſola promiſſorum fides eum inducere debebat: *Ait enim*, inquiunt, *veſtri jurisjurandi religio, quo nullum eſt vinculum majus, nullum arctius, nullum ſanctius, quo Deo & hominibus beatitudinem veſtram aſtrinxiſtis, pro Chriſtianorum pace libere juri veſtro cedere*: ſed etſi *nullum veſtrum extaret promiſſum, nullum jusjurandum, ſacrum tamen paſtoris officium, quo debetis obnixe ſtudere, ut ſi Dominicus grex diviſus ac diſcerptus ſit, in unum reducatur atque reintegretur, profecto debet inducere manſuetudinem veſtram ad delendam per crucem & quodvis acre martyrium, ſi aliter non poſſit, hanc tetram eccleſiæ maculam, pernicioſiſſimamque ſciſſuram tollendam.*

Pag. 931. Subtractio concluſa in concilio Florentino. 241. Die vero XXVI. ejuſdem menſis Januarii, ſubtracta a Gregorio beneficiorum collatione, facta eſt omnibus poteſtas ad concilium Piſis indictum accedendi, nec multo poſt congregatis ditionis Florentinæ epiſcopis, abbatibus, profeſſoribus ſacræ paginæ religioſis, & doctoribus U. J. ultra centum, exactoque ab omnibus de dicenda veritate juramento in manibus epiſcopi Florentini præſtito, declaraverunt Florentinos ex conſcientia & ſub gravioris reatus noxa teneri, cardinalibus eccleſiæ pacem ejuſque ſciſſuram reſarcire nitentibus adeſſe, ſubtractaque ab utroque contendente obedientia, eis in concilio Piſis indicto adjungi, & impenſe favere. Hæc omnium,

Pag. 959. tribus exceptis, fuit concluſio & conſtitutio, quorum *unus dixit ſibi non videri, quod obedientia deberet auferri ſuæ ſanctitati, nec tamen aliter auſus eſt contradicere. Alius vero inquit, melius eſt bene mori, quam male vivere, & quod habebat dominum Gregorium in verum papam. Alius obtulit ſe velle in fornacem ignis ardentis introïre, ſi aliquis ex adverſariis domini noſtri papæ Gregorii ſimiliter introïre vellet in teſtimonium veritatis.*

Gregorio ſignificatur. 242. Conſequenter Florentini ſubtractionem ab omnimoda obedientia Gregorio ipſi ſignificavere, ſcripta ad eum epiſtola, in qua inter alia ſic eum alloquuntur: *Experti ſumus nouem legationes noſtras, quas ad beatitudinem veſtram infra biennium, & duas alias præſtantiſſimorum civium noſtrorum ad adverſarium veſtrum, qui ſe Benedictum XIII. appellat, tranſmiſſas rogatu veſtro, nihil uſque in præſentem diem profeciſſe. Nihil etiam valuit, quod tam benigne tam multa florenorum millia infra tam parvum temporis ſpatium, pro unitate conſequenda ex beneficiis quæ in noſtris finibus ſunt, colligi ſumus paſſi. Nihil valuerunt infinitæ propemodum ſupplices exhortationes noſtræ, nihil preces quas ad vos porreximus, nihil tam uberes oblationes noſtræ, quibus non ſolum facultates noſtras, ſed ſanguinem quoque pro eccleſiæ ſalute benignitati veſtræ obtulimus. Nihil potuit quod Florentinam, Piſanam & alias civitates & oppida noſtra, non ſemel tantum concedere pro tractatu unitatis obtulimus. Nihil denique alia opera noſtra profuere.* Quapropter doctorum divina lege & Deum timentium conſilio, utriuſque collegii cardinalibus Piſanam ad celebrandum concilium civitatem conceſſerant, eumque per ſuos ſolemnes oratores deprecati fuerant, ut Piſas accedens papatui humiliter cedere non recuſaret: quod cum non profeciſſet, ditionis ſuæ prælatos, profeſſores ſacræ paginæ, doctores U. J. ac religioſos ſanctoſque viros congregaverant, quorum una omnium, tribus exceptis, ſententia fuerat, neceſſariam omnino fore ſubtractionem obedientiæ, nec tamen eam ante ſignificare voluerant, quam per egregium virum Stephanum Bona-curſum precibus & oblationibus eum inducere conarentur ad veniendum prædictam ad ſynodum. Verum his omnibus in caſſum tentatis, compulſi ab ejus ſe obedientia ſubduxerant, cum ea tamen moderatione, ut ſubtractio locum non haberet ante XXVI. diem Martii. Acta conventus prælatorum, & Florentinorum ad Gregorium epiſtolam habes hoc tomo pag. 937. & 942.

243. Id ubi ad aures cardinalium Piſis exiſtentium pervenit, ſingulari epiſtola magnificis viris dominis Florentinis gratulati ſunt, eoſque, ut magnificos viros Senenſes ad faciendam ſimilem ſubtractionem hortarentur, deprecati ſunt: id quod præſtiterunt, deputato Senas Ludovico epiſcopo Vulterano, a quo de unanimi eorum intentione informarentur ad plenum, Carolo etiam Francorum regi ſuam fecere notam deliberationem.

244. Accepta Gregorius Florentinorum epiſtola, mirum in modum exaſperatus, certa ſtatim ad eos miſit capitula, quorum hæc ſumma eſt: Indictum Piſis concilium legitimum nec eſſe, nec eſſe poſſe; acta conventus Florentini admittenda non eſſe, utpote qui *fuit ex perſonis ut plurimum paſſionatis contra juſtitiam ſuæ ſanctitatis, & quorum plurimi aſſenſerant conſpirationibus & terminationibus contra ſuam ſanctitatem factis*; falſo ſibi impingi, quod cum adverſario ad fovendum ſchiſma ſit concors, cum paratus ſit, *ſi expediat*, votum & juramentum implere, & renunciare papatui: Quapropter, *dilectos filios ſuos communitatis & populi Florentini cives univerſos requirit, & hortatur in Domino, & per Domini miſericordiam obſecratur, quatenus cum illis qui Piſis ſunt & cum adverſario intercedere placeat, & taliter partes interponere ſuas, quod ad unum locum communem a partibus non prælectum, & venientibus ſtantibuſque tutum, qui illas habeat circumſtantias, quas canones & æquitas dictant, cum quo convenire velint, ut fiat communi partium conſenſu congregatio & univerſale concilium ubi paratus eſt intereſſe, & unionem cum effectu, promiſſa ſervans, populo dare quantum in eo erit*, &c. Et paulo poſt: *Et ne ſuſpicari valeat, quod ad dilatandum & ſubterfugiendam unionem, mutationem loci quærat, contentus eſt quod adverſarii ſuæ ſanctitatis unum virum eligant, qui ipſis placuerit, & ipſe ſimiliter pro parte ſua:* qui ambo locum ad celebrandum concilium aptum deſignabunt: quem ad locum *ſi ille adverſarius ſuus venire recuſaverit, paratus eſt etiam abſque adverſario ſuo, cum illis qui Piſis ſunt convenire in loco, prout ſupra dictum eſt, & ſua juramenta & vota integraliter obſervare.* Præter ſcriptam ad Gregorium Florentinorum epiſtolam, miſſæ ſunt & aliæ litteræ cunctis, qui in ejus curia tunc agebant, ſubditis prædictæ communitatis, *magnas injungentes pœnas, niſi a prædicta ſtatim diſcederent curia*: quæ litteræ datæ ſunt Florentiæ XVIII. Februarii. Die vero eodem orator Florentinorum a Gregorii curia diſceſſit.

Gregorii ad Florentinos reſponſio.

Pag. 750.

245. Jam pene ad nihilum redacta erat Gregorii obedientia, cum Ariminum perveniens, Malateſtæ de Piſauro & Caroli Malateſtæ ejus fratris loci ipſius dominorum protectionem invenit. Et Malateſta quidem de Piſauro per prudentem & circumſpectum virum Landulfum ſecretarium ſuum, quem nuncium & oratorem ad cardinales Piſis congregatos miſerat, quædam obtulit pacis capitula: quibus illi ſtatim reſponderunt, uti videre eſt hoc tomo pag. 988. Præcipuum indubitatæ pacis obtinendæ caput erat, mutatio loci celebrandi concilii. Ad quod cardinales reſpondebant, Piſas ſe ad concilium elegiſſe, tamquam locum idoneum & congruum, & ab utroque contendentium prælectum. Nam Benedictus Maſſiliæ, ad conventionis cum Gregorio locum Piſas ejus nepoti aliiſque ipſius nunciis obtulerat, atque idem Gregorius Benedicto apud Portum-Veneris agenti per nuncios & ſingularem bullam, eumdem locum, quem miris laudibus effert, indicavit. Atque ut probarent concilii convocationem ad eos maxime pertinere, inter alia dicunt: Utrique contendenti *opponantur enormia & gravia crimina notoria facti permanentis, de quibus pluries & ſolemniter moniti, fuerunt incorrigibiles, pertinaces & obſtinati. Et crimina ſunt talia, quæ enormiter ſcandalizant totam eccleſiam, immo ſunt in ſubverſionem, niſi occurratur, totius ſtatus eccleſiaſtici. Iſtis vero præſuppoſitis, quæ ſunt luce*

Malateſta de Piſauro quædam capitula cardinalibus mittit, ad quæ illi reſpondent.

meridiana clariora, quæ præcidenda lingua phrenetica audebit asserere, quod ipsi vel eorum alter in ista materia possit vel debeat esse judex? nec per consequens auctoritative convocare concilium generale, cum multi opinentur eos jam esse præcisos. Et de facto amborum causa agitur, nemo autem judex esse potest in propria causa.

246. Ad id vero quod Bononiam, Forum-Julii, & Mantuam ad celebrandum concilium offerebat, respondent *quod mutatio dicti loci esset destructio totius negotii*; & quod *Benedictus & sui loca quæ mutari contingerent, possent rationabiliter recusare*; & sic congregatio concilii impediretur: qua semel impedita, *non est spes*, inquiunt, *quod de tempore nostro posset iterum congregari. Et ad istud tendunt isti seductores populi Christiani.*

Carolus Malatesta venit Pisas. Pag. 996.

247. Cum infelicem exitum habuisset Landulfi secretarii legatio, Carolus Malatesta meliora sperans, venit ipse Pisas, & petita per episcopum Cervien-sem a sacro collegio oratione, & obtenta, in S. Martini sacristiam, ubi cardinales congregari solebant, accessit, certas eis conditiones compluribus articulis distinctas proposuit: quibus auditis responderunt, cum eo se statim tractaturos, vel in aliqua congregatione, vel certe per quosdam ex se deputandos. Atque in eum finem designati sunt quatuor, scilicet Albanensis, Aquilegiensis, de Thureio & Mediolanensis cardinales: coram quibus replicatis in domo Albanensis quæ prius proposuerat, Albanensis ipse prolixo sermone, articulis XL. constante, ea refutavit omnia. Et quia præcipuum caput circa mutationem loci versabatur, mirari se ait, quod Pisas urbem certe rei convenientem, quam ipse bulla sua *canonizaverat*, vellet declinare, nec mutationis hujus causam posse divinare, *nisi ad subterfugium, ut hactenus consueverat*; nec posse Florentinorum dominium recusare, cum ipse in ejus *manibus & potestate paulo ante se posuerat libere, & semper fuerat honorifice & optime per sua territoria receptus & tractatus*, & per suos cives & gentes *associatus*, & ad loca quæ voluit conductus.

Cardinales ejus refutant rationes pro mutatione loci concilii.

248. Deinde hanc loci mutationem nec possibilem sacro collegio videri, nec honestam. Non possibilem, cum uterque contendens jam ad eum citatus sit locum, quem unionis negotio aptum elegisset; ut si mutaretur, citatio ipsa *nullius redderetur roboris, & sic uterque excusaretur de jure.* Sed neque honestam, cum legati non pauci Pisis intra dies circiter quindecim expectarentur, cum quibusdam cardinalibus & prælatis, quos inter recenset *oratores serenissimorum regum Bohemiæ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, Portugalliæ & sacri electorum imperii, Moguntinensis & Colonien-sis*, qui loci mutationem indigne ferrent.

249. Addidit minime esse timendum, ne Gregorii aut quorumdam ei adhærentium astutiis seductus, Carolus ea proponeret ac peteret, *quæ si admitterentur & fierent, non unionem afferrent, sed potius subversionem unionis*; Benedictum semper dixisse, suæ non esse intentionis, ad aliquam Italiæ civitatem accedere, quæ non sit penes mare posita; Gregorium vero eas solum proponere, ad quas Benedictum minime venturum pro certo habebat; sicque phaleratis verbis ducere, protrahere, ac demum *omnino devastare* unionem, si quos forte credulos & minus cautos invenerit, quibus sic imponere & fucum facere possit. Ipsum denique si plane vellet cedere, ut aperte jactabat, & voto se obligaverat, id facile posse, vel misso procuratore exequi, vel veniendo Pisas; aut si Pisas accedere dubitaret, missurum concilium ad ipsum competenti ac honorabili numero cardinales aliosve prælatos, qui nomine totius ecclesiæ, quam repræsentabat, ejus cessionem recipiant. Ceterum concilium petitis ab eo assentiri non posse, cum multum elaberetur temporis, antequam ea per orbem nota fierent; atque ii

quibus ſignificarentur, illo accedere poſſent: idque præſertim intendere Gregorium, ut congregati Piſis patres, aut laboribus, aut paupertate, aut ſuis & eccleſiarum ſuarum neceſſitatibus fracti & afflicti, intacto unionis negotio, ad propria remeare cogerentur. Et ſic ſoluto concilio, de unione deſperaretur. Quin & ex longa illa mora *ſequeretur deſolatio & lapidatio bonorum temporalium S. R. E. Nam ex una parte rex uſurpat, & ex alia Gregorius diſpergit & alienat.*

250. *Quibus attentis*, aiebat, *ſe omnino compulſos fuiſſe negativam præbere venerabilibus oratoribus ſereniſſimi regis Hungariæ & inclyti dominii Venetorum; qui ad eos acceſſerant, ſimilia poſtulantes, necnon reverendiſſimis oratoribus ſereniſſimi ſecundi electi Romanorum regis, qui nuper propterea huc acceſſerant, & adhuc Piſis erant.* Quapropter Carolum totius concilii nomine deprecabantur, ut pacem & unionem daret eccleſiæ, *quoniam poterat ſi volebat, videlicet modum ſervando, quod dominus Gregorius, qui erat in domo ſua & in ejus poteſtate, Piſas accedat, & renuntiet ſicut promiſit, vovit, vel juravit, vel ſtans ubi eſt, vel per procuratorem.*

251. His omnibus addidit cardinalis Mediolanenſis, non eſſe prudentis viri, certa & parata ad unionem media pro incertis & nondum paratis relinquere, viam ſacro collegio a Deo inſpiratam, *certam & paratam & celerem fore ad ſacram unionem, & divino cooperante auxilio, cito perficiendam: viam vero per Carolum propoſitam non inceptam nec paratam, immo longiſſimam.* Deinde in memoriam revocat Caroli, quid ſibi pluries Mediolani prædixerit. Nam cum ibi factus ſermo fuiſſet *de colluſionibus amborum contendentium & de eorum ſubterfugiis, & prava intentione erga ſacram unionem;* convenit Carolus, *quod ultimum remedium & potiſſimum erat quod ambo collegia, dimiſſis contendentibus, convenirent in unum & convocarent concilium, & ſecundum quod concilio videretur, ſuper unione proviederent.* Atque in ea opinione ſæpius interrogatus conſtans fuit. Quapropter ſi pacem eccleſiæ non procuret, *excuſare ſe non valebit, cum dominus Gregorius in ejus ſit manibus & poteſtate, neque hoc facere non teneri, cum juxta patrum decreta & ſanctiones quiſquis fidelis obligetur ſchiſmaticos ſchiſmatiſque fautores, prout dominus Gregorius, per brachium ſaculare compeſcere, & in carcerem trudere, ſi opus extiterit.*

Carolus duorum collegiorum unionem ad dandam eccleſiæ pacem laudavit.

252. Quibus Carolus prolixa eademque eleganti oratione replicavit, manifeſte probans electam a cardinalibus viam non adeo certam & paratam videri. *Quis enim*, inquit, *non perpendat aperte, quod dominus Benedictus cum ſuis ſequacibus non eſt pariturus concilio Piſano, nec ſimiliter dominus Gregorius cum ſuis? Unde ſi non concordant ſaltem cum altero illorum, nonne certum eſt, quod alium eligi non expediat per eos, qui non faciliter omnium, ſi forte plurium, obedientiam habebit.* Et ſic tantum abeſt ut hinc amoveatur diviſio, ut potius *triviſio*, ut ipſius verbo utar, ſtatim conſequi debeat. Econtrario vero ſi concilii locus mutetur, & Gregorius, ut promiſit, cedat, *cum concilium domini Benedicti terminaverit ipſum cedere debere & renuntiare papatui, domino Gregorio cedente & renuntiante, ipſum cedere oportebit & renuntiare, vel a ſuis relinquetur, & ſic unio de jure & de facto erit.*

Replicat cardinalium rationibus, probatque eos non tollere diviſionem, ſed triviſionem facere.

253. Ut autem finem dicendi fecit, cardinales deputati continuo replicaverunt, ſeſe omnia quæ ab ipſo audierant accurate relaturos ſacro collegio; ceterum *credere non poſſent, quod aliud quam dixerat, non haberet.* Igitur *rogabant quod vellet ea prponere, quæ ſibi poſſibilia forent, juſta & æqua, & libentibus animis exſequerentur.* Quibus ille reſpondit nihil aliud ſibi a Gregorio mandatum. Tandem poſt varia habita inter ſe hac de re colloquia privata, Carolum, priuſquam diſcederet, in propria habitationis

Cardinales inquirunt an aliud habeat proponendum.

Deputati ad cum quatuor, missi a capitibus nationum.

ejus domo convenerunt A. Pisarum archiepiscopus, Petrus episcopus Cameracensis, alius dominus Gallicus, & Thomas de Firmo ordinis Prædicatorum, sacræ theologiæ professor, missi a capitibus nationum pro universali concilio congregatarum. Et primo quidem Cameracensis episcopus eum instantius oravit, ut cum in manibus ejus esset Gregorius, vellet hac captata occasione ecclesiæ paci unice intendere, ipsum inducendo ad cessionem, vel certe abnuentem auctoritate canonum declarando hæreticum & schismatis fautorem; idque magnam ei pariturum gloriam. Ceterum cum patribus relatum sit, Pisas eum accessisse, ut de loci & concilii mutatione tractaret, ipsum monebat hujusmodi petitionem unioni obesse. Idem asseruit archiepiscopus Pisanus, addens magnificam Florentiæ communitatem hanc mutationem gravissime laturam. Gallicus vero dixit expertam Gregorii inconstantiam & versutias multas dictis ejus omnino fidem detrahere. Denique Thomas de Firmo asseruit *prædictam mutationem loci certe futuram fore omnimodam dissolutionem sacri concilii, & per consequens unionis.*

Negant posse locum mutari.

Carolus se vadem offert pro Gregorio.

254. Ad quæ respondit Carolus, Gregorium non esse cogendum ad cedendum, cum cessionem ipse pluries obtulisset, offerretque, & ne qua in verbis ejus esset suspicio fraudis, *offerebat se in Galliam, vel in quemcumque locum pergere pro obside, ut quæ promiserat servarentur*, & cetera quæ multis peroravit. Quibus auditis, & consilio inter se habito, responderunt, loci mutationem videri patribus impossibilem. Et quidem *manifestum esse multos ex patribus congregatis Pisis esse impeditos, alios senio, alios languoribus, alios egestate, qui non possent concilio interesse, si locus mutaretur.* Ad hæc replicavit Carolus, & ne de inconstantia diffiderent, obtulit se iterum obsidem, immo pro abundantiori cautela obtulit omnes *fortalitias*, quas gubernabat, *in eorum ponere manibus.* Rogavitque *ne pavere vellent quod dominus Gregorius ipsum Carolum decipiat, cum in suis secundum sæculum manibus & potestate sit; neque tam stultus est, quod non agnoscat, quod potius & prius se deciperet, quam ipsum Carolum.*

Et omnia quæ gubernabat castra.

Carolus promittit Gregorii cessionem, si locus mutetur, etiam Benedicto non cedente.

255. His auditis, attentaque securitate, quam de futura Gregorii cessione dabat, omnia se relaturos promiserunt patribus uniti collegii & capitibus nationum, quos non dubitabant cuncta possibilia facturos, *nisi probata esset versutia de papatu contendentium, & eorum subterfugia quibus hactenus usi fuerunt.* Ceterum unum ab eo rescire cupiebant, in congregando quod petebat concilio, an *Gregorius cedere intendebat, si locus mutaretur, etiam domino Benedicto non cedente?* Respondit illico Carolus, *quod si petitis jam per eum assentirent, quidquid istiusmodi concilium sacrum terminabit, dominum Gregorium facturum, pro sacra unione absque contradictione faciet, non solum usque ad cessionem inclusive, etiam domino Benedicto non cedente, verum etiam usque ad mortem.*

Invitatur ad novum colloquium.

256. *Hoc quidem nondum sermone completo, ecce nuncius ex parte reverendissimorum auditorum nuncians horam adesse, in qua cum Carolo simul interesse convenerant, & quod propterea congregati in domo domini Aquilegiensis ipsum expectabant.... Accessit igitur, & ipsos octo congregatos invenit*, cum Meldensi episcopo. Tunc ipsum alloquutus Albanensis dixit, petita ab eo patribus adeo exosa videri, ut illis ea proponere non auderet, *ne sacra unionis haberetur hostis, & quod vellet sacrum illudere concilium, & dissolvere putaretur. Verum si alium cogitasset modum*, aperire dignaretur, quoniam patres ad omnia possibilia pro sacra unione paratos esse pro certo sciret. Addebat *quod eis difficillimum videretur credere, immo quasi impossibile, quod aliud quam dixisset non haberet;* & quod, si ipsi videretur, per eos aliquid offerendum Gregorio & suis, ut cederet per se in manibus

bus concilii, vel per procuratorem, vel in manibus procuratorum ſacri concilii, illud domini ſui in ſua relinquerent diſcretione, facturi quidquid erga Gregorium ipſi videretur eſſe faciendum. Sperandam, eo mediante, unionem. Nam attentis exhibitis ab eo Gregorio obſequiis, ipſum quaſi ab omnibus derelictum & repulſum recipiendo, ejuſque defendendo jura, non dubitabant, quin ipſe Carolus videns impoſſibilem loci mutationem, apud ipſum inſtet, ut cardinalium petitionibus, proprio conſulens lucro, annuat, ſicque ſacra fiat unio. Si autem aſſentiri recuſet, Carolus tunc ipſius malitia & deceptione commotus, totius eccleſiæ pacem ejus præferat ambitioni. His & alia addiderunt alii, quæ cum Carolo non probarentur, reditum ad Gregorium urgens, petiit dari ſibi in ſcriptis rationes, quibus loci mutationem impoſſibilem eſſe credebant.

257. *Tunc replicaverunt allegantes nedum fore impoſſibile mutare locum, ſed de mutatione loci tractare, ſine concilii & unionis diſſolutione; ipſum vero expediri ſtatim a dominis ſuis procurarent.* Carolus tum, omnibus deſperatis, valefaciens ipſis, ad propria reverſus eſt. Cum autem exeuntem eum deduceret archiepiſcopus Mediolanenſis, *prope oſtium cameræ ipſis duobus exiſtentibus, in hæc verba prorupit: Antiquitus & diu fuimus dominus Gregorius & ego conſtituti in minoribus valde domeſtici & amici cariſſimi. Rogo ergo, quamquam magnus nuncius ſis, dicas ſibi mei parte, quod perventis nobis ad ſenium expedit cogitare animas ſalvare noſtras. Relinquamus ergo dignitates iſtas, quæ magis vanitati, quam ſaluti proficiunt. Cedat ipſe papatui, & ego volo cardinalatui cedere. Eamus ad ſanctum Nicolaum de Littore ſervituri Deo, & ibi ſibi paratus ſum ſervire per annum & ultra. Hæc omnia junctis manibus in modum orandi cum maxima efficacia dicere videbatur, dicens: Rogo te, Carole mi, dicas ſibi hoc mei parte,*

Mediolanenſis offert exuere purpuram, ſi Gregorius velit tiaram deponere.

258. Altera poſt die ad Carolum acceſſit magiſter Thomas de Firmo, obtulitque ei in ſcriptis quædam capitula, quorum hæc præcipua: Cedenti Gregorio *providebitur de legatione Foro-Julii & Marchiæ Triviſanæ per totum tempus vitæ ſuæ; & ſi in curia voluerit prope futurum pontificem morari, venerabiliter tractabitur inter cardinales ceteros, & de tot ſibi providebitur beneficiis, quod vitam ducere valebit honeſtam.* Deinde *cum Gregorii collegium ad ſui inſtantiam promiſerit nepotibus ſuis providere in patrimonio de Monte-Flaſconis, de Corneto, de Urbe-veteri, & in Romandiola, de Foro-Pompilio, Forlivio & Faventia*, eis providebitur *de terris illis alias ſibi in patrimonio oblatis.* Et quia dubium inerat, an Bononiæ legatus aſſentiretur Romandiolæ terras eis dari, rogabat Carolum ut æquipollens aliud beneficium excogitare vellet. *Inſuper cogitaverat intra ſe, cum Caroli ſororem in uxorem habeat Johannes Galeaz, ut ipſe Carolus libenter tractaret alteri, quam cognato ſuo Faventiam dandam fore.* Hæc conſtantem in primo propoſito Carolum non moverunt, urgentem *quia vel dominus Gregorius ſervaret quod promittebat, & ſic unio certa & indubitata & ſacra; vel non, & ſic confuſus & ab omnibus derelictus ejicietur.*

Gregorio cedenti offertur legatio Foro-Julii & Marchiæ Triviſanæ, &c.

259. Omnibus tandem fruſtra tentatis, monitus Carolus, congregatos ad S. Martinum patres eum expectare, eo ſtatim acceſſit. Tunc expoſuit Albanenſis pluribus, quanto hactenus zelo & deſiderio unionis negotium fuerant proſecuti: quod deſiderium ut demonſtrarent amplius, cum nec Piſas Gregorius accedere vellet, nec per procuratorem proprium, aut concilii procuratorem cedere, ſed loci mutationem urgeret, parati erant *per* xx. *aut* xxx. *milliaria ad plus ultra Piſas infra terram ad locum congruum accedere, dummodo ſecuri forent quod ipſe accederet & cederet;* obtulerunt

Patres Piſani offerunt mutationem loci ad Piſtorium vel S. Miniatum.

que ad conveniendum Piſtorium aut S. Miniatum. *Et quia dilatio temporis, quæ petebatur a domino Gregorio, ut pars ſua cum aliis valeat convenire, in deſolationem concilii & unionis redundare poſſet, propterea volebant ſcire, quantum differri concilium petebat.* Ad hæc reſpondit Carolus, Gregorium ad Florentinorum oppida, qualia erant Piſtorium & S. Miniatus, numquam acceſſurum, a quibus ſe graviter læſum conquerebatur. Et tamen ante concilium Piſanum palam & publice dicebat Florentinos ſibi minime eſſe ſuſpectos.

260. Carolo itaque ad reditum ſe accingente, patres *inter ſe mutuo conferebant, ſi melius foret aliquos cum pleno mandato uniti collegii & concilii univerſalis Ariminum tranſmittere cum ipſo, informatos plane de eorum intentione.* Conſultus ea de re Carolus, non conſuluit pro tunc, ne forte animis in diverſa perſeverantibus, odii fomes augeretur: at infra xv. a reditu dies, explorata Gregorii intentione, quid facto expediret ipſis ſignificaret. Antequam vero diſcederet, Angelus de Reate concilii ſecretarius, obtulit ei cum aliis in concilio, ſi vellet, ſedere, aſſerens honorabilem ei ſedere volenti locum ab his qui præerant eſſe deſtinatum. Libenter annuit Carolus, dummodo permitteretur ſibi aliquid patribus proponere. Cui cum eſſet reſponſum, non eſſe conſuetudinis, laïcos aliquid in concilio proponere, tali prælegit privari honore.

261. *Diſceſſit igitur a Piſis, & Florentiam venit, dominiſque & eorum collegiis acta Piſis ſubſtantialiter retulit; quos viſus eſt per eorum reſponſa plene ſuper ea informatos reperire*, omnemque Gregorio Piſtorium aut S. Miniatum acedere volenti ſecuritatem promiſerunt. Ad hæc Carolus paratum ſe ait, *quicquid poterat pro ſacra unione operari, & quod dominus Gregorius Piſtorium accederet.* Ariminum autem appulit xxvi. Aprilis, hoc eſt integro poſt inceptum concilium menſe, atque hora circiter veſpertina obſequium reverentiæ domino ſuo obtulit, juſſus in craſtinum redire. Reverſus die ſequenti mane ad palatium, Gregorio in camera paramenti ſedenti, circumſtantibuſque cardinalibus, acta Piſis & Florentiæ enarravit, concludens eccleſiæ pacem minime dari poſſe, niſi amplius aliquid ille ageret. Circa veſperam autem ejuſdem diei convenit Gregorium, præſentibus Antonio cardinali & camerario, Pauloque papæ nepotibus, atque ea expoſuit omnia, quæ a patribus Piſanis petebantur, *retulitque etiam oblationes quas ſuæ perſonæ & ſuis faciebant, & certitudines quod promiſſa ſervarent oblata.*

Reverſus Ariminum, Acta Piſis & Florentiæ refert.

262. His quidem auditis, lacrymans Gregorius exclamavit: Anguſtiæ mihi ſunt undique. Nam ſi quod illi petunt egero, mei meorumque proditor ero; ſi non egero, quanta, Deus bone, in eccleſia excitabuntur ſcandala? At cum illi aſſentiant unum tuto in loco communi voto celebrari concilium, indictum jam a me accelerabo, in eoque, divina favente gratia, ea tentabo omnia quæ paci atque unioni eccleſiæ poterunt prodeſſe. Ad hæc repoſuit Carolus: *Quod ex duobus alterum eſſet, vel Piſis exiſtentes & Florentini ipſum ſufficienter tutum redderent & ſuos fideles, ſi Piſtorium ſeu ad S. Miniatum accedere inclinaret, vel non: ſi ſic, non poterat perpendere qua ratione ſua ſanctitas conculcationis & deſolationis ſuorum olim & tunc fidelium, ſuæ etiam perſonæ & ſuorum perditionis eſſet cauſa*, & cetera quæ fuſe & patetice proſequitur; addiditque *quod vere per ea quæ propriis oculis viderat, & propriis palpaverat auribus, niſi ſanctitas ſua cum his qui erant Piſis concors fuerit, majus longe quam putetur ab hominibus, ſcandalum populo Chriſtiano fieret & in eccleſia Dei.* Ceterum *accelerationem acceſſus ſui ad partes Foro-Julii, accelerationem futuram eſſe maximi futuri ſcandali, non exſtirpandi in diebus ſuis.* Sed neque ipſum cum pauciſſimis ad concilium ſuum confluentibus quidquam ad unionem facere

Gregorius concilium ſuum accelerare ſtatuit.

Quod Carolus improbat.

poſſe, reclamantibus omnibus eum non *ad unionem faciendam, ſed quantum in eo fuerit ad deſtruendam* accelerare. Deinde poſtquam multis demonſtravit præproperam concilii ſui celebrationem nullam parere poſſe utilitatem, ſed multa graviaque incommoda, concludit *longe præſtantius certitudini unionis & ipſi domino Gregorio fore Piſtorium accedere, quam feſtinare ſuum concilium celebrare.* Alioquin acceleratio concilii, acceleratio erit tertii ad nomen papatus eligendi: quo facto, nihil diebus ſuis ſperandum eſſe de unione. *Sciebat quidem multos ſua ſuggeſſiſſe ſanctitati congregatos Piſis multum inter ſe diſcordes fore. Verum tamquam fidelis præceptor & relator, ſuam reddebat ſanctitatem certam, quod ſi non certificaret populum Chriſtianorum aliter quam illuc uſque feciſſet, ſe potius pacem eccleſiæ, & unionem divini populi diligere, quam papatum, quaſi cunctos ſibi adverſantes reperiet, etiam uſque ad majorem numerum eorum quos ſibi fideliſſimos reputabat. Se quidem vidiſſe dicebat, eos qui obedientiæ fuerunt domini Urbani, magis infeſtos & adverſos contra ſanctitatem ſuam, quam alios longe: ſed & omnes contra eum & adverſarium ſuum unanimes cognoviſſe; & licet in aliis particularibus minus concordes eſſent, contra tamen eos ambos nuſquam diſcordes erant. Per ea inſuper quæ viderat, certe nullus eorum hoſtem habebat, quem non vellet prius in pontificem eligi, & quantum ſibi incumberet in pontificem eligere, quam aliter eorum pontifex remaneret.*

263. Ad hæc ſtupefactus Gregorius dixit, Carolum mutatum eſſe in virum alterum, ab illo quem ante præferebat, quam Piſas accederet: & præ admiratione ab eo petiit, an conſuleret ei Piſas ire. Reſpondit Carolus, quod *non credebat ſanctitatis ſuæ perſonam tutam Piſis eſſe, poteſtate civitatis illius exiſtente, velut erat, in favorem congregatorum Piſis promta; multo minus concilium;* ſed *conſiderabat quod concilium Piſtorio congregatum non privatum, ſed commune eſſe oportebat, quia communi conſenſu & auctoritate congregari iſti aſſentiebant, nec amplius ſua præjudicabat ſanctitati, ipſum Piſtorii congregari communi partium conſenſu & auctoritate, quam ſi Bononiæ & ceteris locis, quibus ſe congregandum eſſe aſſenſerat, qui Piſis erant aſſentirent congregari...* quod ſi *Piſtorium humiliaverit ſe ire, vel exhibita ſibi & ſuis tutela ſufficienti, unio fiat, apud Deum & homines juſtificatus erit penitus*, quod nihil eorum omiſerit, quibus ad procurandam unionem tenebatur. Cui Gregorius repoſuit, *quid* ſe cedente *fieret de cardinalibus ſuis, quid de rege Romanorum, quid de rege Ladiſlao & de rege Hungariæ, & de aliis ſuis curialibus & fidelibus, quos ſciebat propter eorum conſtantiam erga eum illis exoſiſſimos eſſe. Et concludebat valde ſe apud Deum errare credere, & maximam agere impietatem, ſi ſui & ſuorum proditionis cauſa foret, ut aliorum ſatiaret impiam voluntatem.* Propterea mallet *mortis periculo ſe ſubmittere; ſperans in Domino, quod ipſum & ſuos adjuvabit.* Has Gregorii rationes ſolide refutavit Carolus. Cumque ille pertinacius dictis ejus annuere pernegaret, diceretque *quod nullo modo ad terras Florentinorum accedere audebat, de quibus confidere minime poterat, nec debebat ulla ratione;* Carolus non diſſimulavit apparere ſibi, *quicquid ſua ſanctitas dixerit, quod omne quærebat ſubterfugium ne cederet, licet plurimos fingeret honeſtatis colores.*

Gregorius queritur Carolum eſſe mutatum.

264. Quod per Carolum Malateſtam non potuit Gregorius, hoc per legatos Ruperti regis Romanorum obtinere tentavit. Is audito Winceſlaum, cujus loco ſuffectus fuerat, patribus Piſis congregatis ſignificaſſe, ſeſe regni ſui prælatos & oratores ad concilium ea lege miſſurum, ut debitum ipſis *locum tamquam veri & juſti Romanorum & Bohemiæ regis ambaſſiatoribus* aſſignarent, *necnon cum conſilio & ſcientia ipſorum, ſingula tam ſancta*

Quod per Malateſtam non potuit hoc per Rupertum Gregorius tentat.

Romanæ eccleſiæ, quam imperii ſacra negotia tractarent. His, inquam, auditis, ſecum animo deliberavit adhærere Gregorio; unde & in diæta Francofordienſi, cum omnes ſacri imperii principes Barenſem cardinalem honorifice excepiſſent, ille e contrario Antonium Gregorii nepotem & nuncium ſolus fovere viſus eſt, dimiſſa diæta, cum eo profectus Heidelbergam, unde
Lib. 3. c. 39. tres ad Gregorium miſit oratores. *Poſt hoc*, inquit Niemius, *oratores dicti Ruperti in Italiam ad Errorium acceſſerunt, apud eum diutius remanentes, iſti videlicet archiepiſcopus Rigenſis, & epiſcopus Wormacenſis, necnon electus Verdenſis: quem quidem epiſcopum Errorius fecit cardinalem, ſed noluit acceptare, timens ne forte ſi acceptaret honorem, alius ſibi ſubrogaretur in eccleſia Wormacenſi. Prædictus vero electus Verdenſis illectus & inductus doloſe per ipſum Errorium, ad differendum proceſſum unionis, acceſſit ad Piſas, & cardinalibus ibidem congregatis, & ubi tunc erat magna multitudo aliorum eccleſiaſticorum, prælatorum, diverſorumque regum & principum oratores, quoſdam articulos pro parte domini regis Ruperti tradidit: qui inter alia continebant, quod ſi dicti cardinales ad alium locum prædicto Errorio & eis communem & idoneum & ſecurum convenire vellent, quod illuc etiam dictus Errorius convenire deberet; & ſive dictus Petrus illuc veniret, vel non, in termino per generale concilium ſtatuendo, nihilominus idem Errorius illuc ſuo papatui cedere vellet.* Verum concilii patribus animo perpendentibus propoſitam loci mutationem maximo unioni damno ac prope exitio fore, quæ petita ab epiſcopo Verdenſi fuerant longe repulerunt, maxime cum jam celebrata eſſet quarta concilii ſeſſio. Tunc ille Rupetti nomine varia propoſuit dubia, quorum enodationem omnibus præmitti poſtulabat. At mandatum imperatoris cum ſibi patres exhiberi, tum dubia illa ſcriptis tradi concilio petiiſſent, ille nihil dubitans quin ſatis omnibus e veſtigio ſolideque fieret, ut revera factum eſt, hoſpite inſalutato receſſit, reclamatione atque appellatione eccleſiæ valvis affixa. Hæc omnia
Ibid. diſcimus ex Theoderico Niemio: *Ipſe*, inquit, *vices procuratoris aſſumens, ejuſdem Ruperti regis nomine appellavit, innuens in ipſa appellatione, quod hoc caſu convocatio concilii generalis ſpectaret ad dominum Romanorum regem, ſeu ipſo ſuam poteſtatem præſtante, dumtaxat celebrari deberet. Et quia hujuſmodi concilium, ſpreto dicto rege, nec illud fieri mandante, congregaretur in Piſis, propterea contra ipſum Errorium per hujuſmodi concilium non poſſet aliquid definiri de jure. Et qua quidem appellatione valvis cujuſdam eccleſiæ affixa per eumdem Electum in Piſis, poſtea hoſpite inſalutato, ac clanculo, nec vale dicto ipſis cardinalibus, inde receſſit, cum tamen illum actum, ſi utique voluiſſet, etiam abſque omni periculo ibi facere potuiſſet.* Simile aliquid refert monachus Sandionyſianus, qui & de prædictorum legatorum receſſu ſic loquitur: *Iterum dum hæc agebantur, qui extra valvas eccleſiæ cuſtodiebant equos ſuos, magnam contentionem commoverunt, & ad invicem rixati ſunt. Præfati enim domini recedentes in ſcandalum omnium aſpicientium mutuo altercabantur: indeque clare patuit, quod non venerant, niſi ad impediendum factum eccleſiæ.*

Benedicti & regis Aragonum nuncii Piſas applicant. 265. Interea agitabatur in concilio depoſitionis negotium utriuſque contendentis, jamque ad valvas eccleſiæ tertio ſolemniter vocati, non comparentes, declarati fuerant contumaces, contumaciaque ipſa aggravata, exauctorationiſque ſententia pronunciata, cum Piſas advenerunt regis Aragonum & Petri de Luna legati, & quidem, ſi Bonifacio Ferrerii ſit fides, quatuor ante diebus quam purpurati conclavim intrarent, ampliſſimam habentes a Benedicto & a concilio Perpiniani poteſtatem de pace tractandi. Sic enim ipſe Bonifacius in prolixa epiſtola ad ſuos Cartuſienſes a nobis edita tom. 2. Anecdot. cap. 62. *Nos ambaſſiatores domini noſtri papæ Benedicti*

Benedicti & totius generalis concilii, & omnium regum & principum obedientiæ, qui habebamus firmum propoſitum numquam redire ad papam, quouſque unitas vera & cum effectu obtenta fuiſſet, & ire ad primum intruſum, & ad omnes illos qui in his opem, favorem, & auxilium, & conſilium poterant dare, habentes ſuper his agendis, tractandis & perficiendis pleniſſimam poteſtatem, & copioſiſſimas inſtructiones tam patentes quam ſecretas, parati nihilominus obligare & ponere nos in vinculis, quod ea quæ promitteremus opere & efficaciter complerentur, dum tamen fierent debito modo & canonico, ne novum ſcandalum in Dei eccleſia oriretur. Et cap. 58. *Habentes pleniſſimam poteſtatem pro exſequendo & complendo effectualiter quicquid eſſet neceſſarium pro vera unitate eccleſiæ.*

266. Eo ipſo die quo pronuntiata in duos contendentes eſt depoſitionis ſententia, *ambaſſiatores regis Aragonum petierunt audientiam, quæ fuit eis conceſſa. Et tunc cancellarius dicti regis, licet incœpiſſet loqui, de ſede ejectus eſt. Tum ad inſtigationem & clamorem multorum de concilio aſcendit pulpitum; & tunc cœpit proponere quod die præcedente petierat a dictis dominis cardinalibus audientiam publicam.* Cum vero petitum fuiſſet ab eo regis mandatum, reſpondit, *illud ſecum non habere, ſed eſſe in eorum hoſpitio.* Tunc prædicti legati exierunt eccleſiam illud quæſituri & allaturi. Interim dictus cancellarius orationem petiit, quæ non ſine gravi difficultate conceſſa eſt ei. Aſcenſo itaque iterum pulpito, regis ſui zelum ad procurandam eccleſiæ unionem maxime laudavit, exquiſivitque de omnibus in concilio actis plene edoceri, *ut regem poſſet debite & ad plenum informare,* nunciosque Petri de Luna a patribus audiri. Quibus addidit ſe de rebus hactenus geſtis nondum plene inſtructum, nullatenus intendere ea firmare ſua præſentia, aut quovis modo approbare. Cui reſponſum eſt, *quod libenter ex parte concilii deputarentur & darentur aliqui ſolemnes viri, qui de præmiſſis eos ad plenum informarent.* Ad petitam autem Petri de Luna nunciis orationem, *quod cum jam tarda eſſet ipſa hora, tunc audire non poterant, ſed darentur commiſſarii, qui viderent eorum mandatum: quo viſo, darent eis audientiam, ſi danda eſſet, aut alias facerent quicquid faciendum eſſet.*

Act. concil. Piſ. p. 1101.

267. Die Junii XIV. hoc eſt pridie quam purpurati intrarent conclave, *hora veſperorum in præſentia plurium dominorum cardinalium, & nobilium prælatorum, & aliorum ambaſſiatorum, hic (id eſt Piſis) exiſtentium, fuit latum mandatum ſeu poteſtas per Petrum de Luna datum ſuis oratoribus, continens in effectu, quod dabat eis poteſtatem ad tractandum de ſecuritatibus convenientibus, & loco idoneo, in quo conveniret per ſe vel procuratorem ad tractandum de unione eccleſiæ per viam ceſſionis incluſive... Et hora eis aſſignata pro audiendo quæ dicere vellent, fuit lecta coram eis ſententia ejectionis duorum contendentium per ſacrum concilium lata.* Deinde excuſantes ſe quod tardius ad horam ſibi aſſignatam conveniſſent, culpam in capitaneum Piſarum rejecerunt, qui donec ab eo moniti fuiſſent, ne ſuum exirent hoſpitium ſignificaverat: cujus poſtea vicarius declaraverat fore aliqua Florentinos inter & patres Piſis exiſtentes pacta capitula, quibus cautum erat, ne his concederetur ſalvus-conductus, qui Piſas impediendæ unionis cauſa venirent, quos per Florentinos dominoſque Piſanos puniendos eſſe conſtitutum erat.

Epiſt. Rob. prioris Celſin. ad abbatem Cluniac.

268. Tandem cum dicendi finem feciſſet archiepiſcopus Terraconenſis, *eis reſponſum eſt in effectu, quod audierant ſententiam ſacri concilii, qua ambo contendentes erant ejecti, ut hæretici, & ſciebant pœnas juris, &c. Secundo quod capitula non poterant nec debebant per ipſos præſentes infringi. Si tamen pro reductione dictorum duorum contendentium, vel utilitate pu-*

blica ſeu bono unionis volebant aliquid boni dicere, poterant, quia illud non eſſet contrarium capitulis. Tunc habita inter ipſos & regis Aragonum legatos deliberatione, petierunt exhiberi ſibi ipſa capitula: quibus viſis & accurate diſcuſſis poſſent ſecum deliberare. *Sed in craſtinum intraverunt galeam & receſſerunt hoſpite inſalutato, & manſerunt nuncii regis Aragonum petentes informari de geſtis in dicto concilio.* Hæc omnia diſcimus ex epiſtola Roberti prioris Celſiniarum ad abbatem Cluniacenſem, cujus nomine intererat concilio. In mandatis autem acceperant, ut Piſis ad Gregorium contenderent. At petenti ſalvum-conductum per terras Bononiæ dictum eſt: *Dicatis eis, quod vel cum ſecuritate, vel ſine, ſi illic poſſum eos reperire, ego tradam eos igni vivos concremandos.*

Bened. di nuncii recedunt.

269. Conclavim ingreſſi ſunt purpurati die Junii xv. atque ut omnia rite, pacifice, atque ex ordine procederent, ſtatutum fuerat ut ita cuſtodiretur, nemini ut liceret eos alloqui. Cuſtodes & cuſtodiæ modum egregie deſcripſit Robertus prior Celſiniarum epiſtola 2. ad abbatem Cluniacenſem hic a nobis edita. Incluſi per decem dies electionis negotium agitavere cardinales. Interim regis Aragonum oratores, qui recedentibus Petri de Luna legatis, Piſis remanſerant, atque in primis Geraldus *de Cervillon* miles, maritus neptis Petri de Luna & caſtellanus regis, declaravit patriarchæ poteſtatem ſe habere *offerendi cum effectu renuntiationem pure & præciſe præfati Petri de Luna*, etiamſi minime cederet Angelus Corrario, petiit ante admitti quam ad electionem papæ procederetur. Cui reſponſum eſt, *quod domini cardinales erant in conclavi, & non poterant retardari, nec eis verbum fieri; ſed poſtquam elegiſſent, cetera quæ opportuna eſſent fierent.* Perſtitere Piſis ad diem Junii trigeſimum, quo *hoſpite inſalutato* receſſerunt, *non loquuti cum aliquo, niſi cum domino Vivarienſi.*

Et regis Aragonum oratores.

Pag. 1114.

270. Pridie autem quam fieret electio papæ, Piſas ingreſſus eſt quidam doctor, regis Caſtellæ oratorem ſe fingens, eoque nomine orationem petens. Verum *videns quod non poterat docere de mandato regis, quia nec venerat ex parte illius; ſed dominis cardinalibus portavit litteras ex parte infantis Caſtellæ impetratas pro Petro de Luna, in quibus rogabat quod tractaretur locus conventionis pro ceſſione mutua, & darentur cautiones.* Sed & audiens ſolemnes oratores a Caſtellæ rege miſſos proxime adfuturos, cum mandato ea omnia recipiendi quæ regi Franciæ placerent, *& quod ſua fraus detegebatur*, tacuit, eumque facti ſui pœnituit.

Fictus orator regis Caſtellæ.

271. Vidimus ſupra quanta Carolus Malateſta in Gregorii gratiam fecerit; cum autem ab unitis collegiis obtinere non potuiſſet concilium alium in locum ſibi commodum & tutum transferri; ſed nec ipſi Gregorio perſuadere ut Piſas aut Piſtorium per ſe vel procuratorem accederet; idem Gregorius, reluctante licet Carolo, conſtituit ſuum accelerare concilium, quod ad feſtum Pentecoſtes indixerat. Verum non prævidebat, quæ ſibi hoc in propoſito perſiſtenti difficultates occurrerent. Audiendus hic Robertus prior Celſiniarum in ſecunda epiſtola ad abbatem Cluniacenſem: *Ille intruſus Angelus Corrario cum vellet tenere ſuum concilium in patriarchatu Aquilegienſi, tantam perſecutionem paſſus eſt per patriarcham Aquilegienſem, quod quaſi vagator & profugus venit ad Venetiam: ſed Veneti noluerunt eum recipere, & mandaverant ſub magnis panis omnibus de terra ſua, in qua ſunt plus quam ſex viginti caſtra, quod nullus eum reciperet, & aufugit cum valde paucis, in quodam modico caſtello cujuſdam ſcutiferi, in quo eſt valde miſerabiliter.*

Gregorius ſuum accelerat concilium.

Pag. 1118.

272. Et Theodericus Niemius: *Dictus vero Errorius etiam cognoſcens quod dicta ſententia contra ipſum lata fuerat, & timens quod contra eum executioni cum invocatione brachii ſæcularis demandaretur, quodque Ve-*

Lib. 3. c. 45.

neti ei forſan non aſſiſterent, eo quod per ipſum dominus Antonius patriarcha Aquilegienſis privatus fuerat; qui contra eum ſuoſque cardinales potenter & ſollicite laborabat, ipſis ponendo inſidias in omni loco circumcirca dictam terram civitatis Auſtria, habebatque exploratores ſemper in eadem terra, qui ſecrete etiam quæ fecerat Errorius, aut facere proponebat, ſolertius exquirere nitebantur, & utrobique ſtabat minus tute, deficerentque ſibi & ſuis cardinalibus paſſim ſumtus & victualia, cogitavit inde recedere qualitercumque, &c.

Alexander V. electio.

273. Schiſmati finem non impoſuit Alexandri V. electio. Nam etſi ei Roma ipſa atque Italiæ pars maxima obediret, Francia, Anglia, Germania fere tota, Bohemia, Polonia, Dacia & Suecia, aliqualem nihilominus obedientiam duo contendentes habebant. Benedicto adhærebant Caſtellæ, Aragonum & Scotiæ reges; Gregorio Ladiſlaus rex cum quibuſdam Italiæ civitatibus: qui tamen *Ladiſlaus eum poſtea deſeruit*, ſolo ex omnibus principibus Carolo Malateſta Arimini domino perſeverante, & cauſam ejus indefeſſe propugnante.

Carolus proponit concilium celebrari ex tribus obedientiis.

274. Hic ſtatim poſt factam Alexandri V. promotionem, egregium virum Garſiam de Turribus ad Benedictum miſit, qui expoſita ſchiſmatis calamitate, & ope ejus implorata, ad ſubveniendum eccleſiæ laboranti concilium generale ex tribus obedientiis celebrandum propoſuit. Miſit & ad Alexandrum epiſcopum Cervienſem, qui eadem admoneret, revocans in memoriam ea quæ ſibi olim apud cardinalem Aquilegienſem dixerat, paratum ſe eſſe cardinalatum abdicare, ſi Gregorius papatui cedere vellet, & ſimul cum eo ad S. Nicolai de Littore monaſterium ſecedere, ibidemque ei tota vita ſua ſervire, *ambitionem in eo non creviſſe, ſed bene affectionem ad proficiendum eccleſia.* Cui Alexander reſpondit, Gregorium & Benedictum non ſolum eſſe ſchiſmaticos, ſed etiam hæreticos, nec decere verum & indubitatum pontificem cum eis de ſua dignitate tractare. *Ego*, inquit, *electus fui non ſolum a toto collegio, ſed etiam a concilio papa; in quo papatu ita bonum jus habeo, ſicut umquam alius certus & indubitatus papa in præteritum habuit: ita quod pro faciendo hæreticos renuntiare, bonum non eſt neque neceſſe, quod ego renunciem... Et junctis manibus hæc verba dixit: Epiſcope mi, Dominus Deus ſcit, quod hunc papatum ego numquam concupivi, neque quæſivi, neque in eo ſpem habui. Ab ipſo (Deo) proceſſit quod fuerim creatus de mirabili cunctorum concordia, & ſpero quod ipſe me juvabit, & ipſi me recommendo.*

Pag. 1140.

§. X. *De continuato ſchiſmate ſub Johanne XXIII. & ejus extinctione in concilio Conſtantienſi.*

Obitus Alexandri V.

275. Papatum diu non tenuit Alexander, nam decem exactis menſibus cum diebus octo, e vivis exceſſit. Tunc Carolus Malateſta, qui omnem captabat occaſionem bene de Gregorio merendi, Paulum epiſcopum Cervienſem & Johannem de Petra-longa judicem curiæ generalis Romandiolæ, Bononiam, ubi ille obierat, cardinalibus direxit, qui præmiſſis ſolitis hortationibus ad pacem eccleſiæ procurandam, traderent ipſis nomine ejus prolixam orationem, eiſdem jam ante Alexandri creationem Piſas miſſam, ſed prohibentibus conclavis cuſtodibus, nec tum datam. Hac oratione quam hic habes pag. 1143. novam extinguendi ſchiſmatis viam proponit patribus, quam pluribus verbis ſuadere nititur.

Carolus novam Johanni viam proponit ad unionem.

276. Verum cum nullum hæc legatio effectum eſſet conſecuta, animo non deſpondit Carolus, ſed facta electione Baltazaris de Coſſa, qui Johannes XXIII. dictus eſt, alteram ſtatim ad eum legationem conſtituit, eum exhortans ad ceſſionem, aut ſi cedere nollet, ipſe cum Gregorio & Petro de

Luna, duos quilibet pro parte ſua vel tres, aut plures deſignaret, quibus uterque liberam & irrevocabilem congregandi concilii poteſtatem faceret modo ac loco ab eis ſtatuendo, in quo de procuranda eccleſiæ unione efficaciter tractaretur. Pag. 1175. Ad quod reſpondit Johannes, *quod jus habens certum & indubitatum, nolebat in dubio ponere per commiſſionem in alias perſonas, & ſe poteſtate quam habebat & jure ſuo privare. Sed quod paratus erat, prout deliberatum fuerat in concilio Piſano, tempore tunc ſtatuto concilium convocare in loco tuto, ſcilicet Bononiæ, datis caſtris, rochis & fortalitiis, in manus dominationis veſtræ, (nempe Caroli) pro tutela & ſecuritate ad concilium accedendi, &c. ad quod concilium Gregorius, ut dixerat, venire poterat;* jam Bononiam ab eo recuſari non poſſe, cum eam urbem Piſanis patribus ad celebrandum concilium obtuliſſet, ad quam accedens Angelus Corrarius convocare poterat etiam prælatos obedientiæ ſuæ ad nihilum jam pene redactæ, ut vix infra Apuliæ limites contineretur. Firmam quippe ſpem defuncto Ruperto imperatore affulgere, Alemanniam omnem ſuas ad partes acceſſuram, ut jam Hungariæ rex & regina Sueciæ præiverant. Nec multo præſtare Petri de Luna ſortem, a quo pariter ſperabat Hiſpaniam, cui legatum parabat cardinalem Barenſem, brevi ad ſe defecturam, & ſic ſolo Aragonum rege Petro de Luna remanente, totum pene orbem ſibi ſubjectum iri. Hæc ex epiſtola Pauli Cervienſis epiſcopi ad Carolum Malateſtam data Bononiæ die xx. Junii MCCCCX.

Johanni bellum indicit.

277. Vix effluxerat menſis, cum alteram ad eumdem Johannem legationem deſtinavit: quæ cum feliciorem exitum ſortita non eſſet, tandem armis pontificem domare decrevit. Hac belli denunciatione perculſus Johannes, miſſo Divo de Penſauro juris doctore, Carolo declaravit, *quod primum vinculum caritatis, quod cum Carolo ipſe contraxerat, ſemper ejus animo ſtatuerat indiſſolubile fore, & nonniſi vita obeunte diſſolvi... dolere Carolum, quem ſemper præ ceteris dilexerat, & in quo ſpem geſſerat ſingularem, & quem ſuæ intentionis fuerat, & erat toto poſſe ſublimare & honorare, ceteris fere omnibus Chriſtianis & eorum principibus & magnatibus in obedientia ſua exiſtentibus, ſolum ſibi contradicere & illi ſe opponere: de quo non tantum propter ſeipſum dolebat, quantum propter ipſius Caroli honoris ſtatus detrimentum, quod ex ſua opinione ſibi cernebat imminere. Dolebat inſuper ſumme, quoniam audierat Carolum arma parare: non quia bellum formidaret, ſciens ſe potentem inimicum; ſed quia undique ſe nimis conſpiciebat amiſſurum, quomodocumque res exitum ſortiretur, &c.* Quibus Carolus ſeſe *contractam cum illo amicitiam ſemper ſervaſſe* reſpondit, necnon adhuc ſperare *in divina bonitate & miſericordia, ſe probaturum opere, quod ipſe illum non minus in ſui ſalutem diligebat, quam ille Carolum ad gloriam & commodum orbis. Diligebat namque ipſum caritate non ficta; ſed tranquillitatem matris & domina ſuæ (id eſt eccleſiæ) amplius diligebat... Non quærebat ipſe Carolus ſuſcitare ſcandalum, ſed ſuſcitatum extinguere, & propter hoc omne privatum commodum derelinquere.* Quod autem bellum ei indixiſſet, id *non propter amorem alicujus privatæ perſonæ, nec propter odium, nec propter munus, aut ſtatus ſui exaltandi ſpem; ſed ſolum propter divinum honorem & zelum domus ejus ſanctiſſimæ. Ratio fuit, quia ille homo propter ambitionem cauſa fuit triſchiſmatis, contra omnem ſpem ipſi Carolo exhibitam.*

Sigiſmundum certum facit de omnibus actis cum Johanne papa.

278. Neque his contentus Carolus, Sigiſmundum imperatorem fecit certiorem de omnibus a ſe cum Johanne papa per ſuos oratores actis, deque modis illi ad extinguendum ſchiſma propoſitis, ceſſione ſcilicet, aut concilio generali, quorum primum ab eximia univerſitate Pariſienſi, alterum ab Avenionenſi fuerat approbatum. Quapropter ejus clementiæ per viſcera

viſcera miſericordiæ Domini noſtri JESU CHRISTI, *qui illum creavit & redemit, & qui a tot periculis liberavit, atque ad culmen Romani evexit imperii*, ſupplicabat, quatenus *omni privata voluntate abjecta*, divinum viriliter ſibi proponens honorem, eccleſiæ matris ſuæ quieti provideret. Atque ut Sigiſmundum facilius flecteret, narravit id quod a quodam obedientiæ Johannis, ſed unionis zelatore, acceperat: *Dominum Johannem*, inquit, *quamvis illi obediat, non minus agre fert ipſe quam Carolus, cum ipſe ſit homo notorie infamatus de homicidio, & alius criminibus etiam, cum omni die ſcandaloſa operetur, & ſi ipſe haberet ſolium ſine freno, ipſe cum ſua crudelitate & nequitia deſtrueret totum mundum.* Addit quod *timet exinde propter ejus demerita, quod in futuro concilio non deponatur, ut detur pax eccleſiæ univerſali: quoniam Pariſienſes jam nonnulli incœperunt tangere iſtum paſſum, cujus cauſa ipſe quærit facere concilium in loco ſibi fido, & ubi ipſe habeat utrumque gladium*, &c.

279. Interea Johannes concilium generale indicere cogitabat, juxta præſcripta concilii Piſani, in quo ſtatutum fuerat, ut triennio tranſacto concilium aliud celebraretur. *Et cum propoſuiſſet, ubi concilium fieri deberet, nonnulli, ut Francigenæ, dixerunt quod fieret ultra montes, in Sabaudia vel in Francia, aliqui licet pauci in Alemannia, ipſe dixit quod fieret in confinibus Italiæ pro commodiori & utiliori commodo omnium: & in hoc ſolus fuit, nominando locum tutum, videlicet Veronam & Paduam. Alii vero, ut Romani, dixerunt de Roma, & de Roma ſe fideliter concordaverunt.* Johannes concilium generale indicit.

280. Et revera anno 1412. menſe Aprili generale concilium indixit, ad quod accedendi cauſa tam primates & archiepiſcopi, quam epiſcopi & alii prælati ex Italia, Bohemia, Hungaria, Anglia, Scotia, Alemannia, itineri ſe commiſerunt, perinde ac regis Franciæ oratores, atque univerſitatis Pariſienſis doctores. Ex quibus pauci, prohibentibus Ladiſlai copiis, quæ exteriora Romæ occupabant, Urbem intrare potuere. Unde ſi bullam in Wicleffiſtas Huſſitaſque excipias, per paucos omnino prælatos in eccleſiæ commodum & utilitatem tractari & diffiniri quidquam potuit. Quapropter cum pro tempore majoris aliquid momenti conſtituendi ſpes non affulgeret, Johannes concilium diſſolvi, & in alium transferri locum commodiorem, & tempore magis opportuno cenſuit.

281. Interim Ladiſlaus, ſpreto fraudulento cum Johanne tractatu, corruptiſque pontificii exercitus ducibus, ac ſimul occupata Urbe, papam mutato habitu, nocte intempeſta fugere coëgit octava Junii die, anno MCCCCXIII. Qui continuo Florentiam ſe conferens, Sigiſmundum imperatorem tunc in Longobardia agentem, in ſui auxilium, miſſo Chalantio cardinali, adverſus Ladiſlaum advocat. Sed & cum nec Florentiæ ſibi tuto eſſe exiſtimaret, Bononiam acceſſit, unde Chalantium iterum & Zarabellam cardinales atque Emanuelem Chryſoloram ad Sigiſmundum direxit, qui cum eo de tempore & loco congregandi novi concilii deliberarent. Conſtantiam ad Rhenum propoſuit imperator, cui legati, penſata mature utilitate publica, aſſenſum præbuere. Locum moleſte tulit pontifex, at reluctari non vacabat. Itaque Placentiam primum, deinde Laudem-Pompeiam contendit, varioſque per menſem cum Sigiſmundo tractatus habuit, ac tandem de incipienda primo die Novembris MCCCCXIV. Conſtantiæ ſynodo convenerunt. Ladiſlaus Romam occupat, ac papam fugere cogit.

282. Poſt indictam concilii congregationem, pontifex ſub initium quadrageſimæ Bononiam ſe recepit. At nuntiato ſequenti Auguſto Ladiſlaum regem, qui dominium eccleſiæ occupabat, ab hoc ſæculo migraſſe, ſtatim in Urbem regredi inſtituit, & revera eſſet profectus, niſi tum cardinales hoc prævidentes reditu concilium indictum diſſipandum fore, obſtitiſſent viri- Mortuo Ladiſlao, Johannes Urbem regredi cupit, at obſtitere cardinales.

liter. Coactus itaque die 1. Octobris iter ad Conſtantiam arripuit, atque ex Bononia Ferrariam, inde Veronam, unde cardinales duos N. S. Ceciliæ presbyterum, & R. SS. Coſmæ & Damiani diaconum Conſtantiam præmiſit, qui de rebus omnibus in ſolemni ejus ingreſſu cum neceſſariis tum rite agendis cum regis Romanorum oratoribus & civibus convenirent & ordinarent. Nec mora Conſtantiam appulſi octavo & decimo Octobris die, debitos pontifici honores Johanni deferri petierunt, utque pro vero & uno papa haberetur, ut poſſet in civitate remanere vel ea egredi pro libitu, ut juriſdictionem ſuam per officiales integre exerceret, itinera tuta accedentibus ad concilium redderentur, & papæ & camerario ejus ſalvum-conductum inviolate tenerent & obſervarent. Quibus omnibus a magiſtratu receptis, Johannes in monaſterium ad muros urbis die XXVII. deſcendit, atque inde ſequenti die ingreſſus in urbem eſt.

Initium concilii Conſtantienſis. Pag. 1408.

283. Indicta prima concilii ſeſſione ad diem tertium Novembris, *papa repentina quadam perturbatione & doloribus correptus, coactus eſt ad cameram redire, quapropter dilata eſt ſeſſio ad diem decimum ſextum*, ante quam habita eſt una congregatio, in qua Italica natio petiit acta concilii Piſani, quod jam Conſtantiæ continuabatur, confirmarentur, & ibi latæ in contendentes ſententiæ aggravarentur. At obſtitit Petrus de Alliaco cardinalis Cameracenſis, affirmans expectandos eſſe audiendoſque Petri de Luna & Angeli Corrarii oratores & nuncios, qui ad concilium veniebant. Interim Conſtantiam advenit Sigiſmundus rex Romanorum die XXIV. Decembris, *poſt quem veniebant nuncii Angeli Corrarii & Petri de Luna, quorum aliqui anticardinales erant: propter quos fuit altercatio, ſi permitterentur ingredi in rubro capello, & pro bono pacis obtentum eſt quod ſic, & ita ſunt ingreſſi.* Conſtantiam tamen jam intraverat Johannes Dominici Gregorii nuncius die Novembris XIX. *qui cum inſignia Gregorii valvis hoſpitii ſui affixiſſet, his nocte amotis, diſceptatum eſt an reſtitui deberent, & variatis votis demum reſolutum eſt, niſi ipſe acceſſerit, non repetenda, nec affigenda in aliena obedientia.*

Diarium conc. Conſt. p. 298.

Pag. 1409.

Pag. 1410.

284. Die Decembris undetrigeſimo recitari juſſit Sigiſmundus coram papa & cardinalibus ac prælatis ſimul congregatis res a ſe geſtas pro eccleſiæ unione, tribuſque horis huic lectioni inſumtis, *propoſuit admittendos oratores & nuncios Benedicti & Gregorii, expectandos prælatos & oratores regum Franciæ, Angliæ & aliorum principum*, &c. *Admiſſi coram rege ipſius Angeli nuncii propoſuerunt publice, & in effectu ſe fecerunt fortes de via ceſſionis pro domino ſuo, nullum tamen mandatum oſtenderunt.* Eamdem etiam ceſſionis viam propoſuit Ludovicus dux Bavariæ, qui Gregorio obediebat. Sed & ipſi prælati & doctores ac magiſtri ejuſdem obedientiæ paratos ſe exhibuerunt ad tractandum efficaciter unionis negotium: ita tamen *ut Johannes XXIII. non præſideat, nec interſit concilio, immo omnis obligatio per perſonas concilii ſibi ſpecialiter facta, quoad tractanda in concilio relaxetur*; peracto autem unionis negotio, Gregorius a rege invitetur ad concilium, ut per ſe aut per ſufficiens ejus mandatum tractata in concilio approbet & confirmet. *Conſequenter auditi ſunt nuncii Petri de Luna, qui nihil aliud obtulerunt, niſi conventionem regis Romanorum, cum rege Aragonum & Petro de Luna.* Ipſe etiam Petrus de Luna poſtea interrogatus a Sigiſmundo rege de ſalubri ad procurandam unionem eccleſiæ via, nullam reſpondit ſibi meliorem videri juſtitiæ viam, quam ſemper obtulerat offerebatque. Quæ ſi non placeret, voluntariam etiam offerebat papatus renunciationem, ſed *amoto obſtaculo Piſano*, id eſt abrogatis actis concilii Piſani, appoſita etiam hac conditione, ut facta per eum ceſſione, ipſe ſolus *eligat hac vice Romanum pontificem*; nec poſſe id ſibi denegari, cum electio

Nuncii Gregorii & Benedicti in concilio admiſſi.

Diar. conc. Conſt. pag. 298.

Ibid. pag. 299.

Pag. 1209. hujus tomi.

Pag. 1209.

papæ ad ſolos pertineat cardinales, ipſeque ſolus a Gregorio XI. vero ſummo pontifice creatus, pro legitimo & indubitato cardinali haberi debeat, aliis omnibus purpura in ſchiſmate donatis.

Adventus archiepiſcopi Moguntini. Pag. 1410.

285. *Die* XII. *Januarii* MCCCCXV. *archiepiſcopus Moguntinus armatus ac veſtitus velut coloris rubei veſtibus, cum* CC. *armigeris, præcedente vexillo cum ejus armis, & de latere enſis ingreſſus eſt Conſtantiam, cui obviam occurrerunt cardinalis Barenſis, magiſter hoſpitii papæ, & Bertoldus de Urſinis.* De hoc archiepiſcopi Moguntini Conſtantiam ingreſſu hæc habent oratores Colonienſis univerſitatis in epiſtola II. ad ſuos Colonienſes: *Inſuper eſt in Conſtantia maxima multitudo prælatorum, cardinalium, archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, ambaſſiatorum, & doctorum, inter quos dominus Moguntinus intravit multum ſolemniter in profeſto octavarum epiphaniæ cum ſeptingentis equis.* Tom. 2. Anecdot. p. 1611.

Oratorum univerſitatis Pariſienſis.

286. Necdum Conſtantiam advenerant Pariſienſis univerſitatis nuncii, qui XXI. die Februarii tantummodo applicuerunt, ab ipſo papa & imperatore gratanter excepti. Horum præcipui fuere Johannes *Dacheri*, Benedictus Gentiani monachus Dionyſianus, vir doctiſſimus, & Johannes Gerſonius cancellarius: de quorum zelo hæc leguntur in epiſtola VII. oratorum univerſitatis Colonienſis: *Univerſitas Pariſienſis bene ſe habet in negotiis eccleſiæ, & habet magnam audientiam. Solent enim in arduis doctores & magiſtros ſuæ univerſitatis Conſtantiæ exiſtentes* CC. *in numero vel plures congregare, & de conſilio eorum concludere.* Ibid. pag. 1619.

Oratorum regis Franc. Diar. conc. pag. 307.

287. *Subſequenter vero ambaſſiatores regis Franciæ intraverunt Conſtantiam* V. *die menſis Martii, & fuit eis obviam imperator cum buccinis & velis ſuis, quaſi per dimidiam leucam Franciæ, & dux Lotharingiæ, qui intravit quaſi per dimidiam horam in villa Conſtantiæ, ante ambaxiatores, non deſcendit de equo, ſed ivit eis obviam. Similiter & magnus camerarius papæ, comes Bertholdus, Nicolaus de Robertis ambaxiator regis Daniæ, Poloniæ, & aliorum plurium regum, necnon archiepiſcopi, epiſcopi in magno numero, ſicque fuerunt plus quam duo millia hominum, inter quos erant ſolum duo Anglici. Item magnus dux Bavariæ cum magna copia militum Alemanniæ.*

Johannes papa ſolemniter promittit ceſſionem.

288. Interim ad procurandam eccleſiæ pacem, cum Johanne papa de ceſſione facienda tractabatur; ſtatimque ille obtulit formulam ceſſionis, quæ cum tribus nationibus non videretur ſufficere, oblata eſt ei altera, immo & tertia, quibus pariter rejectis, quarta demum formula in domo fratrum Minorum, præſente imperatore, die XXVII. Februarii compoſita & approbata ab omnibus fuit. Quatuor has formulas exhibet Diarium concilii Conſtantienſis. Conſequenter VI. nonas Martii Johannes bullam dedit de facienda ceſſione ad tenorem quartæ formulæ, cui Benedictus Gentiani auctor fuit ut adderetur *Voveo & juro*, approbantibus tribus nationibus, Gallicana, Germanica & Anglicana, & ex Italica duodecim prælatis, cum archiepiſcopo Januenſi. Quibus peractis, imperator papam adduxit, & præſentibus cardinalibus, & nationibus omnibus, quartam præſentavit formulam, quam ut acceptaret ſupplicaverunt. His ille promto animo annuit; ſed neque his contentus, eam ipſam celebrata ſequenti die ſeſſione recitare non dubitavit; cum vero ad illa verba pervenit, *Juro & voveo, deſcendens de cathedra inclinavit ſe cum genuflexione verſus altare, & ponens manum ad pectus, dixit: Ita vere facio. Et rurſum in fine prædictæ prælectionis, idem cum eadem reverentia juravit & vovit.* Poſtea imperator, gratiis pontifici actis, depoſito imperiali diademate, ac flens præ gaudio, proſtravit ſe ad pedum oſcula beatorum. Interrogatus deinde Johannes an per propriam perſonam, an per procuratorem facienda eſſet ceſſio, reſpondit in-

Diar. pag. 310. cunctanter, *quod ipſa ceſſio ad pacem eccleſiæ multo certius, multo ſecurius, multo celerius, multo honeſtius, multo melius fiet per nos in propria perſona, quam per procuratores.* Acta ſunt hæc die Martii XVI. At ſequenti die congregatæ nationes, de papæ reſponſione non contentæ, petierunt inſtanter Ibid. p. 312. ab eo procuratorium ad cedendum. *Nec multo poſt per multorum ora vulgatum eſt, quod papa volebat nationes prævenire, & tam procuratorium quam alia requiſita facere.*

Johannes fugit e Conſtantia. 289. Hinc univerſalis omnium lætitia, quæ brevi poſt in luctum mutata eſt. Nam XXI. Martii ipſe Johannes, cujus mens numquam ſincera fuit, mutato habitu vili, nocte Conſtantia *Schafhuſen* Friderici ducis Auſtriæ oppidum fugit: unde brevem eodem die epiſtolam imperatori miſit, ſignificans Tom. 2. Anecd. p. 1618. ſe Schafhuſam *abſque duce Auſtriæ* veniſſe, *non animo declinandi ab his quæ promiſimus*, inquit, *per renuntiationem noſtram facere pacem eccleſiæ ſanctæ Dei; ſed ut in libertate ac ſalute propriæ perſonæ poſſimus, prout indubie volumus, ea exſecutioni mandare.* Verum alia eum mente fuiſſe diſcimus ex cedula paucis poſt diebus valvis eccleſiæ Conſtantienſis affixa, hæc inter Ibid. p. 1620. alia continente. *Dominus papa Johannes XXIII. ſuorum promiſſi, voti & juramenti immemor, volens... iſtum ſacrum concilium dirimere & diſſolvere, quod eccleſiam Dei militantem repræſentat, clam, furtive, & nocturno tempore, ſui cordis ſequens tenebras, ab hinc cum ſuo comite duce Auſtriæ, & in habitu vili receſſit, oves deſerens, pro quibus ſeipſum impendere tenebatur, in dedecus, ſcandalum ac vilipendium iſtius ſacri concilii.* Et paulo poſt: *Suam volens palliare malitiam, ſcripſit in dolo Romanorum regi litteras mendaces & falſas, quod abſque ſcitu ducis Auſtriæ receſſerat. Et hoc conſtat eſſe falſiſſimum.*

290. Dum vero ſic imperatori & prælatis imponeret Johannes, contra regi Poloniæ, & Bituricenſi ac Burgundiæ ducibus ſignificabat, nullam prorſus libertatem ſibi Conſtantiæ relictam, quin & paratas vitæ ſuæ inſidias eſſe. Scriptas ad eos hac de re epiſtolas datas XXII. Martii habes in Dia- Tom. 2. Anecd. pag. 1626. rio Conſtantienſis concilii pag. 316. & ſeqq. Et tamen Sigiſmundus *die præcedenti noctem receſſus papæ, fuit cum domino papa & coram quinque cardinalibus, & coram principibus dixit ſibi, quod nullo modo deberet timere, quia deberet eſſe ſeciriſſimus: de quo papa tunc videbatur multum contentus.*

Imperator cunctis ut ſe geſſerit. 291. Imperator audita Johannis fuga, congregatos patres conſolatus, hortatuſque eſt ut in propoſito firmi permanerent: id quod ita Diarium expreſſit: Diar. p. 313. *De mane hora VII, cognito papæ receſſu, ex parte imperatoris fuit voce præconis ad ſonum tubæ Conſtantiæ proclamatum, quod nullus moveretur aut timeret, & quod in majori ſecuritate ſtabat concilium generale tunc quam inantea, & quod victualia eſſent in majori foro, & quod quilibet erat in libertate eundi, ſtandi & redeundi.* Atque ut Johannes a ſperato ab Auſtriæ duce præſidio fruſtraretur, eumdem ducem imperator denunciato bello aggreſſus, brevi ad extremas redegit anguſtias. Quapropter *cum per* Continuatur concilium. *nationes ordinatum fuiſſet habendam eſſe ſeſſionem abſente pontifice*, die Martii XXV. ſolemnis habita eſt ſeſſio, præſide Petro de Alliaco cardinali Cameracenſi, ac præſente Franciſco cardinali Florentino. Sed Venetiarum & Pag. 1412. hujus tomi. Aquilegienſis *negarunt ſe interfuturos, nonnulli excuſarunt infirmitatem: De Columna vero, S. Angeli & de Comitibus clara luce de Conſtantia Schafhuſam venerunt.* Johannes vero *compellebat officiarios curiæ ſuæ tremendis edictis ſua ſequi veſtigia. Propter quod ipſum plures numero cardinales comitabantur, & concurrebant ad eum quamplurimi, forte prædam ſequentes, non hominem: quorum tamen pars major, paſtore ſic per abrupta gradiente derelicto, ad hoc ovile derelictum eſt reverſa.* Ita legimus in epiſtola

concilii

concilii ad universitatem Colonienſem, tom. 2. Anecd. pag. 1627.

292. Interim miſſi a ſacro collegio ad Johannem tres cardinales, de Urſinis, S. Marci, & Salutiatum, ut mentem ejus explorarent: præter quos etiam cardinales de Piſis, de Chalanco, Barrenſis, S. Angeli, Brancaſſus, de Columna & de Comitibus ſponte acceſſerunt ad papam, promtum ei reditum conſulentes. Cardinales papam hortantur ad reditum.

293. Reverſi feria IV. majoris hebdomadæ tres cardinales, retulerunt non eſſe Johannis intentionis declinandi a promiſſis, aut concilii diſſolvendi: immo paratum eum eſſe *conſtituere procuratores ad cedendum in forma. De regreſſu autem ſpem non dabant.* Verum dum fictis verbis cardinales deluderet, feria VI. Paraſceves, relicta Schafuſa, venit *Louffenberch*, atque non multo poſt Friburgum & Briſacum; immo etiam fugere in Burgundiam tentavit. Quapropter cum ſacrum concilium nullam jam ei fidem adhiberi poſſe animadverteret, adverſus eum judicio procedere cenſuit. In ſeſſione tamen, quæ XVIII. Aprilis habita eſt, conſtitutum adhuc fuit, ut procuratoria formula ad cedendum ei mitteretur, deſignatis ei procuratoribus ex omnibus nationibus aſſumendis, ex quibus duo aliis invitis, immo ipſo etiam invito, poterant cedere. Conſtitutum etiam fuit, ut ipſe ad concilium ſub fide publica invitaretur. Quid vero inde ſecutum ſit diſcimus ex epiſtola oratorum univerſitatis Colonienſis, in qua hæc leguntur: *Miſit ſacrum concilium dominos cardinales cum aliis octo prælatis & doctoribus, qui credentes eum invenire in* Friburg, *non invenerunt eum ibi, quia proceſſerat ad Briſacum, ubi invenerunt eum. Et prima die [illegible] prætendens infirmitatem non dedit eis audientiam; ſed die ſequenti audi[illegible]os, & poſt auditionem dixit ſe velle deliberare & reſpondere; & die immediate ſequenti mane receſſit ab illo loco, ipſis inſalutatis & inſciis, tendens ad Burgundiam, ſed Deus aliter ordinavit: quia dux Auſtriæ ipſum licet invitum reduci fecit in* Friburg, *ad quem locum nuncii dicti concilii ipſum comitabantur: ſed quod rationabiliter petebant nomine concilii non obtinuerunt, niſi ſub certis conditionibus difficilibus, concilio non placentibus. Præſumſit etiam concilium quod cum allegaſſet metum ſe habuiſſe in Conſtantia, quod a fortiori ſuo tempore allegaret ſe metum habuiſſe in* Friburg, *& propter hoc totum quod ibi feciſſet foret irritum & inane. Quapropter ſacrum concilium concorditer, quoad omnes nationes, deliberavit amplecti viam juſtitiæ & rigoris contra papam. Et in ſecunda die Maii in ſeſſione publica citatus fuit papa ad comparendum nona die ſequenti in publica ſeſſione, viſurus decerni & declarari ſuum receſſum clandeſtinum eſſe, & fuiſſe damnoſum & opprobrioſum eccleſiæ ſanctæ Dei, de hæreſi ſuſpectum, deviativum a juramentis & votis per ipſum factis, & alias reſponſurus cur propter malam adminiſtrationem ac alia crimina univerſalem eccleſiam notorie ſcandalizantia ejici debeat de papatu.* Diar. p. 530. Johannes a Schafuſa fugit. Tom. 2. Anecd. pag. 1630.

294. Hæc ſcribebant oratores univerſitatis Colonienſis ſeptimo die menſis Maii, cum duobus ante diebus Fridericus dux Auſtriæ, deſerto Johanne, reconciliatus fuit Sigiſmundo imperatori, mediantibus Bavariæ duce & Burgravio Nurembergenſi: quam quidem reconciliationem deſcribunt oratores univerſitatis Colonienſis his verbis: *Quinta die Maii, hora tertia poſt meridiem, domino rege exiſtente in refectorio fratrum Minorum cum multis prælatis, & aliis deputatis quatuor nationum, præſentibus etiam pluribus illuſtribus, prædictus dux Fridericus per illuſtres Ludovicum de Bavaria fratrem reginæ Franciæ, & Borgravium de Noremberga præſentatus fuit regiæ celſitudini, ubi procidit ad genua ſua, & borgravius pro eo dixit hæc verba, vel ſimilia in effectu: Avunculus meus dux Auſtriæ de omnibus offenſis factis ſacro concilio & regiæ celſitudini humiliter petit indulgentiam,* Auſtriæ dux reconciliatur imperatori. Ibid. pag. 1631.

& ſuam perſonam, & totum ſuum dominium, totam terram & omnem populum ſibi ſubjectum plene & plane ponit ad gratiam veſtram, rex ſereniſſime, ut de illis facere poſſitis, ſicut veſtræ placuerit celſitudini. Promittit etiam quod faciet dominum papam ad hunc locum Conſtantiæ reduci, & ſacro concilio præſentari. Supplicat tamen idem avunculus meus pro honore ſuo conſervando, quatenus per ſacrum concilium & vos dominum regem papa de ſua vita aſſecuretur, & etiam de bonis ad ſuam perſonam pertinentibus, quæ ſecum adducet ad dictam civitatem, & quod ſimilis ſecuritas detur venturis cum eodem, & quod etiam idem ſacrum concilium velit eidem papæ poſt ceſſionem ſuam de ſtatu competenti providere. Quæ ubi abſolvit Burgravius, eadem dux Fridericus proſtratus repetiit, *atque his geſtis, rex verba propoſita per Burgravium diſtincte repetiit, & quæſivit an ita dixiſſet: quo reſpondente ſic, & duce conſentiente, & ſuper genibus ſedente, recepit eum in gratiam, & ſurgere fecit.* Addunt oratores Colonienſes: *Et non modica neceſſitas impulit dominum ducem ad faciendum ea quæ præmiſſa ſunt: quia certum eſt, quod dominus rex per ſuam potentiam latam & extenſam jam abſtuliſſet ab eo vi armorum quadraginta fortalitia, civitates & caſtra, & viſibiliter eum exterminaſſet.* Verum etſi Fridericum Sigiſmundus in gratiam ſuam reſtituerit, ejus tamen caſtella aliquandiu retinuiſſe fertur. Audi anonymum Cartuſianum e Conſtantia die XIX. Maii ſcribentem: *Dux Auſtriæ non eſt captus; ſed honeſte ſtat hic in bona cuſtodia, non poteſt hinc recedere. Et Suvitzch ac alii inimici ſui capiunt poſſeſſionem ſuorum caſtrorum, oppidorum, &c. Perdidit huc uſque* XLVIII. *oppida & caſtra quæ vidi nomin[illegible] in ſcriptis.*

Ibid. p. 1635.

295. Quid vero conſequenter actum ſit a concilio adverſus Johannem XXIII. paucis exponunt oratores Colonienſes epiſtola ſua XI. *In craſtino aſcenſionis Domini*, inquiunt, *fuerunt miſſi per concilium & dominum regem ad conducendum papam archiepiſcopus Rigenſis, & quidam archiepiſcopus de natione Gallicana, & dominus Burgravius Noremberga, nobilis genere & virtute, quos papa multum ſponte, ut apparuit, ſecutus eſt, & erunt hac nocte in oppido* Selle *prope Conſtantiam ad duo milliaria, & quo cras ibunt non certifico. Et fuerunt deputati commiſſarii ad audiendum teſtes ſuper mala adminiſtratione ſua & criminibus; & fuerunt deputati judices ad audiendum cauſas devolutas & devolvendas ad concilium. Et fuit lecta littera univerſitatis Pariſienſis miſſa concilio: quæ univerſitas plene & conſtanter ſe concilio conformat. Et licet in eadem ſeſſione fuerit per dominum cardinalem Florentinum exhibitum procuratorium pro parte papæ, ubi conſtituit cardinales Cameracenſem, S. Marci & Florentinum in procuratores, nullus tamen ipſorum onus acceptavit, & non apparet aliud quin cardinales velint ſtare cum concilio.* Auditis autem teſtibus, & probato accuſationes in Johannem intentatas ex omni parte veras juſtaſque eſſe, ſuſpenſus ab omni papali functione eſt declaratus lata ſententia in ſeſſione habita XIV. Maii. Sed neque hic ſtetit concilium, *ſed in* XXVI. *die Maii in ſeſſione publica fuerunt lecti quamplures articuli, quinquaginta aut plures contra papam ſufficienter probati, & alii multi articuli, quia nimis ſordidi erant, omiſſi, quamvis ſcripti fuerint & probati. Die vero ſequenti miſſi fuerunt ad ipſum in* Selle, *ubi ipſe jam ſtat, quatuor prælati de quatuor nationibus, cum notariis & teſtibus, ad exhibendum ſibi hujuſmodi articulos, cum atteſtationibus eorumdem, ut reſponderet ad quemlibet eorum, prout ſibi videretur, &c. Quibus nunciis comparentibus coram ſe, recuſavit hujuſmodi articulos videre vel audire, & dixit quod vellet ſe in omnibus dare ad gratiam ſacri concilii; & ſi contingeret ipſum ſacrum concilium procedere ad' ſententiam contra ipſum, illi ſententiæ nollet contradicere, ſed potius eam*

Pag. 1632.

Suſpenditur ab officio ſuo.

Pag. 1636.

Submittit ſe concilio.

laudare & approbare, eiſdem nunciis ſupplicando, quatenus vellent eum ſacro concilio & regiæ majeſtati fideliter recommendare: qui domino regi per eoſdem nuncios litteram ſcripſit valde provocativam ad clementiam & pietatem, ſibi ſupplicando quatenus ſuam ſolitam clementiam & pietatem circa perſonam ſuam non negligeret, cum pluribus aliis, de quibus tranſeo. Deinde menſis Maii XXIX. *in publica ſeſſione valde ſolemni, in præſentia domini regis & dominorum cardinalium* XVI. *in numero, fuit dictus Johannes papa per ſententiam concilii depoſitus & ejectus de papatu, & omnibus fidelibus inhibitum, ne inantea aliquis ipſum pro papa habeat, nominet, aut ei obediat. Et ex parte concilii dominus rex tamquam advocatus & protector eccleſiæ, ipſum tenere debeat ſub bona cuſtodia, quamdiu concilio viſum fuerit expedire. Panas quoque ſibi infligendas pro ſuis criminibus ſacrum concilium ſibi reſervavit. Quæ ſententia erit per omnes cardinales, alios prælatos, & nuncios & ambaſſiatores ſubſcribenda.* Extat hæc depoſitionis ſententia in actis concilii Conſtantienſis apud Labbeum pag. 95.

Depoſitur.

296. Johannis depoſitionem proxime ſubſecuta eſt ſpontanea Gregorii XII. renuntiatio papatui: quæ tamen nec difficultate caruit. Nam Carolus de Malateſta, quem ille procuratorem ad cedendum creaverat ſuum, defectu ſalvi-conductus, quem ei dux Mediolanenſis denegabat, tardius ad concilium acceſſit. Sublevato hoc obſtaculo, aliud ſupervenit de loco & tempore, quo ceſſio eſſet recipienda. Nam Carolus Benedicti mentem exploraturus Niciam cum imperatore pergere volebat. At Sigiſmundus has aliaſque difficultates dexteritate & auctoritate ſua diſſipavit. Itaque die IV. Junii nuncii Gregorii approbatum concilium, quantum ex parte ſua erat, ex ſuperabundanti convocaverunt. *In quam approbationem ex ſuperabundanti cautela, & in favorem unionis ſacrum concilium Conſtantienſe expreſſe conſenſit, & ſtatim cardinalis Gregorii ibi præſens noſtris cardinalibus, patriarcha patriarchis, epiſcopi epiſcopis in publica ſeſſione ſe fraternaliter conjunxerunt.* Tum celebrata miſſa, Carolus de Malateſtis, *ſine omni pacto prævio, occulto, vel manifeſto, ex parte domini ſui tamquam procurator irrevocabilis & ſufficiens, libere & ſponte ceſſit & renuntiavit papatui domini ſui, adminiſtrationi & omni juri quod domino ſuo quomodolibet competebat, aut competere poterat in eodem.*

Gregorius XII. renunciat papatui.

Tom. 2. Anecd. pag. 1639.

297. Nec Gregorium pœnituit pontificatu abiiſſe, cui tam munifice fuit a patribus conſultum in ſeſſione habita XV. Julii, ut delato ei primo honore in ſacro collegio, neminem deinceps ſuperiorem a pontifice haberet. Præterea commiſſa ipſi ad vitam Marchiæ Anconitanæ legatione, in poſterum fuit cautum ne ulla de præteritis nota, nullave injuria affici poſſet, aut vocari in judicium. Qua liberalitate & munificentia mire recreatus, ac ſupramodum contentus, ampliſſimas concilio gratias egit, & quam poterat demiſſiſſime ſe ſubjiciens, ſcripſit hanc in rem epiſtolam Recanati die VII. Octobris, quam habes tom. 2. noſtrorum Anecdotorum pag. 1646.

Concilium eidem munificeprovidet.

298. Johanne XXIII. canonice, ut diximus, in concilio depoſito, & Gregorio XII. ſponte cedente, unus amovendus ſupererat obex unionis eccleſiæ, Petrus de Luna, cui paruerant hactenus Aragonum & Caſtellæ reges, cum Armeniaci & Fuxi comitibus. At omnibus diuturni ſchiſmatis tædio affectis, Ferdinandus Aragonum rex ejus exſtirpationi impendio ſtudens, litteras propria manu exaratas Sigiſmundo imperatori miſit, eum efficaciſſime adhortans ad conveniendum ſecum, ut condictum fuerat, promittens ſeſe *concurſurum cum omni conatu ad unionem eccleſiæ.* His receptis litteris, imperator ſalutatis concilii patribus, die XV. menſis Julii, quo celebrabatur feſtum diviſionis apoſtolorum, itineri ſe commiſit, comitantibus eum Jacobo archiepiſcopo Turonenſi, Petro Rigenſi antiſtite, Conrado de Su-

Sigiſmundus Narbonam ad regem Aragonum & ad Benedictum accedit.

Tom. 2. Anecd. pag. 1637.

ſato, Lamberto de Stipite, ſacrorum canonum profeſſoribus, & quibuſdam aliis a concilio deſignatis. Hi decimo die menſis Auguſti ſalvi & incolumes applicuere Narbonam, quo Sigiſmundus imperator xv. die advenit, termi-
Ibid. p. 1642. no Petri de Luna & Ferdinandi regis conſenſu ac voluntate prorogato. Illuc etiam contulit ſe xix. Auguſti Petrus de Luna, qui ſequenti die per ſolemnes oratores imperatorem ſalutavit: at obſtante regis Ferdinandi morbo, nihil de principali negotio actum eſt. Is ubi tantiſper convaluit, e Valentia mari iter arripuit verſus Perpinianum, repugnantibus licet medicis. At prævaluit ſincerum unionis deſiderium, quam ſanitati, immo vitæ ſuæ præferebat.

Colloquium imperatoris cum Benedicto & rege Aragonum apud Perpin. Tom. 2. Anecd. pag. 1647.

299. Tandem xix. Septembris Sigiſmundus ingreſſus eſt Perpinianum, *& cito poſt introitum ſuum aſcendit ad caſtrum munitiſſimum, in quo erat Benedictus, a quo erat honeſtiſſime receptus, & habuit ſingulare colloquium cum eo per duas horas vel ultra, ex quo ipſe Benedictus fuit ad profluvium lacrymarum permotus, & poſuit regem in bona ſpe, dicens, quod intentionis ſua eſſet omnino dare pacem eccleſiæ. Deinde idem Sigiſmundus ſequenti die viſitavit regem Aragonum in lecto decumbentem, & expectantem parochiſmum ſuum, qui cum magna lætitia recepit eum, & omnes ſui, promittens efficaciter ſe cooperaturum ad finem pro quo venerat.* Nihil revera prætermiſit rex optimus, nec per eum ſtetit, quominus ſtatim pacem eccleſia conſequeretur. At cœca ambitio, & pontificatus retinendi impotens libido, ita Petri mentem ſubverterat, ut miſeram, inquietam & odioſam vitam cum vano & ſubrepto honore trahere maluerit, quam in placidiſſima privati ſtatione conſiſtere. Obtulit quidem ceſſionem, ſed iniquis adeo conditionibus, ut ſinceram ejus oblationem nullus umquam crediderit. Unde oratores univerſitatis Colonienſis in epiſtola xvii. data vii. Decembris, *Ille*
Pag. 1654. *obſtinatus Petrus de Luna*, aiunt, *malivole ſe habet.* Verum quanta eſſet malitia inſtructus, quam inflexibili animo occupatus, nihil prohibere potuit, quin tandem optatum pacis bonum omnipotens Deus annueret omnibus hominibus bonæ voluntatis, *de quorum numero*, inquiunt oratores Colonienſes, *non eſt ille maligniſſimus hoſtis pacis Petrus de Luna*; quippe *concluſio facta inter dominum regem & alios reges, ac reliquos de obedientia Petri de Luna, tendit ad hoc, quod dictus Petrus de Luna, vel in Conſtantia per ſe vel per procuratores reſignet, vel quod in Conſtantia ejiciatur, aut declaretur ejectus, quatenus non relinquantur veſtigia ſchiſmatis, & quod ipſi cum noſtris eligant ſummum pontificem.* A quibus non diſcordat Jacobus archiepiſcopus Turonenſis, unus ex imperatoris comitibus
Ibid. p. 1655. in epiſtola ad concilium. Facta autem hæc concluſio Decembris die xiii. uti videre eſt in litteris ipſius imperatoris ad patres Conſtantienſes a nobis editis tom. 2. Anecdot. pag. 1656.

Subtrahitur obedientia Petro de Luna.

300. Nec multo poſt, hoc eſt ipſo epiphaniorum die anni MCCCCXVI. præſules Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ, probata Petri de Luna pertinacia in ſchiſmate protrahendo, conſilio S. Vincentii Ferrerii, impium ejus jugum ultro excuſſerunt, ſubtracta ei omnimoda obedientia. Litteras Ferdinandi regis hac de ſubtractione habes apud Raynaldum datas Perpiniani die vi. Januarii, & propter ejus invaletudinem ſignatas ab Alfonſo ejus primogenito. De ea & actis antea cum Petro de Luna audiendi ſunt oratores Colonienſes in epiſtola xix. data Conſtantiæ vii. Februarii: *Nedum ex*
Pag. 1657. *relatione dictorum ambaxiatorum concilii Conſtantienſis, ſed etiam ex forma ſubtractionis vobis miſſa conſtat de inflexibili pertinacia cum impietate impermixta illius crudeliſſimæ beluæ, qua ſibi ſumſit nomen Benedictus, ſuis nefandiſſimis operibus omnino diſſonum uſurpare. Vix ſermone poſſet explicari, quantis dolis, quantis aſtutiis, & nequiſſimis machinationibus ſe*

nitebatur

nitebatur & nititur in ſuo prætenſo papatu conſervare, ut odibilis Deo & hominibus memoria ſua in maledictione perſeveraret. Quanto tempore tenuit Chriſtianiſſimum regem noſtrum fortiſſimum zelatorem unionis? qui tamen illius beſtiæ malitiam ſua humilitate, ſua longanimitate, ſua patientia ſuperavit. Quot vicibus ille refuga conatus fuit ponere diviſionem in ambaſſiatoribus ſacri concilii? Sed ille, cujus opus agebant, conſervabat illos in perfecta animorum unitate. Demum quando proceſſum ad finales tractatus, dictus refuga petiit totalem caſſationem concilii Piſani. Item petiit, quod poſt renuntiationem ſuam, ipſe ſolus eligeret papam, quia ipſe ſolus ſupereſſet de cardinalibus ante ſchiſma. Quando iſtud negabatur, petiit quod ſoli cardinales eligerent, vel quod illi de ſua obedientia. Et noviſſime adjunxit ſe velle in hoc condeſcendere, quod fierent duæ conclaves, una pro ſuis, alia pro electoribus de aliis obedientiis: ita tamen quod quemcumque eligerent electores de noſtris obedientiis, non eſſet papa, niſi duæ partes de electoribus ſuæ obedientiæ conſentirent in eum. His & his pluribus deluſionibus conabatur dominum regem & alios pro renuntiatione ſua laborantes fruſtrare ſuo fine. Etiam iſtis tractatibus pendentibus, ipſe doloſe practicavit cum Romanus & aliis quibuſdam comitatibus Italiæ, & dominos ipſos variis modis ad ſuam obedientiam alliciendo; ſed, ſicut Domino placuit, ſua verſutiarum maligna machinatio tam clare patuit univerſis, quod pene omnes reges, principes & prælati ipſum tamdiu manutenentes ſibi facti ſunt inimici, volentes toto conatu cum ſacro concilio Conſtantienſi pro dicti vocati Benedicti ejectione, & unici ſummi pontificis electione efficaciſſime laborare.

301. Facta ſubtractione, Ferdinandus rex ſuos ad concilium oratores ſtatim miſit, qui ultimo die Februarii Conſtantiam ingreſſi ſunt. Interim Petrus de Luna excandeſcens in Ferdinandum regem Aragonum excommunicationis & privationis fulgura vibravit: quæ rex ſapientiſſimus, ut debuit, omnino contemſit. *Et dicitur*, inquiunt oratores Colonienſes epiſt. xx. *quod ille infeliciſſimus hominum Petrus de Luna poſt ſubtractionem obedientiæ ſibi factam, miſit bullam regi Aragonum privationis & maledictionis: quam bullam ipſe rex in præſentia nuncii portantis fecit coram ſe comburi, & addidit, quod ſi haberet magiſtrum ſuum, faceret ſibi ſimiliter, vel mitteret Conſtantiam. Et adjunxit dicens: Magiſter tuus tot habet maledictiones a populo Chriſtiano, quod poſſent ſufficere pro omnibus maledicendis. Sed ſpero non eſſe de numero eorum. Revertatur ergo maledictio in ſuum auctorem.* Addunt Colonienſes oratores: *Poſt hæc idem Petrus de Luna receſſit de loco in quo fuit, & retraxit ſe ad unam inſulam, ubi dicitur eſſe obſeſſus tam in mari quam in terra, & coram fortalitio in quo ſtat, ſunt erecta patibula pro illis qui dictum Petrum non derelinquent, & pro apportantibus ſibi victualia.* Conſequenter *Petrus de Luna deſeritur ab omnibus, immo unus cardinalis, qui ſecutus fuerat eum, per funem ſe ſubmiſit de illo fortalitio, cum non poſſet ab eo recedere*, ut ſcribebant oratores Colonienſes, ipſiſſimo die Paſchatis. Die vero ſecundo Aprilis, piiſſimus rex Aragonum Ferdinandus felici morte migravit ad Dominum, eccleſiam & unionis negotium Alfonſo primogenito & reginæ matri ejus commendans.

Ferdinandus ſuos mittit oratores ad concilium, quem Benedictus excommunicat. Pag. 1660.

Deſertus ab omnibus. Pag. 1662.

302. Subtractionem regis Aragonum ſubſequuta aliorum regum Navarræ, Caſtellæ & Scotiæ, atque etiam comitis Fuxenſis ſubtractio: qua facta, iidem reges & comes uniti ſunt concilio Conſtantienſi. Cum vero jam nulla ſpes eſſet Petri de Luna ad debitum officium revocandi, in ſeſſione publica die xxiii. menſis Novembris, de conſenſu & voluntate omnium nationum citatus fuit, deſignatique ſunt nonnulli, qui citationem ipſam in Paniſcola ei ſignificarent. Præcipui hujus legationis duces fuere Lambertus de Stipite natione Alemannus, monachus Leodienſis monaſterii S. Lauren-

Subtractio Caſtellæ, Navarræ & Scotiæ regum.

tii, prior de Bertreia ordinis Cluniacenſis, & Bernardus de Planca Anglus & ſacriſta S. Crucis Burdegalenſis, ambo doctores. Legationis exitum ita deſcribit Lambertus in epiſtola ad epiſcopum Rigenſem a nobis edita tom. 2. Anecd. his verbis: *Et primo in ſolo verbo regio, ſine ſalvo-conductu Petri de Luna, etiam ſine comitiva armigerorum, magiſter Bernardus Anglicus, & ego Alamannus perſonaliter intravimus Paniſcolam, habentes nobiſcum tres notarios apoſtolicos, quos nobiſcum de Conſtantia duxeramus, etiam unum ex parte domini regis Aragonum, duos milites, & alios ſcutiferos, & perſonas honeſtas pro teſtibus. Et in introitu villæ Paniſcolæ reperimus dominum Rodigonem, nepotem Petri de Luna, aſſociatum bene de ducentis armigeris ſatis bene armatis, qui lato animo, ut apparebat, nos ſuſcepit. Et quidam vocatus Simon Salvatoris venit in obviam nobis per medium milliare, tractans ut vellemus retrocedere uſque ad craſtinum, quia ſuus dominus volebat nos amplius honorare. Renuimus iſta, ita quod contra voluntatem ſuam intravimus, ut præſcripſi. Iſti diaboli videntur ſalvari, quando poſſunt materiam unionis differre, etiam per horam. Reverende pater, quanta fuit nobis gloria, quando vidimus iſtum Petrum de Luna in tanto timore poſitum, quod propter duos monachos inermes fecit talem armaturam, ut oſtenderet ſuam potentiam aut magnificentiam ſuam. . . .*

Citatur nomine concilii apud Paniſcolam.

303. *Die* XXI. *Januarii B. Agnetis virginis & martyris, in craſtino noſtri introitus, ſtatim poſt octavam horam comparuimus in caſtro Paniſcolæ, ubi reperimus ipſum Petrum de Luna cum tribus cardinalibus ſuis, aliis epiſcopis, ac clericis & laïcis ad numerum trecentorum virorum, utriuſque generis, & inclinatione facta ſine genuflexione more monachorum, facto ſummo ſilentio, ego incœpi exordiri factum noſtrum, & alta & intelligibili voce, prout potui, legi totam citationem diſtincte. Demum citavi de verbo ad verbum, prout in citatione continebatur, nihil omittendo. Unde iſte homo tantam impatientiam habebat, quando eum nominabam ſchiſmaticum & hæreticum, quod non poterat ſe continere: immo dicebat non eſſe verum, & alia vice,* Non eſt ſic; *alia,* mentiuntur, *& ſic de ſingulis. Ipſo ſic citato per me & notarios requiſitos & rogatos ſuper confectione inſtrumentorum, &c. magiſter Bernardus citavit eodem modo ſicut ego feceram in Latino. Et quia ibidem erant milites, & alia perſona ſaculares Latinum non intelligentes, ipſe dominus Bernardus intelligibili voce eum citavit in vulgari de verbo ad verbum, ſicut fecerám in latino: unde ipſe Petrus de Luna fuit ſatis confuſus propter ſimul diſcumbentes.*

Reſponſio Petri de Luna.

304. *Ipſe Petrus de Luna reſpondit in gallico & in latino, quod quia materia erat magna & ardua, ideo finaliter non poterat ibidem reſpondere; ſed habita deliberatione cum ſuis cardinalibus, in brevi reſponderet. Quo dicto, ad juſtificationem dixit ſe quatuor dicturum: & non dixit niſi tria, quia adeo ſe commovit in loquendo, quod quartum dimiſit in capſa. Totus malus eſt.* Subjicit prolixam ejus reſponſionem, in qua inter alia proferre non eſt veritus, quod *Conſtantia non eſt eccleſia, ſed in Paniſcola eſt vera eccleſia, & verberando manum ad cathedram dixit: Hic eſt arca Noë & vera eccleſia, &c. Quo ſilente, ego petivi inſtrumentum ſuper ſua reſponſione, & maxime ſuper illo verbo, quod dixerat ſe reſponſurum cito, quod erat tempus incertum. Statim feſtinanter dixit: Non, non do vobis iſtud pro reſponſo, ſed habita deliberatione cum cardinalibus meis infra paucos dies dabo vobis reſponſum, & ita debetis expectare juxta formam citatorii in fine, & requiſivit notarios ne clauderent inſtrumenta, donec feciſſet reſponſum. Iterum cepi inſtrumentum ſuper reſponſione incerta, & dixi nos velle recedere. Inſtitit ipſe deceptor, ut vellemus ibi manere, ad finem quod nos corrumperet, aut multa bona diceremus de eo, dum ad Conſtantiam veni-*

remus. Sed non ſic impii, non ſic, quia vel magis eſt obſtinatus quam umquam fuit, & nullo modo bene diſpoſitus, ſed ad omnia mala paratus.

305. *Ad convincendam ejus pertinaciam, ibidem dimiſimus penes eum ſecretarium regis Aragonum, quia conſuetudo eſt patriæ, quod ſecretarii ſeu notarii regis non claudunt inſtrumenta, factis talibus actis, uſque poſt triduum, & ita receſſimus & venimus hic hodie ſero in civitate* Derthuſen, *ubi eſt dominus rex Aragonum. Et expectato notario regis per tres dies intendimus recedere, & venire Conſtantiam, Deo dante.*

306. Facta per deputatos relatione citationis Petri de Luna, patres concilii ad canonicam ejus exauctorationem ſeſe accinxerunt. Quapropter XXII. *Julii de mane hora* VII. *de conſenſu & voluntate dominorum cardinalium, & omnium nationum, etiam Hiſpanorum, tenta eſt ſolemnis ſeſſio, præſentibus omnibus ſupradictis, in qua decreta eſt citatio contra Petrum de Luna, ut die luna proximo ipſe Petrus de Luna compareat in ſeſſione publica, ad audiendam ſententiam per ſacrum concilium ferendam, juxta proceſſum factum contra ipſum, &c. Et ſic divino adjutorio, a die præſenti, quinta die delebitur iniquitas terræ, & conculcabitur illud crudeliſſimum caput draconis, quod machinabatur ſanctam eccleſiam abſorbere.* Conſequenter in celebrata die XXVI. Julii ſeſſione, nemine reclamante, Petrus de Luna dejectus eſt a præſumpto papatu, *quia perjurus, turbator eccleſiaſticæ pacis, ſcandaloſus, incorrigibilis, ſchiſmaticus, & hæreticus.* Deponitur. pag. 1677.

307. Depoſito Petro de Luna, agitatum eſt inter patres de legitimo ei ſubſtituendo pontifice. Multi autem tractari ante electionem volebant de reformatione eccleſiæ in capite & in membris, nonnullaque hac de re condita fuere ſtatuta, verum non tot, nec tanta, quam exigebat præſens rerum ſtatus. Urgebant nonnulli electionem, objicientes pericula diuturnioris vacationis ſedis apoſtolicæ. Conſtitutum itaque eſt, ut procederetur ad ſummi pontificis creationem, & delectis ex qualibet natione ſex clariſſimis viris, qui cum cardinalibus XXIV. Conſtantiæ agentibus, omnes ſimul in conclave ingreſſi ex more, die VIII. Novembris anni MCCCCXVII. Ottonem de Columna diaconum cardinalem poſt triduum una voce creaverunt verum & unicum Romanorum pontificem, indito ei nomine Martini V. Eumdem agnovere, eique ſeſe ſubjecere Balthaſar de Coſſa, olim Johannes XXIII. & Angelus Corrario Gregorius XII. in ſua obedientia appellatus. At Petrus de Luna in ſua pertinacia conſiſtens, ut pontificatum abjicere noluit, ita nec ea dignitate canonice ornatum agnoſcere voluit, ſchiſma quantum in ipſo fuit fovens atque enutriens ad annum uſque MCCCCXXIII. ut vult Raynaldus, vel MCCCCXXIV. ut alii contendunt, quo rationem Deo redditurus ex hac vita migravit menſe Novembri. Electio Martini V. papæ.

308. Defuncto Petro de Luna, ſpes erat firmam ac ſolidam pacem in eccleſia univerſa conſecuturam. Tantum bonum nonnihil retardarunt, quæ moriens reliquit enutriendi ſchiſmatis ſemina, cum duobus quos penes ſe habebat cardinalibus præcepit, ne differrent, ubi expiraſſet, ſucceſſorem aliquem eligere: quibus mandatis obſequentes, hortante etiam Alfonſo rege Aragonum, qui moleſte ferebat Martinum V. cum ſui præjudicio inclinaſſe ad ducem Andegavenſem & regem Neapolitanum, elegerunt Ægidium Munionis canonicum Barcinonenſem, qui nonnihil repugnans electioni de ſe factæ, ſolo placendi regi ſtudio aſſenſum præbuit. Ita fere Raynaldus & nonnulli alii. At in veteri inſtrumento caſtri Fuxenſis a nobis edito tom. 2. Anecdotorum pag. 1714. res paulo aliter narratur. Nimirum anno 1424. die 17. Novembris Petrum de Luna in morbum incidiſſe, die vero 27. ejuſdem menſis quatuor creaſſe cardinales, duos Aragonenſes, Gallicos duos, videlicet Julianum tituli XII. apoſtolorum, & Eximinum tituli S. Laurentii Electio Ægidii Munionis in antipapam.

in Lucina Aragonenſes; Dominicum tituli S. Petri ad Vincula, & Johannem tituli S. Stephani in Cœlio-monte Gallicos. Agebant tunc in curia prædicti cardinales Aragonenſes, ad eamque applicuit ſabbato quatuor temporum cardinalis S. Petri. At cardinali S. Stephani extra curiam in caſtro de Turena diœceſis Ruthenenſis reſidenti, mors Benedicti latuit, eique aduſque electionem ex induſtria celata, immo & omnibus catholicis in curia reſidentibus, paucis exceptis, uſque ad XXIII. Maii ſequentis. Atque interim tam Benedicti quam eccleſiæ bona & reditus dicti cardinales adminiſtrabant atque inter ſe dividebant. Quin immo fingentes Benedictum vivere, conſuetis diebus in miſſis dabant indulgentias, perinde ac ſi viveret. Plures ad diverſos ejus nomine bullas plumbeo ſigillo obſignatas ſcripſere. Uni Alfonſo Aragonum regi circa Neapolitanas partes detento, Benedicti mortem ſecreto ſignificantes, atque conclave ex propoſito intrare negligentes. Cumque inſtaret ſæpius cardinalis S. Petri, ut ingrederentur conclave, reſpondebant: Domine, ne curetis, quia non intendimus alium eligere quam vos, ſic ei verba dantes uſque ad medium circiter ſequentem Maium, quo reſponſum a rege acceperunt. Interim Rodericus de Luna defuncti Benedicti fratris filius, varios habuit tractatus cum Ægidio Sancii Munionis, eique ut credunt papatum promiſit. Habito vero a rege reſponſo, litteræ ejus in domo Ægidii apud Valentiam per bajulum recitatæ ſunt. Quibus auditis, dictus Ægidius ſibi mandatum a bajulo Valentino ſocero ſuo ſororio dari procuravit regio & ejus nomine notificandi dictis cardinalibus contenta in dictis litteris. Quamobrem Paniſcolam veniens, cardinalibus jam conclave ingreſſis, & de reſponſione regia edoctis, ſignificavit regem intendere, aut ut ab omni electione abſtinerent, aut ſi eligerent, vota ſua in Aragonenſem aut regis ſubditum dirigerent: cumque cardinales inter ſe diſcordarent, furibundus receſſit, ſcribenſque Roderico de Luna, conqueſtus eſt quod promiſſis non ſtaret ſuis: qui Rodericus ad januam accedens conclavis, vocatis duobus cardinalibus Aragonenſibus, dixit: *Cur non eligitis dominum Sancii Munionis in papam, qui tenet viginti vel triginta millia florenorum in capſa: unde cum tendatis in perſonam potentem & divitem, quæ poſſit ſuſtinere ſtatum veſtrum, ille eſt quem quæritis.* Quibus auditis verbis, dicti duo cardinales regi & patriæ, ut creditur, obſequentes, & ad dicti Roderici inſtantiam Ægidium elegerunt, fide prius accepta & jurata certas adimplendi conditiones, quas ipſi exigebant. Acta fuerunt hæc X. Junii anni MCCCCXXV. abſente & neſciente cardinali S. Stephani. Sequenti menſe Septembri Ægidius vocatis tribus cardinalibus declaravit conditiones prædictas ſimoniam ſapere, teſtantibus doctoribus quos conſuluerat, repetitoque quo ſe obligaverat inſtrumento, illud continuo igni tradidit.

Electio Benedicti XIV. antipapæ.

309. Poſt hæc cardinalis S. Stephani de Thorena vi ejectus, Paniſcolam applicuit die XII. Decembris MCCCCXXVI. qui antequam Ægidio ſe ſiſteret, coram notario & tribus teſtibus denuntiavit nullum ſe creationi ejus aſſenſum præbere, nec ullo modo intendere jus illi aliquod per quoſvis actus coram ſe exercendos attribuere, vel ampliare. Hac facta conteſtatione apud Paniſcolam reſidens, de omnibus in electione Ægidii geſtis, & de promiſſis ab eo factis ſecreto inquiſivit, conſultiſque viris, ut ſibi videbatur doctis, ad promotionem novi pontificis proceſſit: qua facta, ad vitanda quæ ſibi imminebant vitæ pericula, e Paniſcola, captata hora noctis opportuna, per funem e muro dimiſſus, quam citius diſceſſit, & ad Franciæ regnum, licet gravi febrium infirmitate detentus migravit. Ibi viros doctos de electione a ſe ſolo facta an valeret, conſuluit: quam licet, ut ipſe ait, validam approbaverint, eam tamen promulgare diſtulit, tentare peroptans, an Romanum pontificem & Paniſcolenſem ad pacem valeret reducere. Super quibus, mediante

diante Armeniaco comite, viam, ut ſibi videbatur, opportunam utrique exhiberi & præſentari fecit, ſcilicet Ottoni de Columna ſeu Martino V. per nobilem virum Antonium de Capralario, & per archiepiſcopum Auxitanum: Ægidio vero in Paniſcola per reverendos in ſacra pagina magiſtros, Johannem Fabri & Johannem Martini familiarem dicti Auxitani, nuncios, a prædicto comite ipſi miſſos, qui cum omnino nihil profeciſſent, *Nos*, inquit, *præmiſſa attendentes, & quod dicti duo de papatu contendentes Otto & Ægidius ad pacem eccleſiæ dandam deſideratam diutius venire minime curant, ſuper quam tres annos & ultra expectavimus, ſed negligunt & malitioſe differunt... pro nobis & vice & nomine totius ſacri collegii, & dominorum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, elegimus in ſummum Romanum pontificem, papam verum, & ſanctum Chriſti vicarium in terris, videlicet dominum Benedictum XIV. papam hodiernum*, virum ſcilicet Aquitanicum, anno, menſe, die, loco, & regnantibus in inſtrumento expreſſis.

310. Facta eſt hæc declaratio die xx. Januarii MCCCCXXIX. quo circiter tempore, Alfonſo rege cum Martino V. ad pacem redeunte, juſſu ejuſdem Alfonſi Ægidius Munionis pontificatum, quem, repugnante conſcientia, ſuſceperat, ſponte depoſuit die XXVI. Julii ejuſdem anni, cardinalibus ejus Martinum papam V. eligentibus, finis eſt tandem luctuoſiſſimo ſchiſmati impoſitus. De hac Ægidii promotione & abdicatione audiendus eſt Franciſcus Taraffa canonicus Barcinonenſis, in mſ. hiſtoria epiſcoporum Barcinonenſium: *His temporibus defuncto Petro de Luna Benedicto papa XIII. nuncupato, in Paniſcola oppido regni Valentiæ, duo anticardinales, qui Benedictum fovebant, Ægidium Munios, Barcinonenſem canonicum, genere nobilem, pontificem delegerunt, Clementemque VIII. appellarunt: qui ſtatim cardinales creavit, & fecit quæ a pontificibus fieri conſueverunt, Alfonſo rege hortante. Verum cum Martinus V. in gratiam cum Alfonſo rege rediiſſet, cum antea hoſtes eſſent, ſtatim jubente Alfonſo, Ægidius omnia pontificatus jura depoſuit: erga quem hac benignitate Martinus poſtea uſus eſt, ut eum Majoricenſem epiſcopum declararit. Cardinales autem ab Ægidio creati, ſponte cardinalatu ſe abdicaverunt.* Idem de Benedicto XIV. dicendum videtur, qui ex ſolo diplomate caſtri Fuxenſis nobis innotuit.

ERRATA IN PRÆFATIONE CORRIGENDA.

Pag. IV. lin. 40. aliquot, *lege* aliquod. Pag. VIII. lin. 8. Uultramontano, *lege* Ultramontano. Lin. 13. deliberaverant, *lege* deliberaverat. Pag. 13. lin. 35. caſtellani, *lege* Gaudelini. Pag. XV. lin. 2. reſponderant, *lege* reſponderunt. Pag. XVII. lin. 7. confirmavit.... declaravit, *lege* confirmarit... declaratit. Pag. XXXII. lin. 35. cinxit; cinctum, *dele* cinxit. Pag. XXXIV. lin. 37. tradidit, *lege* tradiderit. Pag. LI. lin. 3. directis, *lege* direxit. Pag. LVII. l. 32. quibus ea, *lege* quibuſcum ea. lin. 49. & quantum, *lege* & ſe quantum. Pag. LX. lin. 6. Avenionenſibus, *adde* promiſere. Pag. LXXXV. lin. 49. opponantur, *lege* opponuntur.

INDEX CONTENTORUM
IN HOC TOMO

Commonitorium cujusque episcopi ad sacerdotes subditos sibi, ceteroſque miniſtros cujuſque ordinis eccleſiaſtici. 1
Capitulare Caroli magni regis Francorum. 5
Antiquum capitulare per miſſos Caroli magni promulgatum. 12
Gaerbaldi epiſcopi Leodienſis inſtructio paſtoralis. 16
Epiſtola Caroli magni imperatoris ad Garibaldum Leodienſem epiſcopum. 19
Ghaerbaldi epiſcopi Leodienſis epiſtola ad presbyteros ſuæ diœceſis. 20
Caroli magni edictum de jejunio pro publicis neceſſitatibus indicto. 21
Judicia ſacerdotalia de diverſis criminibus ex canonica auctoritate ſumta. 28
Libellus de remediis peccatorum. 37
Libellus alter de remediis peccatorum. 40
Editio S. Bonifacii. 48
Capitula ſynodi Wormatienſis. 49
Concilium Barchinonenſe anni DCCCCVI. 50
Concilium Ratiſponenſe anni DCCCCXXXII. 53
Conventus epiſcoporum apud Coloniam anno DCCCCLV. 54
Statuta anno DCCCCLXII. *edita.* 54
Concilium Narbonenſe ſub Wifredo archiepiſcopo. 56
Concilium Silvanectenſe anni MXLVIII. 58
Concilii Romani ſub Nicolao II. papa anno MLIX. *celebrati ſubſcriptiones.* 59
Diploma Philippi regis Francorum anno MLXXI. *editum in concilio Senonenſi ad confirmandam donationem eccleſiæ S. Andreæ factam monaſt. Cellenſi ab epiſcopo Trecenſi.* 63
Concilium Romanum ſub Gregorio VII. 64
Obſervationes in concilium Romanum anno M XCIX. *celebratum.* 65
Epiſtola Hugonis legati & archiepiſcopi Lugdunenſis, Daimbertum archiep. Senonenſem citantis ad concilium Trecenſe, reſponſurum ſuper quærimoniis abbatis S. Petri Vivi. 66
Concilii Trecenſis anni MCVII. *decreta.* 67
Concilii Viennenſis anni 1112. *ſubſcriptiones.* 67
Synodus Engoliſmenſis anni circiter 1112. 68
Concilii Lateranenſis ſub Calixto II. quidam canones. 68
Charta Ludovici VI. regis Francorum data Burdigalæ in epiſcoporum conventu. 69
Charta Ludovici VII. regis Francorum pro epiſcopis provinciæ Burdigalenſis. 70
Concilium Trevirenſe juſſu Eugenii III. celebratum in quo Matthæus dux Lotharingiæ ſatisfacit Juditha abbatiſſæ Romaricenſi de illatis damnis. 71
Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. anno MCLXXIX. *celebrati ſubſcriptiones.* 73
Sententia Henrici Albanenſis epiſcopi A. S. legati anno 1182. *lata adverſus abbatem S. Severi in gratiam monaſt. S. Crucis Burdigalenſis in qua plurium fit conciliorum mentio.* 87
Sententia Navarri epiſcopi Conſeranenſis & apoſtolicæ ſedis legati, lata in concilio provinciali anno 1208. *apud S. Severum in capite Waſconiæ adverſus villæ burgenſes.* 91
Addenda ad concilium Pariſienſe anno 1212. *ſub Roberto de Corcone celebrato.* 99
Statuta in concilio Toloſano promulgata anno MCCXIX. *per Romanum cardinalem A. S. L.* 106
Concilium Trevirenſe anno MCCXXVIII. *celebratum.* 107
Conſtitutio Jacobi regis Aragonum adverſus hæreticos &c. anno MCCXXXIII. *edita in publico epiſcoporum conventu apud Terraconem.* 123
Epiſtola Gaufridi abbatis majoris monaſterii ad Juhellum archiepiſcopum Turonenſem, excuſantis ſe quod non poſſit intereſſe concilio Cenomanenſi. 126
Concilium Trevirenſe anno MCCXXXVIII. *celebratum.* 126
Conſtitutiones epiſcopi Sabinenſis anno MCCXXX IX. *in concilio Terraconenſi confirmatæ.* 132
Concilium Senonenſe ſub Galterio Cornut circa MCCXXXIX. *celebratum.* 137
Concilii Stampenſis anno MCCXLVII. *indictio.* 138
Concilium Pariſienſe ſub Gilone archiepiſcopo Senonenſi anno MCCXLVIII. *celebratum.* 139
Concilium Pruvinenſe anno MCCLI. *celebratum.* 142
Concilium Pariſienſe anno MCCLIII. *celebratum.* 143
Concilium Pariſienſe anni MCCLV. 144
Litteræ Henrici archiepiſcopi Senonenſis ad canonicos Carnotenſes. 145
Concilii Senonenſis anni MCCLVI. *decretum de clericis bannitis & in peregrinatione Jeroſolymitana miſſis propter cædem cantoris Carnotenſis.* 146
Concilii Melodunenſis anno MCCLVII. *convocatio.* 147
Acta varia de diſſidio inter Robertum epiſcopum & Hugonem comitem Engoliſmenſem. 148
Sententia excommunicationis lata in Seneſcallum Engoliſmenſem ob clauſas Roberto epiſcopo civitatis portas, & interdicti in comitis familiam. 148
Epiſtola Roberti epiſcopi Engoliſmenſis ad capitulum Pictavenſe. 149
Mandatum decani & capituli Pictavenſis de pu-

blicanda ſententia excommunicationis in comitem Engoliſmenſem & interdicti in ejus uxorem. 151
Epiſtola Roberti epiſcopi Engoliſmenſis ad Gerardum archiepiſcopum Burdigalenſem. 152
Epiſtola Roberti epiſcopi Engoliſmenſis ad Ludovicum regem Francorum. 153
Epiſtola Geraldi archiepiſcopi Burdigalenſis, & Pontii epiſcopi Xantonenſis ad S. Ludovicum regem Francorum. 155
Epiſtola Roberti epiſcopi Engoliſmenſis ad generalem viſitatorem domorum militiæ Templi citra mare. 156
Epiſtola Pontii epiſcopi Xantonenſis ad præceptorem templi in Pictavia. 158
Epiſtola ejuſdem ad viſitatorem domuum militiæ Templi. 158
Epiſtola epiſcoporum provinciæ Burdigalenſis ad plures archiepiſcopos & eorum ſuffraganeos. 159
Epiſtola eorumdem ad Alexandrum IV. papam. 161
Item ad cardinales. 161
Epiſtola Roberti epiſcopi Engoliſmenſis ad Alexandrum papam. 162
Epiſtola ejuſdem ad P. epiſcopum Petragoricenſem. 164
Epiſtola ejuſdem ad electum Ebroicenſem. 165
Epiſtola ejuſdem ad Ludovicum regem. 166
Epiſtola epiſcoporum provinciæ Burdigalenſis ad Ludovicum regem. 167
Epiſtola Alexandri papæ IV. ad archiepiſcopum Burdigalenſem, qua hortatur eum ad concilium congregandum, in quo deliberetur de modo reſiſtendi Tartaris. 168
Reſponſio concilii Burdigalenſis ad Alexandri epiſtolam. 170
Concilium Terraconenſe anni MCCLXVI. 172
Extractiones de libro quem fecit venerabilis vir & religioſus frater Humbertus de Romanis, magiſter quondam V. *ordinis Prædicatorum, de his quæ tractanda videbantur in concilio Lugdunenſi ſub Gregorio papa X. ſub anno* MCCLXXIV. *in calendis Maii.* 174
Acta varia ad reconciliationem Græcorum, quæ in concilio Lugdunenſi anno 1274. facta eſt, ſpectantia. 199
Epiſtola I. Clementis papæ IV. 199
Epiſtola II. Clementis papæ IV. ad Palæologum Græcorum imperatorem. 200
Epiſtola collegii cardinalium ad epiſcopum Albanenſem apoſtolicæ ſedis legatum. 208
Epiſtola collegii cardinalium ad S. Ludovicum regem Francorum. 214
Epiſtola Gregorii papæ X. Michaëli Palæologo. 217
Epiſtola Gregorii papæ X. patriarchæ Græcorum. 226
Epiſtola Gregorii papæ X. Hieronymo de Eſculo, Remundo Berengarii, Bonæ gratiæ de S. Johanne in Perſiceto & Bonaventuræ de Mugello ordinis Minorum apoſtolicæ ſedis nunciis. 227
Epiſtola Gregorii papæ X. regi Siciliæ illuſtri. 229
Epiſtola ejuſdem eidem. 230
Epiſtola Gregorii papæ X. magiſtro Simoni de Pariſius archidiacono Vindocinenſi in eccleſia Carnotenſi regis Siciliæ cancellario. 231
Epiſtola Gregorii papæ X. regi Siciliæ illuſtri. 232
Epiſtola Gregorii papæ X. fratri Hieronymo de Eſculo, &c. nunciis apoſtolicis. 233
Epiſtola Gregorii papæ X. Michaëli Palæologo Græcorum imperatori illuſtri. 233
Epiſtola Gregorii papæ X. regi Siciliæ illuſtri. 235
Epiſtola Gregorii papæ X. ad univerſos prælatos eccleſiarum, barones & rectores civitatum. 236
Epiſtola Gregorii papæ X. abbati Caſinenſi. 236
Epiſtola Gregorii papæ X. fratribus Hieronymo & Bonagratiæ ordinis Minorum. 237
Epiſtola Gregorii papæ X. archiepiſcopo Panormitano. 237
Epiſtola Gregorii papæ X. Michaëli Palæologo. 238
Epiſtola Gregorii X. Andronico filio Michaëlis Palæologi imperatoris Græcorum. 239
Epiſtola Gregorii papæ X. prælatis Græcorum. 240
Epiſtola Gregorii papæ X. fratri Jo. dicto Belaſtro ordinis Minorum. 241
Epiſtola Gregorii papæ X. Siciliæ regi illuſtri. 241
Epiſtola Gegorii papæ X. Neapoleoni & Franciſco de la Turre. 241
Epiſtola Gregorii papæ X. Michaëli Palæologo illuſtri. 242
Epiſtola Gregorii papæ X. abbati Caſinenſi. 242
Epiſtola Gregorii papæ X. abbati Caſinenſi. 244
Epiſtola Innocentii V. Michaëli Palæologo imperatori Græcorum. 244
Epiſtola ejuſdem ad eumdem. 246
Ejuſdem ad eumdem. 248
Epiſtola Innocentii V. papæ prælatis Græcorum. 249
Epiſtola Innocentii V. Andronico primogenito Palæologi imperatoris. 251
Epiſtola Innocentii V. Jacobo Ferentinati, Gaufrido Taurinenſi epiſcopis, & Raynerio priori Viterbienſi & Salvo lectori Lucanenſi ordinis Prædicatorum. 252
Epiſtola Innocentii V. eiſdem. 253
Ejuſdem eiſdem. 257
Alia ejuſdem eiſdem. 257
Epiſtola Innocentii V. fratri Bartholomæo de Bononia ordinis Minorum. 258
Epiſtola Nicolai papæ III. Michaëli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri. 258
Epiſtola Nicolai papæ III. Michaëli Palæologo Græcorum imperatori illuſtri. 261
Epiſtola Nicolai papæ III. Andronico primogenito Palæologi imperatoris. 263
Epiſtola Nicolai papæ III. patriarchæ, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus & ceteris Græcorum prælatis. 264
Epiſtola Nicolai papæ III. Bartholomæo epiſcopo Groſſetano, Bartholomæo de Senis miniſtro

Syriæ, Philippo Perusino & Angelo Urbevetano ordinis Minorum lectoribus. 265
Epistola Nicolai papæ III. eisdem. 267
Item ejusdem eisdem. 267
Epistola Nicolai III. eisdem. 274
Epistola Nicolai papæ III. regi Siciliæ illustri. 275
Ejusdem eidem. 275
Concilium Senonense anno MCCLXXX. *celebratum.* 276
Concilium Terraconense anni MCCLXXXII. 277
Epistola Martini papæ IV. ad J. cardinalem S. Ceciliæ, in Francia legatum. 281
Concilium Melfitanum anno MCCLXXXIV. *celebratum a Gerado Sabinensi episcopo.* 283
Litteræ capituli Majoris-monasterii ad capitulum Turonense, quibus excusat abbatis sui absentiam, qui propter profectionem in Angliam concilio Andegavis indicto interesse non poterat. 288
Concilium Terraconense anno MCCXCV. 289
Concilii Remensis anno MCCXCIII. *celebrati epistola ad Bonifacium papam VIII. adversus capitula ecclesiarum cathedralium.* 298
Concilium Parisiense anno MCCXCIV. *celebratum.* 300
Concilium Terraconense anni MCCCXVIII. 305
Statutum Adulfi episcopi Leodiensis anno MCCCXX. *editum.* 308
Concilium Terraconense anni MCCCXXIII. 309
Concilium Armenorum anno MCCCXLII. *celebratum.* 320
Concilium Rothomagense anno MCCCXLII. *celebratum.* 404
Concilium Terraconense anni MCCCXLII. 416
Concilium Remense anni MCCCCVIII. 416
Acta varia quæ præcesserunt concilium Pisanum. 425
De initio schismatis. 426
Copia litterarum quæ fuerunt per dominos cardinales transmissæ archiepiscopo Barrensi existenti in Tuille, a dominis cardinalibus existentibus in Anagnia in forma monitionis. 433
Lettre envoyée de par le roi à nosseigneurs les cardinaux aprés la mort du pape Clement. 436
Instruction baillée par le roy nostre sire à messeigneurs les ducs de Berry, de Bourgogne & d'Orleans, & autres conseillers & serviteurs, lesquels il envoye presentement devers nostre S. pere pour le fait de la paix & union de l'eglise universelle. 437
Instrumentum per quod dominus noster papa misit erga dominum nostrum regem episcopum Avinionensem & dominum Petrum Blavi, ambassiatores, suos ut dictus dominus noster suos solemnes ad præfatum dominum nostrum papam mitteret ambassiatores. 458
Instrumentum per quod domini cardinales interrogati fuerunt per juramentum ut dicerent, quæ via videbatur eis esse melior & utilior pro exstirpatione schismatis. Et hoc fuit coram dominis ducibus ambassiatoribus regis ubi dixerunt opiniones suas. 466
Copia bullæ faciens mentionem quod dominus noster rex ccleriter mittat ambassiatores ad dominum papam, quibus aperire liberius possit intentionem suam. 472
Opinio Carturiensium super via cessionis. 474
Icy commence l'ambassade de messieurs les ducs au pape Benedict dernier elu pape, ordonnée par le roy nostre sire. 479
Litteræ credentiæ ambassiatorum domini nostri Benedicti. 486
Aliæ litteræ credentiæ ambassiatorum domini nostri Benedicti. 486
Lettre écrite au roy par les ambassadeurs, qui luy rendent compte de la conduite du pape à leur égard. 528
Lettre clause envoyée au roy par le cardinal de Vergi. 530
Littera domini cardinalis Venetiarum directa domino nostro regi. 531
Littera domini cardinalis Florentini. 532
Littera domini cardinalis Albanensis missa domino regi. 534
Litteræ domini cardinalis de Agrifolio missa domino regi. 536
Lettre close envoyée au roy par le cardinal de Murot. 536
Lettre close envoyée au roy par le cardinal d'Aux. 537
Littera cardinalis Penestrini missa domino regi. 538
Littera cardinalium de Florentia de Agrifolio & de Vernhia missa domino regi. 538
Littera domini cardinalis de Giffono directa domino regi. 540
Lettre close envoyée au roy par le cardinal de la Vergne. 541
Lettre close envoyée au roy par le cardinal de Vivier. 542
Lettres clauses envoyées de par plusieurs cardinaux au roy nostre redouté seigneur. 543
Lettre clause envoyée au roy par le cardinal de Naple. 545
Lettre clause envoyée au roy par le cardinal de Jerusalem. 546
Lettre clause envoyée au roy par le cardinal de Thury. 547
Lettre clause envoyée au roy par le cardinal de Saluce. 548
Arrestorum a tempore intrusionis usque in præsens simplex narratio. 548
L'opinion du roy de Castille sur le fait de l'union de l'eglise, mise de langage castillain en françois. 553
Processus nunciorum Franciæ, Angliæ & Castellæ, habitus in curia Romana per eosdem. 556
Johannis de Varennis epistolæ ad Benedictum XIII. papam. 559
Responsio papæ sub bulla ad præfatas litteras. 561
Epistola II. Johannis de Varennis ad Benedictum XIII. papam. 563

Epistola

Epiſtola III. 564
Epiſtola IV. 576
Epiſtola V. Benedicti XIII. ad Johannem de Varennis. 576
Via pro pace ſanctæ matris eccleſiæ. 577
Epiſtola VI. Johannis de Varennis ad Benedictum XIII. papam. 581
Epiſtola VII. Johannis de Varennis ad cardinales. 583
Relatio domino noſtro regi Francorum facta XV. *die Januarii Pariſius in domo regia S. Pauli præſentibus rege Navarreo, duce Bituriæ, comitibus S. Pauli & Armeniaci, domino Carolo le Bret, & pluribus aliis per Robertum eremitam, qui ex parte domini regis Angliæ ad dominum noſtrum papam Avinionem & Romam ad alterum tranſmiſſus fuerat.* 591
Caroli regis Francorum littera exſecutoria ſubtractionis obedientiæ facta Benedicto XIII. 598
Epiſtola collegii cardinalium illuſtriſſimo principi domino duci Bituricenſi. 599
Subtractio facta per vicarium domini archiepiſcopi Biſuntinenſis. 601
Subtractio reginæ Jeruſalem. 602
Subtractio totius cleri & omnium capitulorum civitatis Cameracenſis. 610
Subtractio ſcabinatus & communitatis villæ Cameracenſis. 611
Subtractio eccleſiæ regis Caſtellæ. 613
Epiſtola Caroli VI. Francorum regis ad Wenceſlaum regem Romanorum. 622
Quædam laudabilis littera directa domino regi. 625
Littera domini regis miſſa populo & communitati civitatis Florentiæ. 627
Epiſtola Caroli regis Navarræ ad Carolum regem Francorum. 629
Proceſſus tentus in curia Romana per regem Aragonum. 630
Reſponſio domini noſtri papæ facta ambaxiatoribus regis Aragonum poſt ſupplicationem ipſorum, ut condeſcenderet ad capitula per ambaxiatores regis Franciæ ſibi propoſita. 633
Acceptatio capitulorum regis per dominum Benedictum. 636
Iſta eſt reſponſio domini noſtri regis Franciæ facta ambaxiatoribus domini regis Aragonum, videlicet domino abbati de Rivipullo, domino Geraldo de Cervilione militi, fratri Petro Marini miniſtro ordinis fratrum Minorum in provincia Aragonum & domino Petro Zacalin legum doctori, nuper pro parte ipſius regis Aragonum miſſis, pro pace & unione eccleſiæ, ad dominum regem Francorum prædictum. 638
Qualiter dominus Benedictus refutavit cuſtodiam a collegio cardinalium. 641
Securitas data domino Benedicto per cardinales. 644
Securitas data domino Benedicto per villam Avenionenſem. 687
Juramentum illorum qui receſſerunt de palatio Avenionenſi. 650
Juramenta ſervitorum domini Benedicti tum eo manentium in palatio. 653
Qualiter dominus Benedictus refutavit cuſtodes ſibi datos per regem. 656
Subtractio civitatis Leodienſis. 659
Reſponſio domini Benedicti ad ultima capitula regis. 661
Qualiter dominus Benedictus fuit requiſitus, ut magis declararet ſuam intentionem circa ultima capitula ſibi miſſa per regem. 666
Relatio facta dominis regibus Caſtellæ & Navarræ, ſuper his quæ facta fuerant Avenione per ambaxiatores regis. 669
Secunda ſecuritas data domino Benedicto per dominos cardinales. 671
Quædam propoſitio per epiſcopum Zamorenſem propoſita coram rege. 674
Littera revocationis ſubtractionis per regem. 677
Littera directa archiepiſcopis & eorum ſuffraganeis. 680
Bulla Benedicti papæ XIII. de remiſſione injuriarum, damnorum & offenſionum. 681
Bulla Benedicti XIII. de celebrando generali concilio. 682
Bulla Benedicti XIII. de non faciendo mentionem de ſubtractione in concilio celebrando. 683
Bulla Benedicti XIII. de dandis bullis ſuper contentis in tractatu cardinalium. 684
Bulla Benedicti XIII. qua declarat omnem ſe viam ad eccleſiæ unionem & ſchiſmatis extinctionem opportunam amplecti & proſequi velle. 684
Bulla Benedicti XIII. qua declarat ſe nolle cedulæ in conclavi factæ effectum immutare. 685
Epiſtola Benedicti XIII. ad archiepiſcopum Lugdunenſem. 686
Bulla Benedicti papæ XIII. ad Carolum VI. Francorum regem. 686
Epiſtola Johannis ducis Bituricenſis ad Innocentium VII. 695
Epiſtola Innocentii papæ VII. ad Joh. ducem Bituricenſem. 702
Copia litteræ ducis Bituricenſis miſſæ dominis cardinalibus tempore Innocentii VII. 706
Propoſitio patriarchæ facta præſentibus dominis rege Navarræ, ducibus Bituriæ, Burgundiæ, Aurelianenſi, Borbonii, comite Nivernenſi & multitudine cleri & populi copioſa. 712
Copia litteræ per duos cardinales de parte Gregorii miſſa domino Benedicto. 719
Copia litteræ per dominos cardinales de parte Gregorii cardinalibus ex parte Benedicti. 721
Littera miſſa per dominos cardinales imperatori poſt electionem Gregorii. 721
Littera domini Aquilegienſis directa dominis cardinalibus Avenionenſibus. 723
Littera miſſa dominis cardinalibus de parte Benedicti per dominum Gregorium poſt ejus coronationem. 726

Bulla missa regi Franciæ per dominum Gregorium XII. 727
Epistola Gregorii papæ ad G. archiepiscopum Magdeburgensem & ejus suffraganeos. 728
Bullæ Gregorii papæ XII. ad universos Christi fideles. 730
Responsio domini Benedicti ad litteram dominorum cardinalium de parte Gregorii scriptam post ejusdem Gregorii electionem. 733
Littera domini Benedicti directa regi Franciæ. 734
Epistola Benedicti papæ XIII. ad Ludovicum ducem Aurelianensem. 735
Responsiva sacri collegii ad cardinales Gregorii. 736
Littera credentialis Gregorii XII. 737
Epistola Gregorii XII. ad Carolum regem Francorum. 737
Epistola Caroli regis Francorum ad cardinales Benedicti XIII. 738
Littera Caroli VI. regis faciens mentionem de ordinatione regia & ecclesiæ Gallicanæ super collatione beneficiorum cujus executio pro rogatur. 741
Epistola Gregorii papæ XII. ad Petrum de Luna. 745
Epistola Gregorii papæ XII. ad cardinales Petri de Luna. 746
Epistola Gregorii XII. ad Carolum VI. regem Francorum. 747
Copia litteræ directæ per Ricium Rossensem episcopum ad curiam Romanam super via cessionis electa ad unionem ecclesiæ. 748
Copia gestorum in Massilia per dominum Benedictum & suum collegium & ambassiatores domini Gregorii. 750
Epistola Gregorii papæ XII. communi & consilio Ancianorum civitatis Saonæ. 754
Copia litteræ directæ domino de Thureyo per dominum nostrum Benedictum papam XIII. 755
Epistola Benedicti papæ XIII. ad Johannem ducem Bituricensem. 756
Epistola Gregorii papæ XII. ad Petrum de Luna. 759
Epistola Gregorii papæ XII. ad Januæ gubernatorem. 760
Gregorii XII. litteræ ad Jacobum de Torso, Johannem abbatem de Pratalia & Franciscum Justinianum nuncios suos. 762
Benedicti responsio super mutatione loci Saonæ. 763
Copia litteræ per Gregorium intrusum Benedicto missæ. 767
Littera continens conclusiones promissas & juratas inter duos contendentes. 768
Epistola Caroli VI. regis Francorum ad Benedictum XIII. 770
Tenor cedulæ præsentatæ dominis cardinalibus de Parte Gregorii paulo post recessum eorum de Luca pro parte ambassiatorum regis Franciæ. 771
Cedula præsentata oratoribus Benedicti in civitate Luca existentibus per oratores regis Franciæ & universitatis. 773
Epistola cardinalium ad Benedictum XIII. 775
Sequuntur ea quæ fuerunt avisata per dominos cardinales utriusque collegii qui in Liburno convenerunt super facto unionis procurandæ. 775
Copia litteræ quam dominus cardinalis Leodiensis misit domino Lucanensi statim post recessum ipsius domini cardinalis a civitate Lucana. 778
Epistola Januensium sacratissimæ regiæ majestati Francorum. 775
Epistola Benedicti papæ XIII. ad Gregorium XII. 780
Benedicti XIII. litteræ quibus concilium, apud Perpinianum indicit in festo omnium sanctorum. 781
Epistola cardinalium Gregorii XII. ad Carolum regem Francorum. 788
Epistola cardinalium ad Carolum regem Navarræ. 791
Epistola cardinalium regi Castellæ & Legionum. 793
Epistola cardinalium reginæ Castellæ. 793
Epistola cardinalium infanti Castellæ. 794
Prima avisamenta dominorum cardinalium super exstirpatione schismatis & congregatione concilii generalis. 795
Epistola cardinalium Johanni duci Bituricensi. 795
Cardinalium utriusque obedientiæ votum & juramentum præstitum Liburnii aliquibus mensibus ante concilium Pisanum. 798
Adhæsio aliorum cardinalium ad prædictum votum. 803
Adhæsio Landulfi cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano. 806
Adhæsio cardinalis Ostiensis. 807
Epistola Antonii de Luca secretarii apostolici ad cardinalem Mediolanensem. 808
Responsio ad præcedentem. 811
Epistola scripta regi Romanorum per cardinalem Mediolanensem. 813
Epistola scripta ad quemdam consiliarium regis Bohemiæ. 814
Epistola scripta regi Angliæ per dominum Mediolanensem. 815
Epistola scripta archiepiscopo Cantuariensi per dominum Mediolanensem. 817
Epistola Benedicti XIII. ad Petrum cardinalem S. Susannæ. 817
Littera ad dominum Benedictum per quatuor cardinales. 818
Salvus conductus Florentinorum limitatus. 819
Copia litterarum directarum principibus per dominos cardinales de parte Gregorii. 820
Copia litterarum directarum ad universitates studiorum per dominos cardinales de parte Gregorii. 823
Littera ad reginam Franciæ. 824
Litteræ ad primogenitum regis Franciæ. 825
Hæc affixa sunt valvis ecclesiæ Pisanæ, ambobus collegiis unitis, mortuis cardinali Florentino

& cardinali Leodiensi. 826
Epistola P. R. M. V. doctorum, ut opinor Parisiensium, ad Petrum episcopum Meldensem regis Francorum ad ecclesiæ reintegrationem procurandam legatum. 840
Litteræ utriusque collegii cardinalium, quibus Petrus tituli XII. *apostolorum cardinalis, marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoletani administrator creatur.* 858
Requesta universitatis Parisiensis adversus Petrum de Luna. 859
Littera cardinalium ad regem Hungariæ. 860
Littera ad imperatorem Romeorum. 862
Epistola nunciorum regis Franciæ ad regem Hungariæ. 864
Bulla Benedicti papæ XIII. contra Parisiensem universitatem. 867
Epistola cardinalis Mediolanensis domino duci Mediolanensi. 869
Epistola Petri de Candia cardinalis Mediolanensis ad A. cardinalem Penestrinum. 872
Epistola ejusdem ad eumdem. 874
Appellatio B. de Monticulo litterarum sacræ pœnitentiariæ scriptoris & correctoris a sententia Gregoriana. 875
Epistola cardinalis Mediolanensis domino Hermoleo Bragadino Civi Venetiarum. 881
Nomina eorum qui ex parte provinciarum fuerunt electi pro concilio generali die VI. *Novembris in præsentia domini cancellarii Franciæ.* 883
Epistola Michaëlis Stenonis ducis Venetiarum ad cardinales. 886
Epistola Henrici Anglorum regis ad Rupertum imperatorem. 887
Epistola cardinalium utriusque collegii ad Carolum Francorum regem. 888
Epistola eorumdem ad reginam Franciæ. 889
Copia litteræ missæ cardinalibus a rege Aragonum. 890
Epistola Venceslai regis Romanorum ad cardinales. 891
Sequuntur VIII. *conclusiones quarum dogmatizatio utilis videtur pro exterminatione moderni schismatis.* 892
Aliæ conclusiones per studium Bononiense. 894
Littera universitatis Parisiensis ad cardinales utriusque collegii. 898
Epistola Caroli VI. regis Francorum ad Florentinos. 899
Epistola domini Barensis ad dominos cardinales. 899
Littera ducis Austriæ ad cardinales. 908
Sequuntur aliquæ propositiones utiles ad extinctionem præsentis schismatis per viam concilii generalis. 909
Epistola Petri episcopi Cameracensis ad cardinalem S. Angeli. 912
Concilium Aquense ex Arelatensi, Ebredunensi & Aquensi provinciis congregatum. 912
Epistola Francisci archiepiscopi Narbonensis ad cardinales. 915
Capitula data in Tarascone a Petro episcopo Cameracensi. 916
Littera missa domino Benedicto a Florentinis. 918
Forma salvi conductus a Florentinis transmissi Benedicto XIII. *ad instantiam dominorum cardinalium plebis suæ.* 921
Epistola Caroli regis Francorum ad Venetos. 922
Littera Wenceslai Romanorum & Bohemiæ regis ad universos regni sui fideles. 923
Epistola cardinalium Benedicti ad eumdem Benedictum. 925
Epistola Johannis ducis Burgundiæ. 930
Littera subtractionis, collationis beneficiorum, &c. facta per Florentinos. 931
Epistola Petri de Giralfredinis de Pona scripta domino Malatestæ de Malatestis. 936
Conventus prælatorum Florentinorum ad subtrahendam seu subtractam a Gregorio XII. obedientiam approbandam & confirmandam. 937
Epistola Florentinorum ad dominum Gregorium papam XII. 942
Ad magnificos viros dominos Florentinos post subtractionem factam Gregorio. 946
Ad magnificos dominos Senenses hortatoria, ut idem faciant. 947
Epistola ad serenissimum Francorum regem per magnificos priorem, vexilliferum justitiæ populi & communis Florentinorum. 994
Capitula domini nostri papæ ad Florentinos. 950
Difficultates adversus concilium Pisanum & ante ejus celebrationem solvendæ. 962
Anonymi epistola ad cardinales Pisis congregatos. 966
Benedicti papæ XIII. epistola ad cardinales. 981
Epistola Caroli VI. regis Francorum ad cardinales utriusque collegii. 985
Epistola Gregorii papæ XII. ad civem & mercatorem Lucanum. 987
Epistola concilii Pisani ad Bucicaldum. 988
Responsio facta per reverendissimos patres dominos S. R. E. cardinales pro unitate. S. R. E. prosequenda, &, ut sperant, in Deo feliciter concludenda, in civitate Pisana de gentes, prudenti & circumspecto viro Rodulpho secretario & nuncio atque ambassiatori viri magnifici domini Malatestæ de Pensauro ad quædam capitula petita per eum. 988
Acta & tractata inter Carolum de Malatestis & cardinales Pisis existentes pro extinctione schismatis. 996
Acta concilii Pisani anni MCCCCIX. 1078
Epistola Roberti prioris Celsinensis ad abbatem & conventum Cluniacensem. 1112
Epistola Roberti prioris Celsinensis ad abbatem Cluniacensem. 1116
Libellus supplex oblatus papæ in concilio Pisano, continens articulos reformationis faciendæ cum summi pontificis ad eos responsione. 1124
Gregorius papa XII. ad schismatis extinctionem offert celebrari concilium ex tribus obedientiis. 1132
Responsio domini Caroli ad relata sibi per dominum episcopum Cerviensem parte domini

Alexandri. 1136
Replicatio domini Alexandri ad ambaſſiatam factam ſibi per dominum epiſcopum Cervienſem parte Caroli de Malateſtis. 1140
Littera Caroli ad egregium doctorem Marcum miſſa & in latinum traducta. 1141
Oratio nomine Caroli de Malateſtis miſſa cardinalibus Piſis congregatis. 1143
Epiſtola Caroli Malateſtæ ad cardinales Bononiæ exiſtentes. 1162
Epiſtola oratoris Caroli de Malateſtis ad eumdem Carolum. 1163
Reſponſio ad epiſtolam præcedentem. 1165
Epiſtola oratoris Caroli de Malateſtis ad eumdem Carolum. 1168
Exponenda metuendo domino Balthaſaro per collegium cardinalium Bononiæ commorantium in ſuum pontificem electo ſuper materia unionis. 1171
Ambaxiata pro parte domini Caroli ad Johannem papam Bononiæ electum commiſſa epiſcopo Cervienſi. 1174
Epiſtola Pauli epiſcopi Cervienſis ad Carolum de Malateſtis. 1177
Ejuſdem ad eumdem. 1177
Inſtrumentum publicum de exhibitis nomine Caroli de Malateſtis ſacro cardinalium collegio modis ad procurandam ſchiſmatis extinctionem. 1179
Informatio miſſa regi Romanorum & Hungariæ de geſtis inter Carolum de Malateſtis & Johannem papam XXIII. 1187
Proteſtatio nomine Caroli facta de bello ab ipſo indicto Johanni XXIII. papæ recuſanti vias pacis & unionis eccleſiæ. 1206
Copia cedularum in concilio Perpiniani traditarum per dominum papam Benedictum XIII. 1208
Tenor cedulæ oblatæ per epiſcopum Zamorenſem. 1209
Epiſtola Raymundi abbatis Cluniacenſis ad concilium Cluniacenſe. 1217
Epiſtola prioris majoris & conventus Cluniacenſis ad clerum Gallicanum in concilio Conſtantienſi exiſtentem. 1218
Addenda & emendanda in ſubſcriptionibus quæ in concilii Conſtantienſis ſeſſione XX. *leguntur.* 1219
Statuta ſynodalia eccleſiæ Ambianenſis. 1223
Statuta ſynodalia capituli Ambianenſis. 1269
Statuta ſynodalia eccleſiæ Aurelianenſis. 1275
Statuta ſynodalia eccleſiæ Cameracenſis. 1291

COMMONITORIUM
CUJUSQUE EPISCOPI
AD SACERDOTES SUBDITOS SIBI,
ceteroſque miniſtros cujuſcumque ordinis eccleſiaſtici.



Editus antiquis mſſ. uno Viconienſis monaſterii ante annos 500. exarato ; altero Pariſienſis ſancti Victoris. bibliothecæ ejuſdem fere ætatis.

FRATRES ſacerdotes Domini cooperatores noſtri ordinis eſtis, & nos quidem quamvis indigni locum Aaron tenemus, vos locum Eleazari & Itamari. Nos vicè duodecim apoſtolorum fungimur, vos ſeptuaginta duorum diſcipulorum. Nos paſtores veſtri ſumus, vos plebis vobis commiſſæ. Nos de vobis rationem reddituri ſumus ſummo paſtori Domino noſtro JESU CHRISTO, vos de plebe vobis commiſſa. Ideoque, cariſſimi, veſtrum videte periculum. Admonemus itaque & obſecramus fraternitatem veſtram, ut quæ vobis ſuggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis.

I. In primis admonemus ut vita & converſatio veſtra irreprehenſibilis ſit, ſcilicet ut cella veſtra ſit juxta eccleſiam, & in domo veſtra feminas non habeatis.

II. Omni nocte ad vigilias ſurgite ; curſum veſtrum horis certis decantate.

III. Miſſarum ſolemnitates celebrationeſque religioſe peragite ; corpus & ſanguinem Domini cum timore & reverentia ſumite ; vaſa ſacra propriis manibus abluite & extergite.

IV. Nullus cantet niſi jejunus ; nullus cantet qui non communicet.

V. Nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola, fanone, caſula. Et hæc veſtimenta nitida ſint, & ad nullos alios uſus ſint.

VI. Nullus cum alba, quâ in ſuos uſus utitur, præſumat miſſam celebrare. (a) Nullus in ligneo aut vitreo calice audeat miſſam celebrare. (b) [a] [b]

VII. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat.

VIII. Corporale mundiſſimum ſit. Altare ſit coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur niſi capſæ & reliquiæ & (c) quatuor evangelia & pyxis cum corpore Domini ad viaticum infirmis, cetera in nitido loco recondantur. [c]

IX. Miſſale, plenarium (d), lectionarium, antiphonarium, (e) utrumque librum XL. homeliarum unuſquiſque habeat. [d] [e]

X. Locus in ſecretario vel juxta altare ſit præparatus, ubi aqua effundatur quando ſacra vaſa abluuntur, ibique vas nitidum cum aqua pendeat, ubi ſacerdos manus lavet poſt communionem.

XI. Eccleſiæ ſint bene coopertæ & cameratæ, atrium eccleſiæ undique (f) muratum. [f]

XII. Nullus extra eccleſiam per domos, vel in locis non conſecratis, miſſam cantet, (g) nec ſolus cantet. [g]

XIII. Quiſque preſbyter clericum habeat qui epiſtolam vel lectionem legat, eique ad miſſam reſpondeat & cum quo pſalmos cantet.

(a) al. *cantare.* (b) al. iterum *cantare.*
(c) al. *aut forte quatuor evangelia.*
(d) Plenarium aliqui cum miſſale confundunt ; aliqui ita diſtinguunt, ut miſſale ſit *liber* eccleſiaſticus continens officium miſſarum, plenarium librum complectens epiſtolas & evangelia. Crediderim tamen miſſale plenarium eſſe librum, in quo non modò canon, orationes & præfationes continentur, ſed etiam epiſtolæ & evangelia, omnia denique quæ in choro cantantur.
(e) In Victorino codice deſideratur *utrumque librum* XL. *homiliarum.*
(f) Victor. *Sepi munitum.*
(g) In Victor. deeſt *nec ſolus cantet.*

XIV. Infirmos visitate, eosque Deo reconciliate, oleo sancto ungite, & propria manu communicate. Nullus præsumat tradere communionem laïco vel feminæ ad ferendum infirmo.

[a] XV. (a) Nullus sacrum chrisma vendat, nullus pro baptizandis, vel pro corpore Domini, vel pro reconciliatione, vel pro sepultura, vel pro consecrandis ecclesiis precium quærat, vel ecclesias aliquorum datâ pecuniâ subripiat.

XVI. Videte ne per negligentiam vestram ullus infans sine baptismo moriatur.

[b] XVII. Nullus vestrûm sit ebriosus, litigiosus, (b) nullus arma in seditione ferat, (c) nullus canum vel avium jocis inserviat, nullus in tabernis bibat.

XVIII. Unusquisque vestrûm, quantum sapit, plebi suæ de evangelio, (d) de epistola, vel aliqua divina scriptura Dominico die vel festis diebus adnuntiet.

XIX. Curam pauperum, peregrinorum, orphanorum habeat, eosque ad prandium invitet, (e) ut in his & aliis hujusmodi a vobis alii exemplum capiant.

XX. Omni die Dominico ante missam, aquam benedictam facite, unde populus (f) & loca fidelium aspergantur.

XXI. Sacra vasa vel vestimenta sacerdotalia non dentur in vadimonium (g) negotiatori, vel alicui laïculari.

XXII. Nullus vestrûm minus digne pœnitentem cujuscumque rei gratiâ ad reconciliationem adducat, & ei reconciliationis testimonium ferat.

XXIII. Nullus vestrûm usuras exigat, & conductor sui (h) senioris existat. Res & facultates quas post diem ordinationis vestræ adquiritis, ad ecclesiam cui deservitis pertinere sciatis.

XXIV. Nullus sine scientia & consensu nostro ecclesiam adquirat. Nullus per potestatem secularium ecclesiam obtineat; (i) nullus ecclesiam ad quam titulatus est dimittat, & ad aliam causâ quæstûs migret.

XXV. Nullus plures teneat ecclesias sine aliorum auxilio presbyterorum, nullatenus una ecclesia inter plures dividatur.

XXVI. Nullus alterius parochianum, nisi in itinere, aut si sibi placitum fuerit, ad missam recipiat. Nullus in alterius parochia sine (k) licentia illius cantet. [k]

XXVII. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat.

XXVIII. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare vel vinum bibere, nisi pro eo ad præsens eleemosynam dederit.

XXIX. Nullus (l) præsumat baptizare, nisi in vigilia Paschæ & Pentecosten, nisi pro periculo mortis. [l]

XXX. Unusquisque fontes habeat, si non potest habere lapideos, habeat aliud vas ad hoc tantummodo præparatum. (m) [m]

XXXI. Omnibus parochianis vestris symbolum & orationem Dominicam insinuate.

XXXII. Jejunium 4. temporum, rogationes, letaniam majorem (n) eis indicite. [n]

XXXIII. Feria IV. ante quadragesimam eos ad confessionem invitate, eisque juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in pœnitentiali scriptum est.

XXXIV. Tribus vicibus in anno, scilicet in Natale Domini, Pascha, Pentecosten, omnes (o) fideles communicent. [o]

XXXV. Certis temporibus conjugati ab uxoribus (p) abstineant. [p]

XXXVI. Eulogias post missas in diebus festis accipiant.

XXXVII. Nullus presbyter in itinere sine stola (q) incedat; nullus induatur vestimentis laïcalibus; nullus rem aut possessionem aut mancipium ecclesiæ vendat, aut commutet, vel quocumque ingenio alienet. [q]

XXXVIII. Dominicum diem aliasque festivitates (r) a vespera usque ad vesperam celebret unusquisque. [r]

XXXIX. Cantus & choros mulierum in atrio omnino prohibete.

XL. Carmina diabolica quæ super mortuos nocturnis horis vulgus cantare solet, & cachinnos quos exercent, sub contestatione omnipotentis Dei prohibete.

XLI. Excommunicatis missam ne cantetis, (s) & plebi vobis commissæ ne hoc faciat interdicatis omnino. [s]

XLII. Nullus presbyter ad nuptias eat.

XLIII. Nullus (t) uxorem, nisi publicè celebratis nuptiis, accipiat. Raptum nullus faciat. Nullus proximam suam accipiat. [t]

(a) In codice Victorino hic articulus sic legitur: *Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat.* Omissis reliquis.

(b) Codex Victorinus addit, *quia servum Domini non oportet litigare.*

(c) Addit Victorinus, *quia arma nostra debent esse spiritualia.*

(d) Victorinus codex: *De evangelio vel apostolo die Dominico vel festis diebus annunciet. Verbum Dei debetis prædicare.*

(e) Codex Victorinus totum hunc articulum in secunda persona enunciat, tum hæc subdit: *Estote hospitales, ut a vobis alii exemplum bonum sumant.*

(f) Vict. *Aspergatur*, omisso *& loca fidelium*, additque: *Et ad hoc solum vas habete.*

(g) Victor. *Nolite in vadium dare negotiatori aut tabernario.*

(h) Vict. *Novi fœnoris.*

(i) Codex Vict. addit: *Nullus per pecuniam alterius ecclesiam supplantet.*

(k) Vict. *absque proprii presbyteri voluntate vel rogatu.*

(l) Hic articulus desideratur in Victorino.

(m) Vict. addit, *in quo nihil aliud fiat.*

(n) Victor. *plebibus vestris omnimodis observandum insinuate.*

(o) Vict. *omnes fideles ad communionem Corporis & Sanguinis accedere ammonete.*

(p) Vict. *abstinere exhortamini.*

(q) In codice Vict. deest *nullus presbyter in itinere sine stola incedat.*

(r) Vict. *absque opere servili celebrare docete.*

(s) Vict. *cum excommunicatis nolite communicare, nullus præsumat illis missam cantare, sed & plebibus vobis commissis hoc annuntiate.*

(t) Codex Vict. *omnibus annuntiate, ut nullus*, &c.

Nullus ſponſam alterius ducat.

XLIV. Unuſquiſque porcarios & alios ſervos ſuos dominicis diebus vel feſtivis ad miſſam venire faciat.

XLV. Patrini ſuos ſpirituales filios ſymbolum & orationem dominicam vel doceant, vel docere faciant.

[a] XLVI. Chriſma ſemper ſit in ſera (a) propter quoſdam infideles.

[b] XLVII. (b) Quiſque preſbyter expoſitionem ſymboli vel dominicæ orationis habeat ſcriptam juxta traditionem orthodoxorum patrum, & eam pleniter intelligat, & inde prædicando populum ſibi commiſſum aſſiduè ore inſtruat. Orationes miſſarum, præfationem canonis, eumdem canonem pleniter intelligat, ut memoriter ac diſtincte proferre valeat. Epiſtolæ & evangelii ſenſum ſaltem juxta litteram ſciat. Pſalmorum verba & diſtinctiones memoriter teneat. Exorciſmos & orationes ad catechumenum faciendum, ad baptiſmum conſecrandum, & preces ſuper maſculum & feminam ſingulariter & pluraliter diſtincte proferre ſciat, & ordinem baptizandi ad ſuccurrendum infirmis, & ordinem reconciliandi ſecundùm auctoritatem canonum, & ordinem ungendi infirmos, & ordinem in exequiis defunctorum, exorciſmos quoque & preces ſuper ſalem & aquam, cantum nocturnum & diurnum, compotum ſi non majorem, ſaltem minorem, id eſt, epactas, concurrentes, regulareſque terminos, martyrologium, pœnitentialem unuſquiſque habeat.

CAPITULARE
CAROLI MAGNI
regis Francorum.

Ex mſ. codice bibliothecæ Chigianæ eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

SEquens capitulare ex vetuſtiſſimo codice ſæculo nono exarato, olim Romani S. Pauli monaſterii, tunc Chigii cardinalis bibliothecæ, eruit Mabillonius. Auctor ſeipſum prodit capite 12. *ubi Pippinum genitorem ſuum appellat, & cap.* 14. *quod ſic incipit :* Placuit nobis Carolo magno glorioſiſſimo regi. *Hinc patet capitulare hoc editum fuiſſe antequam Carolus imperiali diadema-te decoraretur. Nec refert quod capite* 29. *citetur capitulare* domni imperatoris : *nam reges ſe olim etiam imperatores appellabant. Ita Pippinus imperatoris nomine donatur in lib.* 2. *legis Longobardorum, tit.* 46. *num.* 1.

I. DE Metropolitanis, ut ſuffraganei epiſcopi eis ſecundum canones ſubjecti ſint; & ea quæ erga miniſterium illorum emendanda cognoſcunt, libenti animo emendent atque corrigant.

II. De epiſcopis, ut ubi in præſens ordinati non ſunt, ſine tarditate ordinentur.

III. De monaſteriis quæ regularia fuerunt, ut ſecundum regulam vivant, necnon & monaſteria puellarum ordinem ſanctum cuſtodiant, & unaquæque abbatiſſa ſine intermiſſione in ſuo monaſterio reſideat.

IV. Ut epiſcopi preſbyteris & clericis infra illorum parochiam vel de ſuo miniſterio poteſtatem habeant ſecundum canones facere.

V. Ut epiſcopi de inceſtuoſis hominibus emendandi licentiam habeant ad regendum: & ſi de ipſis inceſtuoſis aliquis poſt judicium epiſcopi in ipſo inceſtuoſo iterum miſerint, ſi alaudem habuerint, ipſam fiſcus regis recipiat.

VI. Nulli liceat alterius clericum recipere, nec ordinare in aliquo gradu, ſine dimiſſoria ſui epiſcopi de cujus parochia [exſiſtit.]

VII. De decimis ut unuſquiſque homo ſuam decimam donet, & per juſſionem & conſilium epiſcopi in cujus parochia fuerint, diſpenſentur.

VIII. De homicidis & ceteris malefactoribus, qui legibus aut pro pace facienda mori debent, nemo eos ad excuſationem in eccleſiam ſuam introire permittat : & ſi abſque voluntate paſtoris ibidem introierit, tunc ipſe, in cujus eccleſia eſt, nullum victum ei donet, nec alium dare permittat.

IX. Ut latrones de infra emunitatem illorum judices & advocati, ad comitum placitum, quando eis annunciaverint, præſentent: & ſi dixerint, quod illos latrones præſentare non potuiſſent; poſtquam eis denunciatum fuerit, nec pro nulla juſtitia dilatanda illis latronibus non conſenſiſſent, nec pro cauſa dilationis de ſua poteſtate, vel de ſuo miniſterio ipſos latrones non jactaſſent, & hoc iret ut pro ſua voluntate, ſi poſſunt, ipſos latrones præſentare debeant ad juſtitias faciendum. Similiter & vaſſi do-

(a) Vict. addit, *aut ſub ſigillo.*

(b) Quæ ſequuntur deſunt in codice Victorino, quorum loco hæc leguntur : *Volumus autem, fratres cariſſimi, quatenus quæ noſtræ percepiſtis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis ſtudeatis operibus adimplere, præſtante Domino noſtro* Jesu Christo, *qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

minici ipſum exemplum exinde ſuſtineant; & qui ſupraſcripta ſacramenta ſine perjurio jurare non potuerint, ſi beneficium habuerint, aut actum per ipſum perdant: & ſi beneficium non habuerint; bannum dominicum ſolvant.

X. Si quis perjurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat, niſi manum perdat: & ſi ille qui prius illi ſacramentum jurat, de illo perjurio probatus fuerit, & aliqui de ſuis juratoribus dixerint, quod neſciens ſe ſibi perjuraſſet, aut hoc apud judicium Dei approbet verum eſſe: aut ſimiliter manum perdat, de cujus cauſa perjuria fecerit, ſicut lex loci illius, ubi perjurium factum eſt, à longo tempore fuit: de quorum pretio emendare ſtudeat. De furto videlicet. De minoribus cauſis inſtituimus, ſi ille homo, cujus cauſa jurata fuerit, dicere voluerit, quod ille qui juravit ſe ſciens perjuraſſet, ſtent ad crucem: & ſi ille qui juravit victus fuerit, quod ſe per juraſſet: ſupraſcriptam ſententiam ſuſtineat. De majoribus vero cauſis lex quam à longo tempore habuerunt obſervetur.

XI. De vindicta & judicio in latrones, facto teſtimonio epiſcoporum, abſque peccato Comites facere poſſint, ſi ibi nec invidia, nec alia occaſio mala, nec injuria non interpoſuerit, niſi vera juſtitia ad perficiendum & pacem confirmandam: ut ſi quis latro de uno furto probatus fuerit, oculum perdat: & ſi de duobus furtis probatus fuerit, oculum perdat & naſum ei cappiletur: & ſi de tribus furtis probatus fuerit, moriatur. Et his duobus furtis, unde oculum unum & naſum perdere deberet, conſtituimus, ut domini ſervi illius ſecundum legem cui facta furta fuerint, ſolvere debeat: de tribus vero furtis unde mori debet, mors illius furta excludat. Et ſic omne ſine culpa per invidiam aut injuſtam occaſionem, niſi per juſtitiam & pacem faciendam, hominem disfecerit, honorem ſuum perdat, & legibus contra quem juſte fecit, ſecundum pœnam quam intulit emendet.

XII. De cauſis vero, quas bonæ memoriæ genitor noſter Pipinus in ſuis placitis & ſynodis conſtituit, conſervare volumus.

XIII. De rebus vero eccleſiarum quæ uſque nunc per verbum domni regis homines ſæculares in beneficium habuerunt, ut inantea ſic habeant, niſi per verbum domni regis ad ipſas eccleſias fuerint revocatæ: & ſi inde uſque nunc à parte eccleſiæ decima & nona exivit, & nunc inantea faciat. Et inſuper illas eccleſias de quinquaginta caſatos ſolido uno reddat: de triginta medio ſolido uno reddat; de viginti tremiſſe, & quiſque nunc alium cenſum dedit, inantea ſicut prius fecit, ita faciat: & uſque nunc nullum cenſum exivit, & ipſæ res eccleſiæ ubi ſunt cenſentur & ubi non ſunt ſcribantur: & ſit diſcretio inter precarias de verbo dominico factas, & inter eas quas epiſcopi, & abbates, & abbatiſſæ eorum arbitrio vel diſpoſitione faciunt: ut liceat eis, quando quidem eis placuerit, res quas beneficiaverint, ad partes ipſius eccleſiæ recipere, facientes ut unuſquiſque homo ad cauſam Dei in honore Deo fideliter & firmiter deſerviat.

XIV. Placuit nobis Karolo Magno glorioſiſſimo regi, ut vitia quæ noſtris temporibus in ſancta Dei eccleſia emerſa ſunt eradicentur & evellantur.

XV. Volumus igitur præordinante Deo eccleſias noſtras ſecundum auctoritatem canonicam ordinare, & ordinem clericorum diſponere.

XVI. Monaſteria, quæ jampridem regularia fuerunt tam virorum quam & puellarum, ſeu quæ ſub noſtro dominio ſita ſunt, volumus ut ſecundum regulam diſponantur & vivant: & ſi abbates vel abbatiſſæ ſine regula vivunt, ſeu inordinati inventi vel inventæ fuerint; ſi correpti vel correptæ emendare noluerint, abjiciantur, & de ipſa congregatione, ſi digni inventi fuerint, abbas vel abbatiſſæ eligantur: ſin autem aliunde & de monaſteriis regularibus ſimiliter.

XVII. De xenodochiis vero nobis pertinentibus, quæ bene ordinata ſunt ipſa permaneant: quæ vero deſtructa ſunt, ſecundum qualitatem temporum ad priorem cultum perducere cupimus, & ibi pauperes reficiantur, & per perſonas idoneas fiant ordinata, qui ea juxta Dominum regant, & de eleemoſynis pauperum nihil ſubtrahant,

XVIII. De eccleſiis baptiſmalibus ita cenſemus, ut per preſbyteros ordinatæ ſint, & nullam violentiam ab epiſcopis ſuis aut ſuppoſitam ab epiſcopis ſuis patiantur, ſed ſecundum canonicam inſtitutionem & antiquam conſuetudinem faciant.

XIX. Quando epiſcopus ſuam parochiam circumeat, ne plus ab ea exigat vel capiat, niſi ſecundum canones vel antiquam conſuetudinem, & oppreſſionem ab epiſcopis ejuſdemque hominibus ipſa plebs non patiatur. Tam epiſcopi quam preſbyteri, ſeu diaconus, vel abbas, & monachi, nullam venationem per ſe facere præſumant, aut ubi ipſi præſentes ſunt: neque illa jocorum genera ante ſe fieri permittant, quæ contra canonum auctoritatem veniunt.

XX. De ſtipendiis quoque clericorum, ut tam redditus vel oblationes fidelium pleniter ſecundùm canones ipſi clerici habeant.

XXI. Ut præpoſiti cardinalium eccleſiarum obedientes ſint epiſcopis ſuis, & epiſcopi eos à ſuis vel aliis juſtis utilitatibus expellere non præſumant abſque culpa & juſta ratione, & nulla eis per violentiam imponatur.

XXII. Propter ordinationes vel conſecrationes preſbyterorum ceterumque clericorum

corum nulla nos præmia amodo accepturos promittimus, neque ab ipſis, neque à parentibus, vel amicis.

XXIII. Exenia quoque quæ ecclesiis noviter impoſita ſunt, amputanda, & non majora quam conſuetudo fuerat accipienda cenſemus.

XXIV. De decimis verò, quæ à populo in plebibus vel baptiſmalibus eccleſiis offeruntur, nulla exindè paſtori eccleſiæ vel epiſcopo imponatur.

XXV. Nolumus, 1°. ut neque abbates, aut preſbyteri, aut diaconi, neque quislibet de clero de perſonis ſuis ad publica vel B ſæcularia judicia trahantur vel diſtringantur: ſed à ſuis epiſcopis adjudicati juſtitias faciant. Si autem de poſſeſſionibus, ſeu eccleſiaſticis, ſeu propriis, ſuper eos clamor ad judicem venerit, mittat judex clamantem cum miſſo ſuo ad epiſcopum, ut faciat eum per advocatum juſtitiam recipere. Si verò talis aliqua contentio inter eos orta fuerit, quam per ſe pacificare non velint, aut non poſſint; tunc per advocatum epiſcopi, qualem jusſerit ipſe, cauſa ipſa ante comitem vel judicem C veniat, & ibi ſecundùm legem finiatur, ante poſita perſona clericorum, ſicut ſupra diximus.

XXVI. Ut clerici ſeu monachi vagantes ſive de ipſa parochia, ſeu aliunde ſupervenientes, ſine conſenſu epiſcopi à nemine ſuſcipiantur.

XXVII. Ut eccleſiæ baptiſmales ab his qui debent reſtaurentur, & ſingulis, prout ejus poſſibilitas fuerit, reſtaurandi menſura reputetur. Hoc ideo dicimus, quia in quibuſdam locis quoſdam per pecuniam conſen- D tientibus magiſtris ſe ſubtrahunt. Audivimus autem homines eccleſiaſticos pro eccleſiæ miniſterio ordinari oportere.

XXVIII. Ut placita publica vel ſæcularia nec à comite, nec à nullo miniſtro ſuo vel judice, nec in eccleſia, nec in tectis eccleſiæ circumjacentibus vel cohærentibus nullatenus teneantur.

XXIX. Ut ſervi, aldiones, libellarii antiqui, & alii noviter facti, qui non per fraudem, neque per malum ingenium de publico ſervitio ſe ſubtrahentes, ſed per ſolam E neceſſitatem & paupertatem terram eccleſiaſticam vel colunt, vel colendam ſuſcipiunt, non à comite vel aliquo miniſtro illius, ad ullam angariam ſeu ſervitium publicum vel privatum cogantur vel compelantur; ſed quidquid ab eis juſte agendum eſt, à domino vel patrono ſuo ordinandum eſt. Si verò de aliquo crimine accuſantur, epiſcopus primò compelletur, & ipſe per advocatum ſuum, ſecundùm quod lex eſt, juxta conditionem ſingularum perſonarum, juſtitiam faciat. Si verò culpabilis fuerit, ſicut in

A capitulari domini Imperatoris ſcriptum eſt, ita fiat. Ceteri verò liberi homines, qui vel commendationem, vel beneficium eccleſiaſticum habent, ſicut reliqui homines juſtitiam faciant.

XXX. Audivimus etiam quod juniores comitum, vel aliqui miniſtri reipublicæ, ſive etiam nonnulli fortiores vaſſi comitum aliquas redhibitiones vel collectiones, quidam per paſtum, quidam etiam ſine paſto, quaſi deprecando à populo exigere ſolent. Similiter quoque operas collectionis frugum, arare, ſeminare, runcare, carrucare, vel cetera his ſimilia à populo per eamdem & per B alias machinationes exigere conſuevere. Non tantùm ab eccleſiaſticis, ſed etiam à reliquo populo quæ juſte removenda eſſe videntur, quia in quibuſdam locis in tantum inde populus oppreſſus eſt, ut multiferre non valentes, per fugam à dominis vel à patronis ſuis lapſi fuerint, & terræ ipſæ in ſolitudinem redactæ ſunt. Potentioribus autem vel ditioribus ex ſpontanea tantùm voluntate vel mutua dilectione volentibus ſolatia præſtare invicem, minime prohibemus.

C XXXI. De pontibus verò vel reliquis ſimilibus operibus, quæ eccleſiaſtici per juſtitiam & antiquam conſuetudinem cum reliquo populo facere debent, hoc præcipimus, ut rector eccleſiæ interpellet ei, & ſolum quod poſſibilitas fuerit, ſua portio deputetur, & per alios exactores eccleſiaſtici homines non compellantur. Si verò opus ſuum conſtituto die impletum non habuerit, liceat comiti pro pœna præpoſitum operis pignorare juxta æſtimationem vel quantitatem perfecti operis, quouſque perficiat. Comes D autem ſi neglixerit, à rege vel miſſo regis judicandus eſt.

XXXII. De decimis ut dentur, & dare nolentes ſecundùm quod anno præterito denuntiatum eſt, à miniſtris reipublicæ exigantur, id eſt obligantur quatuor vel octo homines, vel pro ut opus fuerit, de ſingulis plebibus juxta æqualitatem, ut ipſi inter ſacerdotes & plebem teſtes exiſtant, ubi datæ vel non datæ fuerint. Hoc ideo ne ibi juramentum aliquod faciendi neceſſitas contingat. Non tamen ideo tantos teſtes mittendum dicimus, ut ipſi ſemper in dandis decimis præſentes eſſe pariter neceſſe ſit: ſed ut dum pluribus committitur, minus graventur. In duobus autem, ſi affuerint, ſufficere credimus. Negligentes autem à preſbyteris admoneantur ante eccleſias uſque ad tertiam vicem, ut ipſam decimam dent. Quod ſi contemſerint ab introitu eccleſiæ prohibeantur: & ſi tunc minime emendaverint, à miniſtris reipublicæ diſtricti ſinguli per caput ſex ſolidos eccleſiæ componant, & inſuper decimam dare cogantur. Nam ſi iterum contemtores extiterint, tunc per publicam auctoritatem domus vel caſæ wiſſen-

* *Id eſt*, claudantur ſigno publico.

tur, * quouſque pro ipſa decima, ſicut ſupra dictum eſt, ſatisfaciant. Quod ſi denuo rebelles vel contradictores eſſe voluerint, & ſuper wiſſam ſuam auctoritate intrare præſumſerint; tunc à miniſtris reipublicæ in cuſtodiam mittantur, uſque dum ad judicium publicum perducantur, & ibi ſecundùm legem ad comitem vel parte publica componant: reliqua autem, ut ſupra dictum eſt de decimis, & ſex ſolidos contra eccleſiam ſatisfaciant. Hæc interim, ut ſupra dictum eſt, inter cetera pia chriſtianitatis opera ſervare convenit, quo uſque in ſequenti conventu medio Octubris ut condictum eſt, niſi forte à rege aliter præcipiatur, aliquid melius addendum, mutandum vel Deo duce inveniatur.

XXXIII. Qui ſubdiaconum occiderit ccc. ſolidos componat, qui diaconum cccc. qui preſbyteros ſexingentos, ſi epiſcopum DCCCC. qui autem monachum CCCC.

XXXIV. Si quis immunitati aliquod damnum fecerit DC. ſolidos componat.

DE ALODE.

Ex eodem mſ. cod.

I. SI quis homo mortuus fuerit & filios non dimiſerit, ſi pater aut mater ſuperſuerint, ipſi in hæreditatem ſuccedant.

II. Dum relegiſſemus aliqua capitula ex Romanis legibus, in novella Juſtiniani invenimus ſcriptum inter cetera de conſtitutione Theodoſii imperatoris & Valentiniani auguſti ad Albinum præfectum.

III. Ut nullus audeat epiſcopos, preſbyteros, diaconos accuſare. Audemus quidem facere ſolerter plus ſermone de ſanctis ac venerabilibus ſacerdotibus vel levitis omni timore quibus omnis terra inclinat caput, tamen adhuc audivimus perfidia in urbe ad Deum vivum aut impium nomen fieri.

IV. Sed ſi quis auſus aut temerarius legi eccleſiæ vel clerus per quem omne pollet imperium invidia audere voluerit, & ſi accuſationem ſeditor perſona fuerit repoſita pæna fiſco noſtro id eſt centum pondi auri & centum pondi argenti inferre cogatur, & ſic cum actoribus eccleſiæ cauſam dicat. Si verò infirmis fuerit perſona, prius cogitet animo ſuo perfido, & ſic aut accuſet aut injuriam faciat, & criminis cauſam dicat numquam objecto patrimonio noſtro, neſcio qua perfidia attentare aſſuevit militantes in palatio Chriſti terra curiæ obducit, juſſimus manum ejus implum dari. Si autem voluerit ſuperſcripta degere vita, nihil ſit cura eccleſiæ catholicæ.

Ex codice monachorum. Sententia.

V. Si quis percuſſerit ſacerdotem, id eſt preſbyterum ſive diaconum, decretum eſt ut det pænam auri libras x. id eſt ſolidos ſeptingenti viginti. Si quis percuſſerit ſubdiaconum & defenſorem eccleſiæ, det pænam auri libras quinque, hoc eſt ſolidos ccc. ſexaginta. Si quis lectorem percuſſerit, det pænam auri libras III. hoc eſt ſolidos ducenti ſexdecim.

ANTIQUUM CAPITULARE

Per miſſos Caroli Magni Imperatoris promulgatum.

Ex mſ. Andaginenſis monaſterii S. Huberti ante annos 800. *exarato.*

DIligendo nobis in Domino illo comiti (*a*) HADALHARDUS, (*b*) FULRADUS, UNROCUS, SENHOCCULFUS miſſi domni Imperatoris, in Domino; ſalutem. [*a*] [*b*]

Non incognitum bonitati veſtræ, qualiter domnus Imperator in iſtis partibus injunctam, nobis habuit legationem ſuam (*c*) RADONI ſcilicet, FULRADO & (*d*) UNROCO, ut nos quantum voluiſſemus & Dei & ſuam voluntatem in ipſa legatione agere decertaremus. Sed quia modò RADO ex parte infirmatus eſt, & hac vice in ipſa legatione ſecundùm quod neceſſe eſt ire non poteſt, placuit domni imperatori, ut ADALHARDUM & (*e*) HROCCULFUM in ſupra dicta legatione adjungeret, qualiter omnes pariter, ſecundùm quod tum ratio permittit, vel neceſſitas docet, ſicut prædictum eſt, ad Dei & ſuam voluntatem peragendam decertando laboremus. Nos igitur in ipſa * lectione poſiti, idcirco ad vos hanc direximus epiſtolam, ut vobis & ex parte domni imperatoris juberemus, & ex noſtra parte exhortando precaremur, ut de omni re, quantum ad miniſterium veſtrum pertinet, tam ex his quæ ad Dei cultum, quamque ex his quæ ad domni noſtri ſervitium, ſeu ad chriſtiani populi ſalvationem vel cuſtodiam pertinent, totis viribus agere ſtudeatis. Præcep- [*c*] [*d*] [*e*] * *f.* legatione.

(*a*) Hic eſt magnus ille Adalardus abbas Corbeienſis, Caroli magni imperatoris patruelis frater, & regni Italici ſub Pippino rege adminiſter, multis legationibus auctoritate imperatoris perfunctus.

(*b*) Fulradus iſte non inclytus ille abbas S. Dionyſii, qui jam fato functus erat ab anno 784. ſed Fulradus abbas ſancti Quintini apud Auguſtam Viromanduorum, qui S. Adalardi patruelis erat, uti & Folcuinus epiſcopus Morinenſis ex Hieronymo patre.

(*c*) Rado erat abbas Attrebatenſis S. Vedaſti, & Caroli-magni cancellarius, obiitque anno 815. teſte Mabillonio in Annalibus Benedictinis.

(*d*) Unrocus hoc tempore extitit comes, qui anno 811. adfuit cum Wala S. Adalardi fratre pacto pacis inter Carolum-magnum & Hemmingum regem Danorum, uti & diviſioni theſaurorum, quam eodem anno fecit piiſſimus imperator, ut videre eſt apud Eginardum in vita Caroli-magni.

(*e*) Hrocculfus non alius fuiſſe videtur a Ricolfo ſeu Riculfo palatii archicapellano, & Caroli-magni conſiliario, deinde archiepiſcopo Moguntino, cujus obitum ad annum 814. refert Serrarius.

tum eſt enim vobis omnino, & omnibus reliquis miſſis à domno noſtro, ut medio Apreli ei veraciter renunciemus, quid in regno ſuo ex his quæ ipſe in iſtis annis per miſſos ſuos fieri juſſit, factum ſit, vel quid dimiſſum ſit, ut facientibus gratias condignas reddat, & non facientibus, ſecundùm quod ei placet increpationes meritas rependat. Et quid plura vobis deinde dicere poſſumus? non vult omnino niſi ut ſic adimpletum ei nunciemus ſicut juſſit, & quid exinde dimiſſum ſit, & per cujus negligentiam dimiſſum ſit. Nunc autem admonemus, ut capitularia veſtra relegatis, & quæque vobis per verba commendata ſunt recolatis, & tale exinde certamen habere ſtudeatis, pro quo & apud Deum mercedem, & apud ipſum magnum dominum noſtrum condignam retributionem ſuſcipiatis.

I. Primo igitur inter cetera præcipimus & admonemus, ut tam vos ipſi, quamque omnes juniores, ſeu pagenſes veſtri epiſcopo veſtro hoc præſenti, ſeu per miſſum ſuum mandanti, per omnia quantum ad ſuum miniſterium pertinet obedientes ſitis, & nullam exinde negligentiam habeatis: deinde & de juſtitiis domni imperatoris ſecundùm quod vobis vel ſcriptum, vel verbis eſt dictum, tale certamen habeatis, ſicut vos exinde debitores eſſe cognoſcitis.

II. Deinde, ut juſtitias eccleſiarum, viduarum, orfanorum & reliquorum omnium ſine ullo malo ingenio, & ſine ullo injuſto pretio, vel ſine ulla dilatione, aut non neceſſaria ora * pleniter & inreprehenſibiliter, & juſte, ac recte per omnia faciatis, ſive ad vos ipſos, ſive ad juniores veſtros, ſeu ad quemcumque hominem pertinet, ut exinde & apud Deum mercedem, & apud dominum noſtrum bonam recipiatis retributionem.

*f. mora.

III. Deinde, ut quicumque vobis rebelles aut inobedientes fuerint, & vobis nec ſecundùm juſtitiam auſcultare voluerint, inbreviate illos quanticumque fuerint, & aut antea, ſi neceſſe fuerit, remandate, aut nobis ipſis cum inſimul fuerimus dicite, ut exinde ſecundùm quod dominus noſter commendatum habet faciamus.

IV. Deinde, ut hoc certiſſime provideatis, ſi aliquid eſt de omni illo mandato, ſive ſecundùm Deum, ſive ſecundùm ſæculum, quod vobis domni noſtri, aut ſcribendo aut dicendo commendatum eſt dubitetis, ut celeriter miſſum veſtrum bene intelligentem ad noſtras perſonas mittátis, qualiter omnia & bene intelligatis, & adjuvante Domino bene perficiatis.

V. Deinde, obſervate etiam valde, ne aut vos ipſi, aut aliquis, quantum vos prævidere poteſtis, in veſtro miniſterio in hoc malo ingenio deprehenſus fiat, ut dicatis tacete, tacete, donec illi miſſi tranſeant & poſtea faciamus nobis invicem juſtitias & per illam occaſionem ipſæ juſtitiæ aut remaneant, aut certe tarde fiant, ſed magis certate, ut ante factæ fiant, quam nos veniamus ad vos.

VI. Nam ſi talè aliquod malum ingenium inter vos factum fuerit, aut ſi ipſæ juſtitiæ, quas ſine nobis facere poteſtis, aut per negligentiam, aut per malitiam tamdiu retractæ fuerint, donec nos veniamus, ſciatis certiſſime, quod grandem contra vos rationem habebimus.

VII. Deinde, ut iſtam epiſtolam & ſæpius legatis & béne ſalvam faciatis, ut ipſa inter nos & vos in teſtimonium ſit, utrum ſic factum habeatis, ſicut ibi ſcriptum eſt, aut non habeatis.

CAPITULA.

I. SIcut ſancta ſynodus Nicæna interdicit, nullus umquam preſbyter in domo ſua habitare ſecum permittat mulierem extraneam, preter matrem & ſororem adque amitam, vel materteram, vel etiam ſecretum cubiculi, vel cellario nullus preſbyter aliquam feminam adire permittat. quod ſi fecerit poſt hæc, ſciat ſe honore epiſcopatus deponi: quia hæc frequenter ſecundùm canonice inſtitutionem prohibuimus. & pleniter à preſbyteris obſervatum non fuit. Ideoque præcipimus, ut qui gradum honoris ſui retinere vult, omnimodis à familiaritate extrancarum mulierum ſe abſtinere faciat, ut nulla occaſio inimico pateat ſuggerendi peccatum, & famam malam à populo nullus eorum incurrat.

II. Ut nullus preſbyter derelicta ſua eccleſia [a] (a)ſanguinum ſeminare præſumat ad domum quamlibet ullius feminæ, vel Deo dicatam, vel laïcam, ſed domum eccleſiæ ſuæ unuſquiſque ſuam oportunitatem agat, ut ibidem ad eccleſiam ſuam ſemper inveniatur expetenti aliqua miniſteria ejus cauſa.

III. Sicut dudum interdiximus, & ſancti canones prohibent, nullus preſbyter arma portare audeat.

IV. Ut nullus preſbyter tabernas ingredi audeat ad bibendum, nec ſe miſceat in tali conventu ſæcularibus hominibus, ubi turpia verba audiat aut loquatur, aut contentiones ibi aliquas audiat, aut interſit ſicut ſæpe contingere ſolet.

V. Ut nullus preſbyter pro baptizandi cauſa & communionem tribuendi aliquod precium exactare faciat, nec in minimum, nec in maximum: quia gratis accepimus, gratis dare debemus: quia nec vendere debent donum & gratiam Dei, quod gratis datur. Quod ſi fecerit, & ad noſtram noti-

(a) *Sanguinum* pro *ſanguinem*, & infra hoc capitulo *aliques* pro *aliqua*. Plures hujuſmodi voces barbaræ reperiet, quas olim in legum conditoribus illa tempora permittebant.

tiam pervenerit, ſciat ſe poſt hæc à gradu ſui ordinis periclitari.

VI. Ut preſbyteri vocati ad convivium à quolibet de fidelibus, contentiones inter ſe non habeant de ulla re, niſi caritatis & ſobrietatis verba, & Deo placabilia, & continentiam honeſtam, ut det & ſacerdotibus.

VII. Ut nullus preſbyter baſilicam ſuam petat, & nullus preſbyter aliam eccleſiam accipere audeat infra parochiam ad miſſam celebrandum, niſi illam ubi ordinatus eſt, abſque licentiam & permiſſionem epiſcopi.

VIII. Ut unuſquiſque preſbyter omni hora, ſive die, ſive nocte, ad officium ſuum explendum paratus ſit, ſi fortuitu aliquis infirmus ad baptizandum venerit, pleniter poſſit implere officium ſuum, & ab ebrietate ſe caveat, ne propter ebrietatem non valeat adimplere officium ſuum, neque titubet in eo.

IX. Ut unuſquiſque ſecundùm poſſibilitatem ſuam certare faciat de ornatu eccleſiæ ſuæ, ſcilicet in patena & calice, planetam & albam, miſſale, lectionarium, martyrologium, pœnitentiale, pſalterium, vel alios libros quot potuerit, crucem, capſam, vel, ut diximus, juxta poſſibilitatem ſuam.

X. Ut qui de homicidio confeſſi fuerint, jubeat eos preſbyter abſtinere XL. dies ab eccleſia & communione, antequam ab epiſcopo reconcilientur, aut epiſcopus eos preſbyteris reconciliare juſſerit.

XI. Ut omnis preſbyter curam & ſollicitudinem agat, ne aliquis in infirmitate poſitus, ad extremum veniens, ſine viaticum permittat de hoc ſæculo exire eos ad quos accedere potuerit, quod ſi exinde negligens fuerit, periculum ſui honoris ſubjacebit.

XII. Ut unuſquiſque preſbyter ad ſuam eccleſiam admonitionem aliquam & exhortationem ad populum faciat, ut unuſquiſque ſe corrigat ab iniquitate, & tranſeat ad bonitatem, ſicut ſcriptum eſt, declinaverit.

XIII. Ut in ſacramento corporis & ſanguinis Domini ſemper aqua incalice miſceatur.

XIV. Ut nullus preſbyter ſuam pecuniam ad uſuram non donet, ne à quoquam plus recipiat quam commodaverit.

XV. Ut unuſquiſque preſbyter, ſi venerit ad infirmum, & ille jam privatus fuerit officium loquendi; ſi teſtes adſunt, qui eum audierunt dicere, quod confeſſionem ſuam donare voluiſſet, omnia circa eum expleat ſecundùm miniſterium ſuum, ſicut circa pœnitentem adimplere debet.

XVI. Ut preſbyter negotiator non ſit, nec per ullum turpiloquium pecunias congreget.

XVII. Ut ullus preſbyter alicubi fidejuſſor non exiſtat.

XVIII. Ut nullus preſbyter ullum clericum recipere præſumat de aliena parochia.

XIX. Ut preſbyteri quando ad infirmum accedunt, cum oleo conſecrato veniant, & oleo ſancto unguent eum in nomine Domini, & orent pro ipſo, & oratio fidei, ſicut ſcriptum eſt, ſalvet infirmum, & alievet eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittantur ei.

XX. Ut preſbyter non ſine chrimate & oleo ſacrato adbaptizandum alicubi proficiſcatur, neque ſine ſacrificio, ut ubicumque contigerit ſuum miniſterium circa infirmos impleri poſſit, & ipſum oleum cum chriſmate adque ſacrificium cum omni cuſtodia & reverentia atque religione cuſtodiat, nec per ebrietatem aut per aliquod negleƈtum ſuum inhonoratum fiat ſacrum illum ſupraſcriptum.

GHAERBALDI EPISCOPI Leodienſis,

Inſtructio Paſtoralis ad gregem ſuum,

Ex mſ. Andaginenſi S. Huberti ante annos 800. *exarato.*

(a) GHAERBALDUS omnipotentis Dei [a] miſericordia epiſcopus omnibus parochianis noſtris in pago (b) Condruſtinſe [b] (c) Lomicenſium, (d) Haſbanienſium, (e) [c] Ardanenſium, filiis cariſſimis in Domino [d] plurimam ſalutem. [e]

Commune nobis votum communis proſequatur oratio. Ut quod nos debitores ſumus verbi divini & prædicationis vobis impendere veſtra oratio ſuppleat, ut ſicut dignum eſt & Deo acceptabile, proferamus ad utilitatem & profectum animæ veſtræ: quia commendatum gregem Chriſti qui Chriſtum diligit, paſcat. Ergo quia nobis ſermo divinus adhortatur & admonet, ut erga nobis commiſſos non pigro vigilemus affectu, ſed inceſſanter & præſenti conloquio & ſcriptis commoneamus eos qui nobis commiſſi ſunt, qualiter ad perpetuam vitam tendere & pervenire omnipotenti Deo auxiliante valeant.

I. Primùm quidem omnium monere vos volumus, ut jam dudum prædicavimus ipſi, & prædicare juſſimus, de fide catholica & oratione dominica. Inter cetera quæ vobis ſæpe prædicavimus, primùm omnium fidem rectam & orationem qua Salvator diſcipulis orare inſtituit, & diſcipuli nobis

(a) Ghaerbaldus ſeu Gerbaldus, vir nobilis & honeſtus, præfuit eccleſiæ Leodienſi annis vigintiquinque, obiitque anno 808.

(b) Condruſtinſis pagus is eſt, quem occupabant Condruſii, de quibus Cæſar, Leodium inter & Namurcum, cujus caput eſt Hoyum, Gallice *Huys*.

(c) Lomicenſium pagus olim fuit totus ille tractus qui Moſam & Sabin interjacet.

(d) *Hasbania tractus in* Brabantia, cujus caput Trudonopolis, *S. Trone*, ad dioceſim Leodienſem pertinens.

(e) Ardenna ampliſſimus eſt tractus, cujus pars maxima eſt in ditione Leodienſi, in ducatu Lucenburgenſi & in Eyſalia.

commiſſam

commiſſam tradiderunt, exemplum orandi & credulitatis exemplum verbis paucis, ſed in myſterio magnum, ubi ſalus noſtra & ſpes omnium continetur. Eſt enim oratio dominica ubi dicimus *Pater noſter qui es in cœlis*, & cetera quæ ſequuntur. Symbolum verò quod duodecim Apoſtoli, unuſquiſque verſiculum ſuum edidit, ſicut duodecim fuerunt Apoſtoli, duodecim verſiculos ediderunt ad noſtram fidem & credulitatem. Sicut unuſquiſque chriſtianus tenere & credere debet atque profiteri, & quod in baptiſmo fidejuſſor ejus promiſit credere deberet, in his verſiculis duodecim continetur, ubi ſalus noſtra profiteri potuerit, ita ut corde credat & ore profiteatur, quia ut ait Apoſtolus: *Corde creditur ad juſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem.* Ideo & unuſquiſque chriſtianus qui profitetur ſe Deum credere, debet ore confiteri quod corde credit, ut alii audiant quomodo credat, & quomodo Deo fidelis ſit: quia ſi dicit ſe Deum credere, & ore non profitetur, quis ſcit utrum fidelis aut infidelis ſit? Palam eſt quod dicimus, & unuſquiſque veſtrum qui ſervum habet, exemplo illius capere poteſt. Si ſervum quis habeat, & interroget eum utrum ei fidelis ſit; ſi tacet & non reſpondet utrum fidelis ſit, dominus non bene credit ei antequam profiteatur ſe fidelem eſſe domini ſui; & poſt profeſſionem fidelitatis, ſi non demonſtratur in opere, non placet domini ſolis verbis profiteri fidelitatem, ſi opus non ſequatur, & in opere demonſtretur qualiter fidelis ſui domini exiſtat ſervus. Qua propter de hac re vobisexh ortationis & communionis noſtræ cauſâ paſtoralis direximus, ut amplius negligentia de veſtra oratione, id eſt dominica, ubi dicimus, *Pater noſter qui es in cœlis*, & de ſymbolo duodecim Apoſtolorum, quod inchoatur ſic: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & ceteri verſiculi qui ſequuntur, ut diximus, negligentes non exiſtatis. Sed omnes ſive majores ſive minores, ſive viri ſive feminæ, ſive infantes qui diſcere poſſunt, omnes diſcatis & in memoriam retineatis: quia hæc eſt ſalus veſtra & ſpes veſtra & arma juſtitiæ.

II. Iſtud enim, admonere & prædicare caritas Chriſti urget nos, & ſollicitudo domni & imperatoris noſtri, qui circa omnem religionem eccleſiaſticam ſollicitiſſimam curam prævigilat, & excitat pigritiam noſtram, ut non dormiamus, ſed vigilemus in cuſtodia mandatorum Domini, & prædicationis officium, unuſquiſque conſideret, quis ſit talis unde propheta loquitur: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam & potandum uſque ad veſperam*, ut vino æſtuetis, & *cetera, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis.* Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo, A & unuſquiſque ſublimitatem & nobilitatem conditionis humanæ conſiderare debet, quia ad imaginem Dei factus eſt, ut imaginem Dei ad quam factus eſt, non faciat ſimile animalibus & pecoribus, qui nihil aliud quærunt, niſi quod terrenum eſt, id eſt manducare, bibere, luxuriare, atque dormire. Illi qui ad imaginem Dei facti ſunt, diſcreti ab his ſunt, quia ſciunt rationem & diſcretionem boni & mali, neque de his ſolis quæ videntur, cogitare debent, ſed de his quæ non videntur, & per fidem creduntur, & per ſpem expectantur, id eſt æternam. *Quæ autem videntur*, B ait apoſtolus, *temporalia ſunt: quæ autem non videntur æterna ſunt.* Item apoſtolus: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum non apparentium.* Quæ autem videmus in præſenti ſunt. Quæ autem non videmus, ſperamus, & per patientiam expectamus. Ideoque non debetis ea ſola ſequi, quæ terrena & negotiationis, atque ambitionis, terrenæ cupiditatis inſiſtunt, ſed ea quæ æterna ſunt & finem non habent, id eſt vitam futuri ſæculi & lucem æternæ beatitudinis; quam lucem, non iſtam quæ corporeis oculis videmus, ſed illam quæ eſt Chriſtus, qui dixit, *Ego ſum lux mundi*, nec illam lucem quam C cum pecoribus communiter videmus, ſed illam lucem quæ eſt Jeruſalem cœleſtem, quæ eſt viſio pacis, in qua nulla perturbatio, ſed ſumma pax & lux, ita ut ſcriptum eſt, *Civitas illa non eget ſole neque luna, nam claritas Dei illuminabit illa, & lucerna ejus eſt Agnus*, id eſt Chriſtus, illam vitam & illam lucem toto affectu, tota mente, toto intellectu deſiderare debetis, ut ad illam ſubvenire & illam poſſidere poſſetis, protegente & adjuvante Domino Deo & ſalvatore noſtro JESU CHRISTO, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Via enim illa, qua D illuc pervenitur, Chriſtus eſt, qui dixit *Ego ſum via, & nemo venit ad Patrem niſi per me.* Ideoque fides noſtra vobis tenenda eſt, per quam veniamus ad viam, ut non erremus, ſed per viam veniamus ad patriam, ubi ſine perturbatione, & abſque ulla anxietate perpetuo cum Domino & ſanctis ejus vivere poſſemus.

III. Hæc autem omnia ut promereamur, fide & operatione inſtantiſſima pervenire debemus, quia fides ſine operibus ocioſa eſt, & opus ſine fide inanis eſt: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & fides ſi- E ne operibus inanis eſt. Et ideo in utrumque placere poſſumus Deo, & fide cum operibus, & opus cum fide. Ideoque fides vera nobis tenenda eſt per quam veniamus ad viam, ut non erremus, ut ſit fides recta cum opere, & opus bonum cum fide. Unum ſine altero non valet, & ad fidem rectiſſimam & ad orationem inſtantes, & ad opus bonum promtiſſimos vos ſollicita commonitione & prædicatione exhortor,

ne forte in vacuum curram aut excurriſ- A cundùm ſanctorum canonum autoritatem
ſem in vobis. Sæpe enim prædicatione noſtra, quamvis imperitus ſermone, ſed tamen ſollicita admonitione prædicavimus in vobis verbum Domini. Unuſquiſque veſtrum videat, ut aliquem fructum habeam in vobis, ſicut credo quod & habeam. Nam devotio veſtra circa eccleſias, & conventus ad miſſarum ſolemnia, & vigilias, & luminaria eccleſiæ, ſufficienter vos promptos & Deo devotiſſimos exiſtere novimus, nam de oratione & credulitatis veſtræ fide ſollicitiores & promtiores vos volumus eſſe.
[a] Nam & qui in poſterum in (*a*) Paſcha & Pentecoſten filios & filias de ſacro fonte B ſuſcepturi ſunt, ſciant ſe orationem dominicam & fidem ſymbuli Apoſtolorum reddere rationem, ut ſciamus qualiter verus fidejuſſor ſit unuſquiſque illius quem ſuſcepturus eſt à ſacro fonte. Igitur & *qui dormiunt, nocte dormiunt; & qui inebriantur*, ait apoſtolus, *nocte inebriantur. Nos autem qui diei ſumus, ſobrii ſimus*, & vigilemus in orationibus. Ante omnia autem in invicem caritatem habeamus, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Et vos in omni opere bono fructificantes perveniatis ad gloriam; quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quam præpa- C ravit Deus diligentibus ſe. His præmiſſis, moneo vos, ſicut filiis cariſſimis, quia in omnibus cariſſimi nobis facti eſtis, ita ut ſitis ſinceres & ſine offenſa, ut ait apoſtolus, repleti omnem fructum juſtitiæ in gloria & laudem Dei. Salutamus vobis iterum in Domino & Salvatore noſtro JESU CHRISTO perpetuam ſalutem.

omnium de fide catholica; ut & qui amplius capere non valuiſſet, tantummodò orationem dominicam & ſymbolum fidei catholicæ, ſicut apoſtoli docuerunt, tenere & memoriter recitare potuiſſet, & ut nullus de ſacro fonte baptiſmatis aliquem ſuſcipere præſumeret antequam in veſtra aut miniſtrorum veſtrorum ſacri ordinis præſentia orationem dominicam & ſymbolum recitaret, & ſicut in proximo comperimus in die (*b*) [b]
apparitionis Domini multi fuerunt apud nos inventi, qui volebant ſuſcipere infantes de ſacro fonte baptiſmatis, quos juſſimus ſingulatiter & diligenter examinare & requirere, ſi orationem dominicam & ſymbolum, ut ſupra diximus, ſcirent & memoriter tenerent; & plures fuerunt qui nulla exinde in memoriam habebant: quibus præcepimus abſtinere, ut antequam orationem & ſymbolum ſcirent, & recitare potuiſſent, neque aliquem de ſacro fonte baptiſmatis ſuſcipere præſumerent. Et valdè erubeſcentes fuerunt ex hac re, & ſpondere volebant, ut ſi conceſſum eis fuiſſet, ad tempus hoc improperium a ſe potuiſſent auferre, In quo loco intelleximus, quod non eis fuit convenientia, & ſicut in capitulari noſtro poteſtis reperire, diſcretionem factam habuimus, quanto tempore ſe unuſquiſque abſtinere debuiſſet ab hoc opere, uſque dum bonus fidejuſſor eſſe valeret in hoc negotio, ſcilicet, aut certe ſtatim alium inveniret ſcientem, aut ſi infirmitas non impediret, expectaret de Paſcha uſque in Pentecoſten, donec ipſe diſceret ea quæ ſupra dicta ſunt. Nunc autem denuò monemus ut memores ſitis, ſicut condecet de miniſterio ſacerdotali, & conventum habeatis cum veſtris ſacerdotibus, & diligenter omnem rei veritatem requirite & examinate: ita ut opus Domini non prætereat, nec D aliqua requiſitio vobis exinde fiat ante conſpectum ſanctæ majeſtatis.

EPISTOLA CAROLI MAGNI Imperatoris,

Ad Garibaldum Leodienſem Epiſcopum,

De cura quam inſtruendis populis præcipue ante baptiſmum adhibere debent Paſtores.

Ex mſ. Andaginenſis monaſterii S. Huberti ante annos 800. *exarato.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. CAROLUS ſereniſſimus auguſtus à Deo coronatus, magnus, pacificus, imperator, gubernans imperium, qui & per miſericordiam Dei rex Francorum & Langobardorum, GARIBALDO epiſcopo in Domino ſalutem.

Bene igitur recordari credimus ſanctitati tuæ, qualiter ſæpius in conventu & conci- E lio noſtro monuimus de prædicatione in ſancta Dei eccleſia unuſquiſque veſtrum ſe-

(*a*) Olim baptiſma nonniſi in Paſchate & Pentecoſte celebrabatur, atque aliquo ante tempore ſymbolum & oratio dominica catechumenis tradebantur, ac poſtea ab eiſdem reddebantur. Quibus autem diebus hæc præſtarentur, diximus in lib. 1. de antiquis eccleſiæ ritibus cap. 1. art. 11. Porro hactenus eccleſia Leodienſis ſcrutinia illa catechumenorum obſervat feriâ quartâ hebdomadæ quartæ Quadrageſimæ.

EPISTOLA GHAERBALDI EPISCOPI LEODIENSIS,

Ad ſuæ diœceſis preſbyteros,

Ut ſolliciti ſint populos ſuos docere orationem Dominicam & ſymbolum apoſtolorum.

Ex mſ. Andaginenſis monaſterii S. Huberti in Arduenna.

GHAERBALDUS clementia Dei epiſcopus omnibus preſbyteris, qui infra parochia noſtra conſiſtunt, & eccleſias Domini una nobiſcum Deo auxiliante regunt, in

(*b*) Hinc apparet tempore Caroli-magni baptiſmum non ſolum in Paſchate & Pentecoſte celebratum fuiſſe, ſed etiam in Epiphania: quod aliàs demonſtravimus ex antiquiſſimo Sacramentorum libro monaſterii Gellonenſis ipſius tempore ſcripto. Vide lib. 1. de antiquis eccleſiæ ritibus, capite 2. art. 1.

Domino perpetuam optamus ſalutem.

Cognoſcatis, quia epiſtola domni & ſereniſſimi imperatoris noſtri ad nos venit, quæ relicta in præſentiam noſtram, ubi comperimus, quia domnus noſter exiſtimat noſtram eſſe negligentiam, ut non adnunciemus populum pleniter de oratione dominica, ut ſciant & ſymbolum quod apoſtoli docuerunt: & domno noſtro dictum eſt, quia noſtra pigritia ſit, qui ſacerdotes ſumus in populo, & prædicare & docere populum debemus, qualiter per rectam fidem & orationem & opus bonum ad cæleſtia regna perveniant; & ex ea parte credo quod veſtra aliquorum negligentia ſit: propterea mandamus vobis atque conteſtamur per tremendam omnipotentis majeſtatem, ut negligentes de hac re amplius non exiſtatis, ſed pleniter cum omni ſtudio & omni diligentia, ut unuſquiſque veſtrum ad ſuam baſilicam vel in quantaſcumque baſilicas miſſarum ſolemnia celebrat, prædicare & commonere unuſquiſque juxta modum capacitatis ſuæ faciat de præcepto Dei omnipotentis, & verbo domni noſtri imperatoris ſui & parvitatis noſtræ, quia tantum pondus nobis ſuprapoſitum inter vos partire debemus, ut unuſquiſque orationem Dominicam, id eſt *Pater noſter qui eſt in cælis* & reliqua quæ ſequuntur, & ſymbolum ſicut docuerunt ſancti apoſtoli diſcere, & in memoriam retinere ſtudeat & ore proferre, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & opus bonum, & adnuncietis populo, quia hæc eſt arma, unde ſe contra diabolum defenſare debet, & adverſum generis humani inimicum pugnare debent. Hæc eſt arma ſpiritalis, in qua vincitur diabolus, & gaudent de victoria illi qui cum iſta arma pugnant, id eſt rectam credulitatem, fidem, & rationem & opus [a] bonum ſufficiant iſta* vobis. Ceterum ſi vos aliquando de iſta adnunciatione negligentes eritis, arcius & diſtinctius vos diſtringere debemus.

A inſtantes quaſdam neceſſitates, quas ſubter ſignificaturi ſumus, tria triduana jejunia ab omnibus nobis generaliter eſſe celebranda, atque ab eo in quo vivimus, movemur & ſumus auxilium eſſe quærendum, a quo quicquid juſte ac rationabiliter fides veſtra, ſpes certa, ſeu caritas perfecta poſtulat, ſine dubio tempore congruo impetrat: ipſo Domino dicente: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis.* Ipſa autem jejunia, ſicut nobis omnibus viſum eſt, hac diſcretione poſſe fieri, domino largiente, congruenter impleta, ſcilicet ut primum XI. diebus poſt feſtivitatem S. Andreæ B tranſactis, id eſt III. idus, & idus Decembris, & XVIII calendas Januarii tali ratione fiat, ut omnes à vino & carne his III. diebus abſtineant & uſque horam nonam jejunent, excepto quæ aut ætas aut infirmitas non permittit, qui tamen ſecundùm ſuam qualitatem vel vitæ ſuæ profeſſionem, aut (*b*) rationibus ſatis, aut [b] eleemoſynis congruis id ipſum ſecundùm conſilium magiſtrorum redemere ſtudeat, quod jejunando & abſtinendo complere non valet. Hora autem nona omnes generaliter ad eccleſias vicinas, ubi eis denuntiatur, devota mente occurrant, & ſi hora vel C locus permiſerit, aliquo ſpatioſo loco letania procedant, atque pſallendo eccleſiam intrantes, cum omni devotione miſſam audiant. Qua ſubacta, unuſquiſque domum redeat, & ſtatutis cibis corpori ſatisfaciat, non ad voluntatem, ſed ad neceſſitatem ac ſobrietatem. Similiter quoque monemus unumquemque, ut eleemoſynam faciant ſecundùm quod commodum ſubſtanciæ ſuæ permiſerit, & mentis devotio Domino inſpirante ſuaſerit; & unuſquiſque preſbyterorum miſſam cantet, & alterius ordinis clericus vel monachus, ſive Deo ſacrata, qui D pſalmos didicit, L. pſalmum ſimiliter cantet. Opera autem ea his diebus operare permittimus, quæ nec ad eccleſiam venire impediant, nec ante ſtatutam horam manducare, aut (*c*) bibere cogant. Duo quoque [c] cetera triduana jejunia his diebus pari ratione per omnia erunt celebranda, unum poſt Theophaniam VII. idus, & IV. idus, & II. idus Januarii. Aliud verò poſt Septuageſimam, II. idus Februarii, & XV. calendas Martii, & IV. calendas Martii. Neceſſitates verò quas ſupra nos dicturos eſſe promiſimus inter ceteras, quas tamen hac vice commemorare neceſſarius diximus, hæc ſunt. E Denique compertum habemus per fideles noſtros, qui nobis de ſingulis regni noſtri partibus hæc nuntiaverunt, quod inſolito more, & ultra conſuetum ubique terræ ſterelitas eſſe & famis periculum imminere videtur. Aeris etiam intemperies frugibus

CAROLI MAGNI EDICTUM,

Quo jejunium pro neceſſitatibus publicis maxime pro fame, peſte & bello indicitur.

Ex eodem mſ.

IN nomine Patris & Filii & Spirtus-Sancti. CAROLUS ſereniſſimus auguſtus a Deo coronatus, GHAERBALDO epiſcopo, cum E univerſis tibi omnipotente Deo & noſtra ordinatione commiſſis in Domino ſalutem.

Notum ſit dilectioni veſtræ, quia nos cum fidelibus noſtris tam ſpiritualibus, quam ſæcularibus tractantes, cum conſenſu & pari conſilio invenimus neceſſarium, & propter

(*a*) *Id eſt* vobis.
(*b*) *f.* orationibus.
(*c*) Hinc patet illicitum fuiſſe jejunantibus extra tempus refectionis bibere; unde colliges quam cœco illi laborant errore, qui liquidum non frangere jejunium docent, maxime ſi de vino agatur aut alio potu confortativo & nutriente. Certe jejunantes hic etiam in refectione a vino abſtinere jubentur.

valde contraria; peſtilentia quoque per loca & pagorum gentium circa marcas noſtras ſedentia bella continua, multa præterea quæ & nunc enumerare longum eſt, & nobis experimentum poſſunt eſſe notiſſima, ſi recordare volumus, qualia incommoda ſingulis diebus propter merita noſtra ſentiamus, certiſſimeque ab his exterioribus colligere poſſumus, nos per omnia Domino non placere interius, qui tanta mala compellimur tolerare exterius. Quamobrem bonum nobis omnino videtur, ut unuſquiſque noſtrum cor ſuum humiliare in veritate ſtudeat, & in quocumque loco, ſive actu, ſive cogitatu ſe Deum offendiſſe deprehenderit, pœnitendo tergat, flendo doleat, & ſemetipſum in quantùm ipſo largiente poteſt ab his malis in futurum cavendo cuſtodiat, & hæc debet eſſe præmiſſæ orationis intentio, ut omnipotens Deus, qui non ſolum facta, verum etiam antequam fiant omnia novit, corda noſtra compungat, & nos ſibi ſupplices atque ſubjectos in vera humilitate faciat, & unumquemque noſtrum ab obſervantia mandatorum ſuorum, depulſo à nobis omni errore, convertat, miſereaturque, ſive à nobis mala repellendo, ſive bona quibus indigni ſumus tribuendo, ſicut ipſe novit nos indigere, & tribuat ut in membris ſuis, id eſt in corpore ſanctæ eccleſiæ numerari mereamur, quam pacificare, adunare, & regere, atque ab omni malo protegere dignetur, nobis etiam in illa unitate comprehenſis, qui ut gratiam illius promereri poſſimus, hæc jejunia atque has orationes ab omnibus vobis generaliter fieri decrevimus. Hanc quoque epiſtolam relegentes ſecundùm tibi a Deo datam ſapientiam coram omnibus diligenter relege, & tradere facias: ita ut omnes intelligant, pro qua neceſſitate hæc agenda ſunt, & unuſquiſque veſtrum per ſingulas eccleſias baptiſmales dirigite, & bonos interpretes mittite, qui omnia tradant, ſicut ſuperius diximus. Nam & per ſingula monaſteria infra parochia tua ita facias.

CAPITULA.

I. PRimitus ergo quæ chriſtianæ legis adverſa ſunt, ea præponimus, ſcilicet qui orationem dominicam & ſymbolum fidei chriſtianitatis memoriter non tenent, neque didicere volunt, eos notate, & ad præſentiam noſtram veniant, ſeu majores ſeu minores, ſive nobiles, ſive ignobiles omnes generaliter ante veniant, & dicant orationem dominicam & ſymbolum apoſtolorum; ubi catholicæ fidei plenitudo continetur: quia impoſſibile eſt ſine fide placere Deo.

II. Ut ſic fidem unuſcujuſque opera ſequantur.

III. Ut ſi patrini vel matrinæ, qui infantes de fonte ſuſcipiunt, ſive maſculos ſive feminas, ſi ipſum ſymbolum & orationem dominicam ſciunt, & filios & filias ſpirituales quos & quas de fonte ſuſceperunt, pleniter inſtructos habeant de fide, de qua pro eis fidejuſſores extiterunt.

IV. Si omnes ſecundùm legem Domini ſive nobiles ſive innobiles uxores legitime ſortitas habent, non uxores ab aliis dimiſſas, non Deo ſacratas, non anes, non raptis & contra parentum voluntatem habentibus, non parentum neque propinquitatis alicujus adfinitate conjunctis, id eſt primum non matris inceſtor, non ſororis, non materteræ, id eſt matris ſororis, non amittæ id eſt ſororis patris, non privignæ, ideſt filiaſtram, non fratris uxorem, non abunculi uxorem, non nepotis uxorem, non quis patris uxorem cocubito inlicito violet, non conſobrinam, id eſt in tertiam generationem, vel de una in tertia, de alia in quarta, vel ambabus in quartam generationem. Una lex ſive de viro ſive de femina in iſtis generationibus conjunctis, ſive aliquam feminam quam ſuus conſobrinus aut ſobrinus in ſecundam, aut tertiam, aut quartam generationem accepit, id eſt aut in tertium articulum, vel in quartum ſibi de una parte in tertiam, & de alia in quarta pertinentes fuerunt poſt obitum defuncti propinqui ejus uxorem illius accipere non poteſt.

V. Ut inquiratur ab omnibus in parochia noſtra conſtitutis, ſi dies dominicus ſecundum ſuam venerationem veneratur & colitur, ut nullus homo opera ſervile in die iſto ſancto faciat. Quod ſi fecit, ante nos veniat, & in præſentia noſtra rationem deducat, ſi ſua præſumptuoſitate aut cupiditate alicujus rei adquirendum hoc opus ſervile fecit, aut ſui Domini juſſionem.

VI. Si feſtivitates ſanctorum, qui prædicantur ab epiſcopo & preſbyteris, quas colere debent & feriatos habere, ſi cuſtodiantur, an non; & qui eas feſtivitates in contemto habet, & ad miſſam venire deſpicit, & operatur in illis diebus.

VII. Si legitima jejunia per quatuor tempora celebrantur ab omnibus, & jejunent.

VIII. Si dictum jejunium propter aliquam neceſſitatem denuntiatum quis infringere auſus fuit, & non ſecundùm quod ei denuntiatum fuit a preſbytero eccleſiæ, vel a comite & decanis, ut hoc ſciamus, & ante nos veniant.

IX. Ut quiſquis decimas pleniter non dedit de ſua conlaboratione, ut exinde ante nos rationes deducat, ſive nobiles ſive ſervientes, & unuſquiſque ſive epiſcopus, ſive abba, ſive comes, ſive vaſſus dominicus, ſive qui proprietate ſua habent, omnes ſuam familiam ante nos habeant in locis ubi per epiſtolam noſtram denuntiamus, ſi ita poſſibile fuerit.

X. Ut inquirantur ſortilegi & auruſpices, &

& qui menſes & tempora obſervent, & qui omnia obſervant, & ita filacteria circa colſum portant, neſcimus quibus verbis ſcriptis & veneficiis, id eſt quæ mulieres potiones aliquas donent, ut partes excutiant, & aliquas divinationes faciunt, & pro hoc ut a maritis ſuis majorem amorem habeant. Omnes malificos ante nos, de qualibuſcumque cauſis blaſphemantur, ante nos adducere faciatis, ut cauſa eorum ante nos diſcutiatur.

XI. De homicidis & perjuriis, id eſt qui homicidia egerunt, & de perjuriis reprobati ſunt, & pœnitentiam non egerunt, neque agunt, ut ipſi ante nos veniant, & ſi confeſſi fuerunt, quod pœnitentiam exinde accipiſſent a preſbyteris, dicant qualem pœnitentiam agant, & qui preſbyteri fuerunt, qui eos dijudicaſſent de furtis, aut de perjuriis, aut de homicidiis, quas in quibuſcumque peccaverunt.

XII. Si alicubi in noſtra parochia locus talis eſt, aut ad fontes, aut arbores, aut ad petras, ſi aliqui ſtulti ibi vota faciant aut obſervent pro aliquam ſanitatem aut deuotionem aliquam, ut illos nobis notos faciatis, & ante nos adducite, & ſi alia loca, infra noſtram parochiam innoteſcere faciatis, & iterum cultores, & vota oblationum.

XIII. Ut ſi preſbyteri aliqui infra noſtra parochia recepti ſunt, non a nobis ordinati, neque ab anteceſſoribus noſtris, ſi aliquis eos receptos habet ad ſuam baſilicam, ante nos eos venire faciat quicumque eos habuerit.

XIV. De preſbyteris qui infra noſtra parochia conſtituti ſunt, qualiter ſe habent. Si infra ſuum officium ſe continent ſecundùm canonicam auctoritatem & admonitionem noſtram aut non, vel quale teſtimonium inter eos habent, id eſt in populo, aut bonam famam aut malam. Et ſi bona eſt fama, denuntietur, & ſciatur omnibus. Et ſi mala eſt fama, depublicetur ab omnibus, non per invidiam, neque per alicujus mala perſuaſione, ſed ex veritate proferendum.

XV. Admonendum eſt, ut inquiratur, quod dici nefas eſt, eos qui incontinentes & per maximam libidinem ſe circumferentes, etiam cum quadrupedibus miſcentur, ſi aliquis talem hominem habuerit aut paſtorem, aut qualiſcumque ſit, qui in hoc crimine inventus probatus fuerit, ante nos adducatur.

XIV. De his qui commatres habent ad conjugium, de fonte vel ſacro chriſmate ab epiſcopo conſignatum, id eſt de confirmatione; ſi publicè eas habent, aut ſi adulteratur; ſimiliter de filiolis quiſquis eas de fonte ſuſcepit, & cum ea adulteravit, vel ad manum epiſcopi eam tenuerit, & poſtea in conjugium eam accepit, adulteravit.

XVII. Si quis vir filiaſtum aut filiaſtram ad manum epiſcopi tenuit, id eſt ad confirmationem, ubi ſeptiformis gratia Sancti Spiritus datur, ſi quis in tali conjugium, aut adulterium miſcuerit, ante nos venire faciatis: & quia dicitis, quia multa erga religionem chriſtianitatis apud pagenſes veſtros geruntur, in quantum recordare potuimus, in his capitulis commemoravimus modo, quia Domino Deo auxiliante domini noſtri imperatoris licentia, præſentem me oſtendo ad omnia emendanda, & in his cauſis quæ in præfatis capitulis denuntiantur, & in ceteris in quibus ante me proferuntur.

HÆC SUNT CAPITULA

Ex divinarum ſcripturarum ſcripta, quæ electi ſacerdotes cuſtodienda atque adimplenda cenſuerunt.

I. UT unuſquiſque ſacerdos eccleſiam ſuam cum omni diligentia ædificet, & reliquias ſanctorum cum ſummo ſtudio vigiliarum noctis & divinis officiis conſervet.

II. Ut omnes ſacerdotes horis competentibus diei & noctis ſuarum ſonent eccleſiarum ſigna, & ſacra tunc Deo celebrent officia, & populos erudiant quomodo, aut quibus Deus adorandus eſt horis.

III. Ut omnibus feſtis diebus & dominicis unuſquiſque ſacerdos evangelium Chriſti populo prædicet.

IV. Ut unuſquiſque ſacerdos cunctos ſibi pertinentes erudiat, ut ſciant qualiter decimas totius facultatis eccleſiis divinis debite offerant.

V. Ut ipſi ſacerdotes populi ſuſcipiant decimas, & nomina eorum & quæcumque dederint ſcripta habeant, & ſecundùm autoritatem canonicam coram teſtibus dividant, & ad ornamentum eccleſiæ primam eligant partem, ſecunda autem ad uſum pauperum adque peregrinorum per eorum manus miſericorditer cum omni humilitate diſpenſant. Tertiam vero partem ſibimetipſis ſoli ſacerdotes reſervant.

VI. Ut unuſquiſque ſacerdos orationem dominicam & ſymbolum populo ſibi commiſſo curioſe inſinuent, ac totius religionis ſtudium & chriſtianitatis cultum eorum mentibus oſtendant.

VII. Ut cuncti ſacerdotes precibus aſſiduis pro vita & imperio domni imperatoris & filiorum ac filiarum ſalute orent.

VIII. Ut unuſquiſque ſacerdos quotidianis adſiſtat orationibus pro pontifice cujus gubernatur regimine.

IX. Ut nullus ſacerdos in domibus vel aliis locis, niſi in eccleſiis Deo dicatis celebrare miſſas audeat.

X. Ut cunctis ſacerdotibus jus & tempus baptiſmatis temporibus congruis ſecundùm

canonicam inſtitutionem cautiſſime obſervetur.

XI. Ut omnes ſacerdotes quibuſcumque horis omnibus indigentibus baptiſmum infirmitatis cauſa diligentiſſime tribuant.

XII. Ut nullus preſbyter ſacrum officium, ſive baptiſmale ſacramentum, aut aliquid bonorum ſpiritalium, pro aliquo precio vendere præſumat, ne vendentes & ementes in templo columbas imitentur, ut pro his quæ adepti ſunt, gratia divina non pretia concupiſcant terrena, ſed ſolum regni cœleſtis gloriam promereantur accipere.

XIII. Ut nullus preſbyter a ſede propria ſanctæ eccleſiæ ſub cujus titulo ordinatus fuit, ammonitionis cauſa ad alienam pergat eccleſiam, ſed in eadem devotus uſque ad vitæ permaneat exitum.

XIV. Ut nullus ex ſacerdotum numero ebrietatis (a) initium nutriet, nec alios cogat per ſuam juſſionem inebriari.

XV. Ut nullus ſacerdos extranearum mulierum habeat familiaritatem, nec in ſua domu, in qua ipſe habitat, nullam mulierem umquam permittat habitare.

XVI. Nulli ſacerdotum liceat fidejuſſorum eſſe, neque derelictâ propria lege, ad ſæcularia judicia accedere præſumat.

XVII. Nemo ex ſacerdotum numero arma pugnantium umquam portat, nec litem contra proximum ullam excitet.

XVIII. Ut nullus preſbyter edendi aut bibendi cauſa ingrediatur in tabernis.

XIX. Ut nullus ſacerdos quicquam cum juramento juret; ſed ſimpliciter cum puritate & veritate omnia dicat.

XX. Ut cuncti ſacerdotes omnibus illis confitentibus eorum crimina, dignam pœnitentiam cum ſumma vigilantia ipſis indicant, & omnibus infirmis ante exitum vitæ viaticum & communionem corporis Chriſti miſericorditer tribuant.

XXI. Ut ſecundùm diffinitionem ſanctorum patrum, ſi quis infirmatur, a ſacerdotibus oleo ſanctificato cum orationibus diligenter unguatur.

XXII. *De nonis & decimis.*

Volumus atque jubemus, ut de omni conlaboratu, & de vino, & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima perſolvatur. De nutrimine vero pro decima ſicut hactenus conſuetudo fuit ab omnibus obſervetur. Si quis tamen epiſcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in ſua maneat poteſtate.

XXIII. *De antiquis eccleſiis, ut non rem ſuam habeant.*

Ut nec decimis nec aliis poſſeſſionibus priventur, ita ut oratoriis tribuatur.

(a) *f.* vitium.

XXIV. *De ſpiritalibus filiolis.*

Deinde præcipimus, ut unuſquiſque compater vel proximi ſpiritales filios ſuos catholice inſtruant.

XXV. *De ſacerdotibus.*

Ut juxta apoſtoli vocem irreprehenſibiles ſint & moribus ornati, & nequaquam turpibus lucris deſerviant juxta illud quod ait ſcriptura: *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit*, & a turpibus lucris & uſuris non ſolum ipſi abſtineant, verum etiam plebes ſibi ſubditas abſtinere inſtruant.

XXVI. *De inceſtuoſis.*

Ut inceſtuoſi juxta canonicam ſententiam pœnitentia multentur. Qui vero decimas poſt crebras admonitiones & prædicationes ſacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento vero eos conſtringi nolumus.

XXVII. *De diſcretione in corporis & ſanguinis Domini perceptione.*

Cavendum eſt enim, ne ſi nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si vero indiſcretè accipiatur, timendum eſt illud quod ait apoſtolus: *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Juxta ergo apoſtoli documentum, probare ſe debet homo, & ſic de pane illo manducare, & de calice bibere, ut videlicet abſtinens ſe aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamque ſuam, præparet ſe ad percipiendum tantùm ſacramentum, exemplo David, qui niſi ſe confeſſus fuiſſet abſtinuiſſe ſe ab opere conjugali ab heri, & nudius tertius, nequaquam panes propoſitionis a ſacerdote accepiſſet.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS

Incipiunt judicia ſacerdotalia de diverſis criminibus ex canonica auctoritate ſumpta.

Ex mſ. Andaginenſis monaſterii S. Huberti in Arduenna.

I. De homicidio voluntarie facto.
II. De homicidio caſu.
III. De conſenſu homicidii.
IV. De fornicatione.
V. De conſenſu fornicationis.
VI. De perjurio.
VII. De coacto aut neſciente perjurio facto.
VIII. De furto.

IX. De adulterio.
X. De maleficiis.
XI. De amore inlicito.
XII. De meretricibus.
XIII. De clericis qui uxores proprias relinquunt.
XIV. De ſanctemonialibus.
XV. De concupiſcentia inlicite.
XVI. De ſepultura violata.
XVII. De libidine.
XVIII. De Euchariſtia.
XIX. De infantibus oppreſſis.
XX. De maleficiis.
XXI. Si quis membrum ſuum truncaverit.
XXII. De uſuris.
XXIII. De oppreſſione pauperum.
XXIV. De ſacrilegio.
XXV. De ariolis.
XXVI. De iracundia.
XXVII. De ceteris vitiis.
XXVIII. De ebrioſis.
XXIX. De ſorte ſanctorum.
XXX. De voto ad fontes.
XXXI. De dæmoniacis.
XXXII. De voto vel monachis.
XXXIII. De falſitate.
XXXIV. Si quis cum quadrupedia fornicaverit.
XXXV. De calendis Januarii & de cervulo.
XXXVI. De mathematicis.
XXXVII. De abortu.
XXXVIII. De raptu.
XXXIX. Si quis parentibus honorem non ſervat.
XL. Si quis hominem captivaverit.
XLI. De incendio.
XLII. De balationibus.
XLIII. De miniſterio eccleſiæ.
XLIV. Si quis obtrectaverit puellam aut mulierem.
XLV. De uxore proximi, & de uxore ſuæ ſororis, vel nepte, aut conſobriæ.
XLVI. De repudiata.
XLVII. Si quis in balneo cum mulieribus laverit.
XLVIII. De ſinodochiis & decimis.
XLIX. De conjugatis.
L. Si quis infantem gentilem occiderit.
LI. De filia vel ſorore ex ſacro fonte vel chriſmate ſuſcepta.
LII. De converſis vel pœnitentibus.
LIII. De votu mortuorum.
LIV. De præcantationibus.
LV. De ſecundis nuptiis.
LVI. De potionibus mulierum.
LVII. De converſatione viri & mulieris.
LVIII. Si quis fornicaverit cum mundis animalibus.
LIX. De piſce.
LX. De idolis immolatum & coinquinatum.
LXI. Si in vino aut in mel vel oleo aliquid immundum ceciderit.
LXII. De cauſa ſacerdotum.

I. Si quis clericus vel laïcus homicidium commiſerit, decem annis pœniteat communione privatus. Si vero bene egerit, teſtimonio ſacerdotis reconcilietur, & teſtimonium accipiat.

II. Si quis vero homicidium caſu fecerit, id eſt non volens, quinque annis pœniteat.

III. Si quis homicidium faciendum conſenſerit, & factum fuerit, ſeptem annis pœniteat. Si vero factum non eſt, tribus annis pœniteat.

De fornicatione.

IV. Si quis fornicaverit ſicut ſodomitæ fecerunt, decem annis pœniteat, & numquam cum alio dormiat.

De conſenſu fornicationis.

V. Simili judicio feriatur communione privatus. Poſt annos vero quinque ſi bene egerit, communionem percipiat. Quod ſi mors illi evenerit, viaticum ei non negetur tam his quam de omnibus culpis.

De perjuriis.

VI. Si quis perjuraverit, ſeptem annis pœniteat, & ultra non juret.

De coactu aut neſciens.

VII. Qui vero coactus aut neſciens pro qualibet neceſſitate perjuraverit, tribus annis pœniteat.

De furtu.

VIII. Si quis furtum capitalem commiſerit, id eſt quadrupedia vel caſas effregerit, & quicumque majorem præſidium furaverit, ſeptem annis pœniteat, & quod furatum eſt reddat.

De adulterio.

IX. Si quis adulterium commiſerit, id eſt cum uxore aliena aut ſponſata virginitatem ruperit, ſeptem annis pœniteat, aut certe exſilio deſtinetur, & eleemoſynas plures faciat. Quod ſi bene egerit, tranſactis annis communionem percipiat, quia ſacrum viaticum illis tantum jubent percipere. Qui vero conſenſerit, aut locum fecerit ad hoc malum agendum, quinque annis pœniteat; & mulier vel ſponſa, ſi voluntarie conſenſerit, ſimili judicio ut vir excipiant. Quod ſi vim perpeſſæ ſunt in agro, aut ubi occurſus non fuit, vir qui hoc egerit duplum pœnitentiam, ut ſupra, accipiat. Tantum illi cum de corpore egreditur, viaticum tribuetur. Quod ſi cum virgine non deſponſata viro fornicaverit, quinque annis pœniteat; monachus vero vel conſenſor....

De maleficiis.

X. Si quis maleficio ſuo aliquem perdide-

rit, ſeptem annis pœniteat, & eleemoſynas multas faciat.

De amore inlicito.

XI. Si quis pro amore maleficus fuerit, & neminem perdiderit, unum annum in pane & aqua pœniteat : monachus vero v. maxime ſi per hoc mulieris partum deceperit, unuſquiſque tribus annis augeatur, ne homicidii reus ſit.

De meretricibus.

XII. Si quis fornicaverit cum his feminis, qui cum aliis fornicaverunt & virginitatem amiſerunt, vel viduis, tribus annis pœniteat : monachus vero ſeptem.

De clericis qui uxores relinquunt.

XIII. Si quis clericus uxorem propriam relinquerit, & gradu honoris exceperit, poſteaque eam iterum agnoverit, ſciat ſe adulterium perpetraſſe, honore ſuo privetur, & diebus vitæ ſuæ pœniteat ; & pro humanitatis cauſam, ſi bene egerit, poſt annos VII. communionem percipiat.

De ſanctemonialibus.

XIV. Si qua puella ſe Deo voverit deſervire, & mutato habitu ſeculari maritum duxerit, communione privetur, & a viro ſeparetur ; agat pœnitentiam, & viro ultra non ſocietur. Si vero conſecrata fuerit, ſimiliter, quia ſcriptum eſt : *Vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Qui vero cum eiſdem fornicaverit, ita pœnitet ſicut ille qui cum deſponſata aut uxore alterius fornicaverit.

De concupiſcentia inlicito.

XV. Si quis preſbyter concupiſcentiam vel libidinem per ſeipſum fornicaverit, uno anno pœniteat.

De ſepultura.

XVI. Si quis ſepulcrum violatus fuerit, quinque annis pœnitcat.

De libidine.

XVII. Si quis concupiſcit mulierem, & non poteſt cum ea peccare, aut illa non vult eum ſuſcipere, anno integro pœniteat. Monachus III.

De Euchariſtia.

XVIII. Si quis Euchariſtiam, id eſt communionem corporis & ſanguinis Domini neglexerit, aut exinde perdiderit, anno uno pœniteat. Quod ſi per ebrietatem aut voracitatem illum vomuerit, tribus quadrageſimis in pane & aqua pœniteat. Si vero per infirmitatem, hebdomada una.

De infantibus oppreſſis.

XIX. Si quis cum uxore ſua infantem opreſſerit, tribus annis pœniteat. Si vero per ebrietatem aut neglegentiam obpreſſerit, v. annis pœniteat.

De maleficis.

XX. Si quis maleficus immiſſor tempeſtatis fuerit, vel reliqua, ſeptem annis pœniteat.

Si quis membrum ſuum truncaverit.

XXI. Si quis quodlibet membrum voluntarie ſibi truncaverit, tribus annis pœniteat, & ad ſacerdotium non accedat.

De uſuris.

XXII. Si quis uſuras undecumque exercuerit, tribus annis pœniteat ; ſi clericus eſt, ad ſacros ordines non perveniat ; ſi diaconus aut preſbyter, proprio honore privetur.

De oppreſſione pauperum.

XXIII. Si quis per poteſtatem aut quolibet ingenio vel malo ordine res alienas tulerit aut invaſerit, tribus annis pœniteat, & res male oblatas perdat, & eleemoſynas faciat.

De ſacrilegio.

XXIV. Si quis ſacrilegium fecerit, id eſt quod aruſpices vocant. Si ad fontes vel ad cancellos in quadruvio, vel ad arbores vota reddiderit, aut ſacrificium obtulerit, aut divinos de qualibet cauſa interrogaverit, aut per aves aut quocumque malo ingenio auguriaverit, quinque annos pœniteat, & eleemoſynam.

De ariolis.

XXV. Si quis ariolos, id eſt ſortilegos ; prædicatores vel herbarios veneraverit, aut ſecutus fuerit, tribus annis pœniteat & eleemoſynas faciat.

De iracundia.

XXVI. Si quis alium per iracundiam percuſſerit, & ſanguinem fuderit, ſi clericus aut laïcus eſt, XL. diebus in pane & aqua pœniteat. Si diaconus aut preſbyter, menſes ſex communione privetur, & in pane ſolo & aqua pœniteat, eo quod canonica auctoritas non iracundum, ſed inreprehenſibilem quærit ſacerdotem.

De ceteris vitiis.

XXVII. Si quis cupidus aut ſuperbus aut avarus, aut fratrem ſuum odio habens, vel dæmonia quæ his ſimilia ſunt, vel detractiones habuerit, clericus vel laïcus tribus annis pœniteat, ſi preſbyter vel diaconus, communione privetur, & ſi emendati fuerint per gratiam Dei, poſt quinquennium communionem percipiant.

De

De ebriosis.

XXVIII. Si quis assidue ebriosus fuerit, suspenditur a vino, dominicis diebus tantùm percipiat vinum, ne stomachus debilitetur. Quod si non adquieverit, tribus annis pœniteat & cotidianas eleemosynas faciat.

De sorte sanctorum.

XXIX. Si quis sortes, quas sanctorum contra rationem vocant, vel alias sortes habuerint, vel per qualemcumque alium ingenium sortitus fuerit, vel veneraverit, tribus annis pœniteat.

De voto ad fontes.

XXX. Si quis ad fontes vota voverit, & solverit vel biberit, anno uno pœniteat, quia & hoc sacrilegium est.

De dæmoniacis.

XXXI. Si clericus vexatus fuerit a dæmonio, decem annis pœniteat, inter audientes sit, & ad sacros ordines non adducatur. Si bene egerit, & per gratiam Dei liberatus fuerit, sit in reliquis officiis ecclesiasticis.

De voto vel monachis.

XXXII. Si quis votum voverit, aut monachus effectus fuerit, nullatenus liceat immutari.

De falsitate.

XXXIII. Si quis falsitatem commiserit qualemcumque, aut in scripturis, aut in mensuris, aut in ponderibus, VII. annis pœniteat. Qui autem vel consenserit quinque annis pœniteat.

Si quis cum quadrupede fornicaverit.

XXXIV. Si quis quadrupedia immunda fornicaverit; XV. annis pœniteat.

De calendis Januarii & cervulo.

XXXV. Si quis in calendis Januarii cervolam vel (a) vetolam observaverit, quæ de paganis remansit, tribus annis pœniteat. [a]

De mathematicis.

XXXVI. Si quis mathematicus fuerit, id est invocator dæmonum, mentes hominum tulerit, aut debacchantes fecerit, VII. annis pœniteat.

De abortu.

XXXVII. Si quæ mulier abortum fecerit voluntarie, X. annos pœniteat.

De raptu.

XXXVIII. Si quis virginem vel viduam raptus fuerit, & contra voluntatem ejus, eam sibi aut alteri sociaverit per vim, tribus annis pœniteat.

Si qui parentibus honorem non servant.

XXXIX. Si quis inhonoraverit patrem aut matrem, III. annos pœniteat. Quod si manum levaverit, aut ferita fecerit, VII. annis exsul pœnitentiam agat. Quod si per veniam parentum redierit, aut ei indulserint, suscipiatur in communionem, aut ibidem ederit.

Si quis hominem captivaverit.

XL. Si quis hominem quolibet ingenio captivaverit, aut transmiserit, tribus annis pœniteat.

De incendio.

XLI. Si quis domum aut arcam cujuscumque igne cremaverit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis pœniteat.

De balationibus.

XLII. Si quis balationes ante ecclesias sanctorum fecerit, seu qui faciem suam transformaverit in habitu mulieris aut ferarum, seu mulier in habitu viri, emendatione pollicita, tribus annis pœniteat.

De ministerio ecclesiæ.

XLIII. Si quis de ministerio ecclesiæ fraudaverit, id est vasa altaris, pallas, vel sindonem subtractum vendiderit, Judæ similis æstimabitur. Si sacerdos est, communione privetur, VII. annis pœnitentiam agat. Si vero aream domus, vel familias, similiter; & si pallas vel vela, & mortuos exinde cooperuerit, tribus annis pœniteat. Clericus vero vel monachus annis quinque, subtractis vel venditis rebus, sed nec ad vela ecclesiæ quis manus tergere præsumat.

Si quis obtrectaverit puellam aut mulierem.

XLIV. Si quis obtrectaverit puellam aut mulierem, pectus vel turpitudinem earum, clericus vel laïcus annum unum pœniteat. monachus vel sacerdos a ministerio remotus tres annos pœniteat. Scriptum est enim *neque tetigeritis, neque obtrectaveritis.*

De uxore proximi & uxoris suæ sorore, nepta aut consobrina.

XLV. Si quis acceperit uxorem consobrini vel patrui, seu sororem uxoris, amitam vel neptam, omnimodo separentur, & quinque annis pœniteant.

De repudiata.

XLVI. Si quis repudiatam duxerit uxorem, abjiciatur a thoro conjugii, & agat pœ-

(a) Hic designat prophanos illos ludos ethnicorum, qui in Januarii calendis belluarum & vetularum formas induentes, huc illucque discurrare ac petulantius se habere solebant; adversus quos in suis homiliis & in sactis concliis insurrexerunt sancti Patres, in quibus hujusmodi ludi prohibentur, atque in eorum detestationem jejunia & letaniæ præscribuntur.

nitentiam anno uno. Ipſe Dominus dixit: *Qui dimiſſam duxerit, adulterat.*

Si quis in balneo cum mulieribus.

XLVII. Si quis in balneo cum mulieribus ſe lavare præſumſerit, emendatione pollicita, anno uno pœniteat, & ulterius non præſumat.

De ſynodochias vel decimas.

XLVIII. Qui ſynodochia pauperum adminiſtrant, decimas populi ſuſcipiunt, & ſibi exinde vel ſuis ſæcularibus lucris ſectandum aliquid ſubtraxerint, quaſi dominicarum rerum invaſor, reus reſtituatur, ſub canonico reformetur, & agat pœnitentiam annis tribus. Scriptum eſt enim *talem diſpenſatorem Dominus quærit, qui ſibi exinde nihil accipiat.*

De conjugatis.

XLIX. Si quis cum propria uxore ſua quadrageſimorum diebus, vel feſtivitatibus martyrum vel dominicis concubuerit, offerre non poſſunt eo die, agant pœnitentiam quadrageſimas duas, & cotidianas elemoſynas faciant.

Si quis infantem gentilem occiderit.

L. Si quis infantem gentilem obpreſſerit, tres annos pœniteat. Si vero nolens, II.

De filia vel ſorore ex ſacro fonte vel chriſmate ſuſcepta.

LI. Si quis filium vel ſororem ex ſacro fonte vel (*a*) chriſmate in conjugio ſociaverit, dividantur, & agant pœnitentiam annis V. Si vero fornicaverit, VII. annis pœniteat, unuſquiſque exſilio proficiſcant, & elemoſyna tradentur pro ipſis.

De converſis & pœnitentibus.

LII. Qui vero pœnitentiam agunt, & jam converſi ſunt à negotiis ſæcularibus & litibus, ſe abſtineant a concubitu mulierum, & mulieres a viris, ut nec retroacta committant, & a futuris ſe cuſtodiant.

De luctu mortuorum.

LIII. Si quis ſe laceraverit ſuper mortuum ſuum cum ferro aut ungulis, aut capillos traxerit, aut veſtimenta ſciderit, XL. diebus pœniteat.

De præcantationibus.

LIV. Si quis præcantaverit ad faſcinum vel qualeſcumque præcantationes, excepto ſymbolum ſanctum aut orationem dominicam, qui cantat & cui cantatur, tres quadrageſimas in pane & aqua pœniteat.

De ſecundis nuptiis.

LV. Licitum ſit cuiquam viris & mulieribus ſecundas vel tertias nuptias facere, quia hoc apoſtolica ſinit auctoritas. Sed jejunet unuſquiſque hebdomadas tres, qui vero quartas fecerit, jejunet hebomadas XXXIII.

De potionibus mulierum.

LVI. Si quis potiones acceperit ut mulier non concipiat, aut conceptos occiderit, aut vir ſemen effuderit a coitu mulieris ut non concipiat, ſicut filii Judæ fecerunt in Thamar, jejunet unuſquiſque annos X.

De converſatione viri & mulieris.

LVII. Conjuncti eo tempore cum concubent, in eccleſia intrare non præſument priuſquam lavent corpora ſua; & quamquam lavent, in ſancta ſanctorum non intrent, ſed ſtent in inferiore loco eccleſiæ, niſi ſeptimo aut octavo die; & ſi aliter fecerint, quadrageſimas tres in pane & aqua pœniteant.

Si quis fornicaverit cum mundis animalibus.

LVIII. Si quis fornicaverit cum mundis animalibus, XII. annis pœniteat. Si vero clericus eſt, ad ſacros ordines numquam accedat. Si ſacerdos eſt, anathematizetur, & fructus animalis, neque animal ullus comedat, nec cum eodem animali animal maſculus concubat.

De Piſce.

LIX. Piſcis mortuus in flumine inventus non eſt edendus, quia non eſt venatio hominis. Si vero piſcando tritus fuerit, & ipſa die fuerit inventus, quia non eſitat, manducetur.

De idolis immolatum, vel coinquinatum.

LX. Si quis immolatum idolis comederit, annum integrum pœniteat. Si vero coinquinatum ſanguine aut morticinum, vel fera captum, jejunet quadrageſimis duabus in pane & aqua.

Si in vino aut in melle, vel oleo aliquid immundum ceciderit.

LXI. Si in vino, in oleo, aut in melle avis munda ceciderit, ſanctificetur, & ſumatur. Si vero immunda avis, aut ſorix, foris projiciatur. Et ſi quis exinde alicui vendiderit, anno uno pœniteat. Si vero in (*b*) peteum ceciderit, evacuetur. Si vero homo in peteo mortuus fuerit, non exinde ſumatur aqua.

De cauſa ſacerdotum.

LXII. Si quis diaconus vel ſacerdos capitalia crimina commiſerit, ſive publicatus fuerit, ſive propria confeſſione, ſive manifeſtè, ſive in occulto, gradu honoris privetur, & inter audientes ſit, eccleſia enim inreprehenſibilem ſacerdotem quærit. Ideo

(*a*) Id eſt ex confirmatione, propter chriſma, quod in eo ſacramento conferendo adhibetur, ſic appellata.

(*b*) *l.* puteum.

non ſolum qui poſt ordinationem ſuam mortalia commiſerunt, ſed etiamqui ante ordinationem ſuam, mortalia crimina admiſerunt, rejiciendi ſunt: quia juxta Pauli vocem, *omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Ideo agat pœnitentiam ſupplex adque ſubmiſſus eo die, nec offerre, nec communionem præſumant.

EXPLICIT.

LIBELLUS ANTIQUUS
De remediis peccatorum.

Ex mſ. Andaginenſis monaſterii S. Huberti ante annos 800. *exarato.*

DE remediis peccatorum pauciſſima hæc quæ ſequuntur ex priorum monumentis excerpſimus, in quibus tunc omnibus non auctoritate cenſoris, ſed conſilio potius compatientis uſi ſumus, ſeierter ammonentes doctum quemque ſacerdotem Chriſti, ut univerſis quæ hic adnotata repperit, ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, ipſum quoque cor pœnitentis curioſe diſcernat; & ſecundùm hæc, ut ſibi viſum fuerit, ſingula quæque judicet, quibuſdam namque cibis abſtinendo, aliis eleemoſynam dando, nonnullis flectendo ſæpius genua, ſive in cruce ſtando, aut aliud aliquid hujuſmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat, faciendo. Plurimis univerſa hæc agenda ſunt, neceſſe eſt errata corrigere, quæ verſa in examine diſcreti debent pendere judices.

De fornicationibus & de eorum pœnitentia.

1 Adoleſcens ſi cum virgine peccaverit, annum unum pœniteant. Si ſemel & fortuitò, levietur, & tamen unuſquiſque ad annum. Si intra xx. annos puella & adoleſcens, III. XL. & ferias legitimas. Si propter hoc peccatum ſervitio humano addicti ſunt, XL. dies; ſi nitens tantum & non coinquinatus, xx. diebus. Si Judæa conſtuprata, annum totum & dies jejuniorum in altero. Si uſque ad generationem filii, duos annos integros, & duos alios levius. Si & occiderit, annos tres & alios III. levius. Si monachus laïcam, tres annos, illa duos & legitimas ferias. Si monacham laïcus, duos annos & legitimas ferias, illa tres. Si uſque ad generatum filium; annos IV. Si & occiderit, VII. annos. Si monachus cum monacha, IV. annos. Si quis vacans uxorem alterius polluit, duos annos. ſi uxoratus virginem, ſimiliter, ita ut primo horum a ſua contineat ſi ei conſenſerit, alioquin addatur modus pœnitentiæ. Si uxoratus uxorem alterius, III. annis pœniteat. primo horum a propria conſenticnte abſtineant. Si uxoratus ancillam ſuam, annum unum & III. quadrageſimas & legitimas ferias tribus menſibus, & a ſua ſe continens, illa ſi invita paſſa eſt, XL. dies. Si conſentiens, III. XL. & legitimas ferias. Si adoleſcens ſororem ſuam, V. annis. Si matrem, VII. annis, & quamdiu vixerit numquam ſine continentia.

2. Sodomitæ quatuor annis. Si in conſuetudine fit annis VII. vel ſi monachi, annis VII. Si inter femora, tres quadrageſimas. Si parvulus vi oppreſſus talia patitur, XL. dies, vel pſalmis, vel continentia caſtigetur. Mulier qualicumque molimine, aut ſe ipſam, aut cum altera fornicans, tres annos. Sanctimonialis cum ſanctimoniali per machinam, VII. annos. Qui cum pecude peccat, annum unum. Si monachus annos II.

3. Qui ſæpe fornicatur laïcus cum laïca, III. annos pœniteat. Sæpius ac negligentius, tanto magis & tempus addat & modum. Quæ diutius fornicationi, perjurio, latrociniis ceteriſque flagitiis ſerviret, annos VII. pœniteat.

4. Si mater cum filio ſuo parvulo fornicationem imitatur, annos II. & III. quadrageſimas cum legitimis feriis, pueri ſe invicem manibus inquinantes, dies XL. Majores, dies C. Pueri ſeſe inter femora ſordidantes, dies C. Majores III. quadrageſimas & legitimas ferias. Parvulus a majore puero oppreſſus, ſeptimana, ſi conſenſerit, dies XX. qui complexu feminæ inlecebroſo vel oſculo polluitur, dies XXX. Qui contactu ejus inverecundo ejus ad carnem, tres menſes. Puer ſe ipſum voluntate polluens, XXX. dies, Juvenis, LX. Qui in turpiloquio polluitur negligens, VII. dies. Qui in pugnatione cogitationis & naturæ inquinatur nolens, per VII. dies quinquagenos pſalmos cantent, & quarta & ſexta feria jejunent ad nonam vel veſperam.

5. Qui in eccleſia conſecrata nubunt, qui in eccleſia per ſomnium polluitur, tres dies pœniteat.

6. Uxoratus contineat (*a*) XL. dies ante Paſcha vel natale Domini & omni dominica, & IV. & VI. feria, & a conceptione manifeſta uſque poſt natam (*b*) ſubolem, ſi filius eſt, dies XXX. filia XL. ſed & in tempore menſtrui ſanguinis, nam qui tunc nupſerit, XXX. dies pœniteat, qui dominica VI. dies,

7. Si quis uxore ſua retro nubit, XL. dies primo pœnitèat; ſi in tergo, IV. annis pœniteat, quia ſodomiticum ſcelus eſt.

8. Parens cujus filius per negligentiam non baptizatus obiit, I. anno, & numquam ſine aliqua pœnitentia. Si ſacerdos ad quem pertinebat vocatus venire neglexit, ipſe damnationem animæ judicio epiſcopi ſui caſti-

[a] [b]

(*a*) Vide ſi libet quæ de continentia conjugatorum diximus in libro I. de antiquis eccleſiæ ritibus, cap. 9. art. IV.
(*b*) *f.* ſui ptolem vel ſobolem.

get. ſed & omnibus licet fidelibus ubi forte A morituros invenerint non baptizatos, immo præceptum eſt animas eripere diabolo per baptiſma, id eſt benedicta ſimpliciter aqua in nomine Domini, baptizare illos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, intinctos aut ſuperfuſos aqua: unde oportet eos qui poſſunt fideles, monachos maxime, & ſcientiam habere baptizandi, & ſi longius [a] alicubi exierint, (a) eucharistiam ſemper ſecum habere.

9. Qui occiderit monachum aut clericum, arma relinquat & Deo ſerviat, vel VII. annis pœniteat. Qui laïcum odii meditatione vel poſſidendæ hæreditatis ejus, annis IV. Qui vindictam fratris annum unum & in ſequentibus duobus quadrageſimas ac legitimas ferias. Qui per iram ſubitam & rixam, tres annos. Qui caſu, unum annum. Qui in bello publico, dies XL. quilibet jubente domino ſuo ſervus, XL. Qui liberum jubente majore ſuo innocentem, annum I. & ſequentes duas quadrageſimas & legitimas ferias. Qui per rixam ictu debilem vel deformem hominem reddidit, impenſas in medicos, & maculæ precium, & opus ejus, donec ſanetur, reſtituat, & dimidio anno pœniteat. Si vero non habet unde reſtituat hæc, anno integro.

10. Qui ad ferienᵭum hominem ſurrexerit volens eum occidere, tres ſeptimanas pœniteat. Si clericus fuerit, ſex menſes. Quod & ſi vulneraverit, dies XL. Si clericus annum totum; ſed & pecuniam pro modo vulneris, licet lex non commendat, cui inflixit tribuat, ne læſus ſcandalizetur.

11. Mulier partum ſuum ante dies XL. ſponte perdens annum pœniteat. Si vero poſt XL. dies, tres annos. Si vero poſtquam animatus fuerit, quaſi homicida, ſed diſtat D multum utrum paupercula per difficultatem nutriendi; an fornicaria cauſa ſui ſceleris celandi faciat.

12. Qui perjurat ſciens, compulſus a domino ſuo, tres quadrageſimas pœniteat & legitimas ferias. Qui ſciens virtutem juramenti vel perjurii, perjurat in manu epiſcopi vel preſbyteri, vel in altari, vel cruce conſecrata, annum unum. Si autem in manu hominis, apud Græcos nihil eſt. Qui ſeducit neſcium perjurare pro noxio, qui & poſtea perjurium ſuum cognovit, annum unum.

13. Qui manducat carnem immundam, E aut morticinam, aut dilaceratam a beſtiis, XL. dies pœniteat. Si neceſſitate famis cogente, multo levius.

14. Mus ſi ceciderit in liquorem, tollatur inde, & interaſpergatur liquor ille aqua benedicta. Si vero mortua ſit, abjiciatur totus liquor, nec ab hominibus ſumatur, ſive lac, ſive cerviſia, vel aliquid hujuſmodi. Quod ſi multus ſit liquor ille, in quo mus illa vel muſtella incidens moritur, purgetur, & aſpergatur aqua ſancta, & ſumatur, ſi neceſſe ſit. Si aves ſtercorant in quemcumque liquorem, hujuſmodi tollatur ſtercus, & mundetur cibus aqua benedicta, & ſumatur.

15. Qui ſanguinem neſcius cum ſaliva ſorbet, non ei nocet. Qui manducans ſanguine proprio polluitur, inſcius non nocet. Si autem ſcit, pœnitentiam agat juxta modum pollutionis.

(a) Olim ſolebant viri pii, maxime monachi, euchariſtiam ſecum in itinere portare, ut ſibi adverſus varia pericula eſſet præſidio. Idem uſus hic præſcribitur, ut ſi forte quem ex neceſſitate baptizati in itinere contingat, habeant unde neophytum communicare poſſint.

B

LIBELLUS ALTER

De remediis peccatorum.

1. INſtitutio illa ſancta, quæ fiebat in diebus patrum noſtrorum, rectas vias numquam deſeruit, qui inſtituerunt pœnitentibus atque lugentibus ſuas paſſiones ac vitia, medicamenta ſalutis; quia diverſitas culparum diverſitatem facit pœnitentibus medicamentorum, vel adſunt medici corporum, diverſa medicamina vel potiones ſolent facere contra diverſitatem infirmitatum, vel judices ſæcularium cauſarum. Diverſa igitur judicia, qui boni ſunt & recti, penſant atque tractant quomodo recte judicent, inter miſeros & divites, inter cauſam & cauſam. Quanto magis, ô ſacerdotes Dei, diverſa medicamenta animarum inviſibilium hominibus penſare & tractare oporteat, ne per ſtultum medicum vulnera animarum fiant pejora, propheta dicente: *Computruerunt & deterioraverunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* O ſtulte medice, noli decipere animam tuam & illius, ne duplicem pœnam accipias, vel ſeptuplam vel millenam! Audi Chriſtum dicentem: *Si cæcus cæcum duxerit, ambo cadunt in foveam.* Si tu non cogitas judicium meum, alter homo non audit, neque vidit qui me judicet. O! non intelligitis, quæ Deus judex juſtus & fortis vidit & audit, & in palam abſcondita deducet, & reddet ſecundum opera. Et item vere ſunt nonnulli cœcorum canum ſimilitudine currentium ad cadavera mortuorum, & corvorum volantium; qui ad ſacerdotium vehuntur, non propter Deum, ſed plus propter homines, & honorem terrenum inhiantes, cœci divina ſapientia. De talibus dixit Gregorius Nazianzenus: Timeo hoc quod canes adſectantur officium paſtorale, maxime cum in ſemetipſis nihil paſtoralis præparaverunt diſciplinæ. Ezechiel namque ait: *Væ ſacerdotibus qui paſcebant ſemetipſos, & non gregem: lac bibebant, & lanis eorum operiebantur; & quod craſſum fuit manducabant, quod fractum fuit non alligabant.* Item Ezechiel ait: *Væ ſacerdotibus*

qui

qui comedunt populi mei peccata, hoc eſt ſibi eorum ſumentes victimas, & non orantes pro eis, comedentes hoſtias & non corripientes: qui ubi morituros homines audiunt, inde gaudentes & præparant ſe ad prædam, quaſi corvi ad cadavera mortuorum. Nunc ergo, o fratres, qui voluerit ſacerdotalem auctoritatem accipere, in primitus propter Deum cogitet, & præparet arma ejus, antequam manus epiſcopi tangeat capud, id eſt pſalterium, lectionarium, antiphonarium, miſſale, baptiſterium, martyrologium in anno circuli, ad prædicationem cum bonis operibus & compotum, ordo, hoc eſt jus ſacerdotum, poſt autem ſuum pœnitentialem, qui hoc ordine ſecundum auctoritatem canonum ordinatur, ut diſcretiones omnium cauſarum inveſtiges primitus, ſine quibus rectum judicium non poteſt ſtare, quia ſcriptum eſt: In nulla re appareas indiſcretus, ſed diſtingue quid, ubi, qua de re, quando, qualiter debeas facere. Non omnibus ergo in una eademque libra penſandum eſt, licet in uno conſtringantur vitio, ſed diſcretio ſit in unoquoque eorum, hoc eſt inter divitem & pauperem, liber, ſervus, infans, puer, juvenis, adoleſcens, ætate, ſexu, hebes, gnarus, laïcus, clericus, monachus, epiſcopus, preſbyter, diaconus, ſubdiaconus, lector in gradu vel ſine, in conjugio vel ſine, peregrinus, virgo, femina, canonica vel ſanctimonialis, debiles, infirmi, ſani. De qualitate peccatorum: continens vel incontinens, voluntate vel caſu, in publico vel in abſcondito, quali compunctione emendat, neceſſitate vel voluntate, loca & tempora diſcernat. Hanc inſtitutionem conlationum conſtituerunt SS. apoſtoli, deinde SS. patres, & ſanctus Penuſius. Deinde canones ſanctorum patrum, deinde alii atque alii, ut Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius & Theodorus, ex quorum omnium iſta deſcripſimus dictis & ſententiis veraciter, ut ſalvi ſint omnes, & non puſillanimes, quia potentes potenter tormenta patiuntur. Item in Geſu fili Sidrach: *In judicando eſto miſericors, pupillis ut pater, & pro viro matri illorum.* Item ſanctus Jacobus dicit: *Judicium ſine miſericordia erit illi qui non facit miſericordiam. Superexaltet autem miſericordia judicium, ut idem ipſe conſequatur*, ut S. Benedictus. Hoc eſt qui veram pœnitentiam faciunt in jejunio, in fletu, in eleemoſynis, in orationibus, & perpetrata iterum non faciunt, & ſi faciunt, tamen non perſeverant in eis: quia Deus dixit: Malum cogitaſti, ignovi; malum dixiſti, ignovi; malum feciſti, ignovi: perſeverare in malum non ignoſco. Ergo quia perſeverant in malo non ignoſce, ſed judica diſtrictum judicium ſecundum canones, ut alii timorem habeant.

2. Nunc igitur capitalia crimina ſicut canones explicabo. Prima ſuperbia, invidia, fornicatio, inanis gloria, ira longo tempore, triſtitia, ſæculi avaritia, ventris ingluvies; & Auguſtinus adjecit ſacrilegium, id eſt ſacrarum rerum furtum, & hoc maximum eſt furtum, vel idolothitis ſervientem, id eſt auſpiciis & reliqua. Deinde adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ebrietas aſſidua, idololatria, molles, ſodomita, maledici, perjuri. Iſta ſunt ergo capitalia crimina quæ S. Paulus & Auguſtinus & alii ſancti computaverunt. Pro iſtis oportet fieri eleemoſynas largas, & longo tempore jejunium teneatur, id eſt, ut alii judicant, pro capitalibus, id eſt adulteriis, homicidiis, perjuriis, fornicariis & ſimilibus, laïcus IV. annis, clericus V. annis, ſubdiaconus VI. annis, diaconus VII. annis, preſbyter X. annis, epiſcopus XII. annis, ſi conſuetudine erat. De minoribus peccatis, id eſt furtum, falſum teſtimonium & ſimilibus, laïci uno anno, clerici II. ſubdiaconi III. diaconi IV. preſbyteri V. epiſcopus VII. annis. Item Sodomitis, ſi conſuetudine erat, epiſcopus XIV. annis, preſbyter XII. diaconus X. ſubdiaconus VIII. clericus VII. laïcus V. monachus ſi fornicatum facit cum ancilla Dei, VII. annis; ſi cum puella, III. annis. De parricidiis & fratricidiis, quidam VII. quidam XIV. id eſt VII. cum eis. De cupiditate ceteriſque flagitiis, itemque cupidus, vel avarus, vel ebrioſus, vel ſuperbi, vel invidioſus, vel rapax, vel iracundia longa, vel maledicus, vel his ſimilia quæ enumerare longum eſt, III. annis pœniteat. Item ſi clericus cum quadrupede fornicaverit, II. annis, ſubdiaconus III. annis, diaconus V. annis, presbyter VII. annis, epiſcopus X. annis. Qui cum matre fornicaverit, XV. annis pœniteat; ſi cum filia vel ſorore, XII. annis. Qui cum fratre naturali fornicaverit per commixtionem carnis, ab omni carne abſtineat XV. annis. Si clericus venenationes exercuerit, uno anno pœniteat, diaconus II. preſbyter III. Si mater cum filio ſuo parvulo fornicaverit, III. annis abſtineat ſe a carne, & diem unum in hebdomada ad veſperam jejunet. Si preſbyter, vel diaconus, vel monachus uxorem duxerit, in conſcientia populi deponantur. Si adulterium perpetraverit cum ea, & in conſcientia populi devenit, projiciatur extra eccleſiam, & inter laïcos pœniteat, quamdiu vivit. Qui dimiſerit alteri uxorem ſuam conjungi, ſeptem annis pœniteat.

3. Si clericus homicidium fecerit & proximum ſuum occiderit, decem annis pœniteat, exſul ſeptem annis pœniteat ſi odii meditatione fuit.

4. Si laïcus homicidium fecerit per furorem & meditationem, IV. annis, vel V. vel VII. annis pœniteat; ſi per rixam, IV. annis. Qui caſu occiderit nolens, annum I. pœniteat,

5. Item qui immolant dæmonibus in magnis, si consuetudo est, decem annis pœniteat; in minimis uno anno. Auguria & divinationes, quinque annis; emissores tempestatum septem annis pœniteant, ut pœnitentia semper isto ordine servata sit, ab uno anno & deinceps de qualecumque peccato, id est in unaquaque hebdomada tres dies sine vino & medone & sine carne, & jejunet ad vesperam, & manducet de sicco cibo, & tres quadragesimas semper de sicco cibo, & jejunet tres dies ad nonam, tres dies ad vesperam, & in diebus Dominicis & Natali Domini IV. dies, & Epiphania, & Pascha usque ad albas, & Ascensa Domini, & Pentecostes, & sancti Michael, & S. Maria, & S. Johannis-Baptistæ, & duodecim Apostolorum, & S. Martini, & illius Sancti festivitatem, qui in illa provincia est; in his prædictis diebus faciat caritatem. Sint si compatres clerici sive laïci, & ebrietatem & ventris distentionem in omnibus caveant. Faciant quod Apostolus ait: *Sive manducatis, sive bibimus, sive quicquam faciatis, omnia ad gloriam Dei facite.* Tunc ergo digne pœnitentia est, si hoc impletur de clericorum pœnitentia.

6. Item in canone Apostolus judicat, ut episcopus, presbyter, diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furtu captus est, deponatur, non communione privetur, quia non judicat Dominus bis in idipsum. Si quis pontifex fornicationem faciens naturalem, judicavit duodecim annis pœnitere, per multas lacrymas & eleemosynas veniam a Domino petat. Post annos tres vel quatuor levius pœniteat. Presbyter cum puella non prælato monachi voto, annos tres vel quatuor, & quadragesima, secunda & quarta feria & sexta semper de sicco cibo. Si cum ancilla Dei aut cum masculo, plus addetur, id est septem annos, si consuetudine. Similiter diaconi si monachi non sunt, duos vel tres annos. Si & monachi sine gradu, si cum puella, id est tres annos; si diaconi monachi sunt, quinque vel sex annis. Monachi cum gradu, septem annis. Si sine votu monachi cum puella, novem vel decem annis. Clericus sine votu monachi fornicans, uno anno pœniteat; si frequenter, duobus annis. Si cum canonica, II. annis; frequenter, III. annis. Si genuerit filium, plus pœniteat, id est quatuor vel quinque annis. Alii dicunt septem, & exsul fiat. Sic & virgo sanctimonialis cum laïcis sine gradu, sicut clerici qui canonici sunt, uno anno; frequenter, duobus; in gradu aut sunt monachi, id est tribus annis. Theodorus dixit: Monachus faciens fornicationem, septem annis pœniteat. Si monachus quærens fornicari & non inveniens, uno anno & dimidio pœniteat. Item monachus faciens fornicationem cum puella, tribus annis; si cum sanctemoniali, septem annis pœniteat. Laïcus maculans se cum ancilla Dei, duobus annis; si genuerit ex ea, tribus annis; si sine conjugio sunt, tres quadragesimas, quidam XL. diebus judicant, id est consuetum. Sodomitæ quidam decem annis, id est qui sæpe fecerit, vel in gradu: quidam VII. annis: quidam III. mollis quidam C. diebus, ut pueri viri inter femora fornicantes, I. anno; iterans, duobus annis pœniteat. Si in terga fornicantur, III. annis; si pueri, II. annis. Qui cum pecode peccaverit vel jumento, decem annis, quidam septem, quidam tribus, quidam uno, quidam centum diebus, ut pueri: oportebit discretio esse inter qualitatem pecodum vel hominum, sicut supra diximus. Item episcopus fornicans cum quadrupede, septem annis, consuetudine decem, presbyter quinque, diaconus tribus, clericus tribus.

7. De JURAMENTO. Qui juramentum fecerit in ecclesia aut in evangelium, sive in reliquiis sanctorum, septem, alii undecim annis judicant, sive in manu episcopi, aut presbyteri, vel diaconi, seu in cruce consecrata, uno anno pœniteat, alii tribus annis vel septem judicant; in cruce non consecrata, uno anno vel septem menses, ut alii. Qui autem seductus ignorans & postea cognoscit, anno uno, vel tribus quadragesimis, vel quadraginta dies pœniteat. Si quis coactus pro qualibet causa necessitatis, tres quadragesimas, alii tribus annis, uno ex his in pane & aqua, ut alii judicant. Item perjuri tribus annis pœniteant. Qui suspicatur quod pius in juramentum ducitur, & tamen jurat per consensum, duobus annis pœniteat. Si quis in manu laïci juraverit, apud Græcos nihil est.

8. De MACHINA MULIERUM. Mulier abstineat se a viro tres menses quando concepta est, antequam pareat & post partum XL. dies. Qui autem nupserit his diebus, XL. dies pœniteat vel XXX. vel XX. Qui in matrimonio sunt abstineant se III. VI. quadragesimas, & in dominica nocte; & in sabbato, & feria III. & VI. quæ legitimæ sunt, & III. noctes abstineant se antequam communicent. Qui in quadragesima ante Pascha cognoscit mulierem suam, & noluit abstinere, annum pœniteat, vel suum precium reddat ac ecclesiæ vel pauperibus dividat, vel XXVI. solidos reddat. Et per ebrietatem vel aliqua causa acciderit sine consuetudine XL. diebus pœniteat.

9. Mulier si divinationes fecerit vel incantationes diaboli, uno anno pœniteat, vel tres quadragesimas, vel XL. diebus, juxta qualitatem culpæ. Mulier si aliqua interminante malificia sua, id est per poculum aut partem aliquam, VII. annis pœniteat. Si paupercula, IV.

10. Mulier si occiderit filium suum per

homicidium, x. annis pœniteat.

11. Si vir cum muliere ſua retro nupſerit præ.... cum animalibus, id eſt ſi conſuetudine erit, tribus annis pœniteat. Si vero in terga nupſerit & conſuetudo erat, VII. annis pœniteat.

12. De augurliis vel auguria vel ſortes, quæ dicuntur falſo ſanctorum vel divinationibus obſervare, vel quarumcumque ſcripturarum in conſpectione futura promittunt, vel votum voverit in arbore, vel in quanlibet rem, excepto eccleſiæ, ſi clerici laïci excommunicati ab eccleſia, vel tribus annis clerici pœniteant, laïci II. annis vel uno & dimidio. Mulier ſi filiam ſuam ſupra tectum ponit, vel in fornacem pro ſanitate febri, V. annis pœniteat. Nolite exercere quoniam lumen obſcuratur, ut clamoribus ſuis ac maleficiis ſacrilego uſu ſe defenſare poſſe confidunt carajios & divinos præcantatores filacteria etiam diabolica, vel herbas, vel ſuccinum, ſuis vel ſibi impendere, vel V. ferias in honore Jovis, vel calendas Januarii ſecundum paganam cauſam honorare, ſive V. annos pœniteat clericus, ſive laïcus tribus annis pœniteat, vel pœniteat de minutis peccatis.

13. De ebrietate, vel maledictione, vel detractione, cauſa invidiæ, vel his ſimilibus, laïci ſeptem diebus *quatuor pœniteat, clericus VII. diebus vel XIV. Subiaconus II. tres hebdomadas. Diacunus III. IV. preſbyter IX. hebdomadas. Sacerdos per turpiloquium ſeu aſpectu coinquinatus, non tamen voluit fornicare, XX. dies pœniteat, vel quale ſit delictum. Preſbyter ſi oſculatus eſt feminam per deſiderium, XX. dies pœniteat. Si ſemen funderit clericus, VII. diebus, diaconus II. hebdomadas, monachus XX. diebus. Item preſbyter ſi ſemen funderit per cogitatione, VII. diebus pœniteat. Si tangit manu cum manu, tres hebdomadas. Epiſcopus IV. hebdomadas. Si cogitatione fundit, XX. dies pœniteat. Si monachus, VII. dies pœniteat, ſi diaconus, IV. dies, ſi clericus, II. dies pœniteat, laïci unum. Si tangit manu diaconus, XIV. dies. Monachus, tres hebdomadas, vel duas hebdomadas, clericus VII. dies. Aliter ſi clericus manu cum manu XXX. dies vel XX. pœniteat, quanto magis alli gradus. Qui impugnatione mentis violenter coinquinatus eſt, VII. dies pœniteat, vel quouſque cogitatio vincitur. Qui in ſomnis non voluntate pollutus ſit cantet quidem ſeptem pſalmos pœnitentiales, id eſt *Domine, ne in ira tua : Beati quorum : Domine ne in ira tua : Miſerere mei, Deus, ſecundum : Domine exaudi orationem : De profundis : Domine exaudi orationem*; vel unuſquiſque ſecundum ſuam virtutem in mane XXX. pſalmos cantet. Volens autem in ſomnis peccare, ſive qui pollutus ſit ſine voluntate, XV. pſalmos cantet. Peccans non pollutus, XXIV. pſalmos. Si in ſomno peccans ſine cogitatione, XV. pſalmos. Item in ſomno peccans ſi ex cogitatione pollutus, XXV. pſalmos. Si ſemen fundit in eccleſia per dormitatione, cantat pſalterium, vel tres dies pœniteat. Si voluntariè ſemen in eccleſia fundat mala cogitatione; ſi clericus, XIV. dies pœniteat; ſi diaconus, XXV. pœniteat, preſbyter XL. epiſcopus vel monachus XXX.

14. De Furtu. Item ſi aliquis de myſterio eccleſiæ vel qualecumque opus quolibet modo fraudaverit vel neglexerit, VII. annis pœniteat. Si laïci conſecrata furavetit, III. pœniteat ſine pinguedine, etiam communicent. Item ſi quis furtum capitale commiſerit, id eſt quadrupedia, vel domos effringerit, ſi laïci uno anno pœniteant, & pretium reddant, vel duobus annis pœniteat. Si majus aliquid furtum fecerit, III. annis pœniteat, vel quod ſacerdos judicaverit. Si clerici talem furtum fecerit, V. annis, vel quomodo ſacerdos judicet, vel epiſcopus judicet. Qui ſæpe furtum fecerit, VII. annis pœniteat, vel quod ſacerdos judicavit.

De Ebrietate. Si quis epiſcopus, vel aliquis ordinatus de conſuetudine ebrietatis vitium habuerit, aut deſinat, aut deponatur. Si monachus per ebrietatem vomitum facit, XXX. dies pœniteat. Si preſbyter, vel diaconus per ebrietatem facit, XL. dies pœniteat. Si clericus, XX. dies pœniteat, alii ſeptem dies ſine pinguedine. Laïci tribus diebus ſine cerviſia vel vino & carne. Alii XV. dies. Si fidelis laïcus ſit, qui per nequitiam inebriat alterum, XL. dies pœniteat. Si vomitum facit infirmitatis cauſa, ſine culpa eſt. Si per ebrietatem vel voracitatem evomuerit euchariſtiam, XL. dies pœniteat. Clerici monachi, vel diaconus LX. preſbyter, LXX. epiſcopus, XC. Si infirmitatis cauſa, VII. diebus. Unuſquiſque ſi non infirmitatis cauſa ſacrificii die, VII. diebus, quidam pſalterium, quidam bis pſalterium. Si ſuum ſacrificium die in ignem projiciat vel in flumen, C. pſalmos cantet. Si canes comedunt talem vomitum, C. diebus, ſi ſcit; ſi non, XL. Qui vero inebriantur contra præceptum Domini, ſi vomitum ſanctitatis habent, hoc eſt ebrietas quando ſtatum mentis mutant, & lingua balbuzat, & oculi turbentur, & vertigo erit, & ventris diſtentio ac dolor ſequitur; ſi clericus, VII. diebus; ſi monachus, XIV. Diaconus tribus hebdomadis, preſbyter IV. epiſcopus V. pœniteat; laïci tres dies ſine vino & carne.

De Euchariſtia. Si quis Euchariſtiam negligentiæ cauſa perdiderit, uno anno, vel tres quadrageſimas, ſeu XL. dies pœniteat. Si ſacrificium in terra ceciderit cauſa negligentiæ, L. pſalmos cantet. Qui neglexerit ſacrificium ut vermes in eo ſint, aut colorem non habet ſaporemque, XX. vel XXX. vel XL. dies pœniteat, & in igne accen-

*ſi quater.

datur, cinis ejus ſub altare abſcondatur. Si uſque ad terram ceciderit I. die pœniteat. Si ſtilla ſuper altare ceciderit, tres dies pœniteat. Qui in eccleſia modicam partem perdiderit, & non invenerit, XX. dies pœniteat, vel unoquoque die pſalmos LXX. cantet. Qui autem in ple.... ſuum criſmal perdiderit & non invenit, XL. dies pœniteat, vel tres quadrageſimas pœniteat. Qui perfunderit calicem in fine ſolemnitatis, XXX. pœniteat.

17. DE DIVERSIS CAUSIS. Qui creaturam perdiderit, hoc eſt thus, tabulas, aut ſchedulam ſuam, ſal benedictum, panem novum conſecratum, vel aliquid huic ſimile, VII. diebus pœniteat. Qui morticinum comedit, XL. dies pœniteat inſcius: ſciens C. diebus pœniteat. Qui per fraudem comedit & ſcit, & eſt inops & ebidis, VII. diebus pœniteat. Sani aut & infirmi, ſi ſciunt, XL. diebus pœniteant. Qui ſæpe faciunt, tres quadrageſimas, vel annum. Qui comedit, vel bibit intinctum a familiari beſtia, id eſt cane vel gatto, & ſcit, C. pſalmos cantet, vel duos dies jejunet: ſi neſcit, L. pſalmos, vel unum diem. Si quis dederit alicui loquorum,* in quo mus vel muſtella mortua inveniuntur; ſi ſæcularium, VII. diebus pœniteant, in cœnubiis, CCC. pſalmos cantet, qui poſtea noverit, qui talem potum biberit, ſaltim nunciari. Si quis ſemicoctum comederit, tribus diebus vel pſalterium cantet; ſciens autem ſeptem diebus pœniteat. Pro modico furtu XX. dies pœniteat. In XX. annis pueri, X. annis aliquid furtum faciens, VII. diebus. Si quis tinxerit manum in aliquo cibo liquido, & non idonea manu, C. palmatis emendetur. Si in farina aut in aliquo cibo ſicco, aut in pulte, aut in lacte coagulato mus vel muſtella inveniuntur, quæ in circuitu ejus, rem projicietur foras, quod reliquum eſt manducetur.

* *al.* liquotem.

18. Item, qui autem in pœnitentiale quæ ſcriptum eſt implere poterit, bonum eſt. Qui autem non poteſt, conſilium donamus per miſericordiam Dei. In primitus pro uno die in pane & aqua L. pſalmos & genu flectando, aut ſine flexu LXX. pſalmos infra eccleſiam, vel in uno loco per ordinem pſallat, & pro uno die valent CC. genu flexu, vel unus denarius pro die valet, & in. eleemoſynas III. pauperibus valent. Quidam dicunt L. percuſſiones vel pſalmos pro die valent, id eſt in hieme, in autumno, in verno, C. percuſſiones vel pſalmos, & in æſtate CL. pſalmos vel percuſſiones. Item pro uno menſe in aqua & pane pœnitere debet, pſalmos mille, & CC. genu flexu, vel ſine flexu mille DC LXXX. & poſtea omnes dies reficiant ad ſextam niſi quarta & ſexta feria jejunet, ad nonam a carne & vino, abſtineat ſe alium cibum. Poſtquam pſallit in ſecundo anno remiſſior pœnitentia erit.

19. De natale Domini uſque in Epiphaniam, & illos prædictos dies qui ſupra ſcribuntur, quæ in pœnitentia non computantur. Item qui non poteſt ſic agere pœnitentiam, ſicut ſuperius diximus, in primo anno eroget eleemoſynam ſolidos XXVI. pro uno anno pane & aqua donet eleemoſynam ſolidos XXV. & in unaquaque hebdomada, una die jejunet ad nonam & alium ad veſperam, & tres quadrageſimas. In ſecundo anno, XX. ſolidos, pro III. anno XVIII. id ſunt LXIV. ſolidos potentes homines pro culpis criminalibus faciant, ſicut Zachæus ait: *Domine omnium bonorum meorum dimidium do pauperibus, & ſi aliquid injuſte abſtuli in quadruplum reddam*, & de mancipiis dimittat liberos, & captivos redimat. Et a quo die deſinit peccare, non deſinat communicare, ſicut apoſtolus dixit: *Qui per corpus peccat, per corpus emendet*, hoc eſt jejuniis, vigiliis & orationibus ad Deum, qui converſus fuerit, & omne malum fecit in effundendo ſanguine, in furtu, in fornicari, in mendacio & juramento, & omnibus malis, & poſtea Deo ſervire vult uſque in finem, tres vel duos annos pœniteat, vel quomodo ſacerdos judicaverit. Ipſe tamen cogitet de medicamento animarum, quomodo ſuam & aliorum animas ſalvare valeat in erudiendo, in docendo ſanum ſermonem, qui bene miniſtrat, bonum gradum ſibi adquirit apud eum qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

EDITIO S. BONIFACII.

Ex mſſ. Corbeiæ novæ & S. Huberti.

QUomodo poſſumus pœnitentiam VII. annorum uno anno pœnitere, triduanum vero per XXX. dies & noctes. Cantatio pſalmorum CXX. pſalteria, pro uno menſe, XII. pro uno die pſalmos L. & V. *Pater noſter*. Unum pſalterium pro tribus & XV. *Pater noſter*. Item pro una die quatuor vicibus *Beati immaculati*, & VI. *Miſerere mei Deus*, & V. *Pater noſter*, & LXX. vices proſternat ſe in terra, & cum injectione dicat *Pater noſter*, ſic faciat pro uno die. Si vult minus pſallere & non vult patire, proſternet ſe, canet frequenter in oratorio, videlicet vicibus centum, & dicat: *Miſerere mei Deus*, & *Dimitte Domine delicta mea*. Hæc faciat pro uno die: qui vult confiteri peccata ſua cum lacrymis faciat, quia lacrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur; rogetque preſbyterum ut pro eo miſſam cantet, niſi ſint capitalia crimina, quæ debet ante lavare cum lacrymis. Cantatio unius miſſæ poteſt XII. dies redimere. X. miſſæ quatuor menſes. XX. miſſæ octo menſes. XXX. miſſæ XII. menſes poſſunt redimere

mere si volunt confessores. Tamen pœnitentes cum lacrymis agant orationes, & Deo gratias referant, seuque pro hebdomada trecentes psalmos flectendo genua in ecclesia, in uno loco per ordinem canet qui potest, qui psalmos nescit & jejunare non potest, quantum sumit, penset & tribuat medietatem in eleemosyna sua.

CAPITULA SYNODI WORMACENSIS.

Ex mſ. codice Andaginensi S. Huberti annorum circiter 700.

I. SI quis episcopum aut presbyterum aut diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in finem dandam esse communionem.

II. Ut nullus episcopus vel infra positus die Dominico causas judicare præsumat.

III. Ut nullus clericus ab episcopo suo recedat, & ad alium se transferat.

IV. Ut si quis quemlibet exspoliaverit, & ammonente episcopo non reddiderit, excommunicetur.

V. Qui crimen objicit, scribat se probaturum revera, ut ibi causa agatur ubi crimen admittitur, ut qui non probaverit quod objecit, pœnam quam intulit ipse patiatur.

VI. Ejus qui frequenter litigat, & ad accusandum est facilis, acusationem nemo absque gravi examine recipiat.

VII. Testimonium laïci adversus clericum nemo suscipiat.

VIII. Nemo clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in ecclesia, &c.

IX. Si quis clericus super quibuslibet criminibus pulsatus fuerit, in provincia in quâ consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones, nec æstimet eum accusator illius alibi, aut longius pertrahendum in judicium, ille vero qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.

X. Hi qui aliquibus criminibus inretiti sunt, vel qui sunt suspicioſi, voces adversus majores natu non habeant accusandi, sed hi qui omni suspicione careant.

XI. Nullus episcopus alterius parochiam præsumat retinere, aut ordinare absque ejus voluntate, vel judicare; quia sicut irrita erit ejus accusatio, ita & dijudicatio; quoniam censemus nullum alterius judicis, nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinari non potuit, nec judicare omnino potest.

XII. Peregrina judicia generali sanctione prohibemus, quia indignum est ut ab exteris judicetur, quia provinciales & a se electos debet habere judices.

Ne sine accusatore legitimo condemnetur quispiam.

Dignum est ut vita innocens non maculetur pernicie accusatorum, adeo quisquis a quolibet criminatur, non ante accusatus supplicio deputetur, quam accusator præsentetur, atque legum & canonum sententia exquiratur, ut si indigna ad accusandum persona invitetur, ad ejus accusationem non judicetur.

CONCILIUM BARCHINONENSE anno DCCCC VI. celebratum confirmat Hemmæ abbatissæ quasdam ecclesias.

Ex archivis S. Victoris Massilienſis eruit Dominus Furnerius.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCCC. VI. sub indictione VIII. conventus factus sanctorum episcoporum apud (a) Barchinonam civitatem, quorum hæc sunt nomina: ARNUSTUS Archiepiscopus almæ Narbonensis ecclesiæ, SERVUS DEI Gerundensis, NANTIGISIUS Urgellensis, IDILCHARIUS Ausonensis, THEUDERICUS Barchinonensis, REINARDUS Cavellicensis. Dum igitur residerent in ecclesiam S. Crucis una cum præcellentissimo principe & marchione WIFREDO, seu plurimorum diversi ordinis clericorum & religiosorum laïcorum non minima caterva, ut plurimorum audirent querimonias, & Deo favente, quæ prolata erant justissime determinarent. In supradictorum præsentiam affuere legati Deo devotæ & religiosissimæ abbatissæ HEMMÆ præ manibus habentes scripturam confirmationis rerum monasterii sui, quod situm est in honore S. Johannis-Baptistæ, edita scilicet & roborata a prænominato summo antistite ARNUSTO, ceterorumque venerabilium episcoporum, quorum hæc sunt nomina: AMELIUS Ucætiensis, AGLARDUS Nemausensis, (b) RICULFUS Helenensis, ARTMANNUS Tolosensis, SERVUS DEI Gerundensis, NANTIGISIUS Urgellensis, (c) REINARDUS Biterrensis, GONTARIUS Magdalonensis, AUTGARIUS Lutovensis, GIMERA Carcassensis, GERARDUS Agathensis. Qui vero in præsenti coadunatione afuerunt, petiit præfata Deo dicata abbatissa per suam legationem easdem res monasterii sui, ut juxta canonicam & episcopalem auctoritatem confirmarent. Nam istæ sunt ecclesiæ parochiæ vel cellæ, atque prædia, quas sub jure canonico sibi petiit roborari. Primùm quidem ipsum monasterium

Anno 908. [a]

[b] [c]

(a) Hujus concilii brevem dumtaxat notitiam dant editores generalium conciliorum his verbis: *Anno Domini 906. Barcinone celebratum est concilium, cui præfuit Arnustus archiepiscopus Narbonensis, & episcopi novem interfuerunt: quo in concilio disputatum est, utrum Ausonensis ecclesia, tributaria esse deberet ecclesiæ Narbonensis.*

(b) Hic Riculfus desideratur in vulgatis indicibus episcoporum Helenensium, ubi locum vacuum occupare debet inter Stephanum & Sonarium.

(c) In vulgatis indicibus episcoporum Biterrensium appellatur Bernardus.

in honore S. Johannis-Baptiſtæ & præcurſoris Domini ſub tuitione & cura epiſcopali, ſicut ſacri canones docent cum parochia & finibus, vel adjacentiis ſuis, parochiam quoque S. Mariæ & S. Kyrici, & Saura cum finibus ſuis, cellam etiam S. Martini cum ſua parochiuncula, necnon & eccleſiam S. Columbæ cum parochia ſua. Hæc omnia conjacent in epiſcopio Auſonenſe. In pago autem Vallenſe parochiam S. Geneſii, in villa quæ dicitur Amigdala, & in pago Cerdanienſe parochiam S. Mariæ quæ dicitur Liliætam, & Bergogiam & Anguſtrinam, & juxta Cardonam cellam S. Johannis cum ſua parochia, & in confluente pago, villa Foliano eccleſiam in honore S. Eulaliæ cum ſua parochia, & in eodem territorio parochiam de ipſa eccleſia ſubdita, quæ dicitur Campilias; in Beſuldunenſe cellam quæ dicitur cella Witiſane, eccleſiam S. Vincentii cum ipſa parochia, & in Porcarias eccleſia S. Mariæ. Hæc igitur omnia nos præſcripti atque ſignati præſules, ſecundum hoc quod S. Patres canonicis legibus inſtituerunt confirmamus ad monaſterio, vel ipſi abbatiſſæ: obſecrantes & imprecantes ſub divina cenſura, ut nulli Chriſtiano liceat..... notario..... aut inrationabiliter aliquid ex ipſis rebus ab ipſo monaſterio auferre vel minuere, niſi tantum quod ex ipſis parochiis cenſum annuale, quod ſolis epiſcopis vel matricis eccleſiis eorum ſolvere ſolitum eſt, per ſingulos annos ſolvatur. Alia vero quæ ſuperſunt ad adjutorium & ſupplementum ipſius monaſterii, vel ipſi abbatiſſæ, & creditis ſibi a Deo devotis feminis ad regendum cuſtodiantur, & ſub ejus poteſtate ſerventur. Si quis autem contra hoc pontificale decretum a nobis ſtatutum agere de ipſis rebus monaſterii præfati aſſumere aut agere tentaverit; ſciat ſe ſeveriſſimo mucronis vinculo anathematis feriendum, & a regno Dei extorrem. Ut autem hoc certius ab omnibus credatur, propriis manibus ſubterfirmando roboravimus. * *Anno primo regnante Charlaric rege.*

* *Alia manu.*

✠ Arnustus ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ humilis epiſcopus SS.

Nantigisus epiſcopus humilis SS.

Idelherus humilis epiſcopus SS.

Servus Dei epiſcopus.

Teudericus Barchinonenſis eccleſiæ humilis epiſcopus SS.

Ego Sigoinus preſbyter hoc ſcripturæ decretum ſcripſi & ſubſcripſi ſub die & anno quo ſupra.

SYNODUS VIENNENSIS
ANNI DCCCC VII.

Ex chartario Viennenſi illuſtriſſimi domini Chauvelin regiorum ſigillorum cuſtodis.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCC. VII. indictione X. Acta eſt ſynodus apud Viennam metropolim juſſu domini ac venerabilis Alexandri ejuſdem eccleſiæ archipræſulis, in eccleſia videlicet Domini & Salvatoris noſtri, ubi a multis in ejus præſentia ſuorumque miniſtrorum, nec non & venerabilium, videlicet Eierlei præpoſiti, Erlei archidiaconi, Valdonis abbatis, Terdonis abbatis, multorumque aliorum reverendorum ſacerdotum, a diverſis diverſæ prolatæ ſunt querimoniæ, inter cetera vero, quæ in hac ſynodo diſcutienda ac diffinienda erant, orta eſt quædam altercatio inter Aribertum abbatem Romanenſis monaſterii, necnon & Bernardum venerabilem monachum, ſanctique Mauritii abbatem ex territorio, de quadam capella S. Severi, in parochia S. Primi in villa Tauſiaco, quam quidam homo in preſtariam tenebat, nomine *Fulche*..... Dicens jam dictus Aribertus abbas, quod ex prædicto territorio decimæ juſtè & legaliter ad capellam S. Severi pervenire debuiſſent. Sed Bernardus abbas affirmando contradicebat, non ita eſſe; ſed omnes decimæ ex præmemorato territorio legaliter & rationabiliter plus pertinerent ad eccleſiam S. Primi, quam ille in manu ad ordinandum habebat, præter primum monachorum laboratum, quam ad ſupradictam S. Severi capellam. Tunc a ſancta ſynodo judicatum eſt, illi ne forte deinceps ex eadem cauſa aliqua moliretur injuria, ut ſicut ille propriis teſtificabatur verbis, ita teſtes ſui ſacerdotes ſub jurejurando affirmaſſent. Prædictus quoque Bernardus abbas ſuos in ſancta ſynodo præſentes oſtendit teſtes, quorum nomina ſunt hæc: Chriſtianus preſbyter, Siguinus preſbyter, Albaricus preſbyter, Folmarus preſbyter, Badinus preſbyter, Archinerius preſbyter, Giroldus preſbyter, & ſacramentis datis omnia legaliter explevit ſicuti judicatum fuit, & prædictas decimas ad eamdem eccleſiam S. Primi evindicavit.

Anno 907.

Ego Alexander ſanctæ Viennenſis eccleſiæ epiſcopus propria manu roboravi, & aliis roborare juſſi. Erleus humilis præpoſitus, Andræas preſbyter.

CONCILIUM RATISPONENSE anno DCCCCXXXII celebratum.

Ex mſ. Stabulenſis monaſterii.

Anno 932. IN nomine æterni Dei, anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXXII. indictione V. XIX. calendas Februarii, regnante Arnolfo venerabili duce anno X. congregata eſt ſynodus generalis apud Radaſponam metropolim Norici regni civitatem, in quâ primitus congregati ſunt venerabiles domini præſules ODULPERTUS Juvavenſis eccleſiæ archiepiſcopus, VODALFREDUS Rubilocenſis eccleſiæ epiſcopus, WOLFRAMMUS Frigiſienſis epiſcopus, HIZINGRIMUS Radaſponenſis ſedis antiſtes, GEHARDUS Patavienſis eccleſiæ epiſcopus, SUARZLOH corepiſcopus, EGILOLF abbas cum reliqua non modica ſacerdotum coadunatione. Igitur ab omni populo crucibus decenter portatis, & ſacris letaniis more ſolito celebratis, convenerunt omnes epiſcopi, cum copioſa ſacri ordinis frequentia in eccleſia S. Petri apoſtolorum principis, quæ mater eccleſiarum regiæ civitatis juxta portam aquarum antiquitus excreverat, ibique juxta aram S. Petri antiſtites, cetera ſancta ſynodus in media conſiderunt eccleſia. Tùm demum hi quibus maxima cura eſt injuncta paſtoralis, ſemetipſos fraterno caritatis amore monere curabant, ut ſi aliquid in ſemetipſis dignum eſſet emendationis, haud ſegniter emeliorare ſtuderent. Deinde vera paterna ſollicitudine omnem ſanctam congregationem hortabantur, monebant, arguebant, & inſtruebant de omnibus rebus & juſticiis, ad veram religionem orthodoxæ & catholicæ fidei pertinentibus, ut moribus bonis malas devincerent conſuetudines & inreprehenſibiles ſe exhiberent ad docendum populum Chriſti ſanguine redemtum. Inter cetera vero cum totius ſynodi conſilio hoc decreverunt, ut quiſquis illorum id eſt epiſcoporum de hac luce migraret, ſuperſtites epiſcopi miſſas XII. pro anima ipſius celebrare non tardarent. Similiter & preſbyteri, ceteri vero clerici & ſanctimoniales pſalteria IV. Epiſcopi vero tribuant de ſuis facultatibus pro anima defuncti epiſcopi de ſicera carradas III. de panibus modios, VI. Frisk. VI. Bachon. unum.

[a] ## STATUTA (a) ANNO D. CCCC. LXII. edita.

Ex mſ. S. Germani à Pratis.

Anno 962. I. QUod antiquæ eccleſiæ a novis nec decimis, nec ulla poſſeſſione ſunt ſpoliandæ.

II. Quod dotes eccleſiæ non auferantur.

III. Quod eccleſiaſtica ſtatuta & privilegia ab apoſtolis & reliquis magiſtris eccleſiæ tradita integra ſerventur, & prævaricatores eorum excommunicentur.

IV. Quod conſuetudines eccleſiaſticæ pro lege ſunt tenendæ.

V. Quod triennalis poſſeſſio firma ſit.

VI. Sicut diœceſim alienam triennalis poſſeſſio tollit, ita territorii conventum non admittit; ideoque baſilicæ quæ novæ conditæ fuerunt, ad eum procul dubio epiſcopum pertinebunt, cujus conventus eſſe conſueverit.

(a) Hæc ſtatuta deſcripſimus ex mſ. chronico Saxonico, in quo ad codicis marginem leguntur, videnturque edita occaſione erectionis archiepiſcopatus Magdeburgenſis & epiſcopatus Merſeburgenſis.

CONVENTUS EPISCOPORUM APUD COLONIAM ANNO DCCCC LXV.

habitus, in quo præſente Ottone imperatore, Ottone rege ejus filio, ac Lothario Francorum rege, fundatio collegiatæ S. Martini Leodienſis eccleſiæ confirmatur. Anno 965.

Ex mſ. cl. V. domini de Louvrex.

IN nomine Domini Jeſu Chriſti Salvatoris & individuæ Trinitatis, EVERACUS ſervorum Chriſti ſervus univerſis eccleſiæ catholicæ & apoſtolicæ filiis.

Quam ſit arduum & antiquum proclive ſe-ipſum regere, virtutibus indulgere, vitiis temperare, cum prudens quiſque ſui ſuorumque curam gerens conſiderat, neſcio an quicquam ſublimius hanc vitam degens agere queat, ſi tamen ab animi ſui deliberatione exeat homo ad opus ſuum, & operationem ſuam extendat uſque ad veſperam. Inde mihi (b) aliud ſollicite meditanti, poſtquam voluntate Domini mei dictum eſt: *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia quanta tibi fecerit Dominus.* Inde, inquam, anguſtiæ mihi factæ ſunt undique, & quid deligerem ignoravi. Subdita eſt mihi cogitatio frequenti impulſu ſummi & incomparabilis viri domni BRUNONIS archiepiſcopi, ut ſi quos poſſem ad apoſtolicam colligerem diſciplinam, ubi multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Hoc eſt enim, niſi fallor, quod bonum & jucundum monſtrat pſalmiſta habitare fratres in unum, monacho quidem omni, ſed non ſoli aptum. Et ut antiquus noſtræ ſedis locus ipſe quoque in perpetuum honorabilis habeatur, nec ob noſtri rudimenta laboris detrimentum aliquod patiatur, delegi locum ſatis amœnum, in edita montis ſpecula, cui publicum nomen eſt, quo & ſedem noſtram & eam quæ domus epiſcopi diceretur, auctoritate domni BRUNONIS archiepiſcopi, cui omnia debeo, juſſu etiam magni imperatoris & Cæſaris Auguſti OTTONIS, cleri quoque noſtri & plebis quiſque vir melior eſſet aſſenſu transferrem, ubi in eccleſia, cujus [b]

(b) *f.* illud.

ego fundamenta jeci in honore beatiſſimæ Dei genitricis & virginis MARIÆ, ſanctique [*] Lamberti pontificis & martyris, (a) de prædiis quæ vel precariis, vel ingenio quolibet contraxi, quæve de antiquioribus eccleſiæ rebus rationabiliter his addere potui ſecundum ſtatuta canonum & decreta, vel conſilio confratrum meorum, quorum id intererat, cum præceptis regiis oves dominicas quæ ſummi paſtoris vocem audiant pro captu meo facere deſtinavi, quorum vitam con- [b] ſtituimus ut (b) unum cibum capiant, propter dormiant, prælatis obediant, nihil citra præfixam ſibi legem faciant, ad ſummam domitores exiſtant ſuæ voluntatis, ut pax illis ſit in terra hominibus bonæ voluntatis. Quod ut notum eſſe poſſit, non his tantum qui modo ſunt, ſed etiam poſteris noſtris hoc monimentum confirmationis conſcribi fecimus, quod & imperatoria dignitate & principum aſſenſu bonorumque omnium notitia & pio favore roborari volumus : in quo & prædia quæ in ſupra memorato loco ad ſervientibus Deo victum & veſtitum miniſtrare ſufficiant, & teſtes quibus hæc probentur aſcribi ſanximus. Eccleſiam in *Bertheim*, *Butſcheim*, *Oreſcheim*, Witteresluckа. Eccleſiam in villa Beinchoum *Flaredesheim* cum eccleſia, villam *Benoite* cum eccleſia Woltenſi, villam *Camus* cum eccleſia. In villa *Helſi* tres manſos, in villa *Althuolfe* I. in villa *Hakeſi* II. in villa Frera V. *Utheri. Geroldingun*, Woromia cum eccleſia, *Velez* cum eccleſia, *Ruvanſeis*, *Sluzin*. In villa *Liedes* manſum I. *Scozes Malgrehis* eccleſiam in Olfeio, Summa, *Fumenſuſmont*, marchinus, *Slies*, Aſleza cum eccleſia.

Nota canonicorum vitam.

Signum OTTONIS invictiſſimi cæſaris.

Signum OTTONIS ſereniſſimi regis.

[c] Signum LOTHARII (c) regis.

Signum BRUNONIS Colonienſis archiepiſcopi.

Signum THIEDERICI Trevirenſis archiepiſcopi.

VODALRICI Remenſis archiepiſcopi.

EVERACRI Leodienſis.

BALDRICI Trajectenſis.

HIDEBOLDI Mimigadefurenſis.

LANTWARDI Mindenſis.

DROGONIS Oſneburgenſis.

THIEDERICI Metenſis.

WICFRIDI Virdunenſis.

GERARDI Tullenſis.

INGRANNI Cameracenſis.

INGRANNI Abbatis.

ALBERTI Abbatis.

JOHANNIS præpoſiti.

Giſleberti, Natrani, Buduonis, Rutthardi, Rucberti.

Signum HERIMANNI ducis.

FREDERICI ducis.

Godefridi, Werinheri, Rincheri, Arnoldi, Ausfredi, Rudtberti, Sinmonis, Everhardi, Waltegeri, Volquini, Franconis, Arnoldi, Hellimanni, Helrinmanni, Gerenbardi, Voinviri, Grutſonis, Waltelmi, Ermonranni, Lietberti, Hellini, Heribrandi, Linnonii.

Ego BRUNO gratia Dei archiepiſcopus & primiſcrinius recognovi.

Data XV. nonas Junii anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXV. indictione octava, anno imperatoris Auguſti XXX. Item anno OTTONIS regni V.

Actum Coloniæ palatio feliciter.

(a) *Adde* & beati confeſſoris Martini : quæ verba ſcriptoris oſcitantia videntur omiſſa.

(b) *f.* unà.

(c) Regis Francorum. Quippe hoc anno Otto imperator Italia rediens, *navigio Coloniam attingens, matrem ſuam dominam* Mathildam, *& ſororem ſuam* Gerbirgam *reginam, filiumque ejus regem* Lotharium *ſibi obvios condigno ibi amore & honore tractavit*, ut habet chronicon Saxonicum.

(d) Quo anno celebratum fuerit hoc concilium non profert S. Victoris chartarium, unde illud eruimus; ſed ex chronicis notis epiſcoporum qui ei interfuerunt, annum conjicere poſſumus. Certe Raimbaldus Arelatenſis archiepiſcopus anno 1031. conſecratus eſt, Odombellus vero epiſcopus Lodovenſis anno 1032. extinctus dicitur. Igitur alterutro anno coactum & celebratum eſt.

(e) Canigonenſe S. Martini monaſterium anno 1001. a Guiſtredo comite Ceritaniæ fundatum in diœceſi Helenenſi, hactenus perſtat, ſed valde exiguum.

CONCILIUM NARBONENSE SUB WIFREDO ARCHIEPISCOPO confirmat privilegia Canigonenſis monaſterii.

Ex archivis S. Victoris Maſſilienſis eruit Furnerius.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, GUIFRIDUS primæ ſedis Narbonenſis archiepiſcopus, & univerſa conveniens apud præfatam urbem (d) ſynodus SDUANO venerabili abbati atque ſuis in perpetuum ſucceſſoribus cunctis, & omnibus matris eccleſiæ filiis univerſis. Quoniam iccirco Dominus gratiæ ſuæ nos rectores conſtituit eccleſiæ, ut prælatio majorum infirmitati ſubveniat ſubditorum; æquum nobis eſt ea quæ ſuæ partis fuerint adjuvare, & ne cuilibet adverſitati ſuccumbant, totis viribus ejus auxilio ſuſtentari..... ei maxime credimus nobis divinum adeſſe præſidium, ſi rebus ad ipſum pertinentibus intulerimus pro poſſe ſubſidium. Ideoque nos omnes in unum ſecundum venerabilis papæ SERGII privilegium & noſtrorum conſtitutionem prædeceſſorum confirmamus beatiſſimi confeſſoris Chriſti Martini cœnobium in (e) Canigoni montis altitudinibus a cultoribus divinæ religionis conſtructum & conſecratum ad ſerviendum Deo ſecundum legem patris beatiſſimi BENEDICTI digne diſpoſitum, ut quodcumque uſque hodie juſte & legaliter adquiſivit, vel in perpetuum adquiſierit in pace, teneat & poſſideat, nec alicujus inquietudinis damna ex qualibet perſona ſu-

circa 1031. [d]

[e]

ſtineat.

ſtineat. Hoc ante omnia ſub divini judicii obteſtatione & noſtri ordinis interdictione ſtatuentes, ut nulla quælibet cujuſcumque ordinis magna parvaque perſona prædicta..... cuilibet loco audeat ſubrogare. Semper autem ſit liberum, nullæque ſervituti alterius loci obnoxium, ſed ſicut cetera monaſteria regiis præceptis & apoſtolicis privilegiis exaltata per ſe maneat ſublimatum. Deferat vero debitum honorem ſuo pontifici, & propriæ ſedi, ſicut tantum deferre præcipiunt canones ſancti. Si quis autem hæc noſtri concilii ſtatuta parvipendere auſus fuerit, hunc de poteſtate Dei omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus ſancti, & omnium cœleſtium virtutum, ſanctorumque omnium, eccleſiaſtici ordinis, & noſtra, niſi reſipuerit, excommunicationis ab univerſorum fidelium cœtu extorrem.....noſtræque conſtitutionis præceptum propriis manibus confirmamus.

GUIFREDUS ſanctæ primæ Narbonenſis eccleſiæ epiſcopus SS.

† RAIMBALDUS archiepiſcopus Arelatenſis.

† PETRUS Iherundenſis epiſcopus.

† BERINGARIUS epiſcopus.....

. . . . . epiſcopus Auſonenſis.

† ERMENGAUDUS, ac ſi indignus epiſcopus Regienſis.

† AMALIUS epiſcopus Albienſis.

† GUIRFEDUS epiſcopus Carchaſſenſis.

† BERINGARIUS epiſcopus Conſeranenſis.

† STEPHANUS epiſcopus Biterrenſis.

† ODOMBELLUS epiſcopus Lutevenſis.

† STEPHANUS epiſcopus Agatenſis.

Item, alio in tempore collecti in præfata urbe eodem modo quamplures epiſcopi his qui necdum ſubſcripſerant libenter annuerunt, ac propriis manibus proprio nomine ſubſcripſerunt. † FROTERIUS epiſcopus Nemauſienſis.

† STEPHANUS epiſcopus Attenſis.

† GUADALDUS epiſcopus Barchinonenſis.

† UGO epiſcopus Uzetenſis.

† PETRUS epiſcopus Cabilonenſis.

† BERNARDUS epiſcopus Comonenſis.

† ARNALLUS Magalonenſis epiſcopus.

† ARNALLUS Toloſanus epiſcopus.

† HERIBALDUS gratia Dei epiſcopus Urgellenſis.

† WILLELMUS Auſonenſis gratia Dei epiſcopus.

† WILLELMUS epiſcopus Urgellenſis.

† RAIMUNDUS gratia Dei epiſcopus Elnenſis.

† BERINGARIUS epiſcopus Iherundenſis.

CONCILIUM SILVANECTENSE anno MXLVIII. celebratum.

Reſtituit & confirmat monaſterio S. Medardi caſtellum de Vico.

Ex autographo Sueſſionenſis monaſterii S. Medardi.

ANno Incarnati Verbi milleſimo quadrageſimo octavo, agente in ſceptris regni Francorum rege HENRICO ſub anno octavo decimo, poſt multas tyrannicæ dominationis preſſuras & pericula, quas per ſeptennium venerabilis locus abbatiæ ſanctorum Medardi, & Sebaſtiani atque Gregorii papæ perpeſſus fuerat, divina præveniente gratia, ejuſdem regis induſtria, ipſam abbatiam de poteſtate STEPHANI comitis in ſua mundeburde recepit propria. Ea tempeſtate privatur præfatus ſanctorum locus caſtello dicto nomine Vico, cum beneficiis ad ipſum caſtrum pertinentibus; quod malum & venerabilis loci detrimentum præfati STEPHANI comitis incuriæ & nugacitati ſignatur adſcriptum. Denique domnus rex pro remedio animæ ſuæ, & pro anima genitoris ſui videlicet B. memoriæ ROBERTI regis, compatiens utilitatibus loci, & conſiderans quod idem ipſe locus jam ſatis pœnas luerit, ob reverentiam & meritum B. Gregorii papæ, cui antiquis temporibus ſupradictum caſtrum cum omnibus appenditiis ſuis donatum fuerat, per liberalitatem BERTÆ ſororis CHLODOVICI imperatoris, regia poteſtate clementer monaſterio reſtituit per petitionem WILLELMI Normannorum principis, & induſtria RAINALDI abbatis ipſius monaſterii, epiſcopali auctoritate firmavit, ut nemo abbatum per ſucceſſiones quemquam de ſua linea vel progenie ſupradicto caſtro præficiat, nec ſubtrahere vel minuere, vel immutare audeat, vel alicui quiddam in beneficium tribuere præſumat. Qui vero aliter facere præſumſerit, & hujus præcepti noſtri confirmationem violaverit, a Deo cujus extiterit contemtor, pœnis æternalibus cum Juda traditore Domini ſe damnandum cognoſcat. Hoc autem noſtrum decretum ut verum eſſe credatur, & a præſentibus ſervetur & futuris, ſubſcriptionibus epiſcoporum cum maledictionis anathemate roborare ſtuduimus, & ſigillo noſtro ſigillare decrevimus. Actum civitate Silvanectenſium in ſacro palatio glorioſi regis HENRICI, ſub die ſancto Pentecoſten, indictione ſecunda.

Anno 1048.

S. HENRICI regis.

S. WIDONIS Remorum archiepiſcopi.

S. GELDUINI Senonum archiepiſcopi.

S. GEROLDI Sueſſorum epiſcopi.

S. DROGONIS Belvagorum epiſcopi.

S. GIBUINI Laudunenſis epiſcopi.

S. FROTLANDI Silvanectenſis epiſcopi.
S. BALUDUINI Noviomenſis epiſcopi.
S. MAINARDI.
S. HEZELINI Pariſiorum epiſcopi.
S. ROTGERI Catalaunenſium epiſcopi.
S. FULCONIS Ambianenſium epiſcopi.
S. WALTERI Meldenſium epiſcopi.
S. BALDUINI Flandrenſium comitis, S. TETBALDI comitis, S. WALTERI comitis, S. WILLELMI comitis, S. RODULFI comitis, S. ODDONIS comitis, S. IVONIS comitis, S. INGRANNI comitis, S. WALTERI DE BRIENNA comitis, S. HILDUINI comitis, S. MANASSE comitis, S. GELDUINI comitis, S. HUGONIS BARDULPHI, S. RODULFI camerarii, S. EVERARDI, S. WALTERI, S. BERNARDI, S. NIVELONIS.

CONCILII ROMANI

Sub Nicolao papa II. anno MLIX. celebrati ſubſcriptiones.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Anno 1059. *ANno* MLIX. *Nicolaus papa II. congregatis in baſilica Lateranenſi centum & tredecim, vel, ut aliis placet, centum viginti tribus epiſcopis, ſolemne celebravit concilium, in quo Berengarius hæreſi ſua tertium abjurata, fidem catholicam tertio profeſſus eſt, de Romani pontificis electione conſtitutio fuit edita, variaque decreta adverſus ſimoniacos & alios prodierunt. Hujus concilii canones, cum decreto contra ſimoniacos & conſtitutione de electione ſummi pontificis, extant in Labbeana collectione conciliorum tomo IX. pag.* 1099. *ſed ſine epiſcoporum ſubſcriptionibus. Verum in appendice ejuſdem tomi eaſdem ſubſcriptiones poſtea ex mſ. Vaticano a R. P. Petro Poſſino depromtas, edidit Gabriel Coſſartius ejuſdem ſocietatis vir eruditus. Nobis autem Floreſienſis monaſterii vetuſtiſſimos codices evolventibus, occurrit ejuſdem Nicolai conſtitutio de electione ſummi pontificis, præſulum qui concilio intererant, chirographis ornata, quam cum editione Labbeana conferentes, invenimus plurimas epiſcoporum ſubſcriptiones in codice Romano deſiderari, eorum nomina & ſedes aliter plerumque enuntiari: quapropter utriuſque codicis hic ſubſcriptiones proferre operæpretium duximus, aſteriſcum duplicem apponentes epiſcopis qui in altero deſiderantur, ſimplicem ubi nomen aut ſedes eorum aliter enuntiantur. In Floreſienſi autem codice hic præmittitur titulus.*

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.

Anno ab Incarnatione ejus MLIX. menſe aprili, indictione XII. propoſitis ſacroſanctis evangeliis, præſidente quoque reverentiſſimo ac beatiſſimo NICOLAO apoſtolico papa in baſilica Lateranenſis patriarchii, quæ agnominatur Conſtantiniana, conſidentibus etiam reverentiſſimis archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, ſeu venerabilibus preſbyteris atque diaconibus, idem venerabilis pontifex auctoritate apoſtolica decernens de electione ſummi pontificis, inquit: Noverit beatitudo veſtra, &c. *ut in editis tom. 9. conciliorum Labbæi.*

SUBSCRIPTIONES CODICIS FLOREFIENSIS.

Ego NICOLAUS epiſcopus ſanctæ, catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, huic decreto a nobis, ſicut ſuperius legitur, promulgato ſubſcripſi.

BONIFACIUS Dei gratia Albanenſis epiſcopus ſubſcripſi.

HUBERTUS Silvæ-candidæ epiſcopus ſubſcripſi.

PETRUS Hoſtienſis epiſcopus ſubſcripſi.

JOHANNES Portuenſis epiſcopus ſubſcripſi.

JOHANNES cardinalis tituli S. Marci.

LEO cardinalis tituli S. Damaſi.

* UVIUS tituli ſanctæ Mariæ trans Tiberim.

DESIDERIUS cardinalis tituli S. Ceciliæ. Hi omnes ſubſcripſerunt.

* MANCIUS archidiaconus.

CRESCENTIUS diaconus.

* AMANTIUS diaconus. Omnes S. Romanæ eccleſiæ ſubſcripſerunt.

* HILDEBRANDUS monachus diaconus & cæteri Romanæ eccleſiæ ſubſcripſerunt.

** GUIDO archiepiſcopus.

* DOMINICUS Gradenſis patriarcha.

* HUGO Chryſopolitanus archiepiſcopus.

* HILLEBRANDUS Capuanus archiepiſcopus.

* VOLDELRICUS Beneventanus archiepiſcopus.

* ALFANUS Salernitanus archiepiſcopus. Hi omnes ſubſcripſerunt.

JOHANNES Sabinenſis epiſcopus.

JOHANNES Tiburtinenſis epiſcopus.

ROLANDUS Sutrinenſis epiſcopus.
* ALARDUS epiſcopus & abbas S. Pauli Romæ.
LEO Gajetanæ epiſcopus.
** JOHANNES epiſcopus Terracinenſis.
PANDOLFUS Marſienſis epiſcopus.
* ATTO epiſcopus Teatenſis.
* DOMINICUS epiſcopus Balbenſis.
* JOHANNES epiſcopus Permenſis.
PALUMBO epiſcopus Suranenſis.
* PETRUS epiſcopus Caſtellanus.
* LODIUCUS epiſcopus Nucerinus.
* HERIMANNUS epiſcopus Caſtalenenſis.
HENRICUS epiſcopus Spolitinus.
* MEINARDUS epiſcopus Urbinenſis.
* GODEFRIDUS epiſcopus Peroſinus.
** HAGENO epiſcopus Eduenſis.
** GODEFRIDUS epiſcopus Attelanenſis.
* UDULRICUS epiſcopus Firmanenſis.
BERARDUS epiſcopus Eſculanus.
HUGO epiſcopus Camerinenſis.
* WILLELMUS epiſcopus Numanus.
* ERASMUS epiſcopus Feſulanus.
* JOHANNES Suanæ.
* ROFREDUS epiſcopus Ateſtenſis.
* MARIUS epiſcopus Fundenſis.
** ALBERTUS epiſcopus Narianenſis.
** BERNARDUS epiſcopus Agathenſis.
** TEUZO epiſcopus Urbibetanus.
** JOHANNES epiſcopus Cluſinus.
** JOHANNES epiſcopus Senenſis.
* GUIDO epiſcopus Wlturnenſis.
* PETRUS epiſcopus Wlturnenſis.
BENEDICTUS epiſcopus Sueſſanus.
AZO epiſcopus Fullienenſis.
* PETRUS epiſcopus Penſaurenſis.
ANDULFUS epiſcopus Fertranus.
* PETRUS epiſcopus Aprutianus.
GERARDUS epiſcopus Roſellanus.
* ANSELMUS epiſcopus Lucienſis.
RODULFUS epiſcopus Egubinus.
* THEOTIUS epiſcopus Senogalenſis.
* ARDUINUS epiſcopus Tudertinus.
* ARDUINUS epiſcopus Fanenſis.
** ARNULFUS epiſcopus Cuſentinus.
** STEPHANUS epiſcopus Trojanenſis.
** BENEDICTUS epiſcopus Simphronienſis.
HUGO epiſcopus Gallenſis.
* GERARDUS epiſcopus Teatinus.
** GISLEBERTUS epiſcopus Tuſcanenſis.
** ACHINUS Aſiſinus epiſcopus.
* INGO epiſcopus Balneoregis.
* TEGRUNO epiſcopus Populonienſis.
UBERTUS epiſcopus Januenſis.
* DEODATUS epiſcopus Corbinenſis.
* JOHANNES epiſcopus Trebenſis.
* JOHANNES epiſcopus Alattrinenſis.
* PLACITUS epiſcopus Berolanenſis.
ERASMUS epiſcopus Signienſis.
* ARECHIS epiſcopus Aliphonæ.
** GUNIBERTUS epiſcopus Paulinonenſis.
** OPIZO epiſcopus Bolienſis.
** BENZO epiſcopus Albenſis.
* OTTO epiſcopus Novarienſis.
* HENRICUS epiſcopus Ypoligienſis.
* GUILLELMUS Pampuliæ epiſcopus.
* GREGORIUS Vercellenſis. Omnes confirmaverunt.

Summa epiſcoporum qui interfuerunt ſanctiſſimæ ſynodo, fuit CXXIII.

SUBSCRIPTIONES CODICIS VATICANI.

NICOLAUS epiſcopus ſanctæ, catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, huic decreto a nobis ſic ſuperius legitime promulgato ſubſcripſi.

BONIFACIUS Dei gratia Albanenſis epiſcopus.

UBERTUS epiſcopus Sylvæ-candidæ eccleſiæ.

PETRUS Oſtienſis epiſcopus.
** PETRUS Laricanus epiſcopus.

Hujuſmodi Romani epiſcopi ſubſcripſerunt cum JOHANNE Portuenſi epiſcopo.

JOHANNES cardinalis tituli S. Marci.
LEO cardinalis tituli S. Damaſi.
* ..... cardinalis tituli ſanctæ Mariæ trans Tiberim.

DESIDERIUS cardinalis tituli S. Ceciliæ.

Hujuſmodi ſubſcripſerunt.

* MANCINUS diaconus.
CRESCENTIUS diaconus.
* AMARIGUS diaconus.

Hujuſmodi diaconi S. R. E. ſubſcripſerunt.

* HILDEBRANDUS monachus & ſubdiaconus & ceteri Romanæ eccleſiæ ſubſcripſerunt.

* V. archiepiſcopus Bomegradenſis patriarcha.
* UGO Gryſopolitanus archiepiſcopus.
* HILDEPRANDUS Capuanus archiepiſcopus.
* ULDERICUS Beneventanus archiepiſcopus.
* ULPHANUS Salernitanus archiepiſcopus.

Hujuſmodi ſubſcripſerunt.

JOHANNES epiſcopus Savinenſis.
JOHANNES epiſcopus Tiburtinus.
ROLANDUS epiſcopus Sutrinenſis.
* EILARDUS epiſcopus & abbas S. Pauli.
LEO epiſcopus Cajetanus.
* J. epiſcopus Firmanenſis.
PANDULFUS epiſcopus Marſienſis.
* ATTO epiſcopus Reatenſis.
* DOMINICUS epiſcopus Vabenſis.
PALUMBUS epiſcopus Suranenſis.
* P. epiſcopus Caſtellanenſis.
* JOHANNES epiſcopus Pavenſis.
* LODOICUS epiſcopus Amiterninus.
* HERMANNUS epiſcopus Caſtellanus.
HENRICUS epiſcopus Spoletinus.
* MAGINANDUS epiſcopus Arbinenſis.
* GOTTIFREDUS epiſcopus Avellanenſis.
* ULDERICUS epiſcopus Firmenſis.
BERARDUS epiſcopus Eſculanus.

Hugo episcopus Camerinensis.
* Hugo episcopus Numantinus.
* Transmundus episcopus Fesulanus.
* J. episcopus Suanæ.
* Nofredus episcopus Senensis.
* Vido ep. . . . .
* P. episcopus Wlturnensis.
Benedictus episcopus Suesanus.
Azo episcopus Fulinensis.
* P. episcopus Apicrensis.
Girardus episcopus Roselanus.
* Anselmus episcopus Lunensis.
** P. episcopus Pensarienſis.
Adulfinus N. episcopus.....
Rodulfus episcopus Eugubinus.
* Visodonus episcopus Senogalienſis.
* Martinus episcopus Fundensis.
* Martinus episcopus Tudertinus.
* Arduinus episcopus Tianensis.
** B. episcopus Sipontinus.
Hugo episcopus Gallienſis.
* Gerardus episcopus Reatinus.
* Isidorus episcopus Balneoregensis.
* Regino episcopus Populonienſis.
* Erasmus episcopus Signensis, archiepiscopus Aliphanæ.
** Cumbertus episcopus Maurinensis.
* Alto episcopus Novarienſis.
* Henricus episcopus Iporegensis.
* W. episcopus Populoniæ.
Ubertus episcopus Januensis.
* Duatus episcopus Corbinensis.
* J. episcopus Trebensis.
* J. episcopus Alathenensis.
* Placidus episcopus Iterolanensis.
Hujusmodi omnes subscripserunt.

DIPLOMA PHILIPPI I.

Francorum regis, anno MLXXI. in concilio Senonensi editum, ad confirmandam donationem ecclesiæ S. Andreæ, factam ab Hugone episcopo Trecensi ascetis Cellensibus.

Ex chartario Cellensi cruit D. Brayer canonicus Trecensis.

Anno 1071. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Philippus gratia Dei Francorum rex. Cum in exhibitione temporalium rerum quas humana religio divino cultui famulando locis sanctorum & congregationibus fidelium devotione animi largitur, tam præsentis quam perpetuæ vitæ, ut jam pridem multis expertum est judiciis, solatium acquiratur; saluberrimus valde & omnibus imitabilis hic fructus primitivæ virtutis, videlicet caritatis, per quem & mundi prosperatur tranquillitas, & felici remuneratione æterna succedit felicitas. Noverit ergo & præsens status & posteritas sanctæ matris ecclesiæ filiorum, nostrorum quoque primatum, & omnium sub nostro regimi- A degentium, quod quidam abbas Bernardus nomine, nostræ serenitatis adierit præsentiam, rogans & obnixe postulans, donum quod Hugo Tricassinæ ecclesiæ pontifex pro salute animæ suæ monasterio B. Petri Cellensis cognominato, cui ipse prædictus abbas tunc temporis præerat, æternaliter tribuerat, scilicet ecclesiam S. Andreæ apostoli, non longe ab eodem monasterio, cui conlata est, sitam, laudassem & concessissem: cujus petitionibus consilio Richerii Senonensis ecclesiæ metropolitani, ceterorumque præsulum, atque fidelium nostrorum, quorum nomina subscripta esse videntur, benigne annuimus, & hoc privilegium sigilli nostri impressione adsignari præcipimus. Actum publice in Senonico palatio, anno Incarnati Verbi MLXXI. VII. calendas Maii, indictione IX. regnante Philippo rege anno XII.

Sigillum Philippi regis.
S. Richerii archiepiscopi.
S. Hugonis Trecensis episcopi.
S. Gualterii Meldensis episcopi.
S. Gauffredi Parisiensis episcopi.
S. Arraldi Carnotensis episcopi.
S. Rainerii Aurelianensis episcopi.
S. Gauffridi Autissiodorensis episcopi.
S. Hugonis Lingonensis episcopi.
Ego Petrus cancellarius scripsi & subscripsi.

CONCILIUM ROMANUM anno IX. Gregorii papæ VII. celebratum.

Ex mſ. codice bibliothecæ regiæ.

PEr capitulum hoc, IV. nonas maii anno IX. Gregorii septimi papæ, convenientibus simul episcopis, cardinalibus, abbatibus, archipresbyteris, ut dicerent utrum bona ecclesiarum possint poni in pignore pro pecunia colligenda ad resistendum Wiberto archiepiscopo Ravennati Romanam sedem invadere conanti: quæsitis auctoritatibus exemplisque sanctorum, unanimiter laudaverunt sacras res ecclesiarum nullatenus in militia sæculari expendendas, nisi in alimenta pauperum, in sancto usu rerum divinarum, & redemtione captivorum. Ita quippe sub procuratione Joseph fuerant immunia a tributo prædia sacerdotum, nec exponebatur aut mittebatur in corbanam pretium sanguinis. Nec Eliodorus raptor sacrarum rerum sub Onia pontifice fuit impunitus. Quibus actis interfuerunt Johannes episcopus Portunensis, Johannes episcopus Tusculanensis, Umbertus episcopus Prænestinus, Brunus episcopus Signinus, Beno cardinalis S. Martini, Petrus cardinalis Chysogonius, Benedictus cardinalis S. Pudentianæ, Cono cardinalis S. Anastasiæ, Ato cardinalis S. Marci, Romanus cardinalis S. Susannæ, Bonus senior cardinalis S. Mariæ, Maurus Anno 1081.

MAURUS abbas S. Sabbæ, PARENTIUS cantor, PETRUS archipresbyter de Porta latina, JOHANNES archipresbyter de S. Sebastiano, JOHANNES archipresbyter de S. Cecilia, ...US... archipresbyter Salvatoris, & alii plures.

OBSERVATIONES in concilium Romanum anno MXCIX. celebratum.

Anno 1099. I. *Celebratum fuisse anno* 1099. *Romæ concilium ab Urbano* II. *tradunt antiqui scriptores Bertoldus, chronicon Malleacense, & Rogerius de Hoveden. De die autem non consentiunt. Nam chronicon Malleacense* VII. *calendas Maii adsignat. Ejusdem concilii exemplum eruditi viri Jacobi Sirmondi manu descriptum* VI. *calendas Maii habet, Bertoldus vero pridie calendas Maii habitum fuisse asserit, in codice vero ecclesiæ Attrebatensis notatur Dominica* II. *post albas qua cantatur* Misericordia Domini, *quæ illo anno incidebat in primam diem Maii. Sed conciliari forte poterunt omnes illæ opiniones, si dixerimus concilium illud per plures perdurasse dies.*

II. *Concilium illud* magnum *vocat Rogerius Hovedensis, cui interfuisse episcopos centum & quadraginta, abbates vero & clericos innumeros tradit Bertoldus, at nullum nominatim refert. Verùm ex codice Attrebatensi discimus omnes Remensis provinciæ episcopos, atque in his Lambertum Attrebatensem illi adfuisse.*

III. *Hujus synodi canones* XVII. *edidit Labbæus conc. tom.* X. *omnes fere adversus simoniacos & ordinatos a Guiberto antipapa aliosque hæresiarchas & schismaticos. Celebratam etiam fuisse adversus errores Græcorum constat ex codice Attrebatensi, cui præmittitur sequens epigraphe ab erudito viro domino Blondin canonico illius ecclesiæ, & doctore Sorbonico excerpta, nobisque humaniter transmissa.*

Anno igitur Domini Christi MXCIX. domnus URBANUS papa II. qui jam prius apud Clarum-montem generale celebraverat concilium, rursum Romæ in ecclesia beati Petri apostoli, pro errore & hæresibus Græcorum diversarum regionum & provinciarum primates, archiepiscopos & episcopos ad celebrandum concilium studuit convocare in secunda Dominica post *albas* qua *Misericordia Domini* cantatur. Huic quoque concilio cum ceteris Remensis provinciæ episcopis interfuit *Lambertus* Attrebatensis episcopus.

EPISTOLA HUGONIS archiepiscopi Lugdunensis, & apostolicæ sedis legati, Daimbertum archiepiscopum Senonensem ad concilium Trecense citantis, responsurum super querimoniis abbatis S. Petri Vivi.

Ex ms. S. Victoris Parisiensis.

HU. Lugdunensis ecclesiæ servus, apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri & coepiscopo D. Senonensi metropolitano, salutem & servire Domino in timore. Anno 1105.

Pro quorumdam adversus vos querimoniis abbatum vestrorum, sæpius nos vobis scripsisse meminimus; sed quod in nullo apud vos profecerimus, nec vestræ dignationis responsa aliqua habuerimus, non minima admiratione stupemus. Sane si vos Romanæ ecclesiæ legatus essetis, sicut nostrum salubriter esset vobis obedire; ita vestra magnificentia ex auctoritate nostræ supra vos legationis parvitati nostræ deberet obedire. Ecce itidem venerabilis nostri fratris abbatis S. Petri Vivi querimonias vobis recensemus. Queritur enim sub occasione cujusdam debilis presbyteri & justitiam reclamantis, quamdam suam a divino per vos cessare ecclesiam. Cuidam etiam presbytero defuncto, nulla culpa, dum adhuc viveret, notato, bene & sapienter testato, sepulturam negatam; ipsis quoque qui eumdem pie & officiose sepelierint communionem ecclesiæ interdictam. Mandamus igitur, & sicut fratrem attentius commonemus, ut, intermissa interim, si qua est, justitia, abbati & ecclesiis suis pacem conservetis, taliter excommunicatos salubrius absolvatis, & in concilio quod secunda post octavas Pentecostes feria adjuvante Domino Trecis (a) celebraturi sumus, de vestris pariter ac [a] ejusdem abbatis querimoniis justitiam & accipiatis & exhibeatis. Verendum profecto vobis est, si aliter egeritis, ne & sacris obvietis canonibus, & domni papæ indignationem aliquatenus incurratis, a cujus liberalitate libertatis privilegium idem abbas nuperrime acceperat, & hac quoque vice nostra videamini contemsisse mandata.

(a) Quo anno concilium hoc celebraturus esset Hugo legatus non aperit. Tres autem habemus apud Labbeum Trecenses Synodos an. 1104. 1107. & 1128. habitas. Sed illarum nulli hæc convenit; non primæ, cui præfuit non Hugo, sed Richardus legatus; non duæ posteriores, quæ defuncto Hugone nostro celebratæ sunt. Quartum itaque concilium Trecense hic admitteré necesse est, quod anno 1105. aut sequenti celebratum censemus, post obtentum scilicet ab abbate sancti Petri Vivi libertatis privilegium anno 1104. Eo quippe anno teste Gaufrido a Colone in chronico, *Arnaldus abbas Romam petiit, & impetravit a domno Paschali II. privilegium apostolicum huic ecclesiæ.*

CONCILII TRECENSIS anno MCVII. a Paſchali papa II. celebrati decreta.

Ex mſ. S. Germani a Pratis.

Anno 1107. I. QUI ab hac hora inveſtituram epiſcopalem, ſeu aliquam ſpiritalem dignitatem a laïcali manu ſuſceperit, ſi ordinatus fuerit, deponatur, ſimul & ordinator ejus.

II. Decani, quos nos vocamus archipreſbyteros, niſi adepto preſbyteratus ordine, non ſint: ſi autem fuerint, beneficio & dignitate priventur, quo uſque ordinem adipiſcantur, & tunc, ſi digni ſunt, reſtituantur.

III. Archidiaconi, niſi adepto diaconatus ordine non ſint; ſi autem non fuerint, ſecundum ſententiam de archipreſbyteris datam judicentur.

IV. De uxoratis ſacerdotibus, ſive concubinariis, niſi ceſſaverint, ut ab altari moveantur, ſimul & de choro ſegregentur, præcipiendo mandamus. Quod ſi nec tunc ceſſaverint, procul a liminibus eccleſiæ arceantur, nec ipſa laïcali communione fruantur. Idem quoque de diaconibus ſtatuimus.

CONCILII VIENNENSIS anno MCXII. celebrati ſubſcriptiones.

Ex mſ. eccleſiæ Attrebatenſis eruit vir cl. dominus Blondin doctor ſorbonicus, & ejuſdem eccleſiæ canonicus.

Anno 1112. EGO GUIDO Viennenſis archiepiſcopus, & S. R. E. legatus,

BENEDICTUS Ebredunenſis archiepiſcopus ſubſcripſit, & ſubſcripſerunt.

GALO Leonenſis epiſcopus.
GODEFRIDUS Ambianenſis epiſcopus.
AIMERICUS Arvernorum epiſcopus.
HUGO Gratianopolitanus epiſcopus.
GUALTERUS Magalonenſis epiſcopus.
[a] BERENGARIUS Frandienſis (*a*) epiſcopus.
AUGERIUS Regenſis epiſcopus.
LEODEGARIUS Vivarienſis epiſcopus.
PONTIUS Tricaſtrinus epiſcopus.
PETRUS Senecenſis epiſcopus.
BERENGARIUS Auraſicenſis epiſcopus.
[b] LEODEGARIUS Aptenſis (*b*) epiſcopus.
[c] GERALDUS Iſiſtaricenſis (*c*) epiſcopus.
MAINFRIDUS Antinopolitanus epiſcopus.
ATIMINUS Tolonenſis epiſcopus.
LEODEGARIUS Vapincenſis epiſcopus.
RAIMUNDUS Maſſilienſis epiſcopus.

Boso S. Romanæ eccleſiæ cardinalis diaconus ſubſcripſi.

(*a*) *l.* Forojulienſis, qui præfuit ab anno 1094. ad 1131.
(*b*) *l.* Aptenſis. Nam præerat tum eccleſiæ Aptenſi Leodegarius ſeu Laugerius.
(*c*) *l.* Siſtaricenſis.

ENGOLISMENSIS SYNODUS anni circiter MCXII.

Ex chartario Silvæ-majoris.

PRæcipimus ſcribi quod notitiæ omnium volumus commendare, videlicet quod ego B. (*d*) Vaſatenſis epiſcopus dedi eccleſiam ſancti Stephani de *Rus*, juſtè & canonicè, remota omni querimonia, abbati & fratribus ſanctæ MARIÆ de Silva-majore. Huic tam canonico dono Blavimentenſes monachi injuſtè conabantur obſiſtere, mendaciter aſtruentes, me ſibi ſupradictam eccleſiam contuliſſe. Verum ego mendacibus eorum verbis irritatus, indixi eis inducias, & diem reſpondendi in capite jejuniorum Vaſatis, ſi quid juſtitiæ viderentur habere. Iterum invitavi eos Engoliſmæ, ut de hoc, ſicut de ceteris negotiis, ibi tractaretur. Ipſi vero nec Vaſatim voluerunt venire, nec in concilio Engoliſmæ, cùm adeſſent, reſpondere: ſed me neſciente ante finem concilii diſceſſere. Ad ultimum, invitavi eos Vaſatis, ad ſynodum, ut ibi eſſent parati agere, ſeu reſpondere ſuper hoc negotio. Affuit quidem unus ex illis, juſſu aliorum: qui cum agere vel reſpondere nollet, me neſciente ſubterfugit. Nos vero, juſtitiæ zelo ſuccenſi, ex auctoritate beati Petri apoſtolorum principis, & noſtra, prohibemus ne ulterius præſumant inquietare fratres Silvæ-majoris ſuper hanc eccleſiam. Quod ſi fecerint, a liminibus ſanctæ matris eccleſiæ cum complicibus ſuis arceantur.

Circiter annum 1111. [d]

CONCILII LATERANENSIS anno MCXXII. ſub Calixto papa II. celebrati, quidam canones, qui paulo aliter quam in editis leguntur.

Ex mſ. illuſtriſſimi marchionis de Laubes.

I. NULLus etiam in præpoſitum, nullus in archipreſbyterum, nullus in decanum, niſi preſbyter vel diaconus, nullus in archidiaconum niſi diaconus ordinetur. Anno 1122.

II. Sanctorum patrum canonibus conſona ſentientes, oblationes de ſacratiſſimo & reverendiſſimo altari B. Petri, & Salvatoris, & S. Mariæ Rotundæ, & S. Nicolai Barenſis, S. Ægidii, aut de aliis omnium eccleſiarum altaribus ſive crucibus, a laïcis auferri penitus interdicimus, & ſub anathematis diſtrictione prohibemus.

III. Quidquid vero de pace & trevia Dei, de incendio, ſeu de publicis ſtratis ab anteceſſoribus noſtris Romanis pontificibus conſtitutum eſt, nos Sancti Spiritus auctorirate confirmamus.

IV. Sanctorum etiam patrum veſtigiis in

(*d*) Bertrandus de Baſlada.

hærentes, generali decreto ſancimus, ut monachi propriis epiſcopis cum omni humilitate ſubjecti exiſtant, & eis uti magiſtris & eccleſiæ Dei paſtoribus debitam obedientiam & devotam in omnibus ſubjectionem exhibeant, publicas miſſarum ſolemnitates nuſquam celebrent, a publicis etiam infirmorum viſitationibus, inunctionibus, ſeu etiam pœnitentiis, quod ad illorum nullatenus officium pertinet, ſeſe omnino abſtineant. In eccleſiis vero quibus miniſtrare noſcuntur, preſbyteros non niſi per manum ſui epiſcopi habeant, qui ei de ſuſcepta animarum cura reſpondeant.

CHARTA LUDOVICI VI.
Francorum regis, data Burdigalæ in epiſcoporum conventu.

Ex chartario Engoliſmenſi domini Chauvelin.

Anno 1137. IN nomine Sanctæ & Inviduæ Trinitatis. Amen.

Ludovicus Dei gratia Francorum rex, tibi dilecte in Domino Gaufride Burdegalenſis archiepiſcope, cum ſuffraganeis epiſcopis Remundo Aginnenſi, Lamberto Engoliſmenſi, Guillelmo Xanctonenſi, Guillelmo Pictavenſi, Guillelmo Petragoricenſi, nec non cum abbatibus Burdegalenſis provinciæ, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum.

Regiæ majeſtatis eſt eccleſiarum quieti pia ſollicitudine providere, & ex officio ſuſceptæ a Domino poteſtatis earum libertatem tueri, & ab hoſtium ſeu malignantium incurſibus defenſare. Sic nimirum regalis apicem dignitatis nos a Domino, a quo omnis poteſtas eſt, conſecutos eſſe conſtabit, ſi juxta evangelicam inſtitutionem, & apoſtolicæ doctrinæ traditionem, in ſanctæ Dei eccleſiæ miniſterium accincti, pro ejuſdem contuenda libertate, qua Chriſtus eam liberavit, & pacis quiete operam demus. Quapropter petitionibus veſtris, communicato prius epiſcoporum, abbatum & procerum noſtrorum conſilio, aſſentiente Ludovico filio meo, jam in regem ſublimato, duximus annuendum & in ſede Burdegalenſi & in prænominatis epiſcopalibus ſedibus abbatiis ejuſdem provinciæ, quæ defuncto illuſtri Aquitanorum duce & comite Pictavis Guillelmo, per filiam ipſius Alienordim jam dilecto filio noſtro Ludovico ſorte matrimonii cedit, in epiſcoporum & abbatum ſuorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, abſque hominii, juramenti, ſeu fidei per manum datæ obligatione. Porro decedentis archiepiſcopi & ſuffraganeorum ipſius epiſcoporum ſive abbatum decedentium res univerſas ſucceſſorum uſibus regia auctoritate ſervari volumus, & concedendo præcipimus illæſas; hoc adjicientes, ut omnes eccleſiæ infra denominatam provinciam conſtitutæ, prædia, poſſeſſiones & univerſa ad ipſas jure pertinentia, ſecundum privilegia & juſtitias & bonas conſuetudines ſuas habeant & poſſideant illibata. Quin immo eccleſiis ipſis univerſis & earum miniſtris cum poſſeſſionibus ſuis canonicam in omnibus concedimus libertatem, quod ut perpetuæ ſtabilitatis obtineat muniмentum, ſcripto commendari, & ſigilli noſtri auctoritate & nominis noſtri caractere corroborari præcipimus.

Actum Pariſius in palatio noſtro publice, anno incarnati Verbi MCXXXVII. regni noſtri XXIX. Ludovico filio noſtro in regem ſublimato anno ſexto, in præſentia Gauffridi venerabilis Carnotenſis epiſcopi & apoſtolicæ ſedis legati, Stephani Pariſienſis epiſcopi, Sugerii abbatis beati Dionyſii, Girardi abbatis Joſaphatenſis, Algerii a ſecretis noſtri, aſtantibus in palatio noſtro, quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. Signum Radulphi Viromandorum comitis & dapiferi noſtri, S. Guillelmi buticularii, S. Hugonis camerarii, S. Hugonis conſtabularii.

Data per manum Stephani cancellarii.

CHARTA (a) LUDOVICI VII. [a]
Francorum regis.

Ex chartario Engoliſmenſi domini Chauvelin.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

Ego Ludovicus junior magni Ludovici Anno 1137. filius, Dei gratia rex Franciæ & dux Aquitaniæ, tibi dilecte in Domino Gaufride Burdegalenſis archiepiſcope, cum ſuffraganeis epiſcopis Remundo Agennenſi, Lamberto Engoliſmenſi, Guillelmo Xanctonenſi, Guillelmo Pictavenſi, Guillelmo Petragoricenſi, nec-non cum abbatibus Burdegalenſis provinciæ veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum.

Regiæ majeſtatis eſt eccleſiarum quieti pia ſollicitudine providere, & ex officio ſuſceptæ a Domino poteſtatis, earum libertatem tueri, & ab hoſtium ſeu malignantium incurſibus deffenſare. Sic nimirum regalis apicem dignitatis nos a Domino, a quo omnis poteſtas, conſecutos eſſe conſtabit, ſi juxta evangelicam inſtitutionem & apoſtolicæ doctrinæ traditionem in ſanctæ Dei eccleſiæ miniſterium accincti, pro ejuſdem contuenda libertate, qua Chriſtus eam liberavit, & pacis quiete operam demus. Quapropter petitionibus veſtris, communicato prius epiſcoporum, abbatum & procerum noſtrorum conſilio, duximus annuendum, & in ſede Burdegalenſi, & in prænominatis epiſcopa-

(a) Hanc chartam edidit noſter Sammarthanus tomo 2. Gall. Chriſt. ſed truncam cum in ipſo initio tum in fine, eam integram damus.

libus ſedibus, abbatiis ejuſdem provinciæ, quæ defuncto illuſtri Aquitaniæ duce & comite Pictavis Guillelmo, per filiam ipſius Alienordim nobis ſorte matrimonii cedit, in epiſcoporum & abbatum ſuorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, abſque hominii, juramenti, ſeu fidei per manum datæ obligatione.

Porro decedentis archiepiſcopi & ſuffraganeorum ipſius epiſcoporum ſive abbatum decedentium res univerſas ſucceſſorum uſibus regia auctoritate ſervari volumus, & concedendo præcipimus illæſas. Hoc quoque adjicientes, ut omnes eccleſiæ infra denominatam provinciam conſtitutæ, prædia, poſſeſſiones, & univerſa ad ipſas jure pertinentia, ſecundum privilegia, & juſtitias, & bonas conſuetudines ſuas habeant & poſſideant illibata. Quin immo eccleſiis ipſis univerſis & earum miniſtris cum poſſeſſionibus ſuis canonicam in omnibus concedimus libertatem. Quod ut ſtabilitatis obtineat munimentum, ſcripto commendari, & ſigilli noſtri auctoritate, & nominis noſtri caractere corroborari præcipimus.

Actum Burdigalæ in palatio noſtro publice, anno incarnati Verbi MCXXXVII. regni noſtri ſexto, in præſentia Gauffridi venerabilis Carnotenſis epiſcopi, apoſtolicæ ſedis legati, Alverrici Bituricenſis archiepiſcopi, Gauffridi Burdegalenſis archiepiſcopi, Heliæ Aurelianenſis epiſcopi, Lamberti Engoliſmenſis & Guillelmi Xanctonenſis epiſcoporum, Sugerii abbatis S. Dionyſii, aſtantibus in palatio noſtro, quorum nomina intitulata ſunt & ſigna. Signum Radulphi Vitromanduorum comitis & dapiferi noſtri, S. Guillelmi buticularii, S. Hugonis camerarii, S. Hugonis conſtabularii.

Data per manum Algrini cancellarii.

CONCILIUM TREVIRENSE provinciale, juſſu Eugenii papæ III. celebratum, in quo, judicio epiſcoporum & abbatum, aliorumque eccleſiaſticorum virorum, Mathæus illuſtris dux Lotharingiæ, Romaricenſi eccleſiæ ad hanc diem infenſus, ad concordiam adducitur, juraque omnia prædictæ eccleſiæ confirmat, ablata reſtituit, &c.

Ex autographo.

Anno 1152. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Hellinus Dei gratia Trevirenſis archiepiſcopus, dilectæ filiæ Judith eadem gratia abbatiſſæ Romaricenſi & ſororibus ejus in poſterum. Querimonias tuas contra ducem Mathæum jam per tempora multa agitatas, & tandem ſecundum præceptum domini papæ coram epiſcopis & abbatibus & principibus terræ a nobis definitas, utile duximus tibi & eccleſiæ tuæ ſigillo noſtro, & auctoritate tam noſtra quam ſuffraganeorum noſtrorum diligenter munire. De diverſis igitur querimoniis aſſenſu communi ſtatuiſtis, quod capitulum veſtrum liberam electionem habebit, de præpoſitis & de cancellariis præficiendis, & dux electioni illi celerem præbebit aſſenſum, ſalvo jure ſuo. Si autem perſona quæcumque electa poſtmodum eccleſiæ inutilis fuerit, ipſa voce capituli, qua præſtituta fuit, deponetur. Quibuſdam vero præpoſitis beneficia & redditus ſuos unde vivere debent, quos ab eccleſia tenent, alicui in feodum dare non licebit, neque dux feodiſare eos coget, immo etiam dare & accipere in fide & veritate prohibebit. Quando autem præpoſitus Voſagi & cancellarii in poteſtatibus placitum tenere voluerint, laudante & aſſentiente advocato, diem placitandi præfigere debent. Summam autem quæſtus definient præpoſitus & cancellarii conſilio & aſſenſu advocati, conſilio tamen miniſtri eccleſiæ præcedente. Tallias autem, quas ipſe dux & advocati ſui injuſte ſuper homines eccleſiæ facere conſueverant, penitus quirpiverunt. Clerici & eccleſiales, & res eorum a duce & ab advocatis, & a venatoribus non inquietabuntur; ſed in nobili libertate, ut dignum eſt, in pace remanebunt. Servitium vero quod venatores ab eccleſialibus exigebant, ex toto dimiſſum eſt. Dominus autem dux vel miniſtri ſui non cogent homines eccleſiæ exire extra bannum ſuum ad placitandum, neque dux quempiam hominum eccleſiæ abſque abbatiſſa placitabit. De omni autem quæſtu ſuper homines ſumto, in omni negotio & in omni proventu, eccleſia medietatem recipiet. Advocati vero in poteſtatibus avenam non accipient, niſi paſtione cum fidelitate renunciata, & niſi eccleſia plenarie avenam ſuam ad cerviſiandum prius acceperit. Vaccas vero, quas nuper advocati injuſte in poteſtatibus accipere in natale Domini conſueverant, penitus a modo non accipient. Suppræpoſiti vero & ſubadvocati, qui a duce & ab advocatis injuſte ſubſtituebantur, a modo radicitus exſtirpantur. Super mundiculos vero miniſter eccleſiæ & advocatus placitum tenere debent, & eccleſia totum cenſum habebit, niſi in duabus poteſtatibus, videlicet Campi & Archarum, in quibus nonniſi dimidia pars cenſus eſt eccleſiæ, quæſtus vero ubique dimidius eſt eccleſiæ: idem vero de placito fabrorum, eccleſia videlicet medietatem quæſtus recipiet. Quando vero dux in quolibet caſtrorum ſuorum morabitur, de ſuo vivet: ſi vero per terram tranſiens, ad quamlibet eccleſiæ curiam pernoctaverit, villicus de communi quæſtu per curiam cum fidelitate ſumto, eum procurabit, & hoc ſemel in anno, & in mane recedet. Si vero advocati per curias aliquando pernoctaverint, de jure ſuo vivent. Qui

ſi

si forte in aliquo pacem istam infregerint, nisi ammoniti a duce infra sex septimanas ablata restituerint, dux terram eorum sasibit, eisque prohibebit, ne in eis aliquid accipiant, donec ecclesiæ satisfecerint. Insuper ex præcepto domini papæ sub vinculo anathematis nexi tenebuntur, donec resipuerint & ecclesiæ satisfecerint. Forum vero Archarum esse concedimus, ita ut absque omni dolo, & absque multa acquisitione, & absque omni genere exactionis teneatur. De tabernis relatione fidelium discussum est, quod in tertio anno in XXX. duabus potestatibus dux suum vinum vendet solo obolo carius; quod vinum rustici debent deducere & infra abbatiam accipere, & in loco nominato solo die expectare. Apud Girbespath medietatem veneraciarum & quæstus in placitis & avenam recuperavimus. Usuagium nemorum recognovit dux, & concessit hominibus ecclesiæ ubi antiquitus habere solebant ex ratione fidelium. Si vero postmodum dux terram vestram aliquibus minis, aliqua exactione, aliqua precatione, vel alicujus extorsionis genere oppresserit, vel aliquam supradictarum pactionum aut per se aut per advocatos suos infregerit, quotiescumque ecclesia reclamaverit, absque omni retractatione ipse cum suis & cum terra sua vinculo anathematis iterum nexus teneatur, nisi ammonitus vel reprehensus infra quadraginta dies pœnituerit & satisfecerit, ipso duce in hunc modum concedente.

Ego MATHÆUS Dei patientia Lotharingorum dux & marchio, ductus pœnitentia, spe retributionis æternæ, in his in quibus læseram Romaricensem ecclesiam, consilio religiosorum virorum, clericorum & laïcorum, cum Romaricensi ecclesia feci præscriptam compositionem, & posui in sacratam manum domni archiepiscopi, & chartam Treverensi & Tullensi ecclesiæ inde feci, quod hoc bona fide servabo; & si aliquando, quod absit, per me vel per meos fuerit contra hoc factum, nisi infra quadraginta dies, si ammonitus fuero, satisfaciam & ablata restituam, meo assensu Treverensis & Tullensis ecclesia in me & in terram meam sine judicio dent anathematis sententiam. Hujus compositionis testes sunt STEPHANUS Metensis episcopus. HENRICUS Tullensis episcopus. ALBERO Verdunensis episcopus. Donnus Godefridus præpositus ecclesiæ S. Petri. Arnulfus, Alexander, Bruno Treverenses archidiaconi. Henricus cantor, Baldricus magister scolaris. SIGERIUS abbas S. Maximini. BERTOLFUS abbas sancti Eucharii. RICHARDUS abbas de Sprinchirback. Philippus decanus Metensis. Roscelinus archidiaconus. Hugo magister scolaris. Richerius præpositus S. Salvatoris. Albertus primicerius Virdunensis. Willelmus decanus. Richardus archidiaconus. Andreas archidiaconus. ISEMBALDUS abbas Gordiensis. MANEGALDUS abbas S. Michaelis. Hugo Albus decanus & archidiaconus Tullensis. Henricus archidiaconus. Magister Haimo archidiaconus. Roricus archidiaconus. Cisternensis ordinis RANNULPHUS abbas de Clausto. RENARDUS abbas Morimondensis. MILO abbas de Crista. ODO abbas Belli-prati. RICHARDUS abbas de Vallibus. Romaricensis ecclesiæ testes sunt Theobaldus præpositus. Cono cancellarius. Petrus cancellarius. Magister Widricus Salsuriensis. Theodericus de Domno-martini. Magister Hagano. Nobiles & milites: HENRICUS dux de *Lenburc*. HENRICUS comes de *Namur*. HENRICUS comes de *Salm*. FRIDERICUS comes de *Viann*. GOSVINUS comes de *Facermont*. FOLMARUS comes de *Cast*. ALBERTUS comes Chiniacensis. CONRARDUS comes Salvagii. ULRICUS comes de Aira. De familia S. Petri, Engelbertus & Fridericus frater ejus; Isembardus & Guillelmus frater ejus; Hermannus & Galterus frater ejus de Palatio; Theodericus de *Romont*, Ulricus de *Sampinn*. Hi duo cum duce erant. Magister Bovo Tullensis archidiaconus. RORICUS abbas Calmosiacensis, DURANNUS abbas Belli-campi. Actum autem est hoc anno ab incarnatione Domini MCLII. epacta XII. indictione XV. concurrente secundo. Data Treveris per manum HELLINI Treverensis archiepiscopi XVII. cal. septembris.

CONCILIUM REMENSE

anno MCLVII. sub Samsone archiepiscopo celebratum.

Ex mss. ecclesiæ Attrebatensis eruit eruditus vir dominus Blondin.

I. De Piphilis. (a) [a]

QUoniam impurissima Manichæorum secta tergiversatione lubrica sub specie religionis apud imperitissimos se occultans, simplicium animas perditum ire molitur, & per abjectissimos textores, qui sæpe de loco fugiunt ad locum, nominaque commutarunt, captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis: Nos gregi dominico, cujus curam suscepimus, ne per illos in præcipitium eat, consulentes, statuimus ut quoniam inter sacrilega nefandaque, quibus non inquinare solum, verum etiam inficere ecclesiam conantur, conjugium quod a Domino institutum sanctumque est, ut quasi puriores mundioresque valeant apparere, impudenter damnant, & tamen in suggillatione mendaciſſimæ simulationis feminarum Anno 1157.

(a) Piphili sive pisti, Gallice *pisres*, dicti sunt Hæretici Albigenses per contumeliam. *Hos hostra Germania Catharos*, inquit Eckbertus Schonaugiensis a Cangio laudatus, *Flandria* Piphles, *Galli* Texerans, *ab usu texendi appellat. . . . . quia veram fidem Christi, verum cultum Christi, non alibi esse dicunt, nisi in conventiculis suis, qua habent in cellariis & textrinis*, &c.

* f. etiam. * n. consanguineorum contubernia affectant & frequentant, ut nisi commoniti a cohabitatione sua illas removerint, ab episcopo excommunicentur. Quod si nec ita destiterint, bona eorum publicentur. Majores vero quibus alii seducuntur, si confessi fuerint vel convicti, carcere perpetuo, nisi gravius aliquid mihi eis fieri debere visum fuerit, recludentur. Sequaces vero itidem confessi vel convicti, his exceptis qui ab eis seducti correptique facile resipiscant, ferro calido frontem & facies signati pellantur. Quique eos postmodum ubicumque locorum repererit, libere capiat. Sic enim & eis non deerit pœnitentiæ locus, & ab eorum imitatione execrabili ceteri revocabuntur. Si quis vero de hac impurissima secta infamis fuerit, & quasi innocens purgare se voluerit, igniti ferri judicio se purgabit. Si reus comprobatus fuerit, ut superius dictum est, calido ferro signatus pellatur: si innocens fuerit, catholicus habeatur.

II. *De invasoribus ecclesiasticarum rerum.*

Adversus improborum temeritatem & audaciam, qui personas sive res ecclesiasticas vexare & lacerare neque timent neque erubescunt, sollicite super gregem dominicum vigilantes, decrevimus ut nemo quicquam ecclesiarum bona invadere vel auferre præsumat; sed si quis adversus ecclesiam sive monasterium aliquid se habere juste crediderit, ad episcopum illius diœcesis, sive ad metropolitanum querelam deferat, qui evocatis partibus, examinationeque diligenti cura prægnita, finem legitimum imponat. Si vero episcopus vel metropolitanus, quod absit, neglegentior fuerit, apud regiam potestatem querela deponatur, ipsiusque mandato per eos quos oportet, justitiam obtinere qui injuriam se pati quæritur, mereatur; missaque cum eo qui causatur, si regi placuerit, legatione, ut per eam cognoscat quam juste causa sit ventilata sive terminata. Quicumque vero importunus, hoc ordine non servato, etsi justam se dixerit habere rationem, in personas sive res ecclesiasticas irruere vel invadere præsumserit, animadversione canonica feriatur.

III. *De pace.*

Clerici, monachi, conversi, peregrini, feminæ, & qui cum eis ad eos pertinentes ambulant, in perpetua pace sint. Greges, armenta, agricolæ, aratra, vinearumque cultores & mercatores semper in pace sint. Ceterum pax illa, quam treugam Dei vocant, a vespera feriæ quartæ usque ad mane feriæ secundæ debet observari. Quorum vero improbitas temerare ista præsumserit, nisi commoniti emendare festinaverint, canonica ultione ferienda * sunt. Porro dominus suus, cujus hoc est, conveniatur, ut eum satisfacere vel judicium subire compellat. Quod si noluerit, eadem lex erit illius. Deinde regia sublimitas interpellabitur. Ipsa vero pro suo officio, quo tueri ecclesias debet, ad emendationem cogere poterit improbos. Hac igitur ratione & prædonum manus comprimentur, & ecclesiæ tranquillam & quietam vitam agent in omni pietate & castitate.

* l. feriendi.

IV. *De tornamentis.*

Quicumque in hac detestanda diabolicaque malitia, lethali vulnere accepto, mortuus fuerit, sive a monachis sive a fratribus Templi vel Hospitalis, vel quibuscumque, etiamsi monachum vel conversum vel fratrem fecerint, sicut sancti patres decreverunt, christiana careat sepultura. Nemo autem eos euntes vel redeuntes suscipiat hospitio, neque eis, quando capti se rediment, auxilium impendat.

V. *De sacerdotibus.*

Quia nonnullarum ecclesiarum vel monasteriorum vel personarum levitas, seu, quod deterius est, cupiditas ecclesiis suis mercenarios consuevit præficere sacerdotes, eosque crebrius commutare, qui ipsi suas operas locant, insuper a quibusdam malivolis ministerium animale vituperatur; quia sacerdotibus oblatis curas committere differunt, quo ab illis aliquid extorqueant, sanctorum patrum vestigia sequentes, præcipimus, ut qui modo per totum archiepiscopatum sine cura sunt sacerdotes, præsentantibus eis ad quos spectat usque ad instantem septuagesimam, ab episcopis, si idonei visi fuerint, ecclesiarum curas suscipiant. Postquam vero vacaverint, intra dierum quadraginta spatium alio substituto, eumdem episcopo offerant, moxque ille, nisi rationabilem causam ei objicere poterit, curam illi committat: sin autem hi quorum interest, juxta prædictum tempus sacerdotem episcopo præsentare neglexerint, per episcopum idoneus statuatur: sic enim & populus, quod ei expedit, stabilem habebit sacerdotem, & quid adversus episcopos oblatret malivolus non habebit. Sacerdotes quoque honestis & clausis vestibus utantur.

VI. *De regularibus qui tenent parrochias.*

Statuimus quoque, ut si quando arbitrati fuerint abbates ecclesiis suis aliquem de canonicis, qui eis subsunt, ministraturum, non aliter id fiat, nisi episcopo eum præsentaverint; & si episcopus eum suscipere voluerit liberum & emancipatum, abbas illum episcopo tradat, sicque cura accepta, ulterius sine licentia episcopi eum removere a ministerio, atque revocare ad claustrum potestatem abba non habeat.

VII. *De ſanctimonialibus.*

Quaſdam ſanctimonialium longioribus atque pretioſioribus veſtibus quam expediat, monaſteriis eſſe novimus oneroſas, aliarumque, quæ tales habere non poſſunt, adverſum ſe invidiam excitare. Porro quod longe deterius multoque periculoſius exiſtit, ſingulas vel binas vel tertios * in villis aut in agris novimus manſitare, & ex eo peſſimæ opinionis rumorem ſæpius excitari. Statuimus ergo ut, ſecundum profeſſionis ſuæ normam, ſimplicibus agniniſque pellibus ſint contentæ, omneſque ad clauſtrum ab habitaculis indecentibus revocentur, ut intra clauſtra monaſterii, ubi vix tutæ ſunt, earum corpora & corda inviolata Domino conſerventur. Solent quoque, quod valde reprehenſibile patet, cum prædicatoribus circumire, & in comitatu juvenum clericorum ſive laïcorum per diverticula viarum ambulare, & ad idem hoſpitium quaſi itineris neceſſitate divertere : quod quam mali exempli ſit neminem poteſt latere. Placet ergo, ut ſi quando monaſteria earum vaſtata fuerint vel accenſa, aliudve acciderit eis ſupra vires, ſupra quod videatur eleemoſyna imploranda, id per clericos vel converſos fiat. Ipſæ autem domi ſedeant, memores beatam Virginem ſolam repertam, quando eſt ab angelo ſalutata. Recordantes quoque Dinam filiam patriarchæ, patriarcharum ſororem, dum exit videre filias regionis alienæ, vim paſſam.

* ternas.

CONCILII LATERANENSIS anno MCLXXIX. ſub Alexandro III. celebrati ſubſcriptiones, ſive nomina prælatorum qui eidem interfuerunt.

Ex mſ. codice S. Victoris Pariſienſis.

OBSERVATIO.

NOmina epiſcoporum qui Lateranenſi ſub Alexandro III. concilio interfuerunt, jam dudum ex mſ. Branenſis monaſterii edidit noſter Acherius in Spicilegii tomo XII. atque inde in generali conciliorum collectione Johannes Harduinus. Eadem cum in pervetuſto codice ſancti Victoris Pariſienſis reperiſſemus & cum editis contuliſſemus, adeo invenimus diverſa, ut novis committenda prælis neceſſarium duxerimus. Nam præterquamquod aliquot epiſcoporum nomina in Spicilegio prætermittuntur, quæ etiam in Ughelli Italia Sacra deſiderantur, reliquorum nomina eorumque ſedium adeo ſunt depravata, ſive id ex defectu codicis Branenſis, ſive ex amanuenſis oſcitantia contigerit, ut novam editionem expetere videantur.

ANno ab Incarnatione Domini MCLXXIX. præſidente ſanctæ Romanæ eccleſiæ SS. papa Alexandro III. pontificatus ejus XX. menſe Martio, indictione XI. quinta, ſeptima & nonadecima die menſis, ſedata jam diſcordia, quæ inter eccleſiam & imperium occaſione ſchiſmatis per OCTOVIANUM hæreſiarcham adverſus prædictum ſanctiſſimum papam introducti, & per ſucceſſores ejuſdem Octoviani GUIDONEM Cremenſem & JOHANNEM Strumenſem diutius perdurantis longo tempore invaluerat, prædicto Johanne (*a*) ultimo hæreſiarcha & FREDERICO Romanorum imperatore, qui huic rei ſe fautorem præſtiterat, ad unitatem matris eccleſiæ redeuntibus, ſedit præſidente eodem ſummo pontifice ALEXANDRO, ſancta & generalis ſynodus in baſilica Lateranenſi, quæ appellatur Conſtantiniana, trecentorum duorum epiſcoporum a diverſis mundi partibus convocatorum, quorum nomina ſubtus annexa ſunt. Anno 1179.

De provincia Romana.

Hubaldus Hoſtienſis epiſcopus.
Hugo Terracenſis.
Johannes Fundanus.
Jonathas Soranus. (*b*) [*b*]
Zacharias Marſus.
Odalriſius Walvenſis.
Dodo Reatinus.
Formundus (*c*) Verulanus.
Leo Aletrinus. [*c*]
Rodulfus Ferentinas.
Aſaël Agninus. (*d*)
Petrus Signinus. [*a*]
Milo Tiburtinus.
Gulfranus Senenſis. (*e*) [*e*]
Willelmus Lucenſis.

(*a*) Corrupte in Spicilegio pro *Johanne* legitur *id eſt*.

(*b*) Male in Branenſi codice legitur *Fundanus* ; alioquin duo eodem tempore extitiſſent ejuſdem ſedis epiſcopi. Porro hic Jonathas deſideratur in ſerie epiſcoporum Soranorum apud Ughellum, ubi locus eſt vacuus ab anno 1167. ad annum 1221.

(*c*) Dictus etiam Fromundus, Faramundus & Fraiamundus.

(*d*) Sive Anagninus.

(*e*) Corrupte in Spicil. *Sunenſis*.

Petrus (a) Lunenſis.
Rufinus (b) Aſſiſinas. (c)
Rainerus (d) Caſtellanus.
Tranſericus (e) Spoletinus.
Offreductus (f) Eugabinus.
Alloderius Callenſis.
Giſſo (g) Urbinas.
Nicolaus Sipræthonius. (h)
Jacobus Senogalienſis.
Acceptabilis Camerinenſis.
Jordanus Humanenſis.
Petrus Firmanus.
Rainaldus Eſinus.
Gentilis Auſumanus. (i)
Munaldus (k) Faenenſis.
Joſcſilinus Ariminenſis.
Johannes Sutrinus.
Martinus Nepezinus.
Gentius (l) Tuſcanenſis. (m)
Petrus civitatis Caſtellanenſis.
Amatus (n) Narnienſis.
Paulus Hortanus.
Petrus Amelinus.
Richardus Urbeventanus.
Gratianus Tudertinus.
Vivianus Peruſinus.
Petrus Caſtrenſis.
Leo Cluſinus.
Martinus Groſetanus.
Paulinus Sunenſis. (o)
Petrus Piſaurenſis. (p)
Julius Florentinus.
Lamfrancus Feſculanus.
Tedaldus (q) Placentinus.
Stephanus Monopolitanus.
Anſelmus Melitenſis. (r)
Radulfus Melfenſis S. Martii.

De provincia Capuanæ.

Alphanus (s) Capuanus archiepiſcopus.
Petrus Theanenſis. (t)

(a) Hic emendandus videtur Ughellus, qui Petri pontificatum ad annum 1183. rejiciens, ait Alexandrum epiſcopum Lunenſem interfuiſſe anno 1179. concilio Lateranenſi, eique ſubſcripſiſſe inter epiſcopos provinciæ Ravennatenſis. Verum neque in Branenſi neque in Victorino codice ullus inter epiſcopos provinciæ Ravennatenſis reperitur Alexander epiſcopus Lunenſis, ſed Juvenſis ut in Victorino, aut Lurenſis ut in Branenſi.

(b) Hic iterum allucinatur Ughellus, qui in ſerie epiſcoporum Aſſiſienſium pro Ruffino hoc loco collocat Petrum, quem ait interfuiſſe concilio Lateranenſi: verum Petrus ille non Aſſiſienſis ſed Lunenſis fuit epiſcopus.

(c) Spic. *Aſiſinas.*
(d) Spic. *Raimerus.*
(e) Spic. *Raſiſericus Spoletinus.*
(f) Dictus etiam *Offredus* & *Offreduccius.*
(g) Spic. *Guiſſo.*
(h) Spic. *Simphronius.*
(i) Spic. *Auſumanus.*
(k) Spic. *Minaldus.*
(l) Spic. *Cenſius.*
(m) Ex hac ſubſcriptione caſtigandus venit Ughellus, qui in ſerie epiſcoporum Viterbienſium ait nullum eo tempore extitiſſe Tuſcanenſem epiſcopum.
(n) Hujus loco ſubſtituitur in Italia Sacra Mazzius.
(o) Spic. *Funenſis.*
(p) Spic. *Piſcarienſis.*
(q) Spic. *Tedbaldus.*
(r) Spic. *Methenſis.*
(s) Spic. *Falphanus.*
(t) Spic. *Themenſis.*

A Rainaldus Benefranus.
Rainaldus Aquinas.
Herveus Sueſſanus.
Porfirius Caſertanus.

De provincia Amalfitanæ.

Dionyſius Amalfitanus archiepiſcopus.
Johannes Licturenſis (a) epiſcopus.
R. Avellenſis. (b)

De provincia Neapolitanæ.

Sergius Neapolitanus archiepiſcopus.
Bernardus Nolanus epiſcopus.
Bartholomæus Aceranus. (c)
B Petrus (d) Inſulanus.

De provincia Salernitanæ.

Romoaldus (e) Salernitanus archiepiſcopus.
Arnulfus Caputaquenſis (f) epiſcopus.
Johannes Marſicanus.
Petrus Aënenſis. (g)
Johannes Sarnengis. (h)

De provincia Beneventanæ.

Balduinus Alifanus (i) epiſcopus.
Petrus Teleſinus.
Potio (k) Triventinus.
C Andreas Bozanenſis. (l)
Alarſius (m) Gardianus.
Gaufridus Termulanus. (n)
Petrus Larinenſis.
Robertus Civitatenſis.
Nicolaus Dracozanenſis. (o)
Robertus Florentinenſis.
Rofridus Monticorbinenſis. (p)
Rainaldus Luterinus.
Johannes de Monte-maran.
Johannes Aſculenſis.
Bartholomæus Arranenſis.
Jaquintus Frequentinus.
D Rogerius Vicenſis.

De provincia Sipontinæ.

Gerardus Sipontinus archiepiſcopus. (q)
Simeon Veſtanus epiſcopus.

De provincia Tranenſi.

Amandus Vigilienſis epiſcopus. (r)
Richardus Andrenſis.

(a) Spic. *Lictrenſis.* (b) Spic. uno verbo *Ravellenſis.*
(c) Spic. *Achanus.*
(d) Omiſſus in Italia Sacra.
(e) Spic. *Rainaldus*, melius *Remualdus*, cujus chronicon habes apud Muratorium.
(f) Spic. *Capvenquenſis.*
E (g) Spic. *Eeunenſis.*
(h) Spic. *Sernenſis.*
(i) Spic. *Aliſannus.*
(k) Spic. *Petio.*
(l) Spic. *Boravienſis.*
(m) Spic. *Alaſius.*
(n) Spic. *Termilanus.*
(o) Spic. *Dracovanenſis.*
(p) Hic deſideratur in Spicilegio, ſed & apud Ughellum, qui ejus loco collocat Johannem.
(q) Hic & ſequens epiſcopus deſiderantur in *Spicilegio.*
(r) Hic & ſequens in Spicilegio collocantur ſub provincia Sipontina.

De

De provincia Barenſi.

Rainaldus Barrenſis archiepiſcopus.
Johannes Botuntinus (*a*) epiſcopus.
Maio Catharenſis.
Paulus Salpitanus.
Arpinus Paliniacenſis.
Caſiſus (*b*) Cuperſanenſis.
Rao Bithecenſis. (*c*)
Johannes Melficenſis.
Johannes (*d*) Cannenſis.
Johannes Lavellanus.

De provincia Brunduſinæ. (*e*)

Willelmus Brunduſinus archiepiſcopus.

De provincia Idrontinæ.

Jonathas Idrontinus (*f*) archiepiſcopus.
Petracius (*g*) Litienſis Caſtrenſis.

De provincia Tarentinæ.

Baſilius Tarentinus archiepiſcopus.

De provincia Acherontinæ. (*h*)

Petrus Venuſinus (*i*) epiſcopus.
Johannes Potentinus.
Robertus Tricaricenſis. (*k*)
Robertus Gravinenſis.
Robuam (*l*) Anglonenſis.

De provincia Coſanæ. (*m*)

Ruffus Cuſentinus archiepiſcopus.
Michaël Mathuranenſis.

De provincia Reginæ.

Thomas Reginenſis archiepiſcopus.
Guido Neocaſtrenſis epiſcopus.
Philippus Crotonias Græcus.
Leratinus (*n*) epiſcopus Græcus.

De provinciæ S. Severini. (*o*)

Peregrinus (*p*) Embriacenſis (*q*) epiſcopus.
Perentinus (*r*) Strumbinus.

De provincia Siciliæ Meſſanenſis.

Nicolaus Meſſanenſis archiepiſcopus.
Guido Cephaledienſis epiſcopus.

(*a*) Spic. *Botintinus.*
(*b*) Spic. *Caſinus.*
(*c*) Spic. *Brixenſis.*
(*d*) Hic corrigendus venit Ughellus, qui hunc Johannem ſubjicit Bonifacio Cannenſem eccleſiam adhuc adminiſtranti anno 1187. quo privilegium ab Urbano III. obtinuit, atque Johannem anno ſequenti interfuiſſe concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. qui ante ſeptem annos diem obierat ſuum.
(*e*) Spic. *Brundeſicia.*
(*f*) Spic. *Hidrotinus.*
(*g*) Spic. *Petuveius*, dictus etiam ab Ughello *Penetranus.*
(*h*) Spic. *Veroſina.*
(*i*) Spic. *Veroſinus.*
(*k*) Spic. *Tritacenſis.*
(*l*) Spic. *Roboam.*
(*m*) Spic. *Cuſentina.*
(*n*) Spic. *Eterantinus.*
(*o*) Spic. *Sicilia Meſſanenſis.*
(*p*) Spic. *Pegrinus.*
(*q*) Sive *Umbriaticenſis.*
(*r*) Spic. *Ierenus.*

De provincia Orientis Phenicis.

Willelmus Tyrenſis (*a*) archiepiſcopus.
Jocius Aconenſis epiſcopus.
Romanus Tripolitanus.

De provincia Cæleſyriæ.

V. Gambulenſis (*b*) epiſcopus.

Provinciæ Palæſtinæ ſecundæ.

Heraclius Cæſarienſis archiepiſcopus.
Radulfus Sebaſtenus.

Provinciæ Palæſtinæ primæ.

Petrus Jeroſolymitanenſis eccleſiæ prior loco patriarchæ.
Albertus Bethleemitanus. (*c*)

Provinciæ Piſanæ.

Hubaldus Piſanus archiepiſcopus.
Saganenſis epiſcopus de Corſica. (*d*)

De provincia Turrenſi (*e*) *Sardiniæ.*

Johannes Adarenſis. (*f*)
Cometa Ampurienſis. (*g*)

Provinciæ Januenſis.

Hugo (*h*) Januenſis archiepiſcopus.
Lodius Martinenſis. (*i*)

Provinciæ Ravennatis.

Girardus Ravennas archiepiſcopus.
Bernardus Parmenſis.
Albericus Reginus.
Arditio Mutinenſis.
Johannes Bononienſis. (*k*)
Henricus Cornolienſis. (*l*)
Johannes Faventinus. (*m*)
Alexander Juvenſis. (*n*)
Lamfredus Pompilienſis.
Leonardus Ceſanas. (*o*)
Gabriel Adrienſis. (*p*)
Alericus (*q*) Bobienſis.

Provinciæ Mediolanenſis.

Algiſus (*r*) Mediolanenſis archiepiſcopus.
Johannes Bricienſis epiſcopus.
Galo (*s*) Bergamenſis.
Umfredus (*t*) Cremonenſis.

(*a*) Spicil. *Tyrenenſis.*
(*b*) Spic. *Glambulepcenſis.*
(*c*) Spic. *Beellemitanus.*
(*d*) Spic. *Corſim.*
(*e*) Spic. *Turrenenſi*
(*f*) Spic. *Adarenenſis.*
(*g*) Spic. *Apurienſis.*
(*h*) Hic deſideratur in Italia Sacra, ubi locus vacuus eſt in ſerie archiepiſcop. Januenſium ab anno 1156. ad 1188.
(*i*) Spic. *Joaphus Maranenſis epiſcopus de Corſica.* Neque Joaphus neque Lodius locum habent in Italia Sacra.
(*k*) Omiſſus in Spicilegio.
(*l*) Spic. *Cornelienſis.*
(*m*) Spic. *Favetinus.*
(*n*) Spic. *Lurenſis.*
(*o*) Spic. *Caſarias.*
(*p*) Spic. *Arienſis.*
(*q*) Ab Ughello in Italia Sacra prætermiſſus.
(*r*) Spic. *Algeſius.*
(*s*) *Gaula* appellatus in Italia Sacra.
(*t*) Spic. *Vinfredus.*

Albericus Laudenſis.
Obertus Terdonenſis.
Hubertus Aquenſis.
Guido (a) Saonenſis.
Lauterius Albiganenſis.
Stephanus Vigintimilienſis.
Milo (b) Taurinenſis.
Garmarus (c) Ipporienſis.
Bonifacius Novarienſis.

De provincia Aquileienſi.

Garſentinus Mantuanus.
Anſelmus Cumanus.
Gerardus Paduanus.
Salomon Tridentinus.

Provinciæ Venetiæ.

Henricus Gradenſis patriarcha.
Marinus Clogenſis (d) epiſcopus.
Leonardus Trecellenſis (e) epiſcopus.

De provincia Jadarenſi. (f)

Andreas (g) Albenſis archiepiſcopus.
Lamfredus Abſarenſis.
Drobo Vigilenſis. (h)

De provincia Spaletenſi. (i)

Rainerius Spaletenſis archiepiſcopus.
Matthæus Nonenſis epiſcopus.
Michaël Scardonenſis. (k)

Provinciæ Remenſis.

Willelmus Remenſis archiepiſcopus.
Nevelo Sueſſionenſis epiſcopus.
Theobaldus Ambianenſis epiſcopus.
Reinolduſ (l) Noviomenſis.
Rogerius Laudunenſis.
Deſiderius Morinenſis.
Rogerius Cameracenſis.

De provincia Rotomagenſi.

Egidius Ebroicenſis epiſcopus.

Provinciæ Senonenſis.

Guido Senonenſis archiepiſcopus.
Johannes Carnotenſis.
Simon Meldenſis.
Matthæus Trecenſis.
W. Autiſſiodorenſis.
Obaldus Nervernenſis. (m)

Provinciæ Bituricenſis.

Guarinus Bituricenſis archiepiſcopus.
Girardus Caturcenſis.
Seibrandus Lemovicenſis.

Provinciæ Turonenſis.

Radulfus Andegavenſis epiſcopus.
Gaufridus Briocenſis.
Eudo Lehonenſis.

Provinciæ Burdegalenſis.

W. Burdegalenſis archiepiſcopus.
Johannes Pictavenſis epiſcopus.
Ademarus Santonenſis.

Provinciæ Auxitanæ. (a)

Arſius Convenarum epiſcopus.
Bernardus Olorenſis. (b)
Ademarus Baionenſis.
Garſias Vaſatenſis.
Arnaldus Bigoritanus. (c)
W. Aquenſis.

Provinciæ Narbonenſis.

Pontius Narbonenſis archiepiſcopus.
Johannes Magalonenſis epiſcopus.
Raimundus Uticenſis.
Bernardus Biterrenſis.
Otho (d) Thercacenſis.

Provincia Bracarenſis.

Johannes Lucenſis.
W. Elenenſis.

Provinciæ Arelatenſis.

Raimundus Arelatenſis archiepiſcopus.
Fulco Maſſilienſis.
Pontius Cabilonenſis. (e)
Petrus Avinionenſis.
W. Tricaſtrinus.
Petrus Tolonenſis.

Provinciæ Aquenſis.

Bernardus (f) archiepiſcopus Aquenſis.
Petrus Aptenſis.
Hericus (g) Regenſis.
Bermundus (h) Seſtrenſis.

Provinciæ Ebredunenſis.

Petrus Ebredunenſis archiepiſcopus.
Fulco Antipolitanus.
Raimundus Glandetenſis. (i)
W. Vincienſis.

Provinciæ Viennenſis.

Robertus Viennenſis archiepiſcopus.

(a) Spic. *Guigo.*
(b) In Italia Sacra non comparet, ubi locum habere debet inter Albertum, qui anno 1168. & Bonaldum, qui 1196. præfuit eccleſiæ Taurinenſi.
(c) Spic. *Gannarus*, apud Ughellum dictus *Germanus* ſeu *Goemanus.*
(d) Spic. *Glogenenſis.*
(e) *Tercellenenſis.*
(f) Spic. *Ladarenſi.*
(g) Collocandus inter Ottonem & Boniſacium, ubi locum vacuum habet in Italia Sacra.
(h) Spic. *Viglenſis.*
(i) Deeſt hic titulus in Spicilegio, ſed ſine ulla diſtinctione legitur *Renerus Spalitenſis archiepiſcopus.*
(k) Spic. *Sardonenſis.*
(l) Spic. *Reinaldus.*
(m) Spic. *Navernenſis*, lege *Nivernenſis.*

(a) Spic. *Auticana.*
(b) Spic. *Clorenſis.*
(c) Spic. *Bigonitanus.*
(d) Spic. *Odo.*
(e) Spic. *Cabellionenſis.*
(f) Spic. *Rainardus.*
(g) Spic. *Henricus.*
(h) Spic. *Bermerdus Seſterenſis.*
(i) Spic. *Glatenſis.*

Odo Valentinus.
Robertus Dienſis.
Johannes Gratianopolitanus.
Artutius (a) Gebennenſis.
Lambertus Maurianenſis.

Provinciæ Darentaſienſis.

Aimo Darentaſienſis archiepiſcopus.
Cono Serdinenſis.

De provincia Lugdunenſi.

Engebertus Gabilonenſis epiſcopus.

De provincia Biſontina.

Rogerius Lauſanenſis epiſcopus.
Rainaldus (b) Bélicenſis.

Provinciæ Terragonenſis.

Berengarius (c) Terragonum archiepiſcopus.
Raimundus Gerundenſis. (d)
Bernardus Barchinonenſis.
Petrus Auſonenſis.
Pontius Bertoſanus. (e)
Bergarius Ylerdenſis.
Arnaldus Urgellenſis.
Stephanus Oſcenſis.
Ruinenſis. (f)
Petrus Pampilonenſis.
Rodericus Calagoritanus.

Provinciæ Toletanæ.

Celebrinus Toletanus archiepiſcopus.
Raimundus Palentinus (g) epiſcopus.
Gonſaldus Sogobienſis.
Michael Olxumenſis. (h)
Oderricus Sequentinus.

Provinciæ Compoſtellanæ.

Petrus Compoſtellanus archiepiſcopus.
Santius Abulenſis.
Petrus Civitatis Roderici.

De provincia Trevirenſi

Arnaldus Trevirenſis archiepiſcopus.
Fredericus Metenſis.

Provinciæ Colonienſis.

Radulfus Leodienſis (i) epiſcopus.

Provinciæ Maguntinæ.

Chriſtianus Maguntinus archiepiſcopus.
Otho (k) Babebergenſis epiſcopus.
Arduicus Aguſtenſis.
Bertholdus Conſtancienſis.

(a) Spic. *Alvicus.*
(b) Spic. *Rantaldus.*
(c) Spic. *Bernardus.*
(d) Spic. *Gerdenſis.*
(e) Spic. *Dertoſanus.*
(f) Spic. *Hugo Rutenenſis.*
(g) Spic. *Paletinus.*
(h) Spic. *Oximenſis.*
(i) Spic. *Leodinenſis.*
(k) Spic. *Odo Bambergenſis.*

A Olricus Spirenſis. (a)
Goradus Garmatienſis. (b)
Ulricus Curienſis.

De provincia Madeburgenſi.

Udo (c) Citenſis epiſcopus.
Sifridus Brandeburgenſis. (d)
Martinus Miſinenſis.

De provincia Salſeburgenſi.

Conradus Salſeburgenſis (e) archiepiſcopus.
Coronatis Ponenſis. (f)
B Theobaldus (g) Patavienſis.

Provinciæ Bremenſis.

Bernoz Virinenſis (h) epiſcopus.

Provinciæ Daniæ.

Omerus Burgalenſis epiſcopus.

Inſulæ Angliæ (i) provinciæ Cantuaricenſis.

Robertus Herfordenſis epiſcopus.
Rainaldus Batthonienſis. (k)
Johannes Norvicenſis.
Adam de Sancto Aſaph.
Richardus (l) Menevenſis.

C *Item in Anglia provinciæ Eboracenſis.*

Hugo Dunelmenſis epiſcopus.

Provinciæ Scotiæ.

Gregorius Roſenſis epiſcopus.

De inſula Hiberniæ.

Catholicus Tuaimenſis. (m) archiepiſcopus.
Laurentius Dublinenſis archiepiſcopus.
Conſtantinus epiſcopus de Quilldalina. (n)
Bricius Lunbrienſis. (o)
D Auguſtinus Guaterfordenſis. (p)
Felix epiſcopus Leſmorienſis.

De Ungaria.

Andreas Bahaſinenſis archiepiſcopus.

(a) Spicil. *Ypirenſis*, omiſſus in Gallia Chriſtiana Sammartanorum.
(b) Spic. *Guamarcienſis.*
(c) Spic. *Odo Ciſtenſis epiſcopus.*
(d) Spic. *Brandeburgenſis.*
(e) Spic. *Saltzburgenſis.*
(f) Spic. addit *epiſcopus.*
(g) Spic. *Thebaldus Pataïnenſis.*
(h) Spic. *Vivrenſis.*
(i) Spic. *Provinciæ Angliæ.*
E (k) Spic. *Barovienſis.*
(l) Spic. *Petrus.*
(m) Spic. *Terconenſis.*
(n) Spic. *de Culerne.*
(o) Spic. *Lumbrenſis.*
(p) Spic. *Guaterfundenſis.*

SENTENTIA HENRICI

Albanenſis epiſcopi, & apoſtolicæ ſedis legati, lata anno MCLXXXII. adverſus abbatem S. Severi in gratiam Burdigalenſis monaſterii S. Crucis, in qua plurium fit mentio conciliorum.

Ex archivis S. Crucis Burdigalenſis eruit noſter Stephanus Duſaura.

Anno 1182. HENRICUS Dei gratia Albanenſis epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, dilectis in Chriſto filiis ARNALDO abbati, & fratribus ſanctæ Crucis Burdegalenſis ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.

Cauſam quæ inter vos & abbatem ſancti Severi, ejuſque monaſterium, ſuper eccleſiam ſanctæ MARIÆ de Solaco vertebatur, dominus ALEXANDER papa tertius ſub certa forma nobis commiſit, appellatione remota, terminandam. Nos itaque mandatum apoſtolicum exequi volentes, partem utramque ante noſtram præſentiam convocavimus, diem in octabis nativitatis S. Johannis aſſignantes. Ad quam diem cum tu, dilecte fili abbas ſanctæ Crucis, ad caſtrum DESCURA, quod in Albigienſi epiſcopatu eſt, ad noſtram præſentiam paratus & inſtructus veneris, abbas S. Severi nec venit, nec reſponſalis pro eo aut pro monaſterio ſuo comparuit, qui cauſam vellet ſubire, licet ipſius actores eſſent, & cauſam eamdem coram Romano pontifice ſuſcitaſſent. Tamen abbas de Altoponte & duo clerici ſine litteris abbatis vel capituli venerunt, qui dicentes ſe ab abbate S. Severi tranſmiſſos, allegaverunt eum gravi ægritudine detentum, quare ad diem aſſignatam non veniſſet. Verum fidem ſuper his nobis nullam fecerunt. Et licet tu, ſanctæ Crucis abbas, per advocatos tuos expenſas tibi adjudicari propter defectum adverſæ partis, inſtanter poſtulares; tamen tam quæſtionem expenſarum, quam totam cauſam duximus protelandam; diem utrique parti peremtoriam aſſignantes octabam nativitatis S. MARIÆ. Ad quam diem apud Anicium, ad nos tu nihilominus paratus, & inſtructus teſtibus & inſtrumentis, cum multa difficultate laborum & expenſarum veniſti, nec pars S. Severi venit, nec reſponſalis apparuit, qui pro eo vel ſaltim cauſam abſentiæ allegaret. Sed cum te per plures dies detenuiſſemus, adverſarios tuos expectantes, rationes & allegationes tuas, tam ſuper cauſa principali, quam ſuper quæſtione expenſarum, per advocatos tuos proponens, ut diffinitivam de omnibus daremus ſententiam, inſtanter poſtulaſti. Nos vero cum venerabilibus fratribus noſtris Pictavienſi, Anicienſi, Magalonenſi & Lodovenſi epiſcopis, aliiſque perſonis in utroque jure peritis, quæ nobis aſſiſtebant, conſilio habito, abbatem & monaſterium ſancti Severi tibi condemnavimus in expenſas quas feciſti pro cauſa ad eumdem terminum proſequenda. Et licet major pars aſſeſſorum noſtrorum in eo conveniret, quod totam cauſam diffiniremus, quia diem peremtoriam aſſignaveramus. Et quia pars ſancti Severi, quæ monaſterium ſanctæ Crucis traxerat in cauſam, contumaciter abſens videbatur, cùm nec reſponſalis ejus abſentiam excuſans, apparerer; tamen eamdem partem manſuetius portantes, aliam diem peremtoriam aſſignavimus in octabis kalendarum decembris, credentes quod in eadem terra tunc eſſemus, & ibi plenius de cauſa nobis poſſet liquere. Sane ad eam diem apud Vaſatum, ubi venerabiles fratres noſtri Auxitanus archiepiſcopus & ſuffraganei ſui, & prælati ejuſdem provinciæ ad concilium quod ibi celebravimus convenerant: ambæ partes coram nobis præſentes fuiſtis. Et abbas ſancti Severi pro ſe & monaſterio ſuo cauſam per advocatos ſuos movens, aſſeruit, quod olim cum monaſterium ſancti Severi per priorem & monachos ſuos eccleſiam ſanctæ MARIÆ de Solaco in pace poſſideret, a monachis ſanctæ Crucis Burdegalenſis exinde per violentiam fuerunt expulſi, & ſuper eadem expulſione coram Romanis pontificibus & in ſynodis multas fecerant proclamationes, & in jus litteræ fuerant conteſtati. Quare poſſeſſionem ejuſdem eccleſiæ ſibi reſtitui poſtulaverunt. Ad quod per advocatos tuos reſpondens, tam violentiam, quam expulſionem, & proclamationes, & litis conteſtationes conſtanter negaſti; ſed eccleſiam de Solaco monaſterio ſanctæ Crucis per AMATUM quondam Olorenſem & HUGONEM Dienſem epiſcopos, tunc apoſtolicæ ſedis legatos, in concilio quod Burdegalæ celebraverunt, & poſtmodum per papam PASCHALEM tibi adjudicatam fuiſſe, aſſeveraſti. Quarum ſententiarum munimenta præ manibus dixiſti habere. Addidiſti etiam, quod poſt ipſas ſententias, non ſolum per quadraginta annos eccleſia ſanctæ MARIÆ de Solaco a monaſterio ſanctæ Crucis in pace poſſeſſa fuerat & obtenta, ſed ultra quam hominum memoria extaret. Sed ante omnia volebas tibi reſtitui expenſas, quas tibi apud Anicium adjudicaveramus. Cumque ſuper his hinc inde diu diſputatum fuiſſet, & propter mutuas inficiationes de facto nobis minime conſtaret; præcepimus utrique parti, ut teſtes ſuos produceret ad ſuam intentionem probandam. Ubi abbas ſancti Severi quatuor teſtes produxit, & tu conſequenter quamplures. Quibus productis, abbas ſancti Severi pro aliis teſtibus producendis inducias poſtulavit; allegans per machinationem & metum abbatis ſanctæ Crucis teſtes ſuos ſibi fuiſſe ſubductos. Sed quamvis hoc, tu abbas ſanctæ Crucis, conſtanter negares, allegans

Vaſatenſe concilium.

gans quod poſt duos dies peremtorios ſibi affignatos induciæ ulterius non eſſent dandæ; tamen alium diem peremtorium affignavimus, tertiam diem poſt Epiphaniam, ita quod tunc ad ſententiam plenarie hinc inde veniretis inſtructi. Ad eamdem diem cum ambæ partes ad noſtram præſentiam Santonas veniſſetis, pars abbatis S. Severi prædictam ſubductionem teſtium a te, abbas ſanctæ Crucis, ſibi factam conſtanter itérato allegavit; & ſuper hoc monachum quemdam & duos ſervientes ſuos teſtes produxit, quibus præſtito juramento receptis, & diligenter examinatis, cum de facto minime convenirent, & viles & ſuſpecti eſſent, nullam nobis in hac parte fidem fecerunt. Verum, licet tu & advocati tui atteſtationes publicari & ſententiam dari poſtularetis, & conſilium noſtrorum eſſet aſſeſſorum, quod id ageremus; tamen ſacramento in quarta monachorum manu ab abbate ſancti Severi ad ipſius oblationem ſuſcepto, quod dilationem, prout videbatur, malitioſe non requireret, atque ad diem quam ſibi aſſignaremus, ſine ſubterfugio de cauſa ipſa ſententiam noſtram reciperet, & quod eam obſervaret ac faceret a fratribus ſuis inviolabiliter obſervari; ad convincendam omnem malitiam, quartum diem peremtorium, tertiam ſequentis Quadrageſimæ Dominicam ei aſſignavimus, & teſtes quos ſibi ſubtractos aſſerebat, ſub excommunicationis pœna per litteras noſtras diſtricte commonuimus, ut ſuper cauſa eadem perhiberent teſtimonium veritati. Et interim perſonis ab ipſis partibus electis, teſtium ipſorum commiſimus receptionem. Termino ſiquidem aſſignato, ambæ partes ad noſtram præſentiam apud Lemovicas, ubi concilium de prælatis Bituricenſis & Burdegalenſis provinciarum celebravimus, inſtructi acceſſiſtis, & tres teſtes juratos abbas ſancti Severi produxit. Quibus receptis & examinatis, de aſſenſu utriuſque partis publicavimus atteſtationes; cumque atteſtationes ipſas partes conſcripſiſſent, & ſuper eis diu diſputaſſent, pars ſancti Severi poſtulavit alias iterum inducias ſibi dari, ad producendos teſtes de interruptione quietæ & longiſſimæ poſſeſſionis, quam de prædicta eccleſia de Solaco pars ſanctæ Crucis per multos teſtes ſe habuiſſe videbatur probaſſe. Ad quod advocati tui, abbas ſanctæ Crucis, reſponderunt, quod nulla penitus dilatio foret inde ulterius concedenda, cum jam quatuor peremtorias dilationes, præter omnem juris formam, præſertim cum abbas & fratres ſancti Severi actores eſſent, eis conceſſiſſemus, & violentam expulſionem, & ſecutam poſſeſſionis interruptionem inter primos litis congreſſus fuiſſent conteſtati, & ſuper violentia & interruptione teſtes, quorum atteſtationes erant publicatæ, producti eſſent & examinati. Id etiam contra teſtes abbatis ſancti Severi addiderunt, ſcilicet quia quidam eorum de auditu tantum factæ violentiæ & interruptionis teſtificati erant, non quod ipſi fieri vidiſſent. Alii quidam, qui ſe violentiam vidiſſe teſtabantur, & vacillabant, & in atteſtationibus ſuis ita contrarii ad invicem erant, quod eorum teſtimonia omnino repellenda erant & contemnenda, & propterea quia in probatione violentiæ defecerant, non erant admittendi ad probationem interruptionis quam proteſtabantur, violentiam quam probare non potuerant, fuiſſe ſubſecutam. Nec non AMATI quondam Olorenſis epiſcopi, tunc apoſtolicæ ſedis legati, privilegium ejuſdem ſigillo ſignatum nobis tradidiſti, in quo continebatur, quod coram ſe & HUGONE Dienſi epiſcopo, qui ſimiliter legatus erat, in concilio quod apud Burdegalam celebrarunt, in quo Burdegalenſis, Auxitanus, Turonenſis & Dolenſis archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis reſidebant, inter ARNALDUM TRENCARDI olim abbatem ſanctæ Crucis, & ARNALDUM ſancti Severi, ſuper jam dicta eccleſia ſanctæ MARIÆ de Solaco quæſtio ventilata fuit; & ad ultimum ita definita, quod cum in ipſo Burdegalenſi concilio multis teſtificationibus canonicis probatum fuiſſet GREGORIUM abbatem prædeceſſorem ipſius ARNALDI ſancti Severi, Romæ coram ALEXANDRO papa de injuria quam faciebat ALNALDO abbati ſanctæ Crucis, de eccleſia ſanctæ MARIÆ de Solaco, adeo convictum fuiſſe, quod ipſe abbas GREGORIUS in manu ejuſdem Romani pontificis eccleſiam ipſam dimiſit, firmiter promittens ſe ipſam non amplius invaſurum. Et quod idem papa ALEXANDER præfatum ARNALDUM abbatem ſanctæ Crucis, de eadem eccleſia ſanctæ MARIÆ reinveſtiſſet; ipſi ARNALDO ſanctæ Crucis abbati & ſucceſſoribus ſuis, apoſtolica & concilii fultus auctoritate, eccleſiam ſanctæ MARIÆ de Solaco, cum omnibus ad eam pertinentibus perpetuo jure poſſidendam adjudicavit, & eum exinde reveſtivit, & privilegium ſigillo ſuo impreſſum exinde ſibi fecit. Porrexiſti etiam nobis privilegium URBANI papæ, in quo eadem ſententia expreſſe confirmatur. Præſentaſti & aliud privilegium PASCHALIS papæ, in quo manifeſte declaratur, quod cum inter SUAVIUM ſancti Severi abbatem, & FULCONEM ſanctæ Crucis abbatem ſuper eadem eccleſia ſanctæ MARIÆ de Solaco, in Lateranenſi palatio iterato querela fuiſſet advecta, & coram eodem papa diu agitata, relectis inſtrumentis utriuſque eccleſiæ, ac diligentius indagatis ab epiſcopis & preſbyteris cardinalibus, qui præſentes aderant, judicatum fuiſſe, præfatam diffinitionem, quæ in Burdegalenſi concilio ſupra memorato facta fuiſſet, perpetuum debere robur obtinere: atque idem PASCHALIS papa eamdem diffinitionem ſua

Lemovicenſe Concilium.

Burdigalenſe concilium.

firmans assertione, scripto apostolico sancivit sæpe fatam ecclesiam beatæ MARIÆ de Solaco, sicut diffinitum fuerat, a sanctæ Crucis monasterio quiete in perpetuum possideri; & eodem scripto prohibuit, ne ex tunc clamor inde aliquis audiretur. Auditis itaque utriusque partis rationibus, & allegationibus, & attestationibus, atque instrumentis diligentius inspectis & sufficienter intellectis, & habita plenaria deliberatione cum venerabilibus fratribus nostris S. Lemovicensi episcopo, G. Autisiodorensi electo, abbate sancti Martialis, aliisque pluribus personis honestis, & in divino & humano jure peritis, de communi eorum consilio, cum nobis constaret per multos testes juratos, contra quos nihil dicebatur, ecclesiam sanctæ MARIÆ de Solaco a monasterio sanctæ Crucis, per prædictam AMATI olim Olorensis & HUGONIS olim Diensis episcoporum, & apostolicæ sedis legatorum, sententiam, & URBANI papæ confirmationem, & PASCHALIS papæ decisionem, non solum per quadraginta annos, sed etiam per septuaginta & plures quiete possessam fuisse, neque de violenta ejectione, quam abbas sancti Severi allegaverat, præter testium suorum vacillationem, contrarietatem & suspicionem, fides nobis aliqua facta fuisset, licet quatuor dies peremtorios ad testium productionem ei assignavissemus, & nullam concedendam sibi amplius dilationem cognosceremus; considerata forma commissionis, quam de eadem causa dominus ALEXANDER papa tertius nobis injunxerat, abbatem & monasterium sanctæ Crucis ab impetione abbatis & monasterii sancti Severi super ecclesia sanctæ MARIÆ de Solaco, per sententiam absolvimus diffinitivam, & eamdem ecclesiam ab abbatibus & monasterio sanctæ Crucis, sine inquietatione abbatum & fratrum sancti Severi, adjudicavimus perpetuo possidendam; abbatibus & monasterio sancti Severi super repetitione ipsius ecclesiæ perpetuum silentium imponentes. Datum apud Pictavim per manum Raimundi de Capella, sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi, anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXII. kalendis aprilis.

SENTENTIA NAVARRI

episcopi Conseranensis & apostolicæ sedis legati, lata in concilio provinciali anno MCCVIII. apud sanctum Severum in capite Vasconiæ celebrato, adversus ejusdem villæ burgenses.

Ex schedis nostri Stephani Dulaura.

Anno 1208. QUoniam labenti inhæremus, & omnia temporalia ad occasum veniunt successive: Fidelium charitati præsentium & futurorum luce clarius innotescat, quod homines sancti Severi de Vasconia in diœcesi AduA rensi, conquesti sunt de abbate & conventu ejusdem loci, mihi NAVARRO Coseranensi episcopo, apostolicæ sedis legato; attentius supplicantes, ut ad eumdem locum accederem, & causam eorum fine debito terminarem. Quorum precibus acquiescens, veni ad locum superius nominatum, & post multa verba hinc inde prolata, ad ultimum partes convenerunt, ut homines sancti Severi coram nobis de querimoniis abbati & conventui responderent, inviolabiliter servaturi quidquid nos per sententiam diceremus. Hoc utique viginti de melioribus totius villæ pro se & reliquo populo communiter juraverunt; & hoc idem ut similiter abbas & conventus coram nobis de omnibus querimoniis hominibus responderent, & sententiam nostram inviolabiliter observarent. Abbas ad nostrum libitum firmavit, ut decebat. Quapropter, & ut de communi bono totius provinciæ terminaretur, maturiori usi consilio, ibidem celebravimus provinciale concilium. Homines vero statim ab eo quod firmaverant, voluerunt aliquatenus deviare. Tandem episcoporum consilio ad viam regiam revertentes, illi iidem viginti pro se ac reliquo populo, sub religione sui juramenti, solemniter promiserunt, ut quidquid ego NAVARRUS Coseranensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, super prædictis querimoniis per arbitrium definirem, ipsi modis omnibus observarent; vel quinque millia solidorum morlanorum solverent mulctati. Abbas etiam compromisit similiter illa observare. Igitur in præsentia nostra constituti, proposuerunt homines in hunc modum, videlicet quod abbas & monachi vendebant in exequiis mortuorum, cruces, thuribula, locum ubi defunctus ponebatur, indumenta sacerdotalia, pulsationem campanarum, locum etiam in clausto vel cœmeterio ad corpora tumulanda, benedictionem in nuptiis, & signaculum parvulorum. Dicebant insuper, quod quamdam partem villæ claudere tenebantur. Abbas quidem & monachi de sæpe dictis hominibus hujusmodi querimonias in medium protulerunt: videlicet quod contra prohibitionem eorum capellani, quemdam hominem mortuum extraxerunt de domo, & sepelierunt eum in cœmeterio, ac deinde post eamdem prohibitionem, auctoritate diocesani episcopi confirmatam, in malitia perstiterint usque ad undecim corpora in eodem cemeterio per violentiam tumulantes. In eodem quoque cœmeterio tumbas lapideas construxerunt, quas jure hereditario non probabant amodo possidere. Postea in contemtum universalis ecclesiæ horribilius erigentes calcaneum, in loco publico pinnaculum construxerunt, ibidem campanas & cymbalas suspendentes, quas ad matutinas & singulas horas diei pulsare, contemnentes matrem ecclesiam, præ-

ſumpſerunt. Populus inſuper ad eumdem locum conveniebat, matutinarum & aliarum horarum officia a quibuſdam laicis auditurus; ibidem novo & inaudito modo horas minus catholicas celebrabant. Unam de campanis contra eccleſiam ſæpe dicto abbati abſtulerunt & monachis, occaſione cujuſdam dominæ, cui jus decimarum illius eccleſiæ, unde campana fuerat, competere aſſerebant; & in eodem facto violentas manus in quemdam monachum injecerunt. Portas itaque fregerunt eccleſiæ. Oblationes in diebus Lunæ per violentiam aſſumentes, pauperibus tribuebant. In januis eccleſiæ offerentes diebus dominicis & feſtivis, quidquid offerebatur dabant pauperibus minus juſte. Baptiſaverunt parvulos ſuos in parrochia aliena, cum capellanus præſto eſſet eos libentiſſime in porta eccleſiæ baptiſare. Conſtituerunt, quod mulieres tempore prægnationis, & ipſi in miſſis mortuorum, & nuptiarum, more ſolito non offerrent. Et quia una offerre poſtea auſa fuit, quidam dehoneſtavit eam, verba plena convitiis inferendo. Decimas & primitias de omni re acquiſita licite non ſolvebant. Extraneos inſuper atrocius affligentes, ut nihil penitus monachis venderetur prohibuerunt omnibus publice per præconem. Abbatis præconem obmuteſcere facientes, alium qui quotidie præconaretur, auctoritate conſulum & populi creaverunt. Claves etiam villæ, quas abbas jure dominii penes ſe tenebat, auferre ei per violentiam præſumpſerunt. Cum monaſterium ſilvam haberet, quæ vulgo dicitur *Bedat*, clamavit præco ut omnes pariter, cauſa ſecandi arbores, ad ſilvam irent; quod adimplentes celeriter cum ſecuribus..... & aliis ferreis inſtrumentis, ligna & arbores ſuccidentes, cum jumentis nemus communiter intraverunt. Poſſeſſiones etiam ruſticorum & villanorum ſancti Severi emptionis titulo & pignoris ſibi vendicant violenter. Quid plura? Volentes monaſterium privari omni dominio, leges conſuetudinarias condiderunt, quas ſi quis tranſgreditur, certa punitur ſumma pecuniæ. Quarumdam confratriarum occaſione, conjurationes faciunt manifeſte. Jus quoddam, quod vulgo dicitur *Lezna*, de quibuſdam, quæ extra villam in foro, pacis tempore vendebantur, & pedagium ſalis, ferri & piſcium, negant, pariter retinentes. Pro clauſura in januis villæ quaſdam conchas ad tempus abbas conceſſerat, ſed ipſi replicant, quod pro clauſura villæ eſſent in perpetuum, ac ideo eas ſibi vendicant & uſurpant. Cum monaſterium donatione fundatoris aquas habeat ab antiquo, ipſi novo piſcandi genere, & ubicumque volunt, retia immittere in capturam non verentur. Homines monaſterii cenſuales, qui propter guerras vel etiam ſponte villas deſerunt, ex quo villam intraverunt, burgenſes reputant; & multoties eos qui remanſerunt in villulis, vexant indebite & prædantur. In eadem villa propria auctoritate collectas faciunt, in quibus quaſdam domos monaſterii, & ſervientes abbatis & monachorum, computant, & damnificant ut vicinos. Ad ultimum, quemdam hominem abbatis & monaſterii occiderunt. Omnia ſuperius prælibata fuerunt propoſita coram epiſcopis, abbatibus, & aliis bonis viris, qui ob hoc a nobis fuerunt convocati. Quorum conſilio voluimus dare ſententiam, cum jam, excepto Aurenſi, receſſiſſent omnes epiſcopi. Sed homines villæ proceſſum noſtrum impedientes, ex certa ſcientia, ut videbatur, addiderunt aliqua in hunc modum: Petrus *de Gavared* conqueſtus eſt, quod de conſilio abbatis & monachorum ejuſdem loci, molendinum ejus quondam fuerat deſtructum. Conqueſtus eſt ſimiliter quidam alius, quod quemdam conſanguineum ſuum monachaverunt pro molendino quodam, quod ſibi jure hereditario competere contendebat. Conquerebatur etiam tota vicinia, quod abbas apud Miremontem ad expeditionem eos adduxerat, & inde Petrus *de Mauleon* & alii vicini damna plurima populo inferentes, eos quotidie infeſtabant.

His igitur rite peractis, primum capitula quæ coram epiſcopis fuerunt propoſita atque diligentiſſime ventilata, Deum ſolum præ oculis habentes, diffinimus tali modo. Abbas & conventus nihil ex pacto ulterius requirant pro omnibus ſpiritualibus ſuperius memoratis; ſed oſtendatur hominibus locus cimiterii: licet enim commune ſit omnibus, qui eccleſiaſtica indigent ſepultura, in abbatis tamen eſt cuſtodia conſtitutum. Conſuetudines a prædeceſſoribus erga eccleſiaſtica uſu approbatas, ſcilicet in donationibus relictis, & oblationibus, decernimus eos cogi per cenſuram eccleſiaſticam obſervare. De parte villæ dicimus quod eam non tenetur claudere abbas, nec monachi, ut iidem confitentur homines . . . . . conchas conceſſerit; de quibus conchis dicimus ut ſecundum arbitrium per quaſcumque manus hominum villæ abbas voluerit, clauſuræ villæ vel annuatim vel in perpetuum aſſignentur. Super querimonias abbatis & monachorum, dicimus quod pro mortuo quem homines villæ de eccleſia extrahentes in cimiterio poſuerunt, duplici pœna ſacrilegii puniantur, & mortuus ad eccleſiam reportetur, & iterum in cimeterio ſepeliatur. Alii mortui, quia excommunicati mortui ſunt, a cimeterio projiciantur: pro quorum quolibet pœnam ſacrilegii ſolvant homines, & pro quolibet tumulo, quem contra prohibitionem abbatis, vel monachorum, in cimeterio conſtruxerunt, pro pinnaculi erectione, & campanis, celebrationeque horarum, de jure ad multas pœnas ſacrilegii tenentur, quas miſe-

ricorditer relaxamus. Injungentes, ut infra annos id eſt diſcretionis, omnes a minimo uſque ad maximum, jurent communiter, ne de cetero tale quid vel ſimile attentent; pinnaculum ſine mora & dilatione aliqua deſtruatur; campanæ dentur eccleſiæ, vel delcantur, ea excepta quæ monachis fuit ablata, quibus ſine mora reſtituetur. Et pro violenta manuum injectione in monachum, ac quia januas eccleſiæ confregerunt, & oblationes acceperunt per violentiam, ad pœnam ſacrilegii teneantur. Pueros quos fecerunt alibi baptizare, reportent ad eccleſiam, cum conſuetis oblationibus, & illas quas in januis eccleſiæ receperunt pauperibus largientes, reſtituant monachis & abbati. Violentiam quam fecerunt oblationes in eccleſia capientes, de cetero non attentent, & pro parvulis alibi baptizatis ad pœnam eccleſiaſticam, ſcilicet ſeptem ſolidos & dimidium teneantur. Quia mandaverunt uxoribus & aliis hominibus quod non offerrent, ut conſueverant, quilibet reddat legem eccleſiæ, & ſic vitium corrigatur, ut manifeſtum ſit jus eccleſiæ non perire. De decimis & primitiis dicimus quod de omnibus licite acquiſitis integre perſolvantur. Quod niſi fecerint, utraque poteſtate, videlicet eccleſiaſtica, & civili, eas reddere compellantur. Quia præconem auctoritate propria conſtituerunt, ſecundum leges ad confiſcationem tenentur rerum & corporum; ſed quia tantum eos punire noluimus, pro qualibet clamatione quam præco fecerit, ad legem conſuetam, id eſt ad mulctam & emendam, quilibet de populo teneatur. Quicumque nemus intraverit, legem ſolvat ſimiliter conſuetam. Pro quolibet roſſino & qualibet ſecuri & arbore inciſa eamdem nihilominus perſolventes. Quia claves villæ abbati per violentiam abſtulerunt, licet ad confiſcationem omnium tenerentur, tamen quod factum gerere nolumus, ab illa die qua abſtulerunt ei claves, pro qualibet die quilibet de populo legem conſuetam abbati & monachis ſolvat. De jure quod *Lezna* dicitur, quod in die mercati nihil vendatur in villa penitus de illis quæ in foro vendi ſolent, unde abbas illud jus accipit. Quod ſi forte contingeret, abbas *Leznam* accipiat; & pro injuria damnum inſuper conſuetum. Conjurationes quæ nomine confratriarum vel alio modo factæ ſunt, penitus deleantur, & contra voluntatem abbatis nullo modo fiant de cetero. Si forte fierent, teneantur ad damnum, & conjuratio deſtruatur. Collectæ vero ab abbatis nuncio ſemper fiant; quod ſi non fieret, quilibet de populo conſuetum damnum ſolvat. In quibus utique collectis domus quæ in horto abbatis ſunt, & ſervientes abbatis, vel monachorum, qui tamen eorum panem comedunt, nullam præbeant portionem; niſi forte domos vel alia bona in villa habeant, quibus juſtum ſit & idoneum partem dare. De terris A ruſticorum & villicanorum, quos ſine conſenſu abbatis in pignus accipiunt, vel emunt, decernimus quod de cetero non fiat; quod ſi fieret, hujuſmodi contractus decernimus irritandos. Super pedagio ferri, ſalis, & piſcium, abbas curiam convocet, & quod curia dixerit, faciat obſervari. De aliis leznis & pedagiis dicimus quod, ſicut quiete habuit, poſſideat nunc & ſemper. Quocumque modo homines monaſterii cenſuales villam intraverint, ſic intra villam abbas plenum jus in illis habeat, ac ſi in villulis permanerent. Si vero aliquis ruſticorum ad villam voluerit B pervenire, ut ibi uxorem recipiat; ſi a burgenſibus requiratur, abbas non deneget, niſi forte manſus vacuus remaneat. De damno illato hominibus monaſterii, qui habitant in villulis, dicimus quod illi de quibus conqueritur abbas, damnum reſtituant, & legem dent nihilominus conſuetam, vel jurent quod non fecerint, ſi voluerint ſubterfugere prælibata. De homicidio, ſi forte a conſanguineis vel amicis defuncti aliquis perſonaliter impetatur, abbas juſtitiam faciat ſicut oportet. De piſcibus capiendis, dicimus quod infra terminos de quibus ſupra molendinorum, vel etiam infra opus protenditur, nulla ex- C tendant retia, nec alio modo piſces capiant; ſed extra terminos modum non ponimus nec menſuram. Quia prohibitum fuit ne monachis victualia venderentur, duodecim jurati principales jurent, quod de mandato eorum vel conſilio non emanavit; & ſi jurare noluerint, quilibet eorum, & etiam omnes alii abbati & monachis legem ſolvant. Hæc, inquam, auctoritate epiſcoporum & concilii ſunt peracta: ſed ea quæ poſt diſceſſum concilii homines, ut ſuperius, addiderunt, aliorum conſilio terminavimus, ſecundum quod credimus, ut decebat. De priori molendino non cognoſcimus, quod domus vel collegium D teneatur. Sed ſi de aliquo perſonaliter querimonia proponatur, abbas ſibi faciat juſtitiam competentem. De ſecundo molendino, quia in vita monachi poſſederunt illud in patientia, dicimus quod in pace poſſideant nunc & ſemper. Querimoniam abbatis de quodam homine, & querimoniam populi de Miremonte, & de alienatis monaſterii poſſeſſionibus ab abbate, vel monachis, fruſtratorias judicamus. Quædam capitula uſque modo dicere diſtulimus, quæ nunc aperire decrevimus: videlicet quod claves portarum E villæ ſub cuſtodia abbatis ſint nunc & ſemper. Præconem villæ abbas eligat & conſtituat. Juſtitiæ & placita in manu abbatis & coram eo, vel ſuo præpoſito diffiniantur. Mandata & prohibitiones ex parte abbatis factæ non violentur. Conſtitutiones, collectæ, taliæ, conſilio & arbitrio abbatis ſemper fiant. Et ut hæc & prælibata cautius & inviolabiliter obſerventur, ſigillo noſtro proprio corroboravimus. Hæc omnia per me NAVARRUM diffinitive

finitive per ſententiam promulgata fuerunt apud S. Severum in clauſtro, anno milleſimo ducenteſimo octavo ab Incarnatione Domini idibus Octobris.

ADDENDA AD CONCILIUM Pariſienſe, anno 1212. a Roberto de Corceone celebratum.

Ex mſ. Aquicinctenſi.

Anno 1212. *IN mſ. Aquicinctenſi habetur illud concilium cum titulo:* Incipiunt inſtitutiones domini papæ & magiſtri Roberti cardinalis. *Et in prima quidem parte capitis* 19. *lacuna ita repleri debet.* Adhuc autem auctoritate prædicta decernimus, ut ſi quis beneficium, cui annexa eſt cura animarum, ſciens & prudens alicui clerico habenti in alia eccleſia perſonatum vel beneficium, cui annexa eſt cura animarum, tam dans quam accipiens ſe noverint excommunicationis vinculo innodandos. Sed & ſecundam collationem decernimus non tenere. Inſuper ſtatuimus quod ſi quis in diverſis eccleſiis ſive in eadem plures habuerit perſonatus, quibus animarum cura ſit annexa, & uterque ſit ſufficiens, uno illorum quem maluerit infra duos menſes dimiſſo, altero ſit contentus, alioquin omnes perſonatus amittat, &c.

Poſt quod ſtatutum ſequitur.

I. Cum multa oriantur ſcandala & opprobria *quæ nocent* eccleſiæ libertati, de eo quod perverſa conſuetudine quorumdam eorum filii ad interventum pecuniæ vel alio turpi modo ſuccedunt in præbendis & parochiis ipſorum, auctoritate qua fungimur, ſtatuimus ut filii priventur beneficiis ſic impetratis.

Poſt cap. xx.

II. Si prælatus vel quæcumque perſona emerit prioratum continentem decimas vel parochias, vel alia bona ſpiritualia, cum hæc de jure vendi non poſſint, denuntiamus talem contractum illicitum penitus irritandum. Et ſi ceperit talem prioratum ad vitam ſuam pro certa pecunia cauſa meliorationis, & non illum melioraverit, ſed potius in deteriorem ſtatum reddiderit, ſoluta ſumma pecuniæ, quam pro illo tradidit, reſtituat priſtinæ dignitati.

III. Statuimus præterea, ut quicumque officialis infamatus fuerit ſuper venditione juſtitiæ vel cujuſcumque ſacramenti, ab illo officio removeatur ab epiſcopo. Epiſcopus autem ſi eum amovere neglexerit, canonice puniatur.

IV. Item ſtatuimus, ut nulli habenti curam parochialem liceat ſæculares ſcientias addiſcere, ex quibus nullatenus poſſit ſubditorum ſuorum ſaluti prodeſſe. Immo ſi a prælato ſuo licentiam adeundi ſcholas obtinuerit, nihil niſi veram litteram aut ſacram paginam ad informationem parochianorum ſuorum addiſcat. Si enim de ſcholis ſuis omnibus quiſquilias ſæcularis ſcientiæ attulerit, & nullos flores de pratis cæleſtis philoſophiæ, ſecundum evangelium tamquam infatuatus rejiciatur, & ab omnibus conculcetur.

V. Item ſtatuimus contra prælatos & patronos, ne intuitu mutui, aut indebiti ſervitii a feneratoribus accepti, ad præbendas vel eccleſias filios vel nepotes feneratorum admittant.

VI. Si abbas, vel prior, vel patronus aliquis indignum præſentat epiſcopo pro cura paſtorali obtinenda, ſtatuimus ut talis præſentator & receptor canonica pœna lata contra illos qui opus Dei faciunt fraudulenter, puniantur.

VII. Si quis autem prælatus beneficium non vacans contra concilium Lateranenſe alicui contulerit, in eo puniatur in quo deliquit, ſcilicet, ut illa vice careat auctoritate conferendi tale beneficium, quod indigne præſumſit conferre, & major cui data eſt poteſtas, auctoritatem habeat conferendi illud.

VIII. Si abbas, vel prior, vel alius prælatus confeſſerit beneficium non vacans, & ſuper hoc det ei litteras patentes, vel certas penſiones, decernimus illam penſionem non tenere, & penſiones illas non debere perſolvi. Quod ſi factum fuerit, irritetur, & in pœnam ipſorum concedimus, quod epiſcopus loci conferat beneficium illud cum vacaverit.

IX. Nullus quæſtuarius vel conductitius prædicator pro hoſpitali vel pro alia domo admittatur ad prædicandum aliquo modo, propter enormia ſcandala quæ ſeminant hujuſmodi pſeudoprædicatores, tamen nuntii fideles canonici vel capellani cathedralis eccleſiæ boni teſtimonii, vel boni preſbyteri, parochiales ſcilicet, ad arbitrium archiepiſcopi vel epiſcopi loci, vel eorum quorum intereſt, pro hoſpitali & aliis cauſis pietatis admittantur pro adquirendis eleemoſynis ad uſus pauperum, vel reparationem eccleſiarum, nec talis admittatur, qui ſuper arcas & aſſeres miſſam celebret in contemtum Dominici Sacramenti.

X. Item ſtatuimus ſub pœna ſuſpenſionis, ne aliquis ſacerdos aut in nundinis aut alibi bifaciet (a) aut trifaciet miſſas contra canonicas ſanctiones. [*]

XI. Cum multæ parochiales eccleſiæ propter inopiam ſacerdotum debito ſervitio defraudentur, ſtatuimus ut auctoritate legationis noſtræ, & ſub pœna excommunicationis præcipimus, quatenus a patronis & ab aliis quorum intereſt, tam competenter provideatur ſacerdoti, ut divina ibidem poſſit honeſte celebrare. Competens autem judicamus ſecundum interpretationem domini papæ factam. Si autem aliquæ eccleſiæ, quæ olim

(a) Bifaciare eſt duas miſſas ſub uno canone dicere; trifaciare vero tres. Vide ſi lubet lib. 1. de antiquis eccleſiæ Ritibus, cap. 3. art. 1. num. 20.

opulentæ, ab aliquo fuerint reſectæ, niſi canonice factum fuerit, id irritum judicamus, & beneficia eccleſiarum redintegrari pleniſſime præcipimus, & ne de cetero fiat, ſub pœna excommunicationis inhibemus.

XII. Nullus ſacerdos ſæcularis vel religioſus, vel alius clericus ab epiſcopo admittatur ad curam animarum, niſi præmiſſa canonica examinatione. Unde ſi epiſcopo præſentetur ſacerdos, qui ſit quaſi truncus, neſciens idioma illius parochiæ ad quam præſentatur, talis non recipiatur. Et epiſcopus, ſi dignus præſentetur, non differat illum recipere bona fide, & talis ſit ætatis qui fuerit præſentatus, qualem determinat concilium Lateranenſe, & in brevi poſſit & debeat ordinari.

XIII. Cum quidam canonici juraverint, quod reſidentiam facerent in diverſis eccleſiis; ſtatuimus ut compellantur ad alterius reſignationem, & in altera debitam facientes reſidentiam, una illarum ſint contenti.

XIV. Statuimus ut de novalibus laïci nullo modo decimam percipiant, immo eam ſine aliqua diminutione eccleſiæ perſolvant.

XV. Si quis habens parochiam in aliqua eccleſia præbendetur, ad alterius beneficii reſignationem, cujus voluerit, compellatur.

XVI. De canonicis & clericis tenentibus parochias & præbendas, in inferioribus ordinibus conſtitutis, & nihilominus matrimonio copulatis, ſtatuimus & ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis prohibemus, ne ſic uxorati in ſcandalum populi miniſtrent altari. Decrevimus etiam eos privandos beneficio eccleſiaſtico, illis dimiſſis in matrimonio, eo quod nullatenus debent arare in bove & aſino.

XVII. Si quis uxoratus clericus in inferioribus ordinibus conſtitutus, teneat præpoſituras & baillivas eccleſiæ, in qua non poteſt de jure, obſtante matrimonio, deſervire; cum illa bona quæ tener, de eccleſia non poſſint ad laïcos uſus tranſire, ſtatuimus ſub pœna excommunicationis, quod tales quod tenent, eccleſiæ penitus reſtituant.

XVIII. Si quis in ſacris ordinibus conſtitutus de facto contraxerit matrimonium, ab omni officio & beneficio ſuſpendatur, & non poſſit abſolvi, niſi per dominum papam.

XIX. Sacerdotes qui ex negligentia vel avaritia noluerunt habere libros ad matutinas per ſingulas ferias decantandas, immo tota ſeptimana, omiſſis canonicis horis & matutinis, miſſam celebrant; ſtatuimus, & ſub pœna ſuſpenſionis præcipimus, ut libros ad hoc deputatos, aliis expenſis omiſſis, adquirant, & ſecundum canonicas ſanctiones horas matutinales & alias canonicas decantent.

XX. Item ſecundum canonicas ſanctiones ſub pœna excommunicationis præcipimus, quod ſi quis clericus infamatus fuerit, quod illud beneficium per ſimoniam adquiſierit: ſi defecerit in purgatione, vel alias canonice ſuper hoc convictus fuerit, a beneficio & officio ſic adquiſito ſuſpendatur.

XXI. Statuimus ut cum contigerit aliquam præbendam in eccleſia vacare, ſtatim dignæ perſonæ, ne perdat ſervitium, ſecundum inſtituta canonica conferatur, ut illa prava aboleatur conſuetudo, qua quædam eccleſiæ ſolent tot vacantes præbendas a collatione tamdiu ſuſpendere, ut unuſquiſque ex communi aſſenſu nepoti vel conſanguineo ſuo quocumque parvo vel indigno poſſit ad arbitrium ſuæ voluntatis mendicare.

XXII. Inhibemus ne quis clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, in ſotularibus habeat roſtra, & ne palliolo de cendallo inhoneſte amictus, ſaltem per plateas incedat.

XXIII. Item, ne quis clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, niſi forte quem paupertas attenuat, in ſupertunicali, ſine cappa vel mantello per vicos civitatis incedat.

EXPLICIUNT INSTITUTIONES DE CLERICIS.

INCIPIUNT DECRETA de regularibus & monachis.

Cap. 8. *poſt hæc verba*, Recipiatur in aliud cœnobium religionis, *additur*: Salva regula B. Benedicti & privilegio domini papæ.

Poſt caput IX.

Quia multa ſcandala & enormia contingunt ex crapula quorumdam monachorum, ante carniprivium per tres ſeptimanas vel per menſem ſe delicatis carnibus & exquiſitis ſallamentis ſeſe ingurgitantium; ſtatuimus ſub pœna excommunicationis, ne a modo talibus intendant commeſſationibus, ſed ſicut in aliis temporibus monaſticæ vitæ & ordinationi religioſæ ſe conforment.

Cap. XXVI. *ita legitur*: Prioratum etiam nulli clerico vel laïco liceat ad vitam emere, nec ad terminum, nec in fraudem iſtius conſtitutionis aliquid facere præſumat, cum dicat Apoſtolus, *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, & in clerico tale lucrum turpis quæſtus reputari debeat; generaliter vero nec clericis nec laïcis prioratus vel domus religioſæ ullo modo dentur ad firmam.

Poſt caput XXVII.

Conſtituimus etiam ut abbates & priores & præpoſiti religioſorum, ſi fuerint manifeſte remiſſi & negligentes circa obſervantiam ordinis, & correptionem ſubditorum, non promoveantur ad dignitates ſeu majora officia: & ſi poſt admonitionem ſuperioris ſe non correxerint, ab officio quod eſt abbatis, vel prioratus, vel præpoſituræ deponantur. Si vitam reprobam manifeſte duxerint, id conſtituimus obſervandum.

Item, cum abbates & monachi & viri religioſi præ aliis omnibus ſignum humilitatis debeant habere; ne a modo dextrarios (*a*) [*a*]

(*a*) Dextrarii ſunt equi majores & cataphracti, quibus in bellis & præliis potiſſimum utebantur.

equitare præſumant prohibemus diſtricte. Non etiam frequenter & manifeſte excedant in ſumtibus, nec juvenes evidenter nimis laſcivos & ſuſpectos in familia ſua habeant.

De prælatis institutiones.

Sequentes conſtitutiones in concilio Pariſienſi quartam partem faciunt, hic vero tertiam.

Poſt caput IX. *additur*, Nullas exactiones ſuper ſacerdotes vel abbatias vel clericos alios facere præſumentes.

Poſt caput XVII.

Item, ſi prælatus aliquis in officio ſuo doloſe vel negligenter manifeſte ſe habuerit; ita quod ſit veriſimile, quod bonus vir ita ſe non haberet; ad majorem adminiſtrationem non promoveatur de cetero.

Cap. XIX. *additur*, Ad quæ facienda ſacerdotes proprios præcipimus advocari.

Poſt capat XX.

Si autem prælati aut canonici aut quæcumque aliæ perſonæ in hoc ſummæ infamationis vitium poſt Remenſe concilium inciderint, ipſo facto, tamquam ſi in clericum manus violentas injecerint, ſciant ſe excommunicationis & tanto arctiori vinculo ſe noverint innodatos, quanto hoc vitium quod ſit contra formam & figuram Jesu-Christi flagitioſius noſcantur incurriſſe, juxta illud Auguſtini ſuper Geneſim: *Fere dimiſit Dominus incarnari, quia prævidit hoc tam perniciosum flagitium patrandum in forma quam ſumſit de Virgine glorioſa.* Et tales non abſolvantur niſi a papa.

Poſt cap. XXI.

Si vero magiſtri puerorum & alii qui ſuper hoc manifeſte ſuſpecti & infamati ſunt, de cetero incidant in hoc vitium, ipſo facto ſciant ſe excommunicatos.

Hoc autem & cetera ſupradicta ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis epiſcopis præcipimus.

Institutiones de monialibus.

In concilio Pariſienſi non quarto ſed tertio loco ponuntur.

Cap. II. *additur*, Et ſint lampades ardentes tota nocte in dormitorio.

Cap. V. *additur*, Ante ſeptennium nullus de cetero recipiatur.

Omittuntur vero cap. IX. X. XI. XII. XIII. *& ſeq.*

Pars V. De usurariis et raptoribus.

I. Statuimus quod nullus ſimoniacus vel fenerator, vel raptor poſſit condere teſtamentum, vel legare aliquid uxori ſuæ, vel filiis, aut filiabus, vel nepotibus, aut monaſteriis, aut quibuſcumque perſonis; cum offerre aliquid de rapina nihil aliud ſit quam immolare filium in conſpectu patris, & cum ex præcepto Domini nulli liceat offerre pretium carnis aut proſtibuli ſuper altare Domini.

II. Statuimus ſub pœna excommunicationis, ne nutrix Chriſtiana nutriat filium Judæi, & ne Chriſtianæ obſtetrices interſint puerperio Judæarum, nec alii Chriſtiani eis ſerviant, ne per ſuperficialem legis ſuæ probabilitatem, quam prave exponendo prætendunt, ſervientes Chriſtianos ſecum commorantes in ſuæ incredulitatis inducant baratrum.

III. Statuimus ſub pœna excommunicationis, ne quis clericus nundinarius vel alius feneratori ſerviat, aut computationes uſurarum aut venditiones uſurarii ad terminum vel contractus ejus uſurarios de nundinis ad nundinas ſcribat, & quod nullus advocatus cauſam uſurarii vel hæreſis defendat. Cum ſubmonitus deſiſtere noluerit, primo ab officio & beneficio ſuſpendatur, deinde excommunicetur.

IV. Statuimus de ſpeciali mandato domini papæ in remedium uſurariorum volentium converti ab uſuris, ut ea quæ per uſuram adquiſierunt vel rapinam, in manus ſui prælati, legati, vel miſſi, corde & ore reſignent, ut ipſe Deum habens præ oculis, de illicite adquiſitis ex quo poſita ſunt in ordinatione ſua, conſideratis diligenter omnibus penes ipſum circumſtantiis, ordinet ſecundum Deum quæ viderit ordinanda: ut ſi indigeat, ſi plures parvulos habeat, ſi crucem accipiat, ſi valetudinarius exiſtat, cum eo licite diſponere valeat, dando ei auctoritate eccleſiæ, cujus vice in hac parte fungitur, quæ viderit ſecundum ſtatum ejus expedire, vel militibus, aut monaſteriis, aut quibuſcumque perſonis de eis conquerentibus, a quibus fenerator uſuras accepit reſtituat. Prædictus prælatus mediator inter feneratores & ſpoliatos partem uſurarum ab eo raptarum, ſecundum quod Deus ei inſpiraverit, dummodo ſpoliatus ſicut fenerator in arbitrium prælati ſe abſolute poſuerit, reſtituat. Si autem per iſta ſana & dulcia conſilia feneratores ſe magis contra eccleſiam obduraverint, & converti ab uſura noluerint aliquo modo, immo eam & ſtatum ſuum in ea pertinaciter defenderint, nolentes audire aut prælatum ſolum, aut eum cum teſtibus, aut eccleſiam, tunc ferro eſt utendum ad reſecandum talia putrida membra, ne totum corpus ſcandalizent, & ne per eos ſincera pars trahatur, ſicut fit per hæreticos, quibus hi obdurati ſunt deteriores.

V. Omnibus prælatis in virtute Spiritus-ſancti & ſub interminatione diſtricti judicii præcipimus, ut ad extirpandam infectionem totius eccleſiæ, videlicet uſuram quocumque modo aut manifeſtam, aut aliqua ſimulatione palliatam, inquiſitiones faciant canonicas & legitimas de his qui ſuper hoc fuerint infamati, non habito reſpectu ad mundanum timorem, vel amorem, vel gratiam, vel odium. Sub pœna igitur excommunicationis & in remedium pœniten tiæminoribus parochianis

injungant, & si necesse fuerit, specialiter per censuram ecclesiasticam compellant, ut super his veritati testimonium perhibeant. Nomina autem illorum, de quibus sic eis per testes constiterit, quod sint usurarii, in matricula scribantur, & si post trinam admonitionem factam publice & nominatim, tamquam nolentes audire solum prælatum, vel ipsum cum testibus, vel ecclesiam; tamquam ethnici & publicani coram omnibus denuntientur excommunicati, pulsatis campanis, extinctis candelis, singulis Dominicis diebus & festivis excommunicentur, nec eis liceat appellare, & omnia ecclesiastica sacramenta eis denegentur, oblationes eorum nullatenus recipiantur, & cum in fine vitæ suæ ad ammonitionem prælatorum suorum noluerint desistere, vel usuras restituere pro posse suo recusaverint, præcipimus ne quis sacerdos vel monasterium eleemosynam ejus, vel cum ad sepulturam in morte recipiat, immo de ipsis consilio prudentium duximus sic statuendum, ut dominus terræ bursam & totam ejus possessionem per usuram adquisitam saisiat, ut ordinet de ea arbitrio ecclesiæ, & canes civitatis carnem eorum turpiter ab ecclesiæ foribus ejectam corrodant, & dæmones eorum animas impœnitentes divino judicio asportent.

VI. Sub eadem districtione præcipimus, quod postquam fenerator nominatim fuerit excommunicatus, omnes ei servientes, præter personas exceptas a canone Gregorii & istius Innocentii, excommunicationis simili vinculo innodentur.

VII. Si qui sacerdotes, vel abbates, vel quæcumque personæ religiosæ hujusmodi feneratores post denuntiationem in ecclesiis factam, ad oblationem, aut sepulturam, vel habitum religionis sine sufficienti satisfactione spoliatis exhibitæ, scienter receperint, ipso facto se noverint excommunicatos, & ab officio & beneficio suspensos, & non possint absolvi, nisi a summo pontifice.

VIII. Cum ex insita antiqui hostis malitia sint a feneratoribus & exactoribus fere in singulis urbibus & oppidis & villis totius regni Franciæ pertinacissime synagogæ constitutæ, quas vulgariter communias vocant: quæ diabolica instituta, ecclesiasticis institutis contraria penitus in conversionem* totius ecclesiasticæ jurisdictionis adinvenerint, præcipimus sub interminatione districti judicii, ne quis occultatione conquestionis factæ coram episcopo, de usura vel aliis criminibus illatis a prædictis feneratoribus, compellantur sustinere pœnas statutas a prædictis synagogis, quas in defensione suæ usuræ, & subversione totius ecclesiæ statuerunt. Est autem hæc una pœna, quod si quis conqueratur episcopo de usuris vel indebitis exactionibus, tot a cavillationibus accusatur erga dominum terræ, quod statim ad interventum magnæ summæ pecuniæ datæ domino terræ ab ipso capiatur, & captus tandem in carcere detineatur, quoad usque desisterit a causa proposita coram episcopo contra feneratorem. Alia est pœna eorum, quod si quis coram episcopo proponat querelam de aliquo tali feneratore, statim judicio synagogæ, id est communiæ, & nihilominus pœna XL. librarum puniatur, & aliæ multæ pœnæ infligantur eisdem. Unde sub pœna suspensionis & excommunicationis statuimus, quod nullus advocatus sciens & prudens defendat tales synagogas contra ecclesias vel episcopos, cum jura ecclesiastica nihil in his, quantum in se est, pro quæstu enervare videantur.

IX. Generaliter autem omnibus principibus, baronibus, vel quibuscumque justitiariis sæcularibus & sub pœna excommunicationis districte inhibemus, ne aliquid statuant vel præcipiant manifeste vel occulte, quominus fideles quicumque venire audeant ad ecclesiam, justitiam & ibi plenum jus accipere vel facere, quominus audeant dare vel offerre ecclesiæ vel sacerdoti vel ad alios pios usus, eleemosynas, oblationes, & alia quæ solent facere more consueto vel ex debito, vel secundum quod Deus eis inspiraverit: indubitanter sciturі, quod si hoc fecerint & pertinaces extiterint, cum illud hæresim sapiat, ne tamquam hæretici puniantur, poterunt sibi timere.

X. Cum uxor feneratoris agit causam spoliatorum, vivat parce de iis quæ ministrat ei vir suus de spoliis usuræ, non quia ipse possit ei dare, cum non sint suæ, sed quia ipsa advocatrix est spoliatorum pro melioranda eorum causa, emolliendo cor viri sui, & inducendo virum suum ad faciendam condignam restitutionem sic ablatorum. Si autem invenerit cor viri sui impœnitens & incorrigibile, & se nihil erga ipsum perficere posse pro facienda debita restitutione; tunc tenetur modis omnibus quærere separationem mensæ ejus & convivii, sed numquam thori, ut prius mendicet ab amicis vel aliis quo vescatur & vestiatur, quam hujusmodi tam morticino & quasi idolotito fœdæ usuræ contra Deum pascatur. Et si ad tantam devenerit valitudinem, ut sit tota decrepita vel leprosa, aut ab omnibus deserta, ut nullus ei velit panem porrigere, in ingruentis mortis articulo; in tanta necessitate, potest sumere cibum a viro suo, non animo rapiendi sicut vir, sed animo restituendi, cum Deus concesserit ei opportunitatem. Hoc idem præcipimus filiis & filiabus, & nepotibus fœneratorum, quam cito paternis alis volitare incipiunt, sicut cum pulli corvorum sunt implumes, & solo rore cœli, non morticino pascuntur: ita a malitia paterna judicantur immunes, cum adeo pueriles sint quod animum non habent consentiendi.

* f. subversionem.

ITEM DE USURARIIS.

I. Cum feneratores & maligni ecclesiæ persecutores

perſecutores ubique erigant ſynagogas malignantium, contradictionibus ſuis contra Deum & eccleſiam propoſitis, ipſi de novo erexerunt novas ſcholas filiorum ſuorum & doctrinas illorum contra vera rudimenta ſcholarum, facientes eos informari ad ſcribenda debita patrum ſuorum per uſuram adquiſita: ideoque ſtatuimus, ut a modo non liceat illis hæc artificia ſcribendi, ſed veram doctrinam addiſcere, cum nulli liceat locupletari jactura alterius.

II. Statuimus quod ſi quis vaſſallus, vel filius ejus, vel quæcumque perſona ſubjecta principi per violentiam ceperit clericum vel bona ipſius, vel cruce ſignatum, vel aliquam perſonam religioſam, vel bona eccleſiæ; ſi raptor poſt primam & ſecundam admonitionem ſatisfacere noluerit, excommunicationis vinculo innodetur, & ſi princeps ſub cujus dominio noſcitur permanere, monitus noluerit compellere eum ad ſatisfactionem, prout debet, vel ſi manum auxiliatricem ei ad hujuſmodi maleficia perpetrandà exhibuerit, ſimili coërcionis vinculo conſtringatur.

III. Dicimus de parte raptoris, quod ſi filium ſuum poſt ammonitionem factam receperit, nec pro ipſo emendaverit, excommunicationis vinculo innodetur.

De ſtratis publicis.

I. Si qui clerici aut laïci publicas ſtratas per ſe vel per alios frangant, & bona tranſeuntium rapiant, & ipſos in carcere detineant, ſi moniti a tali malitia non deſiſtant, vel ſuos deſiſtere faciant, ſimili ſententia percellantur.

II. Statuimus etiam quod cum villa aliqua ſubjicitur interdicto, non relaxetur interdictum, nec excommunicatio ſine aſſenſu epiſcopi, donec ſatisfactum ſit ſacerdoti de ſuis damnis quæ paſſus eſt ratione interdicti.

III. Cum nulla inſtitutio principis poſſit infringere ſtatuta novi & veteris teſtamenti, aut inſtituta canonum, præcipimus ut in omni cauſa liceat cuilibet fideli inducere teſtes fideles contra Judæum & infideles.

De Templariis & Hoſpitalariis.

Statuimus ut Templarii & Hoſpitalarii canonici in eccleſiis ſuis idoneos conſtituant capellanos, qui curam habeant animarum in eiſdem, & ſub excommunicatione inhibemus, ne formam privilegiorum ſuorum excedant.

De decimis ſolvendis.

In decimis reddatur eccleſiis decima portio cum integritate. Qui non reddiderint, excommunicentur.

De ſortilegis.

Phitoniſſas, & ſortilegas, & earum fautores & receptatores, & ad ipſas currentes excommunicamus.

De meretricibus.

Inhibemus etiam ne publicæ meretrices, quarum cohabitatio ex frequenti uſu ad nocendum efficacior peſtis eſt, intra civitatem vel oppida permittantur habitare, immo potius juxta leproſorum conſuetudinem ſequeſtrentur. Quod ſi præmonitæ ſecedere noluerint, per excomunicationis ſententiam percellantur.

De leproſis.

De domibus, *extat in concil. Pariſ. part.* 3. *cap.* 9.

EXPLICIUNT INSTITUTIONES DOMINI PAPÆ ET CARDINALIS.

STATUTA IN CONCILIO apud Toloſam promulgata per dominum Romanum S. Angeli diaconum cardinalem, apoſtolicæ ſedis legatum, anno Domini MCCXIX.

Ex mſ. codice bibliothecæ regiæ.

I. INhibemus ne prælati, barones, milites, ſeu quicumque domini terrarum hæreticis vel credentibus eorum ballivias ſeu adminiſtrationes terrarum ſuarum committant; ſed nec eos, aut etiam aliquos diffamatos de hæreſi, vel quos credant de hoc eſſe ſuſpectos, in ſua familia vel ſuo conſilio habere vel retinere præſumant. Illos autem debent pro diffamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram epiſcopo loci legitime conſtiterit conſtitiſſe.

II. Item, ſtatuimus quod parrochiani, dominus & domina cujuſlibet domus, dominicis & feſtivis diebus, in quibus ab operibus eſt ceſſandum, teneantur ad eccleſiam venire, audituri ex integro prædicationem & divinum officium: nec inde receſſuri donec miſſa compleatur omnino. Quod ſi alter illorum abſens, fuerit extra villam, vel alia legitima cauſa rationabili præpeditus, alter ſaltem teneatur venire. Quod ſi non fecerint, dummodo ſint in villa præſentes, nulla infirmitate ſeu alia rationabili cauſa detenti, duodecim denarios Turonenſes ſolvere quilibet teneatur, quorum medietas ſit domini villæ, & alia ſacerdotis eccleſiæ.

III. Sabbato quoque circa veſperas, ob reverentiam B. MARIÆ Virginis, eccleſias ſuas cum devotione viſitent.

IV. Dies feſtos dicimus ſicut in canone continetur, Natale Domini, S. Stephani, S. Johannis Evangeliſtæ, SS. Innocentium, S. Silveſtri, Circumciſionem Domini, Epiphaniam, Purificationem, Adnuntiationem, & Aſſumtionem & Nativitatem B. Mariæ Virginis, Paſcha cum duobus diebus ſequenti-

[a] bus, Rogationum tribus diebus, (a) natale S. Johannis-Baptiſtæ, inventionem & exaltationem Sanctæ Crucis, XII. Apoſtolorum, S. Mariæ Magdalenæ, S. Laurentii, S. Martini, S. Nicolai, dedicationem S. Michaëlis, dedicationem cujuſcumque eccleſiæ, etiam feſtivitates cujuſlibet ſancti, in cujus honore conſtituta eſt eccleſia. Item, omnem Dominicam. In his itaque diebus, & etiam in aliis feſtivitatibus eſt feriandum pro locorum conſuetudine, prout prælatus injunxerit, &c.

CONCILIUM TREVIRENSE anno MCCXXVII. celebratum.

Ex mſ. codice monaſterii S. Matthiæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Sequens Trevirenſe concilium deſcripſi ex veteri codice mſ. inſignis monaſterii S. Matthiæ Trevirenſis, ante annos 400. *exarato, cujus initio habetur Lugdunenſe ſub Gregorio X. concilium, deinde hoc Trevirenſe, tandem* liber inſtructionum ad clerum, compoſitus per venerabilem dominum G. Durand epiſcopum Mimatenſem. *In fine vero hujus concilii celebratum dicitur Treviris in eccleſia S. Mariæ Majoris, anno Domini* MCCXXVII. *cal. Martii. Sed vereor ne omiſſa littera* L. *error ſit in numero, & legendum ſit* MCCLXXVII. *& certe hic fit mentio Lugdun. concilii, quod anno* LXXIV. *celebratum eſt.*

INCIPIUNT STATUTA CONCILII TREVIRENSIS.

1. PRæcipimus firmiter & diſtricte, quatenus omnes ſacerdotes de cetero nigris cappis & rotundis vel ſuperpelliciis cum ſtolis ſynodum intrent, & tam eundo quam redeundo ita honeſte in hoſpitiis ſuis ſe habeant, ne ſtatus clericorum vertatur in contemtum.

2. Item præcipimus firmiter ſub pœna ſuſpenſionis, ut unuſquiſque ſacerdos penes ſe habeat ſtatuta concilii Trevirenſis & præcepta ſynodalia, & ſingulis menſibus legant, vel legi ſibi faciant, & librum, in quo continentur, ad ſynodum ſecum deferant, & in manibus ſuis teneant ibidem.

(a) Hic haud dubium oſcitantia ſcriptoris omiſſa ſunt feſta Aſcenſionis & Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus.

I. *De baptiſmo & ejus ſpeciebus.*

3. Baptiſmus cum reverentia & honore celebretur in aqua communi ſub hac forma: *N. ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Et laïci doceantur a ſacerdotibus ſuis ſic baptizare, etiam mulieres, ut ſciant in articulo neceſſitatis, & diſtincte proferantur, id eſt cum quadam magna diſcretione, omnia verba in baptiſmo, maxime prædicta, in quibus tota vis ſacramenti conſiſtit. Et Gallici ſacerdotes in Romano doceant laïcos quomodo debeant baptizare parvos pueros ſuos in neceſſitate, etiam pater & mater cum intentione baptizandi, *Je te baptoi en nomme do Patre, & do Fis, & do Sainte Eſperit.* Theutonici vero dicant: *Jeh deuffen dich N. in dē name des Vaderez, in de des Sounes, in de des Heilegen geiſtos.* Et ſemper interroget ſacerdos laïcum, cum in neceſſitate baptizaverit, quid dixerit, aut quid fecerit; & ſi invenerit cum diſcretione baptizaſſe, & formam verborum obſervaſſe, & intentionem baptizandi habuiſſe, approbet factum, & faciat ſibi deferri puerum, & non baptizet eum, ſed chriſmate inungat eum, & dicat illa verba quæ dici ſolent. Sin autem, rebaptizet eum. Ad levandum puerum de fonte tres admittantur, quod amplius eſt a malo eſt.

II. *Sequitur de confirmatione & inunctione.*

4. Moneant ſacerdotes populum ſibi ſubditum frequenter ad confirmationem, quia in hoc ſacramento datur Spiritus ſanctus ad corroborationem fidei per ſanctam Trinitatem; & pueri adulti accedentes ad confirmationem, prius pure confiteantur.

5. Item, ad ſacramentum extremæ unctionis moneant ſacerdotes populum ſibi ſubditum, quia in medicina corporis & animæ, & pluries poteſt iterari, quando contingit pluries lethaliter, id eſt mortaliter ægrotare; ſed baptiſmus nec confirmatio pluries non poſſunt iterari: & ſacerdotes exhibentes devote exhibeant, & ipſa verba extremæ unctionis proprio ore proferant, nihil indę exigentes ab infirmis.

III. *Sequitur de Euchariſtia.*

6. Sacramentum Euchariſtiæ ad minus ſemel in anno ſuſcipiant laïci, prius contriti & pure confeſſi ſuo proprio ſacerdoti, vel viris litteratis, hominibus auctoritatem delegatam & habentibus licentiam a ſacerdote loci, ubi volunt vel debent audire confeſſionem. Si qui autem hoc obminiſtrant ſine licentia ſuorum propriorum ſacerdotum, illi nobis vel officiali noſtro denuncientur, ſuper hoc, ut juſtum fuerit, corrigendi.

7. Corpus Domini cum campanula & lucerna & luminibus honorifice & decenter portetur ad infirmos.

8. Si aliqua negligentia contigerit in hoc sacramento, videlicet obmittendo, effundendo, spargendo, vel evomendo, jussa canonum observentur.

9. Item, sacerdotes moneant populum sibi subditum, ut inducant eum ad sequendum corpus Domini devote sine clamore, cum contigerit sic portari.

10. Item, hostia ante transubstantiationis verba non elevetur, ut videri possit a populo, ne panem adoret.

11. Item sacerdos, quando in necessitate oportet eum duas missas celebrare, si ad primam missam post sumtum sanguinem ablutionem sumserit, jejunus non est ad secundam missam, nec ei licebit celebrare secundam missam. Tamen illa ablutio tradatur alicui homini existenti bonæ vitæ & honestæ & continenti personæ, & non detur cuilibet rudi & indiscreto rustico existenti.

12. Item sacerdos, quando celebrat missam, sumat ipsemet corpus Domini, & alteri non det ad sumendum, nec pro infirmis sumat, quia nullo modo fieri debet. Qui autem contra fecerit, pœna gravi punietur, quia plus peccat dimittendo quam sumendo.

13. Item, sacerdos qui celebrat missam, debet conficere corpus Christi, & canonem legere: aliàs peccat mortaliter, quia facit populum adorare panem simplicem, quod est idololatria.

14. Item, nullus sacerdos celebret missam cum hostia consecrata aliquo modo, quia gravissime peccaret, & gravissime puniretur.

15. Item, nullus sacerdos det hostias non consecratas pueris vel aliis hominibus pro corpore Christi, quia nullo modo fieri debet.

16. Item, nullus sacerdos det corpus Domini pueris vel infirmis, qui cibum non valent retinere.

17. Item, nullus sacerdos propter occulta peccata mortalia, quæ scit per confessionem, debet negare corpus Domini alicui publice: peccat enim graviter quilibet sacerdos faciens hoc quod facere non debet.

18. Item, ex relatione multorum audivimus, quia quidam sacerdotes sunt, qui in Pascha Domini licentiant suos subditos ad communicandum non confessos in mortalibus peccatis, ut post Pascha confiteantur, eo quod ipsi sacerdotes nimis tarde inceperunt audire confessiones suorum subditorum, & ideo non possunt eos audire; quod ne de cetero fiat sub pœna suspensionis & excommunicationis firmiter præcipimus, & districte inhibemus.

IV. *In quo loco confessio sit audienda.*

19. Sacerdotes confessiones suorum subditorum recipiant in loco patulo, & sacerdotes non absolvant confitentes, nisi pœnitentiam promittentes.

20. Item, sacerdotes remittant ad nos vel nostrum pœnitentiarium peccata graviora, scilicet homicidia, sacrilegia, & maxime de corpore Christi, de chrismate & oleo sancto, de aqua baptismi; perjuria & falsa testimonia, & peccata quæ sunt contra naturam, simonia, incestum monialium, consanguineorum, & defiorationem virginum, veneficia, injectores manuum in parentes, vota fracta, incendiarios, usurarios, etiam illos qui parvulos pueros suos opprimunt, etiam & illos qui pueros suos sine baptismo perire permittunt.

21. Item, nullus sacerdos præsumat absolvere aliquem existentem reum in casibus pertinentibus ad dominum papam vel ejus legatos, nisi cautione idonea vel satisfactione præcedente, vel in articulo mortis. Primus casus est de illo qui verberat clericum vel religiosum. Secundus casus est de illo qui incendit ecclesiam, & est denunciatus excommunicatus ab episcopo. Tertius casus est de illo qui frangit ecclesiam, & est similiter excommunicatus ab episcopo. Quartus casus est de illo qui scienter & sponte communicat excommunicato a domino papa, & eos recipit in divinis officiis. Quintus casus est de illo qui falsificat litteras domini papæ. Sextus casus est de illo qui communicat alicui excommunicato a domino papa, in crimine scienter impendendo ei consilium, auxilium & favorem.

22. Item, nullus sacerdos absolvat aliquem a sententia excommunicationis . . . . in eum auctoritate superioris, nisi in articulo mortis.

23. Item, præcipimus firmiter & districte, ut sacerdotes in casibus perplexis, id est dubitamentis & erroneis, mittant subditos ad peritiores se, qui habent auctoritatem super hoc delegatam.

24. Item, nullus sacerdos revelet confessionem, directe vel indirecte, nutu, verbo vel signo, generaliter vel specialiter; alioquin in degradatione honoris sui gravissime & indesinenter punietur.

25. Item, in usura, furto, rapina, fraude acquisitis, caveant sibi sacerdotes, ne injungant pœnitentias vel missarum, vel eleemosynarum, vel hujusmodi, priusquam ablata reddiderint, vel de reddendo cautionem præstiterint, si habeant unde restituant.

26. Item, nullus sacerdos ex cupiditate sua injungat in confessione missas, nec septennale, nec tricennale, nec annale; & pro vivis nullum fiat tricennale, nec annale.

27. Item, in confessione non requirat sacerdos nomina personarum cum quibus peccaverint confitentes, sed circumstantias tantummodo & qualitates, quæ notantur in hoc

verſu, *Quis, quid, ubi, per quos, quotiens, cur, quomodo, quando.*

28. Item, ſacerdotes cauti ſint in interrogationibus de peccatis, ne ſimplicibus detur occaſio faciendi quod prius neſciverunt.

29. Item, nullus ſacerdos non ſibi ſubditum recipere præſumat in confeſſione, ligare, vel abſolvere, niſi de licentia noſtra, *alia manu*, vel preſbyteri ſui, & ex cauſa rationabili & honeſta.

30. Item, ſacerdotes in caſibus in quibus abſolvere poſſunt, his verbis utantur in abſolutionibus ſuis: *Auctoritate qua fungor ego te abſolvo a vinculo excommunicationis, & reſtituo te unitati eccleſiæ ſanctæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.*

31. Item, inhibemus firmiter & diſtricte, ne aliquis ſacerdos ſcribat peccata confitentium in litteris apertis, ſed tantummodo clauſis.

V. *Sequitur de matrimonio & ejus ſpeciebus.*

32. Matrimonium cum honore & reverentia in facie eccleſiæ celebretur.

33. Item præcipimus diſtricte, ut antequam matrimonium contrahatur, fiant edicta in tribus diebus dominicis & feſtivis, quod tales volunt contrahere; ſi aliquis ſcit impedimentum, votum ſcilicet, conſanguinitatem, affinitatem, compaternitatem, & hujuſmodi, dicat. Et ſi nullum impedimentum invenerit ſacerdos neque a populo, neque a contrahentibus, conjungat eos ſub debita forma verborum, & proſequatur officium nuptiarum, ſicut ſcriptum eſt in libris ordinarii.

34. Item, clandeſtina matrimonia prohibemus ſacerdotibus, ne aliquo modo ab eis fiant.

35. Item, nulla perſona ignota recipiatur ab aliquo ſacerdote ad contrahendum matrimonium, ſine littera epiſcopi ſui, vel officialis, vel perſonæ autenticæ cui fides ſit adhibenda.

36. Item, prohibemus firmiter & diſtricte, ne laïci, quicumque ſint, auctoritate ſua ſine ſacerdote aliquos matrimonialiter audeant conjungere. Quod ſi fecerint, tam ipſis quam eis in hoc aliqui conſentientes, uſque ad dignam ſatisfactionem excommunicentur, & alias pœna gravi puniantur, & hoc diebus dominicis præcipimus per presbyteros ſubditis ſuis denunciari & intimari. In matrimonio autem celebrando obſervetur hæc forma verborum, ut dicat vir mulieri: *Accipio te in meam uxorem*; mulier autem e contrario viro dicat: *Accipio te in meum maritum*, & hæc verba ſint de præſenti, non de futuro. Verba autem in ſponſalibus obſerventur: *Accipiam te in meam uxorem, Accipiam te in meum maritum*, ita ut ſint verba de futuro & non de præſenti.

37. Item, præcipimus ut pro benedictionibus nuptiarum, ſicut nec pro aliis ſacramentis conferendo, nullus ſacerdos aliquid exigere audeat aut præſumat.

38. Item, cum libera debeant eſſe matrimonia, inhibemus, ne quis conſanguineus, affinis, vel alius habens poteſtatem ſuper volentes matrimonio conjungi, recipiat quocumque colore quæſito aliquam pecuniam pro matrimonio contrahendo, vel contrahendo impediendo.

VI. *De eccleſiis & ad eas pertinentibus.*

39. Item, munda ſerventur vaſa miniſterii, & veſtes & pallæ altaris; ampullæ chriſmatis non ſint vitreæ, ſed de aliquo metallo, maxime de ſtagno; & diligenter diſcernant ſacerdotes, in quo vaſe ſit chriſma, in quo vaſe ſit oleum ſanctum, in quo vaſe ſit oleum infirmorum.

40. Item, præcipimus ut illi qui tenentur ornare eccleſias, in coopertura videlicet, in libris, in veſtimentis, & aliis neceſſariis ad eccleſias pertinentibus, eas exornent, & faciant hoc quod tenentur: ita quod exinde non poſſint redargui, ſed ut magis debeant & poſſint ab aliquo commendari.

41. Item, ſacerdotes ſive preſbyteri habeant hoſtias decentes & non putridas vel muſcidas, in mundo vaſe.

42. Item, quando corporalia lavanda ſunt, primo ponantur a ſacerdote in aquam, & poſtea tradantur alicui religioſæ perſonæ ad lavandum.

43. Item, præcipimus firmiter & diſtricte, ut aqua baptiſmi, oleum ſanctum, chriſma, oleum infirmorum, corpus Domini diligenter & ſub firma cuſtodia & ſera cuſtodiantur, & in tali vaſe, quod cum ipſo ſacramento non valeat leviter apportari. Quicumque autem ſacerdotes in hoc negligentes fuerint, graviſſime punientur.

44. Item, ſacerdotes non dimittant altaria ita parva, ut in eis cum timore celebrare oporteat.

45. Item, ſacerdotes firmiter præcipiant ſubditis ſuis, ut cimiteria eorum firmiter ſerentur, ne pecora & alia animalia intrent.

46. Item, nullus eccleſiam audeat obligare pro debitis alienis, alioquin nihil valeat,* & ſic ſit ſuſpenſus ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium. Idem dicimus de monacho pro laïci debitis obligato.

47. Item, nullus ſacerdos portionem ab antiquo aſſignatam audeat minuere, ſeu eccleſiam conſtituere cenſualem.

48. Item, non permittant ſacerdotes ludos theatrales fieri in eccleſia, & alios ludos inhoneſtos.

49. Item, eccleſia debet reconciliari, ſi conjuges vel alii in eccleſia commiſceantur. Idem dicimus de cimiterio. Item pro ſimplici fornicatione. Item pro adulterio & homicidio

* Videtur deeſſe *contra-dicit.*

micidio. Item pro effuſione ſanguinis violenta ibi facta.

50. Item, nullus in odium alterius altaria denudet, vel crucifixum deponat, vel ſpineis coronis circumdet, vel pro vivis cantet miſſam pro defunctis, vel nomine eorum, quos odit, feretrum cum exequiis mortuorum in eccleſia ponatur, ut citius moriantur; quia graviſſime puniretur, & deponeretur.

51. Item, nullus ſacerdos permittat ſibi ad altare feminam miniſtrare.

52. Item, campanariæ non vendantur, ſed gratis alicui honeſtæ perſonæ concedantur.

53. Item, inhibemus ne fontes, arbores, aut aliæ creaturæ quæcumque ſint, vel etiam oſſa mortuorum in muris inventa, de quibus nec ſacra ſcriptura loquitur, nec aliqua veritatis apparent argumenta, aliquatenus ab aliquibus adorentur; quia idololatria eſt, & etiam zelus gentilitatis.

54. Item, præcipimus ut feſtum S. Katerinæ virginis & martyris ſolemniter celebretis, & faciatis a veſtris ſubditis devote celebrari. Item feſtum S. Elizabeth.

VII. *Sequitur de canonicis & beneficiatis.*

55. Item, præcipimus ut omnes faciant ſe ordinari, ſcilicet alii in ſubdiaconos, alii in diaconos, alii in ſacerdotes, ſecundum quod nobis, decano & ſuo capitulo viſum fuerit expedire.

56. Item, tales caveant diligenter, ne ab eis patrimonium crucifixi male expendatur.

57. Item, monemus omnes & ſingulos habentes beneficia curam animarum habentia, ut ſecundum quod conſtitutum eſt in concilio Lugdunenſi, infra annum ſe faciant in preſbyteros ordinari, & reſidentiam faciant perſonalem; alioquin contra ipſos, quantum potuerimus, procedemus, & de ipſis beneficiis ordinabimus prout ad noſtrum officium pertinebit.

58. Item, inhibemus omnibus perſonis eccleſiaſticis ſub pœna ſuſpenſionis, quam in contra facientes ferimus, ne quis præſentet vel præſentatas admittat ad beneficia curam animarum habentia, manifeſtum vel notabilem in ætate defectum.....

Hic relinquitur locus vacuus in mſ. 2. pag.

VIII. *Sequitur de decanis.*

59. Item, præcipimus firmiter & diſtricte, ut omnes decani collegiorum & chriſtianitatis in ſuis capitulis legi faciant ſtatuta concilii tertii, & ſtatuta ſynodalia, & ad obſervationem omnes moneant & efficaciter introducant. *

*ſ. inducant.

60. Item, præcipimus quod decani accuſent vel deferant nobis vel officiali noſtro omnes ſacerdotes vel clericos luſores & tabernarios, fornicatores manifeſtos, & celebratores clandeſtinorum matrimoniorum, & uſurarios, & negotiatores. Similiter alii clerici de decanis hoc idem facere teneantur.

61. Item, nullus ſacerdos celebret miſſam ſine matutinis & horis dictis debitis, & in mortali peccato exiſtens, & ſuſpenſus ab officio ſuo, & communicans excommunicato, niſi abſolutus.

62. Item, præcipimus firmiter & diſtricte, ne quis ſacerdos quacumque occaſione aliquid exigat pro ſepultura, aut pro aliquo eccleſiaſtico ſacramento; ſed piæ conſuetudines obſerventur.

63. Item, moneant ſacerdotes populum ſibi ſubditum ad confeſſionem puram & integram faciendam proprio ſacerdoti ſuo, vel viris litteratis habentibus auctoritatem ſuper hoc delegatam.

64. Item, præcipimus ſervare jejunia conſueta, & ſacerdotes doceant populum ſibi ſubditum, quæ ſunt peccata mortalia in communi, & quæ ſolita ſunt fieri, ſicut furtum, uſura, rapina, venditio ad novum vel emtio, blaſphemiæ, fornicatio, operari in diebus feſtivis, & aliorum inobedientia divinorum mandatorum; mala decimatio, falſum judicium, malum exemplum, ſacrilegium, homicidium, incendium, & violentia, error in fide, fictio, hypocriſis, & invidia, ira, gula accidia, ſuperbia, ſimonia, & hujuſmodi. De talibus vero & articulis fidei, & de decem præceptis ſacerdotes ſubditos ſuos inſtruant, & alias illitterati & inexperti ſacerdotes nullatenus populo ſibi ſubdito prædicare præſumant, ne contingat eos fieri magiſtros erroris, qui nequaquam fuerunt diſcipuli veritatis; ſed cum ab aliis viris litteratis ſubditis ſuis contigerit prædicari, verbum Dei devote audiant & diſciplinate, & inde propter ſcandalum hominum non recedant; & nullatenus verbum Dei, quod pro ſuorum ſit ſalute ſubditorum, impedire audeant, ſed in omnibus promoveant in quantum poſſunt.

65. Item, præcipimus firmiter & diſtricte, ut viros religioſos, ſcilicet fratres Prædicatores & Minores, cum ad vos veniunt, benigne ſuſcipiatis & caritative pertractetis, & plebes vobis ſubditas ad hoc inducatis, ut ab ipſis verbum Dei audiant, & alias eorum conſiliis ſanis acquieſcant, diligenter & fideliter moneatis. Alios vero cujuſcumque ordinis vel ſtatus cujuſcumque, ſine noſtris litteris ad prædicandum, vel confeſſiones audiendas, ſeu pœnitentias indulgentiaſque injungendas, nullatenus recipere præſumatis.

66. Item, præcipimus firmiter & diſtricte ſacerdotibus, ne prædicare permittant aliquos illitteratos, videlicet Begardos vel Converſos ſeu alios, cujuſcumque ordinis ſint, etiam extra eccleſiam, videlicet in vicis vel

in plateis, & ſacerdotes parochianis ſuis præcipiant, ne tales audiant propter hæreſes & errores quos ſeminant in populo. Similiter & quæſtionarii prædicatores, formam prædicandi in generali concilio Lugdunenſi promulgatam excedentes, & falſa veris intermiſcentes, de falſitate interpoſita etiam coram populo redarguantur. Et quia quæſtionarii hujuſmodi per litteras falſas aut revocatas, ſuper quibus deliberare non ſciunt ſimplices ſacerdotes, quæſtum faciunt; diſtricte præcipimus & firmiter inhibemus, ut nullus deinceps ſine litteris noſtris vel officialis noſtri aliquatenus recipiatur.

67. Item, inhibemus diſtricte, ne quis ſacerdos mulieres ſuſpectas in domo ſua habeat. Et decani noſtri nuncient nobis de ſacerdotibus illis, quos ſciunt habere focarias, negotiatores, aut uſurarios; alioquin ipſi decani ab officio ſint ſuſpenſi.

68. Item, præcipimus quod ſacerdotes veſtes decenter longas, & non viridis aut rubei coloris gerant, & cingulum habeant contectum. Superpellicea vel cappas habeant rotundas, & deferant ad eccleſiam. Ornamentis ſuperfluis, maxime nodis aureis vel argenteis in veſtibus ſuis & in caputiis ſuis, nec in ſe nec in equis ad aliquam vanitatem pertinentibus non utantur. Tonſuram clericalem ſacerdotes portent, & bonorum morum honeſtatem digna converſatione prætendant.

69. Item, tripudia, & choreas, & hujuſmodi ludos ſæculares in conviviis & in eccleſiis fieri non permittant; alioquin a divinis per triduum ipſo facto ſe noverint ſuſpenſos. A talibus etiam tripudiis, & hujuſmodi ludis ſæcularibus & choreis ſub pœna ſuſpenſionis ſe ipſos ſacerdotes abſtinere omnino præcipimus firmiter & diſtricte.

70. Item, præcipimus ut ſacerdotes ſcribant omnes reditus eccleſiarum ſuarum in miſſalibus ſuis.

71. Item, ſacerdotes numquam exponant aliquid de ornamentis eccleſiaſticis, nec aliquid religioſi audeant exponere Judæis ſine licentia noſtra ſpeciali.

72. Item, prohibemus ne vicarii perpetui ponant mercenarios, alioquin conſtituens & conſtitutus uterque ab officio ſuo ſuſpenſus denunciabitur.

73. Item, præcipimus diſtricte, ut nullus ſacerdos præſumat habere plures eccleſias parochiales cum effectu, niſi prius habita nobiſcum diſpenſatione.

74. Item, præcipimus quod omnes ſacerdotes curati ſigilla ſua infra unum menſem ſibi fieri procurent.

75. Item, præcipimus quod nullus presbyter deſerviat cum patre ſuo preſbytero, nec poſt patrem immediate.

76. Item, faciles ſint ad audiendas confeſſiones pauperum, & ad conferendum ſacramenta, nihil ab eis exigentes.

77. Item, caveant ſibi ſacerdotes ſub privatione honoris ſui, ne ſolliciteut aliquam perſonam in confeſſione, quod & ubique fieri prohibemus, contrarium facientes excommunicamus.

78. Item, præcipimus quod ſacerdotes ſuſpenſi, excommunicati, ſimoniaci, notorii fornicatores, cum ſuſpenſi ſunt quoad ſe & quoad alios, celebrare non præſumant, niſi prius habita diſpenſatione.

79. Item, præcipimus quod ſacerdotes illitterati non conferant cum Judæis coram laïcis, & ſacerdotes præcipiant omnibus ſubditis ſuis, ne aliquam potionem vel medicinam ab eis ſumant.

80. Item, caveant ſibi omnes ſacerdotes, ut filios ſuos vel filias ſuas non permittant contrahere cum illis quos baptizaverint, quia non ſtaret matrimonium.

81. Item, ſacerdotes non prohibeant mulieribus, ſi ſtatim poſt partum volunt reconciliari eccleſiæ, quia poſſunt. Non tamen debent commiſceri viris.

IX. *De ſacerdotibus & clericis.*

82. Item, præcipimus diſtricte, ut omnes ſacerdotes habeant breviaria ſua, in quibus poſſunt horas ſuas legere quando ſunt in itinere.

83. Item, nullus ſacerdos celebrare miſſam præſumat ſine clerico reſpondente.

84. Item, ſacerdotes ante prandium ſuum cibum ſuum benedicant, & poſtea omnes ſacerdotes gratias agant, & ſedentes in menſa pias collationes habeant, utiles & honeſtas.

85. Item, nullus ſacerdos celebret de die duas miſſas, niſi in caſibus conceſſis, videlicet in Nativitate Domini poteſt dicere tres miſſas.

86. Item, ſacerdos in aliis diebus poteſt unam miſſam celebrare pro defunctis, & aliquam de die, ſi neceſſe fuerit propter neceſſitatem peregrinorum hoſpitum & infirmorum, vel forte nuptiarum.

87. Item, nullus ſacerdos vel prælatus vaſa eccleſiæ, vel ornamenta, vel cortinas ad uſus ſæculares convertat, vel ad convivia concedat.

88. Item, nullus preſbyter arma deferat vel clericus.

89. Item, nullus ſacerdos candens ferrum benedicat.

90. Item, nullus ſacerdos inungat infirmos oleo * benedicto.

* f. non benedicto.

91. Item, nulli ſacerdotes duellis, torneamentis, furum ſuſpendiis, & judicio ſanguinis, & etiam clerici non interſint.

92. Item, ſolemnia jejunia ab eccleſia inſtituta diligenter obſervent omnes ſacerdotes, & faciant a ſubditis obſervari.

93. Item, præcipimus ut omnes ſacerdotes ignoti aut extranei ſine noſtra, aut ejus

qui a nobis ſuper hoc poteſtatem habeat, licentia, præſumant in noſtra dioeceſi celebrare.

94. Item, præcipimus ut omnes ſacerdotes non permittant trutannos, & alios vagos ſcholares, aut goliardos cantare verſus ſuper *Sanctus* & *Agnus Dei* in miſſis, vel in divinis officiis, quia ex hoc ſacerdos in canone quamplurimum impeditur, & ſcandalizantur homines audientes.

95. Item, inhibemus ſub pœna excommunicationis, quam in contra facientes ferimus, ne quis ſæculari quacumque præditus poteſtate, juriſdictionem eccleſiaſticam impedire vel perturbare præſumat, & quod presbyteri dictos contrafacientes diebus Dominicis denuntient ſic ligatos.

96. Item, præcipimus illos omnes qui abſolutionem a ſententia excommunicationis in eos lata, & revocationem ejuſdem per vim vel metum extorquent, excommunicatos ſingulis diebus Dominicis & feſtivis nuntiari, & quod abſolutio hujuſmodi ſeu revocatio nullam penitus obtineat firmitatem.

97. Item, monemus omnes clericos, qui concubinas ſuas manifeſte detinent, ut infra xv. dies ab earum converſatione omnino deſiſtant, eaſque a ſe rejiciant & expellant, nec eas vel alias recipiant, ſub pœna excommunicationis, quam in his ſcriptis ferimus in contra facientes.

X. *Sequitur de uſuris.*

98. Item, præcipimus diſtricte, ut omnes uſurarii reſtituant quidquid ultra ſortem perceperunt, ſub pœna contra eos in Lateranenſi concilio edita, quæ talis eſt: Statuimus ut omnes uſurarii manifeſti nec ad communionem admittantur altaris, nec chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam: ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat; qui autem acceperit, aut chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui epiſcopi ſatisfaciat, ab officii ſui executione ſit ſuſpenſus.

99. Item, præcipimus diſtricte, ne in mutuo ultra ſortem exigant, & ne propter moram ſolutionis aliquid petant. Ne etiam propter inducias ſua mercimonia carius vendant, & ne pecuniam ſuam ad Camvercinos vel Judæos ponant propter lucrum, & ne ex pacto procurent ſibi fieri remunerationes, quia non excuſantur apud Deum.

100. Item, præcipimus ut ſorte deducta, reddant pignora & remittant.

101. Item, diſtricte præcipimus, ne nomine tutelæ vel procurationis, vel timore domini ſui, aliqui committant uſuras, quia ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine debet quis fenus in duplicem uſuram exercere.

102. Item, præcipimus ne ea intentione mutuent pecuniam ſuam ante meſſem, vel vindemias, recepturi in meſſe vel vindemiis bladum vel vinum pro multo minori pretio quam valeat in tempore, ne bladum vel vinum emant illicite paciſcendo ante meſſem vel vindemias ad exponendum ſive expendendum in domibus tantum, & non ad vendendum.

103. Item, inhibemus ſacerdotibus & clericis beneficiatis, ne tempore meſſis vel vindemiarum emant vilius bladum vel vinum a pauperibus, ut poſtea carius vendant.

104. Item, omnes vitioſos contractus animalium ſive in locatione, ſive in ſegetibus in campis adhuc emendis in futurum, niſi fiant ſecundum æſtimationem aliquorum peritorum, firmiter inhibemus.

105. Item, nullus ſcienter emat rapinam, quia tenetur ad reſtitutionem.

XI. *Sequitur de nobilibus & advocatis.*

106. Item, monemus & ſub divinæ ultionis pœna præcipimus, ut nobiles & domini terræ homines ſuos permittant celebrare dies feſtos, & non compellant eos arare, nec alias eis angarias feſtivis diebus imponant.

107. Item, præcipimus diſtricte, ut ſe contra Camvercinos & alios uſurarios ita habeant, ut in generali concilio eſt ſtatutum.

108. Item, dominis terræ præcipimus aut Judæis ſuis, ut eos cogant ſub aliqua pœna, ut non intromittant ſe de aliqua medicina, nec aliquam potionem dent Chriſtianis.

109. Item, cum de conſuetudine approbata & tamdiu obſervata, quod non extat memoria, tam religioſi quam clerici injuriantes vel moleſtatores ſuos coram judicibus eccleſiaſticis in cauſam traxerint, & nonnulli nobiles, barones, ballivi, præpoſiti, villici & laïci poteſtatem ſæcularem habentes Trevirenſis dioeceſis, tam religioſos quam clericos coram ſe litigare compellant, & non patiantur eos ſuum proſequi jus coram judicibus eccleſiaſticis; præcipimus univerſis & ſingulis preſbyteris, quatenus in eccleſiis veſtris prædictas perſonas moneatis, ut ab hujuſmodi tam religioſorum quam clericorum moleſtatione deſiſtant: nos enim prædictas perſonas, quæ jam poſt dictam monitionem religioſos & clericos coram ſe compulerint litigare, excommunicationis vinculo innodamus, & præcipimus eos ſingulis diebus Dominicis & feſtivis excommunicatos publice denuntiari.

110. Item, cum hodie cauſæ non debeant agitari niſi in civitatibus, vel locis magnis & ſolemnibus, ubi poſſit haberi copia juriſperitorum, inhibemus ne cauſæ ex juriſdictione ordinaria deſcendentes ab aliquo vicario, rectore, & decano Chriſtianitatis, inter ſubditos audiantur, niſi vel de plano vel conſenſu partium, partes ſuas, vel compoſitionem amicabilem interponant, maxime cum in negotiis diffiniendis, duo, ut ſacrorum canonum teſtatur auctoritas, ſententia videlicet & poteſtas, neceſſario requirantur.

111. Item, moneantur laïci a ſacerdotibus ſuis, ut in omni juramento tria obſervent, alioquin ſunt perjuri, videlicet veritatem, judicium, & juſtitiam; quia ſi aliquid iſtorum trium defecerit, perjurium dicitur. Veritas enim debet eſſe in conſcientia, hoc eſt ut firmiter ſciat ſic eſſe vel non eſſe; aliàs ſi credit tantum, non debet de ſcientia, ſed de credulitate jurare, propter quod omnes committunt perjurium, qui ita jurant eſſe vel non eſſe, quibus firmiter non conſtat de facto. Item, judicium debet eſſe; judicium, diſcreta deliberatio, id eſt ut etiam non juret verum, niſi propter neceſſitatem vel utilitatem. Item, juſtitia debet eſſe, ut id quod juratur ſit licitum & honeſtum.

112. Item, non excuſatur a perjurio qui compulſus ſciens perjurat, quia ambo ſunt perjuri, ſcilicet præcipiens & faciens.

113. Item, moneantur laïci ne proni ſint ad jurandum, & pro modica cauſa.

114. Item, præcipimus omnibus ſacerdotibus, ut mala juramenta impediant in quantum poſſunt.

115. Item, in omnibus diebus Dominicis & feſtivis moneant ſacerdotes ſubditos ſuos ne juvent aliquem jurare ratione conſanguinitatis, timoris, pecuniæ vel amoris, quia omnes taliter jurantes, niſi firmiter ſciant & conſtet eis de facto, perjuri ſunt, cum videlicet jurant ita eſſe vel non eſſe quod ignorant.

116. Item, diligenter intimetur omnibus laïcis a ſacerdotibus ſuis, quam graviter illi delinquunt qui perjurium committunt.

XII. *Sequitur de religioſis.*

117. Item, præcipimus ut monaſteria ordinum, ſanctorum videlicet Benedicti & Auguſtini, ad obſervationem regulæ & ordinis ſui reformentur.

118. Item, nulli monacho vel moniali duo officia in monaſterio aſſignentur, niſi de providentia abbatis, & de conſenſu capituli, propter evidentem neceſſitatem vel utilitatem monaſterii, & niſi aliter abbas & conventus judicaverit eſſe ordinandum.

119. Item, præcipimus diſtricte, ut omnes novitii poſt annos diſcretionis vel probationis, ſtatim faciant profeſſionem ſuam in manu abbatis.

XIII. *Sequitur de voluntate, paupertate, & communi vita.*

120. Item, præcipimus diſtricte, ut omnes monachi & moniales, omnibus proprietatibus ſuis mobilibus & immobilibus quas hactenus habuerunt, ſine difficultate renuntient, & omnia in communes uſus monaſterii redigantur. Qui vero renuntiare renuerint, excommunicentur; quod ſi nec ſic reſipuerint, per abbatem aut abbatiſſam; aut ſi non poſſunt, per nos reſtringantur.

121. Item, quicumque monachi aut moniales in morte habuiſſe proprium deprehenſi fuerint, eccleſiaſtica careant ſepultura. Si qui vero talium in cimiterio fratrum hactenus ſepulti fuerant, ejiciantur.

122. Item, præcipimus, ne monachi denarios quos in miſſis vel privatis recipiunt, vel publicis in ſacrificio, ſibi reſervare præſumant; ſed abbati vel cui ipſe præceperit aſſignentur in communes uſus expendendi. De denariis anniverſariorum vel triceſimorum & omnium quæ ad manus eorum devolvuntur, nemo ſibi quicquam appropriare præſumat, nec per monachos, nec per moniales dividantur de cetero, ſicut hactenus per abuſionem fieri conſuevit, ſed in communes uſus omnia redigantur.

123. Item, præbendæ quæ per abuſionem hactenus diviſæ fuerunt, in communitatem redigantur. Nulli ergo omnino pro victu denarii aſſignentur, ſed de communi ſalario ſive cellario paſcantur.

124. Item, monachis & monialibus vel converſis curtes vel allodia pro certa penſione de cetero nullatenus aſſignentur; ſi quæ vero jam aſſignata ſunt, ſtatim omnino revocentur.

XIV. *Sequitur de dormitorio & refectorio.*

125. Item, abbates cum monachis, abbatiſſæ cum monialibus dormiant in dormitorio communi, & omnes tam monachi quam moniales in dormitorio communi dormiant, niſi illi qui ægrotant, & nuſquam utantur coopertoriis in lectis de pannis coloratis vel etiam cortinis.

126. Item, præcipimus diſtricte abbatibus & abbatiſſis, ut ſuis ſubditis tam in victu quam in veſtitu, ſecundum uniuſcujuſque monaſterii poſſibilitatem, neceſſaria adminiſtrent. Panis vero & vinum & alia neceſſaria dentur fratribus in communi ad ſufficientem neceſſitatem, nec alicui aliquid ſpecialiter aſſignetur; & quod unicuique in communi ſuperfuerit, iterum communi communitati reſervetur, vel pauperibus diſtribuatur; & hoſpitalia pauperum in omnibus monaſteriis reſtaurentur, & eis conſueti reditus aſſignentur.

127. Item, inhibemus diſtricte, ne monachi vel moniales habeant ſervos vel ancillas ſpeciales, niſi forſitan in talibus conſtituti ſint officiis, quod eis omnino carere non poſſint; & tunc de conſcientia prælatorum ſuorum eos aſſumant. Si quis autem alias tales perſonas retinere præſumſerit, expelli eos de monaſteriis per prælatos præcipimus.

XV. *Sequitur de caſtitate & alia vita.*

128. Item, præcipimus quod quicumque monachus vel monialis in lapſu carnis ceciderit, de quo erit manifeſtum, ad nullam deinceps dignitatem vel officium poſſit aſſumi in monaſterio, niſi per emendationem manifeſtam & honeſtam converſationem ſuam

per

per ſedem apoſtolicam, vel ejus legatum, vel loci ordinarium ſecum meruerit diſpenſari.

129. Item, præcipimus quod ſi quis abbas vel monachus in officio poſitus, in vitium carnis lapſus fuerit, de quo fuerit manifeſtum, ab officio moveatur in continenti, & in pœnam ſui criminis de cetero ſtet ultimus in choro, vocem in capitulo non habeat, ad aliquam monaſterii ordinationem non veniat, niſi propter manifeſtam emendationem providentia abbatis eum de conſilio conventus duxerit admittendum: ad abbatem vero vel officium aliquod numquam eligatur deinceps, niſi, ut dictum eſt, per ſedem apoſtolicam, vel ejus legatum, vel loci ordinarium, ſecum meruerit diſpenſari. Idem contra abbatiſſas & moniales & canonicas regulares diſtricte præcipimus obſervari.

130. Item, præcipimus diſtricte & firmiter omnibus abbatibus, ut prohibeant ſuos ſubditos a mulierum ſuſpecta familiaritate, & ne aliquando aliquis eorum ubicumque ſolus cum ſola ſedere vel ſtare aliquatenus præſumat.

131. Item, ludos cherearum, alearum, ſchaccorum, taxillorum, anulorum monachis & monialibus omnino interdicimus, & ne infra ſepta ſui clauſtri, vel ipſum clauſtrum tabernas habere, ipſas ibi vel alibi intrare, ibi ſedere, bibere vel ludere aliquis audeat firmiter inhibemus.

XVI. *Sequitur de veſtiaria & procuratione veſtimentorum honeſta.*

132. Item, præcipimus diſtricte, ut abbates & monachi, abbatiſſæ & moniales, nec mantella nec ſurchotos *(a)* portent de cetero, nec habeant pannos de nigra bruneta, nec de moreto, *(b)* ſed quanto poſſit haberi melioris pretii, prout regula præcipit. Cuculas autem habeant cum amplis capuciis & latis, & quando equirant cappis utantur nigris, & clauſis clamidibus.

133. Item, ſtatuimus ut habeant abbatiſſæ & moniales habitum decentem & religioſum. Sorchotas autem laneas & tunicas nullo modo habeant.

134. Item, ut dictum eſt, mantella de bruneta nigra ſive moreto, & pellicia de vario, & alias exquiſitas & ſumtuoſas pelles diſtricte omnibus inhibemus.

135. Item, non habeant moniales manicas ſtrictas vel conſutitias, nec habeant monilia, nec fibulas, nec annulos aureos, vel argenteos, nec aurifrigia, nec cingulos ſericos, nec aliquem ſæcularem ornatum.

136. Item, abbatiſſæ & moniales quando eas egredi contingit, non utantur habitu ſæculari, nec habeant ſellas deauratas aut phaleratas, aut frena deaurata, ſed modeſte incedant & religioſe.

137. Item, ſuperpellicia habeant & religioſe formata, non criſpata, nec nimis longa.

XVII. *Sequitur de porta & feneſtra.*

138. Item, præcipimus ut abbates oſtia clauſtrorum ſuorum claudant, & portas, nec egredi permittant aliquos monachorum ſine ſocio & ſine cauſa legitima & rationali neceſſitate. Qui autem propria temeritate egredi præſumſerit, hoc ipſo careat videlicet quod vocem in capitulo non habeat, & locum tenebit ultimum in choro, donec per nos vel officialem noſtrum fuerit reveſtitus.

139. Item, claves clauſtri ſint ſemper apud priorem, nec ſicut dictum eſt, aliquis ſine licentia exire audeat, vel aliquam mulierem cujuſcumque conditionis vel dignitatis introducere præſumat, ſine abbatis licentia ſpeciali, introducta tamen cum licentia non intus [intret,] nec comedat ullo modo.

140. Item, claves ſemper habeant abbatiſſæ ſuper ſe, & ſi eas quandoque contingat abeſſe, committant eas prioriſſæ.

141. Item, prohibemus ne monialibus de cetero detur licentia egredi de monaſterio, etiam cauſa viſitandi parentes vel amicos, niſi forſitan inevitabilis urgeat neceſſitas, ut puta fames, vel incendium, vel aliud hujuſmodi, & tunc quanto citius poteſt fieri revertantur.

142. Item, in quolibet monaſterio ordinetur monialis Deum timens, diſcreta, pudicitiæ & religionis amatrix, quam feneſtrariam vocant, quæ diligenter cuſtodiat feneſtram, quam ſonante completorio firmiter ſeret, nulli datura locum ibi amplius fabulandi uſque mane poſt dictam primam, & capitulo celebrato.

143. Item, ſtatuimus & diſtricte præcipimus, ut nulla monialis ſupervenientibus amicis vel parentibus loqui audeat ſine licentia abbatiſſæ vel prioriſſæ, quæ ſtatim ad feneſtram loquuturæ jungat ſociam honeſtam & maturam, & nihil omnino ſine licentia feneſtrariæ loquatur; quod ſi moniales facere præſumſerint, graviter punientur.

144. Omnia quæ de monachis dicta ſunt, a canonicis regularibus præcipimus in omnibus firmiter & diſtricte obſervari.

Expliciunt ſtatuta & præcepta ſynodalis concilii Trevirenſis. Celebratum eſt hoc concilium in eccleſia ſanctæ matris Mariæ majoris Trevirenſis a venerabili domino Trevirenſi archiepiſcopo, præſentibus provincialibus epiſcopis & provinciæ prælatis, anno Domini MCCXXVII. *calendis Martii.*

EXPLICIT.

(a) Veſtis ſpecies quam Galli *ſurcot* ſeu *ſurtout* vocant, eo quod aliis indumentis ſuperveſtiatur.
(b) Moretum eſt panni ſubfuſci ſpecies.

CONSTITUTIO JACOBI regis Aragonum, adverſus hæreticos, &c. anno MCCXXXIII. edita in publico epiſcoporum conventu apud Terraconem.

Ex mſ. Colbertino.

Anno 1233. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, quæ mundum pugillo continens, imperantibus imperat, & dominantibus dominatur. Manifeſtum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod nos Ja. Dei gratia rex Aragonum & regni Majoricarum, comes Barchinonæ & Urgelli, & dominus Montiſpeſſulani, volentes circa commiſſum nobis regnum proviſionem debitam adhibere, & ſtatum regni noſtri cupientes in melius reformare, una cum ſalubri conſilio ac diligenti tractatu venerabilium G. Terraconæ electi, G. Gerundenſi, Bn. Vicenſi, B. Ilerdenſi, S. Cæſar-Auguſtan. P. Dertuſenſi epiſcoporum, H. domus militiæ Templi, H. domus Hoſpitalis magiſtrorum, abbatum etiam & aliorum totius regni noſtri quamplurium prælatorum exiſtentium nobiſcum perſonaliter apud Terraconam, irrefragabiliter ſtatuentes decernimus, & firmiter inhibemus, ne cuiquam laïcæ perſonæ liceat publice vel privatim de fide catholica diſputare, & qui contra fecerit, cum conſtiterit, a proprio epiſcopo excommunicetur, & niſi ſe purgaverit, tamquam ſuſpectus de hæreſi habeatur.

II. Item, ſtatuitur, ne aliquis libros veteris vel novi teſtamenti in Romancio habeat. Et ſi aliquis habeat, infra octo dies poſt publicationem hujuſmodi conſtitutionis a tempore ſententiæ, tradat eos loci epiſcopo comburendos. Quod niſi fecerit, ſive clericus fuerit, ſive laïcus, tamquam ſuſpectus de hæreſi, quouſque ſe purgaverit, habeatur.

III. Item, ſtatuimus ne aliquis infamatus de hæreſi vel ſuſpectus, ad bajuliam, vicariam, juriſdictionem temporalem vel officium publicum admittatur.

IV. Item, ne fiat receptaculum ſordium ubi fuit latibulum perfidorum, ſtatuimus ut domos recipientium hæreticos ſcienter, ſi alodia fuerint deſtruantur, ſi cenſualia, ſuo domino applicentur, & hæc tam in civitatibus quam extra præcipimus obſervari.

V. Item, innocentes pro innocentibus habeantur, aut ne quibuſlibet per aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur; ſtatuimus ne aliquis credens vel hæreticus puniatur, niſi per epiſcopum loci vel aliquam perſonam eccleſiaſticam fuerit credens vel hæreticus judicatus.

VI. Item, ſtatuimus quod quicumque in terra ſua ſive dominicatura de cetero ſcienter vel negligenter, per pecuniam vel aliam quamcumque cauſam, hæreticos permiſerit commorari, ſi minime fuerit confeſſus vel convictus, ipſo facto amittat in perpetuum terram ſuam: ita tamen quod ſi feuda fuerint, ſuo domino applicentur; ſi vero alodia, noſtro dominio confiſcentur, & corpus ſuum in manu noſtra prout debuerit puniendum.

VII. Si autem de ſcientia convictus non fuerit, & probata fuerit negligentia diſſoluta, vel frequenter inveniatur in terra ſua, vel credentes, & ſuper hoc fuerit diffamatus, noſtro arbitrio puniatur. Bajulus vero qui ſemper eſt reſidens in loco quem præſumit, vel vicarius, niſi contra hæreticos & eorum credentes valde ſollicitus inveniatur, & negligens, ab officio bajuliæ & vicariæ perpetuo deponatur.

VIII. Item, ſtatuimus ut in locis ſuſpectis de hæreſi, in quibus epiſcopus viderit expedire, unus ſacerdos vel clericus ab epiſcopo, & duo vel tres a nobis laïci vel noſtro vicario vel bajulo eligantur, qui hæreticos vel credentes & receptores eorum in ſuis parochiis perquirere teneantur, omnia loca quantumcumque ſecreta intrandi, vel perſcrutandi, cujuſcumque dominii vel privilegii habeantur, nulla eis licentia denegata, ſub pœna quam idem epiſcopus denegantibus velit imponere: ſuper quo eidem epiſcopo publice auctoritatem regiam impertimur.

IX. Qui etiam inquiſitores hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, ex quo invenerint, cautela adhibita ne fugere valeant, archiepiſcopo, & epiſcopo, & noſtro vicario ſeu bajulo loci, dominis etiam locorum ſeu eorum bajulis, non differant nuntiare. Illi vero quos ad prædictum negotium epiſcopus loci & nos, vel vicarius noſter ſeu bajulus, duxerimus negligendos, ſi in executione officii hujus fuerint negligentes; ſi clericus, per ſubtractionem proprii beneficii; ſi laïcus, per pœnam pecuniariam, noſtri bajuli vel vicarii judicio puniatur.

X. Statuimus etiam quod paces & treugæ factæ & confirmatæ apud *Almudaver* ſimiliter obſerventur apud Barchinonam, & omnia ſtatuta ibidem facta tempore exercitus Majoricarum inviolabiliter obſerventur.

XI. Item, ſtatuimus, ut paces & treugæ factæ & confirmatæ apud *Almudaver* ſimiliter obſerventur.

XII. Statuimus etiam, ut litteræ de ſimplici juſtitia in noſtra curia XII. denariorum pretio concedantur.

XIII. Item littera, privilegia & inſtrumenta ſuper quocumque negotio a nobis impetrata, irrevocabiliter obſerventur, & abque cauſæ cognitione in præjudicium alterius minime revocentur.

XIV. Item, ſtatuimus, ut reſcriptum a nobis ſuper prolongatione debita ab aliquo impetratum non valeat, niſi debitor caveat creditori, quod ad terminum quod nos ei dedimus, perſolvantur, niſi tempore exercitus.

XV. Item, ſtatuimus, quod ad preces ali-

cujus non remittamus juſtitiam.

XVI. Item, ſtatuimus quod non committamus alicui infra terram noſtram ſigillum noſtrum minus vel majus, præterquam in curia noſtra.

XVII. Item, ſtatuimus quod clerici & religioſi & homines eorumdem non dent pedagia ſive leudas, niſi eas quas dabant tempore P. regis Aragonum patris noſtri & domini ILDEFONSI avi noſtri.

XVIII. Item, ſtatuimus quod ſi aliquis excommunicatus fuerit propria culpa, & perſeveraverit contumaciter in excommunicatione per annum, deinde compellamus eum vel ſuos per nos & noſtros vicarios ſatisfacere, ut debebat; quia tales non carent ſcrupulo hæreticæ pravitatis, ut extra de pœnis C. gravem.

XIX. Item, ſtatuimus quod quilibet poſſit dare, dimittere & alienare quocumque modo voluerit, eccleſiis & locis religioſis de poſſeſſionibus ſuis, ſalvo jure noſtro & dominio generali & conſuetudinibus antiquis. Et hoc per Cataloniam & Aragoniam volumus obſervari.

XX. Item, ſtatuimus quod ſi inſtrumentum venditionis factum fuerit in fraudem vel uſuram, tamquam inane & irritum habeatur, & contractus uſurarius cenſeatur.

XXI. Item, ſtatuimus quod clericus ratione rei mobilis ad aliquam quæſtam non teneatur, ſalvis cenſibus, & agrariis conſtitutis, & antiquis ſtatutis, ſecundum diverſitatem locorum.

XXII. Item ſtatuimus, quod Saracenus & Saracena non poſſit fieri Judæus & Judæa; vel Judæus & Judæa non poſſit fieri Saracenus vel Saracena; & qui hoc fecerint, amittant perſonas ſuas.

XXIII. Item, ſtatuimus quod bajuli, vicarii, milites totius Cataloniæ & Aragoniæ non hoſpitentur per violentiam in monaſteriis, eccleſiis & domibus Templi & Hoſpitalis, & aliis locis religioſis, & dominaturis eorum, & manſis ruſticorum ſuorum; quod ſi fecerint, per nos & vicarios noſtros, & homines, & per canonicas [ſanctiones] diſtringuantur & prohibeantur.

XXIV. Item, rogamus dominos epiſcopos, quod ſinguli in ſuis epiſcopatibus, & per ſingulas parochias diſtringant per cenſuram eccleſiaſticam homines ſuos & alienos a XIV. annis ſupra, ad pacem jurandam, ſervandam, & defendendam, ſecundum formam quæ continetur in chartis pacis & treugæ factæ apud Barchinonam tempore exercitus Majoricarum.

XXV. Homines vero eccleſiarum & locorum religioſorum ad mandatum ſui epiſcopi, ad pacem defendendam exire & ire teneantur, ſecundum quod ipſi epiſcopo videbitur expedire, habito reſpectu ad negotii qualitatem, & ſalva juriſdictione Terraconæ eccleſiæ.

XXVI. Et nos ipſi ſupradicti & magiſtri militiæ Templi & Hoſpitalis, & abbates, & alii eccleſiarum terræ noſtræ prælati, promittimus vobis Terraconæ electo, omnia ſupradicta & ſingula pro poſſe noſtro attendere & complere. Nos itaque JA. rex prædictus promittimus omnia ſupradicta & ſingula attendere & complere bona fide ſine enganno. Quod eſt actum apud Terraconam VII. idus Februarii anno Domini MCCXXXIII.

EPISTOLA GAUFRIDI ABBATIS Majoris-monaſterii, ad Juhellum archiepiſcopum Turonenſem.

Excuſat ſe quod non poſſit intereſſe concilio Cenomanenſi ab eo indicto.

VEnerabili in Chriſto patri JUHELLO Dei gratia Turonenſi archiepiſcopo, Fr. GAUFRIDUS divina permiſſione Majoris-monaſterii miniſter indignus, ſalutem, & patri in Chriſto omnem reverentiam & honorem. Anno 1233. *Ex Autographo.*

Quoniam hac die Martis poſt feſtum Omnium-Sanctorum ad concilium celebrandum a vobis Cenomanis indictum perſonaliter non poſſumus intereſſe, magnis & arduis negotiis alias præpediti, veſtram in Domino paternitatem attentius exoramus, quatinus in hac parte noſtram habeatis abſentiam excuſatam. Bene & diu valeat paternitas veſtra in Domino. Datum anno Domini MCCXXXVII.

CONCILIUM TREVIRENSE anno MCCXXXVIII. celebratum.

Ex mſ. S. Victoris.

ANno Domini MCCXXXVIII. in feſto beati Matthæi apoſtoli, in civitate Trevirenſi, in eccleſia majori, celebratum eſt concilium, reſidentibus domino THEODORICO Trevirorum archiepiſcopo, & reverendis in Chriſto patribus RODULFO Virdunenſi, JOHANNE Metenſi, ROGERO Tullenſi epiſcopis; & hæc ſtatuta concilii. Anno 1238.

I. Quoniam creſcente malitia perverſorum hominum, adverſus ſpiritales nequitias, ſanctorum patrum canones ad reprimendas quorumdam inſolentias non ſufficiunt, novis morbis nova medicamenta præparamus, neceſſitate eorum compulſi. Itaque præcipimus religioſorum locorum incendiarios & eorum receptatores, ſingulis diebus Dominicis excommunicatos nuntiari per omnes conventuales eccleſias, & per parochias, & monaſteria monachorum & monialium. Cum autem ipſi incendiarii poſt publicationem abſolvi non poſſint, niſi a papa; nos expenſis eorum & laboribus parcere volentes, ſtatuimus ut ante denuntiationem hoc ipſis denuntietur, videlicet quod niſi ſatisfecerint ante publicationem, eos oporteat ad papam

laborare, ut ſic territi ad ſatisfactionem facilius inducantur. Idem de violatoribus & fractoribus eccleſiarum ſtatuimus.

II. Quam frequenter præcipimus, quod ſi quis ad locum aliquam prædam locorum eccleſiaſticorum vel perſonarum eccleſiaſticarum, vel perſonas eorum duxerit, per totam illam parochiam ceſſetur a divinis, dum ibi præda & prædo aut prædæ emtor fuerit. Si autem in ipſa parochia conventus fuerit, clauſis januis & excluſis ipſius parochiæ parochianis, divina ibi celebrentur ſubmiſſa voce; ita quod foris audiri non poſſint. Si quis autem parochianorum deceſſerit, ſepeliatur in atrio ſine officio miſſæ, & cum ſola tantum commendatione, exceptis prædone, emtore, receptatore, vel fautoribus eorumdem; vel ſi conſumta fuerit præda, ſententiæ prædictæ ſerventur, ſi de præmiſſis conſtiterit vel per evidentiam facti, vel per juramentum, quod his ſpoliati, ſi honeſta fuerit perſona: ſi quis autem circa hæc emerſerit, (a) in judicio judicis relinquatur. Sacerdotes locorum quibus de præmiſſis conſtiterit, ſtatim ſententias prædictas obſervent & faciant obſervari. Adjicimus, quod ſi raptor rerum ſacrorum locorum, vel patrum eccleſiaſticorum ammonitus non ſatisfecerit, excommunicetur; & ſi dominum habet ſuperiorem, ille moneatur, ut raptorem ad ſatisfactionem compellat, ut infra menſem a tempore monitionis ſibi factæ ſatisfaciat; quod ſi ſatisfacere contemſerit, ex tunc terra ejus eccleſiaſtico ſupponatur interdicto; prius tamen interdicta terra raptoris, ſi quam habet.

III. Quod diximus de raptore, hoc extendi volumus ad eum qui procurat quod rapina fiat. Si raptor excommunicatus fuerit, vel terra ejus interdicta ab ordinario unius diœceſis; ordinarii qui ſuper hoc fuerint requiſiti, in ſuis diœceſibus eumdem raptorem denuntient, & vitari faciant: terram ſi quam habet nihilominus ſupponentes interdicto. Idem de captivatoribus & captoribus clericorum.

IV. Si locus interdictus fuerit propter exceſſum domini, ejuſdem loci homines non admittantur ad divina in locis tam vicinis quam externis, ne rumpi poſſit nervus diſciplinæ eccleſiaſticæ; & ſi quis tales admittit ſcienter conventus, quot diebus in hoc peccaverit, tot ſeptimanis celebret januis clauſis, ſine pulſatione campanarum, voce ſubmiſſa, & aliàs graviori animadverſione puniendus, ſi iſtud neglexerit obſervare. Si vero paſtor, aut vicarius perſonas loci interdicti admiſerit, ſuſpendatur. Simili pœna involvi volumus admittentes quemcumque excommunicatum ad divina.

V. Item, ſtatuimus ut captivatores clericorum, adjutores & defenſores eorum excommunicati in continenti nuntientur. Si autem a die denuntiationis captivatum cum ſatisfactione infra triduum non reſtituerit, terra ipſorum ſupponatur interdicto. Si autem a tempore interdicti intra menſem non receperint, principales eorum domini, qui poteſtatem habent eos coërcendi, ab ordinariis ſuis moneantur, ut captivatores & detentores ad eorum reſtitutionem inducantur & compellant in continenti; alioquin ipſi domini excommunicentur. Et ſi ſententia excommunicationis non ſufficit circa eos, ipſorum terra ſupponatur interdicto.

VI. Si quis laïcus alicui eccleſiaſticæ perſonæ minas intulerit de proprio corpore, & admonitus a judice ordinario, eum aſſecurare noluerit, nec de ipſa recipere rationem, per excommunicationis & interdicti ſententias ad id compellatur.

VII. Item, ſtatuimus, quod ſi clericus celebraverit in loco interdicto, vel ipſe interdictus vel excommunicatus divina celebrare præſumſerit, & ammonitus a prælato ſuo non deſtiterit, per epiſcopum loci capiatur, arctæ cuſtodiæ & pœnitentiæ deputandus.

VIII. Idem fiat de qualibet perſona religioſa taliter adminiſtrante, & in ſua pertinacia perſiſtente.

IX. Omnem negotiationem clericis inhibemus beneficiatis, vel in ſacris ordinibus conſtitutis.

X. Sacerdotum veſtis ſuprema talaris & clauſa ſit, & quando ad divina accedunt, camiſia, id eſt rocheto induantur.

XI. Quando ad infirmos vadunt cum Euchariſtia, ſimiliter camiſiam habeant, vel ſuperpellicium, vel cappam choralem, & ſi neceſſe fuerit, cooperiant ſe cappa pluviali non manicata, tamen ipſam deponant cum venerint ad infirmum.

XII. Argenteas fibulas & deauratas corrigias ſacerdotibus inhibemus, nullam cordam vel nodum in tunica vel ſupertunicali habeant, niſi ſolum in capa.

XIII. Clerici tam honeſte ſe gerant in tonſura & corona, ne propter hoc ipſos ſeveritate debita puniamus; & clericus qui non ſervaverit ſtatuta circa tonſuram & habitum, in cauſis minime audiatur.

XIV. Tabernas clericis inhibemus omnino, niſi in peregrinatione & in itinere id fiat neceſſitatis cauſa.

XV. In ſimplicibus tunicis vel ſupertunicalibus ſacerdotes non compareant in eccleſiis, judiciis, & plateis.

XVI. Campanarii ſine camiſia in ſuperiori non ſerviant in eccleſia vel aliàs in divinis.

XVII. Circa clericos habentes manifeſtam cohabitationem cum mulieribus, ſtatuimus quod non admittantur ad ordinationem eccleſiæ,

[a] (a) Videtur hic aliquid omiſſum, v. g. *dubii locus*, aut quid ſimile.

cleſiæ, nec valeat electio ab ipſis vel de ipſis celebrata.

XVIII. Quicumque clericus manifeſte mulieribus cohabitans ſuum fuerit executus officium, ad curiam tranſmittatur cum litteris ordinarii ſui, rei ſeriem continentibus, ſana tamen poteſtate ordinarii, ſi quam habet in hoc caſu.

XIX. Eccleſiæ paſtoralis paſtor vel vicarius habens redditus octo marcarum, ſcholarem habeat ſecum ſervientem in divinis.

XX. Clerici ludos aleatum, & deciorum & globorum devitent, & ad hoc per ſubtractionem beneficii compellantur.

XXI. Sacerdotes cappas non habeant manicatas, nullus preſbyter ſine caligis ſive æſtivalibus celebrare divina præſumat.

XXII. Cum ſtatutum ſit, ut clerici, miniſtri, vel baillivi, vel juſtitiarii laïcorum auxilium ab eccleſia, ſi capti fuerint, non habeant; adjicimus quod ſi prius admonitus non ceſſaverit, eccleſiaſticis beneficiis ſpolientur.

XXIII. Preſbyteri ſeu perſonæ eccleſiaſticæ, qui mandatum exequuntur alicujus ſententiæ a ſuis prælatis, ſi negligentes inventi fuerinnt in exequendis, illi per quos mandatum receperint, tenentur ad intereſſe, ſecundum boni viri æſtimationem coram judice faciendam; ſi vero pro obſervatione mandatorum ipſorum damnum paſſi fuerint, nec relaxetur ſententia, antequam de damnis datis ſatisfaciat; & ſi prius relaxata fuerit, nihilominus ſatisfaciat de pœnis.

XXIV. Si clericus obſervans ſententiam propter damnum ſibi propter hoc illatum ſuſtentationem non habeat, ab ordinario ei provideatur; nec relaxetur ſententia antequam expenſæ refundantur, quæ in proviſione preſbyteri ſunt impenſæ.

XXV. Suſpenſi vel clerici excommunicati celebrantes, a domino papa tantum abſolvantur; cum eo cui talis hactenus fuerit facilis abſolutio, diſciplina ſit eccleſiaſtica vilipendenda.

XXVI. Cum aliàs inſtitutum ſit, quod vicariis competens portio debeat aſſignari, adjicimus, ut ſi iidem vicarii minorem acceperint & acceptaverint portionem, nihilominus actionem habeant ad petendam competentem, cum hoc inductum ſit perſonæ non in favorem; ſed in favorem totius ordinis clericalis.

XXVII. Sicut ſæpe præcepimus, ſic iterum præcipientes innovamus, ut Corpus Domini, ſanctum oleum infirmorum, & fores ſacri baptiſmatis ſub diligenti ſint cuſtodia & clauſura cum ſacra Euchariſtia, nec eant ad infirmum ſine lumine & campana.

XXVIII. Item, præcipimus, ut Corpus Domini poſt quindenam non ſervetur, ſed in fine quindenæ, ſi tamdiu ſervatum fuerit, ſumatur a ſacerdote cum oblatione.

XXIX. Cum ſecundum Apoſtolum, *qui non laborat, non manducet*, prælatis eccleſiarum conventualium præcipimus, ut per ſubtractionem beneficii compellant ſubditos ſuos ad frequentationem chori & reſidentiam qua tenentur.

XXX. In parochialibus eccleſiis pulſentur horæ canonicæ, & de villis cum adjacentibus & capellis attinentibus compellantur homines Dominicis diebus & ſolemnibus ad miſſam venire ad matricem eccleſiam, ne honor matricis eccleſiæ depereat per capellas, niſi forte remota ſit capella, & ei proviſum ſit in beneficio, ut in eo valeat & ſoleat & debeat miniſtrare ſacerdos.

XXXI. Ut hæreticæ peſtilentiæ, quæ radices jam mittit in provincia Trevirenſi, omni ſollicitudine occurramus, omnibus archidiaconis, paſtoribus, & vicariis, necnon & aliis tam clericis quam laïcis noſtræ juriſdictioni ſubjectis, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut ubicumque inveniantur doctores hujus ſceleris, vel auditores ipſorum, ad epiſcopi audientiam, ne oves Domini ſuis ſuperſtitionibus inficiant & corrumpant, denuntientur, & ſingulis diebus Dominicis & feſtivis excommunicentur hæretici, auditores, receptatores, fautores, & illi qui eos non accuſant cum ſciunt.

XXXII. Decimæ non in domibus, ſicut fieri conſuevit hactenus, ſed in agris, vineis, pratis, & in locis aliis ex quibus proveniunt, perſolvantur. Nullis deditis expenſis circa rem hujuſmodi decimandam. conſuetudinem illam ſecundum quam non decima; ſed undecima vel duodecima pars ſolvitur, pro decima in annona vel in rebus aliis quanticumque temporis ſit, improbamus.

XXXIII. De cauſis matrimonialibus nullus paſtor, vicarius, vel decanus ruralis cognoſcere præſumat.

XXXIV. Uſurarii manifeſti vel convicti poſt hujus ſtatuti publicationem pœnis coërceantur, quæ a jure infliguntur eiſdem, ut videlicet non admittantur ad communionem altaris, nec ad Chriſtianam ſepulturam, nec eorum oblationes ſuſcipiantur, dum fuerint in hoc peccato. Uſurarios cenſemus ſub pignore mutuantes, & ultra ſortem percepta in ſortem minime computantes.

XXXV. Cum adulteri & adulteræ & alia enormia committentes, pecuniaria pœna perſoluta, minus timeant reclinare; ſtatuimus ut de cetero conjuncti publicam pœnitentiam agant: mulieres infra parochiam portantes cyphum in ſcapula & baculum in manu, in habitu & cypho per omnia tales quales eſſe conſueverunt, peragentes carinas. Viri autem infra parochiam vel extra pœnitentiam agant modo præſcripto. Et hoc fieri procurent epiſcopi vel eorum officiales, ſi ea archidiaconi vel ſubditi neglexerint procurari.

XXXVI. Cum plures excommunicati ſen-

tentiam vilipendant; ſtatuimus quod ſi excommunicatus in ſua pertinacia ſex ſeptimanas perſiſtat, ſtatim recepto mandato excommunicatoris ordinarii per litteras ipſius, quas adprobationem faciendam ſufficere volumus: in hoc caſu excommunicatus per ſuperiorem ſuum ad unitatem eccleſiæ compellatur redire, alioquin idem ſuperior poſt ammonitionem ſententia percellatur.

XXXVII. Conjurationes quæ fiunt per inſpectationem ignis, vel gladii, ſeu alio quovis modo, cum ſint penitus reprobatæ, ſtatuimus ut ſi clericus in talibus deliquiſſe inveniatur, ſuſpendatur, manens in ea ſuſpenſione uſque ad ſatisfactionem condignam; ſi vero laïcus, excommunicetur.

XXXVIII. Statuimus ne habitu monachorum vel regularium canonicorum cujuſcumque ordinis mulieres pernoctent.

XXXIX. Si quis monachus vel monialis proprium habuerit, vel in vitium carnis lapſus fuerit, & fuerit hoc manifeſtum, in pœnam ſui criminis ſtet ultimus in choro, vocem non habeat in capitulo, non ad aliquam ordinationem in capitulo vel extra admittatur, nec valeat electio ab ipſo facta, vel de ipſo.

XXXX. Illos autem cenſemus proprietarios quibus aſſignantur curtes vel allodia pro certa penſione: qua ſoluta, de reſiduo tamquam de proprio ſuo faciunt voluntatem.

XLI. Item, præcipimus ut abbates & monachi obſervent regulæ ſuæ ſtatuta, alioquin quicumque tranſgreſſores per diœceſanos ſuos animadverſione debita puniantur.

XLII. Item, inhibemus ne alicui monacho non profeſſo adminiſtratio aliqua in ſuo monaſterio concedatur, nec ad aliquam ordinationem admittatur. Abbas ſuus eos qui profeſſi non ſunt, ſi adminiſtrationem aliquam habuerint, amoveat ab adminiſtratione uſque ad quindenam, alioquin ſe ſuſpenſum ſciat.

XLIII. Cum novo avaritiæ genere, quidam in noſtris diœceſibus laborantes indebitas faciant fabricari monetas; univerſis preſbyteris eorumdem locorum præcipimus, quatenus quam cito perceperint iſtud, ibi ſtatim ceſſent a divinis, quouſque de tali injuria ad mandatum eccleſiæ fuerit ſatisfactum.

XLIV. Item, præcipimus ſingulis diebus Dominicis & feſtivis denuntiari excommunicatos facientes falſam monetam, vel mandantes, vel procurantes, ut fiat. Item utentes ſcienter falſa moneta vel indebita moneta.

XLV. Annum Domini gratiæ, propter multas ejus abuſiones revocamus: volumus tamen, ut bonæ conſuetudines ante ipſum in præbendis clericorum decedentium obſervatæ in ſuo vigore maneant & perſiſtant.

Explicit concilium Trevirenſe.

CONSTITUTIONES
EPISCOPI SABINENSIS
anno MCCXXXIX. in concilio Terraconenſi confirmatæ.

Ex mſ. Colbertino.

CONſtitutiones venerabilis patris J. Sabinenſis epiſcopi bonæ memoriæ, apoſtolicæ ſedis legati, ad memoriam reducentes, quas poſt earumdem publicationem in congregato provinciali concilio Terraconæ in anno Domini MCCXXXIX. XIV. calendas madii, præſentibus venerabilibus fratribus Barchinonenſi, Dertuſenſi, Gerundenſi, Urgellenſi, Vincenſi, Oſcenſi, Ilerdenſi epiſcopis præcipimus obſervari.

I. *Contra illos qui faciunt juſtas in monaſteriis.*

Item, præcipimus omnibus judicibus & advocatis litteratis, ne conveniant vel interſint alicui juſtæ, quæ fit vel fiat in monaſteriis vel grangiis religioſorum. Et hoc ſub pœna excommunicationis præcipimus & mandamus.

II. *Contra quæſtores.*

De quæſtoribus autem eccleſiarum, hoſpitalium vel pontium duximus ſtatuendum, quod ſine noſtris vel epiſcoporum litteris non recipiantur, & tunc ad prædicationem non admittantur, ſed ad expoſitionem ipſorum, quæ in epiſcoporum litteris continentur.

III. [*De feſto S. Teclæ, SS. Franciſci, Dominici & Antonii.*]

Item, ſacro approbante concilio, quod feſtum S. Teclæ per totam noſtram provinciam ſolemniter celebretur: ita quod in ipſius ſolemnitate IX. fiant in eccleſia lectiones. Et feſtivitates B. Franciſci & B. Dominici & B. Antonii ſimiliter celebrentur.

IV. *Contra Judæos & Sarracenos.*

Item, ſtatuimus quod Judæi & Sarraceni a Chriſtianis in habitu diſtinguantur, & nutrices vel mulieres non teneant Chriſtianas. Et ſi quæ ſunt Chriſtianæ, quæ Judæis vel Sarracenis cohabitent, niſi infra duos menſes a tempore publicationis iſtius conſtitutionis, receſſerint, quantumcumque pœnitentiam fecerint, numquam tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ, niſi de metropolitani licentia ſpeciali.

V. *Quæ feſta debeant celebrari.*

Item, cum otium & deſidia fomentum pariant vitiorum, feſtivitatum multitudinem duximus temperandam cum illis, eo quod [ſi] non laborant pauperes, aggraventur, &

otiosi & desidiosi ad illicita promoventur. Quare festivitates colendas necessario subnotavimus, quas qui contemserint colere, per suum presbyterum compellantur. Festum scilicet Circumcisionis, Epiphaniæ, S. Vincentii, Purificationis B. Mariæ, Cathedræ sancti Petri, Mathiæ apostoli, Annunciationis B. Mariæ, & duorum dierum octabarum Paschæ, S. Marci evangelistæ, Philippi & Jacobi apostoli, Inventionis Sanctæ Crucis, Ascensionis Domini, feriæ secundæ octabarum Pentecostes, Johannis Baptistæ, Petri & Pauli apostolorum, S. Mariæ Magdalenæ, Jacobi apostoli, S. Felicis Gerundæ, Transfigurationis Domini, S. Laurentii, Assumtionis B. Mariæ, S. Bartholomæi, Nativitatis B. Mariæ, Exaltationis S. Crucis, Matthæi apostoli, S. Michaelis, S. Lucæ evangelistæ, Simonis & Judæ apostolorum, Narcissi episcopi, Omnium Sanctorum, S. Martini, S. Andreæ, S. Nicolai, S. Thomæ, Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Johannis apostoli. Et quælibet parrochia observet festivitatem illius sancti, in cujus honore est constructa ejus major ecclesia. Officia vero harum solemnitatum & omnium aliarum, sive sint IX. sive III. lectionum, prout hactenus consuevit fieri, a clericis in ecclesiis & in portionibus observentur, & ad audiendum laïci nihilominus moneantur.

VI. *Quod nullus sacerdos plures missas una die celebret.*

Item, quia aliqui sacerdotes plures celebrant missas [una die] contra canonicas sanctiones; inhibemus, quod nisi in die Natalis Domini tres missas nullus audeat celebrare. Quod si fecerit, in excommunicationem incidat, ipso facto, & officio beneficioque privetur. Duas toleramus, tolerandoque permittimus una & eadem die, quando urgens necessitas fuerit, celebrari, quousque dominum papam super eodem negotio consulamus. Necessitatem siquidem declaramus, quando unicus sacerdos habet duas ecclesias, quarum una dependet ab alia, & altera illarum non potest habere proprium sacerdotem, & sunt tenues [ejus reditus] nec parrochiani propter distantiam loci, vel aliam rationabilem causam possunt commode ad alteram convenire, & in aliis casibus a jure concessis. Quandocumque vero duas missas celebrare contigerit, sacerdos caveat, ne post sumtionem sanguinis in prima missa, vinum perfusionis accipiat. Quod si fecerit, eadem die non poterit aliam missam celebrare.

VII. [*Contra interfectores clericorum.*]

Item, statuimus de interfectoribus clericorum & virorum religiosorum, ut cum constiterit, loca ad quæ devenerint, cessent, quamdiu ibi fuerint, a divinis, quousque pervenerint ad satisfactionem condignam.

VIII. *Qualiter sunt conficienda hostiæ.*

Item, statuimus quod sacerdos in propria persona hostias faciat ad conficiendum corpus Christi de pulcra & nitida farina frumenti, & non apponatur ibi sal neque fermentum. Et hæc cum summa diligentia fiant.

IX. [*Ne parrochiales ecclesiæ per laïcos administrentur.*]

Item, cum ecclesiæ parrochiales per laïcos administrari non debeant; statuimus, quod laïcis de cetero nullo modo attribuantur, sed per clericos viros ecclesiasticos ecclesiæ gubernentur secundum canonicas sanctiones.

X. *Contra conspiratores & colligationes illicitas facientes.*

Conspiratorum genus odibile cupientes a perversitate hujusmodi coercere, sacro approbante concilio, excommunicamus omnes conspiratores & colligationes illicitas facientes in clero, & contra constitutos in clero. Sententiam autem hujusmodi ad præterita duximus extendendam, nisi infra mensem a tempore sententiæ quis conspirationem & colligationem hujusmodi pro posse duxerit revocandas.

XI. *Contra illos qui famosos libellos componunt.*

Simili sententia innodamus omnes illos, qui contra constitutos in clero libellos famosos composuerint, & qui compositioni faverint, & qui compositos inventos non ruperint sine mora.

XII. *Contra invasores & raptores rerum ecclesiasticarum.*

Item, cum quidam in aliorum prædis propria commoda studeant invenire, sacro approbante concilio, excommunicamus invasores, & raptores, & deprædatores hominum ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum & locorum religiosorum, qui bona prædicta rapuerint vel invaserint violenter, dummodo personæ, de quibus querelam habuerint, paratæ fuerint, prout decuit, juri stare. Eadem etiam excommunicatione ligamus fautores & receptores prædictorum malefactorum, statuentes, ut quamdiu principales malefactores in aliqua villa vel civitate fuerint, ecclesiæ cessent a divinis penitus; & si forte principales malefactores mortui fuerint absque satisfactione condigna, licèt in articulo mortis absoluti fuerint, eorum corpora non tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, quousque heredes morientium satisfecerint injuriam passis, & damnum datum fuerit penitus emendatum. Nec prædicti in sanitate aliquatenus absolvantur, nisi cum de præmissis om-

nibus ſatisfecerint competenter. Simili excommunicationis ſententia innodamus omnes illos, qui prædam clericorum, & locorum religioſorum, & hominum eorumdem receperint ſcienter, & voluntarie in caſtris ſuis vel emerint; & caſtra illa, & villæ, in quibus retenta fuerit præda, ceſſent penitus a divinis, quouſque damnum datum pro poſſe ſtuduerint emendare. Et licet invaſores & raptores eccleſiæ in genere ſint excommunicati, non tamen vitentur, niſi facti evidentia vel confeſſione propria hoc conſtaret, quouſque fuerint in ſpecie denuntiati; & poſtquam fuerint in ſpecie denuntiati, abſolutio talium cuilibet epiſcopo in ſua diœceſi auctoritate ſacri concilii eſt commiſſa.

XIII. [*Ut epiſcopi diœceſim viſitantes honorifice recipiantur.*]

Cum epiſcopi ex ſuo officio teneantur ſuam diœceſim viſitare, ſacro approbante concilio, ſtatuimus, ut cum epiſcopus cauſa viſitationis ad eccleſiam ſuæ diœceſis declinaverit, a rectore ſeu a clericis ejuſdem eccleſiæ recipiatur cum reverentia & honore, præſcriptione aliqua non obſtante, & eidem mandata procuratio juxta facultates eccleſiæ non negetur.

XIV. [*De inſtitutione rectorum animarum.*]

Statuimus, quod nullus inſtitutus vel præſentatus in parrochiali eccleſia a clerico vel laïco, in eadem adminiſtrare præſumat, quouſque a diœceſano epiſcopo curam in eadem eccleſia receperit animarum, contraria conſuetudine non obſtante, quæ potius corruptela dicitur. Quicumque autem contra fecerit, jure quod habet vel habere credit in eccleſia, ſit privatus: ea vice poteſtate data diœceſano removendi inſtitutum ſeu præſentatum. Et nihilominus ſtatuentes, quod inſtitutus & confirmatus per epiſcopum, nullo caſu valeat ab alio quam ſuo epiſcopo removeri.

XV. *Contra invaſores rerum eccleſiaſtitarum.*

Olim excommunicaſſe recolimus invaſores, & raptores, & deprædatores hominum eccleſiarum, rerum eccleſiaſticarum & locorum religioſorum, qui bona prædicta rapuerint vel invaſerint violenter, dummodo perſonæ de quibus querelam habuerint, paratæ fuerint, ut debuerunt, juri ſtare. Eadem etiam excommunicatione ligamus fautores & receptores prædictorum malefactorum: ſtatuentes, ut quamdiu principales malefactores eſſent in aliqua civitate vel villa, ceſſarent eccleſiæ penitus a divinis. Et ſi forte principales malefactores abſque ſatisfactione condigna ab hoc ſæculo tranſmigrarent, licet eſſent in mortis articulo abſoluti, eorum corpora non tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ, quouſque heredes morientium ſatisfeciſſent injuriam paſſis, & damnum datum penitus emendaſſent. Nec prædicti in ſanitate abſolvi poterant, niſi de præmiſſis omnibus prius ſatisfeciſſent paſſis injuriam competenter. Simili excommunicatione innodamus omnes illos, qui prædam clericorum, locorum religioſorum, & hominum eorumdem ſcienter receperint, & voluntarie in caſtris ſuis emerint, & emtores ab eis, & quod caſtra, in quibus præda eſſet retenta, ceſſarent penitus a divinis, quouſque damnum datum ſtuduiſſent pro poſſe ſuo penitus emendare. Verum quidam prædictam conſtitutionem perverſe intelligentes, eam trahunt ad res modicas, & ad ea quæ non ex propoſito nocendi, ſed ex neceſſitate non credentibus offendere capiuntur. Nos autem perverſum intellectum & dubitationem hujuſmodi penitus declarantes in omnibus ſupradictis caſibus, ſic duximus declarandum, quod illi tantum intelligantur excommunicati, qui ex propoſito cum armis violenter invaſerint vel deſtruxerint loca prædicta, & ceperint homines ipſorum, & res eorumdem, in hoc graviter delinquentes. Loca autem in hoc ſolo caſu ceſſare volumus penitus a divinis, quamdiu ibi præda fuerit violenter accepta. Fautores autem & receptores prædæ poſt ammonitionem legitimam, juxta diœceſani arbitrium excommunicentur: & ſi aliquem prædictorum excommunicatorum abſque ſatisfactione condigna mori contigerit, tamdiu careat eccleſiaſtica ſepultura, quouſque per heredes ipſius damnum datum per eum, plenarie paſſis injuriam vel eorum heredibus fuerit reſtitutum.

XVI. *De bonis prælati defuncti.*

Item, cum non ſine peccato quod ſuum non eſt poſſit aliquis retinere, antiquum canonem nunc hujuſmodi beneplaciti ad memoriam reducentes, ſacro approbante concilio, ſtatuimus, ut poſt mortem archiepiſcopi, cujuſlibet epiſcopi, vel alterius prælati ſeu beneficiati Terraconenſis provinciæ, bona ipſius eccleſiaſtica ad manus aliquorum fide dignorum perveniant, ſecundum quod in eccleſia defuncti de conſuetudine eſt optentum; vel ſi conſuetudo ceſſerit, duo eligantur fide digni, ſi præerat defunctus conventui, ab epiſcopo diœceſano vel ejus locum tenente; ſi defunctus conventui non præerat, qui bona recipiat ſupradicta, & infra decem dies tales amminiſtratores ſeu procuratores, adhibito tabellione publico & teſtibus ad hoc ſpecialiter convocatis, conficiant de omnibus rebus defuncti mobilibus & immobilibus, & ſe moventibus inventarium; & ſi per negligentiam fuerit omiſſum, prædicti procuratores ad duplum teneantur. Si vero prædicti amminiſtratores, vel aliquis alius de bonis prædictis aliquid invaſerit, rapuerit,

puerit, vel retinuerit fraudulenter, & legitime monitus bona sic retenta sine diminutione non restituerit successori, auctoritate concilii se noverit excommunicationis sententia innodatum. Ammonemus autem episcopos & alios prælatos Terraconensis provinciæ, ut in vita sua, si commode fieri poterit, de rebus prædictis conficiant inventarium. Hanc autem sententiam vel illam de invasoribus ecclesiarum, vel rerum earum, per constitutionem quæ incipit *Olim*, ad personas archiepiscopi vel episcoporum extendi nolumus ullo modo.

CONCILIUM SENONENSE, sub Galterio *Cornut* circa MCCXXXIX. celebratum.

Communicavit cl. vir D. Brayer canonicus Trecensis.

Anno 1239. I. STatuimus ut abbates & priores conventuales, qui nec venerint ad synodum, nec se excusaverint, prætendendo canonicum impedimentum, per octo dies ab ingressu ecclesiæ suspendantur, & hæc pœna quantum ad hoc a conciliis statuta est, sub excommunicationis majoris pœna, si aliis annis super his culpabiles inveniantur.

II. Propter scandala gravia, quæ ex monialium conversatione proveniunt, statuimus de monialibus nigris, ne aliquem dispositum * recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, nisi de licentia episcopi sui, maxime arcas clericorum, custodiæ causa, minime permittant apud se deponi.

* *f.* depositum.

III. Item, communiter omnes in refectoriis comedant, & in dormitorio dormiant, nisi ex causa justa & necessaria, de licentia speciali abbatissæ aliter fieri permittatur.

IV. Item, cameræ monialium omnes destruantur, nisi aliqua, quæ in susceptione episcopi necessario reservatur, vel ad infirmariam faciendam, vel alia de causa quæ episcopo justa & necessaria videatur.

V. Item, quod moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi in magna causa & raro, & abbatissis injungatur ne aliter egredi permittantur; & si aliquando abbatissa ex causa justa alicui permittat, eidem injungat quod sine mora revertatur.

VI. Ostia suspecta & superflua obstruantur, circa hoc autem episcopi diligentiam adhibeant & curam, per se & per ministros suos, & vitas & conversationes ipsarum restringant, ut per eorum diligentiam scandala quæ in præsenti de vita earum proveniunt, sopiantur.

VII. Statuimus ut omnes judices tam ordinarii quam delegati, temperent se & refrenent a generalibus excommunicationibus, nec in generali participantes excommunicent, nisi valde gravis & enormis excessus contingat.

VIII. Moneantur capitula sæcularium personarum, maxime cathedralia, ut ipsi conveniant & ordinent & tractent, quod in ecclesiis suis die & nocte, per se & per clericos ecclesiarum, divinum officium assidue, competenter, secundum numerum institutorum & facultatem ecclesiarum, celebretur; & circa servitium divinum diligentiam & curam adhibeant efficacem; ita quod modus habendi se in ecclesia tam in choro quam extra evidenter & sufficienter, ubi emendatione opus erit, emendetur infra annum.

IX. Moneantur etiam canonici & clerici sæculares, quod ipsi in habitu suo & aliis præcepta tradita in generali concilio fideliter & obedienter observent. Conc. Later. 4. cap. 16.

X. Statuimus, ut in locis sive prioratibus, ubi conventualis congregatio solet esse, si facultates illius ecclesiæ suppetant, conventus ibidem restauretur.

XI. Item, quod in domibus sive locis ubi solebant esse prioratus, si facultates locorum sufficient, monachi vel canonici regulares ad divinum servitium celebrandum reducantur.

XII. Monemus abbates & priores conventuales, quod tot servitores in abbatiis & prioratibus sibi subditis instituant, si ad hoc sufficiant facultates locorum, quot ibi deservire solent; & ne pensionem sive censum ab eisdem exigant, quam non solent exigere ab antiquo, nisi forte alicui ex justa causa ab episcopo suo permittatur.

XIII. Statuimus quod clerici ribaldi, maxime qui vulgo dicuntur de familia Goliæ, per episcopos, archidiaconos, officiales, decanos Christianitatis tonderi præcipiantur, vel etiam radi: ita quod eis non remaneat tonsura clericalis: ita tamen quod sine periculo & scandalo ista fiant.

XIV. Item, antiquum statutum concilii provincialis rursus renovantes, præcipimus quod quando aliqua terra propter delictum domini terræ vel baillivorum supposita fuit interdicto, nullatenus relaxetur, donec ad arbitrium & moderamen episcopi presbyteris parochialibus de damnis & de perditis interdicti occasione illatis plene fuerit satisfactum, vel de satisfaciendo cautum.

LITTERÆ GILONIS ARCHIEPISCOPI SENONENSIS,

Quibus concilium provinciale apud Stampas anno MCCXLVII. indicit, & citatio suffragancorum ad illud.

Ex cartario Trecensi eruit Cl. V. dominus Brayer canonicus Trecensis.

REverendis patribus ac dominis omnibus episcopis suffraganeis ecclesiæ Senonensis, J. decanus & universitas capituli Carno- Anno 1247.

tensis, salutem cum reverentia & honore.

Litteras reverendi patris G. Dei gratia Senonensis archiepiscopi recepimus sub hac forma : Gilo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, venerabilibus viris dilectis in Christo decano & capitulo Carnotensi salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum nos super statu ecclesiæ, negotiis clericorum ac ecclesiasticarum personarum provinciæ Senonensis cum venerabilibus fratribus episcopis suffraganeis Senonensis ecclesiæ, capitulis cathedralibus, & abbatibus prænotatæ provinciæ diligentem proponamus habere tractatum cum Dei timore, ut de communi consilio super præmissis salubre concilium apponatur, vobis auctoritate metropolitana mandamus, quatenus in crastino octavæ assumtionis B. Mariæ Virg. coram nobis apud Stampas per procuratores discretos & providos comparere [curetis &] citetis venerabiles fratres episcopos suffraganeos ecclesiæ Senonensis, ut personaliter compareant, necnon & abbates vestræ civitatis ac diœcesis ; mandantes ex parte nostra eisdem suffraganeis, ut citent capitula sua cathedralia, ut per procuratores providos & discretos, & abbates civitatum suarum ac diœceseon, ut dicta die apud Stampas compareant ad concilium nobiscum super præmissis omnibus celebrandum, & ordinandum quod concilio videbitur expedire, & quid inde feceritis nobis rescribere studeatis. Datum apud Montegnium anno Domini MCCXLVII. in crastino inventionis S. Stephani, Hujus igitur de prædicti auctoritate mandati, vos citamus in crastino octavæ assumtionis B. Mariæ primo venturæ apud Stampas, coram dicto domino archiepiscopo personaliter interfitis : vobis etiam eadem auctoritate mandantes, ut capitula vestra cathedralia citare curetis, ut per procuratores providos & discretes ac abbates vestrarum civitatum & diœceseon, ut dicta die apud Stampas personaliter compareant ad concilium cum dicto archiepiscopo super præmissis omnibus celebrandum & ordinandum quod concilio videbitur expedire. Datum, &c.

CONCILIUM PARISIENSE anno MCCXLVIII. a Gilone archiepiscopo Senonensi celebratum.

Ex chartario episcopatus Trecensis eruit Cl. V. dominus Brayer *canonicus Trecensis.*

Anno 1248. I. Statuimus ut abbates & priores conventuales, qui non venerunt ad concilium, nec se excusaverunt prætendendo canonicum impedimentum, per mensem ab ingressu ecclesiæ sint suspensi. . . Et hæc pœna quantum ad hoc concilium statuta est, sub comminationis majoris pœna, si aliàs super hoc culpabiles inveniantur.

II. Statuimus ut illi qui ad concilium provinciale venire tenentur, si per impedimentum remaneant, se excusent per idoneum nuncium litteratorie destinatum, quod possit fidem facere de canonico impedimento, supra quo volumus ipsum facere mandatum.

III. Statuimus ut in locis sive prioratibus ubi conventus solet esse, si facultates ipsius ecclesiæ suppetant, conventus ibi restituatur.

IV. Statuimus quod in domibus sive locis ubi solet esse prioratus, si facultates sufficiant, monachi sive canonici regulares ad divinum ibidem celebrandum servitium reducantur.

V. Monemus abbates & priores conventuales, quod tot servitores in abbatiis & prioratibus sibi subditis instituant, si ad hoc facultates locorum sufficiant, quot solent deservire ; & ne pensiones sive censum exigant ab eisdem, quem non solent exigere ab antiquo, nisi forte alicui ex justa causa ab episcopo suo permittatur.

VI. Statuimus, ut abbates, abbatissæ, priores, prioriss & alii obedientiarii de singulis proventibus, redditibus & expensis singulis annis computent in capitulo diligenter, & ut status abbatiarum & prioratuum conventualium a clausralibus cognoscantur, & compotus redigatur in scriptis : ita quod conventus penes se unum scriptum habeat, & abbas sive prior aliud. (a) Abbates vero coram senioribus ecclesiæ suæ computent, & in genere exponant in capitulo statum monasterii sui. [a]

VII. Nullus abbas sive abbatissa, prior vel prioriss conventuales mutuo recipiant pecuniam, sine capituli sui vel majoris & sanioris partis licentia ; ultra summam ab episcopo suo taxandam, secundum monasterii facultates ; qui contra fecerit per episcopum suum puniatur.

VIII. Præcipimus abbatibus & abbatissis, prioribus & prioriss, ut ipsi vestibus suo ordini congruentibus utantur ; & si abbas vel abbatissæ de his observandis, vel suis subditis corrigendis sint negligentes, per suos episcopos puniantur.

IX. Statuimus ne prior conventualis ultra quadraginta solidos, sine licentia abbatis sui vel episcopi, si abbas non fuerit, mutuo pecuniam recipiat ; quod si forte fecerit, abjiciatur a prioratu, nec denuo valeat prioratum adipisci, quousque per provinciale concilium (b) fuerit restitutus. Eidem pœnæ subjaceat prior, qui quamcumque summam pecuniæ recepit a Judæo. [b]

X. Propter scandala quæ ex monialium conversatione proveniunt, statuimus de monialibus nigris, ne aliquod depositum recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, nisi de licentia episcopi sui, maxime arcas clericorum vel etiam laicorum causa custodiæ.

(a) Quæ sequuntur hujus canonis alia manu scripta sunt.
(b) In ms. codice super illa verba *provinciale concilium*, hæc leguntur : *episcopum suum.*

XI. Item, quod omnes comedant in refectorio communiter, in dormitorio dormiant, nisi ex causa justa & necessaria ex indulgentia abbatissæ aliter fieri permittatur. Item, cameræ monialium omnes destruantur, nisi aliquæ per inspectionem episcopi necessario retineantur ad infirmariam faciendam, vel alia de causa, quæ episcopo justa & necessaria videatur.

XII. Item, quod moniales exire non permittantur, vel extra pernoctare, nisi forte ex magna causa & rato, & abbatissis injungatur, ne aliter egredi permittant. Et si quando abbatissa ex justa causa alicui permittat, eidem injungat quod sine mora revertatur. Ostia suspecta & superflua obstruantur. Circa hoc autem episcopi diligentiam adhibeant & curam per se & per ministros suos, & vitas & conversationes earum restringant, & per eorum diligentiam scandala quæ in præsenti de vita ipsarum proveniunt, sopiantur.

XIII. Moneantur capitula sæcularium personarum, maxime cathedralia, ut ipsi conveniant & tractent, quod in ecclesiis suis die ac nocte per se & clericos ecclesiarum divinum servitium competenter secundum numerum institutorum & facultates ecclesiarum celebretur, & circa divinum officium diligentiam adhibeant efficacem, præcipue circa psalmodiam tractatim & per pausationes congruas in medio versuum psalmos dicant, nec versum incipiat pars chori psallitura nondum alio finito, & quod a confabulationibus præcipue in choro abstineant, similiter cum diligentia moneantur.

XIV. De capitulis vero quæ vocata fuerint, & consueverint ad concilium evocari, & quæ sufficienter non miserunt, personæ & canonici non residentes per octo dies, a quotidianis distributionibus suspendantur, quæ in usus pauperum & fabricæ majoris ecclesiæ per episcopum diœcesis loci erogentur.

XV. Statuimus, ut litteræ quas habent presbyteri vel personæ ecclesiarum aut capellaniarum de requisitione reddituum conscribantur, & conscripta penes se retineant, & deponant litteras illas de consensu diœcesani vel archidiaconi in arca, & hoc faciant infra mensem.

XVI. Statuimus, ut rectores ecclesiarum in vicarios & capellanos de assensu diœcesani, vel archidiaconi, vel officialis, seu decanorum instituant in ecclesiis: qui vero secus egerit, puniatur.

XVII. Statuimus, quod in causis minimis non observetur illa solemnitas judiciorum, quæ est de petitione scribenda, vel induciis dandis, nisi sit controversia de re quæ excedat summam viginti solidorum, vel nisi de voluntate partium procedatur, vel nisi judex aliud ex causa viderit faciendum.

XVIII. Statuimus, ut ea quæ debentur vel legantur ecclesiis ad emendos redditus, illi ad quos pertinet recipiant a debitoribus, ut deponantur cum aliis in utilitatem ecclesiarum convertenda, non in usus proprios sacerdotum convertantur.

XIX. Statuimus, ut nullus qui propter quæstum veniat, recipiatur ad publicum sermonem faciendum, nec reliquias exhibeat, sine testimonio diœcesani episcopi.

XX. Antiquum statutum concilii renovantes statuimus, ut si quis per annum & diem excommunicationem sustinuerit publicatam, moneatur potestas sæcularis, ut excommunicatum ad unitatem ecclesiæ per suam potestatem venire compellat, mittendo manum in ipsum & res ejus, & nihilominus tales excommunicati per diœcesanum citentur ad provinciale concilium, tamquam de fide suspecti responsuri, quorum nomina in sequenti concilio referantur.

XXI. Statuimus, ut ille ad quem unius pluriumve judicum mandatum dirigitur, sive de citatione facienda, sive de alio aliquo faciendo, non faciat quod mandatur, nisi in ipso mandato contineantur expresse & designentur nomina locorum diœcesis & partium, & etiam cognomina, vel aliæ tales circumstantiæ, per quas, quæ & unde sint possit agnosci, & nisi etiam exhibeant authenticum, cujus auctoritate procedit mandatum, vel authentici transcriptum, sub sigillis authenticis & notis.

XXII. Statuimus, ut singuli episcopi per suas diœceses provideant viros providos & discretos, qui super executionibus testamentorum per suas diœceses vacationes requirant, & voluntates defunctorum per executores & alios ad quos ea res pertinet, faciant executioni demandari.

XXIII. Statuimus, & in virtute obedientiæ præcipimus, ut omnes abbates & priores conventuales, ac etiam nuncii capitulorum præsentis statuta concilii recipiant, ac ea in suis capitulis habeant, legant & publicent infra mensem.

CONCILIUM PRUVINENSE
anno MCCLI. celebratum.

Ex chartario Trecensi eruit Cl. V. dominus Brayer *canonicus Trecensis.*

ANno Domini MCCLI. die Mercurii post festum B. Mariæ Magdalenæ celebravit idem dominus GILO archiepiscopus Senonensis, concilium apud Pruvinum, in quo concilii prædicti (anni MCCXLIII.) statuta renovata fuerunt, & ea de novo statuta quæ sequuntur. Anno 1251.

De excommunicatis ultra annum & diem, ita fiat ut superius est statutum; hoc addito, quod si venerint, concilium, prout justum fuerit, & visum fuerit expedire, contra ipsos procedat; si non venerint, denuntientur ex-

communicati in pleno concilio. Moneantur per diœcesanos, ut infra dictum terminum ad emendationem veniant: quod si non venerint, diœcesanus contra ipsos procedat, prout justum fuerit & visum fuerit expedire; & hoc de illis, qui pro causis propriis & culpis propriis sunt excommunicati, & qui habent potestatem emendandi.

Item, statuimus, ut contra illos qui capiunt res illorum ad quorum instantiam aliquis excommunicatur, vel trahitur in causam coram ecclesiastico judice, vel qui capiunt eorum corpora, vel amicorum suorum, vel res ipsius judicis, procedatur secundum constitutionem domini Honorii, & & in hoc episcopi sibi invicem mutuum consilium & auxilium impendant.

CONCILII PARISIENSIS anno MCCLIII. celebrati decretum de translatione capituli Carnotensis ad Meduntam.

Ex chartario Carnotensi illustrissimi domini Chauvelin *regiorum sigillorum custodis.*

MILO Dei gratia Senonensis archiepiscopus, R. Parisiensis, G. Aurelianensis, G. Autissiodorensis, B. Meldensis, & N. Trecensis, eadem gratia episcopi, venerabilibus viris & in Christo dilectis R. decano totique capitulo Carnotensi salutem & sinceram in Domino caritatem. Versutiis humani generis inimici, qui nocte dieque circuit quærens quem devoret, est a Christianis Deo fidelibus, maxime ab illis quibus est aliorum cura commissa, prout videtur expediens, obviandum; præsertim in loco, ubi idem inimicus suæ crudelitatis aculeos ministrorum suorum pernicioso officio præsentialiter noscitur exercere, ut in tuto sit innocentia, & refrenetur audacia malignandi, furorque in cursu existens lædendi, nocere nequeat, ut jam fecit. Cum igitur causâ necis horribiliter horrendæ, piæ recordationis R. quondam cantoris Carnotensis, communi & deliberato consilio, concilii auctoritate ad locum ipsum duximus recedendum, invenientes ex certis indiciis & conjecturis non multum dubiis, tutum non esse nec expediens Carnotensi ecclesiæ his diebus, quod moram ibi faciat capitulum, propter pericula quæ inde possent contingere infinita; & quia prodesse quandoque loci mutatio consuevit, ut innocentes securi, impiis nocendi opportunitate ablata, horis consuetis & debitis valeatis Domino famulari, non sine cordis amaritudine & dolore, sed quia via tutiori semper est procedendum, approbatione provincialis concilii, & consensu majoris & sanioris partis canonicorum Carnotensium inventorum ibidem, cum omnes essent coram nobis vocati ad locum eumdem, ordinamus, quod capitulum Carnotense a Carnoto infra festum B. Thomæ apostoli proxime venturum recedat, & apud Meduntam moram faciat, & in ecclesia B. Mariæ ejusdem loci ab episcopo & capitulo, & canonicis divina officia celebrentur horis debitis & solitis in ecclesia Carnotensi, & suam primam residentiam faciant infra muros castri ejusdem, sicut infra muros civitatis Carnotensis fieri consuevit; nec in alio loco quam apud Meduntam capitulum faciant, seu de electionibus vel aliis negotiis spiritualibus vel sæcularibus ad capitulum spectantibus tractent vel ordinent, sed in loco prædicto hæc omnia faciant, sicut antea facere consueverunt in ecclesia vel in capirulo Carnotensi, nec aliquis canonicorum Carnotensium Carnoti moram faciens, vel alibi, nisi in locis ubi hactenus extra Carnotensem civitatem consueverunt percipere fructus suos, residentiam suæ præbendæ faciat, vel grossum ipsius præbendæ seu distributiones aliquas percipiat, nec officiat Carnotensi ecclesiæ vel altari, donec aliud super prædictis fuerit ordinatum. Hunc autem locum eligimus quod in Carnotensi diœcesi sub secura dominatione, videlicet domini regis, consistit, Et ex nunc excommunicamus in scriptis omnes illos qui contra hanc ordinationem nostram aliquid præsumserint attentare. Datum Parisius anno Domini MCCLIII. die Mercurii post festum B. Martini hiemalis.

CONCILII PARISIENSIS anno MCCLV. celebrati sententia adversus interfectores Cantoris Carnotensis.

Ex chartario Carnotensi illustrissimi domini Chauvelin *regiorum sigillorum custodis.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen. Anno Domini MCCLV. die Martis ante festum B. Arnulfi continuata a die Lunæ præcedenti, nos HENRICUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus, REGNAUDUS Parisiensis, GUILLELMUS Aurelianensis, GUIDO Altissiodorensis, NICOLAUS Trecensis, Dei gratia episcopi, & ALERMUS miseratione ejusdem electus Meldensis confirmatus, in negotio inquisitionis factæ auctoritate concilii provincialis super interfectione bonæ memoriæ R. quondam Cantoris Carnotensis, auditis pro hominibus & præsumtionibus habitis contra Hugonem de Chattergueio canonicum Carnotensem, & Colinum fratrem ejus, qui se voluntati & ordinationi concilii submiserunt, præstito super hoc juramento, & apposita pœna de bonorum consilio, dictum nostrum & ordinationem nostram proferimus in hunc modum: videlicet quod dicti Hugo & Colinus frater ejus per quinquennium continuum *Obtencfort* in Anglia morentur, & elapso dicto quinquennio, non revertentur

vertentur citra mare, niſi prius nos archiepiſcopus Senonenſis & ſuffraganei noſtri certificati fuerimus a dioceſano loci illius, & aliis perſonis authenticis per patentes litteras, quod per dictum continuum quinquennium in loco ſupradicto [peregerunt,] & præcipimus ut iter corripiant infra octabas aſſumtionis B. Virginis continue profecturi. Et ex nunc privamus dictum Hugonem voce & loco in capitulo Carnotenſi: ita quod in electionibus vel aliis tractatibus in Carnotenſi capitulo ſe non ingerat de cetero, nec aliquatenus admittatur. Item, nos iidem ſupradicti eiſdem anno & die in negotiis inquiſitionis factæ auctoritate provincialis concilii ſuper interfectione cantoris prædicti, auditis confeſſionibus Gileberti dicti loci & Jacobi dicti *Labefore* clericorum, & aliis pro hominibus habitis contra ipſos, de conſilio bonorum, auctoritate ejuſdem concilii ſententialiter definimus dictos Gillebertum & Jacobum in carcere retrudendos, donec auctoritate concilii extrahantur. Et ſi extrahentur auctoritate concilii, ex nunc definivimus ipſos ultra mare in terra Jeroſolymitana exilio perpetuo deportandos. Actum Pariſius anno & die Martis prædictis.

LITTERÆ HENRICI archiepiſcopi Senonenſis ad canonicos Carnotenſes.

Auctoritate concilii provincialis reverſis a Medunta Carnotum, prorogat terminum ad revertendum Meduntam.

Ex chartario Carnotenſi illuſtriſſimi domini Chauvelin.

Anno 1255. HENRICUS divina permiſſione Senonenſis archiepiſcopus, venerabilibus viris dilectis ſuis in Chriſto R. decano & capitulo Carnotenſi ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Cum vos auctoritate concilii provincialis apud Meduntam, ſecundum formam ordinationis ab eodem concilio promulgatæ, & a domino papa poſtmodum confirmatæ, occaſione necis & interfectionis bonæ memoriæ R. quondam cantoris eccleſiæ Carnotenſis, reſidentiam faceretis, & ad preces & ad inſtantiam domini regis, tam nos quam noſtri ſuffraganei, vobis auctoritate dicti concilii jam diu eſt dedimus in mandatis, ut ad Carnotenſem rediretis eccleſiam, ibidem uſque ad octabas nativitatis B. Virginis proxime præteritas, commoraturi, & dictæ Carnotenſi eccleſiæ more conſueto & debito ſerviturí; injuncto vobis nihilominus auctoritate ſupradicti concilii ſub pœna excommunicationis jam latæ, quod ex tunc ad dictum locum Meduntæ, niſi per dictum concilium aliud vobis eſſet injunctum, rediretis: ſervientes ibidem, & veſtras reſidentias facientes, ſecundum formam ordinationis prædictæ, & a ſede apoſtolica poſtmodum confirmatæ; ac poſtea dicti receſſus terminus ex cauſa uſque ad octabas Omnium-Sanctorum, & a dictis octabis Omnium-Sanctorum uſque ad craſtinum octabarum Purificationis B. Virginis, auctoritate ejuſdem provincialis concilii fuerit prorogatus, ſperantes, quod per dominum regem poſſit competens ſecuritas impetrari; terminum prædicti receſſus de civitate Carnotenſi, ad preces & inſtantiam noſtram, a craſtino octabarum Purificationis B. Virginis uſque ad inſtantem Brandonum dominicam, de voluntate & aſſenſu venerabilium fratrum noſtrorum epiſcoporum ſuffraganeorum eccleſiæ Senonenſis, venerabili fratre noſtro G. Autiſſiodorenſi epiſcopo extra regnum abſente, & commiſſa ſuper hoc nobis auctoritate apoſtolica, auctoritate concilii prorogamus, privilegiis & indulgentiis a domino papa conceſſis canonicis Carnotenſibus, auctoritate concilii Meduntæ commorantibus, in ſuo robore permanſuris. Injungentes vobis ſub pœna excommunicationis in rebelles auctoritate concilii prolatæ, quod ex tunc ad prædictum locum Meduntæ redeatis, ſub prædictis modo & forma in ordinatione contentis, & in eccleſia Meduntæ Domino ſerviatis, donec ſuper hoc a nobis & noſtris ſuffraganeis aliud auctoritate concilii fuerit ordinatum. Datum anno Domini MCCLV. in feſto converſionis S. Pauli apoſtoli.

CONCILII SENONENSIS anno MCCLVI. celebrati decretum, de clericis bannitis & in peregrinatione Jeroſolymitana miſſis propter mortem cantoris Carnotenſis.

Ex chartario Carnotenſi illuſtriſſimi domini Chauvelin.

Anno 1256. HENRICUS divina permiſſione Senonenſis archiepiſcopus, M. Carnotenſis, P. Pariſienſis, G. Aurelianenſis, G. Autiſſiodorenſis, A. Meldenſis, N. Trecenſis Dei gratia epiſcopi, & G. Nivernenſis electus confirmatus, religioſis viris ſibi in Chriſto, B. Petri, B. Johannis in Valleia, B. Karauni Carnotenſis abbatibus ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Cum nos ducti miſericordia ac pietatis intuitu ſalutem animarum zelantes, Jacobum dictum *Beloce*, & Gillebertum dictum *Coquin*, clericos Carnotenſes, quos occaſione necis felicis recordationis R. quondam cantoris Carnotenſis captos, aliquandiu auctoritate ſacri provincialis concilii Senonenſis fecimus detineri, liberare deliberavimus tali modo, quod ſtatim poſt liberationem ſuam abſque dilatione aliqua, ſine redditu vel appropinquatione verſus Carnotum, in terram Jeroſolymi-

tanam dirigant greſſus ſuos, ab eadem terra nullatenus regreſſuri, neque inde ullatenus revocandi, & de iſtis integre ac finaliter adimplendis ſufficientem præſtent uſque ad mille libras Turonenſes cautionem. Mandamus vobis, auctoritate ejuſdem concilii firmiter injungendo, quatenus in præſentia diſcretorum virorum Carnotenſis decani & ſubdecani Carnotenſium officialium, bonos & ſufficientes plegios uſque ad quingentas libras Turonenſes pro quolibet, nomine dicti concilii recipere ſtudeatis, quod ipſi fideliter adimplebunt prædicta ſecundum quod ſuperius ſunt expreſſa, dictorum officialium litteras ſuper præmiſſis, ſecundum tenorem quem vobis tranſmittimus, confici facientes, & nobis quid ſuper hoc feceritis, per veſtras patentes litteras reſcribatis. Datum anno Domini MCCLVI. die Lunæ in vigilia B. Petri ad Vincula.

CONCILII MELEDUNENSIS anno MCCLVII. celebrati indicatio.

Ex chartario eccleſiæ Trecenſis eruit cl. vir dominus Brayer canonicus Trecenſis.

Anno 1257. NICOLAUS miſeratione divina Trecenſis eccleſiæ miniſter humilis, dilectis in Chriſto filiis archipreſbytero & decanis civitatis & diœceſis Trecenſis, ad quos litteræ pervenerint, ſalutem in Domino.

Auctoritate domini archiepiſcopi Senonenſis (Henrici) cujus mandatum ſuper hoc recepimus, & noſtra, vobis mandamus, quatenus vos archipreſbyter, S. Petri de Cella, S. Lupi, & S. Martini abbates Trecenſes, & capitulum S. Stephani Trecenſis; vos autem decani, abbates & capitula veſtrorum decanatuum, qui conſueverunt ad provinciale concilium evocari, citetis: ut abbates perſonaliter & capitula per procuratores provideos & diſcretos die Sabbati poſt inſtantes octabas feſtivitatis Omnium-Sanctorum apud Meledunum compareant ad provinciale concilium celebrandum, habituri cum ipſo archiepiſcopo ac ejus ſuffraganeis, nec non cum aliis ad dictum concilium congregatis ſuper urgentibus eccleſiæ negotiis conſilium diligens & tractatum; ſignificantes abbatibus & capitulis prædictis, quod ipſi de rebus ac negotiis ſuis ſic ſtudeant ordinare, quod per duos aut tres dies morentur ad dictum concilium celebrandum: intimantes abbatibus prænotatis, quod ſi quis eorum, niſi neceſſitate urgente, ſe præſumſerit excuſare, ipſius excuſatione non admiſſa, pœna propter hoc debita eidem infligetur. Datum anno Domini MCCLVII. die Veneris ante feſtum B. Dionyſii.

ACTA VARIA

de diſſidio inter Robertum epiſcopum, & Hugonem comitem Engoliſmenſem.

SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS lata in ſeneſcallum Engoliſmenſem ob clauſas Roberto epiſcopo civitatis portas, & interdicti in comitis familiam.

Ex chartario Engoliſmenſi illuſtriſſimi domini Chauvelin ſigillorum regiorum cuſtodis.

ANno Domini MCCLIX. die Sabbati in Aſcenſione Domini, monitus competenter de mandato noſtro G. Salomonis, tunc ſeneſcallus Engoliſmenſis, per venerabiles viros magiſtrum Johannem decanum Legion. Hel. magiſtrum ſcholarum, Wilhelmum Celabracha, Arn. de Stangno canonicos Engoliſmenſes, & magiſtrum Wilhelmum de Campohaſterii, auditorem cauſarum venerabilis decani & capituli Engoliſmenſis, ad hoc a nobis ſpecialiter deſtinatos, ut portam civitatis Engoliſmenſis, quæ dicitur porta S. Petri, nobis ROBERTO epiſcopo Engoliſmenſi, volentibus ingredi civitatem Engoliſmi, faceret aperiri, quam clauſam inveniebamus. Per quam etiam portam nobis & prædeceſſoribus noſtris, canonicis & clericis, & aliis communiter conſuevit patere ingreſſus pariter & regreſſus; quæ de mandato ipſius clauſa publice dicebatur. Reſpondit, quod de mandato comitis eam claudi fecerat, nec eam faceret aperiri; & nobis longa mora expectantibus, in hunc modum civitatis ingreſſum injurioſe & contra juſtitiam denegavit: nec non & aliam portam, quæ appellatur porta de Bello-loco, per quam ſimiliter patere conſuevit ingreſſus & egreſſus, quæ obſerata fuerat per eumdem, intrare volentes, clauſam invenimus. Item & aliam portam, quæ appellatur porta de Paleto, per quam tentavimus ingredi civitatem, ſed non potuimus; quia de præfati ſeneſcalli mandato clauſa a portæ cuſtodibus nos intrare prohibentibus dicebatur. Quo in loco etiam nobis publice dictum fuit ab ipſis cuſtodibus, quod numquam civitatem illam a modo intraremus; & ſic inde, multis contumeliis affecti, neceſſe habuimus recedere verecunde. Unde ipſum ſeneſcallum nominatum, alias excommunicatum a nobis in ſcriptis ex pluribus cauſis & pluries, etiam ex hac nova cauſa excommunicamus in ſcriptis; nec non & omnes illos, de quorum auctoritate, præcepto vel mandato, ope, conſilio vel auxilio; mandando, præcipiendo vel parendo præceptis; banna, edi-

Anno 1259.

cta vel præconia, clam vel patenter, contra nos vel canonicos Engoliſmi, homines noſtros vel homines eorum, clericos etiam nominatim vel indiſtincte, ſuper ſubtractione publicorum commerciorum, alimentorum & etiam elementorum, ſcilicet aquæ & ignis, & aliorum, quæ Deus & natura ad uſum hominum præpararunt, emiſſa ſunt, & plura alia neſanda commiſſa. Illos etiam, qui hujuſmodi, vel aliqui de his ſunt in poſterum per ſe vel per alium commiſſuri, in ſcriptis excommunicamus, & excommunicatos publice nuntiamus. Civitatem etiam Engoliſmenſem totaliter ex his cauſis diſtricto in ſcripto ſupponimus interdicto.

Item, cum nobilis vir HUGO comes Engoliſmi, variis ex cauſis dudum excommunicatus a nobis in ſcriptis, maligno fretus conſilio, non vereatur ſuperaddere mala malis, & nequioribus peſſima cumulare, ut quia proprium in ſe dolorem non ſentit, laterum *Alienordim dolorem recogitet * ..... uxorem & familiam ejus in ſcriptis interdicimus, juſtitia compellente, & utramque interdictam publice nunciamus in ſcriptis, mandantes prædictas ſententias in omnibus locis, in quibus divina celebrantur in Engoliſmenſi civitate & diœceſi expreſſim, ubi ſecreto ſecrete, & ubi publicum publice nunciari, & uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum ut ſupra.

EPISTOLA ROBERTI Engoliſmenſis epiſcopi ad capitulum Pictavenſe,

Ut laïas in comitem excommunicationis, & in comitiſſam interdicti ſententias faciant obſervari.

Ex eodem mſ.

Anno 1259. HOnorabilibus viris providis & diſcretis dominis utique & amicis venerabilibus magiſtro ſcholarum & capitulo Pictavienſi, R. Dei miſeratione Engoliſmenſis eccleſiæ miniſter humilis, cum omni devotione, honore & reverentia, ſalutem, ac paſſionibus proximi compati & doloribus condolere.

Cum nemo ſibi fere ſufficiat, ſed grata viciſſitudine præſtita vel præſtanda omnes auxilio egeamus, & lex Chriſti ſecundum Apoſtolum impleatur, cum res exigit, onera mutua ſupportando, ad vos recurrimus pro ſperato ſubſidio, non de meritis propriis, ſed affluentia bonitatis veſtræ, & celeberrima univerſalis eccleſiæ conſuetudine confidentes. Hinc eſt, cariſſimi domini, quod cum poſt plures enormes injurias & damna graviſſima in rebus & hominibus noſtris commiſſa, quæ fortaſſis vobis oneroſum eſſet per ſingula enarrari, nobilis vir Hugo comes Engoliſmi, ſpretis viliter & contemtis monitionibus eccleſiaſticis competentibus, excommunicatus ſit a nobis, juſtitia compellente, & exinde longo intervallo poſtea uxor ejus cum familia interdicta; benignitati veſtræ quibuſcumque modis poſſumus ſupplicamus, & pro communi utilitate requirimus, ſi tamen & adhuc licentia protendatur, ut excommunicationis & interdicti ſententias ſupradictas, in dictum ..... comitem & uxorem & familiam ejus latas, obſervari faciatis uſque ad ſatisfactionem condignam, &, ut moris eſt, denuntiari per totam civitatem & dioceſim Pictavenſem, & nominatim in locis, quæ potius noſcitur frequentare; illud poeticum diligenter corde verſati:

Tua res agitur paries cum proximus ardet.

Nec non & quod alius poeta canit:

Nemo ſibi ſatis eſt, eget omnis amicus amico.
Si non vis alii parcere, parce tibi.

Ut enim vera fateamur, licet inviti, de præfati comitis & conſiliariorum ſuorum tyrannide, in huc jam deventum eſt, ut novas & inauditas crudelitates & inexcogitatas ante tempora ſua ſævitias contra eccleſiam Dei & eccleſiaſticos viros novitate damnabili audeat exercere. Inter quæ monſtrum illud peperit novitas, quod præfatus comes pravo fretus conſilio, imprudenter & pariter impudenter in civitate Engoliſmi fecit edici voce præconia, ne aliquis canonicis Engoliſmi & clericis quibuſcumque aliquid venderet, nec hominibus eorum vel nuntiis, vel ſervientibus ipſorum, nec aquam de fontibus vel flumine publico portaret, nec permitterentur in furnis publicis panem coquere, vel ad molendina molere, vel commercium aliquod cum eis habere. Et cum contingeret, quod aliquis de canonicis vel aliis clericis de civitate exiret, vel equi, vel res eorum, non permitterentur poſtea ingredi civitatem; quod de multis poſtea accidit. Idem de nobis epiſcopo, & de hominibus epiſcopi, & generaliter de omni clero ex parte comitis, ſub interminatione amiſſionis rerum & perſonarum, in ſupradicta civitate fuit voce præconia promulgatum, & firmiter poſtea obſervatum.

Additum etiam fuit in præconio publico, ut pauperibus clericis, qui erant in civitate ſtudiorum cauſa, nullus auderet eleemoſynam erogare; & ſic per hunc modum prædicta civitas eſt canonicorum & clericorum ſolatio deſtituta, per ſubtractionem alimentorum.

Nobis etiam ingredi volentibus civitatem, & portas clauſas invenientibus, monitione ſolemni facta ſeneſcallo, ut nobis faceret aperiri; reſpondit ſeneſcallus, quod comes prohibuerat, ne nos perſonaliter intrare volentes civitatem, admitteremur; & ſic in tribus portis fuit nobis civitatis aditus denegatus; ſicque turpiter & verecunde, nec ſine verborum & factorum contumeliis repulſi, & juris interpretationem non admitten-

do dejecti, compulsi fuimus ea die aliò declinare.

De prioratibus & ecclesiis invasis postea & spoliatis, & aliis scelcribus postea perpetratis, sciente seneschallo comitis, & aliis de familia sua impia facta negligentibus, sed magis, ut credimus, procurantibus, non prosequimur, ne de cedula factum volumen tædium pariat auribus multis negotiis deputatis. Datum, &c.

De prolixitate verborum veniam petimus, quoniam onerata intentio non potuit paucioribus explicari.

MANDATUM R. DECANI & capituli Pictavensis, de publicanda sententia excommunicationis in comitem Engolismensem, & interdicti in ejus familiam.

Anno 1159. R. decanus & capitulum Pictavense, dilectis in Christo decanis, archipresbyteris, prioribus, & aliis ecclesiarum rectoribus in civitate & diœcesi Pictavensi constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino.

Litteras venerabilis patris in Christo R. Dei gratia Engolismensis episcopi, graves & dolore non vacuas recepimus, continentes, quod cum ipse in nobilem virum HUGONEM comitem Engolismensem excommunicationis, in uxorem vero & familiam ejus interdicti sententias tulerit, justitia exigente, propter excessus intolerabiles & offensas comitis memorati; nihilominus idem comes sententias ipsas spernens viliter & contemnens, mala malis accumulans, novas & inauditas crudelitates & inexcogitatas ante tempora sua sævitias contra ecclesiam Dei & ecclesiasticos viros exercere præsumsit damnabili novitate. Quare nobis humillter supplicavit, ut excommunicationis & interdicti sententias supradictas in dictum comitem & uxorem & familiam ejus latas, observari usque ad satisfactionem condignam, & denuntiari per totam civitatem & diœcesim Pictavensem, prout moris est, & juri consonum, faceremus. Quia vero super hæc eidem deesse non possumus nec debemus; cum ad hoc sanctiones canonicæ nos invitent, vobis in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis districte præcipiendo mandamus, quatenus memoratas excommunicationis sententias inviolabiliter observantes, præfatum comitem excommunicatum, uxorem vero ejus & familiam interdictas ab episcopo supradicto, in vestris ecclesiis publice nuntietis diebus singulis Dominicis & festivis, necnon in vestris decanatibus & archipresbyteratibus faciatis districtissime observari & publice nuntiari, vos archipresbyteri & decani. Datum sabbato post Ascensionem Domini.

Eodem modo fuit scriptum domino P. Xanctonensi episcopo, & ab eo rescriptum.

EPISTOLA ROBERTI EPISCOPI Engolismensis, ad Geraldum archiepiscopum Burdigalensem.

De vi sibi a comite Engolismensi illata.

REverendissimo domino in Christo patri G. Dei providentia venerabili Burdegalensi archiepiscopo, suus R. Engolismensis ecclesiæ minister humilis & indignus, cum salute seipsum, & quidquid vas figulo debet, aut surculus plantatori. Anno 1159.

Quia fortassis longa relatio litteralis vestris fieret auribus onerosa, Arn. de Stangno canonicum Engolismensem, de quo plene confidimus, ad vos mittimus, ut eidem viva voce referenti, quæ dixerit credatis, & omnimodam fidem adhibeatis, ac si præsentes ore ad os & verbo ad verbum dominationi vestræ personaliter loqueremur; videlicet super expulsione canonicorum & clericorum de civitate Engolismensi, & bannis jussu & nomine comitis Engolismæ factis de persona nostra, de canonicis, de clericis omnibus & hominibus nostris intrinsecis & extrinsecis; & qualiter nobis civitatem intrare volentibus, in tribus portis fuit nobis ingressus inhoneste & vituperabiliter denegatus, & per nullam partem civitatis concessus. Et qualiter nobis remanentibus eadem die apud sanctum Eparchium, seneschallus & homines civitatis victualia nobis denegaverunt de civitate ferenda, & avenam etiam propriam pro equis nostris. Quibus utique plenius intellectis per relationem dicti canonici, qui præsens factis interfuit, de cujus relatione dubitare nullatenus vos oportet: Paternitati vestræ modis quibus possumus supplicamus, quatenus salubre, expeditum & promtum super hoc consilium apponatis; domino siquidem Xanctonensi videtur, quod vos cum suffraganeis vestris domino regi Franciæ super facto isto celeriter scribere debeatis, & inauditam novitatem, immo potius monstruosam crudelitatem litteratorie nuntiare.

Nos quidem scripsimus capitulo Pictavensi, supplicando ut sententias excommunicationis in dictum comitem, & interdicti in ejus uxorem & familiam latas a nobis, exigente justitia, per civitatem & diœcesim faciant publicari. In aliis procedemus, dante Domino, secundum quod consilium vestrum paternum duxerit intimandum. Paternitatem vestram corroboret Dominus & confirmet in omni opere bono, & conservet per tempora longiora.

EPISTOLA

EPISTOLA ROBERTI EPISCOPI Engoliſmenſis, ad Ludovicum Francorum regem.

Significat regi exceſſus enormes comitis Engoliſmenſis in ſe & ſuos.

Anno 1259. REverendiſſimo domino ſuo Ludovico, Dei providentia excellentiſſimo Francorum regi, R. ejuſdem permiſſione Engoliſmenſis eccleſiæ miniſter humilis, cum omni devotione ac ſubjectione ſalutem, & de regno ad regnum per glorioſa virtutum merita, duce Domino, pervenire.

Placuit regiæ majeſtati, quam Altiſſimus ſibi ſuiſque conſervet ad tempora longiora, ut cauſam intimaremus eidem, ex qua terram nobilis viri H. comitis Engoliſmenſis ſuppoſuimus interdicto. Ne igitur verborum coloribus certa veritas aliquatenus deliteſcat, ſed potius ſtatim in lucem prodeat, factum ipſum, prout ſe habet & habuit, rudi ſtilo, luctuoſo tamen & pleno fletibus duximus intimandum.

Proinde noverit dominatio veſtra, quod excommunicato a nobis legitime ſeneſcallo *dicti comitis*, propter exceſſus ſuos graviſſimos & notorios, quem etiam parati eramus ſecundum juris formam abſolvere, ſi pareret dictus comes: nec, ut decuit vel debuit, ſed ut voluit & valuit, irruit in res noſtras, multos homines noſtros & mulieres, etiam de villa noſtra propria & in ipſa villa capiens & incarcerans, ſine juris defectu, & diu carcerali cuſtodia maceratos detinens & affligens; & quos abire permiſit, cautiones & redemtiones, & quod vulgo perſonagium dicitur, recipiebat ab eis; furnarium etiam noſtrum de furno noſtro proprio, quem habemus in eadem villa, quem capi fecerat, adhuc detinet, de quo ſit viuus an mortuus ignoramus. Vias publicas, fontes publicos, paſcua antiquiſſima, & ſemper uſitata noſtris hominibus, voce præconia, non ſine percuſſionibus, ictibus, vulneribus factis crudelibus, immo crudeliſſimis, & pecuniarum extorſionibus interdixit. Uſum, quem habueramus nos & prædeceſſores noſtri, a temporibus quorum non extat memoria, in quodam nemore, quod etiam a nobis movet, ad hoſpitia noſtra & furnos noſtros, nobis abſtulit, & adhuc aufert, & uſu illo nos contra juſtiam ſpoliavit. Furcas etiam novas & de novo erexit ibidem juxta villam noſtram, in noſtrum præjudicium & gravamen. Hæc utique & longe plura fecit & fieri fecit in villa noſtra propria, quæ *Toluera* dicitur, idem comes.

Sed & quæ fecerit vel fieri fecit atrocia his diebus in civitate Engoliſma, non ſit oneroſum, quæſumus, audire veſtræ regiæ dignitati. Canonicos quidem & univerſum clerum de civitate illa expulit per hunc modum. Voce enim præconia publice edici fecit ſub interminatione perſonarum & rerum, quod nullus venderet, donaret vel traderet canonicis vel clericis, vel hominibus clericorum vel epiſcopi victualia vel alimenta, vel aliud quidlibet, nec aliquid emeret ab eis, nec permitterentur panem coquere in furnis, nec aquam haurire de flumine publico, vel fontibus publicis, nec aliquis ferraret equos eorum, nec opportunitatem lignorum ad cibaria coquenda concederet aliquis alicui clerico; & ſi contingeret quod aliquis de canonicis vel clericis, vel eorum hominibus exiret de civitate, iterum ingredi non permitterentur, neque aliqui clerici vel homines clericorum permitterentur ingredi civitatem. Sicque factum eſt, quod, denegato omni commercio, omnique opportunitate vivendi canonicis & clericis & hominibus eorum, ac ſubtractis alimentis, &, ut ita dixerimus, elementis, compulſi fuerint canonici & clerici & eorum familiæ poſt dies aliquot egredi civitatem, & deſerere eccleſiam Dei. Non enim poterant ex ſolo vento trahere nutrimentum. Et qui talibus ſævitiis præerant, non permittebant quod aqua, vel lapides, vel calx ad fabricam eccleſiæ portarentur; &, ut audivimus, multa contra fidem catholicam, quæ etiam deteſtabilem hæreſim ſapiunt, verba dicta ſunt in eadem civitate & factis commiſſa ab illis qui actores erant & executores criminum præmiſſorum.

Quæ etiam facta cum audivimus, ad locum acceſſimus, volentes ingredi civitatem; ſed non fuimus permiſſi ingredi per aliquem locum vel portam. Aperte enim dixit ſeneſcallus comitis, quod comes prohibuerat ingreſſum noſtrum, nec ingrederemur, niſi de mandato comitis ſpeciali; ſicque a tribus portis repulſi, & ab illa nominatim, per quam aliis patebat ingreſſus tunc temporis, non ſine multorum verborum & factorum contumeliis, receſſimus verecunde.

Porro cum nec per propriæ defenſionis auxilium vim vi poſſimus repellere, nec, deficientibus facultatibus, cum epiſcopatus noſter exilis ſit, & in reditibus tenuis, de pari ſub throno judiciali valeamus cum comite diſceptare, & manifeſta vel notoria judiciaria cognitione non egeant, ad arma Chriſti & eccleſiæ recurrentes, ipſum comitem ex dictis cauſis, poſt multas monitiones canonicas, excommunicavimus, licet inviti, juſtitia compellente; uxorem ejus & familiam interdiximus, ſervatis legitimis intervallis; civitatem Engoliſmam, terram etiam ad ipſum comitem jure dominii vel jure feodi pertinentem, finaliter ſuppoſuimus eccleſiaſtico interdicto.

Verum, quia modicitas fidei his noſtris temporibus operatur, ut eccleſiæ gladius vilipendatur a multis, licet, tamquam ſpiri-

tualis, interiora percellat, ad ſerenitatis veſtræ clementiam, quæ numquam piis ſuffragiis ſe ſubtraxit, neceſſe habemus confugere, ſupplicando, ne ſub aliquo velamento ſuſtineat hujuſmodi flagitia & enormitates procedere, fidem ſuccumbere, & veſtras ac prædeceſſorum veſtrorum eleemoſynas deperire. Niſi enim vos oppoſueritis murum pro domo Domini, audacter dicimus, quod in partibus iſtis cadit eccleſia, perit fides; & ut de præſagiis malorum non a longe petantur exempla, nos & canonici noſtri de propria ſede expulſi ſumus, clerus de civitate ejectus de mandato comitis ſpeciali. Decem vel plures eccleſiæ de novo per prædonum & raptorum manus, bonis quæ ibi inventa fuerunt ſpoliatæ, &, ut publice dicitur, & firmiter credimus, de conſilio & voluntate ipſius comitis & ſuorum. Vadunt enim & redeunt, & civitatem ingrediuntur prædones, aliquando nullius formidantes occurſum.

Sane hæc quæ prædiximus, ſereniſſime princeps, jam dudum vobis intimata credebamus & cognita: Sed qui miſſi fuerunt, blanditiis vel terroribus aliquorum callide depravati, cum jam ad veſtram curiam perveniſſent, quæ denuntiare debuerant tacuerunt.

Datum die ſabbati ante nativitatem beati Johannis-Baptiſtæ, anno Domini MCCLIX.

EPISTOLA GERALDI archiepiſcopi Burdigalenſis, & Pontii epiſcopi Xantonenſis, ad Ludovicum regem Francorum.

Ejuſdem argumenti.

EXcellentiſſimo domino ſuo LUDOVICO Dei providentia illuſtriſſimo Francorum regi, G. ejuſdem permiſſione Burdegalenſis archiepiſcopus, PONTIUS ejuſdem patientia Xanctonenſis eccleſiæ miniſter humilis, ſeipſos cum ſalute, & poſt præſentis temporis curſum æternæ beatitudinis bravium feliciter obtinere.

Graves & luctuoſas querelas eccleſiæ auribus veſtris audacter referimus, quibus novimus indubitanter placere Deo placentia, & eidem diſplicentia diſplicere; confidentes firmiter & ſperantes per veſtræ majeſtatis clementiam imprudenter acta prudenter corrigi, & indecenter commiſſa zelo veſtræ ſolitæ rectitudinis emendari.

Quia igitur factum turpe & inhoneſtum fideique Chriſtianæ contrarium, quod nuper in civitate Engoliſma contigit, celerem correctionem feſtinamque reformationem deſiderat, quod aliter expediri non poteſt, niſi manum apponat ſollicitudo veſtræ regiæ majeſtatis, ſerenitatis veſtræ clementiam rogamus, obſecramus & exhortamur in ſanguine JESU CHRISTI, ut tanto vulneri curando opem & operam in promtu dignemini adhibere.

Factum vero tale eſt, prout publice dicitur, & firmiter credimus verum eſſe; quod de mandato comitis Engoliſmæ, præconis voce, fuit publice promulgatum in prædicta civitate ex parte comitis Engoliſmæ, ſub pœna amiſſionis & commiſſionis bonorum, quod nullus venderet canonicis, vel clericis, vel hominibus canonicorum vel clericorum, victualia vel aliud quidlibet, vel emeret aliquid ab eis, nec permitterentur aquam haurire de flumine publico, vel fontibus communibus; nec permitterentur molere in molendinis, vel coquere in furnis publicis; nec permitterentur clerici vel homines eorum ingredi civitatem, nec aliquis ferraret equos eorum, & quod hoc edictum vel præconium diſtrictiſſime ab omnibus ſervaretur; ſicque factum eſt, quod, ſubtracto beneficio publici commercii alimentorum & elementorum, ſcilicet aquæ & ignis nominatim, compulſi ſunt canonici & clerus univerſaliter deſerere civitatem, tam canonici, quam capellani eccleſiarum, & generaliter totus clerus. Epiſcopo etiam civitatis fuerunt omnes portæ civitatis clauſæ; cui ingredi volenti & poſtulanti inſtanter, ut ſibi aperirentur; & venienti ad portas tres, & nominatim ad illam, per quam alii tunc ingrediebantur; ſeneſcallus, monitus ut portas aperiret eidem, dixit quod comes prohibuerat ne intraret, nec aperirentur ei portæ ſine mandato comitis ſpeciali; & ſic ingreſſus civitatis fuit eidem epiſcopo penitus denegatus. Effractiones etiam eccleſiarum & deprædationes bonorum clericorum in pleriſque locis fuerunt in Engoliſmenſi dioceſi, prout publice dicitur, de conſenſu vel conniventia comitis vel ſuorum.

Placeat ergo pietati veſtræ hujuſmodi peſtibus & periculis obviare, & monſtra fugare inſolita, & in regno Franciæ fere uſque ad hæc tempora inaudita. Indiget enim nunc plurimum auxilio veſtro in ſuis Deus omnipotens omnium gubernator, qui paſſionibus ſuorum compati debet & doloribus condolere. Regat rex regum, confirmet & roboret veſtram regiam majeſtatem, baſem in concuſſam eccleſiæ ſuæ ſanctæ.

Datum ut ſupra.

EPISTOLA ROBERTI EPISCOPI Engoliſmenſis, ad H. generalem viſitatorem domorum militiæ Templi citra mare.

Queritur quod fratres ſui non ſervarent interdictum in civitatem Engoliſmenſem latum.

R. Dei miſeratione Engoliſmenſis eccleſiæ miniſter humilis, venerabili ac reverendo viro fratri H. generali viſitatori domorum militiæ Templi citra mare, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus.

Cum, & quando eramus in minori officio constituti, & postea, jugiter militiæ Templi commodum dilexerimus & honorem, & ad omne votum fratrum, nomine Templi a nobis quicquam petentium, nos pro viribus & ultra vires interdum promtos, faciles exhibuerimus & benignos; non debet nobis petentibus quod justum est denegari, nec conditio nostra deterior fieri, ex quo justum esset favorem & auxilium expectare. Sane cum propter enormes & intolerabiles injurias, & facta usque ad hæc tempora inaudita, quæ nobilis vir Engolismensis comes contra nos & canonicos Engolismenses hominesque nostros & universalem clerum exercuit & exercet, a civitate expellendo, victualia subtrahendo, nos a civitatis ingressu personaliter prohibendo, & mala plurima pejoribus cumulando, Engolismam civitatem ecclesiastico supposuimus interdicto; & quidam de fratribus vestris sententiam nostram contemnant, derideant & illudant, in dicta civitate januis apertis, receptis excommunicatis & interdictis, divina officia celebrando, Deo, rationi & omnimodæ honestati emolumentum lucri vilis & modici præferendo, quod est juri contrarium, æquitati dissonum, ac sacris canonibus inimicum. Prudentiam vestram bonis moribus, ut credimus, affluentem exoramus, requirimus & obsecramus in sanguine Jesu Christi, de quo universalis ecclesia formata est & creata, quatenus dictos fratres a tam pernitiosis injuriis & contumeliis sollicitudine provida compescatis. Cum enim tota ecclesia unum corpus sit in Christo, & tam vos quam nos omnes unum corpus simus in eo; & licet diversi sint habitus & colores, simus tamen omnes unius corporis membra: crudelissimum atque turpissimum est, quod membro dolenti membrum aliud; quod sibi sanum videtur, dolorem ingerat, cum debet potius ejus amminiculo relevari. Dato enim, ut liceret, quod absit, quia nec audivimus nec vidimus, nec legendo invenimus tale privilegium cuiquam fuisse concessum, per quod sic impudenter libertas ecclesiastica tolleretur: esset tamen ab hujusmodi male licito abstinendum. Dicit enim juris civilis regula: Non omne quod licet honestum est. Et Apostoli verba sunt hæc, licet in diversis locis posita: *Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt: omnia licent, sed non omnia ædificant: omnia licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Per quæ, juxta sanctorum doctorum expositiones, intelligitur abstineri debere ab illicitis, per quæ honestas læditur, scandalum oritur, vel fraterna caritas vulneratur. Vale, carissime domine. Speramus in Domino & in potentia virtutis suæ, quod per discretionis vestræ benignitatem, cujus longe lateque patent præconia, in hac parte iniquitati justitia, & impietati pietas prævalebunt.

EPISTOLA PONTII EPISCOPI Xanctonensis, ad Præceptorem Templi in Pictavia.

Conqueritur de ejus fratribus, quod non servarent interdictum ob illatam episcopo & canonicis Engolismi injuriam.

Ex eodem ms.

Pontius Dei miseratione Xanctonensis ecclesiæ minister humilis, viro religioso provido & discreto.... venerabili Præceptori militiæ Templi in Pictavia, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Cum Engolismensis civitas supposita sit interdicto, propter graves & intolerabiles injurias episcopo & capitulo ejusdem civitatis & suis ac toti clero a nobili viro H. comite Engolismensi sine justa causa, ut creditur, firmiter, scilicet pro suo libitu, irrogatas; inter quas illud notissimum est, & quod aliqua tergiversatione celari non potest, quod ejusdem canonici ecclesiæ banno publico ex parte comitis facto, canonici & totus dictæ civitatis clerus, per subtractionem alimentorum & beneficii omnium elementorum, quæ Deus & natura pararunt, a dicto loco turpiter & inhoneste, & quodam inaudito modo expulsi sunt; necnon & ipsi episcopo intrare civitatem volenti, clausis in facie portis, ejusdem civitatis ingressus, non sine verborum & factorum contumelia, negatus est; quidam vestri ordinis fratres ibidem in quadam domo vestra & ecclesia manentes, interdicti sententiam ab episcopo positam non observant, sed passim interdictos & excommunicatos admittendo, eisque communicando, aliàs multipliciter violant & infringunt, non solum in ipsius, sed & universalis ecclesiæ præjudicium & gravamen. Quapropter discretionis vestræ providentiam rogamus & exhortamur in Domino Jesu Christo, honorem Dei altissimi, necnon & vestri ordinis in hoc communiter attendentes, quatenus fratres vestros curetis & procuretis ab hujusmodi indecentibus factis sollicitudine provida cohibere. Cum etenim tota Dei ecclesia unum sit corpus in Christo, secundum Apostolum, licet sint membra diversa distinctaque officia, compati debet in afflictionibus membrum membro, & Christo qui caput est ecclesiæ, accepta vicissitudine condolere.

EPISTOLA PONTII EPISCOPI Xanctonensis, ad visitatorem domuum Militiæ Templi.

Conqueritur de ejus fratribus, quod non servarent interdictum latum in civitatem Engolismensem.

P. Dei miseratione Xanctonensis ecclesiæ minister humilis, viro religioso provido & discreto.... generali visitatori domuum mi-

litiæ Templi citra mare, ſalutem & ſinceræ vinculum caritatis.

Cum Engoliſmenſis civitas eccleſiaſtico ſuppoſita ſit interdicto propter exceſſus enormes & graviſſimas injurias, quas nobilis vir H. comes Engoliſmenſis contra eccleſiam Dei dicitur commiſiſſe; inter quæ illud luctuoſum, ac quaſi monſtruoſum manifeſte ſe offert, quod canonicos & univerſum clerum de dicta civitate noſcitur expuliſſe, omne commercium, alimenta & victualia, necnon & beneficium elementorum, ſcilicet aquæ & ignis, quæ Deus & natura hominibus præpararunt, pro ſuæ voluntatis libitu, voce præconia, denegando, necnon & Engoliſmenſem epiſcopum ab ejuſdem civitatis ingreſſu turpiter repellendo; quidam de fratribus veſtris commorantes ibidem, obſervare dictam interdicti ſententiam vilipendunt, apertis januis eccleſiæ & alta voce, receptis etiam interdictis & excommunicatis, in eccleſia officia divina celebrando: ex quo ſiquidem facto ſcandalum non modicum naſcitur, juſtitia læditur, fraterna caritas apertiſſime vulneratur. Quapropter prudentiam veſtram ac diſcretionem modis quibus poſſumus deprecamur, quatenus in facto hujuſmodi tale conſilium apponatis, quod de recta providentia merito commendari poſſitis, tanti ſcandali materiam ab eccleſia Dei celeriter removendo. Etſi etenim liceret ordini veſtro, quod nullo modo credimus, quia nulli omnino umquam audivimus vel legimus hoc conceſſum: tamen honeſtas, quæ fœda & turpia prohibet, & jubet mutuæ caritatis unionem ſervari, eſt inter bonæ voluntatis homines præferenda.

EPISTOLA EPISCOPORUM provinciæ Burdegalenſis, ad plures regni archiepiſcopos & eorum ſuffraganeos.

Ut comitem Engoliſmenſem denuntient excommunicatum.

REverendiſſimis dominis & cariſſimis in Chriſto patribus Dei providentia Remenſi, Senonenſi, Rotomagenſi, Bituricenſi, Turonenſi venerabilibus archiepiſcopis & eorum ſuffraganeis univerſis, G. ejuſdem patientia Burdigalenſis, W. Aginnenſis, P. Petragoricenſis, PONTIUS Xanctonenſis epiſcopi, ſalutem cum omni reverentia & honore, & fraternis condolere doloribus in viſceribus caritatis.

Illa ſinceræ dilectionis unio, quæ ſpirituali vinculo filias Sion copulat & conjungit, juxta illud quod in Cantico amoris legitur: *Una eſt columba mea, una eſt dilecta mea*, ſua virtute operari debet in ſingulis, ut unius afflictio, per compaſſionem ab omnibus debitam, omnibus ſit communis. Quapropter paternitati veſtræ duximus intimandum, quod cum venerabilis frater noſter R. epiſcopus Engoliſmenſis, propter multas & intolerabiles injurias & manifeſta gravamina, quæ nobilis vir H. comes Engoliſmenſis ſibi & eccleſiæ ſuæ intulerat, pro ſuæ libitu voluntatis, eumdem comitem dudum excommunicationis vinculo innodaſſet, non ſolum requirente vel exigente juſtitia, ſed etiam compellente, prout ab eodem epiſcopo & pluribus aliis intelleximus & credimus firmiter verum eſſe; idem comes nequaquam veritus mala malis, vel pejoribus peſſima cumulare, in illum tandem crudelis novitatis ac novæ crudelitatis gradum ſe rapuit, ut ſeneſcallus ejus, ipſius comitis nomine, & de illius ſpeciali mandato, ſicut publice aſſerebat, voce præconia edici fecerit in civitate Engoliſmenſi ſub pœna commiſſionis perſonarum & rerum, quod nullus venderet victualia vel alia epiſcopo vel canonicis, ſeu aliis clericis, undecumque eſſent, vel hominibus eorumdem, vel aliquid ab eis emeret, nec permitterentur civitatem ingredi, vel aquam haurire de fontibus communibus vel fluminibus publicis per ſe vel per alios, clibanis ad coquendum panem & molendinis etiam propriis, omnique genere commercii eiſdem per eamdem vocem præconiam totaliter interdictis. Quod etiam interdictum præcepit dictus comes in terris & caſtris baronum ſuorum proponi publice & inviolabiliter obſervari. Propter quod ſubtracto alimentorum ac elementorum, nominatim ignis & aquæ beneficio, canonici & univerſus clerus, necnon & capellani parochiales, qui baptiſmum & pœnitentiam & ſacramenta cetera miniſtrabant, compulſi ſunt deſerere civitatem, multaque alia ſunt commiſſa, ut dicitur, quæ ſapiunt hæreticam pravitatem. Inter quæ illud notorium nequaquam prætermittendum ſe offert, cum ſit uſque ad hæc tempora apud nos inauditum; quod præfatum epiſcopum Engoliſmenſem, volentem ingredi civitatem, præfatus ſeneſcallus comitis & alii homines ſui de ſpeciali & expreſſo mandato comitis, ut dicebat, intrare civitatem nullatenus permiſerit, ſed eumdem cum verbis contumelioſis, portis clauſis, hominibus armatis portas cuſtodientibus, turpiter repulerunt.

Supplicamus igitur benignitati veſtræ, ut corda veſtra moveat, vel potius percellat atrocitas hactenus inaudita, & novo genere malitiæ introducta; ipſumque comitem tamquam excommunicatum publice, & ſaxei cordis pertinacia induratum, a communione veſtra, prout jura ſuadent & exigunt, offenſa perſeverante maxime, penitus repellatis, & eumdem a ſubditis veſtris faciatis arctius evitari. Datum ut ſupra.

EPISTOLA

EPISTOLA EORUMDEM ad Alexandrum papam IV.

Ejuſdem argumenti.

SAnctiſſimo in Chriſto patri ac domino ALEXANDRO divinæ providentiæ munere ſacroſanctæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, G. Dei miſeratione Burdegalenſis archiepiſcopus, W. Aginnenſis, P. Petragoricenſis, PONTIUS Xanctonenſis epiſcopi, pedum oſcula beatorum.

Caſum referimus, clementiſſime pater, dolendum pariter & horrendum, & idcirco ſano conſilio & promto auxilio indigentem. Equidem cum comes Engoliſmenſis multiplices injurias graves & intolerabiles R. venerabili fratri noſtro epiſcopo & canonicis Engoliſmenſibus irrogaſſet, ad illam tandem facti crudelitatem conſcendit, ut ſeneſcallus ejus, ipſius comitis nomine, & de illius ſpeciali mandato, &c. *ut in ſuperioribus litteris eorumdem antiſtitum*, Remenſi, Senonenſi, Rothomagenſi, Bituricenſi, Turonenſi archiep. *uſque ad hæc verba*, turpiter repulerunt.

Cum igitur in perſecutionum & tribulationum anguſtiis, quibus frequenter concutitur navis Petri, ſit ad Romanæ ſedis velut ſingulare ſubſidium pro ſalutis remedio recurrendum; ſanctitati veſtræ preces offerimus cum lacrymis, ſuſpiriis, & vehementi dolore, quatenus huic novæ peſti tale curationis antidotum præparetis, ut & præſentis exceſſus monſtruoſa tranſgreſſio modis convenientibus puniatur, & forma pœnæ terribilis fiat impiis in exemplum.

EPISTOLA EORUMDEM ad S. R. E. cardinales.

Ejuſdem argumenti.

REverentiſſimis dominis & in Chriſto patribus, divinæ providentiæ munere honoratiſſimis apoſtolicæ ſedis cardinalibus, ſuper quos axis univerſalis eccleſiæ volvitur, G. ejuſdem permiſſione Burdegalenſis archiepiſcopus, W. Aginnenſis, P. Petragoricenſis, Pontius Xanctonenſis epiſcopi, cum omni devotione, reverentia & ſubjectione ſalutem, & honeſtas juſtaſque preces pietate ſolita benignis auribus exaudire.

Frequens eſt & quaſi conſuetudine longiſſima jam obtentum, ut inferiorum eccleſiarum prælati gravamina & preſſuras, quæ filii diffidentiæ nequiter ingerunt, beatiſſimo cœtui fratrum ſacroſanctæ ſedis denuntient, & eorum implorent ſubſidia, qui contra magnos & periculoſos ſubditorum morbos noverunt altius curationum remedia poſcentibus exhibere. Proinde ſerenitati veſtræ duximus intimandum, quod cum comes Engoliſmenſis multiplices injurias graves & intolerabiles R. venerabili fratri noſtro epiſcopo & canonicis Engoliſmenſibus irrogaſſet, ad illam tandem facti crudelitatem conſcendit, ut ſeneſcallus ejus, ipſius comitis nomine, &c. *ut ſupra Epiſtola eorumdem*, Remenſi, Senonenſi, Rothomagenſi, Bituricenſi, Turonenſi archiepiſcopis, *uſque ad hæc verba:* turpiter repulerunt. *Deinde ſequitur:*

Ideoque dominationi veſtræ, non ſine lacrymoſis precibus unanimiter ſupplicamus, quatinus in facto iſto quodammodo monſtruoſo, quod omnium eccleſiarum reſpicit libertatem & ſtatum, taliter dignemini vos habere, ut honor Dei & voluntas ipſius omnibus aliis præferatur, & tranſgreſſionis enormitas juſtis pœnarum ictibus feriatur. Ne ſi forte, quod abſit, aliud accideret, flagitiorum mater & nutrix impunitas auſum præſtet ad paria vel majora, non ſolum in præjudicium eccleſiæ, ſed & magnam ſubverſionem fidei chriſtianæ. Deteſtabile enim apparet & pluſquam abſurdum, quod in poteſtate comitis vel tyranni cujuſlibet reſideret expellere poſſe cum vellet epiſcopos, canonicos, & univerſum clerum; elementa & alimenta, nec non & rerum commercia in civitate & dioceſi voce præconia interdicere, & ſic eis auferre per conſequens eccleſiaſticorum ſacramentorum auctoritatem, confectionem & uſum; cum & in rebus vel de rebus ſacramenta fiant & ſacrificia, & perſonæ ſint per quas res hujuſmodi conſecrantur.

Conſervet vobis Altiſſimus longam vitam & gratiam ad honorem eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum ut ſupra.

EPISTOLA ROBERTI epiſcopi Engoliſmenſis ad Alexandrum papam IV.

De vi ſibi & clero ſuo illata a comite Engoliſmenſi.

SAnctiſſimo in Chriſto patri ac domino ALEXANDRO, Dei providentiæ munere ſacroſanctæ & univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, R. Engoliſmenſis eccleſiæ ejuſdem miſeratione miniſter humilis, pedum oſcula beatorum.

Familiare eſt filiis hominum & inſitum a natura paternis auribus denunciare moleſtias, quæ ſibi plerumque a filiis perditionis per vexationes indebitas ingeruntur. Hinc eſt, clementiſſime pater, quod lacrymis profluentibus ad maxillas, caſum lamentabilem ac lugubrem veſtræ refero ſanctitati, a quâ confidenter, nedum in communibus, ſed & in deſperatis morbis plenæ curationis auxilium, vel ſaltem oportunæ conſolationis remedium ab univerſis in preſſuris & accidentibus expectatur.

Est autem casus hujusmodi, quod cum A H. comes Engolismensis multiplices injurias graves & intolerabiles mihi & canonicis Engolism. irrogasset, ad illam tandem facti crudelitatem conscendit, ut seneschallus ejus, ipsius comitis nomine, & de illius speciali mandato, sicut publice asserebat, voce præconia edici fecerit in civitate Engolismensi, sub pœna commissionis personarum & rerum, quod nullus venderet victualia vel alia episcopo, vel canonicis, seu aliis clericis, undecumque essent, vel hominibus eorumdem, vel aliquid ab eis emeret; nec permitterentur civitatem ingredi, nec aquam haurire de fontibus communibus vel fluminibus publicis per se vel per alios, clibanis ad coquendum panem, & molendinis etiam propriis, omnique genere commercii eisdem per eamdem vocem præconiam totaliter interdictis. Quod etiam interdictum præcepit dictus comes in terris & castris baronum suorum proponi publice & inviolabiliter observari. Propter quæ, subtracto alimentorum ac elementorum, nominatim ignis & aquæ beneficio, canonici & universus clerus, nec non & capellani parochiales, qui baptismum & pœnitentiam & sacramenta cetera ministrabant, compulsi sunt deserere civitatem, multaque alia sunt commissa, quæ sapiunt hæreticam pravitatem. Inter quæ illud notorium nequaquam prætermittendum se offert, cum sit usque ad hæc tempora apud nos inauditum, quod me præfatum episcopum Engolismensem, volentem ingredi civitatem, præfatus seneschallus comitis & alii homines sui, de speciali & expresso mandato comitis, ut dicebant, intrare civitatem nullatenus permiserunt; sed me, cum verbis contumeliosis, portis clausis, hominibus armatis portis custodientibus, turpiter repulerunt. Qui utique sic indecenter expulsus, propter mortis periculum, quod non sine causa timebam & timeo, revelata mihi per personas fide dignas seditione secreta, nec civitatem nec diocesim a festo Pentecostes ausus sum introire. Sed nec illud licet silentio prætorire, quod in civitate Engolismensi & diocesi per terram comitis contemnuntur divina, & contra generale interdictum legitime promulgatum, & positum in terra ipsius comitis, propter flagitia quæ fiebant, cum tubis & tympanis ac aliis horrendis solemnitatibus per manus laicales in locis sacris humantur corpora defunctorum, & alia multa execrabilia fiunt, quæ sunt contraria fidei christianæ.

Placeat igitur beatitudini vestræ, pater, quæ profugis & currentibus ad se debet esse pro civitate refugii, & ad quam, quasi ad secundam tabulam, palpitant naufragantes, hujus feræ pessimæ morsibus circumspecta promtaque diligentia contraire, & crudelis novitatis ac novæ crudelitatis factum punire taliter, ne omnis insolentiæ mater & nutrix impunitas viam ad similia præparet, & ausum præstet ad paria vel majora.

Profecto in eo confidit dictus comes, non dubito a majoribus suis & consimilibus exemplum trahens, quod quicquid ordinaria juridictio statuerit contra eum, justitia mediante, impetratio litterarum ad remotos judices & suspectos, per gratiam vel favorem nobilitatis, vel aliam quamlibet quolibet modo obtentam, maxime cum clausula, *Non obstante*, in irritum deducatur, ut & sic justitia pereat, succumbat æquitas, iniquitas dominetur. Civili etenim jure noscitur esse B cautum, quod potentioribus non possumus esse pares. Verum ne talia fiant, dante Domino, pia vestra paternitas providebit.

Conservet Altissimus personam vestram ecclesiæ suæ sanctæ, cum multiplicibus optatæ gratiæ incrementis.

EPISTOLA ROBERTI episcopi Engolismensis, ad P. episcopum Petragoricensem.

C *De collato sibi subsidio gratias agit, quantave patiatur exponit.*

REverentissimo domino & in Christo patri P. Dei providentia venerabili Petragoricensi episcopo, R. ejusdem miseratione Engolismensis ecclesiæ minister inutilis & indignus, seipsum cum omni subjectione, devotione, reverentia & salute.

De missione nuncii, de compassione benigna, de communicatione doloris, de dilectione sincera, de consolatione paterna, & de oblato subsidio laborantibus nobis in ferrea fornace Ægypti, quæ omnia vestræ D pietatis & probitate bonitatis litteræ complectuntur, non ad quas debemus, sed quas, utcumque possumus, gratiarum assurgimus actiones. Non enim se offert facultas super hoc in præsenti, etiamsi omnes capilli capitis verterentur in linguas facundas, & humanis vocibus resonarent. Sed morem, quem in hac parte misericorditer geritis, vobis retribuat bonorum omnium retributor.

Plane quia de statu nostro certiorari litteratorie vestra clementia postulavit, quod pluris est apud nos, quam grande auri pondo donatum, illud scribimus, quod in frixorio tribulationum positi, per Dei gratiam E gravia & importabilia dictis & factis a filiis iniquitatis patimur. Qui etsi res nostras & ecclesiarum nostrarum quamplures raptas detineant & invasas, nobis etiam & ecclesiæ nostræ canonicis de propria sede dejectis, & multis ignominiosis bannis præconia voce contra nos & universalem clerum, subtractis alimentis & elementis, nequiter promulgatis, non, quod res facinorosas & inauditas perpetraverint, dolent, sed facturos

se pejora jugiter comminantur. Nos tamen de misericordia Altissimi confidentes, qui non relinquit sperantes in se, & qui etiam, Johanne testante, dicit: *In mundo pressuras habebitis: sed confidite, quia ego vici mundum.* Ipse etiam ait: *Si quid propter justitiam patimini, beati.* De speciosa etiam sua Sion in Isaia sic loquitur: *Oculi tui videbunt Jerusalem civitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur, quia solummodo ibi magnificus Dominus noster.* Item & alibi suis loquitur: *Vobiscum ero usque ad consummationem sæculi.* His & consimilibus, carissime pater, in Domino confortati, nec non & infinitis majorum exemplis, qui talia & in infinitum pejora passi sunt, provocati, quanto levius possumus, ferimus persecutionum flagella, quæ filii Belial excogitatis studiis subministrant. Super his dominationi vestræ scripsissemus jam diu est, sed qui mittendi erant nuncii, strages & incendia, quæ fiebant in Petragoricensi dioceси usque ad mortis periculum, formidabant.

Valeat paternitas vestra.

EPISTOLA ROBERTI episcopi Engolismensis ad electum Ebroicensem.

Gratias agit pro collato auxilio, &c.

REverendissimo domino in Christo patri R. Dei providentia venerabili electo Ebroicensi, R. ejusdem miseratione Engolismensis, &c. cum omni devotione, reverentia & honore.

De compassione quam geritis & habetis ad ecclesiam Dei & nos, super tribulationibus, persecutionibus & injuriis, quibus comes Engolism. parvitatem nostram affligit, & de consilio atque auxilio hac in parte propensius a pietate vestra impenso, benivolentiam vestram remuneret bonorum omnium erogator. Nos enim nec facto nec verbo possemus vobis in hoc condigna vicissitudine respondere. Sed si se usque ad aliquid extenderet modica nostra possibilitas, quod placeret parati essemus jussibus vestris sine omni cunctatione humiliter obedire. Plane quia re urgente necesse habemus adhuc instare apud dominationem vestram, non utinam molestare, clementiam vestram rogamus & obsecramus in Domino nostro JESU-CHRISTO, ut ejusdem intuitu & amore, præcipue quod pie cœpistis dignemini producere ad effectum, & ecclesiam Engolismensem, quam jamdudum, tamquam alumnam proprio gremio confovistis, domino regi & ejus patrocinio commendare, ipsamque a ruina & quasi a morte, quæ imminet, vestro studio liberare.

Vale. Conservet vobis Dominus dona gratiæ suæ, & augeat gloriam meritorum.

EPISTOLA ROBERTI episcopi Engolismensis ad Ludovicum Francorum regem.

De vi sibi illata & canonicis Engolismensibus a comite Engolismensi, & contemtu censurarum.

EXcellentissimo domino suo LUDOVICO Dei providentia illustrissimo Francorum regi, R. ejusdem miseratione Engolismensis ecclesiæ minister humilis, cum omni reverentia & honore salutem, & post multa regni temporalis incommoda, ad regnum alterum, duce Domino, pervenire.

Licet fortassis videri possimus occupatis auribus onerosi, quæ jam a nobis & aliis dicta sunt repetendo, videlicet injurias, contumelias, damna & multiplices spoliationes, quas nobis & capitulo nostro, nec non & hominibus nostris, quin imo & universo clero comes Engolismensis, dira tyrannide sæviens, contra justitiam irrogavit, alimenta & etiam elementa ac civitatis habitationem insuper auferendo. Quia tamen persecutio nondum cessat, sed manus ejusdem comitis adhuc extenta, gladios tribulationum contra nos & nostros de pharetra malitiæ assidue evaginat, sine clamore denuntiationis non possumus enormia quæ patimur sustinere, nec dimittere quin vocibus luctuosis pulsemus auditum illius, a quo solo post Deum consolationis remedium expectamus.

Porro nec illud tacere debemus, quod nos in persona propria propter mortis periculum, quod non sine causa timemus, a festo Ascensionis præterito nec civitatem nec dioceсim ausi sumus introire. Sed nec illud licet silentio prætérire, quod in civitate Engolismensi & dioceси per terram comitis contemnuntur divina, & contra generale interdictum legitime promulgatum & positum in terra comitis, propter flagitia quæ fiebant, cum tubis & tympanis ac aliis horrendis solemnitatibus per manus laïcales in locis sacris humantur corpora defunctorum, & alia execrabilia multa fiunt contraria fidei christianæ.

Placeat igitur pietati vestræ, clementissime princeps, hujus pestilentis nequitiæ audaciam refrenare, & in præsenti casu taliter providere, ut amoris divini zelus, qui semper in pectore vestro viguit & valuit, ad laudem ipsius & bonitatis vestræ titulum non tepescat, sed igne sancti Spiritus inflammatus crescat & fortius accendatur.

Valeat majestas regia, ut valeat ecclesia sancta Dei. Datum cal. septembris anno ut supra. 1259.

EPISTOLA EPISCOPORUM provinciæ Burdigal. ad Ludovicum regem Francorum.

Ejuſdem argumenti.

EXcellentiſſimo domino ſuo L. Dei providentia præclaro Francorum regi, G. ejuſdem permiſſione Burdegalenſis archiepiſcopus, W. Aginnenſis, P. Petragoricenſis, Pontius Xanctonenſis epiſcopi, cum omni devotione, reverentia & dilectione ſalutem, & poſt temporalis regni certamina, diadema cœleſtis beatitudinis feliciter obtinere.

Ad aures majeſtatis veſtræ jam dudum per quoſdam ex nobis & aliorum plurium inſinuationem firmiter credimus perveniſſe, qualiter comes Engoliſmenſis poſt multiplices injurias, quas idem comes venerabili fratri noſtro epiſcopo & canonicis Engoliſmenſibus pro ſuæ voluntatis libitu dicitur irrogaſſe, ad illam facti crudelitatem conſcenderit, ut ſeneſcallus ejus, ipſius comitis nomine, & de illius ſpeciali mandato, ſicut publice aſſerebat, voce præconia edici in civitate Engoliſmenſi fecerit, ſub pœna commiſſionis perſonarum & rerum, quod nullus venderet victualia vel alia epiſcopo vel canonicis, ſeu aliis clericis undecumque eſſent, vel hominibus eorumdem, vel aliquid ab eis emeret, nec permitterentur civitatem ingredi, vel aquam haurire de fontibus communibus vel fluminibus publicis per ſe vel per alios; clibanis ad coquendum panem & molendinis etiam propriis, omnique genere commercii eiſdem per eamdem vocem præconiam totaliter interdictis: quod etiam interdictum præcepit dictus comes in terris & caſtris baronum ſuorum proponi publice & inviolabiliter obſervari. Propter quod ſubtracto alimentorum ac elementorum, nominatim ignis & aquæ beneficio, canonici & univerſus clerus, nec non & capellani parochiales, qui baptiſmum & pœnitentiam & ſacramenta cetera miniſtrabant, compulſi ſunt deſerere civitatem, multaque alia ſunt commiſſa, ut dicitur, quæ noſcuntur eſſe contraria chriſtianæ fidei. Inter quæ illud notorium nequaquam prætermittendum ſe offert, cum ſit uſque ad hæc tempora apud nos inauditum, quod epiſcopum Engoliſmenſem volentem ingredi civitatem, præfatus ſeneſcallus comitis, & alii homines ſui de ſpeciali & expreſſo mandato comitis, ut dicebat, intrare civitatem nullatenus permiſerunt; ſed eumdem cum verbis contumelioſis, portis clauſis, hominibus armatis portas cuſtodientibus, turpiter repulerunt.

Plane cum per nos Burdegalenſem archiepiſcopum, & nos epiſcopum Xanctonenſem ſerenitati veſtræ hæc prædicta jam fuerint intimata, & per comitem vel per ſuos nulla facta fuerit adhuc dictis epiſcopo vel canonicis ſatisfactio vel emenda; immo, prout audivimus, in irrogandis injuriis ex parte comitis non ceſſetur, licet idem comes, exigente juſtitia, pluribus ex cauſis a prædicto epiſcopo excommunicatus exiſtat, & terra illius ſuppoſita eccleſiaſtico interdicto; idemque epiſcopus in Engoliſmenſi dioceſi propter inſidias, quæ parari ſibi dicuntur, ſecure non audeat commorari; clementiæ veſtræ, modis quibus poſſumus, nos omnes unanimiter ſupplicamus, obſecrantes in pretioſo ſanguine Domini [Jeſu] Chriſti, quatinus huic peſtiferæ novitati dignemini competentibus remediis obviare, nec regiæ bonitatis oculus in hac parte conniveat vel dormitet, qui pietate Deo placita pro tuitione eccleſiarum conſuevit hactenus vigilare. Negari etenim vel celari non poteſt diligenter conſiderantibus, quin hujuſmodi facta, quæ præmiſſa ſunt, venena ſapiant hæreticæ pravitatis. *(a)* [a]

Valeat magnificentia veſtra, quam Deus omnipotens conſervet & roboret per tempora longiora.

Datum cal. ſeptembris anno ut ſupra. 1259.

ALEXANDRI PAPÆ IV. LITTERÆ ad archiepiſcopum Burdigalenſem, quibus hortatur eum ad congregandum ſuffraganeorum concilium, in quo deliberetur de modo reſiſtendi Tartaris.

Ex mſ. codice illuſtriſſimi domini Chauvelin *regiorum ſigillorum cuſtodis.*

. . . . . Anno 1260.

Hinc eſt quod univerſitatem veſtram monemus, rogamus & exhortamur, attente vobis per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus convocatis per te, frater archiepiſcope, ac per eos quibus id commiſeris, &, ſi opus fuerit, eccleſiaſtica cenſura coactis ad provinciale concilium provinciæ tuæ prælatis; tam regularibus quam ſæcularibus, tam exemtis, (quibus ex convocatione tua nullum volumus ad libertates & immunitates eorum in poſterum præjudicium generari, nullumque ipſis contra convocationem & coactionem hujuſmodi, quantum ad hunc ſpectat articulum, ex privilegiis vel adminiculis libertatum

(a) Poſt acceptas hujuſmodi querimonias, rex, evocato ad cauſam dicendam comite; decrevit compromiſſum, ut per arbitros Lemovicenſem ſcilicet & Caturcenſem epiſcopos res terminaretur. Horum decretoria ſententia comes juſſus eſt celebri ſupplicationi, quæ reducendis in urbem epiſcopo ac clero univerſo, die feſto indicaretur, adſtare in ſago nudus caput & pedes; decretum præterea, ut civitatis portæ, per quas ingreſſurus erat epiſcopus in platea ante cathedralem eccleſiam concremarentur. Demum crimen publice comes fateretur, & veniam ſupplex peteret ab epiſcopo. Quinquagintas etiam libras actoribus mulctæ loco penſitaret, & inſuper Engoliſmenſi baſilicæ eos reditus aſſignaret, qui cereis tribus ante majus altare, dum ſacra fierent, perpetuo accendendis, ſufficerent.

exemtionum-

exemtionumve ſuarum excuſationis ſeu exceptionis provenire præſidium,) quam etiam non exemtis, celeriter convenientes in unum communi providentia diſponatis, quomodo per exhortationis verbum populi vobis ſubditi ad reconciliandum ſe Deo, Deumque ſibi dignis pœnitentiæ fructibus, necnon & ad reformandam in ſeipſis communionem pacis mutuæ efficaciter inducantur, ut divinæ ultionis iracundia contemtu ſuccenſa, ſpectantium devotâ pœnitentium, & in cœlum ad Deum clamantium humilitate placetur. Quia nulla eis hoſtium nocebit adverſitas, qui nullam ſibi vitiorum aut diſſentionum dominari permiſerint pravitatem.

Deinde circumſpectæ deliberationis examine præcogitare curetis, quibus modis, quibuſve remediis, ac quibus ſubſidiis eccleſiaſticis & mundanis, ad reſiſtendum eiſdem Tartaris, tam in terra ſancta, quam impetunt & invadunt, quam in regno Hungariæ atque terra Poloniæ, aliiſque locis, unde ad alia occupanda Chriſtianorum regna violentum nituntur habere ingreſſum; conflentur in unum vires populi Chriſtiani: nam tantæ tamque improbæ multitudinis irruptionibus cohibendis unius regis vel regni non ſufficerent facultates.

Proſpiciendum eſt quoque, quibus pœnis quibuſve diſtrictionibus & cenſuris ſpiritualibus & temporalibus coërceri Chriſtianos cujuſcumque præcellentiæ ſeu conditionis oporteat a confœderationibus cum eiſdem Tartaris ineundis; ne qui fidem, quam habent cum Deo & religionis catholicæ proximis, irritam facientes, quicquam attentent in contumeliam & jacturam nominis vel populi Chriſtiani.

Quæ inſuper regio, cui, quibuſve modis & viribus contra eoſdem Tartaros ſuccurrere teneatur: qui etiam duces ſive capitanei præfici debeant fidelis exercitus in bello Domini contra infidelium ſatellitia proceſſuri: quæ demum & qualia ſubventionis auxilia pro his exequendis particulariter indici debeant clericis & populis Chriſtianis.

De reliquis nihilominus providentiæ opportunæ ſuffragiis in tanto negotio aliquid contingentibus conferendis, ſecundum datam vobis a Deo providentiam, Dominum & univerſale periculum habentes præ oculis, & ſuper omnibus deliberatione habita diligenti, uſque ad octavas apoſtolorum Petri & Pauli proxime futuras, quod utique temporis ſpatium, inſpecta neceſſitatis inſtantia, nulli videri debet anguſtum, aliquos ex vobis, vel alios nuncios veſtros, viros idoneos, providos & honeſtos, ac ſufficienter inſtructos, & a vobis plenum mandatum habentes ſuper præmiſſis omnia faciendi, quæ vos perſonaliter præſentes facere valeretis, ad ſedem apoſtolicam deſtinetis, per quos nobis ſuper præmiſſis omnibus circumſpectionis veſtræ voluncas & conſilium innoteſcat; & quorum communicato conſilio prædicta ſedes provida deliberatione ſtatuat, diſponat & ordinet quæ in tam arduo Chriſtianitatis negotio publicæ ſalutis utilitas poſtulabit.

Confidimus enim conſtanter in Domino, quod ſi congruo univerſa hæc ordine inſtruantur, Tartarica feritas Chriſtianos ad reſiſtentiam paratos inveniens, & divinæ gratiæ præſidio, ac humanæ providentiæ conſilio præmunitos, experietur ſibi apud eos terrorem multitudinis, pavorem, monſtra fictitia, circumventionum dolos, & diſſentionum ſchiſmata, per quæ inconſultis & alienis a Deo prævaluere nationibus, minime profuiſſe: quin potius, Deo ſuis favente, probabunt quantum in bello fidelium contra perfidos, ac digne invocantibus valeat nomen Chriſti.

Si vero te, frater archiepiſcope, abeſſe, vel, quod abſit, deeſſe contingat, vos filii Burdegalenſe capitulum, auctoritate apoſtolica freti, hæc omnia exequi procuretis. Datum Laterani xv. cal. Decembris, pontificatus noſtri anno ſexto.

RESPONSIO CONCILII Burdegalenſis, ad Alexandri IV. epiſtolam.

Ex chartario Engoliſmenſi domini Chauvelin *regiorum ſigillorum cuſtodis.*

I. ILla tuba terribilis, quæ ſub incertis rumoribus noſtris dudum auribus inſonuerat, nos plus ſolito terruit aliquantulum, receptis veſtræ ſanctitatis litteris, proceſſum continentibus Tartarorum, prout diverſis mundi partibus delatus fuerat ad eamdem.

II. Sane quia de conflando in unum vires populi Chriſtiani fiebat mentio in eiſdem, ad quod viam neſcimus nec poſſumus aperire, cum regna ſingula ſuis regantur conſiliis, quorum ſententiam ignoramus; ut tamen vires regni Francorum provida deliberatione collectæ ad tuitionem ipſius & aliorum defenſionem, pro loco & tempore cum inclyto domino & Chriſtianiſſimo rege noſtro & majoribus regni baronibus tractatum habuimus diligentem; & ut poſſet, ſi res exigeret, efficaciter reſiſti Tartaris, tractavimus cum eiſdem quod communis collecta fieret, ſicut commune periculum imminebat, in qua conferrent prælati cum baronibus, milites cum principibus, & tam religioſi quam laïci univerſi. Nec enim ſola eccleſia ad tot & tanta onera ſupportanda ſufficeret, multis aliis negotiis jam attrita.

III. Verum cum in tanta nobilium multitudine diverſitatem corporum ſequeretur diverſitas animorum, & alii circa alias traherentur ſententias, licet dominus rex Francorum inſtiterit fideliſſime, ut omnes uno ſpiritu onus hujuſmodi ſubiremus, tamen non potuit tam repente inter nos & barones de

forma ſervanda finaliter convenire. Propter quod domino regi placuit, quod nos & ipſi infra quindenam Pentecoſtes ad ipſius præſentiam redeamus, & ſperatur quod tunc, Domino concedente, tractatus laudabiliter & utiliter inchoatus, laudabilius & utilius conſummetur.

IV. Nos vero interim juxta beatitudinis veſtræ mandatum, communi providentia diſpoſuimus, quod nos populos nobis ſubjectos ad reconciliandum ſe Deo, Deumque ſibi, per nos exhortabimur diligenter, & faciemus per alios exhortari. Proceſſiones prima die Veneris cujuſlibet menſis, orationes & jejunia, eleemoſynas & alia bona in ſingulis provinciis, prout expedire videbitur, inducturi; & etiam ſpeciales collectas in miſſis cum pſalmo: *Deus venerunt gentes*, pro flagello Domini removendo. Et nihilominus operam dabimus quod inter diffidentes pax mutua reformetur.

V. Item, præcogitavimus, quod ſi periculum adhuc immineat, quod a multis ceſſare dicitur, utpote Tartaris tam in tranſmarinis quam in ciſmarinis partibus pro magna parte, ut aſſeritur, jam devictis, de communi aſſenſu omnium eccleſiaſticarum & ſæcularium perſonarum commune fiat, ut ſuprascriptum eſt, ſubſidium, cum periculum & negotium ſit commune. Sola enim eccleſia pluribus hominibus & gravaminibus jam attrita, tantum onus portare jam non poſſet aliquatenus, nec intendit. Quod ſi, urgente neceſſitate, oportuerit fieri ſubſidium, ſicut communi conſenſu levabitur, ita communi conſenſu, & de domini regis conſilio ſervetur, & in illam cauſam, non aliam, ſive in illud negotium & non aliud expendatur, cum pro certo credamus, quod aliàs barones, milites & alii laïci induci non poſſent ad hujuſmodi ſubſidium cum eccleſiis faciendum.

VI. Proſpeximus etiam, quod omnes Chriſtiani, cujuſcumque conditionis vel dignitatis exiſtant, qui fidem Chriſtianam irritam facientes, confœderati ſunt vel confœderabuntur Tartaris antedictis, pœnis illis ſubdantur in perſonis & rebus ac eorum heredibus, quas jura contra hæreticos ſtatuerunt.

VII. Item, proſpeximus, quod quælibet regio vicinior illi regioni ſive regno ſuccurrat, cui majus periculum videbitur imminere.

VIII. De capitaneis certum dare reſponſum non poſſumus, quia qui principes vel magnates ſunt aſſumturi negotium ignoramus; ubi tamen neceſſitas id expoſcet, conſulimus, ut viri ex ſe potentes & ſtrenui & prudentes in armis, quibus ſubeſſe non dedignentur diverſarum homines nationum, præficiantur exercitui Chriſtiano.

IX. Quamvis autem videatur expediens, immo potius neceſſarium, ſaltem quantum ad regnum Franciæ, quod ſuper præmiſſis ordinatio nulla fiat, donec parlamenti prædicti, quod dominus rex ad quindenam Pentecoſtes propter hoc convocavit, ſciatur finalis eventus. Nos tamen propter bonum obedientiæ, ... tales nuncios noſtros, viros utique providos & diſcretos ad veſtræ ſanctitatis præſentiam deſtinamus, dantes eiſdem poteſtatem faciendi præmiſſa, prout ſuperius ſunt expreſſa, quæ faceremus ſi præſentes eſſemus; nec alia, inſpectis gravaminibus & oppreſſionibus eccleſiarum noſtrarum propter ipſarum grave incommodum facere valeremus.

X. Ceterum extitit ordinatum de conſenſu prælatorum, ne torneamenta fiant uſque ad duos annos; nec etiam aliquis præſumat dextrarium emere ultra ſummam centum librarum Turonenſium, nec palafredum ultra ſummam xxx. librarum Turon. Quod ſi acciderit, venditor pretium, & emtor dextrarium amittat, vel etiam palafredum.

XI. Item, extitit ordinatum, quod omnis ludus penitus poſtponatur, niſi ludus arcuum vel etiam baliſtarum.

XII. Item, quod omnes villæ, ſive caſtra, vel etiam firmitates, arma habeant & neceſſaria ad pugnandum.

XIII. Item, quod ſtatutum aliàs factum de non jurando turpiter membra Dei, melius ſolito obſervetur.

XIV. Voluit dominus rex & petiit a prælatis ne figura crucis poneretur in tumulis, neque in aliis locis, ubi poſſet aliquatenus inhonorati vel etiam deturpari.

XV. Petiit etiam a prælatis, quod in eccleſiis ſeu locis aliis facerent nuntiari, quod in paſſione Domini, ubi ejuſdem tranſitus nuntiatur, preſbyteri, plebes & clerici genua flectant, ob reverentiam tanti beneficii, nobis a Deo collati, & gratiarum multimodas actiones. (a) [4]

CONCILIUM TERRACONENSE anno MCCLXVI. celebratum.

Ex mſ. Colbertino.

ANno Domini MCCLXVI. XII. calendas Novembris, cum nos BENEDICTUS miſeratione divina Terraconenſis archiepiſcopus eſſemus in civitate Terracona perſonaliter conſtituti, præſentibus venerabilibus fratribus ARNALDO Cæſar-auguſtano, ARNALDO Va-

(a) De his ita Guillelmus Nangius in Chronico: *Anno Domini* MCCLX. *Dominica in Paſſione, congregavit rex Francia Ludovicus Pariſius concilium epiſcoporum & principum regni ſui, eo quod dominus papa ſcripſiſſet ei Tartaros in tranſmarinis partibus irruiſſe, Saracenos viciſſe, Armeniam, Antiochiam, Tripolim, & Damaſcum, Alapiam & terras alias ſubjugaſſe, & tam Acconi civitati, quam toti Chriſtianitati periculum imminere. Unde ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, proceſſionibus faciendis, & blaſphemiis in Deum puniendis, peccatis & ſuperfluitatibus cibariorum ac veſtium reprimendis. Inhibita etiam fuerunt uſque ad biennium torneamenta, & injunctum eſt, quod non luderetur aliis ludis, niſi quod homines ſe exercerent in arcubus & baliſtis.*

lentino, Ar. Barchinonenſi, Petro Gerundenſi, D. Dertuſenſi, G. Ilerdenſi, F. Tirafonenſi, & R. Vicenſi epiſcopis, aliorum etiam ſuffraganeorum noſtrorum & capitulorum eccleſiarum cathedralium & aliorum prælatorum Terraconenſis provinciæ procuratoribus, ac venerabilibus & diſcretis viris fratre Guidone de Laguespa caſtellano Empoſtæ, & fratre Petro de Queraldo tenente locum magiſtri domus militiæ Templi in Aragonia & Cataionia præſentibus, ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, concilium celebrantes ſuper tuitione & conſervatione eccleſiaſticæ libertatis, & corrigendis clericorum exceſſibus, & moribus in melius reformandis, ac ſuper ſalubri & tranquillo ſtatu totius provinciæ Terraconenſis, cum prædictis tractavimus diligenter, & de aſſenſu prædictorum, venerabiles fratres noſtros dominos Cæſar-auguſtanum & Vicenſem epiſcopos, & fratrem Petrum de Quiraldo pro tractanda pace inter nobiles viros comitem Urgellenſem & Remundum vicecomitem de Cardona & eorum valitores, dicto pendente concilio, duximus deſtinandos, qui epiſcopi nobis vices ſuas totaliter commiſerunt in his quæ agenda & tractanda eſſent in concilio memorato. Attendentes igitur quod conſtitutiones editæ ac edendæ parum eſſent, ſi non eſſet eorumdem diligens executor, ſacro approbante concilio, mandamus firmiter & diſtricte, quod conſtitutiones quæ per bonæ memoriæ dominum J. Sabinenſem epiſcopum olim in Hiſpaniæ partibus apoſtolicæ ſedis legatum, & prædeceſſores noſtros, ac nos etiam in conciliis provincialibus editæ ſunt, ab univerſis & ſingulis noſtræ provinciæ inviolabiliter obſerventur, eaſdem conſtitutiones ex certa ſcientia confirmantes. Verum cum in conſtitutione bonæ memoriæ domini Petri prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Olim excommunicaſſe, &c.* caveatur quod loca, ad quæ præda clericorum, eccleſiarum, vel perſonarum religioſarum, ſeu hominum eorumdem violenter accepta pervenerit, quamdiu ibi fuerit, ceſſent penitus a divinis; volentes invaſorum & raptorum excogitatis malitiis & machinationibus, quantum cum juſtitia poſſemus, obviare, declaramus & conſtituimus quod loca in quibus hujuſmodi præda vendita, vel alio modo alienata vel conſumta fuerit, tamdiu ceſſent penitus a divinis, quouſque condigna ſatisfactio damna paſſis facta fuerit per eoſdem.

II. *Contra capientes clericos.*

Item, cum clerici & perſonæ eccleſiaſticæ majori quam res eorumdem debeant privilegio & immunitate ſive libertate gaudere, ſacro approbante concilio, ſtatuimus quod loca ad quæ occiſores & mutilatores clericorum, & perſonarum eccleſiaſticarum, ac capientes eoſdem pervenerint, ceſſent penitus a divinis.

III. *Contra invaſores & occiſores clericorum.*

Item, quia facientes & conſentientes pari debent pœna damnari, eodem concilio approbante, receptores eorum qui occidunt & mutilant, vel capiunt clericos, vel perſonas eccleſiaſticas, excommunicationis ſententia innodamus.

EXTRACTIONES DE LIBRO

quem fecit venerabilis vir & religioſus frater Humbertus de Romanis, magiſter quondam v. ordinis Prædicatorum, de his quæ tractanda videbantur in concilio generali Lugduni celebrando ſub Gregorio papa X. ſub anno Domini MCCLXXIV. in calendis Maii.

Ex ſchedis Mabillonii.

PRima pars agit de negotio eccleſiæ contra Sarracenos, & habet XXVII. capitula. Anno 1274.

CAP. I. *Quod ad ſummum pontificem pertinet vigilare diligenter ſuper populum Chriſtianum.*

Ad omnes ſiquidem prælatos pertinet vigilare, ſecundum illud Lucæ 2. *Paſtores erant vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* Nam latro ex improviſo ſuperveniens gregi, transjugulat paſtorem quem invenit dormientem; & Dominus dicit Apocal. 3. *Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur;* ſed hoc ſumme ſeu maxime pertinet ad ſummum paſtorem, tum quia habet maximum gregem, tum quia grex ſuus eſt omnibus periculis expoſitus, tum quia ipſe habet maximam mercedem, non ſolum æternam, ſed etiam temporalem, quia Dominus univerſorum eſt. Unde ceteris dormientibus, Petrus ſpecialiter increpatur Marci XIV. *Simon dormis, non potuiſti una hora vigilare mecum?* Maxime ad illum, ait papa Gregorius, hoc eſt vigilans quodam præſagio futurorum.

CAP. II. *Quod populus Chriſtianus ſubjacet triplici incommodo, ſicut olim populus Iſraëliticus.*

Sicut enim populus Iſraëliticus primo a tempore Abrahæ uſque ad finem fuit quaſi continue ab infidelibus impugnatus. Secundo ſub Roboam & Jeroboam circumbiliter* diviſus. Tertio, pars illa quæ veri Dei cultui adhæſit, majoribus ſceleribus ſe involvit; ſic populus Chriſtianus ſemper a foris infidelium perſecutionem habuit & habebit. Secundo, patitur diviſionem inter Græcos & Latinos, qui in ventre Rebeccæ, eccleſiæ, colliduntur, ex quo regnum eccleſiæ in ſe diviſum miſerabiliter deſolabitur. Tertio, eccleſia Latinorum, ſalva fide, quoad mores pluribus fœditatibus implicatur.

* Vox corrupta.

CAP. III. *Quod ad ſummum pontificem pertinet contra prædicta tria remedium adhibere.*

Sicut enim paſtor nititur oves a lupis defendere, diſperſas congregare, ægras ſanare; ſic ad ſummum paſtorem pertinet contra hoſtes forinſecos eccleſiæ defenſionis bravium providere, diſperſos ſchiſmate reunire, Latinos ægros moribus reformare, implendo illud Ezechielis, *Quod pingue & forte cuſtodiam, &c.*

CAPUT IV. *Quod Chriſtianitas impugnata fuit a ſui initio uſque nunc a* VII. *generibus hominum.*

Primi impugnatores fuerunt Judæi a Stephano inchoantes. Secundi fuerunt idololatræ perſequentes apoſtolos & martyres. Tertii fuerunt philoſophi gentiles, de quibus Act. XVII. *Diſſerebant cum Paulo; alii dicebant: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator.* Quarti ſunt hæretici diverſarum ſectarum. Quinti fuerunt imperatores ante Conſtantinum magnum, qui moverunt decem generales perſecutiones ſignificatas per decem cornua beſtiæ monſtruoſæ, de qua habetur Apocalypſi XVI. Septimi fuerunt barbari, videlicet Wandali, Gothi, & Huni, qui & Hungari dicuntur, & Tartari. Septimi fuerunt & ſunt Saraceni, quorum ſeductor Mahometus finxit ſe eſſe prophetam a Deo miſſum ad exponendum & corrigendum legem Judæorum & Chriſtianorum. Iſti ſeptem ſunt ſeptem gentes Iſraël impugnantes, de quibus habetur Deuter. VII. & ſeptem capita beſtiæ, de quo habetur Apocalypſ. XVI.

CAPUT V. *Quod iſta ſeptem genera perſecutorum jam pene enervata ſunt præter Saracenos.*

Primum quidem Judæi ſcientia convicti, potentia ſubacti, nihil ultra ſciunt aut poſſunt contra populum Chriſtianum. Secundo idololatria cum crucis vexillo exſufflata, tantum in partibus Aquilonis apud Prucinos & quoſdam alios paucos exſultat. Tertio, philoſophia per veram ſapientiam deſtructa eſt, immo in obſequium fidei per viros excellentis ingenii explanata. Quarto hæretici olim contra eccleſiam palam latrantes ſua latibula ſunt ingreſſi. Quinto, imperatores eccleſiam quam olim conculcabant, a multo tempore jam exaltant. Sexto, barbari non comparent præter Tartaros, qui etſi ſolos Hungaros perſequantur, contra tamen Saracenos præbent auxilium Chriſtianis. Septimo autem, Saraceni ſemper in malitia perſeverant.

CAPUT VI. *Quam gravis ſit perſecutio Sarracenorum?*

Septem ſunt circumſtantiæ quæ aggravant iſtam perſecutionem. Prima pertinet ad diuturnitatem temporis quo duravit. Decem enim perſecutiones duraverunt circiter annos CXXXV. Nam ſicut habetur in libro qui dicitur Imago mundi, prima fuit ſub Nerone qui imperavit annis XIII. & menſibus VIII. Secunda, ſub Domitiano, qui imperavit annis XV. & menſibus V. Tertia, ſub Trajano, qui imperavit annis XVIII. & menſibus VI. & dimidio. Quarta, ſub Marco-Antonino, qui imperavit annis XVIII. & menſibus V. Quinta, ſub Severo, qui imperavit annis XVII. Sexta, ſub Maximo, qui etiam Maximianus imperavit annis III. Septima, ſub Decio, qui imperavit annis VI. Octava, ſub Valeriano, qui imperavit annis XV. Nona, ſub Aureliano, qui imperavit annis V. & menſibus VI. Decima, ſub Diocletiano, qui imperavit annis XX. Perſecutiones autem Vandalorum, Gothorum & Hunorum, licet fuerint valde graves, tranſierunt tamen valde velociter ut tempeſtas. Perſecutio vero Saracenica, quæ incœpit a tempore Eraclii, jam duravit plus quam annos DCLX. & ſic plus quam aliæ ſimul junctæ. Secunda circumſtantia pertinet ad continuitatem perſecutionis. Nam imperatorum non fuerunt continuæ, ſed ſiebat ſilentium in cœlo, ſuccedente tyranno perſecutori aliquo principe catholico Chriſtiano. Similiter nec perſecutio barbarorum fuit continuata, ſed interpolata; perſecutio vero Saracenica, ex quo cœpit, numquam fuit niſi paucis & male ſervatis treugis interrupta. Tertia circumſtantia pertinet ad loca, primo quia fere ubique terrarum invaluit, nam de tota fere Aſia ſunt expulſi Chriſtiani. Totam etiam Africam tenent Saraceni, in qua aliquando fuerunt CCCCXLIV. epiſcopi, nunc vero unus ſolus apud Marrochiam ſuper Chriſtianos ſibi ſubjectos. Europæ vero multas partes occupaverunt, Hiſpaniam, Siciliam, Italiam, & licet per Johannem Tuſculanum principem depulſi ſunt ab Italia, & per Carolum ab Hiſpania, adhuc obtinent magnam partem. Item, perſecutio eorum ferventior exarſit circa loca ſacratiſſima quæ profanant. Quarta circumſtantia pertinet ad generalitatem perſecutionis; ceteri enim diviſim aut animas tantum ſicut hæretici, aut corpora tantum ſicut Barbari, aut terras tantum ſicut Tartari: Saraceni vero hæc tria inſimul perſequuntur. Quinta circumſtantia eſt quantum ad animoſitatem obſtinationis ipſorum; quia multi Judæi & hæretici & philoſophi & imperatores, & plures idololatræ converſi ſunt & baptizati. Nam Vandali, qui & Poloni; & Huni, qui & Hungari; Gothi, qui & Daci, ſunt effecti catholici: Saraceni vero nulli vel pauciſſimi ſunt converſi. Sexta circumſtantia eſt quantum ad calliditatem. Sicut enim lex illorum callide eſt conficta, quod contra difficultatem in credendis, auſteritatem in præceptis & pœnis divinis, carnalia permittit, voluptuoſa, ſenſibilia, ad preces Mahometi omnes ſalvandos fore finaliter dogmatizat. Septima circumſtantia eſt quantum ad multitudinem perſecutorum, multiplicati ſunt enim ſuper numerum, propter multitudinem uxorum & ancillarum.

CAPUT

CAPUT VII. *Quam sit dolendum super dejectione Christianitatis facta a Saracenis.*

Possumus enim lamentari dicendo Thren. 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* de Jerusalem sentiendo; & istud Thren. ultimo, *Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos*, intelligendo de terra promissionis, quæ debetur veris Abrahæ filiis Christianis. Sequitur ibidem, *Servi dominati sunt nostri*, videlicet Saraceni, non de Sara libera, sed de Agar ancilla progeniti. Impletum est illud psalmi, *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum*, quia sepulcrum, & omnia loca sancta in regione illa vidi ego oculis propriis, qui tractatum ipsum conscripsi, capellam in qua se receperant Saraceni, qui ibant cum FREDERICO imperatore, & dicebatur pro certo, quod ibi noctu dormiebant cum mulieribus ante faciem Crucifixi. Sequitur, *Effuderunt sanguinem sanctorum tuorum tamquam aquam*, quia sicut non possunt numerari guttæ aquæ, sic non possunt numerari clerici, religiosi, nobiles, & alii, quorum sanguis est effusus a Saracenis a tempore Mahometi, qui legem suam per gladium docuit promovendam.

CAPUT VIII. *Quantum specialiter hic dolor tangit clerum, & specialissime summum pontificem.*

Clerici enim & sacerdotes, sicut quorum est dolere pro malo totius corporis; unde Jeremias, qui fuit de sacerdotibus, civitate destructa, maxime eam flevit. Heli sacerdos usque ad mortem doluit archam Dei captam, quæ significavit sepulcrum sanctum Christi. Mathathias cum filiis fleverunt sancta in manu extraneorum data. Ergo *plorabunt sacerdotes, ministri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* Sed summus pontifex super alios lugere debet, quia violatur Christianitas cum periculo depositi animarum. Nam propter timorem violationis templi & ablationis depositi dicitur 2. Machab. 3. *Jam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur.*

CAPUT IX. *Quot sunt rationes quæ movere debent cor Christianum ad impugnandum Saracenos, & quæ sunt retractivæ, & quæ sunt remedia contra illa.*

Sciendum igitur quod multi dolent super his malis nihil auxilii deferentes; similes mulieribus, obsessa civitate, plorant in domibus, nec egrediuntur ad præliandum, nec insultui resistunt. Sunt autem quæ ad hoc movere debent, 1. Zelus divini honoris. 2. Zelus Christianæ legis. 3. Caritas fraterna. 4. Devotio ad terram sanctam. 5. Conditio belli. 6. Exempla præcedentium patrum. 7. Gratia ecclesiæ. De quibus omnibus plenius habetur in opusculo de cruce prædicanda contra Saracenos, titulo XI. & sex sequentibus. Sunt autem octo retractiva Christianorum a bello Saracenorum. 1. Est illaqueatio peccati. 2. Est nimius timor pœnæ corporalis. 3. Nimius amor propriæ patriæ. 4. Mala hominum verba. 5. Aliorum prava exempla. 6. Nimia affectio erga suos. 7. Ficta impotentia. 8. Minor fides. Tertio notandum est, quod contra hæc omnia ponuntur remedia in opusculo supradicto, titulo XVIII. & septem sequentibus.

CAPUT X. *Quod septem sunt genera hominum obloquentium contra negotium quod exercet ecclesia contra Saracenos.*

Notandum quod obloquentes passagio terræ sanctæ similes sunt exploratoribus, qui detraxerunt terræ promissionis, deterrentes populum, & ideo cum sibi acquiescentibus perierunt, sicut habetur numero XIV. Sunt etiam similes illis quibus Deus dicit: *Clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec intrantes sinitis introïre.* Hi etiam sunt per quos via veritatis blasphematur, 2. Petri 2. Bene enim hujus via peregrinationis multos ad cœlum duxit, & ab inferno reduxit. Horum autem obloquentium septem sunt genera, quorum per septem capitula sequentia obstructum est loquentium iniqua.

CAPUT XI. *Responsio contra primum genus obloquentium.*

Dicunt igitur primi quod non licet Christiano fundere sanguinem Saracenorum, exemplo Christi, *qui cum pateretur, non comminabatur*, 1. Pet. 2. & dixit Petro: *Mitte gladium in vaginam.* Apostoli etiam pro nomine JESU non pugnabant, dicentes: *Non vos defendentes, carissimi, non reddentes malum pro malo*, & multa hujusmodi. Mauritius & socii arma & gladios projecerunt, æstimati sunt sicut oves occisionis. Respondeo tripliciter, 1. Quod vinea ecclesiæ aliter producitur in esse, scilicet plantando & rigando, aliter conservatur, gladio putando, & contra volentes extirpare gladio defendendo. 2. Quod aliter processit impotens populus Christianus, quia per humilitatem; aliter nunc potens, quia per gladii potestatem. Non enim sine causa gladium portat. 3. Quod sicut artifex amisso uno instrumento, utitur alio sibi relicto; sic non habens nunc miracula, & habens arma, defendit se per ea. Isti autem obloquentes nolunt esse pauperes, humiles, & afflicti modo, sicut fuit ecclesia tempore primitiæ. Sicut ergo mutant isti ecclesiæ statum pro suis voluptatibus, sic permittunt ecclesiam variari in suis dissentionibus. Quis enim diceret non resistendum Saracenis, si parati essent omnes Christianos perimere, & totum cultum Christi delere? Propter hoc enim Machabæi sabbatis pugnaverunt; nec Christus dixisset, vendere tunicam & emere gladium, nisi utendum esset aliquando gladio Christianis. Cetera vero quæ arguuntur in contrarium, ad præpara-

tionem animi, non ad executionem gladii referuntur, vel quia est tempus evaginandi gladium ut nunc, & est tempus recludendi gladium, vel quia non ad quodlibet membrum Corporis Christi, quod est ecclesia, pertinet hoc gladio uti, sed tantum ad brachium laïcale.

CAPUT XII. *Responsio contra secundum.*

Secundi obloquentes dicunt ab ista pugna cessandum, propter multum sanguinem in ea effusum vel etiam effundendum, ne dens sanus propter putridum extrahatur, & sanguis innoxius propter noxium & amplior quam noxius effundatur. Sed isti debent recolere historias & res gestas antiquorum. Nam Carolus Martellus occidit de Saracenis, qui venerunt contra eum in auxilium ducis Aquitaniæ, CCCLXX. millia, cum parvo detrimento suorum. Item, Godefridus *de Bullon*, capta Jerusalem cum suis Christianis, tot de Saracenis occidit, quod in porticu Salomonis sanguis occisorum ascendebat usque ad genua equorum. Carolus etiam Magnus in Hispania bis de Saracenis innumeras strages fecit. Plures ergo Saraceni occisi sunt a nostris, quam e converso. Quod si multi de nostris occisi sunt pugnando, plures occisi fuissent, nisi viriliter restitissent. Sicut enim venientes cum classibus de Africa Januam depopulantes, quasi omnes trucidaverunt; si illis permitteretur, vellent Christianorum genus totaliter extirpare. Nec est etiam fatuum pro salute morti se exponere; unde martyres se mortibus obtulerunt, quamvis ex hoc minui videretur populus Christianus, sicut per hoc quod a multis virginitas observatur, quia ecclesia magis intendit replere cœlum quam mundum. Qui autem in hoc bello moriuntur, licet vacuent mundum, tamen replent cœlum, forte aliter non salvandi, & per paucorum mortes pluribus salus & incolumitas procuratur.

CAPUT XIII. *Responsio contra tertium.*

Tertii a passagio retrahentes dicunt, pugnam istam esse indiscretam & Dei tentativam, quia illi multi in terra sua aëre consueto, cibis abundant, passus norunt; nos omnia habentes contraria, sine discretione imus ad bellum. Sed dicendum est ad istos: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Sunt enim angeli in adjutorium Elizei. Osias, Jeremias, & ceteri sancti orant pro populo Dei. Oratio enim fit in tota ecclesia ad Deum pro populo, sicut olim pro S. Petro, & sicut angelus Domini prostravit multa millia Sennacherib. Unde cum post captam Jerusalem Saraceni, resumtis viribus, multitudine innumerabili invaderent Christianos, Christiani non plures quam quinque millia equitum, & XII. millia peditum, occiderunt centum millia Saracenorum, & in porta Ascalonis qua fugiebant, duo millia suffocantur. De his autem qui perierunt in mari, & inter fruteta consumti sunt, non fuit numerus certus. Nostri etenim ut communiter in bello sunt fortiores, probiores, & melius armati, non solum corporaliter, sed magis spiritualiter, propter spem certam mox gloriam consequendi; quia mors non fugitur, sed optatur.

CAPUT XIV. *Responsum contra quartum.*

Quarti obloquentes dicunt, quod etsi liceat Christianis se defendere, non tamen contra Saracenos, vel terras eorum invadere. Quibus respondendum est, quod immo; primo quia aliter ipsi invaderent nos quietos. Secundo, quia si extirpantur spinæ de terris sterilibus, ut fiant novalia; multo magis superstitiosa gens expelli debet, ut introducatur cultus Dei. Tertio, quod ipsi habent legem ne umquam audiant loqui de Christo, ut convertantur ad ipsum. Christus autem dicit Luc. 19. *Inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Quarto, quia sicut zizania intro, non permixtum. Quinto, quia sicut ficulnea sine fructu habito & sperato. Sexto, quia sicut Sodomitæ concedentes uxoribus abuti ut placet, & alias nefandas turpitudines, dicentes sufficere sibi quod in mane aqua se abluant. Septimo, quod irritam quis faciens legem Moïsi, sine ulla miseratione moritur, & multo magis illi, qui Filium Dei conculcant. De terris autem ipsorum dicendum est, quod ante Mahometem fuerunt Christianorum; sed ipse cum suis posteris vi abstulit & injuste. 2. Quod tempore Godefridi de *Bullon* Christiani justo bello recuperaverunt terram promissionis. 3. Quod ex dono Dei ipsa est filiorum Abrahæ, qui secundum spiritum hujusmodi ante sunt Christiani. Saladinus autem & alii Saraceni injuste iterum abstulerunt. 4. Quia scriptum est Matthæi: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.*

CAPUT XV. *Responsio contra quintum.*

Quinti oblocutores dicunt, quod non debemus Saracenos prosequi, sicut nec persequimur Judæos, nec Saracenos nobis subditos, nec idololatras, nec Tartaros, nec Barbaros. Quibus respondendum est, primo de Judæis qui tolerantur, quia *reliquiæ Israël salvæ fient.* Item, quia crudele esset mactare subjectos. Item, propter prohibitionem prophetæ dicentis: *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei.* Saraceni autem nobis subditi tolerantur, quia nocere non possunt. Item, quia in multis servitiis utiles sunt, & facilius converti possunt. De idololatris autem qui sunt in partibus Aquilonaribus, sicut sunt Phiteni, speratur eorum conversio, quia *omnis lingua serviet ei*, nec ipsi nos infestant, quare dimittuntur. Tartaros autem nec sic leviter invadimus, quia inter nos & eos medii sunt Saraceni, & ideo primitus expugnandi. Item, certas mansiones non habent,

in quibus poſſunt ſemper inveniri, ſicut nec Cumani.

CAPUT XVI. *Reſponſio contra ſextum.*

Sexti dicunt, quod ex iſta pugna non ſequitur fructus ſpiritalis, quia Saraceni magis convertuntur ad blaſphemiam, quam ad fidem: occiſi autem ad infernum mittuntur; nec etiam fructus temporalis, quia terras acquiſitas non poſſumus retinere. Quibus reſpondendum eſt: in hoc eſt fructus triplex. Primus ſpiritualis, quia propter indulgentias & alia bona annexa plures Chriſtiani citius ſalvantur. Secundus corporalis, quia per hoc a Saracenorum invaſione Chriſtiani corporaliter defenduntur. Tertius temporalis, quia ſpolia adquiruntur, & ipſi tributis ſubduntur, & licet temporaliter ad Dei cultum reducuntur.

CAPUT XVII. *Reſponſio contra ſeptimum.*

Septimi oblocutores dicunt, quia non videtur eſſe de voluntate Domini hoc bellum, propter infortunia quæ permittit, ſicut quod Saladinus quaſi ſubito recuperaverit totam terram promiſſionis, tanto ſudore ac labore Chriſtianorum vix obtentam. Item, quod Fredericus imperator vadens illuc ad ſuccurrendum, perierit in parva aqua. Item, quod pius rex Franciæ Ludovicus cum fratribus ſuis & tot nobilibus captus fuit in Ægypto, & negotio infecto mortuus eſt cum filio apud Tunicium, & in ſpiritu vehementi contuſæ ſunt naves ejus. Quibus reſpondendum eſt primo, quia ſunt juſti, quibus mala proveniunt quaſi mala egerint impiorum. Secundo, quia ſi diabolus triumphavit de multis & multotiens, propter hoc non deſiſtendum eſt a pugna contra ipſum, nec ſimiliter contra ejus membra. Tertio, quia filii Iſraël, licet de conſilio Domini in ultionem leviter pugnarent, & in bello devicti ſunt, ſed finali bello victoriam ſunt adepti. Quarto, quamvis vellet Dominus quod pugnaretur contra Philiſtæos, ſui fœderis tamen ſuſtinuit arcam capi, Saül regem cum filiis ſuis occidi, & populos fugari. Igitur iſta evenerunt, non quia Deo non placeat bellum, at propter peccata pugnantium, vel propter merita adaugenda: unde pius rex Franciæ Nota. Ludovicus gloriabatur dicens, quod Domino in die judicii dicturo, quia pro nobis male tractatus fuiſſet, reſponderet quod ipſe captus fuiſſet pro ipſo, & ſimiliter male tractatus. Aliquando autem hoc accidit propter indiſcretam audaciam noſtrorum, ſicut accidit Judæ Machabæo, qui nolens ponere maculam in gloria ſua, cum octingentis militibus præſumſit aggredi viginti millia peditum & duo millia equitum contra conſilium ſociorum, debemuſque non propter hoc a pugna deſiſtere, ſed nos ipſos humiliare, & ad Deum clamare, quia malleis adverſitatis bonos conſolidat, non enervat.

CAPUT XVIII. *Quod ſeptem ſunt cauſæ, quare quidam ſunt tepidi in negotio contra Saracenos.*

Prima cauſa eſt avaritia clericorum, qui de ſudore & labore pauperum decimas extorquentes, nolunt illas decimari pro recuperanda terra ſancta rorata ſudore ſanguinis Jesu-Christi, opulenti, delibuti, nihil compatientes ſuper contritione veri Joſeph. Secunda cauſa eſt mors ſuorum; qui magis deberent recordari, quod ſanguinem ſuorum a Chriſtianis fuſum nolunt re nittere, donec vindicaverint juxta votum, & propter hoc perpetuo arma ferunt. Tertia cauſa eſt malus eventus noſtrorum, contra quod dicit David, *Non refrangat iſta res.* Quarta cauſa eſt ex multitudine hoſtium effrenata deſperatio, contra quod dicit Judas: *Non in multitudine exercitus victoria belli eſt.* Item, Deuteronomii 20. *Si videris multitudinem, non timebis.* Quinta cauſa eſt tepor fidei, contra quod ſcribitur 2. Machabæorum, *Maxima autem ſollicitudo erat pro templo.* Sexta cauſa, ſapientia mundi, ſecundum quam videtur non poſſe negotium proſperari. Sed virga Moyſi devorat virgas magorum, quia ſapientia Dei vincit malitiam hujus mundi, & Magi ab Oriente venerunt ad Jesum, ſequentes ſtellam. Sic relicta mundi ſtultitia, in fide & ſpe Chriſti peregrinandum eſt ad ejus ſepulcrum & tumulum. Septima cauſa eſt, oblocutiones prædictæ. Sed qui terræ promiſſionis detraxerunt, & qui detractoribus conſenſerunt in deſerto perierunt, & non viderunt Dominum Deum in terra viventium.

CAPUT XIX. *Quod ex hujuſmodi tepiditate venerunt ſeptem mala in Chriſtianitate.*

Primum malum, quod tepidi in hoc negotio non dant conſilium virile, quia ſunt pueri & effeminati. Secundum malum eſt, quod non juvant niſi inviti & cum murmure, ſicut malus ſervus ſequitur cum murmure dominum præliantem, contra quod 1. Machab. 3. *Præliabantur prælia Iſraël cum lætitia.* Tertium malum eſt, quia numquam excitant alios ad hoc ipſum, contra quod dicit Thomas, Joh. 11. *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Quartum malum eſt, quia faciunt alios tepeſcere. Quintum malum, quod exponunt Chriſtianitatem deſtructioni, ſicut tepide agentes in caſtro obſeſſo exponunt captioni ipſum caſtrum. Sextum malum eſt, quia tepiditas eorum tepeſcere facit audaciam adverſariorum, contra quos dicitur Apocalypſis 3. *Quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo.*

CAPUT XX. *Quod expediat eſſe in eccleſia aliquos, qui circa hoc negotium ſint ferventes.*

Fervor iſte accenditur primo per illud: *Qui gladium accipit, gladio peribit.* Sicut ergo Mahometus legem ſuam per gladium multiplicavit; ſic lex ſua per gladium peribit. Sic in Ser.... fere omnia regna per gladium ac-

quilita finaliter per gladium ſunt amiſſa. Secundo, accenditur iſte fervor, ex eo quod magiſter Jacobus in Hiſtoria tranſmarina refert, Dominum apparuiſſe in ſomnis Petro Heremitæ, cum pernoctaret in eccleſia nocte Dominicæ Reſurrectionis, injungens ei legationem ad Urbanum papam & principes Occidentis, ut ſuccurrerent Chriſtianis in terra ſancta conculcatis; quod & fecit, & commovit fere totam Europam, & recuperata eſt terra ſancta. Tertio fervor poteſt accendi ex eo quod Turpinus in epiſtola de actis ſeu geſtis Caroli refert, quod B. Jacobus apparuit in ſomnis eidem Carolo, ter invitans eum, quod ſicut alias terras multas ſubjugaverat, ita iret in Hiſpaniam, & locum ſuum liberaret a Saracenis, ut eſſet via fidelibus ad ipſum perpetuo viſitandum.

CAPUT XXI. *Quod hujuſmodi fervor magis pertinet ad prælatos, quam ad alias perſonas.*

Prælati debent fervere pro recuperatione terræ Chriſti, & defenſione, tum quia ſunt ejus baillivi, tum quia ejus vaſſalli, tum quia ejus ſtipendiarii, a quo habent quidquid habent. Unde Mathatias & ſui filii ſacerdotes pro lege & pro templo & civitate & populo Dei, ſe & ſua totaliter dedicavit.

CAPUT XXII. *Quod iſte fervor ſumme pertinet ad papam.*

Quamvis hoc negotium quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari, ſpecialiter tamen hoc pertinet ad ſummum pontificem. Primo, quia majora negotia ſibi reſervata ſunt; hoc autem eſt de maximis, quod fidem tangit. Secundo, quod ſolus papa poteſt ad hoc negotium pro auxilio cogere totum clerum ad id quod neceſſarium ad hoc ipſum. Tertio, quia ipſe ſolus poteſt dare plenam indulgentiam, quæ eſt maximum promotivum. Quarto, quod ſi ipſe qui eſt caput tepeat vel tremiſcat, omnia membra tremiſcent. Quinto, quia ſcriptum eſt Deuteronom. 20. *Appropinquante bello, ſtabit ſacerdos ante aciem.*

CAPUT XXIII. *Quod per ſummos pontifices ſuper hoc negotium bellum eſt promotum.*

Primum hoc bellum habet auctorem a ſede Romana, 23. quæſt. 7. omnibus Hiſpaniæ epiſcopis ſcribit, quod in Saracenos juſte pugnatur. Secundo, ab eadem ſede habuit exemplum; unde 23. quæſt. 8. dicit Leo papa nuntia quædam in Romanum pontificem (a) Saracenos clam furtiveque venturos eſſe dicebant, pro quo noſtrum congregari populum maritimumque ad littus deſcendere decrevimus; & egreſſi ſumus. Tertio, datæ ſunt cruces & inventæ ab Urbano II. in concilio Claromontenſi, & recuperata eſt tunc terra. Quarto, diverſæ religiones armorum per diverſas provincias ſunt ad hoc inſtitutæ. Quinto, amiſſa Jeruſalem civitate, & tradita Saladino, miſſæ ſunt a Gregorio papa VIII. cum promiſſione de relaxatione peccatorum; ſed ipſe poſt menſem unum & dies 27. ſuæ creationis obiit; cui ſucceſſit Clemens papa III. & in diebus ejus rex Franciæ PHILIPPUS & rex Angliæ RICHARDUS recuperaverunt Accon. Sexto, in concilio Lateranenſi Innocentius papa III. plenitudinem indulgentiæ inchoavit, & libertates multas conceſſit, quæ hodie dantur cruce-ſignatis, & de proprio theſauro triginta millia marcharum dedit, & duo millia marcharum de quibuſdam eleemoſynis pro transfretatione pauperum dedicavit. Septimo, per diverſas provincias datæ ſunt nunc decimæ, nunc vigeſimæ, & hujuſmodi, uſque ad hæc tempora.

CAPUT XXIV. *Quod etſi hoc negotium non ſit per quemcumque adjutorem terminatum, non eſt deſiſtendum, & maxime a ſummo pontifice, quod adhuc nova adjutoria inſtaurentur.*

Non eſt ab hoc negotio deſiſtendum propter infortunia tribus de cauſis. Primo, propter ſalutem Chriſtianorum, quorum multi per hoc ſalvantur, qui alias damnarentur. Secundo, propter repreſſionem Saracenorum, qui, ut ſupradictum eſt, aliter nos invaderent quietos. Tertio, propter ſpem de finaliter triumphando. Nam antiquus ille populus ſæpedictus ad Deum revertens, finaliter ſemper vincebat. Hiſtoria Caroli-Magni, Antiochena & tranſmarina, oſtendit Chriſtianos ſemper in fine victores. Recuperatas etiam cernimus multas terras ab eis primitus occupatas, Siliciam ſeu Siciliam, Sardiniam, Januam, Cataloniam, Inſulas, Hiſpaniam, excepto uno angulo, nec eſt abbreviata manus Domini, quæ interfecit CLXXXV. millia de Aſſyriis una nocte.

CAPUT XXV. *Qualiter procedendum eſt de novo ad adjutoria.*

Notandum quod pro iſto negotio neceſſaria ſunt tria cum ſuis annexis. Primo orationes, ſecundo cogitationes, tertio conſultationes. Orationes autem faciendæ ſunt in publico & in privato, proceſſiones, letaniæ, jejunia, eleemoſynæ, & hujuſmodi injungenda, confeſſiones etiam & correctiones de peccatis faciendæ ſunt, ſine quibus orationes parum valent. Cogitationes autem debent eſſe diutinæ, non ſubitæ, cum multa collatione cum viris idoneis, inſpiciendo hiſtorias cum iis, quæ de talibus ſcripta reperiuntur. Conſilia vero de talibus habenda ſunt, non cum inexpertis, nec cum involuntariis, nec ſpecialiter cum malis, qui non habent ſpiritum Dei; ſed expertis, voluntariis, & ſanctis & juſtis viris, qui habent ſpiritum conſilii ſanioris.

CAPUT XXVI. *Quid de hoc ſentiat communis opinio.*

Communis opinio ſentit, quod oporteret illuc continue tenere tot pugnatores, quot probabiliter

(a) Apud Gratianum, non *pontificem*, ſed *pontem* legitur.

probabiliter crederentur ſemper poſſe reſiſtere Saracenis, ad quod eligerentur non mercenarii homines, habentes ſolum oculum ad ſtipendia, ſed habentes zelum fidei; nec homicidæ, aut peſſimi ſicut hactenus factum eſt, ſed homines a peccatis abſtinentes; quia neſcit juſtitia Dei patrocinari criminoſis, & illis morientibus, aut redeuntibus, aut ejectis propter malam vitam, mox alii ſubſtituerentur. Suſtentatio autem eorum faciliter poſſet haberi præter adjutorium laïcale; primo, ſi de ſuperfluo theſauro eccleſiarum in lapidibus, vaſis, & veſtimentis & hujuſmodi emerentur redditus perpetui. Secundo, ſi de collegiis ſingulis una vel plures præbendæ illi uſui aptaretur & deputaretur. Tertio, ſi prioratus, in quibus pauci aliquando cum ſcandalo morantur, illic applicarentur. Quarto, ſi abbatiæ deſtructæ, quarum reformatio deſperatur, illic ſimiliter applicarentur. Quinto, de beneficiis vacantibus fructus unius vel plurium annorum ad hoc ſervarentur, & multa alia hujuſmodi.

CAPUT XXVII. *De his quæ pro toto negotio ante concilium ſunt agenda.*

Primo igitur laïcis & clericis habentibus cordi negotium diligenti conſilio tractandum eſt, & conferendum de omnibus adjutoriis & ſubſidiis a quibuſcumque petendis. Debent etiam magnates ad hoc induci, primo, quia ſunt vaſalli Dei, a quo tenent potentiam, ne permittant ei aufferri terram ſuam. Secundo, exemplo regum & principum Iſraël, qui ſemper pugnabant contra Philiſtæos; prophetæ autem & ſacerdotes exhortabantur, & pro pugnantibus orabant & ſacrificia offerebant. Tertio, exemplo nobilium chriſtianorum. Carolus enim magnus contra Saracenos uſque ad mortem pugnavit, & multas libertates Francis dedit, ut eos paratiores haberet ad hanc pugnam, propter quod non ſunt digni nomine Francorum, qui non gerunt bellum Saracenorum, multi etiam reges nobiles, qui mori citra mare inertiam reputabant. Quarto, quia cum aliis pœnitentias facere nolunt aut non poſſunt, nobilius quam in armis ſatisfacere nequeunt.

EXPLICIT PRIMA PARS.

SEQUITUR DE SECUNDA, in qua agitur de ſchiſmate Græcorum.

IN ſecunda parte agitur de ſchiſmate Græcorum, & habet XIX. capitula.

I. CAPUT. *Quod una ſit eccleſia.*

Quod una ſit eccleſia probatur per auctoritates. In Canticis: *Una eſt columba mea.* Item in Evangelio dicit Dominus in ſingulari: *Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* Et Apoſtolus: *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Et multa hujuſmodi leguntur. Item in ſymbolo fidei: *Unam ſanctam eccleſiam catholicam.* Secundo probatur per rationem, quia Chriſtus ſponſus eccleſiæ non eſſet monogamus, cum tamen minimus epiſcopus prohibeatur eſſe bigamus. Tertio, ſciendum eſt quia eſt una, unitate Domini, fidei, baptiſmi & animi, juxta illud: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Et iterum in Actibus apoſtolorum: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Item unitate finis.

II. CAPUT. *Objectiones in contrarium.*

Contra hanc unitatem eſt illud Apocalypſis: *Septem eccleſiis, quæ ſunt in Aſia.* Item dicitur eccleſia Gallicana & eccleſia Anglicana. Item alia militans, alia triumphans. Item alia primitiva, alia moderna. Item in typo Chriſti patriarchæ plures habuerunt uxores. Sed major eſt gloria regis habere ſub ſe plura regna, quam unum tantum. Et in Canticis: *Sexaginta ſunt reginæ, octoginta concubinæ; adoleſcentularum vero non eſt numerus.* Item malignantium eccleſia eſt una. Cum autem unum uni opponitur & non plura, item plures homines non ſunt unus homo.

III. CAPUT. *Reſponſiones ad prædicta.*

Primo, ſciendum quia eccleſia univerſalis eſt una, particulares autem eccleſiæ ſunt plures, ſicut ſunt lapides multi, acervus autem unus. Univerſalis autem diſtinguitur particulariter vel ex parte rectorum, ſicut in prima inſtantia; vel ex parte nationum, ut in ſecunda; vel ex parte ſtatuum, ut in tertia; vel ſecundum tempus, ut in quarta; & nihilominus eſt una, ſicut juvenis & ſenex, pauper & dives. De bigamia autem patriarcharum, fuit figura Chriſti in Jacob, quia duæ uxores liberæ ſignificant eos, qui ex Judæis & gentibus ſerviunt ex amore; ancillæ vero ſignificant eos, qui de utriſque ſerviunt ex amore. De pluritate vero regnorum dicendum eſt, quod conſtituit unum imperium, & ſic omnes eccleſiæ unam matrem eccleſiam integrant, quæ dicitur Regnum cœlorum. Ad illud Canticorum, dicendum quod ſexagenarius numerus propter ſenarium & decalogum ſignificant perfectos in præceptis, qui generant Chriſti filios prædicando. Octoginta concubinæ, quia quatuor bis ſignificant volubilitatem temporalium propter quatuor partes mundi, & quatuor elementa ſignificant eos, qui in prædicatione habent oculos ad temporalia. Adoleſcentulæ vero ſine numero ſignificant imperfectos ad germen prædicationis. Eccleſia vero malignantium non eſt eccleſia ſimpliciter, ſicut nec angelus Satanæ non eſt angelus in modo loquendi ſimpliciter. Quod vero dicitur de contrarietate, verum eſt in eodem genere & non in diverſis: nam plura mala opponuntur uni bono. Ad ultimum dicendum eſt, quod una non eſt de unitate reali, ſed unitate rationis, ſicut eſt. Nam ternarius & quaternarius ſunt plures numeri, & tamen ſa-

ciunt unum numerum majorem, putà septenarium.

IV. CAPUT. *Quod tota ecclesia universalis debet habere unum summum pontificem.*

Quod in ecclesia sit tantum unus rector probatur primo, quia omnes unum corpus sumus. Si enim haberet plura capita, monstruosum esset. Secundo, quia totus mundus, ut sit bene ordinatus, habet unum principem summum, similiter & ecclesia. Tertio, quia si hæc particularis ecclesia non habet nisi unum episcopum, nec alia nisi alium, ut sit melius ordinata. Ergo tota christianitas, quia est una ecclesia, habet unum summum pontificem. Quarto, quia sicut plures episcopi habent super se unum archiepiscopum, & plures archiepiscopi unum patriarcham, ita omnes patriarchæ debent habere super se unum summum pontificem. Quinto, quia discordia exeunte inter æqualiter summos, si essent, non esset superior qui manum poneret in ambobus, & confunderetur tota christianitas. Sexto, quia facta est sicut navis institoris, in qua debet esse unus summus gubernator. Septimo, quia dicitur regnum Dei, in quo debet esse bonus rex, ne regnum divisum in se ipsum desoletur. Octavo, quia David super xxiv. sacerdotes constituit unum summum pontificem. Nono, per illud Osee: *Filii Israel & Judæi ponent sibimet caput unum.* Decimo, quia *fiet unum ovile & unus pastor.* Si enim dicatur quia Christus est unum caput, verum est; sed quia absens visibiliter per suos vicarios regit, sicut unam diœcesim per unum episcopum, unam provinciam per unum archiepiscopum, & unum regnum per unum regem; sic universalis ecclesia per unum pastorem. Discretus enim paterfamilias recedens præter particulares vicarios, derelinquit unum generalem, cui ceteri obsequuntur.

V. CAPUT. *Objectiones in contrarium.*

Primo objicitur contra ita; quia cœlestis hierarchia non habet caput nisi Deum. Secundo, quia apostoli non leguntur fuisse sub obedientia Petri, sed de pari omnia faciebant, quæ nunc papa sibi appropriat. Tertio, quia *qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est & mihi inter gentes*, & sunt omnes immediate a Christo. Quarto, quia in temporalibus non oportet unum esse super omnes, cum multi reges non recognoscunt superiores, nisi Deum. Quinto, quia plures sunt parochiæ, in quibus multi sunt curati de pari & in solidum. Sexto, quia sicut inveniuntur simul fuisse duo imperatores, sic possunt esse simul duo papæ. Septimo, quia sicut dictum est Petro, *Quodcumque ligaveris super terram*; sic dictum est aliis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo idem de successoribus.

VI. CAPUT. *Responsio ad objecta.*

Ad primum dicendum est, quod non est simile de ecclesia triumphante, in qua cessat omnis prælatio conservorum; quia in exercitu indigent homines duce, quo non indigent ducti & perducti ad victoriam & quietem. Secundo, quia habent Christum visibilem præsentem visibiliter, unde est illud: *Non docebit vir proximum suum.* Sicut Christo conversante inter apostolos, non habebant alium superiorem, sed compescuit eos dicens: *Qui voluerit major esse, erit inter vos minimus, omnes autem vos fratres estis. Magister autem vester unus est Christus.* Et *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Tertio, quia prælatus datur ad coercendum a malo & ducendum ad bonum, quo illi non egent. Ad secundum & tertium dicendum est, quod quia apostoli a Christo vocati & missi, non indigebant ad Christum requirere, nec status ille patiebatur, & similiter etiam postea aliquo tempore observatum est, sed a Spiritu sancto hæc obedientia est explanata, sicut est in multis pertinentibus ad sacramentum. Ad quartum dicendum, quia non est simile, quia coæquales in temporalibus habent superiorem simpliciter, sed in spiritualibus, qui potest corrigere etiam in regimine temporalium ratione delicti. Qui autem non haberent superiorem in spiritualibus contendentes de eis, non possent ab alio cohiberi. Et similiter ad quintum de curatis in solidum, qui haberent superiorem episcopum. Ad sextum de imperatoribus similiter, quibus papa præerat, vel non erant in solidum, sed sibi imperium dimidiabant. Ad ultimum, sicut ad secundum & tertium, quia multa fecerunt apostoli & immediati successores de privilegio speciali, quæ modo aliis non licerent.

VII. CAPUT. *Quod iste summus, est pontifex Romanus.*

Quod autem Romanus pontifex sit iste summus, patet per auctoritates. Dictum est Petro: *Tu vocaberis Cephas*, quod est caput, & *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, & *Pasce oves meas*, & *Confirma fratres tuos*, & *Tibi dabo claves regni cœlorum*, & *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, & primus eorum Simon-Petrus semper in catalogo ponitur, & in confessione fidei primus pro omnibus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, & in electione Mathiæ primus locutus est, & in prosecutione fidei primus prædicavit, & in concilio legalium primus proposuit. Deinde per rationes, primo quia non est aliqua sedes in mundo, cujus præsules tot & tanta pertulerint propter fidem: plures enim martyres episcopos habuit, quam ecclesia aliqua; & quia Roma est locus communis & medius occidentalibus & orientalibus, ut per mappam mundi patet; & quod Roma fuit caput mundi,

quando Petrus illic tranſtulit ſedem, & Conſtantinus ordinavit Dei nutu, quod omnes eccleſiæ ſubeſſent Romanæ; ſicut David, quod omnes ſacerdotes ſubeſſent ſummo ſacerdoti. De hac etiam ſubjectione extant multa concilia patrum. Item, non eſt alia ſedes inobediens, quæ dicat ſibi deberi univerſalem ſubjectionem, quæ tamen alicui debetur. Item, Romana ſedes fuit multo tempore in poſſeſſione pacifica vel quaſi hujuſmodi ſubjectionis.

VIII. CAPUT. *Objectiones in contrarium.*

Primo, objicitur quod Chriſtus eſt caput, non Petrus. Secundo, quia Jeruſalem in medio gentium poſita eſt, ubi & Dominus illorum crucifixus eſt, ubi cœpit chriſtianitas & omnia ſacramenta, quæ ſunt eccleſiæ fundamenta. Tertio, quia in primo concilio Jacobus epiſcopus Jeroſolymorum protulit ibi ſententiam quaſi ſuperior, non Petrus. Quarto, quia quatuor concilia, quæ ſicut evangelia venerantur, & tria alia apud Græcos celebrata ſunt & non apud Latinos, exquo videtur magis eſſe caput apud eos. Quinto, quia ſicut Petrus fuit pontifex Romanus, ita & Antiochenus. Non ergo magis debetur primatus illi ſedi, quam iſti. Sexto, quia ſi Petrus hunc primatum habuiſſet, non propter hoc debetur cuilibet ſucceſſori, ſicut nec gratia miraculorum ipſius.

IX. CAPUT. *Reſponſio ad objecta.*

Ad primum dicendum, quod Chriſtus eſt caput per ſe, Petrus autem ſicut vicarius. Ad ſecundum, quod Jeruſalem ſolum erat caput Judæorum, Roma autem eſt caput totius mundi, cui Chriſtus dominaturus erat, & non ſolum Judææ. Ideo Romana ſedes primatum tenet, & etiam ne eccleſia videretur judaïzare: propter quod eccleſia Jeroſolymitana uſque ad tempus Juſtiniani imperatoris habuit dignitatem ſimpliciter epiſcopi; ſed ſub eo in concilio Conſtantinopolitano datus eſt ei patriarchatus propter honorem Dominicæ reſurrectionis. Ad tertium dicendum, quod nondum erat determinatum de præeminentia Petri. Ad quartum dicendum, quod concilia non potuerunt congregari niſi per virtutem imperatorum Catholicorum, quorum primus Conſtantinus apud Conſtantinopolim, ubi poſuerat ſedem ſuam, & ſic deinceps in partibus illis, propter potentiam ſucceſſorum, ubi & magis vigebat chriſtianitas, quia ſub ſolo patriarcha Antiocheno erant CLIII. epiſcopi, præter illos qui ſuberant Alexandrino & Conſtantinopolitano. In occidentalibus enim erant pauci, nondum converſis Polonis, Hungaris, Anglicis & aliis multis, tum quia in occidente plures erant turbationes; nuſquam tamen nec umquam ſine auctoritate Romanæ ſedis ſit verum concilium generale. Ad quintum dicendum, quod Petrus poteſtatem ſuam Romam tranſtulit, & non eam reliquit illi, quem Antiochiæ præfecit. Ipſe autem pontifex Antiochenus eſſe deſiit, ne eſſent duo ſimul, & Romanus pontifex eſſe cœpit. Poteſtas autem ejus, eo per martyrium conſummato, debuit ad aliquem tranſire ſuper terram, & magis ad Romanum, qui ſucceſſit morienti, quam ad Antiochenum, qui ſucceſſit viventi, ne ſimul fierent duo papæ ſeu duo pontifices. Ad ſextum dicendum, quod ſucceſſor carnalis non habet quidquid prædeceſſor habuit, illo diſtribuente ad libitum. Secus autem eſt in ſpirituali, qui nihil habet a prædeceſſore, ſed a Deo, qui apud eccleſiam ſemper vult eſſe plenitudinem poteſtatis: non ſic autem de gratia miraculorum, quæ non ſic eſt neceſſaria ad ſalutem.

X. CAPUT. *Quare Græci potius dicuntur ſchiſmatici, quam Latini.*

Videretur quod Latini eſſent magis, vel æque ſchiſmatici, quam Græci, ſicut enim ipſi dividuntur a nobis: ita e converſo & ipſi magis conſervant antiquas conſuetudines apoſtolorum in barbis & carentia campanarum & hujuſmodi; & Latini a Græcis habuerunt jura & philoſophiam, quorum ſtudium de Athenis venit Romam, & inde Pariſius tempore Caroli-magni. Item, novum teſtamentum ſcriptum fuit prius in Græco, præter evangelium Matthæi, qui ſcripſit in Hebraïco; & apud Græcos plures apoſtoli prædicaverunt, Johannes, Paulus, Andreas, & plures epiſtolas Paulus ſcripſit ad eos, quam ad Latinos, & plus eis prædicavit verbo, quam Latinis, & ab eis habemus ſcripta Dionyſii, Damaſceni, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nyſſeni, Baſilii & Chryſoſtomi, & fere omnia concilia, & ſic quaſi a patribus filii dividemur. Reſpondeo. Schiſmaticus uno modo cujus culpa fit diviſio, ſecundo modo rebellans capiti, tertio vero conſtituens ſibi caput, propter quæ tria, Græci & non Latini dicuntur ſchiſmatici, & omnes Orientales, qui Græcis ſe conformant.

XI. CAPUT. *Quæ fuit cauſa & ſit adhuc ſchiſmatis Græcorum.*

Cauſa diſpoſitiva hujus ſchiſmatis fuit multiplex varietas rituum in barba nutrienda, in materia ſacramenti Euchariſtiæ, in continentia miniſtrorum eccleſiæ. Item, gravamina Romanæ eccleſiæ in exactionibus, excommunicationibus & ſtatutis, in oppreſſione tyrannica principum Latinorum, in verbo & facto, quia vocabant eos canes, trahebant per barbam, & multa hujuſmodi, ſicut duritia Roboam diviſit regnum. Fertur in quadam hiſtoria, quod cum adhuc regnum Saracenorum eſſet ſubjectum Romano imperio, & quidam ex parte imperatoris diſtribueret togas militibus, & veniſſent Saraceni ad hujuſmodi togas recipiendas; dixit diſtributor: Quid ad nos de iſtis canibus? Verbum autem iſtud ita con-

turbavit Saracenos, quod propter hoc ſubtraxerunt ſe ab imperio Romano. Et ideo conſtat, quod exaſperatio potuit eſſe diſponens Græcos ad ſchiſma. Item, ſecundum hiſtorias Latinorum, regna maxima, ut Romanorum, Francorum & Anglorum, proceſſerunt a Græcis ab excidio Trojæ, & ab eis Chriſtianitas proceſſit, propter quod ſe majores reputant, & magis dolent de negligentia aut contemtu; & quia Latini, ipſis non requiſitis, addiderunt in Symbolo Nicæno, *Filioque*, & quia ſubjectione reſignavit. Hæc igitur, tertia ſcilicet varietas rituum, exacerbatio Latinorum, ſuperbia eorum, diſpoſuerunt ad ſchiſma. Cauſa autem contemplativa ſchiſmatis fuit, quod quamvis Conſtantinus tranſtulerit ſedem imperii apud Conſtantinopolim, tamen imperium remanſit unum, Græcorum ſcilicet & Latinorum, uſque ad tempus Caroli-magni; quoniam, ſicut habetur in chronicis, incœperunt diviſim nominari imperatores Græcorum & Latinorum; propter quam diviſionem eccleſia Romana favendo magis imperatori Romano contra imperatorem Græcum, probabile eſt quod tunc ille cœperit rebellare, & populus propter dominum. Unde in chronicis invenitur, quod Conſtantinopolim faciebant vocari primam omnium, quia apud illam erat ſedes imperii; ſed per Phocam imperatorem, procurante Bonifacio papa, ordinatum fuit, quod Romana eccleſia, ſicut erat, ſic & diceretur Caput omnium. Cauſa autem durationis ſchiſmatis, eſt primo cauſa perſeverans & durans diſpoſitiva. Secunda, conſuetudo, ſicut in ſimili patet inter illos, qui dicunt ſe Guelphos & Gibelinos in Italia: quia anteceſſores ſui ſic tenuerunt ſine alia ratione. Tertia eſt inſcitia ſeu ignorantia eorum, qua nec res reſponſis intelligunt. Quarta eſt diverſitas linguarum, qua eis prædicare non poſſumus. Quinta eſt defectus tractatorum & magnitudinem negotii propter diſtantiam locorum. Sexta & maxima eſt diſſenſio de imperio, quod eccleſia vult haberi & teneri a Latinis, ipſi vero a ſuis. Nam Græci qui ſunt in poteſtate Latinorum, ſicut patet in Calabria, obediunt Romanæ eccleſiæ. Septima poteſt addi, quia Græci quondam ſchiſmatici, ſucceſſivis temporibus paulatim prolapſi ſunt in diverſos errores & hæreſes, quibus pertinaciter inhærent. Itaque modernis temporibus non tantum ſchiſmatici ſunt cenſendi, ſed etiam hæretici manifeſti: in quibus erroribus & hæreſibus nutriuntur & imbuuntur maxime per illos, quos vocant ſuos cælogeros. Prædicti autem errores alibi notati ſunt & collecti.

XII. CAPUT. *Quod ſcripſit Leo Tuſcus de cauſis iſtius ſchiſmatis.*

Cauſæ hujus ſchiſmatis ſunt duodecim. Prima, quia papa Paulinum, quem Gratianus imperator Græcus Antiochiæ poſuerat, reprobavit. Secunda, quia ſub Theodoſio imperatore CL. epiſcopi concilium celebrantes ſine conſcientia papæ, Conſtantinopolitano epiſcopo nomen patriarchæ attribuerunt. Tertia, quia ſub Marciano imperatore Leo papa depellere voluit Conſtantinopolitanum præſulem, & ex tunc de pari contenderunt. Quarta, quia cum Zenone imperatore Felix papa & Gelaſius ſucceſſor ejus excommunicaſſent Achacium præſulem Conſtantinopolitanum, ipſe e contrario excommunicavit ſummum pontificem. Quinta, quia cum Anaſtaſius declinans in partem Achacii in excommunicatione mortui, & ſucceſſoris ſui Euçharii in eadem malitia perſeverantis, nollet recipere legatos eccleſiæ Romanæ, tamen ſub papa Hormiſda receptos ludibrio habuit & abjecit; propter quod idem imperator, ut dicunt Latini, fulmine periit, & XL. epiſcopi Græci dederunt obedientiæ dextram apoſtolicæ ſedi. Sexta, quia Agapitus papa Conſtantinopolim veniens contra duos hæreticos, qui negabant in Chriſto duas eſſe voluntates, a Juſtiniano pio imperatore ſuſceptus, depoſuit præſulem Conſtantinopolitanum, epiſcopum hæreticum & alium ſubſtituit. Septima eſt, quia Martinus papa evocatus a Roma Conſtantinopolim, a Conſtantino imperatore, favente Paulo Conſtantinopolitano præſule, cum nollet ei conſentire, & propter hoc excommunicavit eum, miſſus eſt Terdonæ in exilium, ubi & miracula faciens defunctus eſt. Octava, ex hoc quia Juſtinianus Conſtantini filius. . . . . clam Romano pontifice ſynodum fecit, quam vocavit ſextam, in qua cum condemnatione eccleſiæ Latinorum editi ſunt canones multi. Nona, quia cum Leo imperator inſurrexiſſet in ſacras imagines, & per litteras papales ac legatos monitus & coercitus nollet reſipiſcere, Gregorius papa propter hoc excommunicavit Conſtantinopolitanum præſulem cultum ſacris imaginibus detrahentem. Decima, ex hoc quod Conſtantinus cum Irene matre ſua parum a peſſimis prædeceſſorum ſemitis diſcedens, præcipue tamen ad ſacrarum imaginum cultum revocare nolens, congregavit ſynodum ſine papa. Undecima, quia cum Bulgari converſi vellent Romanis inſtrui diſciplinis, ille imperator cum ſuo patriarcha legatos Romanos ad hoc miſſos a ſuis finibus expulerunt. Duodecima, quia cum tempore Manuelis imperatoris Græci & Alexandri III. omnia fere fuiſſent pacificata, legati Manuelis, inuncto papa apud Venetias, ubi Fredericum I. imperatorem Romanorum reconciliaverat, negotium tepeſcere dimittentes, non ſunt proſecuti.

XIII. CAPUT. *Quod damnoſum ſit ſchiſma Græcorum in eccleſia Dei.*

Damnoſum hoc ſchiſma eſt valde, quia per hoc quicumque ſubſunt patriarchæ Con-

ſtantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno, & fere Jeroſolymitano, ſunt ab eccleſia Romana præciſi ; & qui in varias hæreſes devoluti ſunt & ejecti, non ſunt in ſtatu ſalutis, & excommunicati indigne ſuſcipiunt & adminiſtrant ſacramenta Dei, & adjiciunt falſa dogmata, ut a devotione Romanæ eccleſiæ ſe magis ſubtrahant & avertant, ſicut Jeroboam fecit vitulos aureos.

XIV. CAPUT. *Quod graviter offendant qui dant occaſionem minis inſtantibus ſchiſmati.*

Notandum autem, quod non fuit ex culpa Moyſi ſchiſma Dathan & Abiron, quos vocant, ſed Roboam, qui dura & injuſta comminatus fuit ; & ſi grave eſt ſcandalizare unum ex puſillis, multo magis gravius eſt tantam multitudinem & patres exaſperare, & coram cœco offendiculum ponere..... Sciendum eſt illud quod ſchiſma non eſt ſingulare. . . . . inter Saracenos poſt mortem Mahometi exortum eſt ſchiſma, quod adhuc durat inter Saracenos de Ægypto & de Africa, & ſimiliter inter multas nationes Chriſtianorum.

XV. CAPUT. *Quantam curam debent ponere Latini ad reconciliationem Græcorum.*

Ad iſtam reconciliationem curam debent apponere Latini. Sed ſacerdos & levita pertranſeunt vulneratum, nec compatiuntur membris, & propter hanc injuriam ſchiſma magis ac magis crevit, & profectum in pejus, ſicut rima ſeu ſciſſura in pariete quando non apponitur remedium, & ſicut in guerra a principio faciliter fit pax, quæ poſt ſtrages multorum hinc inde fieri non poteſt. Et ſicut turris, quæ propter caſtrum cadit, multas domos vicinas ſecum pertrahit ad ruinam ; ſic & ipſi Græci Jacobitas & multos alios orientales ſecum traxerunt, ut cauda draconis tertiam partem ſtellarum ; propter quod in eccleſia primitiva ſtatim ſciſſuræ apponebatur remedium, ut habetur Act. 6. Ortum eſt murmur, ſtatim duodecim apoſtoli convocantes multitudinem ſedaverunt, inſtitutis diaconibus ſeptem ; & ſimiliter orta diſſenſione propter obſervantiam legalium, Paulus & Barnabas aſcenderunt Jeruſalem, ut habetur Act. xv. Et Romæ orta diſſenſione inter Judæos & Gentiles, Paulus eiſdem Romanis epiſtolam ad, &c.

XVI. CAPUT. *Quod iſta cura maxime pertinet ad dominum papam.*

Iſta cura maxime ad papam pertinet, primo, quia eſt vicarius Domini Jesu-Christi, qui ideo de cœlo deſcendit, ut faciat utraque unum, & papa in Græciam deberet deſcendere, ſi ſpes eſſet probabilis, quod pro-
ſ. reuniretur. pter hoc remuneraretur * ovile. Secundo, quia eſt pater omnium, & deberet occurrere filio prodigo renitenti, ut inducat in domum, & dare ſtolam primam, id eſt recipere ad dignitates. Tertio, quia eſt paſtor in medio ovium diſſipatarum, & aliis dimiſſis, ire ad illam quæ periit. Quarto, quia ſponſus Rebeccæ dicitur dolere, quod in ventre ejus filii extant. Quinto, quia judex ad nihil aliud tendere debet, niſi ut a diſcordiis ſubditi recedant, dicendo cum Moyſe : *Viri fratres eſtis qui occidiſtis alterutrum.* Sexto, quia rector navis debet agere, ut ad portum ſalutis concorditer remigatur.

XVII. CAPUT. *Quæ ſint utilia ad hujuſmodi negotii executionem.*

Ad hanc reconciliationem neceſſaria videtur ſcientia ſeu peritia linguæ græcæ, quia per genera linguarum diverſitas gentium in unitate fidei congregatur ; & ſicut ſcientia, quæ prius per infuſionem habebatur, nec per ſtudium acquiritur, ſic debet eſſe ſtudium de linguis, cum prius eſſet donum infuſum, & ſicut fiebat tempore Hieronymi & Auguſtini, ut noſtri percurrerent libros eorum, & viderent quibus innituntur. Sed vix in curia Romana invenitur, qui ſciat legere literas ab eis miſſas, & legatos ad eos miſſos oportet habere interpretes, de quibus neſcitur uttum intelligant aut decipiantur. Secundo, neceſſaria videtur copia librorum græcorum, ut ſcilicet latini haberent omnia ſcripta eorum, theologicorum, expoſitorum, conciliorum, ſtatutorum, officii eccleſiaſtici, & hiſtoriarum. Veriſimile eſt enim multa inveniri pro nobis, quia non conſonant omnia, & curatum eſt de libris philoſophiæ & jure transferendis, non ſic de theologicis, qui ſunt arma militiæ noſtræ, & curant milites parare arma corporalia contra eos. Clerici non curant de crimine ad deſtitutionem, monitionem, & altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Tertio, neceſſaria videretur frequens miſſio ſolemnium nunciorum, ſicut Ezechias miſit ad decem tribus diviſas, ut reverterentur ad Dominum ; qui nuncii etiam Latinos in Achaia viſitarent, & corrigerent, qui propriis ſumtibus irent, non extorſiones facerent. Quarto, videretur neceſſaria miſſio exploratorum, militum, mercatorum, vel religioſorum, ſicut Moyſes & Joſue fecerunt. Quinto, videtur neceſſaria honorabilis receptio ipſorum, & non habere eos contemtui, ſicut rex filiorum Amon. Sexto, attractio aliquorum Græcorum magnorum, prudentium per matrimonium, vel aliter, qui docerent & dirigerent quomodo eſſet agendum erga eos. Septimo, ceſſatio Latinorum ab oppreſſionibus illorum. Octavo, caritativa ſervitia hinc & inde inter magnates. Nono, tranſlatio librorum noſtrorum in linguam eorum, in quibus proficient.

CAPUT XVIII. *Quod in tribus conſiſtit diſcordia inter Græcos & Latinos.*

Prima diſcordia de imperio Conſtantinopolitano. Cum enim Conſtantinus illuc ſedem imperii tranſtuliſſet, ſucceſſores ejus pa-

cisice imperabant Orienti scilicet & Occidenti, quousque Saracenis irrumpentibus Italiam, Pippinus Francorum rex evocatus a Stephano papa ad defensionem, factus est Romæ patritius, & deinceps reges Francorum patricii Romanorum, facti sunt imperatores Romani, & sic translatum est jus eligendi imperatorem a Græcis in Germanos in personam Caroli-Magni filii Pippini, quem Leo papa Romæ coronavit in imperatorem, & postea ecclesiæ auctoritate propter culpas imperantium in Constantinopoli capta fuit civitas Constantinopolis a Francis & Venetis, & repulsis imperatoribus Græcis, Petrus comes Autissiodorensis coronatus est ab Honorio papa III. in imperatorem Constantinopolitanum. Post cujus mortem orta est dissentio, successoribus Petri dicentibus ad se jus imperii pertinere, Græcis e contrario asserentibus. Secunda discordia est de pertinentibus ad fidem. Nam Græci invidia moti quando Burgari conversi sunt ad fidem, & vellent imbui a Romana fide, ut illos averterent, Latinis imposuerunt hæresim de processione Spiritus-sancti, & paulatim cœperunt in aliis articulis dissentire a Latinis. Tertia discordia, de obedientia & subjectione; nam propter sedem imperii illuc translatam, volentes parificari Romanis, quia secunda Roma dicta est, seu nova a Constantino, & paribus privilegiis dotata, & propter hoc sententiam quamdam latam a papa Romano contra suum patriarcham non receperunt, & tandem obedientiam quam prius exhibuerant, negaverunt, & sibi sine auctoritate & confirmatione papæ patriarcham fecerunt, & patriarchæ Latino per papam creato non obedierunt, sicut superius prætactum est.

CAPUT XIX. *De remediis contra hæc tria.*

Contra discordiam de imperio, qua durante aliæ perseverant, videretur remedium, quod vel per pecuniam a Latino principe acquiratur, sicut principatus de Morea, & quidam alii, si tamen liceat, vel quod per pacta aut matrimonia imperator ille ad obedientiam reducatur, quod esset magis sine effusione sanguinis & sine periculo; necessarius non est eventus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Contra secundam discordiam videretur remedium, quod in omnibus ritibus suis in quibus potest ecclesia dispensare, ipsi tolerarentur, dum tamen in his quæ sunt de substantia fidei consentirent, nec nostros ritus reprobarent. Contra tertiam discordiam videretur remedium, quod ab eis plenitudo obedientiæ non expeteretur, dummodo patriarcha eorum a papa confirmaretur, & ab eis legati Romani cum honore reciperentur.

Expliciunt Extractiones II. Partis.

IN TERTIA PARTE AGITUR de corrigendis in ecclesia Latinorum.

CAPUT I. *De corrigendis contra cultum divinum.*

Circa cultum divinum videretur statuendum, quod non cogerentur homines ad colendum nova festa præter auctoritatem Romanæ ecclesiæ, & præter quam in majoribus festis ab ecclesia institutis liceret hominibus operari post auditum officium, tum quod in festis magis multiplicantur peccata in tabernis, choreis, & lupanaribus; quæ mala docet otiositas; tum quod dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad acquirendum sibi victum. Secundo, quod propter canonicos non solventes non cessaretur a divinis; sed culpabiles aliter punirentur. Tertio, quod in omnibus ecclesiis ars cantus melius doceretur & addisceretur. Quarto, quod divinum officium sic abbreviaretur, quod devote & integre diceretur & audiretur. Quinto, quod in magnis ecclesiis ad omnes horas haberetur numerus sufficiens clericorum.

CAPUT II. *De corrigendis circa ecclesiam Romanam.*

Circa Romanam ecclesiam videretur maxime sedis vacatio brevianda, primo per hoc quod cardinales, ea durante, nihil possent percipere de bonis papæ vel ecclesiæ, nec munia quæcumque, alioquin contrarium faciens, ipso facto esset voce privatus. Secundo, quod si infra certum tempus non elegissent, quod per electionem notariorum adjungerentur eis aliqui de primariis vel aliis officialibus curiæ, vel etiam e converso, vel metropolitanus illius provinciæ cum suffraganeis, seu aliqui alii, prout magis videretur circa hoc expediens providendum.

CAPUT III. *De corrigendis circa religiosos.*

Primo, quod religiones Mendicantium minuerentur, & exceptis religiosis approbatis & confirmatis, quorum vita exemplaris & doctrina salutaris est, alii non sustineantur. Tot enim alii sunt qui Truttani (*a*) vocantur, & correctio non viget apud eos. Secundo, quod nulla religio mulierum sustineatur, nisi habeat unde possit sustentari in domo sine mendicitate & discursu. Tertio, quod de prioratibus solitariis & destructis fierent collegia, in quibus religio servaretur, prævisо unde valerent sustentari. Quarto, quod nullus, nisi debilis & infirmus, aut hospes transiens comederet extra refectorium.

CAPUT IV. *De corrigendis circa prælatos.*

Circa prælatos primo, videretur diligens examinatio facienda in deligendis & pro-

(*a*) Truttani sunt errones, plani & mendici, qui per provincias passim vagantur, & mendaciis ac strophis suis omnibus illudunt, dum alios se fingunt, quam revera sint.

movendis, etiamsi nullus se opponat, timore vel amore, quia ad faciendum custodem thesauri, non sufficit patrifamilias quod nihil mali sibi de illo opponatur, nisi etiam ipse, aliis tacentibus, de idoneitate ipsius inquisierit diligenter. Secundo, quod prælati facilius deponerentur, quia ab eis non cito profertur contra malos sententia, sed per multos annos protrahitur causa, idcirco absque timore perpetrant mala. Tertio, quod sæpius visitarentur, & eorum vita & fama summo pontifici referretur. Quarto, quod pompæ eorum & familiarum restringerentur.

CAPUT V. *De corrigendis circa curias prælatorum.*

In curiis prælatorum videtur vigilandum quomodo justitia melius servaretur, extorsiones pro sigillo tollerentur, & usuræ loco sortis non sigillarentur.

CAPUT VI. *De corrigendis circa parochias.*

In parochiis videtur reprehensibile, primo quod aliquæ earum ita sunt pauperes, quod nulla bona persona vult eas recipere. Secundo, quod divites parochiæ dantur talibus qui nolunt vel nequeunt residere. Tertio, quod ponuntur vicarii non meliores, sed melius forum de vicariæ servitiis facientes. Quarto, quod non dantur propter Deum melioribus, sed indignis, aliquando propter munus a manu, vel a lingua, vel ab obsequio. Quinto, quod non corriguntur diffamati, sed peccare libere sæpius pro pecunia dimittantur. Sexto, oporteret quod fieret aliquod opusculum pro instructione ignorantium idiotarum in suis officiis, ex quo nesciunt scripturas.

CAPUT VII. *De corrigendis circa clerum.*

In clero quantum ad communem statum, quoad multos vigent gula, luxuria, pompa, prodigalitas, otium, & alia multa mala, quæ essent corrigenda propter scandalum laïcorum.

CAPUT VIII. *De corrigendis circa quæstuarios prædicatores.*

Quæstores mendaciis & immunditiis maculant ecclesiam & reddunt irrisibilem. Secundo, prælatos muneribus corrumpunt, & propter hoc dimittunt eis dicere quidquid volunt. Tertio, in brevibus seu cartellis suis tot indulgentias fingunt, & mentiuntur, & male exponunt, quæ fere nullus credit. Quarto, multa acquirunt, & pauca ad domos principales remittunt, falsis reliquiis decipiunt.

CAPUT IX. *De corrigendis circa usum clavium.*

Circa claves est primo reprehensibile, quod committuntur nescientibus solvere vel ligare. Secundo, quod indulgentiæ indiscrete laxantur & restringuntur. Tertio, quod excommunicationes in multorum laqueum multiplicantur.

CAPUT X. *De corrigendis circa scientias.*

Primo, in grammatica corrigendum est, quod aliqua turpia leguntur, per quæ juvenes ad lasciviam excitantur. Secundo, pro theologia videretur expediens, quod biblia glossaretur continue de dictis sanctorum in libris non glossatis. Tertio, circa statuta patrum, quod concilia, maxime universalia, in metropolitanis ecclesiis omnibus haberentur.

CAPUT XI. *De corrigendis circa imperium.*

Circa imperium vacans videtur constituendus vicarius ad quem haberetur recursus propter guerras & casus varios emergentes, vel addendo quod statueretur cum pace comitatus, quod rex Teutoniæ fieret non per electionem, sed per successionem, & esset deinceps contentus regno illo, & magis timeretur, & magis justitia in regno Teutoniæ servaretur. Item, quod in Italia provideretur de rege uno vel duobus, sub certis legibus & statutis, habito consensu communitatum & prælatorum, & per successionem regnarent in posterum, in certis casibus possent deponi per apostolicam sedem. Aliquando enim Lumbardi regem habuerunt, vel quod rex in Lumbardia institutus esset vicarius imperii in Tuscia, vacante imperio, & imperatori confirmato & coronato per apostolicam sedem, & non aliter, regnum recognosceret ut vasallus. Imperium enim quasi ad nihilum est redactum, & a pluribus quotquot fuerunt electi ad imperium seu promoti, plura mala sub eorum dominio secuta sunt, & pax & unitas turbata, & strages hominum factæ, & pauca bona secuta; & alia multa sunt quæ realiter persuadent, ut quæratur modus aliquis conveniens ad providendum circa hoc, si valeat inveniri.

CAPUT XII. *De modo procedendi in concilio.*

Non videtur expediens de his quæ papa potest per se sine prælatis exhibere, quod de ipsis cum prælatis habeat tractatum, sed ante concilium vel post illa expediat sine ipsis.

EXPLICIUNT EXTRACTIONES DE TERTIA PARTE.

ACTA VARIA

ad reconciliationem Græcorum, quæ in concilio Lugdunensi anno MCCLXXIV. facta est, spectantia.

Ex mss. illustrissimi Domini Chauvelin regiorum sigillorum custodis.

INCIPIT NEGOTIUM SUPER RECONCILIATIONE GRÆCORUM.

EPISTOLA I. CLEMENTIS PAPÆ IV.

Ut patriarcha Græcorum super reconciliatione promtus existat, & ad eam imperatorem & alios inducat.

TUarum nobis missarum nuper series litterarum, tui desiderii ad ecclesiarum, Latinæ videlicet & Græcæ, laudabilem unionem reseravit affectum, tanto procul dubio gratiorem, quanto & nos plenius ad illam afficimur, quantoque eam tamquam Deo acceptam, mundo acceptabilem, & animabus, gratia divina propitia, salutarem, totis viribus affectamus. Hæc est siquidem, quæ inter sollicitudines nostris humeris incumbentes perpeti cura revolvimus. Hoc est ad quod ardentius nostra suspirat intentio. Hoc est quod in solidæ caritatis ardore crebris orationibus postulamus, ut ille lapis angularis, qui fecit unum suam sanctam catholicam & universalem ecclesiam, schismatum scissura divisam, misericorditer uniens in unitate fidei orthodoxæ, toto orbe dignanter adjuvet. Innumera etenim, & inæstimabilia præcipue animarum, sed & corporum commoda, quæ populo Christiano hujusmodi unio tam desideranda, tam salubris afferret, diligenter advertimus, nec numerosa discrimina, quæ jam intulit, proh dolor! inveterata dissensio ignoramus. Propter quod ne tam utile, tam pium negotium per verba inefficacia ulterius deducatur, viam ad accelerationem hujusmodi nobis admodum votivi negotii, de fratrum nostrorum consilio, compendiosam, ut speramus, elegimus, quam ideo præsentibus non duximus inserendam; quia eam magnifico viro MICHAELI PALÆOLOGO imperatori Græcorum illustri, nostris litteris plenius explicamus. Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus & hortamur attente in Domino JESU CHRISTO, per aspersionem sui pretiosi sanguinis obsecrantes, quatenus præmissum affectum, quem eædem tuæ litteræ prætendebant, per efficacem operis evidentiam exhibens, ad celerem executionem illorum, quæ in prædictis nostris litteris paterne requirimus in humilitatis spiritu, te ipsum promtum & propitium offeras, & tam præfatum Græcorum imperatorem, quam alios, quo poteris studio exhortationis solertis inducas, ut cum Altissimi dexterâ tam glorioſum opus utilitatis tantæ profecerit, tu in hoc te utilem extitisse cooperatorem ipsius, sub spe nihilominus divinæ gratiæ ac favoris apostolici, quem tibi ex hoc accrevisse digne lætaberis, possis non immerito gloriari.

EPISTOLA II. CLEMENTIS PAPÆ IV.

Exhortatio ad imperatorem Græcorum, ut redeat ad ecclesiæ unitatem, & mittuntur ei articuli fidei, quos Romana ecclesia profitetur.

MICHAELI PALÆOLOGO illustri imperatori Græcorum, gratiam per quam gloriam obtineat in futuro.

1. Magnitudinis tuæ litteras ac viros providos & discretos, latores earum, apocrisarios tui culminis, ad nostram venientes præsentiam, serena facie, sed & animo læto recepimus, & eis super omnibus quæ proponere voluerunt, coram nobis & fratribus nostris audientia benigna concessa, fideles adhibuimus interpretes, qui nostrum eis & suum nobis in omnibus per omnia panderent intellectum. Ipsum quoque litterarum tuarum initium, quod ex psalmis assumseras spiritualis & nobilis cytharœdi, cordis tui gaudium manifestans, ex eo justa ratione conceptum, quod in domo Domini te sperabas iturum, illuc etiam tribus Domini, Latinorum videlicet & Græcorum, pariter ascensuras, acceptum nobis plurimum cum gaudio accepimus exultationis ingentis. Hoc est enim quod & nos totis visceribus concupiscimus, & in ipsis missarum solemniis a Domino petimus incessanter, ut suam videlicet ecclesiam toto orbe terrarum adunare dignetur. Hoc est quod videre summopere cupimus, ut ipsius ruinas impleat, sciſſuras reparet, muros ædificet, sanctorum custodia muniat angelorum. Non sunt enim nobis incognita damna populi Christiani, quæ jam dudum Latinorum & Græcorum dissensio peperit, annosa pariter & damnosa, dum divisos inter se populos, & in sua se adversis mutuo debilitando conatibus conversos, viscera, frequentius & libentius fur hostilis invasit, qui eisdem glutino veræ caritatis unitis obesse minime potuisset.

2. Sane olim ad felicis recordationis URBANUM papam prædecessorem nostrum, cum tuis litteris solemnes nuncios destinans, tuum modo consimili per eosdem nuncios & litteras pium desiderium explicando, inter cetera postulasti, ut ad tuam præsentiam apocrisarios suos mitteret seu legatos, pacis homines, & pacificos Christi discipulos, non gaudentes

gaudentes in vanitate verborum, nec bono pacis mundanam ſapientiam præponentes. Qui tuis votis annuens in hac parte, viros electos de fratrum Minorum ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide divites, in lege Domini plenius eruditos, fratres ſcilicet SIMONEM DE ALVERNIA, PETRUM DE MORAS, PETRUM DE CRISTAS, & BONIFACIUM DE YRONA, cum ſuis ſub certa forma litteris ad te miſit.

3. Licet autem idem prædeceſſor noſter celſitudinis tuæ litteras ſupradictas cum magno gaudio recepiſſet, & in ipſis contenta litteris ſigillatim inſpecta pietatis perpenderet ſpeciem obtinere, ad contentum tum in eis ordinem, ſicut non debuit, ſic nec voluit ſe arctare. Tu quidem eorumdem Latinorum & Græcorum concordiam, diſſolutis inimicitiis, in caritate mutua prius decreveras ſolidandam, & tunc tibi videbatur commodior de dogmatibus fidei & rituum diverſitate tractatus; & ad hujuſmodi probationem ordinis, ex ſcripturis authenticis argumenta multa compegeras, ad probandum quod horum omnium ſit caritas fundamentum. Ipſe vero tuis non obvians argumentis, nec præconia caritatis attenuans, quam ſedes apoſtolica illibatam ſervat in filios etiam indevotos; ſed fidei primum & ſolidum fundamentum attendens, ſine qua Deo impoſſibile eſt placere, non injuſte de conſonantia fidei tractatum cenſuit præmittendum. Abſit enim ut Romanam eccleſiam, quæ nec rugam habet nec maculam, illam non tenere hodie, quam ſemper hactenus tenuit fidei unitatem, filios etiam ſe avertentes ab ea odio proſequi fateamur: cum procul dubio eadem mater eccleſia juſtis & peccatoribus, obedientibus & rebellibus exhibens piæ caritatis affectum, ad ſalutem omnium, quibus poteſt modis, intendat, nec ideo minus diligens ſit cenſenda, quod interdum, exigente juſtitia, peccatorum confringit cornua, qui ſalutaribus monitis obtemperare contemnunt, ſicut nec recto judicio poteſt dici medicus odioſus, qui curandis vulneribus ferrum vel ignem adhibet, quæ melioris antidoti medicamine non curantur. Stetit itaque cum fide caritas apud ipſam; ſed qui fidem contaminant, neceſſario deſerunt caritatem, ad quam nullus eſt reditus, niſi prius quam non ceperant, vel receptam abjecerant fidei veritatem agnoſcant, cum ſit ille fons vivus caritas, cui nullus communicat alienus.

4. Ut igitur rectior eſſet ad pacis optatæ colloquium & tractatum ingreſſus, miſſi ſunt ad tuam magnitudinem dicti fratres, de dogmatibus fidei & eccleſiaſticis ritibus tractaturi, ac inſuper de concordia ſuper aliis inter prædeceſſorem ipſum & te, tuumque populum reformanda. In ejuſdem prædeceſſoris litteris hoc expreſſo, quod ſi ex hujuſmodi tractatu tibi & ipſis fratribus videretur, quod tam pium tamque ſalubre negotium, laudabilem egreſſum deberet habere & felicem, per te ordinari poſſet, & eos qui pro ejus confirmatione negotii ſolemnes nuncii, cum auctoritate ac poteſtate plenaria & ſufficienti mandato ad ſedem apoſtolicam ex parte tuæ celſitudinis mitterent, vel alia inveniretur via conveniens, per quam promtius ad negotii conſummationem ipſius, Deo procederetur auctore. Ceterum fratres ipſi in tua curia aliquandiu commorati, cum non poſſent ad plenum aſſequi quod volebant, volentes tandem obtinere quod poterant, in quamdam tecum, ut dicitur, convenere ſcripturam, certos articulos continentem, magnitudini tuæ bona fide ſpondentes, apud ſedem apoſtolicam dictam ſe inſtituturos, quantum eſſet in eis, ut ſcripturam hujuſmodi ſedes eadem acceptaret.

5. Nuper autem tuis apocriſariis ſupradictis ad noſtram præſentiam accedentibus, & a nobis prius ſecreto, ut eis placuit, ac in fratrum noſtrorum præſentia ſubſequenter auditis, ſuper fidei vero dogmatibus cum eiſdem conferre voluimus, non contentioſæ diſputationis certamine, ſed verbis ſimplicibus & evangelicæ conſonis veritati: quod recuſantibus illis admittere, tractatores eis obtulimus de dictorum fratrum collegio, qui colloquio familiari diſcuterent cum eiſdem, quibus modis, quibuſve gradibus, tam ſalubre poſſet negotium conſummari. Sed ipſi nec iſtud recipere voluerunt, proponentes finaliter, quod nec ad diſputandum, nec ad tractandum venerant, ſed per nos roborari petebant, quæ a prædictis fratribus, SIMONE ſcilicet & collegis ipſius in tua, ut dicebant, præſentia fuerant acceptata: quæ cujuſdam ſcripturæ ſeries, quam in noſtra protulerunt præſentia, continebat; de qua tam pro te tuiſque ſubditis roboranda, etiam ſi nos acceptare vellemus eamdem, nullam ſe recepiſſe penitus poteſtatem, coram nobis & eiſdem noſtris fratribus iidem tui apocriſarii ſunt confeſſi.

6. Quibus auditis, mirati ſumus tanti apocriſarios principis, qui, ſi ea quæ in ejuſdem prædeceſſoris litteris expreſſa ſupra meminimus, a Deo proceſſiſſent, quod juxta eorum ſeriem extimares non immerito nuncios deſtinandos, mitti a te debuerant, ut primitus cum auctoritate & poteſtate plenaria & ſufficienti mandato, ſic inſtari ſuper ejuſdem corroboratione ſcripturæ: cum tamen ad hæc petendum nec in ſcriptis nec alias mandatum aliquod exhiberent; immo nec prædictæ tuæ celſitudinis litteræ nobis præſentatæ per ipſos, de petitione hujuſmodi, vel præfata ſcriptura, ſeu etiam de prædictis ſedis ejuſdem apocriſariis aliquam facerent mentionem, aut quod ipſis tuis apocriſariis fides a nobis deberet ſuper his quæ pro parte tua proponerent adhiberi. Sed ne ipſos contem-

nere videremur, benigne ipſis oſtendimus, quod præfata ſcriptura nobis per ipſos exhibita, non potuit a ſæpedictis fratribus dictæ ſedis apocriſariis, ejuſdem ſedis nomine approbari, cum ad id ab ea non habuerint poteſtatem. Tractatores ſiquidem miſſi fuerant, non negotii perfectores: ſicque per conſequens eorum incumbebat officio tractatus ſui ſummam ipſi ſedi referre, illiuſque approbationem ejuſdem ſedis judicio reſervare. Quod & ipſimet conſultius attendentes, circa finem præfatæ ſcripturæ fatentur, ex injuncti miniſterii debito, dictæ ſedi ſe inventa renuntiare debere, nec approbatoris ſibi uſurpaverunt *officium*, ſed inſtantiæ ſuæ miniſterium promiſerunt, ſpondentes, ut prædiximus, ſe inſtituros apud dictam ſedem, quantum in eis erat, ut ſcripturam approbaret eamdem. Videat igitur tua ſublimitas, quam jure, quam liquide dicti fratres apocriſarii ſedis ejuſdem ſuæ poteſtatis & miniſterii reſerarunt ſeriem, & fines ſeu terminos expreſſerunt, quam clare, quam aperte ſuæ intentionis aperuere propoſitum. Quid enim clarius dici vel ſcribi potuit, ut nondum actum quis diceret, quod adhuc ex alterius approbatione pendebat? Fratres igitur memorati apocriſarii dictæ ſedis nec roboraverunt, nec intenderunt, ſicut nec etiam potuerunt, prædictam, ſine ſedis ejuſdem conſcientia, roborare ſcripturam. Nos quoque petitionem a præfatis tuis apocriſariis ſuper ipſius ſcripturæ corroboratione propoſitam, ejuſdem ſcripturæ *inſpecto tenore*, cum nonnulla quæ continentur in ea, nec accommoda, nec utilia, ſed diſpendioſa & damnoſa potius, tanto & tali negotio reputemus, de fratrum noſtrorum conſilio, ejuſdem negotii qualitate penſata, non duximus admittendam, præſertim cum ipſi tui apocriſarii, ad roborandam eamdem pro te tuique imperii clero vel populo, nullum, ut præmiſimus, mandatum vel poteſtatem haberent, nec tu de petitione præmiſſa tuis aliquid litteris duxeris inferendum: immo ab eadem ſcriptura, de cujus utpote corroboratione jam elapſo fere triennio non curaſti, nec per noſtros apocriſarios ſuperius *nominatos*, noviſſime ad te miſſos, qui apud te moram diutius contraxerunt, nobis miſiſti aliquid verbo vel ſcripto, receſſiſſe veriſimiliter credi poſſes: quamquam alias non fuiſſet a nobis eadem petitio admittenda. In his etenim quæ ſunt fidei & veritatem reſpiciunt, ſine qua ſalus eſſe non poteſt, explicite, non ſub involuto, eſt agendum. Ideoque ut in lucem omnia veniant, ne verborum ambagibus intentionis noſtræ puritas involvatur, tenore præſentium duximus declarandum, quid tibi & prælatis ac ceteris ſub tua ditione degentibus faciendum incumbat, ut ad ſinum ejuſdem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ & matris tuæ, ſano fretus conſilio, redeas reverenter. Et ſi faciendum Domino decreveris inſpirante, ipſa mater piiſſima filio redeunti ſinum largiſſimæ pietatis aperiens, in tuos læta properabit amplexus.

7. Ecce ergo quod corde firmiter credimus, & ore ſimpliciter confitemur, tibi plene proponimus & exponimus, nec in velamentis ænigmatum dogmata noſtra tegimus; ſed omnino verbis explicitis & apertis notam eſſe volumus univerſis profeſſionem fidei quam tenemus, quam a te, clero & populo prædictis exigimus, ut eadem tu & ipſi confiteantur, ſi ad noſtram, ut deſideramus, redire volueritis unitatem. Ea inſuper quæ circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ principatum, de cujus veritate nonnulla præfatæ ſcripturæ ſeries continebat, a te ac ipſis clero & populo recipi & acceptari volumus, plenius & apertius explicantes.

Et quidem credimus ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque Trinitatem Deitatem coeſſentialem & conſubſtantialem, coæternam, coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis & majeſtatis; creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia quæ ſunt in cœlo & in terra viſibilia & inviſibilia, corporalia & ſpiritualia.

Credimus ſingulam quamque in ſancta Trinitate perſonam, unum verum Deum, plenum & perfectum.

Credimus ipſum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, omnipotentem & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter de Spiritu-ſancto conceptum ac natum ex MARIA ſemper Virgine, cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, neque fantaſticum, ſed unum & unicum Filium Dei in duabus & ex duabus, divina ſcilicet & humana, naturis; ſed in unius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem & immortalem divinitate; ſed in humanitate pro nobis & pro ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint ſive mala.

Credimus etiam Spiritum-ſanctum plenum & perfectum verumque Deum, ex Patre & Filio procedentem, coæqualem & coeſſentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio.

Credimus hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem & incommutabilem.

Credimus ſanctam catholicam & apoſtolicam unam eſſe veram eccleſiam, in qua unum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum.

Credimus etiam veram reſurrectionem ejuſdem carnis quam nunc geſtamus, & vitam æternam.

Credimus etiam novi ac veteris teſtamenti, legis & prophetarum, & apoſtolorum unum eſſe auctorem Deum & Dominum omnipotentem.

8. Hæc eſt fides catholica, & hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia. Sed propter diverſos errores a quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat, eos qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos; ſed per veram pœnitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes in caritate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum eccleſiæ inſtituta. Illorum igitur animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam qui poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Illorum autem animas qui in mortali peccato vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas, eadem ſancta Romana eccleſia credit, & firmiter aſſeverat. Et quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

9. Tenet etiam & docet eadem Romana eccleſia ſeptem eſſe eccleſiaſtica ſacramenta, unum ſcilicet baptiſma, de quo dictum eſt ſupra. Aliud eſt ſacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem epiſcopi conferunt chriſmando renatos. Aliud eſt pœnitentia, aliud eſt Euchariſtia, aliud eſt ſacramentum ordinis, aliud eſt matrimonium, aliud eſt extrema-unctio, quæ ſecundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana eccleſia, tenens & docens, quod in ipſo ſacramento panis vere tranſubſtantiatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini noſtri Jesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir ſimul plures uxores, nec una mulier ſimul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, ſecundas & tertias, & deinceps nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum ex cauſa alia non obſiſtat.

10. Ipſa quoque ſacroſancta Romana eccleſia ſummum & plenum primatum & principatum ſuper univerſam catholicam eccleſiam obtinens, quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro apoſtolorum principe ſeu vertice, cujus Romanus pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit, ſicut præ ceteris creditur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet judicio definire: ad quam poteſt gravatus quilibet in negotiis ad forum eccleſiaſticum pertinentibus appellare. Sed in omnibus cauſis ad examen eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri judicium, & eidem omnes eccleſiæ ſunt ſubjectæ, ipſarumque prælati & obedientiam & reverentiam ſibi debent; apud quem ſic plenitudo poteſtatis conſiſtit, quod eccleſias ceteras ad ſollicitudinis partem admittit curarum, multas patriarchales & parochiales eccleſias præcipue diverſis privilegiis eadem Romana eccleſia honoravit. Sua tamen prærogativa, tam in generalibus conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva.

11. Porro præſcriptam puriſſimam, certiſſimam & ſolidiſſimam orthodoxæ fidei veritatem, evangelicæ doctrinæ conſonam, a ſanctis patribus traditam, & Romanorum pontificum in ſuis ſynodis diffinitione firmatam, ſicut nec decet, ſic nec volumus novæ diſcuſſioni ac diffinitioni ſubjacere, ipſum quaſi per hoc quomodolibet contrafaciendo, & licitum in dubium revocando. Ideoque licet in præfata ſcriptura de convocatione concilii ageretur, licet per tuas præfatas litteras concilium in terra tua teneri petieris, nos tamen nullo modo proponimus concilium ad diſcuſſionem ſeu diffinitionem hujuſmodi convocare. Non quod cujuſcumque faciem vereamur, vel eamdem ſacroſanctam Romanam eccleſiam Græcorum ſuperari prudentia timeamus; ſed quod prorſus indecens foret, immo nec licet, nec expedit, in dubium revocari præmiſſam veræ fidei puritatem, tot ſacræ paginæ auctoritatibus, tot ſanctorum roboratam ſententiis, tot Romanorum pontificum ſtabili diffinitione firmatam; pro cujus defenſione, ſi neceſſe foret, parati eſſemus ſubire martyrium, & morti etiam exponere corpus noſtrum: quam ideo ad præſens nequaquam auctoritatibus, quarum tamen ſatis nobis copia pro voto ſuppeteret, munire curavimus; ſed in ſimplicitate veridica ſic pure, ſic explicite tam prædictis tuis exhibendam nunciis, quam tibi, decrevimus deſtinandam; quia vel notam prolixitatis nimiæ diffuſus epiſtolæ textus in-

curreret, ſi auctoritatum multitudinem, quibus eadem roboratur veritas, contineret; vel ſi notam volens vitare hujuſmodi, tam prolixam tot articulorum materiam brevi ſermone perſtringeret, de defectu forſitan, qui procul dubio nimis foret in tanto notabilis & periculoſus negotio, notaretur.

12. Et quia provida deliberatione concepimus apocriſarios aliquos in lege Dei peritos ad tuam præſentiam deſtinare, cum quibus tu ac prædicti clerus & populus ſuper præmiſſis conferre poteritis, &, ſicut ſperamus, ipſi nobis ſufficienter, divina eis id donante clementia, reſpondebunt. Sed nihilominus ſi quid tuum tuorumve animos concutit, ſi quid turbat, ut eorum aliquid, quæ ſupra ſcripſimus, vereamini, ut petimus, profiteri; aliquos de peritioribus, quos in prædictis repereris clero & populo, ad noſtram mitte præſentiam, noſque, qui juxta ejuſdem principis apoſtolorum ſententiam, parati ſumus omni poſcenti nos, de ea quæ in nobis eſt fide & ſpe reddere rationem; illos quos miſeris caritative tractabimus, & patienter quidquid proponere voluerint, audiemus, & tam plene, donante Domino, ſatisfaciemus eiſdem, quod amoto cujuſlibet dubietatis ſcrupulo, fidei veritatem agnoſcent, & in agnita ſalubriter gloriantes, ad te cum gloria remeabunt. Ipſis quoque apocriſariis tuis, cum de præmiſſa profeſſione fidei eis, ut præmittitur, copiam fecimus, clementer obtulimus benigne eis ſatisfacere, ſi ſuper eo in aliquo dubitarent.

13. Ideoque excellentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obſecrantes, quatenus diligenter attendens, quantum tibi accreſcet ad meritum, quantum accedet ad gloriam & exaltationem tui nominis ampliandam, ſi datum tibi deſuper fuerit, ut oves quæ perierant, tuæ diligentiæ ſtudio, ad caulam Domini reducantur, ſi tuis fiat laboribus, ut unum ſit ovile, unuſque paſtor Latinorum & Græcorum populis, tuis temporibus in unitate præmiſſæ orthodoxæ fidei adunatis, ſic ſtudeas habilitare materiam, ſicque animos tuos tuorumque diſponere, quod in prædictorum apocriſariorum noſtrorum adventu, te ac præmiſſis clero & populo præſcriptam humiliter ſuſcipientibus, & fideliter profitentibus fidei veritatem, facilis ſit ad reliqua, Domino favente, proceſſus. Quod ſi poſtquam taliter ſuppoſitam tu iidemque clerus & populus veritatem fidei ſuſceperitis ac profeſſi fueritis, & ad obedientiam, ut præmiſimus, ejuſdem veneritis matris eccleſiæ, concilium per ſedem ipſam ad locum, qui ad hoc eidem ſedi videatur idoneus, convocari petieritis, ad caritatis vinculum inter Latinos & Græcos fœdere perpetuo roborandum, legatos ſuper hoc ad nos poteritis deſtinare, quibus, favente Domino, reſponſum dabitur, quo tuum deſiderium ſatiari poterit & debebit.

14. Ad præmiſſæ igitur tam ſalutiferæ unionis ſalutare commercium, ſollicitudo tuæ ſublimitatis intendat, & ut animarum & corporum diſcrimina, quæ ingerit inveterata diſſenſio præcidantur, præmiſſa, quæ paterna monitione requirimus, implere feſtinet: ſciturus quod occaſione tractatus hujuſmodi, nec his qui a tua magnificentia ſe gravatos eſſe queruntur, ſicut nec debemus in ſua juſtitia deeſſe, proponimus, nec a proſecutione tanti negotii per alias vias, quas ad animarum ſalutem Dominus miniſtraverit, deſiſtemus.

EPISTOLA TERTIA COLLEGII cardinalium Albanenſi epiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato.

Committit collegium, ſede vacante, ad inſtantiam regis Franciæ, negotium reconciliationis Græcorum epiſcopo Albanenſi.

Inter cetera, quæ in excellenti & Chriſtianiſſimo principe domino Ludovico rege Francorum illuſtri, dignis in Domino laudibus attollenda recti judicii cenſura dijudicat, ſingularem ipſius zelum ad incremeuta fidei orthodoxæ conſiderationis oculis intuentes, in vocem exultationis & confeſſionis erumpimus, & exultantes in Domino ac ejus beneficia confitentes, ipſi ſuper hoc vitulum labiorum exſolvimus, a quo dicto regi credimus pia miſeratione conceſſum, ut & alias affluenter caritatis ubera in opere pietatis effundat; & pro defenſione ipſius fidei, quaſi abnegans ſemetipſum, ad id ſe, & ſuos ſua promtitudine ſpontanea exponendo, ſic illius ſpecialem ſe exhibeat defenſorem, & in ejus dilatatione miniſtrum, quod laudabilium evidentia operum ſatagit eidem fidei non ſolum filios ab initio alienos venire, ſed & per erroris devium alienatos ab ipſa ſuæ ſollicitudinis ſtudio ad ejus reducere unitatem, ſicut Terræ-ſanctæ negotium auſpiciis, Deo auctore, felicibus per eumdem tam feliciter aſſumtum, & porrecta nobis ex ipſius parte ſuper Græcorum reconciliatione petitio, liquido proteſtantur.

2. Nuper ſiquidem nobis præfatus rex, religioſis viris fratribus Eustachio de Attrebato & Lamberto de Cultura ordinis fratrum Minorum, ſuis nunciis, & litteris ad noſtram præſentiam deſtinatis, expoſuit, quod magnificus vir Palæologus eorumdem Græcorum imperator illuſtris, per apocriſarios & litteras eidem regi expoſuit, quod ipſe, clerus & populus ſuæ ditioni ſubjecti, deſiderantes ad obedientiam eccleſiæ Romanæ redire, ipſique in ejuſdem fidei profeſſione uniri, varios ſuper hoc nuncios & litteras ad ſedem apoſtolicam deſtinarant; quo-

rum etiam aliqui in via detenti, non pervenerunt ad eamdem, & frequenter ac humiliter ad hæc postularant admitti, nec adhuc eorum circa id fuerat desideriis satisfactum, & apud eumdem regem super hoc multiplicatis nunciis & litteris institit, deposens instanter, ut ipse rex in tam pio & utili negotio, arbitri partes assumens, ad ipsius consummationem sollicita intenderet pietate. Ipse namque imperator, ut suis verbis, prout nobis referuntur, utamur, se velle regem eumdem arbitrum in hoc constituere asserens, promittebat quidquid idem rex super hoc diceret, se plene ac inviolabiliter observaturum. Et ut circa hoc suum magis ostenderet dictus imperator affectum, prædictum regem adjurabat per aspersionem sanguinis Jesu-Christi, quod nequaquam assumere onus hujusmodi recusaret; & si secus faceret, ad summum judicem, ut ipse rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellabat.

3. Propter quod memoratus rex solitum prosequens ad ejusdem fidei augmenta propositum, & ad præfatam Romanam ecclesiam consuetæ non omittens devotionis affectum; sed prudenter attendens ac humiliter cognoscens, quod suum non erat tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad ejusdem sedis examen, etiam ad ipsius imperatoris instantiam, officium usurpare; consulte respondit, quod in eodem negotio hujusmodi partes nequaquam assumeret; sed pro ipsius salubri consummatione apud eamdem sedem, ad quam id pertinet, libenter instaret. Ne itaque negotium, cujus expeditio, si eam concedet Altissimus, tot animarum discriminibus obviat, eisque viam aperit ad salutem, in prosecutione defectum aliquem patiatur, ac nobis, quibus nunc, eadem sede vacante, cum alius qui hoc possit tempore vacationis hujus non superstit, spectat providere, humiliter per eosdem nuntios suos postulavit, ut negotii executionem ejusdem sollicitudini vestræ committere curaremus.

4. Nos autem, quæ per sedem ipsam de nostro consilio acta novimus in præmissis, commemoratione sollicita recensentes, invenimus, quod tempore felicis recordationis Urbani papæ IV. religiosi viri fratres quondam Simon de Alvernia ejusque collegæ prædicti ordinis, per eumdem papam ad sæpedictum imperatorem, post aliquos receptos ab eo nuncios & litteras, cum certis sub certa forma litteris destinati, de dogmatibus fidei & ecclesiasticis ritibus, ac insuper de reformanda concordia super aliis inter papam & imperatorem eosdem ac Græcorum populum tractaturi, apud eumdem imperatorem aliquandiu mora facta; cum non possent assequi quod volebant, tandem recipientes quod poterant obtinere, in quam- A dam cum eodem imperatore dicuntur convenisse scripturam, certos articulos continentem, præfato imperatori bona fide spondentes, se apud sedem instituros eamdem, quod quantum esset in eis, ut scripturam ipsam sedes eadem acceptaret.

5. Postmodum vero memorato pontifice viam universæ carnis ingresso, & recolendæ memoriæ domino Clemente papa IV. eidem in apostolatus officio substituto, quidam præfati imperatoris nuncii, cum ejus litteris ad ipsius domini Clementis præsentiam accesserunt, quibus ab eo secreto primo, ut eis placuit, & postmodum publice in nostra præsentia benigne auditis, idem pontifex B Clemens super fidei veræ dogmatibus, non contentiosæ disputationis certamine, sed verbis simplicibus & evangelicæ consonis veritati, conferre voluit cum eisdem, ipsisque de nostro collegio ad discutiendum cum eis familiari colloquio, quibus modis quibusve gradibus posset idem negotium consummari, obtulit tractatores. Sed ipsi proponentes finaliter, quod nec ad disputandum nec ad tractandum aliquid venerant, recusaverunt utrumque, prædictam scripturam ab eo roborari petentes, cum tamen confiterentur C super hoc vel ad corroborandum ipsam scripturam, pro parte imperatoris ejusdem ab eo, clero & populo supradictis, potestatem vel in scriptis, aut alias mandatum aliquod non habere, prædictæque ipsius imperatoris litteræ de fratribus aut scriptura præmissis, vel quod eisdem nunciis fides adhiberi deberet, nullam penitus facerent mentionem. Super quo licet fuerit idem papa Clemens non indigne miratus, tamen ne ipsos nuncios contemnere videretur, benigne ostendit eisdem, quod dicti fratres ad approbandum D scripturam eamdem, nullam a dicta sede habuerant potestatem, sed ipsis tractatus sui summam ipsi sedi referre, illiusque approbationem ejusdem sedis arbitrio reservare. Quod & ipsimet consultius attendentes, fuerunt circa finem scripturæ præfatæ confessi, ex injuncti sibi ministerii debito, dictæ sedi inventa renunciare debere, non usurpantes approbatoris officium, sed ad optinendam approbationem a sede prædicta, suæ, ut præmittitur, instantiæ ministerium promittentes.

6. Sane petitionem ab eis nunciis de approbatione dictæ scripturæ propositam idem summus pontifex, scripturæ ipsius inspecto E tenore, cum nonnulla quæ continebantur in ea, nec utilia nec accommoda, immo dispendiosa potius & damnosa eidem negotio non immerito reputaret, ipsius negotii qualitate pensata, de nostro consilio non admisit, maxime cum, ut superius est expressum, sæpefati ejusdem imperatoris nuncii, ad eam pro ipso, supradictis clero & populis roborandam, potestatem aliquam non haberent,

nec ipſe imperator vel per fratres coſdem, qui longam moram traxerant apud eum, vel alios, elapſo jam nunc fere triennio, ſuper hoc aliquid miſiſſet ſcripto vel verbo, propter quod veriſimiliter credi poterat, receſſiſſe ab ea; quæ tamen etiam ex ſui qualitate non fuerant approbanda. Verum ut omnia in luce procederent, & de his quæ ad fidem & veritatem pertinent explicite, non ſub involucro ageretur, nec tam ſalubre negotium ulterius contingeret per inefficacia verba deduci, memoratus ſummus pontifex CLEMENS aperte ſuas ad eumdem imperatorem litteras directas expreſſit, quid ei, clero & populo ſupradictis faciendum incumberet, ut reverenter ſano freti conſilio, ad ſinum ejuſdem ſacroſanctæ eccleſiæ Romanæ redirent, in eiſdem litteris veræ catholicæ fidei profeſſionem, quam eadem Romana firmiter tenet eccleſia, fideliter docet, conſtanter prædicat, & publice profitetur, quamque ab ipſis imperatore, clero & populo ipſe ſummus pontifex exigens, ipſos profiteri volebat, ſi vellent juxta ejus deſiderium redire ad ipſius eccleſiæ unitatem, ea inſuper, quæ circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, de cujus veritate præfatæ ſcripturæ ſeries continebat, ab eiſdem imperatore, clero & populo acceptari & recipi voluit, plenius explicando. De ipſa præterea fidei profeſſione dictis imperatoris præfati nunciis copiam faciens, clementer obtulit benigne ipſis ſatisfacere, ſi ſuper ea in aliquo dubitarent.

7. Provida quoque deliberatione conceperat, ſicut in litteris prædictis adjecit, apocriſarios aliquos in lege Dei peritos, ad ejuſdem imperatoris præſentiam deſtinare, ut ipſe dictique clerus & populus cum illis, per quorum reſponſionem ei ſatisfieri poſſe, Domino concedente, ſperabat, ſuper præmiſſis conferre valerent: ita ut ſi nihilominus aliquid ipſius imperatoris ſuorumve animos concuteret aut turbaret, propter quod aliqua de his quorum, ut præmittitur, exigebatur profeſſio, vererentur forſitan profiteri, aliqui de petitionibus ejuſdem cleri & populi ad ipſius pontificis præſentiam mitterent, qui eos, quos apud ipſum mitti contingeret, ſe tractaturum caritative, ac ea quæ vellent proponere, patienter obtulit auditurum, & taliter, donante Domino, id ſatisfacturum eiſdem, quod amoto cujuſlibet dubietatis ſcrupulo, fidei agnoſcerent veritatem. Et licet idem papa CLEMENS apocriſarios hujuſmodi, pro eo quod aliqui de his qui ad id fuerant de longinquis partibus evocati, & ipſimet morte præventi fuerant, nequiverit prout diſpoſuerat deſtinare, tamen memoratum imperatorem per eaſdem ſuas litteras monuit, rogavit, & hortatus eſt in Domino JESU-CHRISTO, ipſum per aſperſionem pretioſi ſanguinis obſecrando, ut diligenter attendens, quantum ad meritum ſibi accreſceret, quantum accederet ad gloriam & exaltationem ſui nominis ampliandam, ſi ſuis proveniret laboribus, ut unum fieret ovile, unuſque paſtor Latinorum & Græcorum populis, ſuis temporibus in unitate præmiſſæ orthodoxæ fidei adunatis, ſic ſtuderet habilitare materiam, ſic animos ſuum ſuorumque diſponere, quod in præmiſſorum apocriſariorum adventu, ipſo imperatore ac prædictis clero & populo præſcriptam humiliter ſuſcipientibus, & fideliter profitentibus fidei veritatem, facilius foret ad reliqua, divina gratia favente, proceſſus. Et ſi poſtquam taliter iidem imperator, clerus & populus eamdem veritatem fidei ſuſcepiſſent ſorentque profeſſi, & ad obedientiam, ut præmiſſum eſt, ejuſdem veniſſent eccleſiæ matris ſuæ, per ſedem ipſam ad locum, qui eidem ſedi videretur idoneus, idem imperator peteret concilium convocari, ad caritatis vinculum inter Latinos & Græcos fœdere perpetuo roborandum, legatis quos per ipſum imperatorem ad id petendum contingeret deſtinari, reſponſum, Domino favente, daretur, quo ſuum deberet & poſſet deſiderium ſatiari. Ad hæc idem dominus papa CLEMENS in prædictis ſuis litteris aperte eidem imperatori prædixit, quod occaſione tractatus hujuſmodi, nec illis, qui ſe ab eodem imperatore quererentur eſſe gravatos in ſua deeſſe juſtitia, nec a proſecutione tanti negotii per alias vias, quas ad animarum ſalutem Dominus miniſtraret, deſiſtere intendebat.

8. Quocirca debita meditatione penſantes tam ſalubre negotium, tam utiliter, tamque perpenſo conſilio & exacta maturitate diſpoſitum, non immutatione ſed proſecutione potius indigere: inſtantiæ memorati regis Francorum, in votiva admodum expeditione ipſius negotii noſtris deſideriis concurrentis, conſenſu promto concurrimus; & præmiſſa vobis ad plenioris inſtructionis auxilium ſerioſius exponentes, executionem prædicti negotii fraternitati veſtræ præſentium tenore committimus, ut in ipſo juxta præmiſſarum ejuſdem domini papæ CLEMENTIS litterarum tenorem, quem vobis ſub ſigillis noſtris de verbo ad verbum ſine immutatione aliqua deſtinamus, ſecundum datam vobis a Deo prudentiam procedentes, imperatorem, clerum & populum memoratos ad ejuſdem fidei orthodoxæ profeſſionem & acceptandam, & recipiendum ipſius eccleſiæ Romanæ primatum, juxta ſubſcriptam formam, idoneis ſecuritatibus & cautelis adhibitis, admittatis. Volumus ſiquidem, quod in concilio de Græcis generaliter congregando, memoratus imperator, patriarcha Græcorum, archiepiſcopi, epiſcopi, archimandritæ, abbates, & alii eccleſiarum prælati, clerus & populus ſupradicti, eamdem fidei

veritatem & primatum eccleſiæ Romanæ, juxta ſeriem in præmiſſis litteris ejuſdem domini papæ CLEMENTIS expreſſam, plene ac ſerioſe lectam, & expoſitam fideliter, explicite ac aperte hoc modo recognoſcant, acceptent & profiteantur, præſtito juramento.

9. *Ego..... Græcorum imperator ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt & fideliter expoſita, veram, ſanctam, catholicam & orthodoxam fidem eſſe cognoſco: eam accepto, & corde & ore profiteor; ipſamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo umquam tempore receſſurum, quoquo modo deviaturum vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, recognoſco, accepto, & ſponte ſuſcipio, & me omnia præmiſſa, tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervationem, præſtito corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. Quod ſi contra hæc aliquid ſentire, confiteri, aut alias agere præſumſero, me ſchiſmaticum & anathematizatum eo ipſo recognoſco, ac ſeveritati ſacrorum canonum ſubjacere. Huic autem præſcripto de mea recognitione, acceptatione, profeſſione, ſuſceptione, promiſſione, ac juramenti præſtatione ſponte mea facto, lecto & perlecto, ſponte ſubſcripſi, & ſigillum meum apponi feci.*

10. Porro a prælatis erunt prædicta & alia exigenda, videlicet ut & manualem obedientiam & reverentiam exhibeant, & ſe ab illa nullo umquam tempore receſſuros, præſtito juramento promittant; & nihilominus in eorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prædicare aut occulte ſuadere præſumant, adjiciendis nihilominus veſtra ſollicitudine in omnibus profeſſionibus, quas fieri continget, aliis idoneis ſecuritatibus & cautelis, quas vobis facti circumſtantiæ ſuggerent exigendas. Ceterum ad faciliorem & pleniorem conſummationem prædictorum expedire putamus, ut per ſingula loca inſignia illarum partium perſonas idoneas deſtinetis, per quas profeſſiones ſimiles in locis eiſdem cum ſolemnitate ac obſervatione ſimili admittantur. De hujuſmodi autem profeſſionibus fient publica inſtrumenta, multiplicanda in varia omnino ſimilia, & ſigillanda ſigillis authenticarum perſonarum, quas contigerit eſſe præſentes, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla poſſitis deponere, ſi & prout videritis expedire, & alia per diverſos nuncios propter inopinatos caſuum fortuitorum eventus ad ſedem apoſtolicam, ut in ejus conſerventur archivis cum cautela & diligentia omnimode remittatis, & ut quanto ſolemnius & ſalubrius eſt negotium, tanto in eo ſtudioſius procedatur, veſtris volumus cura & ſtudio provideri, ut in cathedralibus & aliis ſolemnibus eccleſiis & monaſteriis locorum, in quibus profeſſiones eædem fient, in libris authenticis redigantur in ſcriptis, ut in futurum conſervent rei geſtæ memoriam, & ipſius recentem poſteris notitiam repræſentent, diligentius conſervanda.

EPISTOLA IV. COLLEGII cardinalium, regi Franciæ illuſtri.

Ut rex Franciæ intendat ſollicite circa negotium reconciliationis Græcorum commiſſum epiſcopo Albanenſi.

1. INter cetera quæ in vobis tamquam in Chriſtianiſſimo principe dignis in Domino, &c. *ut in præcedenti uſque* exſolvimus, a quo vobis pia miſeratione conceſſum, ut & alias affluenter caritatis ubera in pietatis opera effundatis, & pro defenſione ipſius fidei quaſi abnegantes totaliter voſmetipſos, ad id vos, veſtros & veſtra, promtitudine ſpontanea exponendo, ſic vos ſpecialiter exhibeatis defenſorem ipſius, & in ejus dilatatione miniſtrum, quod laudabilium evidentia ſatagitis operum, eidem fidei non ſolum filios ab initio alienos unire, ſed per erroris devium alienatos ab ipſa veſtræ ſollicitudinis ſtudio ad ejus reducere unitatem, ſicut terræ ſanctæ negotium auſpiciis, Deo auctore, felicibus per vos tam potenter aſſumtum, & porrecta nobis ex parte veſtra ſuper Græcorum reconciliatione petitio liquido proteſtatur. Nuper etenim religioſis viris fratribus EUSTACHIO & LAMBERTO ordinis fratrum Minorum veſtris nunciis & litteris ad noſtram præſentiam deſtinatis, nobis exponere curaviſtis, quod magnificus vir PALÆOLOGUS eorumdem Græcorum imperator illuſtris, per apocriſarios & litteras vobis expoſito, quod ipſe, clerus, & populus ſuæ ditioni ſubjecti deſiderantes ad obedientiam eccleſiæ Romanæ redire, ipſique in ejuſdem fidei profeſſione uniri, varios ſuper hoc nuncios & litteras ad ſedem apoſtolicam deſtinaverant, quorum aliqui in via detenti, non pervenerunt ad eamdem, & frequenter ac humiliter ad hoc poſtularant admitti, nec adhuc eorum circa id fuerat deſideriis ſatisfactum, apud vos ſuper hoc multiplicatis nunciis & litteris inſtitit, depoſcens inſtanter, ut in tam pio & utili negotio partes arbitri aſſumentes, ad ipſius conſummationem ſollicita niteremini pietate. Ipſe namque imperator, ut ſuis verbis, prout nobis referuntur, utamur, ſe velle vos arbitrum in hoc conſtituere aſſerens, promittebat, quidquid ſuper hoc diceretis, ſe plene & inviolabiliter ſervaturum. Et ut circa id ſuum magis oſtenderet dictus imperator affectum, adjurabat vos per aſperſionem Sanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI, quod

nequaquam onus hujuſmodi recuſaretis aſſumere; ſi ſecus faceretis ad ſummum judicem, quod coram eo de hoc rationem redderetis in extremo judicio appellando. Propter quod vos ſolitum proſequentes ad ejuſdem fidei augmenta propoſitum, ad præfatam Romanam eccleſiam conſuetæ non amittentes devotionis affectum, ſed prudenter attendentes, ac recognoſcentes humiliter, quod veſtrum non erat, tale in eodem negotio, quod ſpecialiter pertinere dinoſcitur ad ejuſdem ſedis examen, etiam ad ipſius imperatoris inſtantiam officium uſurpare, conſulte reſpondentes, quod in eodem negotio nequaquam partes aſſumeretis hujuſmodi; ſed libenter pro ipſius ſalubri conſummatione apud eamdem ſedem, ad quam id pertinet, inſtaretis, ne idem negotium, cujus expeditio, ſi eam concedat Altiſſimus, tot animarum diſcriminibus obviat, eiſque viam aperit ad ſalutem, in proſecutione defectum aliquem patiatur a nobis, quibus, eadem nunc ſede vacante, cum alius qui hoc poſſit, tempore vacationis hujuſmodi non ſuperſit, incumbit in talibus providere, humiliter per eoſdem veſtros nuncios poſtulaſtis, ut negotii executionem ejuſdem venerabilis fratris epiſcopi Albanenſis apoſtolicæ ſedis legati ſollicitudini committere curaremus. Nos autem, &c. *ut in ſuperiori, uſque* intendebat.

2. Quocirca debita meditatione penſantes tam ſalubre negotium, tam utile, tamque propenſo conſilio & exacta maturitate diſpoſitum, non invitatione, ſed proſecutione potius indigere, inſtantiæ veſtræ in votiva nobis admodum expeditione ipſius negotii noſtris deſideriis concurrenti conſenſu promto concurrimus, & præmiſſa eidem legato ad plenioris inſtructionis auxilium ſerioſius exponentes, executionem ejuſdem negotii ſibi commiſimus, ut in ipſo juxta præmiſſarum ejuſdem domini papæ CLEMENTIS litterarum tenorem, quem tam ſibi quam vobis ſub ſigillis noſtris de verbo ad verbum ſine immutatione aliqua deſtinamus, ſecundum datam ſibi a Deo prudentiam proceſſurus; imperatorem, clerum & populum memoratos ad ejuſdem fidei orthodoxæ profeſſionem, & ad acceptandum & recipiendum ipſius eccleſiæ Romanæ primatum, juxta ſubſcriptam formam, adhibitis idoneis ſecuritatibus & cautelis admittat. Volumus ſiquidem, &c. *ut ſupra uſque* ſuadere præſumant. Adjiciendis nihilominus ſollicitudine ipſius legati & noſtra in omnibus profeſſionibus, quas fieri continget, aliis idoneis ſecuritatibus & cautelis, quas facti circumſtantiæ ſuggerent exigendas.

3. Ceterum ad faciliorem & pleniorem conſummationem prædictorum expedire putamus, ut per ſingula loca inſignia illarum partium, perſonæ deſtinentur idoneæ, per quas profeſſiones ſimiles in locis eiſdem cum ſolemnitate ac obſervatione ſimili admittantur. De hujuſmodi autem profeſſionibus fiant publica inſtrumenta, multiplicanda in varia omnino ſimilia & ſigillanda ſigillis authenticarum perſonarum, quas contingerit eſſe præſentes, ut aliqua penes vos & ipſum legatum remaneant, nonnulla deponi poſſint, ſi & prout viſum fuerit expedire, & alia per diverſos nuncios propter inopinatos caſuum fortuitorum eventus, ad ſedem ipſam, ut in ejus cuſtodiantur archivio cum cautela & diligentia, omnino remittantur. Et ut quanto ſolemnius & ſalubrius eſt negotium, tanto in eo ſtudioſius & diligentius procedatur, ipſius legati cura & ſtudio volumus provideri, ut in cathedralibus & aliis ſolemnibus eccleſiis & monaſteriis locorum, in quibus hujuſmodi profeſſiones factæ fuerint, & etiam aliorum, profeſſiones eædem in libris authenticis redigantur in ſcriptis, ut in futurum conſervent rei geſtæ memoriam, & ipſius recentem poſteris notitiam repræſentent, diligentius obſervandæ.

4. Licet autem neceſſarium non credamus vos de ingenti utilitate tanti negotii ammonere, vel excitare ad ejus promotionem regiæ pietatis affectum, cum illum fervere noverimus circa iſta, quia tamen ad felicem ejuſdem negotii conſummationem, per quam inveterati ſchiſmatis ſeminaria omnino tollantur, reintegretur corpus eccleſiæ per illud, tanto membro, eorumdem videlicet Græcorum imperio, tam longis & deflendis temporibus mutilatum; præcordiis totis afficimur, & ad eam plenis deſideriis ſuſpiramus. Serenitatem regiam monemus, rogamus & hortamur in Domino, in remiſſionem peccatorum ſuadentes, quatenus utilitates innumeras, & præcipue animarum ſalutem ex hujuſmodi negotio, Deo auſpice, proventuras pia meditatione penſantes, necnon & attendentes ſollicite, quod circa illud quamquam frequenti repetitione tentatum, pro eo quod, ſicut eventus indicat, dicti Græci non in veritatis ſimplicitate in illo procedere, ſed tempus deducere in cautelis & ſimultatibus intendebant, fruſtrata longæ deductionis ambagibus ſæpefatæ ſedis intentio ad optatum exitum non pervenerit, memorato legato, cui, ſicut per eaſdem noſtras litteras directas ad ipſum, videre poteritis, dicti negotii executio ad veſtræ petitionis inſtantiam demandatur, ſi, annuente Domino, forſan appareat dictos Græcos efficaciter velle procedere in præmiſſis, veſtræ cooperationis ſuffragium in directione ac proſecutione ipſius negotii exhibentes, ad evitandum conſuetæ ſimultatis inſidias, & idem negotium ſecuritatibus & cautelis accommodis reformandum, divinæ retributionis intuitu, & ob reverentiam ſedis ejuſdem ſic ſollicite intendatis, quod vitatis ſciſſuræ antiquæ diſpendiis, & in fidei, caritatis, & obedientiæ unitate,

tate Latinis & Græcis memoratis unitis, eamdem ecclesiam suis reintegratam partibus, & solida membrorum restitutione firmatam, in his verisimiliter timere non oporteat ulterius retroivum, vestraque devotio illi exinde reddatur acceptior, cujus in veritate res geritur, quique labores vestros, quos pro servitio sibi tam grato & accepto subibitis, in retributione justorum inæstimabili munificentia compensabit.

EPISTOLA V. GREGORII PAPÆ X.

Ut imperator Græcorum ad unitatem ecclesiæ redeat, & mittat suos apocrisarios ad concilium generale.

MICHAELI PALÆOLOGO illustri imperatori Græcorum, gratiam per quam gloriam obtineat in futuro.

1. Qui miseratione ineffabili, cum venit temporis plenitudo, vocavit ab Oriente avem, & virum voluntatis suæ de terra longinqua; ipse nos in orientalibus peregrinantes partibus, ut, licet immeritos, ejus vicarium sua sola dignatione statueret, qui ore prophetico avis nomine in metaphora præmissa signatur, vocari ad gerendum apostolatus ministerium, dignanter potius quam digne permittens vota nostra, quæ dum nos minor status haberet, sicut firmiter credimus & fatemur humiliter, in pacis direxit semitas, & eadem a nostræ promotionis auspiciis ad illius commoda in omnes pretioso Christi sanguine redemtos, præcipue autem in Christiani nominis titulo insignitos diffundenda pro viribus accendit, quo salutem animarum ad quam nos & affectus interior afficit, & debitum suscepti officii pastoralis astringit, speramus exinde liberius & efficacius, divina favente clementia, proventuram.

2. Unde quam primum ad locum, in quo cum fratribus nostris sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, quorum speciáliter consilio utimur & auxilio communimur, convenire potuimus, nos, hibernis maris calcatis fluctibus, potentia divina perduxit, nequaquam torpuimus otio; sed non sine gravi amaritudine attendentes præfiguratam in piscatoris Petri rete, quod præ multitudine piscium rumpebatur, sciſſuram universalis ecclesiæ, quam in suis fidelibus, non in fide, pro qua ille qui pro sua reverentia est in omnibus exauditus, se rogasse testatur, ne deficiat fides ejus, aperte videmus non solum damnose divelli, verum & in eorumdem sciſsura casu & eversione fidelium periculose divulsam & ruinis gravibus deformatam, elaborandum summopere fore putavimus, ut illo qui est lapis angularis, utraque unum faciens, & parietem utrumque connectens, sua immensa pietate donante, salubris exquiratur & desiderata provisio, per cujus

A prosecutionem, dicente Domino Aquiloni: da; & Austro: noli prohibere; ipsa mater ecclesia suos afferens filios de longinquo & filias suas ab extremis terræ, sciſsuris cocuntibus, cadentibus relevatis, aversisque conversis, ruinis impletis, & deformitatibus reformatis, diffidentium multitudine in unitate fidei & vinculo caritatis unita juxta prophetæ vaticinium dilatet tentorii sui locum, fines tabernaculorum suorum extendat, & consolidet clavos ad dexteram & lævam penetret, semen ejus gentes hereditet, & desertas inhabitet civitates.

B 3. Hoc est enim quod ab ipso largitore bonorum omnium profundis suspiriis petimus, hocque effusis lacrymis postulamus, ut ipse in cujus unitate fundatur fidei unitas, & unitatis ecclesiasticæ fundamentum, dicente Apostolo, *unus Dominus, una fides*, suam sanctam atque catholicam ecclesiam reintegrando uniat, & uniendo reintegret, in sinu ejus populis universis latinis & græcis specialiter adunatis in fide integra, spe solida & caritate sincera.

4. Et quia hoc, si fons misericordiæ desideriis nostris benignus annuerit, ad communem cederet utilitatem omnium, com-
C muni ad ea deliberavimus consilio insistendum. Ideoque cum eisdem fratribus nostris multisque aliis prudentia & veritatis amore pollentibus deliberatione præhabita, propter hæc, & ad providendum utiliter & efficaciter de necessario terræ sanctæ succursu, de generali morum reformatione, quorum reformatio in clero & populo nimis generaliter obrepsisse noscitur; necnon & propter alia quæ cunctis Christi fidelibus speramus, actore Domino, spiritualiter maxime, ac insuper temporaliter profutura, de ipsorum fratrum nostrorum consilio synodum generalem, universis catholicis mundi principibus
D & ecclesiarum prælatis ad illam per nostras sub certa forma litteras evocatis, indiximus in calendis Martii anni ab incarnatione Domini MCCLXXIV. annuente Domino congregandam. Super quo, licet ab exordio indictionis hujus ad magnificentiam tuam litteras & nuntios disposuerimus destinare, ipsorum tamen consulto suspendimus missionem, anxii exspectantes ut a te super iis quæ felicis recordationis CLEMENS papa predecessor noster noviſsime tuæ celsitudini scripserat, apocrisariis receptis aliquibus,
E nostros plenius mitteremus instructos. Nobis vero de tuorum apocrisariorum exspectatione sollicitis, dilectus filius frater Johannes de ordine Minorum a tua serenitate transmissus, bonus de terra longingua nuntius supervenit, tuas nobis devotione plenas & lætitiæ causa non vacuas litteras repræsentans, in quibus gaudium de nostro quem sperabas ad tuas partes adventu conceptum, & honorem ac reverentiam nobis ut patri

affectuosissimo a te ac tuis velut a dilectis filiis exhibendos, & subsequutum dolorem ex nostro transitu aliunde reverenter exprimeres: inter cetera inferebas nos debere diligenter advertere, qualem affectum & zelum tuum gerit, ut dicebas, imperium ad pacem & unionem populi Christiani; sperans, sicut eædem litteræ continebant, ex hujusmodi nostro adventu distantiam, quam inter pastorem & ovile satanæ induxit suggestio, dissolvendam. Ac deinde in litteris ipsis edicens, quod idem frater tuo dilectus imperio, ut earumdem litterarum verba sequamur, enarraret ore tenus reverentiam quam gerit idem imperium erga summam & apostolicam sedem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris tuæ, & maximum dolorem quem habes propter schismata, quæ intra ecclesiam Christi permanent dolorosa, & præcordialem affectum quem observas thalamo cordis tui pro pace ac unione populi Christiani, & ferventem zelum contra omnes impios crucis vivificæ ac honorabilissimæ inimicos. Demum in calce litterarum ipsarum ejusdem fratris verbis tamquam ex ipsius ore prolatis imperii nos fidem adhibere plenariam petiisti.

5. Sane tantæ ad nos tuæ devotionis indicia, nobis in præmissis exhibita, valde nimirum gratanter accepimus, sed laudabile tuum propositum & affectum ad reparandas ipsius populi Christiani scissuras, ac ipsum in identitate catholicæ fidei & caritatis glutino uniendum, necnon & recognitionem reverentiæ debitæ præfatæ sedi apostolicæ, ipsique Romanæ ecclesiæ matri tuæ, per fratrem & litteras prædictos expressa, cum tanto majori gaudio acceptamus, quanta id credimus Deo acceptius, populo eidem utilius, & tuæ ac ipsorum saluti nostrisque perinde affectibus plenius convenire.

6. Adjicit quoque non modicum ad conceptam ex præmissis cordis nostri lætitiam, quod hujusmodi laudabilem zelum tuum ad ejusdem populi unionem, claræ memoriæ Ludovico regi Francorum illustri, sicut intelleximus, apertius revelasti, & eidem patenter insinuans, quod tu, clerus & populus tuæ ditioni subjecti desiderantes ad obedientiam ejusdem Romanæ ecclesiæ redire, ipsique in ejusdem fidei professione uniri, ac varios super hoc ad eamdem sedem litteras & nuntios destinantes, quorum etiam aliqui in via detenti, non pervenerunt ad eamdem, frequenter & humiliter ad id vos postulastis admitti: nec adhuc tuæ ac ipsorum fuerat instantiæ satisfactum apud eumdem regem, multiplicatis super hoc litteris & nuntiis institistis petens instanter, ut ipse tam pio & utili negotio arbitri partes assumens, ad ipsius consummationem sollicita intenderet pietate; ac insuper, ut tuis verbis prout nobis referuntur utamur, te velle regem eumdem arbitrum in hoc constituere, asserens, promittebas quidquid idem rex super hoc diceret te plene ac inviolabiliter servaturum. Et ut plenius circa hoc tuum manifestares affectum, adjurasse diceris regem eumdem per aspersionem sanguinis Jesu Christi, ne assumere onus hujusmodi recusaret; & ne secus faceret, ad summum judicem, ut ipse rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellasse.

7. Et licet idem rex prudenter attendens ac humiliter recognoscens, quod suum non erat, tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad ejusdem sedis examen, officium usurpare, consulte responderit, quod in ipso nequaquam hujusmodi partes assumeret; sed pro ipsius consummatione apud sedem ipsam libenter instaret, ac propterea litteras & suos ad eamdem sedem nuntios destinaret, qui hæc omnia ipsa tunc sede vacante coram prædictis fratribus retulerunt; ad quorum etiam pro parte ipsius regis instantiam bonæ memoriæ L. Albanensi episcopo, tunc in partibus illis ejusdem sedis legato, super hoc plena commissio facta fuit; tamen ipsis rege ac legato humana de hac luce forte subtractis, processus aliquis haberi non potuit per eamdem.

8. Habent hæc itaque multæ jocunditatis causam, & materiam exultationis in Domino repræsentant. Si enim, prout est de tanto principe supponendum, de arcano mentis ori consonæ in veritate procedant, verisimiliter credi potest, quod ille qui ubi vult spirat, tuum ad tale tam utilis unionis desiderium animum inspiravit. Quæsumus itaque spiritum non extinguas, nec irrita facias quæ ad eamdem tuam matrem ecclesiam, & ad tantum principem per diversos, ut præmittitur nuntios & litteras de tuis dicuntur labiis processisse: sed attende potius & in conspectu attentæ considerationis expande, quod ille, qui est verum caput corporis mystici, ecclesiasticæ videlicet unitatis, juxta illud apostoli, *omnes sumus unum corpus in Christo*, instante suæ passionis articulo, pro hac sibi perplacida unitate legitur signanter orasse; *volo* inquiens, *pater, ut omnes in nobis unum sint.*

9. Si ergo juxta scripturæ sacræ testimonium, consilium ejus stabit, & fiet omnis voluntas ipsius, necesse profecto est hanc unionem impleri. Festina itaque, tolle moras, & consulte tui fac esse muneris, quod omnino alicujus futurum est temporis. Festina, & considerans incertam humani temporis brevitatem, tantum bonum non ultra differendo procrastines, ne forte cum voluntas adfuerit, ad perficiendum quod volueris vita desit; sed celeriter viam salutis & pacis, per desiderabilem cordi tuo, ut tam publice tam laudabiliter profiteris, unionem

Latinorum pariter & Græcorum in unius profeſſione fidei & caritatis ſolidæ unitate tuis ſubditis aperi, tuis poſteris præpara, & incomparabile meritum tibi ſollicite ac prudenter ex tam utili, tam ſalubri præparatione præoccupa. Conſidera, conſidera quam intrepidus, quam ſecurus in extremo judicio coram tremendo judice tantis ad ejuſdem matris gremium tecum tuo miniſterio reductorum ſtipatus cuneis, aliis tuis ad id concurrentibus meritis apparebis. Quam gratus advenies, quam gratanter etiam admitteris, quando comitiva gratiſſima ornandus illorum, quos innumeros, ut ſperamus, de tam numeroſa multitudine quam ad illius ovile ipſo præſtante reduces, tandem ipſe paſtor bonus, qui pro eis animam ſuam poſuit, in dilecta ſua tabernacula introducet, tu in eamdem exultans & jubilans de ſuo munere introibis! O te felicem ſi ad hoc te Dominus præparavit, ſi facultatem, quæ ad ea tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter proſequens, & de contingentibus nil omittens, multis ab olim ad eamdem laborantibus, per diverſos modos & vias tu in labores eorum introiens, pervenias ſolus ad bravium, optatum illorum finem obtineas, & inæſtimabilem gloriam, quam ſpecialiter ſequi debes, finaliter aſſequaris.

10. Ceterum ut ſit incœpti ſuper iis tractatus proſequutio, Deo adjuvante, felicior, & deſideratus exitus promtior, felicis recordationis prædeceſſorum noſtrorum URBANI & ejuſdem CLEMENTIS Romanorum pontificum geſta circa inſtans negotium habita recenſuimus diligenter, & eos, prius de fidei veræ dogmatibus, quam de concordia inter eoſdem Latinos & Græcos in pace mutua ſolidanda tractandum, evidentibus ad hoc inductos rationibus, licet aliud continere tua petitio videretur, elegiſſe comperimus, nec indigne, cum ſpiritualem unionem fides nuntiet, dicente Domino per prophetam; *ſponſabo te mihi in fide*; caritaſque confirmet, egregio gentium doctore teſtante, quod *qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt*, unus profecto cum illo, non tantum identitate ſubſtantiæ, ſed gratiæ participatione ac gloriæ.

11. Memoratus itaque prædeceſſor noſter CLEMENS aprocriſariis & litteris tuis ad ipſius præſentiam ſuper hujuſmodi negotio deſtinatis benigne receptis, & tam ſecrete quam publice, prout eis placuit, plene ac patienter auditis, multiſque aliis ejuſdem negotii utilitate ac juſtitia exigente peractis, quæ ipſius prædeceſſoris Clementis litteræ per eoſdem tuos apocriſiarios ad te miſſæ ad tuam, ut credimus, notitiam detulerunt. Demum ut hujuſmodi conjunctionis ſpiritualis initium, ipſius conſummationem ordinate præcederet, idem prædeceſſor CLEMENS ad utilem & finalem expeditionem tanti negotii, præmiſſum ordinem, quem rationibus probaverat, facto etiam approbavit. Et ne ultra contingeret idem negotium per inefficacia verba deduci, manifeſte in prædictis litteris ſuis expreſſit, quid tibi, tuis, clero & populo ſupradictis faciendum incumberet, ut reverenter ad ejuſdem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſinum tu & ipſi ſano freti conſilio rediretis, in eiſdem litteris veræ catholicæque fidei profeſſionem, quam eadem Romana firmiter tenet, fideliter docet, conſtanter prædicat & publice profitetur eccleſia, quamque a te, tuis, clero & populo ſupradictis idem prædeceſſor noſter expoſtulans, te ac ipſos profiteri, ſi velletis juxta ejus deſiderium redire ad eccleſiæ unitatem, ea inſuper quæ circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum a te ac ipſis tuis clero & populo acceptari & recipi voluit plenius explicando.

12. De ipſa præterea fidei profeſſione dictis tuis apocriſariis copiam faciens, clementer obtulit eiſdem ſatisfacere, ſi ſuper ea in aliquo dubitarent; adjecto nihilominus in litteris ſupradictis, qualiter provida deliberatione conceperat aliquos in lege Dei peritos ad tuam præſentiam deſtinare, cum quibus tu, iidemque tui clerus & populus ſuper præmiſſis conferre poſſetis; & quod nihilominus ſi aliquid tuum tuorumve animos concuteret aut turbaret, propter quod aliquid de contentis in præſcriptæ fidei profeſſione tu vel ipſi vereremini profiteri, aliquos de peritioribus eorumdem tuorum cleri & populi mitteres ad eumdem, quibus ſe paratum obtulit, ſicut eadem Romana eccleſia parata ſemper extitit & exiſtit, omni poſcenti de ea quæ in ipſa eſt fide ac ſpe reddere rationem.

13. Quamquam autem hujuſmodi ſuos apocriſarios, pro eo quod aliqui ex eis qui ad hoc fuerant de longinquis partibus advocati, & ipſemet morte præventi fuerunt, non potuerit mittere, ut concepit; tuam tamen excellentiam per eaſdem ſuas litteras monuit, & variis exhortationibus invitavit inſtanter, ut ſic ſtuderes habilitare materiam, ſic animos tuum tuorumque diſponere, quod in eorumdem apocriſariorum quos ad te, ut prædicitur, mittere ſperabat adventu, te ac prædictis tuis clero & populo præſcriptam humiliter ſuſcipientibus & fideliter profitentibus fidei unitatem, facilis foret ad reliqua, divina gratia favente, proceſſus. Ad quorum proſecutionem & ſpecialiter ad caritatis vinculum inter eoſdem Latinos & Græcos ſolido fœdere conſummandum, ſi poſt receptionem & profeſſionem ejuſdem fidei, & poſtquam ad obedientiam ejuſdem Romanæ eccleſiæ tu ac iidem tui clerus & populus rediiſſetis, ad locum, de quo eadem Romana expedire videret eccleſia, generale concilium peteres convocari, ſatis aperte ſpem tribuit, quod tuum in hoc deſiderium

adimpleret, non ad prædictæ diſcuſſionem vel novam diffinitionem fidei, quam tamquam innumeris ſacræ paginæ auctoritatibus, numeroſis ſanctorum patrum ſententiis & Romanorum pontificum ſtabili diffinitione firmatam, nec ipſe voluit, nec nos intendimus, ſicut nec decet nec foret expediens, in dubium novo ipſam exponendo examini revocare. Cujus ſeriem ad majorem certitudinem, ne forſan ejus copiam caſus abſtulerit, vel illius memoriam obliterarit oblivio, necnon & illorum quæ circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum idem predeceſſor CLEMENS ate, tuis clero & populo ſupradictis acceptari & recipi voluit, licet eadem per prædictas ipſius prædeceſſoris Clementis litteras ad tuam notitiam perveniſſe credamus, præſentibus duximus annectendam quæ talis eſt: *Credimus ſanctam Trinitatem, &c.* ut in prima uſque *in quibuſcumque aliis ſemper ſalva.*

14. Nos igitur debita meditatione penſantes, idem negotium tam utiliter, tam perpenſo conſilio & exacta maturitate diſpoſitum, & electum ad executionem ipſius ab eiſdem prædeceſſoribus noſtris ordinem imitandum potius quam mutandum, dilectos filios religioſos viros fratres Hieronymum de Euſcolo, Raymundum Berengarii, Bonagratiam de ſancto Johanne in Perſeceto, Bonaventuram de Mugello de ordine Minorum, viros quidem pauperes ſpiritu, ſed divites fide, mundi hujus contemtis divitiis, ceteriſque abjectis illecebris, poſt Chriſtum, ſimul in unum, divitem & pauperem, per ſuorum, quantum eis ab ipſo conceditur, gradiendo ſemitam mandatorum, ipſius veram ſapientiam imitantes, decrevimus ad tuam celſitudinem deſtinandos. Ideoque magnificentiam tuam monemus, rogamus & hortamur in unigenito Dei filio JESU CHRISTO per ſuæ crucis myſterium & immenſum redemtionis humanæ beneficium in caritatis viſceribus obſecrantes, quatenus ipſos benigne recipiens, & ad illum reſpiciens, ſalutis & pacis actorem, qui operatus eſt in medio terræ ſalutem, qui oriens ex alto pacem ſibi acceptam, & ab omnibus acceptandam evidenter oſtendens, eam in ortu ſuo angelorum miniſterio bonæ voluntatis hominibus nuntiavit, & inter homines converſatus, verbo docuit, prædicavit exemplo, ut ad ovile Domini redeas, ac ipſos tuos clerum & populum, eo concedente, reducas, tibi & ipſis quietem tribuas, innumerabilibus periculis animarum & corporum rerumque diſpendiis, quæ guerrarum induceret, quam avertat Altiſſimus, horrenda calamitas, prudenter occurras, & de tam pii negotii conſummatione in æternum tibi memoriale conſtituas, hujuſmodi ſalutarem unionem Latinorum & Græcorum, quam tibi votivam admodum evidentibus fateris affatibus, ſedulis proſequuturus affectibus, præſcriptam catholicæ fidei unitatem, immo puram & ſolidam veritatem agnoſcas, ſuſcipias corde humili & ſincero, & coram eiſdem fratribus apocriſariis veſtris profiteariſ ore veridico ac fideli. Præmiſſum etiam ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum ad illius obedientiam ſpontaneus veniens recognoſcas, ipſum acceptes & ſponte recipias: prædictoſque tuos clerum & populum ipſam fidem ſimiliter profiteri, ſuſcipere, ac ad obedientiam ipſius eccleſiæ Romanæ venire, primatum ejus recognoſcere ac acceptare procures.

15. Præmiſſis primitiis adimpletis, ad memoratam ſynodum, cui una cum aliis catholicis principibus te decebit, & nos deſideramus & petimus, intereſſe in loco in quo ipſam congregari continget, ut ad cetera quæ imminent, ipſorum & tuo fulti conſilio, ſecurius procedamus, vel perſonaliter venturus, ſi facultas adfuerit, vel apocriſarios magnæ auctoritatis & prudentiæ viros tuo miſſurus nomine, per quos tuum nobis ſuper agendis inibi conſilium reveletur. Peracta ſiquidem hujuſmodi utriuſque populi Latinorum videlicet & Græcorum in prædictis profeſſione fidei, & recognitione primatus, tam ſancta, tam deſiderabili unione, per quam præmiſſum tuum zelum laudabilem, a te verbis & litteris frequenter expoſitum, facto manifeſtabis & probabis apertius, per quam noſtrum & eorumdem fratrum noſtrorum aliorumque Latinorum tibi animos attrahere poteris, & in iis quæ agenda ſupererunt, noſtrum & ipſorum favorem, in quibus ſine offenſa Dei præſtari poterit, merito vendicare, ad præmiſſa ſolide roboranda, commodius, & ad tractatum caritatis inter ipſos Latinos & Græcos radicibus zizaniarum evulſis, omnibuſque diſcordiis, Domino annuente, ſedatis, inviolabiliter ſolidando, tanto efficacius tantoque favorabilius intendemus, quanto liberius tibi de regione diſſimilitudinis jam reverſo, poſt productam in ſpe recuperandæ innocentiæ ſtolam primam, poſt annulum in manu tua ex fidei profeſſione poſitum, condeſcendere poterimus, & ſine conſcientiæ læſione rationabilibus acquieſcere votis tuis. Sic namque præmiſſa cordi noſtro inſident, ſic ad ea totis præcordiis aſpiramus, ut pro eorum executione non ſolum labores impendere, ſed etiam ſuper impendi modicum reputemus.

16. Propter quod, licet tam tibi & tuis hæc via ſalubrior, quam ipſius negotii qualitati ſit aptior, cum fidei puritas conſenſum purum ac liberum exigat, & conditionem aliquam non admittat; tamen ſi peccatis exigentibus populi utriuſque nondum datum eſt deſuper, ut ad ea prædicto modo complenda tuus tuorumque animi ſint parati, nos non intendentes idem ſalutare negotium

desperatione præcidere, sed saltem manuductione qua possumus promovere, tolerabimus patienter.

17. Quod si velis ad sedem eamdem ante prædictam synodum, vel in ipsa synodo, (ut ibi ordine suo prædicta omnia tam circa professionem fidei, cum recognitione primatus ejusdem ecclesiæ Romanæ, quam circa ipsos Latinos & Græcos, dissensionis cujuslibet inter eos sublata materia, in caritate mutua uniendos, plenius & solidius compleantur,) tuos apocrisarios destinare, ad eadem pro te ac ipsis tuis clero & populo facienda, secure cum potestate plenaria solemnes, prout facti qualitas exigit, mittas apocrisarios ad præmissa.

18. Volumus tamen, quod prius tam tu, serenitatis tuæ apices, quam omnes, vel saltem patriarcha Græcorum, & aliqui alii majores prælati ejusdem imperii, prædictis nostris nunciis (in forma quam destinamus sub bulla nostra, per ipsos tibi, cum eis te ac eosdem tuos clerum & populum ad hoc procedere velle patuerit, ostendendam,) litteras concedatis de præmissis professione fidei, & recognitione primatus ejusdem ecclesiæ Romanæ, primo apud nos per eosdem solemnes mittendos apocrisarios, (Domino viam ad sedandas inter eosdem Latinos & Græcos discordias alias demonstrante,) tuo & tuorum nomine ineffabiliter faciendis, & postmodum per te, prælatos omnes, ac tuos clerum & populum supradictos, cum a sede ipsa mandatum fuerit, personaliter iterandis. Nos enim eosdem tuos apocrisarios concessis prædictis tuis apicibus & prælatorum litteris destinandos recipiemus alacriter, caritative tractabimus, & ad consummationem præmissorum cum omni diligentia, prout Dominus concesserit, procedemus; & nihilo minus super sedatione discordiarum ipsarum, tam per ipsos apocrisarios, quos ad præsens mittimus, quam per alios hinc inde mittendos, poterit interim tractatus haberi, & exquiri diversæ viæ ac modi, qui ad expeditionem faciliorem idem negotium, favente Domino, præparabunt.

19. Quia vero cordi nobis est, de ipso negotio saltem in eadem synodo providere salubriter, & ideo desideramus, quod diu ante ipsam ad nos de illorum exitu felici utinam perveniat certitudo, celsitudinem tuam affectuose requirimus, & rogamus instanter, ut eosdem fratres apocrisarios nostros feliciter & sic celeriter studeas expedire, quod redeuntes cum tuo certo ad præmissa responso, dictum tempus pro ejusdem synodi congregatione præfixum adeo valeant commode prævenire, quod ad ejusdem negotii provisionem ante ipsam synodum possit ut decet habilitari materia, sufficientis ad hoc temporis opportunitate concessa. Scire quidem te volumus, quod si eosdem nostros nuntios contra hujusmodi nostrum desiderium retardari contingat, nos de tua responsione incerti, tam utilis negotii prosecutionem per vias, quas ad animarum salutem Dominus aperire dignabitur, propterea nec omittere intendimus nec differre.

EPISTOLA VI. GREGORII PAPÆ X. patriarchæ Græcorum.

Ut patriarcha Græcorum imperatorem inducat ad perficienda ea, quæ sibi per papam mandantur.

1. PAtriarchæ Græcorum spiritum gratiæ salutaris. Multo, sicut te nosse credimus, labore sudatum est, ut inter Latinos & Græcos, subductis seminariis antiquæ scissuræ, vigeret inter eos fidei unitas, consolidaretur inter eos unio caritatis; sed impediente illo, ut credimus, qui primum schisma excitavit in cœlo, nondum est votis laborantium satisfactum: Nos autem de illius omnipotentia spe concepta, qui concordiam in sublimibus operatur, a labore tam utili non putavimus desistendum, sed insistendum potius tanto propensius, quanto fructus ex eo, Deo auspice, proventurus, ipsi erit acceptior, mundo utilior, & saluti convenientior animarum. Et ideo cum fratribus nostris deliberatione præhabita, propter hæc, & ad providendum utiliter de succursu necessario terræ sanctæ, nec non & de reformatione morum, qui videntur in clero & populo graviter deformati, ac aliis quæ animarum salutem respiciunt, & ad statum orbis pacificum actore Domino redundabunt; concilium de ipsorum fratrum consilio indiximus generale, in calendis Martii anni ab Incarnatione Domini MCCLXXIV. annuente Domino, congregandum, universos Catholicos orbis principes & prælatos ad ipsum per nostras sub communi forma litteras advocantes. Et quia tractatum concordiæ inter Latinos & Græcos a felicis recordationis prædecessoribus nostris URBANO & CLEMENTE Romanis pontificibus invenimus laudabiliter ordinatum, ordinem ab ipsis provido approbatum consilio, dignum prosecutione potius quam invitatione censentes, ad feliciorem expeditionem tractatus ejusdem & consummationem tam pii negotii, concedente Domino, promtiorem, ipsum deliberavimus prosequendum. Ad quod magnifico viro MICHAELI PALÆOLOGO imperatori Græcorum illustri nuncios & litteras destinamus, per eas sibi persuasiones varias, qualitati tractatus ipsius aptas & utiles, nec non & alia, quæ ad felicem exitum tam salutaris negotii expedire putavimus, plenius explicando. Quæ cum tibi per easdem litteras innotescenda speremus, consulto præsentibus non duximus repetenda.

2. Quia vero tuum ſpecialiter in his credimus conſilium utile ac auxilium oportunum, fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, per ſua immenſa beneficia obſecrantes, quatenus divinæ remunerationis obtentu, te non ſolum cooperatorem, ſed etiam ſpecialem in his conſtituas promotorem; ad celerem & felicem expeditionem illorum, quæ per eaſdem litteras paternis affectibus & piis deſideriis poſtulamus, ſtudio piæ devotionis intendens, ſic ad illa celeriter exequenda, tam memoratum imperatorem, quam alios qua potes inductionis diligentia exhorteris, & efficacia exhortationis inducas, quod negotio hujuſmodi tuo ſuffragio feliciter conſummato, in retributione juſtorum ab eo, qui nullum bonum ſine remuneratione relinquit, cum ſpe favoris apoſtolici tibi proinde non immerito acquirendi mercedem condignam tam utilis cooperationis, immo potius promotionis ſecurus expectet. Ceterum, quia his, Domino præſtante, peractis, te ac alios prælatos Græcorum, prout priſca conſuetudo ſuggerit, decebit eidem concilio intereſſe, ut una cum principibus & prælatis nobis in dirigendis quæ inibi ſunt agenda, tu & ipſi conſilio & auxilio aſſiſtatis: Rogamus & petimus, ut tu & illi, quibus per te id denuntiari volumus, ad idem concilium, in loco in quo illud congregari continget, perſonaliter veniatis. Nos enim te ac illos benigne recipiemus, caritative tractabimus, & honore quo decuerit proſequemur.

EPISTOLA VII. GREGORII PAPÆ X. Hieronymo de Eſculo, Raymundo Berengarii, Bonagratiæ de S. Johanne in Perſeceto, & Bonaventuræ de Mugello de Ordine Minorum, apoſtolicæ ſedis nunciis.

Quæ forma profeſſionis fidei & recognitionis primatus eccleſiæ Romanæ ſit ab imperatore Græcorum petenda.

1. In litteris, quas magnifico viro Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri per vos mittimus, inter cetera continetur, quod ſi dictus Palæologus velit ante indictum a nobis generale concilium, vel in ipſo concilio, ut ordine ſuo inibi omnia quæ tam circa profeſſionem fidei catholicæ cum recognitione primatus eccleſiæ Romanæ, quam circa Latinos & Græcos, diſſenſionis cujuſlibet ſublata materia, in caritate mutua uniendos, ut in eiſdem litteris præmittitur, plenius & ſolidius compleantur, ſuos apocriſarios deſtinare, mittat ſolemnes, prout negotii qualitas exigit, apocriſarios, cum poteſtate plenaria ad præmiſſa: & in litteris ipſis exprimitur, quod noſtræ voluntatis exiſtit, ut prius tam ipſe imperator apices ſuos, quam omnes, vel ſaltem patriarcha, & aliqui alii majores prælati Græcorum litteras ſuas vobis concedant in forma quam per vos in eiſdem litteris nos prædicimus ſub bulla noſtra miſſuros de præmiſſis, promiſſione fidei cum recognitione primatus, primo apud nos per hujuſmodi ſolemnes mittendos apocriſarios, Domino viam ad ſedandas inter eoſdem Latinos & Græcos diſcordias, alias demonſtrante, ipſius imperatoris Græcorum & ſuorum nomine infallibiliter faciendis, & poſtmodum per ipſum, prælatos omnes, clerum & populum Græcorum, cum a ſede apoſtolica mandatum fuerit, perſonaliter iterandis.

2. Ut igitur formam eamdem, ſicut in litteris præmiſſis edicitur, deferatis, ipſam per verba ſubſcripta vel æquipollentia, eadem tamen ſubſtantia omnino ſervata, vobis concedi volumus, quæ præſentibus duximus exprimenda: quæ præmiſſa ſalutatione qua idem imperator ad nos uti voluerit, talis erit.

Nos Michael, &c. præſenti ſcripto fatemur nos recepiſſe ſub bulla noſtra profeſſionem catholicæ fidei, quam ſacroſancta Romana eccleſia firmiter tenet, fideliter docet, conſtanter prædicat, & publice profitetur, cum expreſſione primatus ipſius eccleſiæ, cujus ſeries talis eſt: Credimus ſane tam, &c. Nos itaque memoratus imperator ſupraſcriptam catholicæ fidei veritatem, coram nobis plene & diſtincte lectam, & aperte & fideliter expoſitam recognoſcimus, & promittimus quod poſtquam in generali concilio a vobis indicto, ſive ante vel poſt ipſum concilium, inter nos, clerum, & populum noſtrum ex parte una, & Latinos ex altera, ſuper diſcordiis exortis hinc & inde, concordia fuerit reformata, eamdem fidem, ſicut præmittitur, infallibiliter primo apud vos in curia veſtra per apocriſarios ſolemnes, prout tanti negotii qualitas exigit, agnoſcemus, ſuſcipiemus corde humili & ſincero, & profitebimur ore veridico & fideli. Præmiſſum etiam eccleſiæ Romanæ primatum, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontanei venientes, recognoſcemus, ipſum acceptabimus, & ſponte recipiemus. Et poſtmodum cum ſedes apoſtolica id mandaverit, præmiſſa tam circa fidei profeſſionem, quam circa primatum ejuſdem eccleſiæ, iterabimus perſonaliter per nos ipſos, prædictoſque clerum & populum procurabimus ſimiliter primo per apocriſarios apud vos, & poſtmodum ad mandatum ipſius eccleſiæ perſonaliter per ſeipſos fidem agnoſcere, profiteri, & ad obedientiam ipſius eccleſiæ Romanæ venire, primatum ejus recognoſcere ac etiam acceptare, vel ſi prædictum verbum *recognoſcimus* haberi non poſſit, recipiantur loco ejus verba hæc ſeu æquipollentia:

Nos itaque memoratus imperator vobiſcum & cum eadem ſancta Romana eccleſia

matre noſtra convenimus in ſupraſcriptam catholicæ fidei veritatem.

3. Et deinde promiſſio de recognitione ipſius fidei cum expreſſione primatus tam per apocriſarios, quam per ipſum imperatorem, ac prædictos clerum & populum facienda, ſicut ſupra ponitur, repetatur. Quod ſi nec prædictum verbum *Convenimus* poſſit haberi, obtineantur ſaltem loco ejus, ſive pro ipſo, verba ſubſcripta vel æquipollentia, deſideramus eamdem fidem agnoſcere, ſuſcipere, & profiteri, ac vobiſcum & cum ſacroſancta Romana eccleſia matre noſtra, ſeu ipſi ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matri noſtræ in ejuſdem fidei profeſſione uniri, & ad ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ obedientiam venire, primatum ipſius recognoſcere, acceptare ac etiam recipere. Et poſt hæc repetatur ſimiliter promiſſio ſupradicta. Litterarum quoque quas a memoratis patriarcha Græcorum & prælatis omnibus vel aliquibus majoribus, vobis, ut prædicitur, concedi volumus, eadem erit forma, mutatis quæ perſonarum diverſitas ſuggeret immutanda.

EPISTOLA VIII. GREGORII PAPÆ X. regi Siciliæ illuſtri.

Ut rex Siciliæ treugas cum Palæologo ad tempus ineat, ne tractatus unionis Græcorum impediatur.

TRactatum de reductione Græcorum ad Romanæ eccleſiæ unitatem, frequenti hactenus repetitione tentatum, ſed ad deſideratum finem, peccatis exigentibus, non deductum, proſequi tamquam Deo acceptum, animarum ſaluti accommodum, mundo utilem, & noſtris valde votivum affectibus, omni qua poſſumus ſollicitudine intendentes, cum fratribus noſtris deliberatione præhabita, diſpoſuimus de ipſorum conſilio nuncios ſpeciales, quoſdam videlicet fratres Minores electos ad hoc, & jam quaſi paratos, ad Palæologum cum noſtris ſub certa forma litteris deſtinare. Verum quia, ſicut nobis a dignis fide ſuggeritur, ipſe, niſi treugis tecum initis, quieta ſibi ad tractandum de præmiſſis & ſecura tempora concedantur, occaſionem aſſumet, & cauſam ex hoc incolorate prætendet hujuſmodi recuſandi tractatum, & forſan ingreſſum ad eumdem; ne tantum bonum, talis prætextu impedimenti, obicem habeat, vel dilationis alicujus diſcrimen incurrat, expedire putamus, ut ſi dictum Palæologum petitioni treugarum hujuſmodi contingat inſiſtere, ad modicum tempus concedantur eidem, infra quod ſtatum tuæ militiæ in illis partibus conſtitutæ non oportebit aliquatenus immutare; ſed ſi potuerit infra illud, prædictis fratribus Minoribus id aſſerentibus, eumdem Palæologum ſuper dicto tractatu de Græcis ad ſinum ipſius Romanæ eccleſiæ in ejuſdem profeſſione fidei cum debita recognitione & ſuſceptione primatus ipſius, annuente Domino, reducendis, non in corde ficto, ſed ſic in veritate procedere, quod ſpes veriſimiliter, immo quaſi palpabiliter poſſit haberi de ſolida unione inter Latinos & Græcos eoſdem, per quam antiqui ſchiſmatis ſeminaria omnino tollantur, inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum imperatorem Conſtantinopolitanum illuſtrem, & te ipſum ex parte una, & eumdem Palæologum ex altera, nihilominus omni diſſenſionis occaſione ſublata, ad quod præmiſſorum, quæ fidem contingunt, expedito tractatu, efficaciter intendimus laborare. Ad requiſitionem eorumdem fratrum ineantur treugæ cum ipſo ulterioris temporis, quod ſufficiat ad prædicta ſuper obſervatione ipſorum, adjiciendis hoc caſu ſecuritatibus idoneis & cautelis, prout facti qualitas ſuggerit, & opportunitas miniſtrabit. Quocirca ſerenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, obſecrantes in Domino JESU CHRISTO, ac in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatenus, ut te conſtituas in tanti boni proſecutione participem, & retributionis ex ea debitæ non expertem, beneplacitis noſtris tua in præmiſſis vota coaptans, aliquos viros diſcretos, de quorum poſſis induſtria & fidelitate confidere, ſecreto propter utilitatem negotii, & tui conſervationem honoris, aſſumas ad partes illas ſub colore alio deſtinandos, & eos ſic in prædictis inſtruere, ſic in omnibus & ſpecialiter quoad navigium pro eis & prædictis fratribus Minoribus tua curet magnificentia præparare, quod eiſdem fratribus Brunduſium pervenientibus, aliquis qui eis de mandato tuo in navigio competenti velit & valeat providere, non deſit, ne propter hujuſmodi defectum, iter retardetur ipſorum; ſed in ipſo abſque ulla tarditate procedant, & iidem tui aſſumendi nuncii eos cum poteſtate plenaria ad prædicta celeriter ſubſequantur, denuntiaturi eiſdem fratribus Minoribus ubi morari proponant, ut ſuper præmiſſis inibi requirantur, cum fuerit opportunum.

EPISTOLA IX. GREGORII PAPÆ X. Siciliæ regi illuſtri.

Ut rex papam certificet de tractatu habito inter ipſum & imperatorem Conſtantinopolitanum ac Palæologum.

SIcut in litteris tam tibi quam ad ceteros Chriſtianitatis principes & prælatos ac alios ſuper concilio congregando directis evidenter apparet, inter cetera in ipſo tractanda, imminet ſpecialis articulus de revocatione Græcorum ad eccleſiæ unitatem, ad cujus proſecutionem eo credimus diligentius intendendum, quo major, ſi Dominus deſi-

deriis noſtris annuerit, ex ipſius conſummatione ſequetur utilitas, ſalus videlicet fere innumerabilium animarum. Propter quod & deſideramus, & veriſimiliter credimus, te ipſum ad votivam negotii executionem hujuſmodi tua vota dirigere, præſertim cum interdum lætanter audiverimus te dicentem, placere Deo in tuis affectibus eſſe præſtantius quolibet commodo temporali, & ideo regalem excellentiam affectuoſe rogantes, ac tibi tamquam ſpeciali eccleſiæ filio & devoto, apoſtolica nihilominus auctoritate mandantes, ut quæ tibi ſuper his ſcribimus ſecreto conſerves. Circumſpectioni regiæ ſecure communicanda decrevimus, quæ ad revocationem prædictam, auctore Deo, felicius & facilius obtinendam credimus expedire. Nobis ſiquidem attentione qua decet vias exquirentibus varias, per quas in prædicto negotio, Deo auſpice, ſalubrius procedatur, occurrit inter alia, quod inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum imperatorem illuſtrem & te ipſum, necnon inter nos ex una parte, & Palæologum ex altera, quædam tractata dicuntur, per quæ in noſtram deducta notitiam pateret nobis via forſan promtior ad prædicta. Quocirca ſerenitatem regiam rogamus & obſecramus in Domino JESU CHRISTO, quatenus ad promotionem tanti & tam inæſtimabilis ac Deo accepti boni prudenter & ſolerter intendens, prædictorum tractatuum ſeriem cum omnibus eorum circumſtantiis, tuumque in his beneplacitum plene ac explicite nobis non differas intimare, ut ex ipſis inſtructi, reddamur ad procedendum in præmiſſis, prout tua etiam intereſſe credimus, de cetero cautiores.

EPISTOLA X. GREGORII PAPÆ X. magiſtro Simoni de Pariſius archidiacono Vindocinenſi in eccleſia Carnotenſi, regis Siciliæ cancellario.

U cancellarius regis cum inducat ad certificandum papam ſuper his ſuper quibus papa requiſivit ipſum.

QUo magis per theſaurum ſcientiæ tibi a Domino creditum, ipſe Lumen luminum animi tui judicium illuſtravit, ut quæ ſunt ſibi placita non ignores; eo illi magis aſtringeris, ut te totum & cuncta ſibi tua devoveas, & in præterita mentis conſtantia beneplacitis ipſius inhærens, perſeveranter illa totis viribus proſequaris. Ideoque conſiderans quam brevis eſt vita hominis, quam incertus eſt exitus, quam frequenter etiam repentinus, quodcumque poteſt manus tua cum omni quæ datur inſtantia operare, proſecuturus inſtantius quæ ipſi tuo acceptiora noveris creatori. Hinc tibi, qui credimus & ipſum regem & temet velle dirigere in divinorum ſemitam mandatorum, confidenter communicamus quæ imminent, ut nobis coopereris in illis, præmium exinde ab illo, cujus res agitur, recepturus. Ecce, fili, grandis profecto inſtat articulus, cujus ſi, clementia divina præambula, votivus daretur eventus, cum ſuper uno peccatore agente pœnitentiam gaudium eſſe angelis cœli teſtetur evangelica veritas, profecto de converſione tam numeroſæ multitudinis averſorum, in exultationis jubilum hierarchia cœleſtis exſurgeret, & angelorum chori novo non immerito tripudio exultarent. Inſtat ſiquidem inter cetera in generali concilio a nobis indicto tractanda, ille nobis propter innumerabilem quaſi animarum ſalutem deſiderabilis admodum tractatus, habendus de revocatione Græcorum ad eccleſiæ unitatem: ad cujus proſecutionem dum ſollicite vias exquirimus, per quas ejuſdem confirmatio deſideranda ſequatur, & ſi difficultates aliquæ non leves videantur occurrere, occurrit tamen inter cetera, quod ſi quid inter memoratum regem & Palæologum hactenus ſit tractatum, non modicum expediret illud in noſtram deduci notitiam, cum proinde ad proſequendum quod intendimus poſſet forſitan via promtior aperiri. Illa inſuper mentem noſtram conſideratio gravius anxiat, quod inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum imperatorem Conſtantinopolitanum illuſtrem & regem eumdem aliqua tractata dicuntur, quæ vel grave poſſent tanto negotio impedimentum afferre, vel per ignorantiam forte vel negligentiam graviter ipſorum imperatoris & regis animos perturbare. Propter quod memorato regi ſuper præmiſſis litteras noſtras dirigimus, tibi primitus præſentandas, devotionis tuæ in virtute obedientiæ ac ſub excommunicationis pœna diſtrictius injungentes, quatenus quæ tibi ſuper hoc ſcribimus, ſecreto conſervans, & eumdem regem ad hujuſmodi ſecreti obſervantiam diligentia qua potes aſtringens, poſt hæc prædictis directis ad eum ſibi litteris præſentatis, ipſum ſuper præmiſſis ſecretius & diligentius alloquaris ex parte noſtra, & ad meritum tibi perſuaſurus eidem, ut tanto bono, tam immenſo & inæſtimabili animarum lucro quantumlibet commodum temporale non præferens, prædictorum tractatuum ſeriem, & ſuum in his beneplacitum, per ſuas non differat litteras intimare: quod ſuper his inveneris nobis celeriter & fideliter per latorem præſentium reſcripturus.

EPISTOLA XI. GREGORII PAPÆ X. regi Siciliæ illuſtri.

Ut rex Siciliæ apocriſariis Palæologi venientibus ad papam provideat de ſecuro conductu.

SIcut ad tuam novimus perveniſſe notitiam, nos tractatum de revocatione Græcorum ad eccleſiæ unitatem a felicis recordationis

dationis prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus inchoatum, de fratrum noſtrorum conſilio proſequentes, nuncios ſpeciales, quoſdam videlicet fratres Minores latores præſentium ad Palæologum cum noſtris ſub certa forma litteris deſtinamus, in quibus inter cetera continetur, ut ſi velit, ad proſecutionem illorum de quibus in eiſdem litteris agitur, ante indictum a nobis generale concilium in ipſo concilio ſolemnes apocriſarios ad nos mittat. Propter quod ne forſan idem Palæologus ſe hujuſmodi apocriſarios, a tua excellentia ſuper ſecuritate non habita, commode mittere non poſſe cauſetur; ſerenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, quatenus circa hæc iſta ſtudeas providere apocriſariis ipſis ad præmiſſa mittendis de ſecuritate in veniendo, morando, & etiam redeundo, prout expedire videris, proviſurus: quod tractatum eumdem occaſione hujuſmodi non contingat aliquatenus impediri.

EPISTOLA XII. GREGORII PAPÆ X. fratri Hieronymo de Eſculo, &c. apoſtolicæ ſedis nunciis.

Ut apoſtolicæ ſedis nuncii provideant apocriſariis Palæologi de ſecuro conductu.

CUm vos ad magnificum virum Palæologum imperatorem Græcorum illuſtrem cum noſtris ſub certa forma litteris deſtinemus, in quibus inter cetera continetur, ut ſi velit ad proſecutionem illorum, de quibus in eiſdem litteris agitur, ante indictum a nobis generale concilium, vel in ipſo concilio ſolemnes apocriſarios ad nos mittat; ne forſan idem imperator ſe hujuſmodi apocriſarios, ſecuritate non habita, commode mittere non poſſe cauſetur, vobis omnibus, vel tribus, aut duobus ex vobis, ſi reliquos impediri contingat, concedendi eiſdem apocriſariis ſecuritatem veniendi ad ſedem apoſtolicam, ibi morandi, & exinde ad propria redeundi, prout videritis expedire, plenam & liberam auctoritate præſentium concedimus facultatem, ſecuritate hujuſmodi tantummodo uſque ad dictum concilium duratura. Ex tunc enim, ſi apocriſarios ipſos ad eamdem ſedem venire contigerit, eis ſuper hoc ſedes eadem plenius providebit.

EPISTOLA XIII. GREGORII PAPÆ X. Michaëli Palæologo Græcorum imperatori illuſtri.

Lætatur papa de intentione quam habet Palæologus circa negotium unionis, & rogat ut perſeveret in eo, & nuncios mittat.

1. LItterarum ſeries, quas nobis noviſſime tua magnificentia deſtinavit, cunctis qui ſpiritu Dei aguntur ipſas audientibus, gaudii & exultationis in Domino materiam ſubminiſtrant. Siquidem circa inſtans unionis Latinorum & Græcorum deſideratæ, perutilis ac Deo acceptæ negotium, & intenſum tuum teſtatur affectum, & votivum illius exitum repromittit. Adjiciens inter cetera, quod cum qualem te oſtendis in verbo, talis & ferventior inveniaris in opere, nullius dubitationis ſcrupulus in noſtro corde remaneat de conſummatione ac perfectione negotii ſupradicti.

2. Hæc quidem catholicos rei conſcios in jubilum excitant animos, ſed multorum circa hoc motus reprimit, quod, ut verum fateamur, quamplures magnæ conditionis & ſtatus aſſerunt unionis prædictæ tractatum ex Græcorum parte diutius in figmentis verborum & ſimultate deductum. Propter hoc & nobis ſuper apocriſariorum noſtrorum qui ad tuam pervenere præſentiam, deliberantibus miſſione, id diſſuaſere frequentius, viam aliam quæ ſe videbatur offerre præ manibus potius ſuadentes.

3. Licet autem illius credulitatis aures non duxerimus inclinandas, hæc tamen excellentiæ tuæ ad ſtimulum quaſi ſollicitationis exponimus, ut attendens quod ex his quæ de prædictis tuis litteris brevis ſupercommemoravit epilogus, & aliis quæ patent latius in eiſdem, te oris tui verbo non ſolum Deo, ſed & univerſis audientibus, ſi famam tuam non negligas, ad conſummationem prædicti negotii quaſi obligaſſe videaris, ad illam ſic ſolerter intendas, ſic efficaciter in veritate procedas, quod tuæ promiſſionis effectu per evidentiam operis apparente, obſtruantur ora inique loquentium, qui celſitudinem tuam libenter forte notarent, quaſi non in ſinceritate debita hoc tam ſalubre negotium proſequaris: ſed & nunc poſt nuncios noſtros tempore tanto detentos, quaſi neceſſitate dilationis ingeſſeris, ſicut hactenus ex eadem parte frequenter ingeſtas aſſerunt, ut & per anguſtias temporis & per inopinatos caſus, qui perſæpe in negotiis tractandis emergunt, deſiderato fructu memoratum negotium fruſtraretur, ne quando nobis ſupergaudeant qui inſultent ac dicant, Ecce quod verebamur accidit: ſicut enim vobis prædiximus, ſolam perditionem temporis habuit veſtrorum miſſio nunciorum.

4. Hæc ſicut ad tuam inſtructionem & proviſionem de paterna dulcedine prodeunt, ita in tuæ conſiderationis attentione dulceſcant. Sic enim ad ſalutem animæ tuæ afficimur, ut & perſonæ in via hac, quam præmiſſæ litteræ te ambulare deſcribunt, zelemus honorem, & deſideremus te diligentiſſimum fore opinionis tuæ cuſtodem, curam habentem de bono nomine, nec famam aliquatenus negligentem. Perſta igitur; noſti enim quod perſeverantiæ palma debetur. Perſta, & quæ te præmiſſæ tuæ litteræ tam

ſollicite incœpiſſe commemorant, & nuncii noſtri, qui ad nos rediere, teſtantur, ſollicitudine continuanda, & quantum facultas permiſerit augmentanda, proſequere ad obtinendum immenſum divinæ retributionis præmium, & memoriale inter homines, de tam pio, tam amabili, Deo & Chriſtianitati tam votivo, tam utili opere in æternum: miſſurus apocriſarios quorum eædem magnitudinis tuæ litteræ pollicentur adventum, cum poteſtate plenaria, & ad omnia quæ noſtrarum miſſarum ad te per eoſdem nuncios litterarum tenor exigit, plene, prout decet, inſtructos, de quorum ſecuro conductu ſicut inſerta tuis litteris petitio continebat, per viam a celſitudinis tuæ nunciis ad nos propter hoc inter cetera deſtinatis, de ſpeciali mandato tuo, ut dicebant, electam, ſalubriter duximus providendum.

EPISTOLA XIV. GREGORII PAPÆ X. regi Siciliæ illuſtri.

Ut rex nunciis Palæologi venturis ad concilium litteram de conductu concedat.

TAmquam rem ex temporis brevitate recentem, regalem adhuc non dubitamus tenere memoriam, quod ad PALÆOLOGUM nuncios deſtinavimus, eum ſuper unionis Latinorum & Græcorum jam dudum initiato tractatu cum debita inſtantia requirentes. Ipſe vero, prout oſtendit litterarum ſuarum ſeries, ſatis efficaciter & devote reſpondens, promittit ſolemnes nuncios plene ad hujuſmodi negotii proſecutionem inſtructos, ad generale quod imminet concilium deſtinare, quibus per nos de ſecuritate petiit provideri. Quocirca ſerenitatem regiam rogamus & obſecramus in Domino, in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatenus prædictis ejuſdem Palæologi nunciis ad idem concilium deſtinandis patentes litteras in forma, quam intercluſa præſentibus cedula exhibebit, non ſolum de plena pro ſe & familiis & bonis eorum in eundo, morando, & redeundo aſſecuratione concedas; ſed etiam quod per totam terram tuæ ditioni ſubjectam recipi [debeant] ſub tuo conductu, ipſos nihilominus in tota terra eadem per aliquot idoneos, quos ad hoc deputandos duxeris, conducturus.

Eodem modo imperatori Conſtantinopolitano illuſtri.

EPISTOLA XV. GREGORII PAPÆ X.

archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipreſbyteris, præpoſitis & aliis eccleſiarum prælatis, ac nobilibus viris marchionibus, comitibus, baronibus, militibus, poteſtatibus, capitaneis, & vicariis eorumdem, necnon conſulibus, conſiliatiis, communitatibus, ſive populis civitatum, caſtrorum, aliorumque locorum ad quos litteræ iſtæ pervenerint.

Super eodem eccleſiarum prælatis & baronibus ac rectoribus civitatum.

Sub ſpe illius angularis lapidis, noſtri videlicet Redemtoris, qui duos ex diverſo venientes parietes in ſua nativitate copulare dignanter incœpit, tractatum de reducendis Græcis ad eccleſiæ unitatem a nonnullis prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus inchoatum aſſumentes, a noſtræ promotionis initiis proſequendum, quoſdam fratres ordinis Minorum ad Palæologum Græcorum imperatorem illuſtrem duximus deſtinandos, eum ſuper unione hujuſmodi cum debita inſtantia requirentes. Ipſe vero, prout oſtendit litterarum ſuarum ſeries, ſatis efficaciter & devote reſpondens, promittit ſolemnes nuncios plene ad hujuſmodi negotii proſecutionem inſtructos, ad generale quod imminet concilium deſtinare, quibus per nos petiit de ſecuritate provideri. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur, & per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus prædictis ejuſdem Palæologi nunciis ad idem concilium deſtinandis, pro ſe, familiis, & bonis eorum, cum ad vos pervenerint, de ſecuro conductu per omnes terras, diſtrictus & loca veſtra, pro apoſtolicæ ſedis & noſtra reverentia, ita liberaliter providere curetis, quod eis felicem ad idem concilium acceſſum ſe habere gaudentibus, nos devotionem veſtram merito proinde commendare poſſimus.

EPISTOLA XVI. GREGORII PAPÆ X. Abbati monaſterii Caſinenſis ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis.

Ut abbas Caſinenſis quam cito venient nuncii Palæologi, ſe ad eos perſonaliter conferat, & ipſos conducat.

VIrum magnificum PALÆOLOGUM Græcorum imperatorem illuſtrem ſuper unione Latinorum & Græcorum, cujus tractatus diutius fluctuavit, per noſtros nuncios duximus, ſicut te noſſe credimus, requirendum: qui apertius ſolito cum multa, prout litterarum ſuarum ſeries manifeſtabat, devotione reſpondens, promittit in eiſdem litteris ſolemnes nuncios proſecuturos efficaciter tractatum eumdem, ad concilium quod imminet, cum poteſtate plenaria deſtinare, petens ipſis de ſufficientis ſecuritatis remedio provideri. Nos autem & per cariſſimos in Chriſto filios noſtros imperatorem Conſtantinopolitanum & regem Siciliæ illuſtres, & per eccleſiarum prælatos, marchiones, comites, & barones, & communia civitatum

ipſis de ſecuritate idonea curavimus provideri. Verum ut proviſio noſtra ſit plenior, volumus & devotioni tuæ præſentium auctoritate mandamus, quatenus quamprimum tibi eorumdem nunciorum adventus ad portum, in quacumque parte regni Siciliæ innotuerit, perſonaliter occurras eiſdem, eos in tua comitiva deducturus ad noſtram præſentiam, & ipſis auctoritate noſtra de competentibus ſecuritatis remediis, compeſcendo etiam per cenſuram eccleſiaſticam omnes quos ad contrarium niti compereris, proviſurus, non obſtante, ſi aliquibus cujuſcumque ſint dignitatis, conditionis aut ſtatus, quod interdici, ſuſpendi, &c.

EPISTOLA XVII. GREGORII PAPÆ X.

Fratribus Hieronymo & Bonagratiæ, ordinis fratrum Minorum.

Ut apoſtolicæ ſedis nuncii ſic inſtent penes Palæologum, quod eos cum ſuis nunciis cito remittat, ut poſſint intereſſe concilio generali.

LAbores veſtros humano penſantes affectu, ad vos propter eos multa compaſſione movemur: ſed dum levamus conſiderationis oculos altius, & attendimus vos in illius ſervitio laborare, cui numquam ſine remuneratione ſervitur, vobis ſuper illis non dubitamus potius congaudendum. Verum non intendimus in talibus plene doctos inſtruere, ſed hortari potius, ut laborum magnitudinem certa ſpes immenſæ retributionis alleviet, & laborantium zelum accendat, quatinus ad obtinendum votivum ſuſceptæ commiſſionis exitum, laborent inſtantius, & ſi augmentum poſſit ipſorum ſollicitudo recipere, inſtantia majoris attentionis intendant, recepturi a Domino illud, ut prætangitur, inæſtimabile retributionis indubitatæ præmium, & apoſtolici favoris augmentum, [proinde non immerito hortari.*] Ceterum, apud magnificum virum PALÆOLOGUM Græcorum imperatorem illuſtrem vos ſpeciáliter inſtare volumus, ut cum ſuis nunciis venturis ad concilium, ſic celeriter vos remittat, quod, actore Domino, eidem concilio poſſitis perſonaliter intereſſe.

* Verba ſuperflua.

EPISTOLA XVIII. GREGORII PAPÆ X.

epiſcopo Panormitano.

Ut archiepiſcopus inducat regem ad dandum litteras nunciis Palæologi de ſecuro conductu.

CAriſſimo in Chriſto filio noſtro CAROLO illuſtri regi Siciliæ, per latorem præſentium litteras deſtinamus, rogantes eumdem, ut nunciis, quos magnificus vir PALÆOLOGUS ad generale concilium quod indiximus, ad proſequendum efficaciter tractatum, qui ſuper unione Latinorum & Græcorum longo tempore fluctuavit, deſtinare promittit, ſuas patentes litteras de ſecuritate concedat, in forma, quam continet cedula dictis nunciis & etiam regi litteris intercluſa. Quocirca fraternitatem tuam affectuoſe rogamus, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus apud eumdem regem ſolerter inſiſtas, ut prudenter advertens, quantum eſſet ei apud Deum & homines oneroſum, ſi per ipſum memorato Palæologo detur occaſio eumdem ſubterfugiendi tractatum, hujuſmodi ſecuritatis litteras in forma prædicta, cum nullum ſit in illarum conceſſione periculum, ſine qualibet difficultate concedat. Hujuſmodi autem noſtrum mandatum ea diligentia proſequaris, quod devotionem tuam exinde non immerito commendare poſſimus.

EPISTOLA XIX. GREGORII PAPÆ X.

Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri.

De multiplici gaudio habito de profeſſione fidei, quam fecerunt nuncii Palæologi in concilio generali.

1. EXultat mater eccleſia renaſcentis proAnno 1274.
lis fecunditate jocunda. Exultat & jubilat gaudenter attendens ſe dragmam deperditam inveniſſe. Immenſæ lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea ſchiſma multiplicarat antiquum, impleri per tuum aliorumque reditum ad ipſius eccleſiæ unitatem ſine ſtragis cujuſque periculo, ſolo pacis amore prævio intuetur. Exultamus & nos paſtoris, prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus procul dubio in illo vero paſtore, qui animam ſuam pro ſuis ovibus ponere non expavit: ipſi vitulum labiorum exſolvimus, de cujus non eſt dubium munere proceſſiſſe, ut ovis quæ perierat ſit inventa, & revixerit filius, quem mors animæ, mors utique gravior occuparat. Occurrentes itaque tibi de regione diſſimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te ſolidæ caritatis oſculo preſſius oſculamur. O utinam tibi, fili, pateret ad plenum, cum quanto in his occurrit tripudio eadem eccleſia nuper in Lugdunenſi concilio congregata! O ſi voces pſallentium, Deumque flexis genibus & nudatis capitibus laudantium, præcipue prælatorum in tuis ſonuiſſent auribus, & revelata facie ipſorum oculos deducentes quaſi aquarum exitus, inſpexiſſes; profecto providenter adverteres, quod erant eorum lacrymæ tam excuſſi doloris indices, quam adeptæ lætitiæ proditrices. Nec minus patenter intelligeres, quam grati tui advenerunt nuncii, quam fuerint gratanter accepti; cum quanto etiam jubilo tua profeſſio acceptata!

2. Exulta igitur & tu, fili, exulta & lætare in eo qui eſt ſplendor lucis æternæ, divinæ quædam emanatio claritatis, qui tuum ſic animum ſuo lumine illuſtravit, ut lumen veritatis intelligens, non ſolum redires ad illam, ſed ad redeundum aliis dux & prævius effici mereris. Exulta & gaude talem ac tantum jam datum laboribus tuis effectum, ut & de tuo ad ſinum unitatis eccleſiaſticæ reditu indubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum. Perſta ergo, & quod cœpiſti ſollicite, cum omni diligentia ac ſollicitudine proſequaris, efficacem pro poſſe daturus operam, ut nec in aliquibus ejuſdem ſchiſmatis reliquiæ qualeſcumque ſuperſint. Dei quidem perfecta ſunt opera, & tu, creatura illius, creatorem tuum in tam placidi conſummatione operis pro viribus imitare, ut ſpei conceptæ de præmio res ſuccedat, & præmiſſum debitum exhibitio realis exſolvat. Super his autem & aliis habitis circa præmiſſa proceſſibus, præfati tuæ celſitudinis nuncii, quorum tibi notior eſt virtus & probitas, ad te plenius revertuntur inſtructi, quibus te non dubitamus fidem indubiam adhibere.

EPISTOLA XX. GREGORII PAPÆ X.

Andronico primogenito cariſſimi in Chriſto filii noſtri Michaelis Palæologi imperatoris Græcorum illuſtris.

Ut totis viribus ſatagat ad antiquati ſchiſmatis reliquias abolendas.

HAbes, fili, unde Domino Deo tuo in vocem exultationis & confeſſionis erumpas, exultes in eo, & fatearis humiliter tibi de immenſo ipſius dono conceſſum veræ fidei agnoſcere veritatem, illam amplecti piis affectibus, & devotis miſſis nobis affatibus confiteri. Hæc ſi corde contrito & humiliato ſpiritu recognoſcens, a cœptorum proſecutione ſollicita non deſiſtas, plura tibi ſalutaribus inhærenti ſtudiis procul dubio ipſe bonorum omnium dator adjiciet, perfectæ tandem retributionis præmium largiturus. Ideoque magnitudinem tuam monemus & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus in præmiſſis, ſicut diſcrete ſcripſiſti, tui genitoris inclyti laudabili propoſito, nobis per ejus & tuas expreſſo litteras, conſtanter adhærens, totis viribus ſatagas, ut antiquati ſchiſmatis aboleantur omnino reliquiæ, ſitque Latinorum & Græcorum unitas perpetuis temporibus inconcuſſa.

EPISTOLA XXI. GREGORII PAPÆ X. Prælatis Græcorum.

Ut prælati Græcorum ſatagant toto poſſe ad antiquum ſchiſma totaliter abolendum.

1. CAriſſimi in Chriſto filii noſtri Palæologi Græcorum imperatoris illuſtris & veſtros nuncios ac litteras tanto nimirum recepimus gratius, quanto procul dubio gratiora & noſtris acceptiora deſideriis retulerunt. Hoc eſt enim quod fervor zeli patrum ſedis apoſtolicæ a longis retro temporibus exquirebat: hoc eſt ad quod profundis anhelabat ſuſpiriis, & totis conatibus ſuſpirabat: ad hoc noſter inardeſcebat animus: ad hoc ſemper amplius accendebatur affectus, ut videlicet antiquo ſubducto ſchiſmate, una eſſet columba Domini, formoſa ejus, perfecta ipſius, una quidem eccleſia Latinorum pariter & Græcorum, unita in ejuſdem veræ fidei & capitis unitate: his & veſtra, ut ſcripſiſti, vota ex intimis concurrebant.

2. Adſtitit itaque his diebus multiplicatis interceſſoribus virtus Chriſti, qui vere teſtatur nos nihil poſſe facere abſque ipſo: adſtitit benignus ſapientiæ Spiritus, & prædicti principis ac veſtros animos miſericorditer inſpiravit; taleque ac tantum dedit ipſius ac veſtro miniſterio deſideratis initium, ut ipſo ac vobis perſiſtentibus, ut ſperamus, in identitate propoſiti, conſummationis celeris & perfectæ proſperitas indubia ſubſecutura ſperetur.

3. Illi ergo laus, illi gloria, illi actio gratiarum, qui vere lapis angularis parietem utrumque connexuit, utraque unum fecit; qui largitor bonorum omnium, tantam nobis & vobis largitus eſt gratiam, ut nos in hæc tempora reſervarit, ut diem hunc nobis videre conceſſerit, quem videntes ſumus in immenſum non indigne gaviſi, ex immenſitate gratiæ menſuram lætitiæ metientes. Vos igitur fratres & filios monemus, rogamus & hortamur in Domino Jesu Christo, in remiſſionem vobis peccatorum injungentes, quatenus ad perfectionem ſolidam incœptorum totis viribus ſatagentes, ejuſdem ſchiſmatis abolere ſtudeatis omnino reliquias, abjicientes oves morbidas, ne gregem valeant contaminare dominicum, aut fidei a vobis noviter agnitæ in veſtris cordibus inficere puritatem. In his autem exſequendis utilius, & efficacius adimplendis eidem principi conſtanter & fideliter adhærete, ipſum ſulcite conſiliis, & auxiliis adjuvate. Decet enim vos prælatos, præcipue qui conſtituti eſtis in ſpecula veritatis lumen aliis oſtenſuri, oberrantes de tenebris errorum educere, devios in viam rectitudinis revocare, ut vobis adimplentibus officii debitum, æterni plenitudine præmii veſtrorum laborum exitus compleatur.

EPISTOLA XXII. GREGORII PAPÆ X. Fratri Jo. dicto Belastro, ordinis fratrum Minorum.

Mandatur cuidam fratri Minori, ut cum nunciis Græcorum ad consummationem unionis intendat.

CUm in negotio quod actum est his diebus de reductione Græcorum ad ecclesiasticam unitatem diu & utiliter laboraris, & adhuc sit circa illud utilis labor tuus, volumus, & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus personaliter cum nunciis prædictorum Græcorum ad partes illas accedens, consummationi ejusdem negotii fideliter & solerter intendas.

EPISTOLA XXIII. GREGORII PAPÆ X. Regi Siciliæ illustri.

Ut rex nuncios Græcorum redeuntes favorabiliter prosequatur, & eis det conductum.

PRocessum habitum cum Græcorum nunciis, licet ad notitiam tuam, ut credimus, jam detulerit fama celerior, dilectus tamen filius B. (a) abbas monasterii Montis-Casini tibi serioſius explicabit. Ceterùm, serenitatem regiam super eo quod nuncios ipsos, sicut per eorum gratam relationem accepimus, benigne recipiens, cum multa curialitate tractasti, condignis prosequentes actionibus gratiarum, rogamus & obsecramus in Domino JESU CHRISTO, quatenus ipsos, post acceptabilem inchoationem tam accepti Deo negotii, ad propria redeuntes, plenioris favoris & curialitatis beneficio prosequaris, provisurus eis eorumque familiis per totam terram tuam de securo conductu, & ipsos cum suis bonis omnibus redire libere permissurus. Super illo autem secreto, quod de quodam affinitatis vinculo contrahendo nobis dictus abbas ex parte tua retulit, idem tibi secretiori colloquio respondebit.

In eodem modo Philippo imperatori Constantinopolitano illustri.

EPISTOLA XXIV. GREGORII PAPÆ X. Neapolioni & Francisco de la Turre.

Ut nuncii Græcorum favorabiliter recipiantur, & eis provideatur de securo conductu.

REtulit ad vos, ut credimus, fama præambula, qualiter in Græcorum negotio per Dei gratiam feliciter sit processum; in A cujus prosecutione latores præsentium, eorum nuncii, labores plurimos pertulerunt. Nobilitatem itaque vestram, de honoribus & curialitatibus impensis eisdem, condignis prosequentes actionibus gratiarum, monemus, rogamus, & hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus nuncios eosdem ad propria cum nostræ benedictionis gratia redeuntes, ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram, benigne recipere, ac solita curialitate tractare curetis, eis & aliis nostris nunciis, quos ad pleniorem securitatem duximus deputandos, eorumque familiis nullam inferri, quantum in vobis fuerit, injuriam patientes, immo potius de securo conductu, cum requisiti fueritis, providentes eisdem.

In eodem modo Potestati, capitaneo, consilio & communi Cremonensi.

EPISTOLA XXV. GREGORII PAPÆ X. Michaeli Palæologo illustri.

Mittitur nuncius Palæologo ad treugas ineundas, & ad quædam alia explicanda.

DIlectum filium B. abbatem monasterii Montis-Casini, latorem præsentium, virum utique fidelem & providum, ad tuam præsentiam destinamus, gaudium quo Latinorum corda replevit unio inter ipsos & Græcos feliciter inchoata, vivæ vocis ministerio plenius expressurum, & daturum nihilominus operam, ut inter te ac carissimos in Christo filios nostros PHILIPPUM imperatorem Constantinopolitanum & CAROLUM Siciliæ regem illustres, treugæ sufficientis temporis ineantur, infra quod legato, quem ad tuam excellentiam intendimus destinare, sit via paratior, & inter te ac ipsos imperatorem & regem confirmari valeant fœdera concordiæ plenioris. Per eumdem insuper abbatem intelliges causas propter quas eumdem legatum mitti tam subito, vitanda nimirum inconsulta festinantia, non permisit. Prædictum itaque abbatem benigne recipiens, indubitatam sibi fidem adhibe in præmissis, & eum cum qua poteris celeritate remitte.

EPISTOLA XXVI. GREGORII PAPÆ X. abbati monasterii Casinensis.

Ut abbas Casinensis ad faciendas treugas inter Palæologum, & imperatorem CP. & regem intendat.

IN conventionibus sub certa forma inter carissimum in Christo filium nostrum regem Siciliæ illustrem, & claræ memoriæ B. imperatorem Constantinopolitanum habitis circa negotium imperii Romaniæ, de communi imperatoris & regis eorumdem con-

(a) Bernardus Aygletius Gallus, monasterii Saviniacensis in diœcesi Lugdunensi primum monachus, deinde abbas Lerinensis, tum Casinensis anno 1263. ab Urbano IV. creatus, qui post decem & novem regiminis annos obiit Casini anno 1282.

ſenſu, certi termini, ſicut intelleximus, præ- A
fixi fuerunt, infra quos idem rex quamdam
ad proſecutionem ejuſdem negotii militiam
deſtinare, ſeu cum quanta vellet equitum
& peditum comitiva, illuc accedere tenebatur. Hoc tandem in conventionibus ipſis adjecto, quod eas altera partium non ſervante, ad obſervationem earum reliqua pars minime teneretur. Et demum quia noſtris deſideriis inſidebat, Græcos per vias pacificas ad eccleſiæ reducere unitatem; cujus rei exſecutioni ejuſdem regis ad partes illas acceſſus, & præfatæ militiæ miſſio grande poterant impedimentum afferre, rex & impe- B
rator præfati, tamquam Catholici principes & Chriſtianæ fidei zelatores, communq bonum & animarum ſalutem ſuis præponentes affectibus, & dilatationem ejuſdem fidei affectantes, ad noſtram inſtantiam terminos eoſdem uſque ad calendas primo venturas menſis maii, ſub certis tum inter eos conventione ac expreſſione, voluntate unanimi prorogarunt. Noſque poſtmodum ipſorum regis & imperatoris ſupplicationibus inclinati, per noſtras litteras ſtatuendum duximus & etiam decernendum, nullum ex prorogatione prædicta eiſdem conventionibus parari C
præjudicium, vel eis proinde in aliquo detrahi, ſed ipſas omnino eaſdem vires, quas habebant antea, obtinere, ſicque remanere per omnia in ſuo robore firmitatis, ſicut inter ipſos actum ſuperius exprimitur & conventum, & proinde utramque partem ad obſervationem teneri conventionum ipſarum, ſicut ante prorogationem hujuſmodi tenebantur. Cum autem reductionis prædictæ negotium ſit per Dei gratiam feliciter inchoatum, & ad pleniorem conſummationem ipſius treugæ ſint neceſſariæ, ſicut noſti, ut tractari poſſint commodius fœdera concordiæ plenioris, tibi duximus committendum, ut D
treugis eiſdem tractandis inter eos diligenter intendas. Ut igitur id poſſis commodius exequi, petendi a cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo imperatore Conſtantinopolitano illuſtri, & rege prædicto prorogationem ejuſdem termini prorogati taliter ulteriorem, prout negotio videris expedire, nec non ſtatuendi & decernendi, ut nullum ex hujuſmodi prorogatione eiſdem conventionibus paretur præjudicium, nec eis proinde in aliquo detrahatur; ſed omnino eaſdem vires, quas habebant antea, obtineant, ſicque remaneant per omnia in ſuo robore E
firmitatis, ſicut inter ipſos B. imperatorem & regem actum ſuperius exprimitur & conventum, & proinde pars utraque ad obſervationem conventionum teneantur ipſarum, ſicut ante factam prorogationem aliquam tenebantur, auctoritate tibi præſentium plenam & liberam concedimus facultatem.

EPISTOLA XXVII. GREGORII PAPÆ X. abbati monaſterii Caſinenſis.

Lætatur de proſpero reditu abbatis, & de treugis procuratis per eum.

PRoſperitatem tui proceſſus & reditus miſſarum nobis litterarum tuarum ſeries compendioſe deſcripſit, affirmans te cum integro familiæ numero rediiſſe, treugis, quas appaſſamentum in eiſdem litteris nominabas, inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum imperatorem Conſtantinopolitanum & regem Siciliæ illuſtres, ex una parte, & Michaelem Palæologum imperatorem Græcorum ex altera procuratis, duraturis per unum annum a proximis præteritis calendis Maii numerandum. Sane de tuo & tuorum reditu proſpero, illi credimus gratias referendas, cujus tu & ipſi ſervitio laborando in commiſſo tibi negotio vacaviſti. Ulteriorem autem proceſſum circa idem negotium habitum, cujus certitudinem per nuncium deſtinandum in proximo eædem litteræ promittebant, benigne, cum ad nos pervenerit, audiemus.

EPISTOLA XXVIII. INNOCENTII papæ V. Michaëli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri.

Reſpondet Palæologo ſuper multis ſuper quibus eum duxerat requirendum.

1. DUdum ad ſedem apoſtolicam dilectus Anno 1276.
filius Georgius archidiaconus Conſtantinopolitanus, & Theodorus magnus tuæ curiæ diſpenſator, tuæ magnitudinis nuncii, accedentes in præſentia felicis recordationis Gregorii papæ prædeceſſoris noſtri & fratrum ſuorum adhuc in Ultramontanis partibus exiſtentium, retulerunt, quod tu olim intellecto ferventis intentionis propoſito, quod circa liberandam de impiorum manibus terram ſanctam Romana gerit eccleſia, eos mittere curaviſti, ut ſuper hoc voluntatem prædeceſſoris ejuſdem plenius indagarent, & ſpecialiter utrum ipſe prædeceſſor ac reges perſonaliter transfretare diſponerent, vel eidem terræ per miſſionem ſubſidii ſubvenire, quo tempore generale paſſagium ſit futurum, qui & quot reges crucis aſſumſere ſignaculum, quantumve ſubſidium iidem prædeceſſor & reges, ſi eos non transfretare contingeret, deſtinarent; & an pacifice vel per guerram intenderent habere proceſſum. Poſtmodum vero pro parte tua iidem nuncii petierunt, ut in recedentes & etiam receſſuros a fidelitate tua, quos apoſtatas appellarunt, excommunicationis ſententia per ſedem proferretur eamdem, nec tales ab ipſa eccleſia, vel Latinorum regibus, aut Latinis aliis quibuſcumque recipiantur vel etiam de-

fendantur; quodque ſi quem etiam filium, nepotem vel abnepotem tuum a throno imperiali per Græcos interdum contingat excludi; ſi talis ab eadem ſede ſuper hoc imploret auxilium contra illos, ſedes ipſa non hoſtiliter in hac parte, ſed per litteras potius monitaque procedat, & quod Latini qui ſunt recum ab excommunicationum ſententiis abſolvantur.

2. Sane dictus prædeceſſor nuncios ipſos ſolita benignitate audivit, & quæ proponere voluerunt; ſed arduis occupatus negotiis, quæ ad honorem divini nominis ferventer aſſumſerat, & de prædictis partibus reditum verſus Italiam proſequens, jam fratribus ipſis abſentibus, & per diverſas vias aſſumtum iter agentibus, demum in civitate Aretina, ſicut Domino placuit, morte præventus, ſæpefatos nuncios non potuit expedire. Nos autem, prout Domino placuit, ad apicem apoſtolicæ dignitatis aſſumti, terræ memoratæ negotium, immo Chriſti, qui eam ſuo pretioſo ſanguine conſecravit, cupientes feliciter promoveri, gaudemus & exultamus in Domino, plenis te laudibus proſequentes, quod ſicut eorumdem patefecit aſſertio nunciorum, intendis in terræ prædictæ ſubſidio non minor aliis inveniri.

3. Porro, fili cariſſime, non ignorare te volumus, quod, actore Deo, cujus eſt terra ipſa hereditatis funiculus, multi reges & principes, & ſpecialiter cariſſimi in Chriſto filii noſtri Romanorum, Franciæ, ac Portugalliæ reges illuſtres, primogenitus regis Siciliæ, multique magnates, nobiles & potentes, crucis ſignaculum aſſumſerunt, quorum numerus jugiter augmentatur; propter quod numerus ipſe jam fere innumeros continens, & quotidie augmenta ſuſcipiens, non poteſt determinate deſcribi. Illud etiam magnitudinem tuam non lateat, quod hoc habet inſitum votum crucis, ut omnes abſolute recipientes eamdem, transfretare perſonaliter teneantur. Ad paſſagium quoque vigilanter intenditur, & illud quotidie præparatur; ſed quia plura poſſent contingere, quæ acceleracionem vel prorogationem ipſius rationabiliter ſuaderent, non poteſt ſuper hoc ad præſens certitudinaliter reſponderi. Licet autem pacis ſemitas amplectamur, & per vias pacificas libenter ad eccleſiæ gremium revocemus errantes: quia tamen id incertitudo facti non patitur, non potuit qualiter ſit contra Saracenorum proterviam procedendum reſponſionis certitudine comprehendi; ſed hoc habendæ deliberationis exitus indicabit.

4. Tu igitur calamitatibus pluribus, quibus terra ipſa indeſinenter affligitur, affectu compatiens pietatis, ejus negotium plenis favoribus proſequaris, ut tuo tandem & aliorum principum dicto negotio promoto ſuffragiis, terra ipſa de tribulationibus quæ mirabiliter circumdederunt illam, ſummi Regis operante potentia, liberetur. Speramus etenim, quod ſi cum ceteris tuum extenderis brachium cum potentia circa ipſam, dies ſibi votivæ deliberationis erumpet, & arcus perſequentium conteretur, illo a Domino tibi proinde grandi præmio proventuro, quod ejus munificentia largitatis propriis actibus recompenſat. Et ne in hoc impedimentum aliquod ex eo forſitan verearis, quod tu & Soldanus Babyloniæ amicitiam ſimpliciter, ſicut iidem retulerunt nuncii, ad invicem juraviſtis, ut ipſum Soldanum cum aliis Chriſtianis proſequentibus terræ prædictæ negotium impugnare valeas, liberam tibi, non obſtante juramento prædicto, eſſe decernimus facultatem. Ceterum ſæpedictis petitionibus ex parte tua nobis exhibitis, quod habet facti veritas reſeramus. Nam cum a nonnullis principibus Latinorum, ab olim aliqua petita fuerint & adhuc petantur inſtanter, quæ hujuſmodi petitionibus tuis omnino dinoſcuntur adverſa: nos ne alterutri partium ad tam diverſas petitiones inſtantium fieri forſan putaretur injuria, conſulto neutri earum ſuper illis duximus reſpondendum, non irrationabiliter æſtimantes id pacis tractatibus inter te ac ipſos principes ineundis, quorum conſummationem ſummopere affectamus, multipliciter expedire.

EPISTOLA XXIX. INNOCENTII papæ V. Michaëli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri.

Ut Palæologus mittat nuncios ad tractandum de pace inter eum & imperatorem C P. & regem Siciliæ.

1. PAcis æmulus, invidus caritatis, ſator ille zizaniæ, antiquus humani generis perſecutor, a longis retro temporibus inter Latinos & Græcos, quos ejuſdem fidei religio copulabat, ſemen diſcordiæ ſeminavit; ſed quamquam ſuæ inquietæ malignitatis aſtutia jactum ſemen ſategerit mortiferis nutrire fomentis; ſperamus tamen humiliter, quod Regis pacifici, qui pacis opera diligit, vincet in hoc benigna clementia dolos ejus, & ipſius fraudibus metam ponet. Siquidem inter Latinos & Græcos per ipſius miſericordiam quoad ſpiritualia jam concordiæ ſegete ſuccreſcente, poteſt veriſimiliter ſpes devota ſupponere, quod ipſe qui defectum cujuſlibet imperfectionis ignorat, cujus perfecta ſunt opera, ipſos Latinos & Græcos non ſolum in ſpiritualibus, tua illi cooperante ſolertia, perfectius uniet, ſed & in temporalibus ſua virtute reducet ad plenæ concordiæ unitatem. Anno 1276.

2. Quare nos ferventi animo proſequi, quod mediator Dei & hominis JESUS CHRISTUS, cujus licet immeriti, vices exercemus in terris, pie inchoaſſe conſpicitur, inten-

dentes, & noſtræ humilitatis ſtudia volentes illius beneplacitis, prout poſſibilitas patitur, coaptare; votis uberibus affectamus, ut cujuſvis diſcordiæ ſeminariis amputatis, & fomite diſſenſionis extincto, eorumdem Latinorum & Græcorum una ſit fides mentium & una pietas actionum, eadem in illis animorum identitas vigeat, eadem concordia voluntatum, nec eidem unionis prædictæ negotio, ex diſſenſione quam temporalium inducit occaſio, detrahatur in aliquo, ſed illa omnino ſubducta, eadem Latinorum & Græcorum unio plenioris recipiat roboris firmitatem.

3. Sane habebat hactenus tranſmiſſæ variis prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus tuæ petitionis inſtantia, quod ſuper tractandæ inter Latinos & Græcos unionis negotio, tractatus initium a temporalibus ſumeretur. Sed apoſtolicæ ſedis circumſpectio provida diligenter attendens, quod te ad Romanæ eccleſiæ gremium redeunte, poterat & utilitati communi provideri facilius & favorabilius, etiam in temporalibus agi tecum, prælegit a ſpiritualibus inchoandum, ut illis tamquam dignioribus & potioribus ſolidatis, minora poſſent commodius promoveri. Licet autem ea quæ per te quoad ſpiritualia ſuper eodem ſunt acta negotio repererimus, de fratrum noſtrorum conſilio, ſicut per alias tibi notificavimus litteras, plenioris ſoliditatis robore indigere; tamen conſulto pro tui cautela providimus ex nunc in temporalibus procedendum. Veremur etenim turbationum fluctus, colliſiones gentium, ſtrages hominum, perſonarum diſcrimina, damna rerum, & cetera gratiarum diſpendia non facile numeranda, quæ non ſolum e vicino imminere conſpicimus, ſed jam quaſi digito licet invito palpamus, pro eo maxime, quod cariſſimus in Chriſto filius noſter PHILIPPUS imperator CP. ad ſedem Conſtantinopolitanam pertinere imperium, & notorium fore claræ memoriæ BALDUINUM imperatorem Conſtantinopolitanum patrem ſuum, in cujus locum & jus ipſe ſuccedit, civitate Conſtantinopoli fuiſſe per violentiam ſpoliatum; & CAROLUS rex Siciliæ illuſtris in nonnullis ipſius imperii partibus jus ſibi competere aſſerentes, ac de ſua, prout aſſeverant, juſtitia præclaro ſanguine, victorioſis titulis, & ſtrenuæ nationis potentia confidentes, non ſegniter tantum negotium aggredi, quin potius totis illis conatibus, intentis ſtudiis, ac ſuis ſuorumque amicorum conflatis undique viribus proſequi propoſito firmato diſponunt.

4. Deſideramus itaque ſtatum tuum eo magis fore tranquillum, quo te continuatione laudabilium operum ſecutura ſincere ad eamdem eccleſiam devotionis affectu propenſius ſolidatis intentis deſideriis anhelamus, ut tot malis, tantiſque periculis, ſollicitis apoſtolicæ providentiæ ſtudiis obviantur, & pacis convertantur ad bonum; quæ, conſiderata principum prædictorum inſtantia, & aliquorum imminentium negotiorum circumſtantiis attente penſatis, evidentius ad guerrarum diſpendia diſponunt. Quocirca magnificentiam tuam rogandam, monendamque attentius duximus, & hortamur, paterno tibi ſuadentes affectu, quatenus tuæ quantæcumque potentiæ non innitens, nec ceteris exponens eventibus ſtatum tuum, ſed provida meditatione conſiderans, quam dubii ſunt guerrarum exitus, quantis ſolent diſpendiis præveniri, ac tibi, poſteris, aliiſque tuis ſano ſalubrique conſilio providens, animum tuum ad concordiam præpares, diſponas ad pacem, vias excogitans per quas facilius, annuente Domino, valeant provenire, quaſque dilectis filiis HIERONYMO generali, GUIDONI ROMANO & ANGELO S. Franciſci provinciarum miniſtris, ac GENTILI de Rectovio ordinis Minorum fratribus, nunciis noſtris, de quorum fide poteris ſecure confidere, prout utilius fore putaveris, communices, & eos informes etiam ſuper illis, nihilominus apocriſarios tuos & animum & mandatum plenum habentes ad vias concordiæ proſequendas, & pacis actore prævio, celeriter conſummandas, ad prædictam apoſtolicam ſedem infra quinque menſes poſt receptionem præſentium tranſmiſſurus. Noſtri quidem pectoris intima uberius lætabuntur, ſi ſic in præmiſſis agi concedat Altiſſimus, ut pax exinde perpetuis duratura temporibus ſubſequatur. Revera expedit, ut præmiſſa negligentiæ non exponas. Niſi enim adeo efficaciter reſpondeatur & cito, prædicti principes ſibi reputantes illudi, nullo modo paterentur, ut aſſerunt, ſe inſtantis temporis commoditate, quam procul dubio non modicum æſtimant, defraudari. Nec nos ipſis jus ſuum permiſſis remediis proſequi ſine juris injuria, prohibere poſſumus. Quia vero dum tractim præmiſſa ſuſcipiunt, a quibuſvis moleſtiis & injuriis quæ poſſunt exaſperare negotium, & pacis perturbare tractatum, expedit hinc inde penitus abſtinere, de treugis alicujus temporis propter hoc ſpecialiter ineundis, juxta eorumdem noſtrorum perſuaſionem provideas nunciorum. Nos enim eorumdem imperatoris & regis animos ad treugas hujuſmodi jam duximus inclinandos.

EPISTOLA XXX. INNOCENTII papæ V. Michaëli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri.

Hortatur Palæologum, ut quæ nuncii apoſtolicæ ſedis pro ſoliditate unionis petierint, ſtudeat adimplere.

QUanto gaudio, quantaque lætitia univerſalis eccleſia de unionis negotio inter Latinos & Græcos, tuis laudabilibus promoto

moto ſtudiis, in Domino exultavit felicis recordationis GREGORIUS papa prædeceſſor noſter, dum adhuc peregrinationem præſentis vitæ perageret, tibi nunciis & litteris, quamquam exultationis hujuſmodi magnitudo in re potior fuerit, quam relatus expreſſerit, intimare curavit, per alias exprimens litteras, ſuæ intentionis exiſtere, legatum ad tuam præſentiam deſtinare. Et quidem & nos, quem tunc de fratrum collegio exiſtentem, quaſi cooperatorem, hujuſmodi ſalubre negotium contingebat, de ipſius felici proceſſu tuis directo ſtudiis & ſolertia procurato, grande concepimus gaudium, ad illud firmius ſolidandum intenſum deſiderium dirigentes. Cumque diſpoſitione divina fuiſſemus, licet inſufficientibus meritis, ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumti, non ſolum lætitia de promotionis dicti negotii felicitate ſuccrevit; verum etiam idem proſequendi negotium ſuſcepiſſe recognovimus incrementum, cum jam illud in nobis ſpecialis exquireret ſtudium promotoris. Et ideo piæ intentionis propoſito, ut conſultius debitum circa hoc noſtri proſequeremur officii, ſollicitam operam exhibentes, ſtatum ejuſdem negotii perſcrutationis attentæ diligentia duximus recenſendum: quo cum fratribus noſtris penſato prudentius, ea quæ per te acta ſunt, ſoliditate roboris plenioris comperimus indigere. Ad quam celeriter obtinendam, ut in illis, in quorum imminet morâ periculum, efficacius, & quoad tuam magnificentiam favorabilius procedatur; dilectum filium HIERONYMUM generalem, GUIDONEM Romanum, & ANGELUM S. Franciſci provinciarum miniſtros, & GENTILEM de Rectovio ordinis Minorum fratres, viros utique claros veræ fidei claritate, voluntariæ paupertatis humilitate conſpicuos, humiles Chriſti pauperis ſectatores, de ipſo fratrum conſilio deliberavimus præmittendos, excellentiam tuam rogantes & hortantes in Domino, quatenus pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia, prædictos nuncios benigne recipiens, quæ ad præmiſſam ſolidationem petierint, ſtudeas cum omni plenitudine adimplere, opem nihilominus impenſurus & operam, ut ea etiam in aliis efficacius impleantur. Ex hoc enim tibi apud retributorem omnium bonorum, non ſine laudis humanæ præconio & apoſtolici favoris augmento accreſcet cumulus meritorum.

EPISTOLA XXXI. INNOCENTII papæ V. prælatis Græcorum.

Ut prælati Græcorum, quæ nuncii ſedis apoſtolicæ ſuper profeſſione fidei & recognitione primatus petierint, ſtudeant adimplere.

1. GRandis affectus, quem circa tractatæ jam dudum inter Latinos & Græcos unionis negotium, Dei beneficio, laudabili-

ter hucuſque promotum, in minori olim conſtituti officio tamquam filius gerebamus, in paternum creviſſe dinoſcitur, nobis diſpoſitione divina, licet immeritis, ad apicem apoſtolicæ dignitatis aſſumtis. Crevit quoque cum onere præconcepta præfati negotii felici promotione jocunditas, cum nos jam non contingat ut filium, non ſolum ut cooperatorem reſpiciat, ſed ſpecialis in nobis ſtudium promotoris exquirat. Et ideo ad illius proſecutionem, utpote inſidentis admodum cordi noſtro, intentum ſtudium dirigentes, & attendentes etiam diligenter conſummationem ipſius in vobis unionis, actore Deo, fidei catholicæ perutilem, mundo neceſſariam, & animabus etiam fructuoſam, illu... ab ipſis pene promotionis noſtræ primordiis, quaſi præcipuum prælegimus proſequendum, diligentem curam & curioſam diligentiam adhibentes, ut ejus circumſtantiis plenius indagatis, ad votivam conſummationem eamdem efficacius procedatur, ... ro piæ ſollicitudinis & devotionis affectum, quem vos ad ipſius unionis proſequendum negotium impendiſſe, miſſæ hactenus felicis recordationis GREGORIO papæ prædeceſſori noſtro veſtræ litteræ teſtabantur, ſedula meditatione penſantes, ac firmius ſperantes in Domino, quod veſtris mentibus veræ lucis radiis illuſtratis, affectus hujuſmodi de bono in melius augeatur, & per evidentiam efficacioris operis clarius eluceſcat, plenis quoque deſideriis affectantes, ut antiqui diſcrimen ſchiſmatis, quod malorum incentoris aſtutia nefanda ſuggeſſit, novæ unionis antidoto terminetur, ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum MICHAELEM PALÆOLOGUM imperatorem Græcorum illuſtrem, & vos, dilectos filios JERONYMUM generalem, GUIDONEM Roman. & ANGELUM S. Franciſci provinciarum miniſtros, GENTILEM de Rectovio ordinis Minorum fratres, viros utique claros veræ fidei claritate, voluntariæ paupertatis humilitate conſpicuos, & humiles Chriſti paupertatis ſectatores, noſtros nuncios, latores præſentium deſtinamus, deſiderantes inter cetera, ut ad communis utilitatis augmentum, non ſolum quæ acta ſunt per eumdem plenius robur accipiant, ſed & in vobis per ipſum, ac vos in aliis, quoad profeſſionem fidei, & recognitionem primatus eccleſiæ Romanæ, ipſa unio deſiderata perfectione lætetur.

2. Quocirca univerſitatem veſtram monemus & hortamur attente, obſecrantes in Domino JESU CHRISTO, quatenus recogitantes ſollicite, quod ad hoc prælatos Dominus in eccleſia ſua præfici voluit, ut exerceant in ea quæ ſolliciti ſunt paſtoris: ad hoc in vineam ſuam illos operarios introduxit, ut ſuæ culturæ ſtudio uberior illa conſtituatur in fructu; ad hoc illos in ſpecula ſtatuit, ut aliis lumen veritatis oſtendant. Ea quæ vobis præfati

nuncii, quos ad hoc prævidimus deſtinandos, ſuper eiſdem profeſſione fidei & recognitione primatus eccleſiæ Romanæ, aliiſque contingentibus præmiſſa ſuaſerint, & vos ipſi cum omni promtitudine adimplere, & opportune inſerere, ac fovere in aliis cum omni ſollicitudine ſtudeatis, ut illis glorioſius dilatatis, propagatiſque diffuſius ab eo qui bonorum eſt omnium retributor, affluentis retributionis præmium cum laudis humanæ præconiis & pleniori ſedis apoſtolicæ gratia reportetis.

EPISTOLA XXXII. INNOCENTII papæ V. Andronico primogenito cariſſimi in Chriſto filii noſtri Michaëlis Palæologi imperatoris illuſtris.

Hortatur primogenitum Palæologi, ut ad conſol dandum negotium unionis promtus exiſtat.

1. LUcis creator omnipotens, qui mirabiliter ab æternis proferens lumina mentibus, cunctos in hunc mundum illuminat venientes, mentem tuam, ut lætantes in Chriſto referimus, veræ lucis radio illuſtraſſe videtur, dum tu, prout miſſæ dudum felicis recordationis GREGORIO papæ prædeceſſori noſtro tuæ litteræ continebant, ſalubre propoſitum laudabiliter tui proſequens genitoris, ad profeſſionem catholicæ fidei, & recognitionem primatus eccleſiæ Romanæ matris fidelium & magiſtræ, te promtum non ſine ſpe retributionis æternæ, aliis tuis concurrentibus ad id meritis tribuiſti. Revera, fili, ſi diligenti meditatione diſcutias, ſi attentæ conſiderationis indagine perſcruteris, ſane ſic habere te noveris, unde Regi regum gratiarum uberrimas referas actiones..... unde laudis ſacrificium offeras Domino Deo tuo, qui te tanta proſecutus eſt gratia, tanto beneficio te prævenit, ex quo, ſi veritas non celetur, ſub tuo dominio univerſali Latinorum eccleſiæ ac nobis & fratribus noſtris eo plenior exorta eſt lætitia, quo majus in te fidei orthodoxæ dilatationis jam ſuſcipere noſcitur incrementum.

2. Cum itaque circa tractatæ jam dudum inter Latinos & Græcos unionis negotium, quod per tuæ operationis ſolertiam ſperamus potiſſime ſolidandum, apoſtolicæ ſedis deſiderium dirigatur, plenæ diſcuſſionis examine invenerimus, tam ea quæ per cariſſimum in Chriſto filium noſtrum MICHAELEM PALÆOLOGUM imperatorem Græcorum illuſtrem, patrem tuum, quam per te in ejuſdem unionis ſunt acta negotio, firmitate plenioris roboris indigere, ac ſuper hoc litteras noſtras & nuncios ad ejuſdem imperatoris & tuam præſentiam deſtinemus, magnitudinem tuam monemus, & hortamur in Domino JESU CHRISTO, quatenus provide penſans, attenteque recogitans, quod operis conſummatio ad fructum uberioris præmii tibi cedet, ad roborationem pleniorem prædictorum, tam ab eodem imperatore, quam a te, actore Domino, celebrandam, te ſtudioſum & favorabilem largiaris, & ab horrendo ſchiſmate, quod ab olim ſator zizaniæ ſuæ ſuggeſſit malignitatis aſtutia, diſſipato, inter Latinos & Græcos, tamquam ſub unius paſtoris cuſtodia permanentes, animorum concordia vigeat, voluntatum identitas perſeveret, perpetuis, Domino faciente, temporibus duratura, tuque proinde clari nominis augmentum ſuſcipias, & retributionis cæleſtis larga præmia merearis.

EPISTOLA XXXIII. INNOCENTII papæ V. Jacobo Ferentinati, Gaufrido Turinenſi epiſcopis, & dilectis filiis fratribus Raynerio priori conventus Viterbienſis, ac Salvo lectori Lucanenſi ordinis Prædicatorum.

Nunciis ſedis apoſtolicæ euntibus ad Græcos pro unione conſolidanda, datur poteſtas abſolvendi, & quædam alia faciendi.

IN litteris, quas cariſſimo in Chriſto filio noſtro MICHAELI PALÆOLOGO imperatori Græcorum illuſtri & prælatis Græciæ per vos mittimus, inter cetera continetur, quod cum ea quæ per eumdem imperatorem & dilectum filium ANDRONICUM primogenitum ejus acta ſunt circa unionis Latinorum & Græcorum tractatæ negotium, invenerimus ſoliditate plenioris roboris indigere, imperator & primogenitus ſupradicti quæ ad hujuſmodi ſolidationem petieritis, ſtudeant cum omni promtitudine adimplere, impenſuri nihilominus opem & operam, ut ea etiam in aliis efficaciter impleantur; quodque iidem prælati ea quæ ipſis ſuper profeſſione fidei & recognitione primatus Romanæ eccleſiæ ſuaſeritis, cum omni promtitudine adimplere, & opportune in aliis inſerere ac fovere procurent. Volumus igitur, & diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad partes illas perſonaliter accedentes, tam circa prædictos imperatorem & primogenitum, quam circa prælatos & alios, præmiſſa ſtudeatis exequi diligenter, & ut illa commodius & facilius valeant provenire, vobis audiendi confeſſiones confiteri volentium, & eis injungendi ſalutarem pœnitentiam pro commiſſis, & ipſis vobis etiam, venerabiles fratres noſtri epiſcopi, abſolutionis impendendi beneficium ſuper illis, niſi forte talia fuerint, propter quæ ſedes apoſtolica ſit merito conſulenda; excommunicandi auctoritate apoſtolica eos de partibus illis, quos vobis & utrilibet veſtrum negotii unionis ejuſdem fore conſtiterit turbatores, cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus exiſtant, & in terras ipſorum interdicti

sententias proferendi, necnon procedendi alias spiritualiter & temporaliter contra ipsos, & terras easdem prout utilitati negotii, consideratis ejus circumstantiis, videritis expedire; absolvendi quoque juxta formam ecclesiæ Latinos & Græcos, tam clericos quam laïcos illarum partium ab excommunicationis sententia, quam pro violenta manuum injectione in clericos & personas ecclesiasticas incurrerint, nisi adeo gravis fuerit & enormis excessus, propter quem ad sedem eamdem oporteat haberi recursum, & dispensandi cum eisdem clericis super irregularitate, si quam contraxisse noscuntur, se sic ligati divinis officiis immiscendo; concedendi etiam securitatem plenariam nostro & ecclesiæ Romanæ nomine, nunciis imperatoris, primogeniti, ac prælatorum ipsorum pro negotio supradicto ad sedem prædictam venire volentibus, hac vice in prædictis partibus existentibus, usque ad certum tempus, quod eis duxeritis præfigendum, plenam & liberam præsentium auctoritate concedimus facultatem.

EPISTOLA XXXIV. INNOCENTII papæ V. eisdem.

Instructio nuntiorum apostolicæ sedis, qualiter in commissis sibi negotiis debeant se habere.

IN commissi vobis executione negotii, dilectissimi filii HIERONYME generalis, GUIDO Romane, & ANGELE S. Francisci provinciarum ministri, ac GENTILIS de Rectovio ordinis Minorum fratres, talis vester processus habendus.

1. In primo igitur adventu vestro benigne salutetis, & affectuose benedicatis ex parte nostra carissimum in Christo filium nostrum MICHAELEM PALÆOLOGUM imperatorem Græcorum illustrem, & dilectum filium nobilem virum ANDRONICUM primogenitum imperatoris ejusdem.

2. Item, referetis pium, sincerum & ingentem affectum, quem nos & fratres nostri gerimus circa negotium supradictum, & etiam circa illos, ex eo maxime quod idem imperator tamquam supernæ lucis radio illustratus, ad promotionem dicti negotii sic laudabiliter & efficaciter laboravit.

3. Post hæc autem præsentandæ sunt imparatori litteræ apostolicæ, quæ mittuntur super spiritualibus, & sic incipiunt: INNOCENTIUS, &c. *Carissimo in Christo filio nostro Michaëli Palæologo imperatori illustri, salutem & apostolicam benedictionem. Quanto gaudio.*

4. Item, præsentabitis litteras, quæ super spiritualibus diriguntur patriarchæ & prælatis.

5. Item, postmodum, ut ad temporalia competentior habeatur accessus, præmittetis qualiter Romana ecclesia mater fidelium & magistra, illos utpote jam ad suum gremium venientes, inter alios catholicos principes, plenis favoribus, quantum cum Deo, & sine offensa justitiæ poterit, intendens prosequi & fovere, sollicite cogitavit & cogitat, ut unionis prædictæ negotium, sic submotis impedimentis quibuslibet solidetur, quod, actore Domino, eorumdem imperatoris & primogeniti ac etiam posterorum suorum status tranquillior & firmior perseveret. Et ideo eadem Romana ecclesia non solum ad solidandum ipsius unionis negotium quoad spiritualia; sed ad tollendam etiam quoad temporalia omnem dissensionis & turbationis materiam, aciem suæ provisionis extendens, nihil eidem imperatori celat, nihil operit, sed tamquam sollicita mater & diligens, omnia illi velut dilecto filio aperit, omnia manifestat, sanumque ac salubre consilium tribuit, eumque reddit attentum, ut præcius diligenter consideret, & sibi suoque statui consulte valeat per vias pacificas providere, super eo præsertim, quod nonnulli principes Latinorum ab imperatore præfato injuriam sibi asserunt irrogari, qui multum de sua justitia & potentia gentis se dicunt confidere.

6. Ad hæc autem prosequenda & amplius dilatanda, prout Dominus dederit, magna sumi potest instructio ex aliis litteris, quæ mittuntur super temporalibus eidem imperatori, & incipiunt: *Pacis æmulus*; & post ista cautius prælibata, ipsi sunt imperatori præsentandæ.

7. Quoad spiritualia ergo petatur ab imperatore prædicto, ut professionem fidei & recognitionem primatus ecclesiæ Romanæ factas olim ab ipso, quarum transcriptum portatis, ad præsens firmet, proprio præstando corporaliter juramento.

8. Item, licet Logotheta nomine ipsius imperatoris abjuraverit schisma in concilio Lugdunensi; quia tamen Logotheta super hoc mandatum ejus non ostendit, petatur ab ipso imperatore, quod illud personaliter abjuret.

9. Item, persuadeatis & dicatis imperatori prædicto, quod ex abjuratione hujusmodi magis apparebit sinceritas mentis suæ, quodque Romanam ecclesiam magis favorabilem & gratiosam exinde sibi reddet.

10. Item, simile juramentum, quoad professionem fidei & recognitionem primatus prædicti factas, & abjurationem schismatis faciendam, petatur & recipiatur a primogenito supradicto.

11. Item, super his tam ab imperatore quam a primogenito petantur litteræ ipsorum, quæ scribantur in conservabili pergameno, muniantur sua subscriptione solita, & aurea bulla bullentur, & multiplicentur tam in papyro, quam in pergameno hujusmodi.

12. Item, suadeatur diligenter eidem im-

peratori, ut det operam ſuggerendo prælatis, ut cum ipſi nondum fecerint profeſſionem fidei & recognitionem primatus, faciant, & cetera etiam quæ petuntur ab eiſdem prælatis ad ſolidationem negotii.

13. Deinde quia dum ea quæ agenda ſunt tractum ſuſcipiunt ab injuriis & moleſtiis, quæ poſſent exaſperare negotium, & pacis perturbare tractatum, expedit hinc inde penitus abſtinere.

14. Agendum eſt in primis de trevgis alicujus temporis propter hoc ſpecialiter ineundis, de quibus præfatus imperator juxta perſuaſionem veſtram provideat. Perſuadeatur autem de tempore in quo imperatoris CP. & regis Siciliæ conſenſus habebitur.

15. Item, ſuper eo quod idem imperator Græcorum petiit, videlicet ut Romana eccleſia unita Græcis, ritus obſervet eorum, reſpondendum eſt ſic: quod ipſa eccleſia intendit eos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter proſequi & fovere in illis ritibus eorum, de quibus ſedi apoſtolicæ videbitur, quod per eos & catholicæ fidei non lædatur integritas, & ſacrorum ſtatutis canonum minime derogetur.

16. Item, petendum eſt a ſingulis prælatorum & clero, quod ipſi fidei veritatem & ejuſdem Romanæ eccleſiæ primatum, juxta ſeriem in litteris felicis recordationis Gregorii papæ prædeceſſoris noſtri, dudum per te, fili frater Hieronyme, ac tuos collegas eidem Palæologo deſtinatis expreſſam, quarum tenorem vobiſcum portatis ad præſens, plene ac ſerioſe lectam & expoſitam fideliter, explicite ac aperte, infraſcripto modo, abſque ulla conditione vel adjectione occaſione præteriti temporis apponenda, ſeu etiam facienda, ſed ſimpliciter & pure, ſicut petitur, recognoſcant, acceptent, & profiteantur, præſtito juramento.

17. *Ego prælatus fidei veritatem, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, veram, ſanctam, catholicam, & orthodoxam fidem eſſe recognoſco, eam accepto, & corde & ore profiteor, ipſamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo umquam tempore receßurum, quoquomodo deviaturum vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontanee veniens, fateor, recognoſco, accepto, & ſponte ſuſcipio, & me omnia præmiſſa, tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem Romanæ eccleſiæ primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam, ac perſeverantiam ſervaturum promitto. Manualem inſuper obedientiam & reverentiam vobis, ſanctiſſimi patris domini* Innocentii *quinti divina providentia ſummi pontificis & ipſius eccleſiæ Romanæ nomine, ex nunc exhibeo, & me ab illis nullo umquam tempore receſſurum, corporaliter præſtito juramento promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta evangelia.*

18. Volumus præterea, ut in eorumdem prælatorum & clericorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prædicare, aut occulte ſuadere præſumant; quin immo illi qui officium prædicationis exercent, publice prædicent, & exponant fideliter ſuis populis eamdem fidei veritatem, & cantent etiam ſymbolum, videlicet cum adjectione illa *Filioque*.

19. Cauſa ergo quare ſic cantari volumus ſymbolum, hæc eſt, quia de hoc ſpecialiter actum eſt, & recognitio veræ fidei occultari non debet, ſed revelari potius & publice prædicari.

20. Adjiciatis nihilominus veſtræ ſollicitudinis ſtudio in omnibus prædictis profeſſionibus & recognitionibus, quas fieri contigerit, alias idoneas ſecuritates & cautelas, quas vobis circumſtantiæ ſuggerent exigendas. Ceterum ad faciliorem & pleniorem conſummationem prædictorum expedire putamus, ut ad ſingula loca inſignia illarum partium ad quæ poteritis, & de quibus videbitis expedire, vos perſonaliter conferatis conjunctim & diviſim, promiſſiones ſimiles in eiſdem locis cum ſolemnitate ac obſervatione ſimili recepturi.

21. De hujuſmodi autem profeſſionibus & recognitionibus fiant publica inſtrumenta, multiplicanda in varia omnino ſimilia, ſigillanda ſigillis authenticarum perſonarum, quas contigerit eſſe præſentes, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla poſſitis deponere, ſi & prout videritis expedire, & alia per diverſos nuncios propter inopinatos caſuum fortuitorum eventus, ad ſedem apoſtolicam, ut in ejus conſerventur archivio, cum cautela & diligentia omnimoda remittatis.

22. Et ut quanto ſolemnius & ſalubrius eſt negotium, tanto in eo ſtudioſius & diligentius procedatur, veſtris volumus cura & ſtudio provideri, ut in cathedralibus & aliis ſolemnibus eccleſiis & monaſteriis locorum, in quibus profeſſiones & recognitiones hujuſmodi factæ fuerunt, & etiam aliorum profeſſiones & recognitiones eædem in libris authenticis redigantur in ſcriptis, ut in futurum conſervent rei geſtæ memoriam, & ipſius recentiorem poſteris notitiam repræſentent, diligentius conſervandæ.

EPISTOLA XXXIV. INNOCENTII papæ V. eiſdem.

Alia inſtructio nunciorum apoſtolicæ ſedis, de his quæ habent facere cum imperatore ac aliis Græcis.

LIcet ea quæ in memoriali vobis exhibito continentur, prout exprimuntur ibidem, vel eadem ſaltem, ſicut in alia cedula vobis a nobis tradita mitigantur, plenis cupiamus affectibus adimpleri; quia tamen unionis inter Latinos & Græcos tractare negotium intendimus, ſtudiis præmonere ſollicitis, & ne per alicujus doloſam aſtutiam diſpendia turbationis incurrat, cautis præſidiis confovere volumus, & diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus duce prudentia in negotio procedentes, tam a Palæologo & primogenito ejus, quam a prælatis & clero Græcorum, prædicta omnia & ſingula in memoriali contenta præfato, vel ſaltem eadem, prout in prædicta tradita vobis ſunt cedula mitigata, recipere ſtudeatis. Quod ſi prædicti ea, prout ipſius memorialis habet expreſſio, vel ſaltem ejuſdem cedulæ mitigatio comprehendit, noluerint adimplere, vos ab ipſis ea quæ poteritis commoda recipere ſtudeatis, eis tunc apertius exprimentes, quod illa taliter mitigata in hujuſmodi caſu nequaquam ſufficere dinoſcuntur. Verumtamen ad apoſtolicæ ſedis notitiam eadem vivæ vocis oraculo perducetis.

EPISTOLA XXXV. INNOCENTII Papæ V. eiſdem.

Alia inſtructio eorumdem nuntiorum ſuper his quæ ſunt agenda per ipſos.

1. INter cetera quæ continentur in memoriali, habetur inſertum, ut Palæologus abjuret ſchiſma publice. Si autem obtineri non poterit, quod hujuſmodi abjuratio fiat publice, fiat ſaltem præſentibus pluribus viris probis, prælatis videlicet ac religioſis & nobilibus, qui ſuper hoc perhibeant per ſuas litteras teſtimonium veritati.

2. Item, cum dicatur in memoriali, quod Palæologus abjuret ſchiſma proprio juramento. Si id haberi non poſſit, ſaltem ratificet quod fecit Logotheta ejus nomine in concilio Lugdunenſi, cum repetitione & expreſſione omnium & ſingulorum, quæ per eumdem Logothetam in eodem concilio facta ſunt, quia mandatum ejus ſuper hoc non oſtendit, ſuper hujuſmodi ratificatione ejuſdem imperatoris litteris concedendis.

3. Item, licet in dicto memoriali dicatur, quod multiplicentur litteræ ipſius imperatoris & filii: tamen ſi hoc obtineri non poteſt, ſaltem habeantur duæ vel una.

4. Item, licet dicatur in forma juramenti præſtandi a prælatis, quod promittant manualem obedientiam & reverentiam: tamen ſi id omnino habere non poſſit, dimittantur ſub cauta & colorata dilatione, ne in totum videantur negligi vel omitti. Inſtetur tamen prudenter, ſi umquam valeat obtineri, & inducantur prælati ad id.

5. Item, licet dicatur in memoriali, ut de profeſſionibus & recognitionibus prælatorum fiant publica inſtrumenta multiplicanda in varia: tamen ſi non poteſt haberi multiplicatio inſtrumentorum, habeantur tamen plura, prout melius fieri poterit, & haberi.

6. Item, caute & provide, ſicut Dominus dederit procuretis, quod negotium ſuper temporalibus ponatur in manibus Romani Pontificis, apoſtolicæ proviſionis arbitrio terminandum.

EPISTOLA XXXVI. INNOCENTII Papæ V. (a) Fratri Bartholomæo de Bononia de ordine Minorum, paginæ ſacræ doctori. [a]

Volens papa quemdam fratrem Minorum ad Græcos mittere, mandat ei quod veniat ſine mora.

AD negotium unionis tractatæ inter Latinos & Græcos proſequendum in partibus Romaniæ, proponimus aliquos viros idoneos celeriter deſtinare. Inter quos te ſcientiæ dono, & aliis virtutibus tibi collatis a Domino attente penſatis, duximus eligendum, præſentium tibi auctoritate mandantes, quatenus omni mora poſtpoſita, cum quanta potes celeritate ad præſentiam noſtram venire procures.

EPISTOLA XXXVII. NICOLAI papæ III. Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri.

Inſiſtit penes Palæologum, ut quæ deſunt ad unionem conſolidandam faciat ad impleri.

1. SIcut ex litterarum tuæ magnitudinis ſedi apoſtolicæ noviſſime directarum, grata lectione collegimus, illud ad laudem tui nominis magis claret, immo clarius ſyderibus irradiat, quod ad catholicæ fidei veritatem, quam ſedes eadem tenet, docet & prædicat, zelo devotionis afficeris, ipſam devotus amplecteris, ad ejus unitatem cunctos tibi ſubditos adducere ſatagis, & debitam ei reverentiam invariabili propoſito conſervare promittis. Quid enim puriore lute relucet in principe, quam fidei rectæ ſinceritas & vera religio, quæ cum in luminis & vitæ di-

(a) In codice Colbertino habetur hæc epiſtola inter epiſtolas Nicolai III.

rigantur actorem, tenebras respuunt, subjacere defectui nesciunt, nec verentur occasum. Probant autem laudabilem tuæ in eis sinceritatis affectum ejusdem veræ catholicæque fidei tua fidelis, clara, & aperta professio; primatus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ devota recognitio, spontaneaque susceptio debitæ sibi obedientiæ, promta & humilis sponsio corporaliter a te præstito juramento firmata; schismatis abjuratio per te publice facta, ac in earumdem litterarum serie juxta formam per eamdem sedem traditam, plenius seriatim expressæ, quas ipsi sedi per tuos apocrisarios præsentatas, non solum ad veritatis testimonium, sed & ad memorabile tuæ laudis præconium tam præsentibus quam posteris memorandum, in archivis ejusdem ecclesiæ facimus conservari.

2. Sane, fili, dum ardorem desiderii, quoad Latinos & Græcos antiquo schismate separatos, in caritatis mutuæ vinculo & unitate fidei uniendos, per sanctos patres Romanos pontifices prædecessores nostros est suspiratum ardentius: & labores immensos, quibus est hinc inde diutius laboratum, memoria recensemus, quod in præmissis actum ab excellentia tua comperimus, tanto votis nostris cedet acceptius, quanto solet haberi gratius, & reputari præcarius, quod anxie quæritur, & laboriosius obtinetur.

3. Et quidem cunctis Christianæ religionis communionem habentibus in iis de redintegratione religionis ejusdem communis præstantur excitativa lætitiæ; sed nobis eo majoris jucunditatis & gaudii specialior causa succrescit, quo magis, dum minori fungebamur officio, eorumdem fuimus laborum participes & desiderii non experres; quo singularius hæc a nobis ad apostolatus culmen assumtis diligentiam promotionis exposcunt, quæ prius cooperationis tantum modo commune nobis & aliis ministerium exigebant. Sed & tu princeps magnifice, te lætanter in his considera præducem, & lætare per alios etiam tuum imitaturos exemplum; tibi retributionis præmium, aliis concurrentibus meritis, adaugendum. Considera quod fortes animo nec debiles viribus, qui prudenter sui operis afficiuntur ad exitum, quo plus fini propinquant, diligentius operantur. Sic & ii qui in agone contendunt, quo minus restat decursus instantia, eo currere nituntur instantius; & quo de victoria magis sperant, ad bravium plus aspirant.

4. Eia igitur & tu, fili, qui tantum in te & aliis, ac præcipue in dilecto filio nobili viro Andronico nato tuo, sic desideratis dedisti principium, tantum in sic accepto unionis perutilis opere processisti; cum præsto tibi fatearis potentiam virium, nec promtum diffitearis, aut diffiteri deceat animum; insta opportune, immo si opus fuerit, etiam importunius insiste: insta, ut quæ in te ipso cœpisti feliciter, in prælatis & aliis etiam, ore & opere compleantur: suppleantur omnino, quæ desunt; nec ulterius prætermittantur, aut differantur omissa, cum igitur non solum famæ, verum etiam misforum dudum ad te nunciorum ipsius ecclesiæ relatio perhibeat, & veritas, & tua nihilominus assertio habeat, quod totaliter a te hujusmodi negotium, ejusque dependet consummata perfectio; tuæ decet esse sollicitudinis, tuæ curæ, ut idem negotium celerem desideratæ, sed procul dubio nimium propagatæ consummationis consequatur effectum.

5. Ideoque nos, qui ad hoc summo desiderio suspiramus, tibi singulariter innitentes, ad id apud tuam excellentiam; & cum ea, quin potius & per eam apud ceteros scilicet prælatos & alios exacta diligentia procurandum, venerabilem fratrem nostrum Bartholomæum episcopum Grossetanum, & dilectos filios fratres Bartholomeum de Senis ministrum Syriæ, Philippum Perusinum & Angelum Urbevetanum, lectores ordinis Minorum, viros catholicæ fidei zelatores, scientia præditos, observatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos, ad tuam præsentiam destinamus; celsitudinem tuam rogantes, & obsecrantes in Domino Jesu Christo, quatenus ipsos ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram, ea quæ tantum decet principem, benignitate recipens, illa quæ ad pleniorem ejusdem negotii consummationem, soliditatem, roburque solidius tam per te ipsum, quam per alios facienda suaserint, elementer audias: & ut efficaciter impleantur, ad augendum retributionis tuæ præmium, & ampliandum laudis titulum operosus intendat.

6. Ceterum moram aprocrisariorum tuorum apud sedem eamdem, quam ipsius sedis vacatio tibi, ut credimus, non ignota, & nostræ promotionis novitas induxerunt, habeat tuæ mansuetudinis circumspectio excusatam. Ad petitiones autem per eos coram felicis recordationis Gregorio & Innocentio V. Romanis pontificibus, prædecessoribus nostris, nomine tuo propositas, & noviſſime in nostra & fratrum nostrorum præsentia repetitas, scimus per speciales litteras ejusdem prædecessoris Innocentii plene, prout suasit facti qualitas, fuisse responsum: quam, quia nulla postmodum novitas immutavit, nec nos ad eas responsionem putavimus immutandam.

EPISTOLA XXXVIII. NICOLAI PAPÆ III. Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illustri.

Ut Palæologus mittat nuncios ad tractandum de pace inter eum & imperatorem Constantinopolitanum & regem Siciliæ.

Anno 1278. 1. EX more quemvis opificem conservatio sui operis afficit, & ad vitanda sollicite quæcumque contrarii etiam suspicionem inducerent instinctus quasi naturalis inducit. Porro circa negotium unionis inter Latinos & Græcos, non sine multo & mutuo hinc inde labore promotum, eminet evidenter sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ nec sollicitudo dissimilis, nec dispar affectus. Siquidem felicis recordationis JOHANNIS papæ prædecessoris nostri tempore, apostolicis directis magnificentiæ tuæ litteris, ne unio eadem ex dissentione, quam inter te ex parte una, & carissimum in Christo filium nostrum imperatorem Constantinopolitanum & CAROLUM Siciliæ reges illustres ex altera, temporalium submministrat occasio, dispendium sentiret in aliquo, facti circumstantias non sub involucro verborum, nec sub aliquo velamine velare studuit, sed revelata veritate, dictorum principum querelas aperuit, & detexit instantiam, & propositum non celavit nec omisit, sed ad communem cautelam, suæque puritatem conscientiæ conservandam, pia denuntiavit intentione pericula, quæ dissentio eadem comminatur. Ad quæ vitanda consultius, prædictis principibus exhortatis ad pacem, magnificentiam tuam monuit & rogavit attentius, paterno affectu nihilominus persuadens, ut provide dubiis guerrarum consideratis, & vitatis eventibus, quos solent innumera dispendia prævenire, animum tuum ad concordiam præparans & disponens ad pacem, ac vias & modos, per quos inter te ac principes memoratos pax & concordia possent provenire facilius, diligenter excogitans; illos sedis apostolicæ nunciis, tunc ad tuam præsentiam destinatis, communicare, ac ipsos super eis informare curares, & nihilo minus apocrisarios tuos, animum & plenum ad prosequendum eosdem modos & vias, & etiam consummandum mandatum habentes, infra certum terminum in litteris ipsis expressum, ad sedem destinares eamdem. Sed & ne medio tempore per molestias vel injurias aliquas inter te ac sæpe fatos principes posset exasperare negotium, ut ab illis abstineretur omnino, treugas aliquas, ad quas memoratos principes variis inductionibus inclinarat, prout prædicti nuncii sui suggererent, persuasit iniri.

2. Super his autem nullo a magnitudine tua recepto responso, ex eo nobis & fratribus nostris datur admirationis non injustæ materia, quod cum prædiceris vir esse consilii, vir magnæ prudentiæ, tantum ac tale spiritualis tui patris consilium ne contemsisse dicaris, taliter præteristi, nec ipsum facto prosequens, nec ad illud scripto seu verbo respondens, præsertim cum habuerit hactenus tua instans & repetita petitio, quod ad Latinos & Græcos *in caritate mutua* solidandos tractatus erat temporalium præmittendus, licet ejusdem ecclesiæ circumspecta provisio, non indigne a spiritualibus eligeret *initium* assumendum. Quia vero per hæc monitioni carorum insistitur, ad quorum caritatem stimulis caritatis urgemur, quamquam ex parte tua non fuerit efficaciter præmissa, ut decuit, admissa monitio. Nos tamen propterea nequaquam desistendum a cœptis; sed ad conservationem unionis ipsius, & vitandum pervigili studio quæcumque possent occasionem turbationis ejus inducere, præmissum affectum ejusdem ecclesiæ prosequendum potius existimantes, excellentiam tuam attente rogamus, & affectuose monemus, exhortantes in Domino JESU CHRITO, quatenus prudenter attendens, quanta ex hujusmodi sedatione discordiæ, detur non solum *utrique* parti, sed *etiam* toti quasi Christianitati tranquillitas, quanta vitentur ex ea pericula, quam sit eadem animarum saluti congrua, & soliditati tui *tuorumque* tractatus commoda, juxta præmissas exhortationes ejusdem tuæ matris ecclesiæ, sine cunctatione aliqua, pacis semitas prosequaris, & in excogitandis prædictis viis & modis, venerabili fratri nostro BARTHOLOMEO episcopo Grossetano, & dilectis fratribus BERTH. de Senis ministro Syriæ, PHILIPPO Perusino, ANGELO Urbevetano, lectoribus ordinis Minorum, nunciis nostris circa illos, prout utilius fore putaveris, informandis, nullam ulterius negligentiam habiturus, apocrisarios tuos, viros quidem idoneos, viros pacificos, ad pacem & concordiam, ut præmittitur, animum & mandatum habentes, infra quinque menses post receptionem præsentium, destinare ad ejusdem sedis præsentiam non omittas. Sed & ad compescendum hinc inde molestias & injurias, quæ possent partium animos irritare circa treugas certi temporis cum dictis principibus ineundas, eorumdem nunciorum nostrorum persuasionibus acquiescas; pensans consultius, quod cum treugarum conventio ex utriusque partis consensu dependeat, non expedit alterutram partium certam formam eligere, sed ad communem & æqualem decet eas animos inclinare, nec aliquid petere, quod vel absurditatem sapiat, vel a justitia & ratione discordet.

EPISTOLA XXXIX. NICOLAI PAPÆ III. Andronico primogenito cariſſimi in Chriſto filii Michaelis Palæologi imperatoris Græcorum illuſtris.

Primogenito Palæologi ut in his quæ faciunt ad unionem conſolidandam operam ſtudioſe impendat.

1. AGe, fili, prudenter, & humiliter immenſa beneficia tui creatoris attende; attende quanta tuæ juventutis auſpicia ſuæ dulcedinis benedictione prævenit. Ipſe quidem, ut ſuæ circa te largitatis abundantiam in temporalibus taceamus, in te oculos interioris hominis ſuo lumine illuſtravit, & miſit in tuæ mentis habitaculum lucem ſuam. Dedit intelligere catholicæ fidei veritatem, ut in montem ſanctum ſuum, in communionem videlicet & unitatem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, per profeſſionem ipſius fidei, recognitionem & ſuſceptionem primatus ejuſdem eccleſiæ, ſponſionem debitæ ſibi obedientiæ, abjurationem ſchiſmatis, quæ omnia tuæ teſtantur litteræ, quas noveris per ſedem apoſtolicam gratanter & benigne receptas, ſuo ducatu deductus, tandem in dilecta ejus tabernacula per continuationem horum operum feliciter adducaris.

2. Ipſe ſic erga cariſſimum in Chriſto filium noſtrum MICHAELEM PALEOLOGUM imperatorem Græcorum illuſtrem genitorem tuum, & teipſum pium direxit ejuſdem matris eccleſiæ ſtudium, ut non ſolum per hæc ei & tibi ſpiritualiter conſuluerit ad ſalutem, ſed & ſalubribus & multiplicatis perſuaſionibus quæ in aliis eidem genitori tuo, tam a felicis recordationis JOHANNE prædeceſſore noſtro, quam a nobis directis littetis exprimuntur, temporaliter ad ſecuritatem ſtatus ſatagat providere. Decet igitur ut & tu, ne periculoſe de tantis gratiis comperiaris ingratus, eidem creatori tuo præ omnibus quæ tibi tribuit aliquid gratitudinis pro tuæ poſſibilitatis viribus recompenſes.

3. Cum itaque ad perfectionem & conſummationem unionis jam per ipſius genitoris & tuam ſollicitudinem promotæ feliciter inter Latinos & Græcos, non ſolum quæ per ipſum & per te acta ſunt, in prælatis & aliis agenda ſuperſint, ſed & alia nonnulla ſupplenda, ad quorum proſecutionem de tua cooperatione ſpecialiter confidentes, venerabilem fratrem noſtrum BARTHOLOMEUM epiſcopum Groſſetanum, & dilectos filios fratres Bartholomeum de Senis miniſtrum Syriæ, Philippum Peruſinum & Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum, viros catholicos, fidei zelatores, ſcientia præditos, obſervatores voluntariæ paupertatis & veræ humilitatis amicos, ad ipſius imperatoris & tuam præſentiam deſtinamus, magnitudinem tuam monemus, rogamus & hortamur attente in Domino JESU CHRISTO, quatenus provide penſans quod ſolum bene cœpiſſe non ſufficit, niſi perſeveranter uſque ad operis exitum perſiſtatur, ob reverentiam apoſtolicæ ſedis & noſtri, eiſdem nuntiis te favorabilem exhibens & benignum, in his quæ ad perfectionem ſolidam dictæ unionis facienda ſuaſerint, & ſpecialiter apud ſæpe fatum genitorem tuum, ut noſtris conſiliis & ſuaſionibus tibi & eidem procul dubio, ut ſperamus, utilibus acquieſcat, ſollicitam operam ſtudioſus impendas. Per hoc etenim non ſolum tibi laudis titulum & retributionis præmium ampliabis, ſed & ſtatui tuo conſultius actore Domino providebis.

EPISTOLA XL. NICOLAI PAPÆ III. Patriarchæ, archiepiſcopis, epiſcopis & dilectis filiis abbatibus ceteriſque prælatis Græcorum.

Ut prælati Græcorum juxta requiſitionem nunciorum apoſtolicæ ſedis fidem profiteantur, recognoſcant primatum, & ſchiſma abjurent.

1. FRaternitatis tuæ litteras, frater patriarcha, profeſſionem veræ catholicæ fidei quam Romana eccleſia tenet & prædicat, aſpernationem & abjurationem antiqui ſchiſmatis, ut earumdem litterarum verbis utamur, recognitionem & ſuſceptionem primatus ipſius eccleſiæ, ac ſponſionem obedientiæ ſpontaneam ad eamdem, per te nomine tuo & totius ſynodi apud vos antea celebratæ, certo modo factas, inter alia continentes, ſedes apoſtolica benigne recipit & eas diligenter inſpiciens, veſtrum ad negotium unionis inter Latinos & Græcos divino beneplacito incohatum, & cariſſimi in Chriſto filii noſtri MICHAELIS PALEOLOGI Græcorum imperatoris illuſtris, dilecti filii noſtri, videlicet ANDRONICI nati ejus, ac veſtra ſolerti cooperatione promotum, quem eædem litteræ prætendebant notavit affectum, probat multipliciter & commendat. Super quo illi ſacrificium laudis offerimus, jubilationis hoſtiam immolamus, qui eorumdem imperatoris nobilis & veſtros oculos mentis aperuit, intellectum tribuens, & vos ad agnitionem veritatis adducens. Et quidem fratres & filii lætanter attendimus, & gratanter accepimus, multa in eiſdem litteris contineri profeſſioni ejuſdem veræ fidei conſona, recognitioni dicti primatus accommoda, & obedientiæ ſponſioni congrua, & abjurationi præfati ſchiſmatis opportuna.

2. Verum cum in prædictis perpenſo conſilio & diſcuſſione ſollicita ejuſdem eccleſiæ, circa quam eſſe decet in omnibus uniformem, forma ſit prodita per memoratos imperatorem & nobiles acceptata, jamdudum per eorum nuntios in generali Lugdunenſi publicata

publicata concilio, & ab ipsis nuper in personis propriis publice & solemniter iterata, illam censuimus omnimodis observandam; præsertim cum expediat in his uniformiter ab omnibus per hujusmodi unionem uniendis in fidei unitate procedi; & vos velut jam factos obedientiæ filios deceat ipsius ecclesiæ, vestræ omniumque matris fidelium & magistræ, fideli magisterio, per observationis promtitudinem humiliter adhærere, ac juxta ejus beneplacita & dispositionem circa hujusmodi negotium adimplere sollicite omnia, & maxime illa quæ ad ipsum consummandum plenius & solidius roborandum per nuntios noviſſime ad hoc missos ex ejusdem ecclesiæ parte requisita nec adimpleta fuerunt: ideoque venerabilem fratrem nostrum Bartholomæum Grossetanum episcopum, & dilectos filios fratres Bartholomæum de Senis ministrum Syriæ, Philippum Perusinum, & Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum, viros catholicos catholicæque fidei zelatores, scientia præditos, observatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos, ad hoc inter cetera specialiter destinantes, universitatem vestram monemus, rogamus & obsecramus in Domino Jesu Christo per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus juxta requisitionem ipsorum omnes & singuli singulariter præmissam veram fidem profiteamini, recognoscatis & suscipiatis primatum, abjuretis schisma, obedientiam promittatis; in iis supradictam formam vobis per eosdem nostros nuntios præsentandam sic studiose per omnia observando, & in ceteris, ut prædicitur, non impletis, ac aliis quæ iidem nuntii ad consummationem ejusdem negotii duxerint requirenda, ipsis acquiescendo humiliter & cooperando efficaciter, quod idem negotium celeriter absque ulterioris moræ dispendio, studio vestro perfectius consummatum, nos qui anxio & immenso id desiderio affectamus, ac universalem ecclesiam sanctam Dei lætificet civitatem, vobisque non solum apud nos ad uberioris favoris cumulum, sed apud retributorem bonorum omnium ad secundioris cedat retributionis augmentum.

A B C D

EPISTOLA XLI. NICOLAI PAPÆ III. Venerabili fratri Bartholomæo episcopo Grossetano, & dilectis filiis Bartholomæo de Senis ministro Syriæ, Philippo Perusino, & Angelo Urbevetano lectoribus ordinis Minorum.

Nunciis apostolicæ sedis euntibus ad Græcos datur potestas absolvendi excommunicatos, & multa alia explicandi.

Anno 1278. *Ex mss. Colbertino & Chauvelino.*

Desiderantes ut ea quæ ad unionis inter Latinos & Græcos tractatæ negotium consummandum plenius & firmius roborandum, nec non ad tollendum materiam turbationis seu impedimenti unionis ipsius, quam inter carissimos in Christo filios nostros imperatorem Constantinopolitanum & Carolum Siciliæ regem illustres ex parte una, & carissimum in Christo filium nostrum M. Palæologum imperatorem Græcorum illustrem ex altera, discordia super temporalibus submiserat, in litteris, quas per vos eidem Palæologo, patriarchæ, prælatis, & clero Græcorum, ac nobili viro Andronico ejusdem imperatoris Græcorum primogenito destinamus, & in memoriali super illis sub bulla nostra vobis tradito plenius continetur, desiderato, Deo auspice, impleantur effectu. Volumus, & discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad partes illas personaliter accedentes, tam circa prædictos imperatorem & primogenitum, quam circa prædictos prælatos & alios præmissa studeatis exequi diligenter. Et ut illa commodius & facilius valeant provenire, vobis audiendi confessiones confiteri volentium, & eis salutarem injungendi pœnitentiam pro commissis, ac ipsis absolutionis impendendi beneficium super illis, nisi forte talia fuerint, propter quæ sedes apostolica sit merito consulenda; excommunicandi præterea auctoritate apostolica eos de partibus illis, quos negotii unionis ejusdem fore vobis constiterit turbatores, cujuscumque præeminentiæ, conditionis aut status existant; & in terras ipsas interdicti sententias proferendi, nec non procedendi alias spiritualiter & temporaliter contra ipsos & terras easdem, prout utilitati negotii, consideratis ejus circumstantiis, videritis expedire; absolvendi quoque juxta formam ecclesiæ Latinos & Græcos, tam clericos quam laicos illarum partium, ab excommunicationis sententia, quam pro violenta manuum injectione in clericos & personas ecclesiasticas incurrerunt, nisi adeo gravis fuerit & enormis excessus, propter quem ad sedem apostolicam oporteat haberi recursum, & dispensandi cum eisdem clericis super irregularitate, si quam contraxisse noscuntur, se sic ligati divinis officiis immiscendo; concedendi etiam securitatem plenariam, nostro & Romanæ ecclesiæ nomine, nunciis imperatoris, primogeniti, ac prælatorum ipsorum, pro negotio supradicto ad sedem prædictam venire volentibus, vobis hac vice in prædictis partibus existentibus usque ad certum tempus, quod eis duxeritis præfigendum, plenam & liberam præsentium auctoritate concedimus facultatem. Datum Viterbii.

Sequitur epistola ad eosdem, Qualiter iidem nuncii in commissis sibi negotiis debeant se habere. Licet ea, &c. *Ejusdem est tenoris cum secunda instructione Innocentii V.*

EPISTOLA XLII. NICOLAI PAPÆ III. eiſdem.

Ut apoſtolicæ ſedis nuncii poſſint aſſumere perſonas ad exequenda negotia ſibi commiſſa idoneas, cujuſcumque profeſſionis exiſtant.

Collata cum codice Colbertino.

CUm vos ad partes Romaniæ, cum cariſſimo in Chriſto filio noſtro MICHAELE PALÆOLOGO imperatore Græcorum illuſtri, & prælatis illarum partium, tractaturos aliqua ſuper magnis & arduis negotiis, deſtinemus, ad quorum proſecutionem non eſt dubium vos fidelibus in utraque lingua peritis interpretibus indigere; aſſumendi perſonas aptas & idoneas ad miniſterium, ſeu alias ad commiſſa vobis negotia utiles, cujuſcumque ordinis vel profeſſionis exiſtant, & ipſas ad proſecutionem ipſius etiam compellendi, plenam & liberam vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem; ita quod ſi duo ex vobis in executione præmiſſorum contingat quomodolibet impediri, reliqui duo nihilominus proſequantur, non obſtante ſi perſonis eiſdem, aut quibuſlibet aliis, cujuſvis ordinis, profeſſionis vel religionis exiſtant, vel ipſis etiam religionibus, profeſſionibus vel ordinibus ſit indultum, quod profeſſores earum ad aliquod officium vel miniſterium cogi, ſeu quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam & de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia præfatæ ſedis indulgentia generali & ſpeciali, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam effectus præſentium quomodolibet impediri valeat vel differri. Datum Viterbii.

EPISTOLA XLIII. NICOLAI PAPÆ III. eiſdem.

Memoriale datum nunciis apoſtolicæ ſedis, continens qualiter in commiſſis negotiis debeant ſe habere.

1. IN commiſſi vobis exſecutione negotii, venerabilis frater Bartholomæe epiſcope Groſſetane, & dilecti filii fratres Bartholomæe de Senis miniſter Syriæ, Philippe Peruſine, & Angele Urbevetane, lectores ordinis Minorum, talis veſter proceſſus habendus.

In primo igitur adventu benigne ſalutetis & affectuoſe benedicatis ex parte noſtra cariſſimum in Chriſto filium noſtrum M. PALÆOLOGUM imperatorem Græcorum illuſtrem, & dilectum filium nobilem virum ANDRONICUM primogenitum imperatoris ejuſdem.

2. Item, referetis eis diligenter, quam gaudenter, quam benigne nos & fratres noſtri receperimus litteras eorum ſuper fidei profeſſione, primatus Romanæ eccleſiæ recognitione ac ſuſceptione, ſchiſmatis abjuratione, ac obedientiæ ſponſione tranſmiſſas; quantum etiam gaudium fuit & eſt exinde apud univerſos Latinos & Græcos.

3. Poſt hæc præſentandæ ſunt Palæologo litteræ quæ mittuntur ſuper ſpiritualibus, & ſic incipiunt: NICOLAUS, &c. *cariſſimo in Chriſto filio noſtro M. Palæologo*, &c.

4. Deinde præſentandæ ſunt litteræ quæ mittuntur nobili viro Andronico nato ejuſdem imperatoris, & ſic incipiunt: NICOLAUS, &c. *nobili viro Andronico primogenito*, &c. *Age, fili*, &c.

5. Tertio, præſentabitis litteras, quæ ſuper ſpiritualibus diriguntur patriarchæ, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, quæ incipiunt: NICOLAUS, &c. *venerabilibus fratribus patriarchæ, archiepiſcopis, & epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus*, &c. *fraternitatis tuæ litteras*, &c.

6. Demum, ut ad temporalia erga ipſos imperatorem & primogenitum competentior habeatur acceſſus, præmittetur qualiter Romana eccleſia mater omnium fidelium & magiſtra, ipſos, utpote ad ſuum gremium jam reverſos, inter alios catholicos principes, plenis favoribus, quantum cum Deo ſine offenſa juſtitiæ poterit, intendens proſequi & fovere, ſollicite cogitavit & cogitat, ut unionis prædictæ negotium ſic ſubmotis quibuſlibet ſolidetur, quod, actore Domino, eorumdem imperatoris & primogeniti, ac etiam poſterorum ſuorum ſtatus tranquillior & firmior perſeveret. Et ideo eadem Romana eccleſia non ſolum ad ſolidandum ipſius unionis negotium, quoad ſpiritualia, ſed ad tollendam etiam quoad temporalia omnem diſſenſionis & turbationis materiam, aciem ſuæ proviſionis extendens, tempore felicis recordationis JOHANNIS papæ prædeceſſoris noſtri, nihil eidem imperatori celavit, nihil operuit; ſed tamquam ſollicita mater & diligens, omnia illi velut filio prædilecto per litteras ſuas aperuit & manifeſtare curavit, ſanumque ac ſalubre conſilium tribuit, & eum attentum reddidit, ut præſcius diligenter attenderet, & ſibi ſuoque ſtatui per vias pacificas conſultius provideret, ſuper eo præſertim, quod nonnulli principes Latinorum, qui multum ſe dicunt confidere de ſua juſtitia & potentia gentis ſuæ, ab imperatore præfato injuriam ſibi aſſerunt irrogari. Ad hæc amplius autem dilatanda & efficaciter proſequenda, prout Dominus miniſtrabit, magna ſumi poteſt inſtructio ex litteris memorati prædeceſſoris JOHANNIS, quarum tenorem habetis, quæ incipiunt: JOHANNES, &c. *cariſſimo in Chriſto filio M. Palæologo*, &c. *Pacis æmulus*, &c. & ex noſtris, quæ per vos ſuper temporalibus

eidem imperatori mittuntur, & incipiunt: NICOLAUS, &c. *cariſſimo in Chriſto filio*, &c. *Ex more quemvis opificem*, &c. quæ quidem noſtræ litteræ, poſt præmiſſa, ut prædicitur, prælibata, eidem imperatori per vos ſunt præſentandæ, & ſuper his quæ continentur in eis, caute ac prudenter inſtandum.

7. Sed ante præſentationem & inſtantiam hujuſmodi, petenda eſt ab imperatore prædicto multiplicatio litterarum ſuper fidei profeſſione, primatus recognitione ac ſuſceptione, & obedientiæ ſponſione miſſarum ab ipſo per nuncios qui noviſſime redierunt: hoc tamen mutato, ut non ſcribatur felicis recordationis prædeceſſori noſtro GREGORIO, ſed nobis. Ad hujuſmodi autem mutationem non eſt importune inſtandum, ſed ita, ſi de plano poſſit haberi. Similis multiplicatio petenda eſt a dicto primogenito, & attendendum, quod hujuſmodi multiplicatio facienda eſt in conſervabili pergameno, non in papyro.

8 Item, attendendum quod litteræ ſic multiplicandæ bullandæ ſunt bulla aurea, ſicut & prædictæ jam miſſæ bullatæ fuerunt.

9 Item, ſuadeatur diligenter eidem imperatori, ut cum patriarcha & alii prælati nondum fecerint profeſſionem fidei, recognitionem & ſuſceptionem primatus ejuſdem eccleſiæ Romanæ, abjurationem ſchiſmatis, & obedientiæ ſponſionem juxta formam ab eadem eccleſia traditam, cui debent ipſi velut obedientiæ filii, maxime in his quæ conſummationem, robur & firmitatem unionis tractatæ reſpiciunt, tamquam omnium eccleſiarum capiti ſive matri & magiſtræ devote parere; ipſe imperator, qui fatetur & aſſerit a ſe dependere negotium, ſuamque fore in his omnibus liberam poteſtatem, det operam efficacem, ut & præmiſſa fiant a prælatis eiſdem, & cetera omnia, quæ ad ſolidationem unionis ejuſdem per nos, ut inferius exprimitur, ſunt petenda, plenarie per omnia compleantur.

10 Item, ſuper eo quod dictus imperator in præfatis ſuis litteris petiit, ut eccleſia Græcorum dicat ſanctum ſymbolum, ſicut dicebat hoc ante ſchiſma, & ipſi Græci maneant in ritibus ſuis: Reſpondendum eſt, quod unitas fidei non patitur diverſitatem in profeſſoribus ſuis, ſive in profeſſione, ſive in decantatione, vel alia ipſius fidei publicatione, & maxime in decantatione ſymboli, quod quanto magis in eccleſia frequentatur, tanto apparere debet amplius uniforme: & ideo deliberavit eadem Romana eccleſia, & vult ipſum cum adjectione illa, *Filioque*, tam a Latinis quam a Græcis uniformiter decantari. Et quia de adjectione illa ſpecialiter actum eſt, & recognitio veræ fidei occultari non debet, ſed revelari potius & publice prædicari.

11. De ceteris autem Græcorum ritibus ſic reſpondendum eſt, ſcilicet quod eadem Romana eccleſia intendit Græcos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter proſequi, & ipſis favere in illis eorum *ritibus*, de quibus ſedi apoſtolicæ viſum fuerit, quod per eos catholicæ fidei non lædatur integritas, nec ſacrorum ſtatutis canonum derogetur.

12. Ceterum, dum ea quæ agenda imminent tractabuntur, ab injuriis & moleſtiis, quæ poſſent exaſperare negotium, & pacis perturbare tractatum, expedit hinc inde penitus abſtinere. Agendum eſt in primis de treugis alicujus temporis propter hoc ſpecialiter ineundis: de quibus præfatus imperator Græcorum juxta proviſionem veſtram provideat. Perſuadeatur autem de tempore, in quo imperatoris Conſtantinopolitani & regis Siciliæ illuſtrium conſenſus habebitur.

13. Hæc autem ſunt illa quæ petenda ſunt a patriarcha ceteriſque prælatis & clero cujuſlibet civitatis, caſtri, vici ſeu loci, ſcilicet quod ipſi omnes & ſinguli ſingulariter fidei veritatem & ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum juxta ſeriem in litteris ejuſdem prædeceſſoris GREGORII quarum tenorem vobiſcum defertis, ad præſens plene ac ſerioſe lectam & expoſitam fideliter, explicite ac aperte, infraſcripto modo, abſque ulla conditione vel adjectione occaſione præteriti temporis apponenda, ſeu etiam facienda, ſed ſimpliciter & pure ſicut petitur recognoſcant, acceptent & profiteantur præſtito juramento.

Forma juramenti præſtandi a prælatis Græcorum.

14. Ego .... prælatus, fidei veritatem, prout plene lecta eſt & fideliter expoſita, veram, ſanctam, catholicam & orthodoxam fidem eſſe recognoſco, eam accepto, & corde & ore profiteor; ipſamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab illa ullo umquam tempore receſſurum, quoquomodo deviaturum vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens fateor, recognoſco, accepto & ſponte ſuſcipio, & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervationem ac perſeverantiam ſervaturum promitto. Manualem inſuper obedientiam & reverentiam vobis, ſanctiſſimi patris domini NICOLAI tertii divina providentia ſummi pontificis & ipſius eccleſiæ Romanæ nomine ex nunc exhibeo, & me ab illis nullo umquam tempore receſſurum corporaliter præſtito juramento promitto, & confirmo: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

15. In præmiſſis autem nullam decet patriarcham, prælatos prædictos aut clerum conſuetudinem, quod jurare non conſueverunt, allegare, cum numquam ſimilis caſus acciderit, cujus poſſit conſuetudo prætendi; nec hujuſmodi conſuetudines per uſurpationem adverſus ſuperiores & jura ipſorum, & maxime adverſus Romanam eccleſiam tali tempore, videlicet ſchiſmatis contra canones uſurpatæ, ſunt aliquatenus obſervandæ; nec dicendæ tam conſuetudines quam abuſus.

16. Volumus præterea, ut in eorum prælatorum & clericorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prædicare vel occulte ſuadere præſumant; quin immo illi qui officium prædicationis exercent, publice prædicent & exponant fideliter ſuis populis eamdem fidei veritatem, & cantent etiam ſymbolum cum additione illa, ſicut præmittitur, videlicet *filioque*.

17. Adjiciatis nihilominus veſtræ ſollicitudinis ſtudio in omnibus prædictis profeſſionibus & recognitionibus quas fieri contigerit alias idoneas ſecuritates & cautelas, quas vobis circumſtantiæ ſuggerent exigendas.

18. Ceterum ad faciliorem & pleniorem conſummationem prædictorum, expedire putamus, ut ad ſingula loca inſignia illarum partium ad quæ accedere poteritis, & de quibus videbitis expedire, vos perſonaliter conferatis conjunctim vel diviſim, promiſſiones ſimiles in eiſdem locis cum ſolemnitate ac obſervatione ſimili recepturi.

19. De hujuſmodi autem confeſſionibus & recognitionibus fiant publica inſtrumenta, multiplicanda in varia omnino ſimilia, & ſigillanda ſigillis authenticarum perſonarum, quas contigerit eſſe præſentes, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla poſſitis deponere, ſed & prout videritis expedire, & alia per diverſos nuncios, propter inopinatos caſuum fortuitorum eventus ad ſedem apoſtolicam, ut in ejus conſerventur archivio, cum cautela & diligentia omnimoda remittatis. Et ut quanto ſolemnius & ſalubrius eſt negotium, tanto in eo ſtudioſius & diligentius procedatur, veſtris volumus cura & ſtudio provideri, ut in cathedralibus & aliis ſolemnibus eccleſiis & monaſteriis locorum, in quibus profeſſiones, & recognitiones hujuſmodi factæ fuerunt, & etiam aliorum profeſſiones & recognitiones cædem, in libris authentjcis redigantur in ſcriptis, ut in futurum conſervent rei geſtæ memoriam, & ipſius intentionis poſteris notitiam repræſentent diligentius conſervandæ.

20. Item memorandum quod poſt expeditum tractatum præmiſſorum, vel dum præmiſſa tractantur & executioni mandantur, prout opportunitas obtulerit, & videbitur expedire negotio, tangendum eſt quomodo eccleſia Romana miratur, quod prælati & alii non curaverunt adhuc ſtatui ſuo ex conſideratione præteriti temporis providere. Cum enim ratione ſchiſmatis in quo erant, multotiens latæ ſint ſententiæ contra eos, mirandum occurrit, quod ipſi quoad relaxationem ſententiarum ipſarum tam prælati quam alii clerici & perſonæ eccleſiaſticæ ſuper irregularitate, quam ex conſequentia incurrerunt, ſe immiſcendo divinis, nullum adhuc petierunt remedium adhiberi.

21. Item miratur eccleſia, quod patriarcha & alii prælati poſt confeſſionem fidei factam, recognitum & ſuſceptum primatum eccleſiæ Romanæ, ac obedientiam promiſſam eidem, ſuper confirmatione ſtatus ſui nullam proviſionem petere curaverunt.

22. Ex hoc autem ſumi poteſt occaſio & ingreſſus ad ſuggerendum imperatori & aliis, ut petant ab eccleſia Romana cardinalem, qui ſuper his valeat providere, & ad omnia alia, quæ infra de legato dicuntur.

23. Scire quidem vos volumus, quod noſtræ intentionis exiſtit legatum ad partes illas mittere cardinalem, ut omnia majori ſoliditate firmentur, & quaſi quamdam exſecutionem habeant per eumdem, ipſo tamquam legato ſedis apoſtolicæ, ipſius auctoritate ac nomine juriſdictionem, & alia quæ ad legati ſpectant officium, inibi exercente: propter quod volumus, quod caute ac diligenter ſtudeatis viam ejus adventui præparare, in collationibus habendis cum dicto imperatore Græcorum aliqua inſerendo, quod multum eſſet utilis in partibus illis præſentia cardinalis, qui auctoritatem plenam haberet. Et tandem poſt talia tractata, & quaſi circa conſervationem ipſorum, ultra in verbo hujuſmodi procedendo, & ſuggerendo eidem imperatori, quod ipſe legatum peteret cardinalem, & ſive ad hoc induci poſſit, ſive non, inveſtigandum eſt cum diligentia & cautela, quomodo ſecure poſſit intrare terram, & ibi eſſe legatus, & unde ſumtus habere, & quales; & forſan ad hoc melius & cautius inveſtigandum, utilius erit a primo uti quæſtionibus, quam aſſertionibus, ut quæratur ab eo, ſi habetur ſcriptum vel eſt memoria apud eos, qualiter ibi legati ſedis apoſtolicæ ſint admiſſi, qualiter honorati, qualiter exhibiti, qualis obedientia & reverentia exhibeatur eiſdem, ubi ſpecialius conſueverant converſari, quomodo prælati & alii veniebant ad vocationem ipſorum, qualiter parebatur eis in judiciis contentioſis, & aliis etiam, cum qualibet & quanta familia conſueverant ibi eſſe.

24. Et ſi reſpondeat ita plene, quod ea quæ dixerit ſufficiant, prout ſtatus exigit cardinalis legati, danda eſt opera, ut ipſius reſponſio habeatur in ſcriptis, vel in ſcripturam, eo, ſi fieri poſſit, conſcio, redigatur; ſi vero non ſufficiant ea quæ dixerit, tunc

exprimenda ſunt ea quæ inter Latinos obſervantur circa legatos cardinales, tam de conſuetudine, quam de jure, videlicet quam plenam poteſtatem habeant in provinciis ſibi creditis, quam plene honorantur, & reverenter tractantur, & humiliter paretur eiſdem, & honorifice exhibetur.

25. Hæc autem nec ita ſimul, nec ſic effuſo ſermone dicenda ſunt, quod gravia videantur; ſed verbis temperatis & moderatis, qui non ſeducant vel retrahant, ſed inducant & attrahant animum audientis, inductis etiam aliquibus rationibus, & ſpecialiter quomodo legatus, maxime cardinalis, vicem papæ gerit, & perſonam repræſentat in provincia ſibi decreta, & tam ſpiritualiter quam temporaliter conſulere ac remedium adhibere poteſt in multis.

26. Item, quia multa puritas & ſinceritas videretur ex parte ipſius, & familiaritas inter eccleſiam Romanam & ipſum, necnon inter ipſam eccleſiam Romanam & Græcam evidentius appareret, ſi cardinalis legatus ad ipſius petitionem & inſtantiam mitteretur, ſed & in eo diligentia eſt adhibenda, ut quicquid circa hoc poſſet ab ipſo per ſcripturam haberi, habeatur.

27. Item, quia omnia, quæ circa iſtam materiam invenientur, ſive per ſigna, ſive per conjecturas, ſive per verba, illo attendantur diligentiæ ſtudio, quod poſtmodum plenarie, ſeriatim, & certitudinaliter, quantum fieri poterit, referantur.

28. Item, attendendum quod in quibuſdam litteris quæ vobis nunciis diriguntur, & incipiunt, *Deſiderantes ut ea quæ ad unionis, &c.* datur vobis ſub certa forma poteſtas excommunicandi auctoritate apoſtolica eos de partibus illis, quos negotii unionis ejuſdem fore vobis conſtiterit turbatores, cujuſcumque præeminentiæ, conditionis aut ſtatus exiſtant, & in terras eorum interdicti ſententias proferendi, necnon & procedendi alias ſpiritualiter & temporaliter contra ipſos & terras eaſdem, prout utilitati negotii, conſideratis ejus circumſtantiis, videritis expedire. Quodque cum ſimilis poteſtas data fuerit per ſedem eamdem duobus epiſcopis, videlicet Ferentinati & Taurinenſi, qui una cum aliis noviſſime per ſedem ipſam ad idem negotium deſtinati fuerunt, dictus Palæologus ipſos inſtantiſſime requiſivit, & apud eos multotiens & multipliciter inſtitit, ut contra quoſdam magnates & nobiles Græcos partium illarum, qui prædictis imperatori Conſtantinopolitano & regi Siciliæ adhæſerunt, & ipſis ſe confœderaverunt, ipſumque Palæologum impugnare dicuntur, tamquam contra turbatores prædictæ unionis procederent, eos excommunicando & excommunicatos publice nuntiando, ac ipſorum terras ſupponendo eccleſiaſtico interdicto: ipſi tamen epiſcopi poſt inquiſitionem ſuper hoc factam non proceſſerunt in aliquo contra eos, conſultius attendentes, quod nec prædicti prædeceſſores GREGORIUS & INNOCENTIUS hujuſmodi Palæologi ejuſdem inſtantiæ ipſis generaliter contra omnes recedentes & receſſuros a fidelitate ſua porrectæ annuere voluerunt, ſicut apparet in litteris ejuſdem Innocentii, quæ miſſæ fuerunt eidem Palæologo, quæ incipiunt ſic: *Innocentius epiſcopus, &c. Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Palæologo, &c. Dudum ad ſedem apoſtolicam, &c.* quarum tenorem vobiſcum portatis, & ad illas remittunt in fine ſuo prædictæ noſtræ litteræ quas modo portatis Palæologo quæ incipiunt ſic: *Sicut ex litterarum, &c.* Unde & vos ſi forſan idem peteretur a vobis, multum habetis attendere, tam ipſius prædeceſſoris INNOCENTII proceſſum, quam dictorum in hac parte conſtantiam & maturitatem, ut & vos non faciles nec præcipites in hoc inveniamini; ſed diligentes, ſolliciti & maturi, & ita demum contra illos procedatis, ſi manifeſte vobis conſtiterit eos eſſe turbatores unionis ejuſdem, non eo ipſo quod a fidelitate ſeu ſubjectione dicti Palæologi ſe ſubtraxiſſe, præfatis imperatori Conſtantinopolitano & regi Siciliæ adhæſiſſe, eiſque ſe confœderaſſe, ac eumdem Palæologum impugnare dicuntur; ſed ſi directe veniunt contra ipſam unionem, & directe impediunt ne Græci & Latini in caritate mutua, unitate fidei, eccleſiæ Romanæ primatu recognito & ſuſcepto, ſub ipſius obedientia uniantur.

29. Item, licet in proſecutione illorum, quæ vobis commiſſa ſunt, ſummopere ſit cavendum, ne per vos aliquid dicatur vel fiat, per quod negotium rumpatur, aut ipſius, quantum in vobis eſt, rupturæ detur occaſio, volumus tamen, ut non illa ſuperficie tenus, ſicut ab aliquibus hactenus factum eſt: ſed ſic eorum intima & profunda ſcrutemini, & reſponſionem affirmativam vel negativam, ſeu reſponſionis denegationem expreſſam habere ſatagatis ad ſingula, ut in veſtro reditu, divina propitiante clementia, ita poſſit eadem ſedes ſuper toto negotio informari, quod aperte videre valeat, quid in eo ſibi ſuperſit agendum.

EPISTOLA XLIV. NICOLAI PAPÆ III. eiſdem.

Inſtruuntur nuncii ſedis apoſtolicæ qualiter ſuper quibuſdam articulis cum Græcis debeant ſe habere.

1. LIcet memoriali vobis tradito ſuper his quæ apud cariſſimum in Chriſto filium noſtrum M. Palæologum Græcorum imperatorem illuſtrem, ejus primogenitum, & prælatos, totumque clerum Græcorum, vobis imminent promovenda, inter cetera continetur in forma juramenti præſtandi a

prælatis in eodem memoriali contenta, quod iidem prælati promittant manualem obedientiam & reverentiam, tamen si id haberi non possit, dimittatur sub cauta & colorata dilatione, ne in totum videatur negligi vel omitti. Instetur tamen prudenter, si umquam valeat obtineri, & inducantur prælati ad id.

2. Item, licet dicatur in eodem memoriali, ut de professionibus & recognitionibus prælatorum fiant publica instrumenta multiplicanda in varia; tamen si non potest haberi multiplicatio instrumentorum, habeantur plura, prout melius potest fieri.

3. Item, caute & provide, sicut Dominus dederit, procuretis, quod negotium super temporalibus ponatur in manibus summi pontificis, apostolicæ sedis arbitrio terminandum.

EPISTOLA XLV. NICOLAI PAPÆ III. regi Siciliæ illustri.

Ut rex nunciis imperatoris Græcorum per totam terram suam in personis & rebus provideat de securo conductu.

VEnerabilem fratrem nostrum... & dilectum filium.... nuncios carissimi in Christo filii nostri MICHAELIS PALÆOLOGI Græcorum imperatoris illustris, ad propria de nostra curia redeuntes, desiderantes, ut decet, plena in rebus securitate gaudere, serenitatem regiam rogamus & obsecramus in Domino JESU CHRISTO, quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram, nunciis memoratis per totam terram, tam circa mare, quam in partibus Romaniæ, tuæ ditioni subjectam, de securitate hujusmodi provisurus, nullam eis in personis, familiis, equis, aut bonis aliis per totam terram eamdem injuriam patiaris inferri, sed eos sub umbra alarum tuarum ab omni offensa & molestia sic facias cum diligentia custodiri, quod ipsi, tua eos protegente potentia, secure ad sui domini præsentiam revertantur, tibique apud omnes exinde laudis accrescat titulus, & a nobis proveniat gratiarum actio.

EPISTOLA XLVI. NICOLAI PAPÆ III. Regi Siciliæ illustri.

Ut rex ineat treugas cum Palæologo, ut interim possit inter eos & Constantinopolitanum imperatorem de pace tractari.

SIcut tuam novimus excellentiam non latere, felicis recordationis JOHANNES papa prædecessor noster, certis ad partes Græciæ super tractatu spiritualium prosequendo nunciis destinatis, carissimum in Christo filium nostrum MICHAELEM PALÆOLOGUM imperatorem Græcorum illustrem, per suas sub certa forma litteras, quas fecit carissimo in Christo filio nostro PHILIPPO imperatori Constantinopolitano illustri, & tibi tunc in curia Romana præsentibus exhiberi, diligenter monuit & induxit, ut super temporalibus quæ inter memoratum CP. imperatorem & te ipsum ex parte una, & eum ex altera, dissensionis materiam subministrant, animum suum habilitans & disponens ad pacem, ac vias ac modos excogitans, per quos posset super eisdem temporalibus sedari discordia, & concordia provenire, super illis prædictos prædecessoris nuncios informare, & suos apocrisarios ad pacem animum & mandatum habentes, prosecuturos eosdem modos & vias, ad ejusdem prædecessoris præsentiam infra certum tempus in eisdem litteris comprehensum, destinare curaret; & ne interim hinc inde molestiæ vel offensæ procederent, quæ super eisdem temporalibus inter partes concordiam impedirent, inter eas treugas certi temporis persuasit iniri. Verum quia super his adhuc optatus exitus non pervenit; nos venerabilem fratrem nostrum episcopum Grossetanum, & dilectos filios fratres B. de Senis ministrum Syriæ, Philippum Perusinum & Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum, ad partes Græciæ, ad prosequendum quæ circa tractatum spiritualium inter Latinos & Græcos opportuna putavimus, destinantes, super temporalibus memoratis per nostras sub certa forma litteras apud eumdem imperatorem Græcorum eamdem monitionis, inductionis, & persuasionis instantiam iteramus. Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente in Domino JESU CHRISTO, quatenus prudenter considerans, quod sedatio dissensionis ejusdem spiritualiter & temporaliter est multipliciter utilis, & ob hoc valde nobis votiva, sæper dictis treugis incundis ita provideas, & ab eodem imperatore CP. provideri procures, quod ei vel tibi sedationis ipsius impedimentum non valeat imputari; sed & cum apocrisarios ejusdem Palæologi juxta nostram præmissam instantiam venire contigerit, ejusdem imperatoris CP. & tuis nunciis ad hoc concurrentibus coram nobis, libere in negotio & efficaciter, actore Domino, procedatis.

CONCILIUM SENONENSE anno MCCLXXX. celebratum.

Ex archivis monasterii Pontis-Levii.

GIlo miseratione divina archiepiscopus Senonensis, RENOLDUS Parisiensis, GUILLELMUS Autissiodorensis, JOHANNES Meldensis, JOHANNES Trecensis, & GILO Nivernensis, ejusdem gratia episcopi, totumque provinciale concilium Senonense, sede Aurelianensi vacante, venerabili in Christo fratri * S. * Simoni

Dei gratia episcopo Carnotensi, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Gravem religiosorum virorum abbatis & conventus B. Mariæ de Ponte-Levio ordinis B. Benedicti Carnotensis diœcesis, nunc & alias recepimus querimoniam, quod JOHANNES dominus de Ambazia & de Calvo-monte, vacante sede Carnotensis diœcesis, quamplurimas violentias, injurias manifestas, & damna gravia intulit, Dei timore postposito, ac etiam irrogavit, & adhuc non cessat damnabilius irrogare abbati & conventui prædictis ac rebus monasterii prænotati. Propter quas violentias, ac injurias sacrilegas in personas & res præfati monasterii commissas, a venerabili viro archidiacono Blesensi in ecclesia Carnotensi, judice ordinario ejusdem loci, fuit in judicium evocatus ad instantiam eorumdem religiosorum, & cum mandato dicti archidiaconi, & monitioni ejusdem canonice factæ nollet obedire, fuit, sua contumacia exigente, & adhuc est excommunicationis vinculo canonice innodatus, prout in actis coram eodem archidiacono confectis plenius continetur. Verum cum ipsius domini perversa rabies non cessaret peccatum peccato, malitiam malitiæ cumulando, super violentiis & injuriis postmodum personis & monasterio prædictis ab eodem irrogatis & illatis fuit ad judicium evocatus ad instantiam eorumdem religiosorum coram venerabilibus decano & capitulo Carnotensis ecclesiæ, sede vacante; qui quidem decanus & capitulum excommunicationis sententiam certis ex causis, & sua inobedientia exigente, in eumdem dominum promulgaverunt, prout in actis coram eisdem decano & capitulo confectis plenius continetur: quas quidem sententias idem Dominus, Deum non habens præ oculis, vilipendens, ad emendam venire recusavit, & adhuc pertinaciter venire recusat, animo indurato claves sanctæ matris ecclesiæ contemnendo: propter quæ dicti archidiaconus, decanus, & capitulum judices ordinarii dicti loci aggravando sententias prædictas, familiam suam & terram suam Carnotensis diœcesis suppposuerunt ecclesiastico interdicto, quas more solito vilipendens, eas sustinuit diutius, & adhuc sustinet animo indurato. Et quia crescente contumacia, crescere debebat & pœna, Corpus Christi de terra sua Carnotensis diœcesis fuit amotum de mandato decani & capituli prædictorum, justitia exigente. Porro cum dictus dominus Deum non habendo præ oculis, sententias hujusmodi jam sustinuerit per quadriennium & amplius animo indurato, & adhuc sustineat, quod quidem non caret scrupulo hæreticæ pravitatis, vobis auctoritate prædicti concilii mandamus, quatenus moneatis canonice dictum dominum, ut infra mensem a tempore monitionis, absolutionis beneficium postulet, & commissa emendet, & de eis satisfaciat, ac obtineat se absolvi redeundo ad gremium sanctæ matris ecclesiæ, prout forma ecclesiæ hæc requirit. Quod si hæc facere contemserit, ex tunc citetis eum personaliter coram nobis super fide & articulis fidei vobis loco nostri sufficienter responsurum & contra eum processurum, prout postulaverit ordo juris. Vobis enim quantum ad omnia præmissa & singula & dictum negotium contingentia committimus vices nostras, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam auctoritate dicti concilii firmiter observari. In quorum testimonium, ad requisitionem præfati concilii, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum & actum Senonis in nostro provinciali concilio, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo, die Mercurii post festum S. Michaëlis archangeli. (a) [a]

Infra pendent sex prædictorum episcoporum sigilla.

CONCILIUM TERRACONENSE anno MCCLXXXII. celebratum.

Ex ms. Colbertino.

I. CUm nos BERNARDUS miseratione divina Terraconensis archiepiscopus essemus in civitate Terracona personaliter constituti, præsentibus venerabilibus fratribus AL. Barchinonensi, G. Ilerdensi, F. Tirasonensi, R. Vicensi, A. Dertusensi, JA. Oscensi, episcopis suffraganeis nostris; sed V. Calagurricensi, A. Pampilonensi, P. Cæsar-augustano, A. Valentino, P. Gerundensi, P. Urgellensi absentibus, & se per procuratores & litteras excusantibus, & capitulorum ecclesiarum cathedralium & aliorum prælatorum Terraconensis provinciæ procuratoribus, ac venerabilibus & discretis fratre ARNALDO DE CASTRO-NOVO magistro militiæ Templi in partibus Aragoniæ & Cataloniæ, & fratre BERENGARIO DE ALMANARRA tenente locum magistri Ultramanni S. Johannis Jerosolymitani in Castellania Empostæ similiter præsentibus, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sacrosanctum concilium celebrantes, de assensu omnium prædictorum laudamus, concedimus, approbamus & per omnia confirmamus omnes constitutiones factas per prædecessores nostros ad utilitatem, libertatem & defensionem ecclesiarum, clericorum, religiosorum, monasteriorum, & rerum omnium prædictorum.

II. *De honestate vestium.*

Item, statuimus quod clerici omnes pro-

(a) Consequenter Simon Carnotensis episcopus Johannem dominum de Ambasia citavit die Jovis post festum S. Dionysii 1280. qui Johanne Turonensi archiepiscopo & eodem Simone Carnotensi antistite arbitris, ad cor reversus, concordiam iniit cum abbate & monachis Pontis-Levii die Martis post festum S. Andreæ.

vinciæ Terraconenſis, ſive ſint in ſacris, ſive in minoribus ordinibus conſtituti, non portent nec induant camiſias, tunicas, vel alias veſtes cordatas, nec botoneos aureos vel argenteos, vel alicujus alterius metalli deferant in pectore, nec in manicis, nec in aliqua parte veſtis; nec portent ſotulares conſutitios, nec rota tractos; nec aliquas induant ſeu portent veſtes virgatas cum cabiſcio fiſſo in longum. Et ſi quis contra fecerit, pœnam x. ſolidorum uſualis monetæ pro quolibet exceſſu incurrat: quam exigat quilibet diœceſanus, & in proprios uſus convertat.

III. *Contra invaſores, raptores & clericos percutientes.*

Item, declarando conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum, videlicet dominorum PETRI & BENEDICTI bonæ memoriæ, quarum prima incipit, *Olim excommunicaſſe*; & ſecunda, *Cum nos dictus, &c.* ſtatuimus quod quamdiu perſonæ invaſorum & raptorum rerum eccleſiaſticarum, & perſonæ etiam illorum qui in prælatos cathedralium eccleſiarum & aliorum locorum religioſorum Terraconenſis provinciæ ſupradictæ, aut infra terminos locorum fuerint prædictorum, quod ipſæ civitates, caſtra, ſeu villæ & alia loca ceſſent, ipſis invaſoribus, raptoribus, ſeu percuſſoribus præſentibus, penitus a divinis; & dicti malefactores, percuſſores, ſeu raptores, per rectorem ſeu capellanum loci ipſius excommunicati nihilominus nuntientur, & tamquam excommunicati ubique ab omnibus evitentur.

IV. *Contra diffidantes clericos.*

Item, ſacro approbante concilio, addimus conſtitutioni olim editæ per dominum PETRUM bonæ memoriæ prædeceſſorem noſtrum, contra illos qui clericos diffidarent, quod ſi aliquis temeritate propria diffidaverit ſeu acunydari fecerit aliquas perſonas religioſas Terraconenſis provinciæ, fatica juris in diœceſano, in cujus diœceſi prædictæ perſonæ religioſæ morentur, primitus non inventa, ipſum ex tunc, recepta per dictum diœceſanum ab ipſis perſonis de parendo juri idonea cautione, ſi monitus diffidationem non relaxaverit, decernimus excommunicationis ſententiæ ſubjacere, & per ipſum diœceſanum aut rectorem loci illius ubi ipſe diffidator fuerit, excommunicatus, ab omnibus evitetur.

V. *Quod Chriſtianæ non habitent cum Judæis, & eorum filios non nutriant.*

Statuimus etiam, ſacro approbante concilio, quod nulla mulier alicujus loci provinciæ Terraconenſis audeat habitare cum Judæis, aut filios eorum nutrire ſeu lactare; & quæcumque contra hujuſmodi inhibitionem noſtram, poſtquam monita ſuper hoc fuerit, præſumſerit ſupradicta, decernimus eam ex tunc excommunicationis ſententiæ ſubjacere: ita videlicet, quod cum illud diœceſano aut rectori loci illius ubi mulieres ſuper hoc culpabiles inventæ fuerint, extiterit nuntiatum, per jam dictum diœceſanum aut rectorem ipſæ mulieres excommunicatæ nuntientur, & tamquam excommunicatas ab omnibus faciant evitari; & ne ipſæ mulieres de facili in excommunicationis laqueum incidere valeant, ipſo facto, volumus & mandamus, quod præſens conſtitutio per diœceſanum, aut rectorem locorum, in quibus Judæi morantur, ſemel annis ſingulis publicetur.

VI. *De publicatione conſtitutionum.*

Ut autem prædictæ conſtitutiones ad notitiam perveniant ſingulorum, mandamus omnibus epiſcopis ſuffraganeis noſtris, quod in ſynodis ſuis prædictas conſtitutiones faciant publice nuntiari.

VI. *Contra illos qui epiſcopos interficiunt, vulnerant, capiunt, vel percutiunt, vel alium prælatum.*

Quoniam exempla præterita cavere nos ammonent in futurum, idcirco nos BERNARDUS divina miſeratione Terraconenſis epiſcopus, aſſiſtentibus nobis venerabilibus fratribus noſtris ARNALDO Barchinonenſi, R. Vicenſi, P. Urgellenſi, JAC. Oſcenſi, JASPERTO Valentinenſi, GARCIA Tiraſonenſi, BN. Gerundenſi, & G. Ilerdenſi epiſcopis, ac procuratoribus aliorum epiſcoporum abſentium, necnon & capitulorum cathedralium eccleſiarum & collegiatarum, & quamplurimis aliis prælatis præſentibus, ſacro Terraconenſi approbante concilio, ſtatuimus, ut quicumque, inſtigante diabolo, per ſe vel per alium interfecerit, vel vulneraverit, vel ceperit, aut percuſſerit aliquem epiſcopum, omnibus feudis, ac rebus aliis, & beneficiis univerſis quæ in eccleſiis quibuſcumque Terraconenſis provinciæ tempore commiſſi ſceleris obtinebit, ipſo facto, perpetuo ſit privatus, & pleno jure eccleſiis a quibus prædicta tenuerit, applicentur; nec deſcendentes ab eodem malefactore uſque ad quartam generationem ad gradum aliquem clericatus provehantur, nec beneficium aliquod eccleſiaſticum feudale, vel aliud quodlibet in Terraconenſi provincia aſſequantur, ne minus vindictæ quam exceſſus memoria tanti facinoris prorogetur. Adjicientes, quod ſi quis epiſcopus, vel alius quicumque prælatus, aliquem de prædictis deſcendentibus ad aliquem ordinem promovere, vel aliquod eccleſiaſticum beneficium, ſeu quodlibet aliud conferre præſumſerit, & a collatione illius ordinis, quem ſcienter contulit, per biennium ſit ſuſpenſus, & collatio ejuſdem beneficii ſit irrita ipſo jure, & ea vice per proximum

ximum ſuperiorem de illo beneficio ordinetur. Si vero aliquem de prælatis inferioribus ab epiſcopis, ſeu alios, vel canonicum eccleſiæ cathedralis auſu temerario quiſquam interficere aut mutilare præſumſerit, & filii ſui incurrant pœnam expreſſam ſuperius ipſo facto, proviſo quod illis feudis & poſſeſſionibus quibuſcumque tantummodo ſint privati, quæ ab eccleſiis quarum perſonas ſic læſerint, modo quolibet obtinebunt. Hoc ſalvo quod alias ſuper hoc in canonibus continetur. Et prælatus qui tales malefactores, vel filios eorum ad aliquem ordinem promovere, vel cuiquam beneficium eccleſiaſticum conferre præſumſerit, a collatione illius ordinis, quem ſcienter contulit, per annum noverit ſe ſuſpenſum, & collatio hujuſmodi ſit irrita ipſo jure, & ea vice de beneficio per ſuperiorem proximum ordinetur. Quicumque autem de prædictis malefactoribus vel filiis ſuis a quocumque epiſcopo ſciente vel ignorante ordinem receperit, executionem non habeat ordinis ſic ſuſcepti, nec beneficii collatio valeat, ut eſt dictum, ſalvis tamen omnibus aliis pœnis canonicis, quibus per hanc conſtitutionem non intendimus in aliquo derogari. Hæc autem ſtatuta ſalubriter per diœceſanos epiſcopos provinciæ Terraconenſis ſingulos in ſynodis ſuis & diœceſibus præcipimus publicari, & nihilominus hi qui prædictas pœnas incurrerint, in ſynodis nuncientur. Datum apud Terraconam XI. calendas Aprilis, anno Domini MCCLXXXII.

EPISTOLA MARTINI PAPÆ IV. ad J. tituli S. Ceciliæ preſbyterum cardinalem in Franciam apoſtolicæ ſedis legatum.

Ut quædam ſtatuta per archiepiſcopum Turonenſem in ſuo provinciali concilio facta corrigat.

Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio J. tituli S. Ceciliæ preſbytero cardinali S. & A. B.

Non indignæ ſollicitudinis ſtudium apoſtolica ſibi ſedes inducit, ut veluti cunctorum mater & magiſtra fidelium quæ corrigenda viderit, & quæ cognoverit reformanda confirmet, ut humanis actibus regula limitatis, grex dominicus, cujus nobis eſt, diſponente Domino, commiſſa cuſtodia, pacis tranquillæ commodis gratuletur. Intellexi-
[a] mus ſiquidem, quod venerabilis frater noſter archiepiſcopus Turonenſis favens propriæ voluntatis arbitrio, pridem (a) inter cetera, quæ in ſuo provinciali concilio noſcitur ſtatuiſſe, ut poteſtates ſæculares eccleſiaſticaſve perſonas opprimentes, quos ſtatuta canonum volentia immunitati eccleſiæ providere, ſtatuunt uſque ad ſatisfactionem congruam excommunicationis ſententiæ ſubjacere, præcepit ejuſdem proviſione concilii excommunicatos per omnes cathedrales, collegiatas & parrochiales eccleſias Turonenſis provinciæ diebus dominicis nunciandos, nec non & ſingulos qui juridictionem ordinariam eccleſiaſticam, antiquas eccleſiaſticas conſuetudines & etiam libertates impedire, diminuere, turbare, vel in aliquo uſurpare præſumſerint quoquo modo, ac omnes illos qui conſilium, auxilium, auctoritatem, mandatum opemve præbuerint ad præmiſſa, clam vel palam, cujuſcumque conditionis, ordinis aut ſtatus exiſtant, prædicti auctoritate concilii excommunicationis ſententia innodavit. Illos etiam qui de oppreſſione, uſurpatione, læſione aut diminutione, perturbatione ſeu impedimento, vel aliquo præmiſſorum hujuſmodi ſuſpecti fuerint, niſi ad mandatum ordinariorum ſe purgare curaverint, tamquam de hoc ob hoc convictos merito, quos auctoritate prædicta, uſque ad ſatisfactionem congruam excommunicationis ſententiæ voluit præfatus archiepiſcopus ſubjacere ipſo facto, præcepit nominatim modo ſimili publice nunciari. Statutum quoque provincialis concilii contra illos, qui, ut ejuſdem archiepiſcopi verbis utamur, ponunt in religioſis domibus comeſtores, olim editum, ad illos archiepiſcopus memoratus extendit, qui comeſtores hujuſmodi vel cuſtodes in domibus prælatorum aut aliarum perſonarum eccleſiaſticarum etiam quarumcumque ponere dinoſcuntur, quoſque ſimili ſententia innodavit. Cum itaque ſtatuta hujuſmodi eorum generalitate, perplexitate, involutione ac qualitate penſatis, ſpiritualiter & temporaliter quamplurimum captioſa fore, ſi diligenter attenditur, dinoſcantur, ac proinde limam debitæ correctionis expoſcant, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſtatuta ipſa tibi faciens exhiberi, ea prudenter & provide corrigas, immutes, emendes, temperes, modereris, & reformes, in quibus, & prout tibi ratio ſuggeret, & æquitas ſuadebit, contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum apud Urbem-veterem IV. nonas Maii pontificatus noſtri anno III.

(a) Iſtud concilium celebratum fuit anno 1282.

CONCILIUM MELFITANUM

anno MCCLXXXIV. celebratum a Gerardo Sabinenſi epiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato.

Ex mſ. bibliothecæ regiæ.

CONSTITUTIONES DOMINI G. SABINENSIS EPISCOPI, IN REGNO SICILIÆ APOSTOLICÆ SEDIS LEGATI.

I. *Ut Græci in regno Siciliæ conſtituti addant in ſymbolo*, Filioque procedit.

SPonſa Chriſti, fidelium mater omnium & magiſtra, ſacroſancta videlicet Romana eccleſia, orthodoxorum patrum atque doctorum firmiſſimis vallata ſententiis, Spiritum-ſanctum a Patre & Filio ab æterno publice tenet, docet & prædicat, & etiam profitetur. Cum itaque unumquemque fidelium, ſi ſalvus eſſe voluerit, & æternæ damnationis non ſubire judicium, cum ea ſentire & tenere oporteat & etiam profiteri; nos inter eos, quos catholicæ fidei fovere debet integritas, nullius varietatis involutum vendicet locum, ſalubriter conſtitutione duximus ſtatuendum, ut omnes Græci clerici in regno Siciliæ exiſtentes, ut diſcrepare nequaquam videantur a capite, ſed in præmiſſis ſalubriter ſentire, cum ipſa in illa parte ſymboli, ubi dicitur *& in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre*, hoc ſalubriter adjiciant, cantent & profiteantur firmiter & obſervent, *Filioque procedit*, illud in ſuis libris, in quibus ſymbolum ſcriptum habent, infra duos menſes a tempore publicationis conſtitutionis hujus ad perpetuam & futuram memoriam faciant annotari. Ad quod ſi in animarum ſuarum periculum ſuper hoc non fuerint concordes, volumus eos per locorum ordinarios vel prælatos per ſubtractionem & privationem beneficiorum compelli. Si vero locorum ordinarii vel prælati infra unum menſem prædictos duos immediate ſequentem, ſuper compulſione & correctione hujuſmodi fuerint negligentes, tamdiu a pontificalibus, ſi epiſcopi vel ſuperiores fuerint, quam minores qui immediate præeſſe noſcuntur, ab officio, ipſo facto, auctoritate conſtitutionis hujus noverint ſe ſuſpenſos, donec per illationem debitæ caſtigationis innoxios negligentiam ſuam in melius reformaverint. Et ad hoc ut hujus noſtræ conſtitutionis ſalubre edictum effectum debitum efficaciter ſortiatur, volumus quod per epiſcopos ſive prælatos eoſdem, ſub pœna prædicta contra prædictos Græcos, ſingulis annis ſuper hoc diligentius inquiratur. Datum Melfiæ v. calendas Aprilis potificatus domini Martini IV. anno IV.

II. *Contra gravantes eccleſias & perſonas eccleſiaſticas.*

Cum felicis recordationis dominus GREGORIUS X. in concilio Lugdunenſi omnes illos qui clericos vel quaſlibet alias perſonas eccleſiaſticas, ad quos in aliquibus eccleſiis, monaſteriis, aut aliis piis locis ſpectat electio, pro eo quod rogati, ſeu alias inducti, eum, pro quo rogabantur ſeu inducebantur, eligere noluerunt, [ipſos] vel conſanguineos eorum, aut ipſas eccleſias, monaſteria, ſeu loca cetera beneficiis ſeu aliis bonis ſuis, per ſe vel alios ſpoliando, ſeu alias injuſte perſequendo gravare præſumſerint, ipſo facto excommunicationis ſententia ſe noverint innodatos: nos eidem conſtitutioni, ut in regno Siciliæ ſervetur in poſterum, ſalubriter duximus adjungendum, quod quicumque clericos vel perſonas eaſdem, ad quos electio ipſa in locis prædictis noſcitur pertinere, vel ipſorum conſanguineos in perſonis ſeu rebus vel bonis eorum, vel alias quomodocumque per ſe, vel alium, ſeu alios, directe vel indirecte, ut aliquem vel aliquos eligere debeant, opprimere ſeu etiam gravare præſumſerint, ex hujuſmodi injuriis, vel gravaminibus, vel preſſuris, ſive ſecuta electio fuerit, vel etiam non ſecuta, ipſo facto, ut ſuperius eſt expreſſum, excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere: quam quidem conſtitutionem noſtram volumus etiam ad proviſionem extendi, ut idem in eo quod in electionibus ſuperius exprimitur, obſervetur.

III. *Contra illos filios Græcorum, qui contrahebant vel duxerant matrimonia, & faciebant ſe ad ſacros ordines promoveri.*

Sicut nuper ad noſtrum pervenit auditum, non nulli, qui nati ſunt ex Latinis parentibus, dum in minoribus ſunt ordinibus conſtituti, matrimonia contrahunt, & poſtmodum ritus volentes obſervare Græcorum, quos iidem Græci ſemper habuiſſe ferunt ab eccleſia primitiva, durantibus matrimoniis hujuſcemodi, ſe faciunt ad ſacros ordines promoveri. Nos itaque inſolentiis hujuſmodi obviare volentes, prælatis omnibus ditrictius inhibemus, ne aliquem clericum conjugatum, uxore non emittente caſtitatis votum, ad ſacros ordines promovere præſumat, niſi evidenter eiſdem conſtiterit, quod iidem promovendi de Græcis parentibus ſunt producti. Volumus autem quod prælatis, qui ſcienter tales duxerint ordinandos, per annum a collatione ordinum quos contulerint, ſint ſuſpenſi, & ordinati ab officio & beneficio perpetuo ſint privati.

IV. *Contra epiſcopos & alios prælatos, qui ducebant presbyteros Græcos ad ſacrificandum Latinis.*

Licet felicis recordationis dominus INNO-

CENTIUS papa IV. districte statuendo præceperit, ut quoties intra eamdem civitatem atque diœcesim, permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus & mores, locorum pontifices viros idoneos debeant ordinare, qui secundum diversitatem rituum & linguarum divina illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo verbo pariter & exemplo; nonnulli tamen abbates & personæ ecclesiasticæ, qui sub se habent ecclesias & populum Latinorum, avaritiæ dediti, quæ idolorum est servitus, non considerantes præmissa, quodque in diversitate hujusmodi, si Græcus Latinis divina officia celebret, ignorans Latinus populus & Græci sermonis ignarus, nesciet, ut est moris in ecclesia, sacerdoti *amen* &c. respondere, minime advertentes, sacerdotes Græcos Latinos ipsis præficiunt, qui eisdem celebrant & ministrant ecclesiastica sacramenta, pro eo quod eos minori pretio possunt obtinere conductos. Nos itaque volentes insolentias hujusmodi protinus amovere, hoc fieri sub pœna suspensionis, quam ipsos abbates & alios incurrere volumus, ipso facto, si confecerint, districtius inhibemus.

V. *Contra clericos habentes concubinas, & etiam contra ipsas concubinas.*

Licet felicis recordationis dominus ALEXANDER papa III. duxerit statuendum, quod clerici, qui focarias habere noscuntur, per prælatos, ut eas a se amovere debeant, moneantur, eas de cetero minime admissuri; ita quod, si adquiescere contemserint, eos ab ecclesiasticis beneficiis usque ad satisfactionem condignam suspendere debent, & si eas suspensi detinere præsumserint, debent ipsos ab eisdem beneficiis perpetuo removere: quia tamen ex constitutione hujusmodi nulla vel modica utilitas provenit, propter negligentiam prælatorum, nos huic constitutioni, quam in regno Siciliæ observari volumus, duximus adjungendum, ut si clerici qui nunc habent publice concubinam, infra duos menses a tempore publicationis præsentis constitutionis hujusmodi computandos, concubinas a se taliter non amovent, ipsas vel alias in domo propria vel aliena minime admissuri, ipso facto, ab officio & beneficio sint suspensi, & si eas retinuerint usque ad mensem alium beneficiis per locorum ordinarios perpetuo ammoveantur: quam extendi volumus ad eos etiam qui publice concubinas recipient in futurum. Quod si archiepiscopi, episcopi, & alii inferiores exemti, vel non exemti, ad quos spectat correctio clericorum, ad procedendum per correctionem hujusmodi contra tales clericos observandam fuerint negligentes, tamdiu ab ingressu ecclesiæ noverint se suspensos, donec constitutionem ipsam debitæ executioni mandabunt. Ut autem mulieres seu concubinæ hujusmodi, quæ in eodem crimine scienter participant criminosis, pœnam [debitam] non possint effugere, si infra tempus præfixum concubinarii, quod superius expressum est, ab eis non recesserint, numquam ad eos postmodum redituræ; vel aliæ fuerint, quæ de novo sibi concubinarios fecerint, ex tunc, ipso facto, excommunicationis sententiæ volumus subjacere. Ceterum ne prælatus aliquis ad pecuniarum quæstum vel lucrum constitutionem hujusmodi præsumat convertere, districtius inhibemus, ne quis pecuniam vel emolumentum aliquod in utilitatem propriam concedere recipiat in hac causa: quod si contra fuerit perpetratum, si archiepiscopus, episcopus, aut abbas, vel alius prælatus exemtus extiterint, qui delinquunt in receptione hujusmodi, donec duplum ejus quod receperit in pios usus convertat; archiepiscopus vel episcopus a pontificali officio; abbas vero vel alius prælatus exemtus ab officio sit suspensus; alii vero abbates, minoris & inferioris gradus personæ, sententiæ excommunicationis subjaceant, ipso facto, a qua absolvi non possint, nisi duplum ejus quod receperint, in opus pietatis duxerint convertendum.

VI. *De procuratore statuendo post mortem prælati, & de ratione reddenda.*

Cupientes ecclesiarum vel locorum ecclesiasticorum vacantium indemnitatibus providere, salubri hoc edicto in perpetuum valituro duximus statuendum, ut mortuo archiepiscopo, episcopo, vel abbate, seu quovis alio abbate, canonici, monachi, vel alii clerici ecclesiæ, monasterii, seu loci vel monasteriorum prædictorum procuratores constituant, qui custodiant bona, ac fructus, reditus & proventus, provenientes de bonis ecclesiæ, monasterii, seu loci hujusmodi recipiant, exigant, & conservent, de illis reddant capitulo annis singulis rationem. Nullus autem monachus, canonicus, conversus, clericus, vel laicus de bonis ecclesiarum & locorum hujusmodi appropriare sibi, detinere, distrahere, vel in alios [usus] quomodolibet illicite transferre præsumat; sed omnia futuro pontifici integre reserventur. Procuratoribus vero pro labore ipsorum, consideratis ecclesiarum & locorum facultatibus, & qualitatibus personarum, competens salarium statuatur. Si quis autem aliquid appropriare sibi contra constitutionis præsentis tenorem præsumserit, duplum eidem ecclesiæ infra mensem restituere teneatur. Canonici vero vel clerici ecclesiarum & locorum ipsorum, procuratores, qui & inventarium [non] fecerint ac ablata reddere, & rationem, ut superius est expressum, ponere vel recipere contemserint, a beneficiis

quæ ab eadem ecclesia tenent per triennium sint suspensi, si fuerint sæculares, & si infra tempus prædictum se ipsis ingesserint, ipsis perpetuo sint privati: si autem monachi seu canonici regulares, incligibiles ad quamlibet dignitatem seu officium vel beneficium perpetuo habeantur.

VII. *De prohibitis alienationibus.*

Quia nonnulli prælati ecclesiarum, etiam ecclesiastici viri, cupiditatis vitio laborantes, terras, domos & alia bona ecclesiastica immobilia ad longum tempus locare præsumunt, in ipsius contractus initium recipientes aliquam pecuniæ quantitatem, & postmodum annis singulis longe minorem, quam ipsorum bonorum seu possessionum fructus valere noscuntur; & alii ad locationes hujusmodi faciendas inducuntur minis & terroribus laïcorum: statuimus, & hoc edicto perpetuo inhibemus, ne aliquis prælatus seu clericus sæcularis seu etiam regularis, domos, terras, possessiones, vel quævis alia bona, loca ecclesiastica immobilia, aliquibus ultra quinquennium, nisi evidens & manifesta necessitas vel utilitas ecclesiæ prolixius locationis tempus exposcat, locare audeat vel præsumat: ex qua quinquennali vel prolixiori locatione pecuniam nullam recipiant, nisi, sicut tangit singulos, nomine pensionis; & locatio eadem semper licitationibus exponatur. Inhibemus insuper permutationes, venditiones, emphiteosim, & quoslibet contractus alios de rebus ecclesiasticis fieri, nisi in casibus a jure permissis: ita tamen quod in eis debita juris solemnitas observetur. Nos enim omnes contractus superius nominatos, si aliter eos fieri contingeret, irritos decernimus & inanes. Locatores vero & clericos etiam præbentes consensum eis, sive regulares fuerint, sive etiam sæculares, nec non directe vel indirecte, ut prædicitur, compellentes eosdem, excommunicationis sententia innodamus, a qua absolvi non possint, quousque de facto revocetur contractus, & ecclesia reddatur indemnis. Possessiones vero & quælibet bona immobilia ultra tempus prædictum aliis jam locata ab eisdem prælatis, protinus revocentur, & cum ad ecclesias ipsas redierint, non alienentur, vel locentur aliter, nisi sicut superius est expressum.

VIII. *Contra appropriantes & spoliantes ecclesias bonis suis.*

Cultum divinum nonnulli ecclesiarum prælati & personæ ecclesiasticæ diminuere & enervare non verentes, parrochiales ecclesias & capellas sibi subjectas, vel in quibus monachus vel clericus sæcularis institui consuevit ad vitam vel ad tempus non modicum, cupiditatis vitio seu carnalitatis affectu, aliquibus laïcis sub annuo censu concedunt, alii vero ad concessionem hujusmodi minis & terroribus inducuntur, nonnulli etiam, nisi timentes facere fraudem legi, bona ecclesiarum & capellarum ipsarum modo prædicto locare præsumunt, ex quo capellæ & ecclesiæ hujusmodi remanent bonis omnibus spoliatæ, ita quod in ipsis nullatenus vel minus debite in divinis officiis deservitur: Nos igitur locationes hujusmodi a jure damnatas penitus reprobantes, expressius inhibemus, ne aliquis prælatus, seu persona ecclesiastica, sæcularis vel etiam regularis, locationem hujusmodi faciat, seu facienti consentiat vel subscribat. Nam locationi consentientes & etiam subscribentes, nec non & laïcos recipientes ecclesias seu terras modo prædicto, excommunicationis sententia innodamus, a qua nequaquam absolvi possint, quousque contractus sic de facto habitus revocetur totaliter, & ecclesia ipsa indemnis etiam conservetur.

IX. *Ut dictæ constitutiones inviolabiliter observentur.*

Quia constitutionum editio, quæ ut plurimum pro reformatione status hominum producuntur, obtinere debet roboris firmitatem, universis archiepiscopis & episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis per regnum Siciliæ constitutis, tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, ut constitutiones, quas in generali vacatione prælatorum regni Siciliæ apud Melfiam in præsenti edidimus, observent, & a subditis suis faciant inviolabiliter observari; & hoc ut efficacius ad notitiam perveniat singulorum, volumus quod constitutiones ipsæ per prælatos locorum singulis annis in eorum synodis publice recitentur. Datum Melfiæ v. calendas Aprilis, pontificatus domini Martini papæ IV. anno quarto.

LITTERÆ CAPITULI Majoris-monasterii ad capitulum Turonense, quibus excusat absentiam sui abbatis, qui propter profectionem in Angliam concilio Andegavis indicto non poterat interesse.

Ex autographo.

Viris venerabilibus & discretis decano & capitulo Turonensibus eorum devoti fratres capituli Majoris-monasterii Turonensis, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Cum vos auctoritate apostolica vobis in hac parte commissa, nos & abbatem nostrum ad provinciale concilium Andegavis die dominica ante instans festum Purificationis B. Mariæ Virginis, ibidem auctoritate apostolica, favente Domino, celebrandum, feceritis evocare, & idem abbas noster diu, an-

tequam ad nos veſtræ litteræ perveniſſent, pro negotio ejuſdem monaſterii extra regnum Franciæ in Anglia eſſet abſens, & adhuc ſit, ſicque non poſſit dicta die dominica Andegavis intereſſe ; dilectos nobis in Chriſto fratres Bartholomæum magiſtrum priorem dicti monaſterii noſtri, prioremque de Vivonio Martinum camerarium, Amauricum tertium priorem, ac Oliverium generalem procuratorem monaſterii ſupradicti, exhibitores præſentium ad excuſandum ipſum abbatem propter præmiſſa, ad audiendum & referendum ſtatuta & ordinata . . . . . tam pro nobis, prædicto capitulo, quam pro prioribus eidem monaſterio ſubditis, & ad deliberandum, loco noſtri & priorum prædictorum, ſuper negotio pro quo permanavit citatio concilii memorati, & ad faciendum in eo omnia quæ occurrerint facienda, & quæ nos & priores prædicti facere poſſemus & deberemus, ſi præſentes eſſemus, & quæ mandatum exigunt ſpeciale, facimus, & conſtituimus quemlibet eorum in ſolidum procuratores noſtros & nuncios ſpeciales, ratum & gratum habentes & habituri quicquid per dictos procuratores noſtros vel alterum eorumdem factum fuerit in præmiſſis. Et hoc diſcretioni veſtræ, & ſæpedicto concilio, & omnibus quibus ſignificandum eſt, & quorum intereſt, ſignificamus per præſentes litteras ſigillo noſtro ſigillatas. Datum die Jovis ante converſionem B. Pauli apoſtoli, anno MCCXCI.

CONCILIUM TERRACONENSE anno Domini MCCXCI. celebratum.

Ex mſ. Colbertino.

[a] I. ANno Domini MCCXC primo (*a*), die ſabbati quæ fuit idus Martii, nos RODERICUS permiſſione divina ſanctæ Terraconenſis eccleſiæ archiepiſcopus in civitate Terraconenſi perſonaliter conſtituti, de mandato ſpeciali litteris nobis facto, & auctoritate ſanctiſſimi patris & domini, meritiſque beati, domini NICOLAI divina providentia ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummi pontificis, aſſiſtentibus nobis venerabilibus fratribus R. Vicenſi, P. Urgellenſi, A. Dertuſenſi, fratre BERENGARIO Barchinonenſi, V. Cæſarauguſtano, fratre ADEMADERIO Oſcenſi, GERALDO Ilerdenſi, abſentibus MICHAELE Pampilonenſi, ALMORAVIO Calagurritano & Calciatenſi, P. Tiraſonenſi, R. Valentino, Bn. Gerundenſi, ſe per procuratores & litteratorie excuſantibus, nec non nobili ac religioſo viro fratre BERENGARIO de Cardona, domorum militiæ Templi in partibus Aragoniæ & Cataloniæ magiſtro, & procuratore magiſtri S. Johannis Jeroſolymitani, procuratoribus capitulorum eccleſiarum cathedralium ac collegiatarum, monaſteriorum, aliorumque prælatorum Terraconenſis provinciæ præſentialiter conſtitutis ; præſentibus etiam diſcretis & religioſis viris abbatibus, præpoſitis, prioribus, archidiaconis & decanis, nec non & pluribus aliis eccleſiarum prælatis præfatæ provinciæ, tam exemtis quam non exemtis, ad hoc ſpecialiter evocatis, ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, apud civitatem & eccleſiam Terraconenſem ſponſam noſtram, cui licet immeriti divina clementia paſtoralis officii debito præſidemus, ſanctum provinciale concilium celebrantes, præfato ſacro concilio approbante, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, laudamus, concedimus, approbamus, & irrefragabiliter per omnia confirmamus conſtitutiones factas per prædeceſſores noſtros ad utilitatem, libertatem & defenſionem eccleſiarum, clericorum & religioſarum perſonarum, monaſteriorum, hominum, rerum, ac bonorum omnium prædictorum.

II. *De vita & honeſtate clericorum.*

Quoniam pium eſſe dinoſcitur & conſentaneum rationi, ut clerici qui in ſortem Domini eliguntur, decentius & honeſtius inter alios in habitu & in aliis agendis ſuis ſe debeant gerere & habere, qui per vitæ munditiam & converſationem laudabilem, formam & exemplum in moribus & vita ceteris dare debent, qualiter in domo Domini alios oporteat converſari ; ſacro approbante concilio, ſtatuimus, ac diſtricte præcipiendo mandamus univerſis & ſingulis clericis, præſertim ſacerdotibus, & prælatis beneficiatis, atque in ſacris ordinibus conſtitutis, ut honeſta deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda, coronam & tonſuram habeant congruentem. Si quis vero comam nutritam, ſive barbam, ſive tonſuram non deferat congruentes, & infra duos menſes a tempore publicationis conſtitutionis iſtius, ſe non emendaverit in hac parte, ingreſſum eccleſiæ auctoritate præſentis conſtitutionis ſibi noverit interdictum. Sane quia, ut in nonnullis ejus provinciæ cathedralibus eccleſiis ac collegiatis uſus inordinatus permiſit hactenus, ne dicamus abuſus, canonici & miniſtri unius diei ſervitio deputati, unum intrant, quorum ad unum & idem officium faciendum, adeo tamen ab unitate habitus diſcrepantes, quia non repræſentant hujuſmodi debitam unitatem, propter quod non abſque rubore ab illo patrefamilias, cui ſerviunt, audire forſan poterunt : *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem ?* Ideo nos cupientes univerſos prædictos & ſingulos ad uniformitatem debitam coaptare, quod vere in eccleſia Dei unum ovile apparere valeat &

(*a*) Alibi dicitur hoc concilium anno 1292. celebratum, quo revera idus martii incidunt in ſabbatum.

etiam unus paſtor: præſertim cum hujuſmodi dumtaxat conformitatis habitus divitibus nequeat eſſe oneroſus, nec ſuo modo pauperibus nimium ſumtuoſus, ſacri approbationi concilii ſtatuimus, ut archiepiſcopus, epiſcopi, canonici regulares, ſæculares cathedralis eccleſiæ ſeu collegiatæ intra eccleſiam ſuam vel extra ad divina officia cappas non deferant niſi nigras, ſericis dumtaxat exceptis, quæ ratione ſolemnitatis vel officii juxta conſuetudinem cujuſlibet eccleſiæ certis temporibus deferuntur. Qui vero contra facere præſumſerit, tamdiu ab ingreſſu eccleſiæ noverit ſe ſuſpenſum, donec præſens ſtatutum effectu duxerit obſervandum.

III. *Contra diffidantes clericos.*

Exigit perverſorum audacia, ut non ſolum ſimus delictorum prohibitione contenti, ſeu pœnam etiam delinquentibus imponamus. Sacri igitur approbatione concilii adjicientes præſentis ſtatuti ſuffragio conſtitutionibus olim editis per prædeceſſores noſtros contra illos qui clericos diffidarent, ſtatuimus, ut clericus aut religioſus, cujuſcumque dignitatis, ordinis, conditionis, ſeu ſtatus exiſtens, diffidaverit, acunydaverit ſeu acunydari fecerit vel procuraverit prælatum, clericum, aut beneficiatum, vel in ſacris ordinibus conſtitutum, aut aliam perſonam religioſam, ſeu canonicum eccleſiæ cathedralis Terraconenſis provinciæ temeritate propria, quæ lege damnatur, grave damnum intulerit vel inferri procuraverit, niſi diffidamenta fecerit revocari, & damna exinde illata non curaverit emendare, infra menſem a tempore diffidationis vel damni alias dati, quem ſibi monitione canonica duximus aſſignandum; quia juxta quantitatem & qualitatem culpæ debet eſſe quantitas & qualitas pœnæ, ut fructus condignos faciant pœnitentiæ; ſiquidem prælatum ſuum diffidaverit vel diffidari procuraverit, vel grave damnum dederit, aut dari procuraverit, ab officio & beneficiis omnibus per triennium completum ſit eo ipſo ſuſpenſus, ac nihilominus, ipſo facto, ſententiam excommunicationis incurrat. Si vero alium quam prælatum diffidaverit, vel diffidari procuraverit, ſimiliter ſit ſuſpenſus & excommunicatus, & deinde perpetuo ſuſpenſus & excommunicatus remaneat, donec diffidamenta revocari, aut damna illata fecerit emendari. Si vero interea ſic ſuſpenſus aut excommunicatus perceptioni ſuorum beneficiorum ſe ingeſſerit per ſe vel per alium, quocumque colore quæſito, aut divinis officiis ſe immiſcuerit, ſit inhabilis ad alia beneficia obtinenda, nec ſuper hoc per alium quam per Romanum pontificem cum alio valeat diſpenſari, nec ſuper aliquem poſſint hujuſmodi ſententiæ revocari, donec diffidamenta revocaverit & revocari fecerit, & de damnis illatis & injuriis ſatisfecerit cum effectu: aliter autem facta abſolutio vel relaxatio nullius penitus ſit momenti. Medietas autem fructuum beneficiorum talium ſuſpenſorum & excommunicatorum, durante contumacia & rebellione ipſorum, ordinariis applicetur; alia vero medietas in terræ ſanctæ ſubſidium per eoſdem ordinarios convertatur. Si vero is qui præfatos exceſſus commiſerit, vel aliqua præmiſſorum, non ſit beneficiatus, ipſo facto, ſententiæ excommunicationis ſubjaceat, donec de prædictis commiſſis ſatisfecerit, ut de aliis eſt jam dictum. Aliter autem ſibi impenſa abſolutio ſit irrita ipſo jure, ac nihilominus abſolutione obtenta, tanto tempore ſit inhabilis ad eccleſiaſticum beneficium obtinendum, quanto in excommunicatione perduraverit animo indurato, nec ſuper hoc per alium quam per Romanum pontificem cum eodem valeat diſpenſari.

IV. *De perjuris.*

Item, quamvis pia ſit conſideratione ſtatutum, quod non merentur eccleſias regere, qui ſunt perjurii crimine irretiti, nec vivere de patrimonio crucifixi, quem ſic irreverenter & enormiter contemſerunt. Attendentes quod nonnulli antiqui hoſtis invidia procurante, in contumeliam Redemtoris & non modicum animarum ſuarum diſpendium, temere violant per eos præſtita juramenta, nos huic morbo damnabili & peſtifero, quantum poſſumus, competentibus remediis obviare volentes, hac edictali conſtitutione ſancimus, ut ſi quis clericus famæ ſuæ prodigus, & proprii perſecutor honoris, juramenti religionem ſpernit, nulla cogente neceſſitate, ſed libero arbitrio & voluntate contra jus, jurandum a ſe præſtitum, putaverit eſſe veniendum, & de hoc coram ſuo judice ſit confeſſus, vel legitima probatione convictus, vel alias de præmiſſis conſtiterit evidenter, pœnam xx. morabotinorum, ipſo facto, ſe noverit incurriſſe, ejus ordinario abſque remiſſione aliqua confiſcandam. Dignum eſt enim, ut quos Dei timor a malo non revocat, temporalis ſaltem coherceat ſeveritas diſciplinæ. Quod ſi ſolvendo non fuerit, ſicut alii reatus taliter caſtigetur, quod pœnâ ipſorum ceteris auferatur audacia talia præſumendi, ſalvis tamen omnibus aliis pœnis canonicis contra tales editis, quibus per conſtitutionem præſentem non intendimus in aliquo derogari.

V. *Contra excommunicatos abſolutionem non petentes.*

Item, cum medicinalis ſit excommunicatio, non mortalis; diſciplinans, non eradicans, dum is in quem lata fuerit, non contemnat, hoc conſultiſſimo ſtatuimus edicto, quod ſi clericus in quocumque ordine con-

ſtitutus, canonice fuerit excommunicationis ſententia innodatus, & publice nunciatus, & negligens in abſolutione petenda, per ſex menſes continue in excommunicatione ipſa contumaciter ex certa ſcientia perſtiterit, quia nihil obedientia prodeſſe videretur humilibus, ſi contemtus contumacibus nunciatus non obeſſet: ſi beneficium eccleſiaſticum habuerit, pœnam xx. morabotinorum incurrat. Quod ſi beneficiatus non fuerit, ideo propriæ ſalutis oblitus, per annum continuum in prædicta excommunicationis ſententia perduraverit, pharaonico animo damnabiliter obſtinatus; quia creſcente contumacia, creſcere debet & pœna, ſtatuimus ut lx. aureos ſuo ordinario applicandos ſolvere teneatur. Si vero ultra annum in excommunicatione perſtiterit, tamdiu ab officio & omnibus beneficiis quæ obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus, donec ſe abſolvi fecerit: & poſtea nihilominus tanto tempore, quanto poſt annum, ut præmittitur, in excommunicatione permanſerit. Nec per ordinarium aliter poſſit abſolvi, nec pœna prædicta remitti, aliter autem abſolutio ei impenſa & remiſſio facta nullius penitus ſit momenti.

VI. *Contra illos qui miniſtrant ſacramenta eccleſiæ alieno parochiano.*

Item cum eccleſiaſtica ſacramenta ſint miniſtranda per proprium ſacerdotem, juxta canonica inſtituta, ſacri approbatione concilii duximus providendum, quod nullus clericus præſumat quodcumque ſacramentum alteri parochiano aliquatenus miniſtrare, abſque licentia proprii rectoris vel diœceſani, ſeu officialis ejuſdem. Qui vero contrarium temeritate propria, quæ lege damnatur præſumſerit attentare, pœnam xx. morabotinorum diœceſano vel ordinario, cui ſubeſſe dinoſcitur, ſolvere compellatur. Volumus tamen quod ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ tempore neceſſitatis cogentis extremæ poſſit conferri & diſpenſari a quolibet ſacerdote, memorata pœna in aliquo non obſtante.

VII. *Contra Toletanum archiepiſcopum.*

Item, ſacro approbante concilio ſtatuimus, quod ſi Toletanus archiepiſcopus, vel quicumque alius archiepiſcopus, per Terraconenſem provinciam tranſitum faciens crucem ante ſe portare fecerit, vel palleo uſus fuerit, vel indulgentias dederit in noſtra provincia, quæ, ſicut dicitur, fuerunt per aliquos temere attentata; ſi diœceſanus in cujus diœceſi committuntur, non ſe oppoſuerit, & hoc non inhibuerit, quantum poterit, bono modo; ſit ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpenſus; & ſi aliquis litteris indulgentiæ aliquorum archiepiſcoporum in noſtra provincia uſus fuerit, tamquam falſarius puniatur.

VIII. *De Hæreticis.*

Nonnulli a via veritatis averſi, euntes per devium falſitatis, linguas ſuas laxare ad talia non verentur, ut dicere audeant, quod non ſit reſurrectio mortuorum, nec vita alia ſit futura; quod quidem eſt hæreſis peſſima, immo plurium hæreſum fundamentum, ſtatuimus itaque ſancientes, quod qui talia dixerit ex propoſito, capiatur, & ſi perſtiterit in eiſdem, tamquam hæreticus condemnetur. Quod ſi jocoſe dixerit, vel quacumque animi levitate, nihilominus ſecundum qualitatem culpæ & perſonæ conditionem, pœnis legitimis puniatur per inquiſitores hæreticorum a ſede apoſtolica deputatos. Omnes inſuper fidei catholicæ detractores pœnam ſubeant, quam merentur, ut ſciant loqui de fide catholica cum reverentia & timore. Volumus etiam & mandamus quod dilecti fratres Prædicatores, inquiſitores hæreticorum a ſede apoſtolica deputati, qui laborant ad extirpandam hæreticam pravitatem, a rectoribus eccleſiarum, vel eorum vicariis benigne recipiantur, & in tam neceſſario & coram Deo accepto fidei negotio juventur efficaciter per eoſdem.

IX. *Contra falſos apoſtolos.*

Cum quidam qui ſe dicunt apoſtolos & religioſos ſe effingunt, ſint ſuis exigentibus meritis per ſedem apoſtolicam excommunicationis vinculo innodati, & poſtmodum per orbem vagabundi in multis malis fuerint deprehenſi, ſintque periculoſi homines circa fidem, volumus & ordinamus, ut ubicumque inventi fuerint, capiantur, & de tota provincia expellantur.

X. *De immunitate eccleſiarum.*

Quorumdam oculos ſic excœcat ambitio, ut temporalibus commodis inhærentes, plus temporali majeſtati, quam æternæ placere ſtudentes, libertates, & emunitatem eccleſiaſticam, quam Chriſtiani tenentur defendere, lædere ac minuere moliuntur, inflammando principes & poteſtates ſæculares & univerſitates locorum, ſive rectores eorum, eiſque impendendo conſilium & patrocinium, necnon eccleſiarum, a quibus beneficia recipiunt, exhibendo & tradendo inſtrumenta & alia documenta contra ipſas perſonas eccleſiaſticas, ipſorum homines & bona & privilegia & etiam libertates. Et idcirco cupientes, ut eccleſiæ in plenitudine juris ſui & libertatis integritate lætentur, ac deteſtabilis malignorum audacia, inſolentium nefaria temeritas propulſetur, ſacri approbatione concilii ſtatuimus, quod quicumque prælati eccleſiaſtici, vel perſonæ religioſæ, vel ſæculares quorumcumque ordinum, conditionis ſeu ſtatuum exiſtant, palam vel occulte principem, vel ſæculares poteſtates,

vel universitates locorum, aut rectores eorum inflammaverint, vel eis consilium vel patrocinium scienter dederint, vel ecclesiarum, in quibus beneficia obtinent, absque licentia sui prælati & capituli vel conventus exhibuerint, vel tradiderint instrumenta vel alia documenta contra ipsas ecclesias, monasteria vel loca religiosa, aut jura, vel bona, vel privilegia, immunitates earum vel libertatem, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto; & nihilominus beneficiis quæ habuerint in ecclesiis vel locis, quæ sic scienter & fraudulenter læserint perpetuo sint privati. Et ut prædictorum malitiis obvietur, & ecclesiæ debitis servitiis non fraudentur, ac vagandi & dissolutionis materia subtrahatur, statuimus ne aliqua prædictarum ecclesiasticarum personarum, quæ in sacris ordinibus sit vel fuerit constituta, vel beneficium ecclesiasticum obtinens, vel religiosa, præsumat sequi continue vel quasi continue aliquam curiam sæcularem, sicut quæ sit de familia sua, nisi prælati, seu conventus, vel majoris partis ejusdem licentia prius habita & obtenta. Si quis vero horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Episcopos vero propter prærogativam pontificalis officii, ligari nolumus hac sententia superioris ultimo lata. Sed nihilo minus a nobis archiepiscopo vel successoribus nostris super his petere licentiam teneantur.

X. [*Contra indebitas pastiones & procurationes.*]

In nonnullis Terraconensis provinciæ diœcesibus & ecclesiis, sic avida gulositas quorumdam laïcorum animas excœcavit, quod certis anni temporibus parochiani dictarum ecclesiarum abbatibus, vicariis seu rectoribus earumdem, certa prandia, bevragia, comestiones, pastus, potationes seu abadagia exigere quasi ex debito non formidant, & ipsos rectores, vicarios, seu abbates ad ea ipsis juxta abusum hujusmodi exhibenda per subtractionem & retentionem decimarum & aliorum jurium ecclesiasticorum inverecunde compellere non verentur. Aliqui ex laïcis supradictis una die cujuslibet septimanæ quasi ex debito volunt comedere cum rectore, vicario, seu abbate, & ultra comestionem habere & exigere aliquam pecuniam ab eisdem: ita per totum anni circulum continue facientes, quousque omnes parochiani cum eis comederint, & certum quid habuerint ab eisdem, postque inchoant & repetunt illud idem. Suntque alii laïci ex prædictis, qui solemnibus diebus Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, immediate post communionem, & receptionem Corporis Jesu Christi, quod cum humilitate & devotione recipere tenentur, & aliquibus anni temporibus, quasi ex debito exigunt improbe ab ecclesiis, abbatibus, vicariis, seu rectoribus unum certum ex abusu hujusmodi, vel etiam juxta votum, adeo quod interdum decem vel quindecim onera in potationibus expenduntur: propter quæ ingurgitationes, ebrietates & comessationes indebitæ committuntur, & multotiens mortes & vulnera sunt hactenus subsecuta. Quamplurimi insuper ex laïcis antedictis tempore quo decimarum ac primitiarum granaria dividuntur, non permittunt per illos ad quos dictæ decimæ & primitiæ bladi pertinent, portari libere dictum bladum suis propriis animalibus vel etiam alienis, ut pro apportaturis præfati in duplo bladi, vel in triplo quam alii portarent, necessario eis detur. Nonnulli etiam qui juxta locorum consuetudinem ad horrea ecclesiarum bladum decimarum & primitiarum deferunt, per multas vices multosque dies excogitata malitia deferunt minutatim, quas portare poterant una die, ut singulis diebus & vicibus reficiantur ab ipsis ecclesiis & ipsarum rectoribus, ac cibentur, nostra constitutione, quæ hoc prohibet, non obstante. Alii vero laïci cum subsidio ex certis causis portionariis, vicariis, seu clericis ipsorum laïcorum consanguineis, affinibus, seu amicis per locorum ordinarios, nuncios seu legatos sedis apostolicæ imponuntur, vel cum ipsis portionariis, vicariis, seu clericis beneficiatis in ecclesiis prælibatis per ipsos rectores, seu abbates, vel eorum loca gerentes, ex eo quod servitium non faciunt ut tenentur, vel alia causa justa, licita & honesta interdum ad tempus suorum beneficiorum fructus forsan subtrahuntur ad inquisitionem, suasionem, nuntiationem hujusmodi clericorum ecclesiæ retinent sibi decimas & alia jura ecclesiastica, & dant portionariis seu clericis memoratis, propter quod negligentia dictorum portionariorum, clericorum & aliorum circa divinum officium remanet impunita, & de alieno solvunt, quod de suo proprio solvere tenebantur, & dictis laïcis nihilominus participes sunt in furto: allegantes omnes prædicti & singuli ad excusandas excusationes in peccatis, quod consuetudines observant atque usus. Nos igitur volentes ex debito nostri officii ecclesiarum indemnitatibus providere, ac maliciis, usurpationibus, & morbis hujusmodi obviare, sacro approbante concilio, prædictas consuetudines atque usus, corruptelas & abusus penitus reputantes, ac etiam judicantes, prædicta omnia & singula deinceps omnino fieri prohibemus, cum non sit dubium ea esse contra bonos mores & canonicas sanctiones, & in gravamen jurium ecclesiarum & ecclesiasticæ libertatis. Et nihilominus, quia parum proficit jura condere, nisi pœna transgressoribus imponatur, in omnes & singulos laïcos qui prædicta prandia, comestiones seu pastus, potationes seu bevragia & alia prædicta,

dicta, seu aliqua de eisdem exegerint cum effectu, & qui occasionibus memoratis, de eorumdem primitiis, decimis vel aliis juribus ecclesiasticis aliquid sibi scienter retinuerint, vel per alios procuraverint, seu mandaverint, ac concesserint retineri, excommunicationis sententiam promulgamus. In locis vero, in quibus universitates in his culpabiles steterint, cessetur penitus a divinis, sub pœna excommunicationis: abbatibus, rectoribus, vicariis & aliis personis interdicentes & prohibentes expresse, quod dictis laïcis, vel eorum aliqui comestiones & pastus, potationes & bevragia, vel aliquid aliud ex causis vel occasionibus supradictis non dent, nec dari faciant vel permittant, si aliquas pœnas canonicas voluerint evitare.

XI. *Quod in cessationibus a divinis servetur constitutio* Alma mater.

Item, cum in quibusdam constitutionibus sacrorum conciliorum Terraconensium sit cautum, quod in certis casibus debeat cessari penitus a divinis, sacri approbatione concilii declaramus, prædictam cessationem debere fieri prout tempore generalis interdicti per constitutionem sanctissimi patris domini Bonifacii papæ VIII. quæ incipit: *Alma mater*, & per alias constitutiones statutum est.

XII. [*De testamentorum executione.*]

Periculosæ negligentiæ perversæque heredum malitiæ defunctorum, & eorumdem ultimarum voluntatum executorum occurrere cupientes, ut piæ defunctorum voluntates effectum debitum sortirentur; Nos Rodericus divina miseratione sanctæ Terraconensis ecclesiæ archiepiscopus, sacro approbante concilio, statuimus, ut tam nos & successores nostri, quam venerabiles fratres nostri episcopi provinciæ Terraconensis, & eorum successores visitationis officium exercentes, & alias quandocumque nobis vel eis videbitur expedire, possimus maxime super executionibus testamentorum, & potissime circa relicta ad pias causas inquirere, & procedere ex mero & puro officio, absque libelli oblatione & litis contestatione, & absque strepitu & figura judicii simpliciter & de plano, ipsaque negotia veritate cognita decidentes, voluntates ultimas defunctorum executioni debitæ demandare, cum nihil tantum hominibus debeatur, quam ut extremæ voluntatis liber sit stilus, ut liberum, quod postea non redit, arbitrium.

XIII. [*De usuris & restitutionibus.*]

Eademque possit forma servari super usura & restitutionibus faciendis. Et cum hæc fuissent jam a jure prævisa, volumus quod præsens statutum non tantum ad futura negotia, sed ad præterita & adhuc pendentia amplietur.

CONCILII REMENSIS

anno MCCCII. celebrati epistola ad Bonifacium papam VIII. adversus capitula ecclesiarum cathedralium.

Ex mſ. codice regii collegii Navarræ.

SAnctissimo patri & domino suo ac refugio singulari, domino B. divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summo pontifici, sui humiles & devoti, Dei & sui gratia R. (*a*) Remensis archiepiscopus, G. (*b*) Suessionensis, S. (*c*) Belvacensis, &c. episcopi, se & ecclesias suas ad devotissima pedum oscula beatorum, & Petri naviculam feliciter gubernare. [a] [b] [c]

Speculator qui adstat desuper, cuncta per mundum prospiciens & disponens, idemque pastor piissimus, qui ad oves quæ perierant se missum profitetur, ipsis sua divina potentia de luporum infernalium faucibus vi ereptis, ceteris insuper quæ percusso pastore eodem dispersæ erant, sua simul humana prudentia recollectis, ac in unius adductis ovilis Dominici unitatem, cum unde descenderat vellet ascendere, gregem suum pro cujus vita mortem subierat, absque custodia deserere noluit, sed eidem loco sui speculatorem & pastorem constituit, non delegatum, sed verum vicarium generalem, cui licet homini suam eamdem quam habebat contulit potestatem. Verum quia in hoc humani differunt oculi a divinis, quod illis sunt omnia velut præsentia, notoria & aperta: istis vero possunt faciliter, maxime de his quæ in remotis mundi partibus aguntur, quotidie plurima occultari; ea propter divina ipsa sapientia non sine ministerio ordinavit hujusmodi vicarii sui spiritum in plurium coadjutorum spiritus propagari, quatenus singuli, in ea, in qua positi sunt, sollicitudinis specula, speculatoris & pastoris officium exercentes sub eodem, ad ipsius exonerationem, quod per se possunt peragant, & viriliter exequantur, cetera referant ad ipsum penes quem potestatis esse noscitur plenitudo, ut idem in terris cunctipotens, quæ non poterunt ipse lima suæ correctionis emendet, & si forte ex vera eorum relatione perspexerit in ovili Dominico effracturam seu foramen, illud sera suæ justitiæ resarciat & reformet; quod in propagatione spiritus Mosaïci propensius edocetur. Hinc est, pater sanctissime, quem Deus ipse vicarium suum in terris, & tamquam oculatissimum in sanctæ matris ecclesiæ specula speculatorem constituit & pastorem, nec hoc immerito, quo siquidem judicio omnium non poterat alius oculatior inveniri. Nos qui sumus vestri devoti servuli, contagiosum morbum, qui apud nos in ovili

(*a*) Robertus *de Courtenay*. (*b*) Guido de Charitate. (*c*) Simon de Nigella.

vestro quotidie invalescit, cui per nos non A possumus obviare, beatitudini vestræ ex qua medelam firmiter speramus, tenore præsentium indicamus. Capitula namque ecclesiarum cathedralium, etsi quasi per totum regnum, potissime tamen in ea in qua sumus vestra Remensi provincia, suis juribus non contenti, sed aliena usurpare multipliciter satagentes, privilegiis Romanorum pontificum temere abutentes, concessa sibi contra malefactores suos, ad debitores indistincte, & quandoque ad proprii episcopi personam, de quibus nulla fit in eis mentio, injuriose extendendo, multa enormia sæpissime committentes correctione digna, in vesanam Luciferi quodammodo superbiam se extollunt, & se pares in hoc opinantur Altissimo, qui prius quam ascenderat ad Patrem, noluit se a peccatrice tangi, quod & ipsi propter peccata sua se a quoquam, nedum in se, sed nec in suis familiaribus clericis seu capellanis tangi minime patiuntur; sed se gerunt omnino pro exemtis ab omni humana potestate, humana dicimus, ut vestram, quæ immediate a Deo est, & quam saltem effugere per Dei gratiam non poterunt, excludamus. Sed & ecce, pater sanctissime, quomodo tanta eorum arrogantia, non solum C in nostram, quin etiam in Dei, gloriosæ Virginis, & sanctorum injuriam & præjudicium, sed & in populorum scandalum convertatur, statim cum nostrum aliquis contra quemquam ex eis propter suos defectus aut excessus manifestos ad finem correctionis paterne intendit procedere vel attentare, ipsi ad articulos prosiliunt, quos vere libellos famosos possumus nominare, in quibus vitam & famam prælati proprii lacerant dentibus venenosis, omnino falsa & incogitata enormia contra eum convenientes, & nisi satisfaciat eis ad votum, comminantur cessationem a divinis, & deinde ad ejus criminationem facillime inclinantur. Sic eorum remanent scelera impunita, sic datur occasio delinquendi, nedum ipsis, sed ceteris exemplum sumentibus ab eisdem; sic nascuntur rancores & odia, detractiones pullulant, sic deturpatur & vilipenditur status ecclesiasticæ dignitatis, & breviter, sicut melius nobis scitis, pater sanctissime, præmissa sunt ad omnia malorum & scandalorum genera porta patens. Throno igitur vestræ piissimæ sanctitatis supplicamus unanimiter & devote, ad pedes vestros beatos flexis genibus humiliter provoluti, quatenus in præmissis de opportuno dignemini paterno remedio providere: ita quod vobis cedat ad gloriam, ac universali ecclesiæ sponsæ vestræ pacem perpetuam & saluberrimum incrementum. Valeat & vigeat in Domino Jesu Christo vestræ sanctitatis paternitas, quam conservet suæ sanctæ ecclesiæ ad diuturna. Datum anno MCCCII. die Dominica post festum B. Michaëlis archangeli.

CONCILIUM PARISIENSE anno MCCCXIV. celebratum.

Ex mſ. reginæ Suetiæ eruit Mabillonius. (a) [a]

PHILIPPUS miseratione divina archiepiscopus Senonensis in provinciali concilio anno MCCCXIV. die Martis ante translationem B. Nicolai cum continuatione dierum sequentium Parisius celebrato ad perpetuam rei memoriam.

I. Sanctorum patrum pia consideratione salubriter constituit veneranda provisio, ut B metropolitani cum suis suffraganeis, pro corrigendis subditorum excessibus, refrenandis moribus, ecclesiarum juribus ac libertatibus observandis, eorumque oppressionibus relevandis, tenerentur sub pœnis canonicis provincialia singulis * concilia celebrare, & quæ pro prædictorum expeditione in illis statuerant observari facere, publicando per suffraganeos in episcopalibus synodis celebrandis in suis diœcesibus annuatim, prout antiquorum & novorum canonum testantur & præcipiunt instituta, quod recolendæ memoriæ nonnulli prædecessores nostri devote pensantes, & fideliter adimplentes, laudabili studio plurima in provincialibus conciliis statuerunt, quorum observantia ecclesiis & personis earum fructus uberes allatura, cum illorum desertio ignorantiæ obumbrata nebulis, huc usque statum ecclesiæ vastavit enormiter, & damnabiliter impedivit. Quapropter nos consideratione præjudicandæ jacturæ pro futuris temporibus occurrere cupientes, ac omnis excusationis vel ignorantiæ causam amputare, sacro approbante concilio, suffraganeis nostris in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœnis canonicis juxta statuta D Lateranensis concilii duximus injungendum, ut præfatas ordinationes prædecessorum nostrorum, & si quas in hoc sacro concilio vel subsequentibus per nos aut successores nostros statui vel ordinari contigerit, in scriptis fideliter redigentes vel redigi facientes, illas in suis episcopalibus synodis subjectis suis, prout melius expedire providerint, studeant publicare, ad eorum observantiam illos opportunis remediis omni excusatione vel palliatione postposita compellentes.

* Videtur deesse annis.

Conciliorum provincialia statuta suffraganeis publicanda.

II. Item, ut eo potentius ecclesiæ libertas vigere invaleat, & grex dominicus pastorali cura ab oppressionum incursibus sollicitius præservetur, quo plurimorum spectantium fuerit sollicitudinis studio communitus, & temerariæ rapacitatis abusus multiplicibus fuerit acclamationibus confutatus, sacro nos ad hoc sollicitante concilio, duximus statuendum, ut curati ecclesiarum parrochia-

Contra clericorum detentores.

(a) Hujus concilii ex mſ. codice Victorino Ludovicus Bais, & post eum Labbeus seu Cossartius ediderunt caput secundum, capitis tertii conclusionem, & caput quartum; integrum vero hic damus ex codice reginæ Suecíæ.

lium noſtræ provinciæ, detentores clericorum infra parrochiarum ſuarum limites conſtitutos ſollicite monere & requirere teneantur, ut præfatos detentos clericos ab eis ordinariis ſuis reſtituant indilate. Si ab eis requiquiſiti non adimpleverint abſque mora, detentionem hujuſmodi confitentes, vel cum alias detentio adeo notoria & manifeſta exiſtat, quod non poſſit aliqua tergiverſatione celari, detentores ipſos excommunicatos a canone, in ſuis eccleſiis ſtudeant publice nunciare, & eos faciant ab omnibus arctius evitari, donec a locorum ordinariis, ſatisfactione eiſdem & paſſis injuriam de tantis exceſſibus competenter facta, vel ab aliis competentibus judicibus abſolutionis beneficium meruerint obtinere : ſtatutis ſynodalibus aliàs ſuper hoc editis, ſi & prout locorum ordinariis expedire videbitur, nihilominus in ſuo robore duraturis.

Generales citationes prohibitæ.

III. Item, exigit deteſtandæ perverſitatis abuſus, ut illorum audacia, qui citationum, monitionum & aliorum canonicorum proceſſuum remediis abuntur, & ea quæ ſuadente juſtitia ad ſubditorum tranquillitatem & pacem perinde adinventa fuerant, ad eorum vexationem & perturbationem convertere moliuntur, tanto diſtrictius canonicis pungantur aculeis, & præſidentium ſtudioſis proviſionibus refrenentur, quantum per illorum ſcelerata facinora in eccleſiæ Dei ſcandalum conſtat pernicioſius gravari ſæcularium inſolita & indefenſa devotio, ac propter calumnias talium, ad indevotionem aſcendere conſpicientur, inde emanare calumnias, ubi conſuevit omnis calumniarum occaſio profugari : temporalibus inſuper dominis ex iſtorum protervia damnabilis paratur occaſio infringendæ non modicum eccleſiaſticæ libertatis. Quapropter, ſacro approbante concilio, duximus ſtatuendum, quod in noſtra provincia omnibus eccleſiaſticis judicibus generales citationes, quæ ſub eadem forma conſueverunt concedi : *Citent omnes illos & illas, quos & quas lator præſentium*, &c. intelligantur penitus interdictæ, & ab eiſdem in poſterum nullatenus concedantur. Quod ſi forſan obtentæ extiterint quoquo modo, nullius penitus ſint effectus, & eis non * patiatur impingere.

* Edit. non pareatur impune.

Citationes quomodo faciendæ.

IV. Statuimus inſuper, quod nullus ſuper participatione cum excommunicatis citetur, niſi primo monitus fuerit nominatim, nec ſcribat notarius citatorium, niſi prius monitionem viderit tam ſigillo judicis, quam executoris ſigillatam ; ac impetrator citationis jurare teneatur, ſe credere quod citandi cum excommunicato participaverint in caſibus a jure non permiſſis, & ſcienter, antequam citationem obtineat ſæpedictam : quodque in ipſa citationis littera talis inſeratur clauſula, videlicet præfatum impetratorem antedictum ſubiiſſe juramentum, & in ipſa citatione quinque tantummodo contineantur nomina perſonarum. Si vero poſtquam perſonæ citatæ ſuper participatione prædicta, per earum juramenta, prout moris eſt, ſe debite purgaverint, eo ipſo actores, ad quorum inſtantiam tales citationes impetrantur, perſonis ſic citatis ſuper hoc inſtantibus & ſupplicantibus, niſi præfati actores contrarium legitime probare voluerint, in expenſis ob hoc factis legitime condemnentur. Et ſi qui modo ſuperius annotato citationem impetrantes ſuper ipſa participatione frauduloſi reperti fuerint, pro extorquenda pecunia taliter a citatis, tamquam fures & perjuri efficaciter pro crimine puniantur.

Abſolutiones extortæ per vim irritæ declaranatur.

V. Abſolutionis beneficium ab excommunicationis ſententia, vel quamcumque revocationem ipſius aut ſuſpenſionis ſeu etiam interdicti, per vim vel per metum extortam, præſentis conſtitutionis auctoritate omnino vacuamus. Ne autem ſine vindicta violentiæ creſcat audacia, eos qui abſolutionem ſive revocationem hujuſmodi vi vel metu extorſerint, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

Pignorationes ſeu repræſaliæ prohibitæ.

VI. Etſi pignorationes, quas vulgaris elocutio repræſalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tamquam graves legibus & æquitati naturali contrariæ, civili ſint conſtitutione prohibitæ, cum earum prohibitio in perſonis eccleſiaſticis tanto amplius timeatur, quanto in his inhibentur eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſarum, aut quantumcumque generaliter prætextu cujuſvis conſuetudinis, quam potius abuſum reputamus, a foro conceſſas ad illas extendi de cetero præſenti decreto diſtrictius inhibemus. Illi autem qui fecerint, adverſus perſonas prædictas pignorationes ſeu repræſalias concedendo, vel extendendo ad eas, niſi præſumtionem hujuſmodi revocaverint, a conceſſionis vel executionis tempore infra menſem, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententias excommunicationis incurrant ; ſi vero univerſitas eccleſiaſtica, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

Ne exemti ad divina excommunicatos & interdictos admittant.

V. Epiſcoporum & aliorum prælatorum querelis frequentibus & queruloſis clamoribus excitati, præſenti decreto duximus ſtatuendum, ne aliqui ſæcularium aut regularium, quantocumque exemtionis, libertatis ſedis apoſtolicæ privilegio muniti, cujuſcumque ordinis, religionis, ſtatus, aut conditionis exiſtentes, celebrent aut celebrari faciant divina, in civitatibus, caſtris & villis, niſi quatenus eis a jure conceditur : & ne in locis interdictis ab ordinariis ſeu delegatis judicibus, aut a jure excommunicatos publice ſive interdictos ad divina officia vel eccleſiaſtica ſacramenta, ſeu ad eccleſiaſticam ſepulturam admittant. Qui vero contra præſumſerit, præter alias pœnas a jure ſtatutas, ingreſſum eccleſiæ ſibi noverint interdictum,

donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus quem contemserit, satisfecerit competenter.

Contra impedientes jurisdictionem ecclesiasticam.

VI. Quoniam, ut intelleximus, quorumdam justitiariorum, ballivorum, judicum, vel sæcularium, ac temporalium dominorum, quibusdam in partibus præsumtuosa temeritas sic excrevit, ut in terris eorum sive stratibus litteras apostolicas impetrantes, vel ad judices ordinarios ecclesiasticos recurrentes super causis, negotiis seu quæstionibus, quæ de jure aut antiqua consuetudine ad forum ecclesiæ pertinent, non possint in eis per eosdem judices ordinarios, & apostolicas litteras justitiæ complementum obtinere, quin potius super illas recurrere ad judicem sæcularem, vel a causa desistere compellantur, nos justitiam nostram & ecclesiæ nostræ sponsæ nolentes negligere, qui alios in sua justitia conservamus, statuimus ne quis impetratores litterarum nostrarum, vel alios ad forum ecclesiasticum recurrentes, super causis quæ ad idem forum de jure vel de antiqua consuetudine pertinere noscuntur, per se vel per alios ad desistendum, vel in foro sæculari de quæstionibus litigandis agendum, per eorumdem judicum ecclesiasticorum, vel impetrantium, vel litigantium, aut litigare volentium, seu propinquorum ipsorum, seu rerum illorum aut ecclesiarum suarum etiam captionem, vel aliis modis quibuscumque compellat, aut compelli faciat, seu procuret per se vel per alium, nec impediat quominus eorum judicibus ecclesiasticis delegatis, seu ordinariis querelantes de causis, quæ, ut præmissum est, ad cognitionem pertinent eorumdem, possint justitiam libere obtinere, ut ad prædicta facienda det consilium, auxilium vel favorem. Si quis vero contra fecerit, excommunicationi se, ipso facto, noverit subjacere, a qua, nisi tam judici cujus cognitioni fuerit impedita jurisdictio usurpata, quam parti quæ turbata fuerit in prosecutione sui juris, de injuriis & damnis & interesse prius per eumdem fuerit integre satisfactum, nullatenus absolvatur.

Ut tempore interdicti pœnitentiæ sacramentum etiam sanis possit conferri, &c.

VII. Alma mater ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinavit & consulte, quæ suadente subditorum utilitate postmodum consultius revocat in meliusque commutat. Sane sicut locis ecclesiastico suppositis interdicto, nulla certis casibus exemtis... divina officia celebrantur & ministrantur ecclesiastica sacramenta: quia vero ex districtione hujusmodi statuti excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur, cum fratribus nostris deliberatione super hoc habita diligenti, concedimus quod tempore interdicti ab homine vel a jure prolati non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani quam etiam infirmi ad pœnitentiam, quæ propter pronitatem & facilitatem hominis ad peccandum summe necessaria est, licite admittantur: dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti præcipimus in mortis articulo ad eamdem. Illis etiam propter quorum culpam, dolum vel fraudem lata est interdicti sententia, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium vel favorem, nisi delicto, si sit tale quod eidem satisfacere valeant, prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem; aut si satisfacere nequeant, vel hujusmodi cautionem præstare juraverint, & ad satisfactionem hujusmodi, per eos qui eam facere debent & possunt præstare, dabunt consilium, auxilium, ac juxta posse suum laborabunt fideliter, non pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum, nec tunc & quoad istos vel alios qui certamine deliquerint, nisi civitas & locus alius, seu universitas existat, interdicti facienda est relaxatio; solum interdictis injungenda pœnitentia salutaris. Addimus præterea, quod singulis diebus in ecclesiis & monasteriis missæ celebrentur, & alia divina officia, sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis, & tam canonici quam clerici, quibus distributiones quotidianæ illis qui interfuerint canonice tribuuntur, si ad officia non venerint, supradictas distributiones amittant sicut interdicti, quas demum non haberent, si divinis officiis non interessent.

Ut in præcipuis festis divina publice celebrentur tempore interdicti.

VIII. In festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumtione Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce divina officia celebrentur, excommunicatis exclusis, & interdictis admissis quibuscumque ob reverentiam dictarum solemnitatum, ut ipsi ad humanitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur. Præfatis diebus participationem permittimus divinorum, sic tamen quod illi propter quorum excessum hujusmodi interdictum est prolatum, altare nullatenus appropinquent, ceteris quæ contra observantiam interdictorum a nostris prædecessoribus instituta sunt, in suo robore duraturis, non obstantibus quibuscumque privilegiis ecclesiarum, monasteriorum, ordinibus, religionibus, seu personis ecclesiasticis & sæcularibus, vel exemtis & non exemtis, sub quavis forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, quæ sunt contra tenorem præsentis constitutionis, nulli volumus suffragari, cum quibus tam sæcularibus quam regularibus sufficere debeat.

Ne in locis non exemtis fiant oratoria aut capellæ sine licentia.

IX. Auctoritate sedis apostolicæ, de fratrum nostrorum consilio statuimus, quod oratoria vel capellas in locis non exemtis

diœceſanorum locorum, ipſorum ſine licentia, exemti conſtruere non præſumant, caſibus expreſſis a jure dumtaxat exceptis, in locum exemtum celebrent vel celebrari faciant divina; qui ſi talia præſumſerint, ob hoc a prælatis ſeu eorum ordinariis compeſcantur. Si quas propter hoc exemtorum ipſorum conſervatores privilegiorum in eos ſententias protulerint, illas penitus revocamus. Inhibemus autem ne ipſi in locis exemtis facere audeant, niſi ſi per hoc licentiam, & privilegium habeant.

Ne exemti hominum ſuorum liberorum lites ſuſcipiant.

X. Speciales cauſas quoque ſive lites proprias hominum ſuorum liberorum, quæ tamen ad ipſos homines pertinent, iidem exemti nomine ſuo, ut actores, ſive ut defenſores aliquatenus non aſſumant, etſi ſunt dicti homines cenſuales, cum id nequaquam licitum ſit eis.

CONCILIUM TERRACONENSE anno MCCCXVII. celebratum.

ANno Domini MCCCXVII. die Mercurii, quæ fuit VIII. calendas Martii, nos EXIMINUS miſeratione divina ſanctæ Terraconenſis eccleſiæ archiepiſcopus, in civitate Terraconenſi provinciale concilium celebrantes, præſentibus venerabilibus fratribus MARTINO Oſcenſi, BERENGARIO Vicenſi, fratre RAYMUNDO Urgellenſi, GUILLELMO Gerundenſi, fratre GUILLELMO Ilerdenſi, BERENGARIO Dertuſenſi, & PETRO Tiraſonæ eccleſiarum epiſcopis & principibus, procuratoribus quorumdam ſuffraganeorum noſtrorum, videlicet Cæſar-auguſtani, Pampilonenſis, Calagurrenſis, Valentinenſis, & Barchinonenſis eccleſiarum epiſcoporum abſentium, & aliis quamplurimis viris religioſis, abbatibus, prioribus, & clericis, & procuratoribus capellanorum cathedralium eccleſiarum noſtræ provinciæ in dicto concilio exiſtentibus, habita deliberatione & tractatu ad reformationem ſtatus totius provinciæ noſtræ, communi voto & aſſenſu confirmantes conſtitutiones prædeceſſorum, ſacro approbante concilio, ordinationes fecimus ſubſcriptas.

I. *Contra Beguinos & Beguinas.*

Cum in quibuſdam partibus provinciæ Terraconenſis ſeminarentur & dogmatizarentur aliqui errores & hæreſes per aliquos homines & mulieres, ut per religioſum inquiſitorem hæreticæ pravitatis nobis totique ſacro concilio extitit nunciatum, quorum errorum & hæreſum Beguini & Beguinæ dicebantur eſſe auctores. Volentes ne ſub ſpecie ſanctitatis, hæreſum latens venenum aſpidum & inſanabile corda ſimplicium valeat in poſterum ſubintrare, ſacro approbante concilio, ſtatuimus & perpetuo ordinamus, quod Beguinæ & Beguini plures quaſi conventicula facientes ſimul non ſtent, nec etiam duo in eadem domo, niſi caſualiter & unum diem ad plus, vel ratione conſanguinitatis veræ & propinquæ, qui etiam ſi non eſſent Beguini, ſimul alias habitarent. Mantellos non portent, nec conjuncta præter modum communem, ne novum ritum vivendi & ab eccleſia non approbatum introducere videantur, nec audeant congregari ad legendum aliquid, dicendum vel repetendum, niſi in eccleſiis, prout aliis laïcis fidelibus eſt permiſſum; & qui inaudientes reperti fuerint, excommunicentur, & ſi aliqui extraneæ provinciæ ſub conſimili habitu Beguinorum iſtam Terraconenſem provinciam intraverint ſine litteris teſtimonialibus illius diœceſani, a cujus diœceſi receſſerunt, per diœceſanos iſtius provinciæ vel eorum loca tenentes vocentur, & de fide examinentur catholica, & ſi neceſſe fuerit, capiantur, etiamſi ſuſpecti reperti non fuerint de fide, vel deponant habitum, vel exire provinciam compellantur.

II. [*Ne habeant libros theologicos in vulgari.*]

Statuimus etiam & ordinamus, quod nullus Beguinus vel Beguina teneat, habeat & legat libros theologiæ in vulgari, niſi libros in quibus ſolum orationes continentur, & habentes prædictos volumus, quod ad tradendum ipſos diœceſanis per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

III. *De regula tertia ſancti Franciſci.*

Item, volentes prædictos errores a Terraconenſi provincia penitus evitare, approbante ſacro concilio, ſtatuimus & perpetuo ordinamus, quod illi qui revera fuerunt de tertia regula B. Franciſci, ipſam fuerint profeſſi, ſimul non cohabitent, niſi prout & quantum eis ex regula per felicis recordationis dominum NICOLAUM III. eis conceſſa eſt permiſſum, nec libros habeant theologicos in vulgari, nec prædicent, doceant aut repetant aliquid de fide, niſi in eccleſiis, prout aliis fidelibus laïcis eſt permiſſum, aliis omnibus & ſingulis in dicta regula contentis in ſuo robore duraturis, quibus nolumus in aliquo derogari.

IV. [*Ne exigatur votum virginitatis.*]

Item, ſub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliquis votum virginitatis ab aliqua puella exigat vel recipiat, niſi eo modo & ab illis cui & quibus de jure fieri permiſſum eſt. Mandantes univerſis & ſingulis ſuffraganeis noſtris, ne alicui dent licentiam talia recipiendi ſeu etiam exigendi.

V. *De rebus eccleſiæ.*

Volentes eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus quod aliquis prælatus vel

clericus, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtat, bona digniratis vel beneficii ſui obligare ſub ſigillo regio non præſumat, & qui contra fecerit, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ipſum decernimus ſubjacere.

VI. *Quod canonici & clerici beneficiati communicare debeant bis in anno.*

Item, cum clerici exemplum & forma eſſe debeant laïcorum, ſtatuimus & ſub virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus omnes canonici cathedralium & collegiatarum eccleſiarum, & alii clerici beneficiati, qui ſacerdotes non fuerint, ſaltem communicent bis in anno, niſi ex cauſa de licentia proprii confeſſoris ea vice duxerint abſtinendum. Rectores vero eccleſiarum & alii in ſacerdotio conſtituti ad minus celebrent ter in anno.

VII. [*Ut clerici tonſuram & veſtes ac mores clericales induant.*]

Item, ad reformandam in clericis honeſtatem, & vitandam materiam quæſtionum, quæ frequenter ſuper clericatu quorumdam inter eccleſiaſticos & ſæculares judices oriuntur, ſtatuimus, eodem concilio approbante, quod omnes clerici conjugati, vel alii in minoribus ordinibus conſtituti, volentes gaudere privilegio, infra tres menſes a præſenti ordinatione inantea ſuo epiſcopo vel officiali, ſi in ejus civitate vel diœceſi fuerit, vel alias infra menſem cum redierit ad eaſdem, perſonaliter ſe præſentent, facientes ſcribi nomina eorumdem, & moneantur nominatim per eumdem epiſcopum vel officialem, quod tonſuram congruam & veſtes deferant clericales, & abſtineant a negotiationibus & aliis actibus inhoneſtis, & ſpecialiter carnificum ſeu macellorum aut tabernariorum officium publice & perſonaliter non exerceant, nec tafuraneas teneant, nec in eis etiam converſentur, contractus uſurarios non exerceant. Baſtaxii, mimi, hiſtriones vel lenones, carbonerii ſeu fornerii, curſarii ſeu piratæ, niſi forſan contra infideles, vel ſagiones curiæ ſæcularis non exiſtant, nec ſe guerris voluntarie immiſceant, niſi pro defenſione ſua vel eccleſiæ. Qui ſi taliter moniti ab his non deſtiterint infra menſem, quamdiu præmiſſis vel alicui præmiſſorum inſtiterint, pro clericis minime defendantur. Curent inſuper epiſcopi taliter punire ſeu puniri facere clericos delinquentes, ne prætextu livoris pane aliquis præſumat allegare ſeu aſſumere clericatum.

Expliciunt conſtitutiones.

STATUTUM ADULFI Leodienſis epiſcopi, anno MCCCXX. editum.

Ex mſ. monaſterii S. Jacobi Leodienſis.

ADULFUS Dei gratia Leodienſis epiſcopus, univerſis abbatibus, prioribus, præpoſitis, archidiaconis, decanis, capitulis, conventibus & capellanis, plebanis, rectoribus, clericis noſtrarum civitatis & diœceſis Leodienſis, necnon & ceteris preſbyteris & clericis in eiſdem civitate & diœceſi degentibus, ſalutem in Domino ſempiternam.

Dudum in concilio Lugdunenſi dignoſcitur ſtatutum, ne cauſæ quæ auctoritate litterarum ſedis apoſtolicæ vel legatorum ejuſdem committuntur, alibi quam in civitatibus, vel in locis inſignibus, ubi copia juriſperitorum haberi poteſt, ullatenus audiantur. Quod attendens bonæ memoriæ dominus JOHANNES dudum epiſcopus Leodienſis prædeceſſor noſter, ſpeculator & ordinarius totius ſuæ diœceſis, in ea perſonam Chriſti repræſentans, duxerit in quantum potuit in generali ſynodo, ut ſciri poſſet in quibus locis diœceſis Leodienſis cauſæ hujuſmodi poſſent & deberent agitari, de ipſis ſuper hoc ordinando, conſideratis locis ipſius civitatis & diœceſis, in quibus juriſperiti tunc temporis teſidebant, & eorum copia frequentius habeatur, loca ipſa propriis vocabulis exprimenda, videlicet Leodium, Hoyum, Dionantum, Namurcum, Foſſis, Thudinium, Nivella, Lovanium, Aquis, Trajectum, Tongris, & Thenis-in-monte, prohibendo ne in aliis locis ipſius diœceſis quam prædictis, cauſæ hujuſmodi tractarentur in futurum, nec hoc de partium procederet voluntate. Verum cum ſuccedente tempore felicis recordationis Bonifacius papa VIII. id quod in dicto fuerat actum concilio renovans, edita ſuper hoc nova decretali, ſtatuerit, ne cauſæ prædictæ alibi quam in civitatibus & locis in quibus commode juriſperitorum copia haberi poſſit. Nihilominus tamen quidam defenſionis & conſilii copiam ſuis adverſariis auferre conantes, in locis ipſis litterarum apoſtolicarum auctoritate ſuos adverſarios citari faciunt, & eos ibidem judices a ſede prædicta deputati litigare compellunt, in ſui erroris fomentum ordinationem ipſius noſtri prædeceſſoris allegantes, & non attendentes quod ceſſante ibidem juriſperitorum copia, & quod ibi commode haberi non poteſt, ex tenore ipſius domini Bonifacii decernitur irritum & inane, quidquid in talibus locis auctoritate litterarum apoſtolicarum fuerit attentatum. Quocirca nos diverſis ac frequentibus noſtrorum ſubditorum clamoribus & querelis excitati, nolentes ulterius noſtros ſubditos prætextu ordinationis præfatæ, cujus

cauſa jam ceſſavit, a juris tramite deviare, & animarum periculis & malignantium malitiis, in quantum poſſumus, obviare volentes, ordinationem, declarationem & conſtitutionem ipſas prædeceſſoris noſtri prælibati, habita cum noſtro venerabili capitulo Leodienſi deliberatione diligenti, & multis juriſperitis, dicimus non tenere, nec loca ipſa præter civitatem Leodienſem, talia eſſe, quod ſecundum conſtitutionem antedicti domini Bonifacii, cauſæ auctoritate litterarum apoſtolicarum audiri poſſint ibidem, cum notorium ſit & exiſtat, quod juriſperitorum copia ibi non ſit, nec commode haberi poſſit ibidem. In quorum omnium teſtimonium præſentem noſtram declarationem fecimus noſtri ſigilli munimine roborari. Datum anno Domini MCCCXX. in craſtino Dominicæ quo cantatur *Cantate*.

CONCILIUM TERRACONENSE anno MCCCXXIII. celebratum.

Ex mſ. Colbertino.

I. EXIMINUS *in ſecundo concilio celebrato Terraconæ*, VIII. *cal. Februarii* MCCCXXIII. *contra diffidantes prælatos & perſonas eccleſiaſticas.*

Prædeceſſorum noſtrorum qui condemnaverunt diffidari prælatos & perſonas eccleſiaſticas, veſtigiis inhærentes, ſacro approbante concilio, ſtatuimus, ut ſi quis deinceps, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtens, diffidaverit ſeu aculendaverit diffidari, ſeu aculendari fecerit aut procuraverit, publice vel occulte archiepiſcopum vel epiſcopum, vel eorum officiales, vel prælatum, aut religioſum, vel alium clericum beneficiatum in ſacris ordinibus conſtitutum, ſeu prædictorum occaſione homines & loca eorum miniſtrationi commiſſa, ſive in hac ſcienter dederit conſilium, auxilium vel favorem, ipſo facto, ſententiam excommunicationis incurrat, & denuntietur excommunicatus quotidie, dum in excommunicatione perſtiterit, pulſatis campanis, & candelis extinctis, & nihilominus terræ ſeu caſtra ipſius, ſi quæ habuerit, eo ipſo ſubjaceant eccleſiaſtico interdicto, a qua ſententia nullatenus abſolvatur, nec interdictum ipſum relaxetur, donec de injuria & damnis propterea irrogatis ſatisfecerit competenter. Quod ſi clericus, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtens, aut religioſus in his deliquerit, ſi beneficium vel adminiſtrationem obtineat, præter pœnas prædictas, a beneficiis omnibus & amminiſtratione ſit eo ipſo privatus. Si vero beneficiatus non fuerit, perpetuo ſit inhabilis ad eccleſiaſticum beneficium obtinendum, donec ſecum ſuper hoc per ſedem apoſtolicam fuerit diſpenſatum.

II. [*Contra laïcos invadentes juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Eccleſiaſtica juriſdictio a ſæculari diſtincta eſſe dinoſcitur, & una per alteram impediri non debet, ſed potius adiuvari. Quia vero nonnulli ſæculares judices ſtatuta canonum circa hæc edita contemnentes, clericos & alias perſonas eccleſiæ ſuper rebus & cauſis injurioſe coram ſe compellunt in judicio litigare, & alias perſonas recurrentes ad eccleſiaſticum forum ſuper cauſis quæ ad idem forum de jure vel de antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum compellunt, ſacro approbante concilio, ſtatuimus, & univerſis prælatis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus ſtatutum felicis recordationis BONIFACII papæ VIII. quod incipit : *Quoniam ut intelleximus*, in ſuis epiſcopalibus ſynodis ac in eccleſiis etiam ſuarum diœceſeon ubi expedire viderint, faciant publicari, prædictoſque judices excommunicatos publice nuntiari.

CONCILIUM ARMENORUM anno MCCCXLII. celebratum, in quo objecti Armenis in libello errores condemnantur, eorumque fides amplius declaratur.

Ex mſ. codice bibliothecæ regiæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CUm Leo rex Armenorum, miſſis ad Benedictum papam XII. legatis, auxilium ab eo poſtulaſſet adverſus Sarracenos, a quibus graviſſimas clades acceperat; reſpondit pontifex nullam ab eccleſia Romana opem eſſe ſperandam, niſi prius Armenorum populi, quibus infecti erant, errores penitus omnes ejurarent. Nam fide dignorum acceperat relatione, non pauca apud eos prævaluiſſe prava dogmata, quæ quidem ante omnia erant præcidenda. Facta quippe diligenti inquiſitione, interrogatiſque Armenis nonnullis, atque aliis viris probis, qui aliquandiu in Armenia erant converſati, errorum libellum collegit ampliſſimum, quo ad regem & patriarcham miſſo, mandavit, ut generali totius regni congregato concilio, objectos errores

emendarent. Libellum illum, qui articulis decem & ſeptem ſupra centum conſtat, ad annum 1341. *edidit Odoricus Rainaldus, ubi obſervat Leonem regem graviter tuliſſe regnum ſuum ea fœditate inquinatum, & Armenos ut hæreticos apud ſedem apoſtolicam fuiſſe traductos, Danielemque monachum ejus juſſu ad excuſandos Armenos commentarium edidiſſe, atque ad Benedictum papam tranſmiſiſſe. Juſſit præterea Leo generale ſui regni coadunari concilium, in quo objecti ſuis errores damnarentur, & fidei ratio publico teſtimonio redderetur.*

Acta concilii illius, ſeu reſponſiones ad ſingula objectorum errorum capitula, ex mſ. cod. bibliot. reg. hic exhibemus, in quibus etſi purgare ſe Armeni tentaverunt, non omnino tamen apparet illorum fides in omnibus illibata. Quapropter qui Benedicto XII. ſucceſſerat Clemens papa VI. novos ad eos anno 1346. *direxit nuncios, qui ſingulos fidei Chriſtianæ articulos credendos, atque traditiones eccleſiæ Romanæ deferrent obſervandas, ut ex hac diſcimus epigraphe, quæ ad calcem regii codicis legitur.*

Anno Domini MCCCXLVI. de menſe Aprili ſcriptum fuit hoc opus per me fratrem Johannem Dei gratia epiſcopum Sutrinum, quando de mandato domini noſtri papæ debui mitti ad gentem Armenorum, ad portandum eoſdem articulos fidei & traditiones eccleſiæ Romanæ: in quo continentur 1. articuli ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ad quos tenetur omnis fidelis Catholicus, ſine quibus non eſt ſalus: quos dominus Benedictus XII. diſpoſuit mittere antedictis. 2. Errores Armenorum cum reſponſionibus eorum ad colorandum falſitates contentas in dictis articulis convocato eorum generali concilio. 3. Impugnationes errorum prædictorum auctoritatibus ſacræ ſcripturæ & rationibus. 4. Errores Græcorum cum impugnationibus eorum. 5. Errores Jacobitarum cum impugnationibus eorum.

Sutrinus tamen epiſcopus ad Armenos non videtur profectus, ſed alios miſit Clemens internuncios, ſcilicet Antonium epiſcopum Cajetanum, & Johannem electum Coronenſem, quos deſignat in ea quam ad Catholicon Armenorum ſcripſit epiſtola, apud Raynaldum ad annum 1346. *n.* 6.

IN nomine, in gloria Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. Anno Incarnationis Domini MCCCXLII. honorabiliſſimus pater dominus BENEDICTUS XII. ſanctiſſimus pontifex Romanus miſit ad eccleſiam Armenorum libellum unum de erroribus, quos errores dicebat ſe audiviſſe ab aliquibus detractoribus eccleſiæ: ideo paterna pietate rogabat Catholicon (*a*) & regem Armenorum, petendo ab eis, ut cum ſynodo antiſtitum eccleſiæ Armenorum ſupraſcriptos errores prædicti libelli audirent, cum examinatione condemnarent tamquam inimicos catholicæ fidei, ut fides orthodoxa catholicæ eccleſiæ ſine quocumque errore teneatur, prædicetur, & colatur, & in partibus Armenorum, ſicut in eccleſia Romana. Ideo ego dominus MEKQUITAR, quamvis indignus, tamen providentia divina Catholicon omnium Armenorum, de voluntate & conſenſu glorioſi domini CONSTANTINI gratia & electione Dei regis omnium Armenorum, venerabilium principum ejus, & diligentium Chriſtum; etiam cum conſilio & adjutorio omnium epiſcoporum, magiſtrorum, abbatum monaſteriorum, aliquorum aliorum eccleſiaſticorum virorum idoneorum qui ſunt hi:

Archiepiſcopi.

Dominus BASILIUS Siſſi.
Dominus VARTAN Tarſenſis.
Dominus STEPHANUS Ananarſenſis.
Dominus MARCHUS Cæſareæ Cappadociæ.
Dominus BASILIUS Iconienſis.
Dominus SIMEON Sebaſtienſis.

Epiſcopi.

Dominus BASILIUS de *Partepert.*
Dominus GREGORIUS Actanenſis.
Dominus JOHANNES de Leace.
Dominus NERSES Campanienſis.
Dominus JOHANNES de *Mathekar.*
Dominus GREGORIUS Germanicenſis.
Dominus BASILIUS Augurienſis.
Dominus DAVID Taronenſis.
Dominus DANIEL de Themeſca.

(*a*) Quid ſit apud Armenos Catholicon explicat Jacobus a Vitriaco in Hiſt. Hieroſ. cap. 78. *Habent*, inquit, *pradicti Armeni primatem, quem Catholicon appellant, cui cum ſummo honore & reverentia, omnes a minimo uſque ad maximum, tamquam alteri papæ obediunt.* Unde & a Guillelmo Tyrio l. 15. c. 18. dicitur: *Maximus Armenorum pontifex.*

Dominus

Dominus Stephanus Trapiſanenſis.
Dominus Paulus Coquanenſis.
Dominus David Camando.
Dominus Gregorius *Maſgavim.*
Dominus Mesrobus de *Sorcanant.*
Dominus Gregorius *Tartuyn.*

Epiſcopi vero nullatenſes ſunt iſti.

Dominus Johannes.
Dominus Constantinus.
Et alius dominus Johannes.
Dominus Stephanus.

Et epiſcopi de curia Catholicon.

Dominus Sergius.
Dominus Basilius.
Dominus Gregorius.
Et publicus notarius dominus Baſilius.

Et magiſtri eccleſiæ ſunt iſti.

Daniel de ordine Minorum lector Siſſi.
Basilius lector de *Mageguar.*
Johannes magiſter domus catholicon.
Magiſter Stephanus.
Magiſter Nerses de *Poſenant.*

Et abbates monaſteriorum ſunt hi.

Johannes abbas de *Agner.*
Karabet abbas de *Cirorim.*
Thoras abbas de *Moiſmos.*
Stephanus abbas de *Queſſedan.*
Johannes abbas de *Pelor.*
Constantinus abbas de *Leſernat.*
Herabiet abbas S. Romani.
Johannes abbas de *Kaylcoyn.*
Leon abbas de *Quemerqueçon.*
David abbas de *Perger.*

De ordine ſacerdotum idoneorum ſunt iſti.

Leon archipreſbyter palatii regis.

Jacobus archipreſbyter Siſi, & alii ſacerdotes.

Basilius archipreſbyter de Athana, & alii ſacerdotes.

Deodatus archipreſbyter de Tharſo, & alii ſacerdotes.

Constantinus ſacriſta, etiam ſacriſtæ majorum eccleſiarum.

Constantinus de ſancta Sophia, & canonici ejuſdem eccleſiæ.

Johannes de ſancta *Ethennacine*, & aliqui canonici ejuſdem eccleſiæ.

Congregati inſimul legimus & audivimus libellum errorum & falſitatum, quem in omni parte ſua examinavimus, & ſeparavimus veritates orthodoxæ fidei & ſacramentorum ſanctæ eccleſiæ a falſis & variis erroribus, quos nobis impoſuerunt, ſicut quemlibet in articulis errorum ubi memorantur, manifeſtamus piiſſimo & ſacratiſſimo patri noſtro domino Clementi papæ Romano, ſucceſſori præmemorati domini Benedicti & & apoſtolicæ ſedi ejus. Scilicet fidem & ſacramenta ſancta, ſecundum ritum & modum, ſecundum quem habuit eccleſia Armenorum, & nunc habet & confitetur. Et errores aliquorum Armenorum, quæ quandoque demanaverunt, tamen a nobis non recipiuntur, ſed ſpernimus ſemper & condemnamus errores hæreticorum alienigenarum, quos non tenuimus, nec habemus, & quos alias non audivimus, quos falſe nobis impoſuerunt, condemnavimus omnes cum anathemate, ſicut ſemper apud vos anathematizati ſunt. Et hæc patent in præſenti libello malorum, in cujus principio dicit hoc.

Et primo, quod aliqui antiqui magiſtri Armenorum dixerunt & prædicaverunt, quod Spiritus-ſanctus procedit a Filio, ſicut & a Patre. Artic. I.

Responsio. Verum eſt hoc, quod quamvis valde parum habeamus ſuper iſta materia, tamen in aliquibus locis invenitur in libris noſtris proceſſio Spiritus a Filio ſicut a Patre, ſicut in oratione Pentecoſten, quæ omni anno communiter legitur in tota eccleſia Armenorum, & oratio dicit ſic: *Qui es, Domine, Dominus virtutum, & Deus verus, fons luminis, & in te procedens inſcrutabiliter ex Patre & Filio, mirabilia operans Spiritus-ſanctus.* Et S. Cyrillus dicit: *Neceſſe eſt Spiritum Filii confiteri eſſe eſſentiæ, quia ſicut ab ipſo eſt ſecundum eſſentiam, ad creaturas ab eo miſſus renovationem operatur;* & ſimilia. Sequitur.

Sed a ſexcentis & duodecim annis citra, magiſtri & prælati, & alii Armeni de majori Armenia, dimiſerunt prædicare & dicere quod Spiritus-ſanctus procedat a Filio ſicut a Patre, quia in dicto tempore factum fuit concilium apud Armenos, ubi fuerunt Catholicon, epiſcopi & magiſtri Armenorum & patriarcha Aſſyriorum, & ibi determinaverunt, quod de cetero non diceretur apud eos, quod Spiritus-ſanctus procederet a Filio ſicut & a Patre, & condemnaverunt antiquos doctores Armenorum, qui fuerant ante dictum concilium, eo quod dixerant & docuerant quod Spiritus-ſanctus procedit a Filio, ſicut a Patre; perſecuti ſunt incarcerando eos & in vinculis ponendo; & ſic apud Armenos nullus audet hoc dicere vel docere, niſi ſoli illi qui reüniti ſunt ſanctæ Romanæ eccleſiæ.

Responsio. Hæc omnia ſunt verba confuſionis noviter inventa, & abſque veritate, quoniam ſi tale quid inter Armenos fuiſſet factum de proceſſione Spiritus, tunc vel per libros, vel per ſucceſſionem perveniſſet ad nos, quod tamen numquam audivimus, & quod ſupradicta non ſunt vera duplici ratione manifeſtamus. Primo, quia dicitur in primo articulo, Et ſic apud Armenos nullus audet hoc dicere vel docere; ſed nos oſtendimus in prima parte hujuſmodi articuli in oratione Spiritus-ſancti, quod per totam eccleſiam Armenorum Spiritus-ſanctus prædicatur, ut dicitur, procedere a Filio ſicut & a Patre. Secundo, quia dicit, quod in concilio illo erat

patriarcha Assyriorum; & in tertio articulo dicit, quod in dicto concilio condemnaverunt concilium Calcedonense; sed concilium ubi invenitur fuisse patriarcha Assyriorum & contra concilium Calcedonense, illud est concilium Manasgardense, & ibi non sit mentio de processione Spiritus. Ergo falsum est quod dicunt. Item, sciendum est, quod quando processio Spiritus-sancti determinata fuit a Filio sicut a Patre per ecclesiam Romanam, quamvis Græci contrarii fuerint, tamen magistri Armenorum cum synodo receperunt, sicut invenitur apud nos in historiis quæ sunt in majori Armenia; sed nomen papæ qui misit, manifeste non habemus; & in minori Armenia, tempore regis magni HECON, & catholicon domini CONSTANTINI, GREGORIUS papa misit legatum, & mandavit per epistolam dicere & confiteri Spiritum-sanctum procedere a Filio sicut a Patre, & ipsi cum concilio receperunt, & confirmaverunt, & miserunt in Oriente, & illi etiam receperunt & consenserunt; sed post tempora unionis nostræ cum ecclesia Romana, magis declaratum fuit & dispersum in tempore ESYN regis & domini CONSTANTINI catholicon. Illud vero quod dicunt, quod de novo uniti ecclesiæ Romanæ dicunt processionem a Filio sicut & a Patre, verum est. Sequitur.

Et si quandoque invenitur in libris eorum, quod Spiritus-sanctus procedit a Filio, hanc processionem Spiritus-sancti intelligunt de ejus processione temporali ad sanctificandam creaturam, non de processione ejus æterna, qua processit æternaliter a Patre & Filio in esse personali.

RESPONSIO. Et hoc etiam non est verum, quoniam ubi in libris nostris invenitur Spiritus-sanctus procedere a Patre & Filio, vel spiritualiter, vel una persona, ubi verba non aspiciunt, nec dirigunt ad creaturas, sed ad personas Patris & Filii, tunc illam pro æterna processione intelligimus, sicut in oratione superius; sed quando datur vel mittitur Spiritus-sanctus a Filio ad creaturas renovationem operari & sanctificare, tunc illam intelligimus pro temporali ejus processione: ideo non bene dicunt:

ART. II. *Item, quod Armeni articulum fidei in symbolo positum de Spiritu-sancto sic pronuntiant*: Credo in Spiritum-sanctum, increatum & perfectum, qui locutus est in lege & prophetis, & in evangeliis, & descendit in Jordane, & prædicavit in apostolis, & habitat in sanctis. *Nullam mentionem facientes, quod Spiritus sanctus procedat a Patre, vel a Patre & Filio.*

RESPONSIO. Sciendum est, quod *increatum & perfectum* addiderunt sancti patres contra hæreticos, qui creatum & imperfectum Spiritum dicebant. Et illud quod dicit, quod nullam mentionem faciunt in symbolo, quod Spiritus-sanctus procedat a Patre, nec a Patre & Filio, quamvis in aliquibus locis ex defectu scriptorum & ex negligentia prælatorum inveniatur, sicut dicunt supra; communiter tamen invenitur in libris, & sic dicitur in ecclesia Armenorum, *& in Spiritum-sanctum, qui a Patre emanat.* Et postquam ecclesia Armenorum unita fuit cum ecclesia Romana, dicimus manifeste & docemus Spiritum-sanctum procedere a Filio sicut a Patre. Sequitur.

Quando tamen legunt evangelium Johannis, ubi dicitur, quod Paraclitus procedit a Patre, hæc dicunt & confitentur.

RESPONSIO. Verum est hoc. Sequitur.

Sed multi ex eis negant quod Spiritus-sanctus procedat a Filio. Et si aliqui hoc credant, tamen non audent hoc manifeste dicere.

RESPONSIO. Numquam invenimus quod ecclesia Armenorum contraria fuit processioni Spiritus-sancti a Filio, vel quod non ausa fuerit confidenter prædicare, maxime nunc, quia unita est ecclesiæ vestræ, licet membra Christi non fuerint sine aliquibus adversariis. Sequitur.

Licet in concilio Calcedonensi non fuit determinatum expresse, quod Spiritus-sanctus procederet a Filio sicut & a Patre, sed hoc fuerat determinatum in conciliis Constantinopolitano & Ephesino; quod tamen concilium Calcedonense approbavit determinationem in dictis conciliis prioribus, ideo reprobando dictum concilium Calcedonense, dicti Armeni reprobaverunt dicta concilia, quæ per dictum concilium approbata fuerunt, inter quæ erat, quod Spiritus-sanctus procedit a Filio sicut & a Patre.

RESPONSIO. Concilium Calcedonense aliqui de Armenis non propter hoc reprobaverunt, quia recipit Constantinopolitanum & Ephesinum concilia, etiam determinata in eis quæ Armeni universaliter recipiunt sancta & orthodoxa cum omnibus determinationibus suis, & festivant omni anno in memoriam eorum qui non reprobaverunt concilium Calcedonense; propter hoc fuit, quia ab aliquibus malis & falsis seminantibus turbationem in ecclesia, quos abhorret Spiritus-sanctus, diffamatum fuit apud Armenos, quod sanctum & glorioſum concilium Calcedonense recepit hæreses Nestorii; ideo crediderunt aliqui Armeni ignoranter errantes, & reprobaverunt sanctum concilium, & nefandum judicaverunt. Et causa non recipiendi Leonem papam fuit duplex. Primo, quia in quatuordecim capitulis epistolæ suæ, quam misit ad synodum Calcedonensem, invenitur hoc verbum: *Verbum caro factum est, & tabernaculavit in nobis*, sicut in lingua nostra est translatum: apud vos vero quomodo invenitur ignoramus. Et hoc reprobant Armeni. Secunda est, quia erat caput & celebrator concilii Calcedonensis; sed aliqui perversi, qui diffamaverunt concilium Calcedonense, dixerunt ipsum habere errorem Nestorii; similiter & caput concilii B. Leo-

nem, quem nos ſanctum reputamus ſimul cum concilio, & docemus ignorantes.

ART. III. *Item, quod in dicto concilio condemnaverunt concilium Calcedonenſe, ex eo principaliter, quod in dicto concilio Calcedonenſi erat determinatum, quod in Domino* JESU CHRISTO *erant duæ naturæ, humana ſcilicet & divina, & unica perſona ſubſiſtens in duabus naturis; & in dicto concilio determinaverunt, quod ſicut in Domino* JESU CHRISTO *erat una perſona, ita erat una natura divina, & una voluntas & una operatio; & anathematizaverunt dicentes contrarium, & illos qui contrarium dicebant perſecuti ſunt, eos incarcerando, vinculando, & morti tradendo; in dicto etiam concilio condemnaverunt B. Leonem papam & epiſtolas ejus, quas miſerat ad concilium Calcedonenſe & ad Flavianum patriarcham Conſtantinopolitanum, in quibus B. Leo ſcripſerat, quod in Domino* JESU CHRISTO *erant duæ naturæ, & una perſona, duæ voluntates & duæ operationes.*

RESPONSIO. Sciendum eſt, quod concilium Manaſgardenſe factum fuit contra Armenos illos, qui a tempore ESDRAS catholicon uſque tunc receperant concilium Calcedonenſe & determinationes ejus, ut manifeſte invenimus, & cauſam condemnationis Calcedonenſis concilii poſuimus in ſecundo articulo, quod Armeni illi qui reprobaverunt concilium Calcedonenſe, propter hoc fuit, quod divulgatum fuit, quod recepit hæreſes Neſtorii. Sed poſt hoc fuerunt duo concilia facta, unum in Siſio per dominum GREGORIUM, ſecundum in Adana per dominum CONSTANTINUM, contra dictum concilium Manaſgardenſe, quæ ſine comparatione erant ſolemniora, quam Manaſgardenſe concilium. Et in conciliis Siſi & Adanæ determinatum fuit contra determinationes Manaſgardenſis concilii, ſcilicet recipere concilium Calcedonenſe & determinata in eo per ſanctos patres, qui propter duas naturas, voluntates & operationes Chriſti Domini determinaverunt taliter ſicut fuerunt in Chriſto propter perfectam humanitatem & divinitatem ejus, ſicut nunc habet univerſalis eccleſia Romana, & nos eadem confirmando facimus & docemus, ſicut prænominati prædeceſſores noſtri determinaverunt. Sequitur.

Et in dicto etiam concilio Dioſcorum condemnatum per dictum concilium Calcedonenſe canonizaverunt, & pro ſancto haberi voluerunt, & adhuc ter in anno faciunt feſtum de eo ſicut de ſancto, & eum laudant ut ſanctum, & maledicunt B. Leonem & concilium Calcedonenſe, qui condemnaverunt dictum Dioſcorum. Dicunt etiam quod illi qui conſenſerunt determinatis in dicto concilio Calcedonenſi, Chriſtum negaverunt.

RESPONSIO. Sciendum eſt, quod Dioſcorum ideo aliqui tamquam ſanctum recepe-

A runt, quia audierant, ſicut ſcriptum eſt, quod concilium Calcedonenſe recepit hæreſes Neſtorii, & dictus Dioſcorus contrarius fuit concilio Calcedonenſi, quaſi zelator veritatis. Ideo excommunicaverunt concilium Calcedonenſe & papam Leonem, quaſi diviſores veritatis eccleſiæ, & cum canticis ſemel in anno laudant ipſum Dioſcorum ſicut teſtem veritatis. Et hoc tunc faciebant, quando ignorabant veritatem; ſed poſtea ſcientes veritatem, ceſſaverunt a quinquaginta annis citra in Cilicia & in Armenia majori, qui obediunt nobis, & dictum canticum extraxerunt de libris, & novum canB ticum compoſuerunt pro ſancta ſynodo Calcedonenſi. Et eſt hoc: *Ex duabus naturis unitis, inconfuſe oſtendiſtis unum Filium, unum Deum, unum Chriſtum. Idem Deum Verbum cum corpore indiviſum, Verbum incarnatum. Ergo matrem Dei genitricem.* Non in humanatione Verbi confundimus naturam corporis in rem fantaſticam, & non in duas perſonas diviſas unum id eſt Chriſtum dividimus; & propterea anathematizamus Neſtorium, & contra illos qui reprobant concilium Calcedonenſe & determinata in eo.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod pec- ART. IV.
C *catum primorum parentum perſonale ipſorum tam grave fuit, quod omnes eorum filii ex ſemine eorum propagati, uſque ad Chriſti paſſionem, merito dicti peccati perſonalis ipſorum, damnati fuerunt, & in inferno poſt mortem detruſi.*

RESPONSIO. Mente genita & de novo inventa ſunt hæc verba, quia tranſgreſſionem mandati Dei a primis parentibus intelligimus perſonale peccatum eorum, unde ortum fuit peccatum originale in natura, per quod iverunt nati ex eis in infernum, etiam propter actualia peccata ſua, ſicut de Dathan & Abiron, ut habetur Num. x. propter inobedientiam ſuam, & non propter tranſgreſſionem primorum parentum deſcenderunt vivi in inferno, & cooperti ſunt terra, D & perierunt in medio multitudinis populi. Et Luc. XVI. dicitur: *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Et hæc etiam veritas Dei non propter cauſam peccati perſonalis Adæ dicit, ſed quia erat homo dives, per quem oſtendit abundantiam divitiarum & concupiſcentiam oculorum: qui induebatur purpura & biſſo, & per hoc deſignat ſuperbiam & vanam gloriam hujus vitæ; & comedebat quotidie abundanter, & per hoc deſignat delicias & deſideria carnis: quibus de cauſis hic dives & alii etiam homines va-E dunt ad infernum, & non propter peccatum perſonale Adæ; & alia multa ſimilia, quæ propter brevitatem dimittimus. Sequitur.

Non propter hoc quod ipſi ex Adam aliquod peccatum originale contraxerint, cum dicat pueros nullum omnino habere peccatum, nec ante Chriſti paſſionem, nec poſt.

Responsio. Sciendum est quod hæresis ista est Pelagiana, & Cœlestini, qui Armeni non erant. Nam isti dicebant, quod peccatum primæ transgressionis non originaliter transit ad alios, sed consequenter, scilicet eadem operando; & ideo dicebant, quod in parvulis peccatum non est, & sic dicebant, quod in baptismo parvulorum non fit remissio peccatorum, & contra hæresim istam in Quarqueton fuit concilium, & anathematizati fuerunt à sanctis patribus, qui negant & non confitentur, quod parvuli baptizentur in remissionem peccatorum, vel quod nihil de Adam traxerint de originali peccato, quod necesse est purgari per lavacrum regenerationis. Nos pariter cum dictis sanctis patribus supra scriptam hæresim una cum hæreticis anathematizavimus, & anathema sit adhuc. Amen. Quod autem manifestum sit, quod ecclesia Armenorum in errore isto numquam fuit, ponimus orationes ecclesiæ Armenorum, per quas petit noviter natis remissionem peccatorum in baptismo, & alias gratias. Et sunt hæ.

Misisti apostolos tuos jubens prædicare & baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti omnes gentes. Sed ordinasti verissimo verbo tuo non renatis ex aqua & Spiritu vitam æternam non videre: a quo verbo pertimescens servus tuus, desiderans vitam æternam, venit voluntarie ad baptismum hujus aquæ spiritualis. Deinde dicit: *Concede aquam istam, in qua nunc baptizatur iste in remissionem peccatorum, & in receptionem Spiritus-sancti, in adoptionem Patris cœlestis, in hereditatem regni cœlorum, ut sanctificatus a peccatis, in beneplacito tuo stet in hac vita, & in futuro bonum indeficiens recipiat cum omnibus sanctis.* Item, alia oratio.

Qui vocasti servum tuum, Domine, in sanctificationem & illuminationem baptismi, rogamus te, Domine, fac hunc dignum magna gratia, & exspolia ab eo antiquitatem peccati, & cetera. Post vero formam baptismi in oratione quæ incipit, *Qui illuminasti*, sequitur sic: *Liberasti eum, sanctificasti & justificasti, ei dedisti adoptionis honorem.* Nunc cogitent subtiliter quomodo ecclesia Armenorum parvulis de quo peccato remissionem peccatorum petit, & a quibus peccatis parvulos dicit & credit liberari, sanctificari, & justificari. Igitur non de actuali, quod non habent. Ergo necesse est dicere & confiteri, quod de originali, & necesse est ipsos confiteri quod falsum dixerunt. Sequitur.

Sed dicta damnatio ante Christi passionem eos sequebatur ratione gravitatis peccati personalis, quod commiserunt Adam & Eva transgrediendo divinum præceptum eis datum.

Responsio. De hoc superius respondimus quomodo intelligimus in principio hujus capituli. Sequitur.

Sed post Domini passionem, in qua peccatum primorum parentum deletum fuit, pueri qui nascuntur ex filiis Adæ non sunt damnationi subjecti, nec in inferno ratione dicti peccati sunt detrudendi, quia Christus totaliter peccatum primorum parentum delevit in sua passione.

Responsio. Hoc falsum est, quia apostolicæ & evangelicæ doctrinæ, quibus credimus, & etiam ordinationibus ecclesiæ Armenorum contrarium est; quia quamvis personale peccatum primorum parentum deletum fuit per passionem Christi, tamen originale necesse est per baptismum mundari. Ideo dicit Christus: *Qui non renascitur ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Et Petrus etiam dicit: *Baptizetur quilibet vestrûm in nomine* Jesu Christi *in remissionem peccatorum vestrorum, & recipiatis gratiam Spiritus-sancti.* Et secundum fidem & consuetudinem ecclesiæ Armenorum, nullus potest intrare ad vitam, nisi solum illi, qui per regenerationem baptismi sunt mundati a peccatis, sicut superius in oratione manifestavimus. Igitur non est verum quod dicunt.

Art. V.

Item, quidam magister Armenorum vocatus Mechicarin,* *qui interpretatur Paraclitus, de novo introduxit & docuit, quod anima humana filii propagatur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore; & angelus etiam unus ab alio: quia cum anima humana rationalis existens, & angelus existens intellectualis naturæ, sunt quædam lumina spiritualia, ex seipsis propagant alia lumina spiritualia, & in hoc sequuntur eum quasi omnes de provincia Argicensi, quæ est magna provincia continens* VII. *dietas. Alii vero Armeni non dicunt hoc, sed quod Deus omnes animas creat; & Armeni de dicta provincia habent illum* Mechicarim *pro sancto.*

* al. Mechitariz.

Responsio. Tale quid ab aliquo alio non audivimus de supradicto Mechicarim, & illis qui hoc dixerunt non est dignum nobis credere, quousque certificati fuerimus a fidelibus viris, quia ipsi etiam maxima mala dicunt de Armenis, quæ numquam audivimus. Tamen hic error quod anima hominis propagatur ab anima patris sui, sicut corpus à corpore, & unus angelus ab alio, semper fuit excommunicatus in ecclesia Armenorum, & maledictus sit, quia dicta ecclesia sicut semper credidit, ita idem credit, quoniam animæ creantur noviter a Deo, & in tempore animandi simul fit creatio animæ de novo a Deo, & positio in corpus: animæ vero virorum post quadraginta dies seminis, & mulierum post octuaginta dies, sicut dicit Gregorius Nissenus. Sicut audivimus supradictus Mechicarim mortuus est, mittens magistris ut caveant, quod si inveniatur talis error factus, quod non attendant, nec consentiant, & si aliquis libellus ejus remanserit, in quo talem blasphemiam locutus fuerit, tollatur & igni comburatur.

ART. VI. *Item, dicunt Armeni, quod animæ puerorum qui naſcuntur ex Chriſtianis parentibus, poſt Chriſti paſſionem, ſi moriantur antequam baptizentur, vadunt ad paradiſum terreſtrem, in quo fuit Adam ante peccatum. Animæ vero puerorum qui naſcuntur ex parentibus non Chriſtianis, poſt Chriſti paſſionem, & moriuntur ſine baptiſmo, vadunt ad loca ubi ſunt animæ parentum ſuorum ipſorum.*

RESPONSIO. Eccleſia Armenorum inter pueros non baptizatos, ſive de Chriſtianis ſint nati, ſive de infidelibus differentiam non facit, ſicut ſupponunt in articulo; ſed eos uniformiter ſecundum ſententiam Domini privat a paradiſo cœleſti, & quamvis gloriam non habent, nec pœnam ſenſibilem habebunt, ut dicit Saulius, pueri fidelium qui non baptizantur, & pueri infidelium, nec ad pœnam intrabunt, nec ad regnum, quoniam nec bonum nec malum fecerunt; & locum in quo vadunt non manifeſte oſtendunt, ſed indifferenter dicebant, quod vadunt ubi Deus ordinavit pro eis, & non ſicut ipſi dicunt, quod vadunt in paradiſo. Poſtea vero addiſcentes a vobis quod vadunt in limbo, qui eſt ſuper infernum, & de hoc docti ſic dicimus, quare reprehenditur falſitas eorum.

ART. VII. *Item, dicti Armeni dicunt, quod animæ hominum adultorum qui mortui ſunt vel morientur poſt Chriſti paſſionem, vadunt in aëre vel in terra, quæ eſt juxta paradiſum terreſtrem, vel alibi ubi Deus ordinat ipſas manere uſque ad diem judicii, ſive ſint Chriſtiani, ſive non. Nulla tamen anima ipſorum vadit ad infernum, vel paradiſum cœleſtem vel terreſtrem, uſque ad dictum tempus judicii.*

RESPONSIO. Omnia ſupradicta ſunt falſa, & criminoſa dicere communiter eſſe in eccleſia Armenorum, quia quamvis aliquis de magiſtris habentes opinionem Græcorum, dicebant quod animæ juſtorum, quamvis in requie ſint, tamen uſque ad reſurrectionem generalem, quando animæ accepturæ ſunt corpora ſua, in regnum cœlorum non ibunt; tamen eccleſia Armenorum, maxime nos omnes juſtas animas de quocumque ſtatu ſint, cantamus & credimus, quod iverunt & vadunt ad vitam æternam, & non juxta paradiſum, & ad alia loca ſicut ſupra dicit. Unde primo cantamus de B. Virgine: *Hodie [in] habitaculum Spiritus-ſancti ſupernæ virtutes tranſmutantur in cœlum introiens in ſuperna Jeruſalem, in thalamum incorruptibilem, in incredibilem Creatoris... cum Trinitate*, & alia ſimilia multa. De Adam autem dicitur: *Qui fructum vitæ ex te obtuliſti mortuo Adæ, cujus cum jejuniis quadraginta dierum guſtum fructus purgavit, & in vitam ſine fine perduxit eum.* De prophetis: *Qui morte tua, Domine, dolores mortis ſolviſti, deſcendens in infernum reduxiſti tecum animas juſtorum prophetarum ad lumen ſine umbra*, &c. De apoſtolis: *Qui recepit ad vitam incorruptibilem ſanctos apoſtolos, & collocavit in lucidis.* Item, *Paſſi fuerunt pro Chriſto, & in eum poſuerunt ſpem ſuam, & ſanguinem ſuum effuderunt in terram, & coronati ſunt de immortali rege.* De martyribus: *Cum victorioſa patientia compleviſtis curſum veſtrum, & tranſlati fuiſtis de terrenis ad cœleſtia, & recepiſtis a Chriſto coronam incorruptibilem.* Item: *Qui de exercitu terrenorum militantes tibi cœleſti regno, collocati ſunt cum angelis in cœlis, teſtes tui veraces.* De confeſſoribus: *Splendent juſti in regno, & anachoriten in requie martyres coronantur.* Lampades virginum accenduntur, *Domine, cum eis, qui te Deum confitentur.* Item: *Qui curſum ſuum perfecerunt cum beneplacito tuo, Chriſte, & coronam incorruptibilem receperunt de te.* Iterum: *Martyrizati per anguſtias contra inimicum, & tranſmutati ſunt in regnum cœlorum.* De virginibus: *Ædificia cœleſtia in terra firmata, & columnæ lucidæ ad cœlum erectæ ipſæ aſcenderunt, & aliis oſtenderunt viam deſiderabilem ſupernæ Jeruſalem.* Iterum: *De gloria ad gloriam exaltatæ, gloriantur in honore & gloria triginta ſeptem, quoniam hic eſt munus beatarum virginum, quæ immarceſſibiliter coronatæ fuerunt in æternum ſine fine.* Iterum: *Pluſquam luminaria in medio ſtellarum ſplendent in choris angelorum filiæ ſupernæ Jeruſalem.* Generaliter autem pro omnibus defunctis dicimus: *In civitate Domini virtutum, & in civitate regis magni, ubi congregatio ſanctorum eſt, in pace ibunt cum ſpe, & requieſcent in choris angelorum, videntes lumen æternum.* De illo autem quod dicebatur, quod nulla anima ibat ad infernum, Matth. VII. dicitur: *Lata eſt porta & larga via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.* Quod audientes, credimus quod nunc poſt paſſionem Domini, multi ſecundum verbum Domini per latam portam & largam viam vitiorum intrant infernum. Idem Apocalypſis XX. dicit: *Mors & infernus dederunt mortuos ſuos & judicati ſunt, quilibet ſecundum opera ſua, & mors & infernus traditi ſunt in ſtagno ignis, hæc eſt mors ſecunda, & qui non fuit in libro vitæ ſcriptus, projectus fuit in ſtagno igneo.* Beatus Johannes, cujus verbis firmiter & ſine ſcrupulo credimus ſicut Chriſto, manifeſtat quod mors, quæ eſt diabolus & infernus, nunc recipiunt filios perditionis poſt mortem, & in finali judicio dandi ſunt judici omnium, ut unuſquiſque reſpondeat de factis ſuis, & quia filiorum perditionis nulli inveniuntur in libro vitæ, a judice ſimul cum morte & inferno iterum in lacum igneum mittentur, id eſt in inferno in ſæcula ſæculorum, qui eſt mors ſecunda. Iterum B. Cyrillus a quodam interrogatus: Recordanturne de nobis animæ recedentes a nobis ſicut angeli, aut non? Reſpondit, animæ ſanctorum recordantur omni tempore: tamen peccatorum qui in inferno ſunt, Dei non recor-

dantur. Qualiter ergo noſtri? Audi de hoc quid dicit David, *Non eſt in morte, qui memor ſit tui*, aut, *in inferno quis confitebitur tibi?* Iterum: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.* Eccleſia Armenorum habet & prædicat, quod poſt paſſionem Domini peccatores non pœnitentes vadunt ad infernum, & juſti ad regnum cum anima, ſed poſt finale judicium ibunt cum anima & corpore, ſicut ſuperius manifeſtavimus, & non ſicut in illo mendacio quod dicitur in articulo, quod nulla anima illorum vadit ad infernum vel regnum: & ſi ſunt aliqui ſimplices & errantes, qui ſunt extra veritatem, qui de regno & inferno aliud dicunt vel ſcribunt, eos non recipimus, ſed habemus ut contrarios veritatis & errantes. Sequitur.

Et, ut dicunt, animæ puerorum non baptizatorum ad generale judicium venient cum corporibus ſuis, & poſt judicium ibunt ad paradiſum terreſtrem, in quo volabunt ſicut columbæ de una arbore ad aliam, & ſicut angeli de cælo ad terram, & de una parte ad aliam; non tamen habebunt gloriam, nec ſuſtinebunt pœnam aliquam.

Responsio. Hæc omnia ſunt falſa & fantaſtica verba, & etiam reſpondimus ſupra in ſexto articulo. Sequitur.

Poſt generale vero judicium, animæ adultorum ibunt ad loca, quæ eis deputabuntur poſt dictum generale judicium.

Responsio. Juſti ad vitam æternam, & peccatores ad tormenta, ſicut ſuperius dictum eſt, & non aliter.

Art. VIII. *Item, Armeni dicunt, quod animæ puerorum baptizatorum & animæ multum perfectorum hominum, poſt generale judicium intrabunt in regnum cœlorum, ubi carebunt omni malo pœnali hujus vitæ, quia nec eſurient neque ſitient, nec nubent nec nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlis, nec peccare poterunt, nec cadere a ſtatu in quo erunt.*

Responsio. Hæc omnia vera ſunt non ſolum pro valde perfectis hominibus, ſed & pro omnibus animabus juſtorum, quæ nunc ſine corpore intrant in vitam, & poſt generale judicium cum anima & corpore ſimul. Sequitur.

Non tamen videbunt Dei eſſentiam, quia nulla creatura eam videre poteſt; ſed videbunt claritatem Dei, quæ ab ejus eſſentia emanat, ſicut lux ſolis emanat a ſole, & tamen non eſt ſol.

Responsio. Hoc quod dicit, quia non videbunt eſſentiam Dei, &c. ſicut ſupra, contrarium eſt evangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ, quibus credit eccleſia Armenorum, quoniam eodem modo videbimus Deum ſicut & angeli vident. Unde de angelis Matth. XVIII. *Angeli eorum videbunt ſemper faciem Patris mei qui in cœlis eſt.* Et quod nos etiam ſicut angeli Deum videbimus, ad Cor. XIII. teſtatur: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate; tunc facie ad faciem.* Facie ad faciem dicit, quoniam videbimus manifeſte eſſentiam Dei. Item apoſtolus comparando viſionem illam manifeſtat, & dicit: *Nunc cognoſco ex parte, tunc vero cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*, id eſt, ſicut Deus videt & cognoſcit nos tunc, & nos etiam videbimus Deum, ſecundum menſuram dignitatis & potentiæ noſtræ, & non quantum Deus ſeipſum videt. Et quod videbimus Dei eſſentiam Johannes teſtatur: *Scimus quod quando ille revelabitur, ſimiles ei erimus; quia videbimus eum ſicuti eſt.* Scilicet quia videbimus eſſentiam, magnitudinem, claritatem, ſapientiam & bonitatem ejus; quæ omnia in Deo Deus ſunt: tamen non tantum quantum ipſe ſe videt; & ſcientia Dei eſt immenſa, infinita, incomparabilis, incomprehenſibilis, & incircumſcriptibilis.

Item, in Canticis noſtris cantat eccleſia noſtra: *Chriſte Deus noſter, concede nobis cum Petro & filiis Zebedæi eſſe dignos divinæ viſionis tuæ.* Item: *Munda, Domine, peccatorum ſervorum tuorum ſenſus, & concede videre te, & audire paternam vocem: Hic eſt Filius meus dilectus.* Vide quoniam hic & in multis aliis locis petimus videre eſſentiam Dei; tamen ſi ſunt aliqui ignorantes, quos neſcimus, qui dicunt vel ſcribunt ſicut ſuperius in articulo, non acceptantur a nobis; ſed potius reprobantur & ſpernuntur. Sequitur.

Et in dicta viſione dicta claritatis erunt diverſi gradus, ita quod perfectius dictam claritatem videbunt angeli, quam quicumque homines; & prophetæ, & apoſtoli, & martyres, & virgines, quam pueri baptizati. Et in hoc dicunt, quod conſiſtit ſanctorum perfectorum & puerorum baptizatorum beatitudo.

Responsio. Quamvis diverſos gradus ponimus in viſione divinæ eſſentiæ, tamen non in claritate, quæ non eſt Deus, ut videtur dicere in articulo; quia claritas Dei & omne quod eſſentialiter eſt in Deo Deus eſt, & differentiam graduum viſionis Dei ſic dicimus, quoniam eſſentia Dei videbitur, & diligetur intentius ab uno, quam ab alio; quia quemadmodum virtus intellectualis unius magis erit perfecta lumine gloriæ, quam alterius, tanto magis videbit unum & eumdem Deum; ſicut in ſenſibilibus etiam unus & idem ſol a multis plus & minus videtur ſecundum quantitatem virtutis viſivæ, & quod unus plus videbit quam alter, Paulus teſtatur ad Corinthios XV. *Sicut ſtella alia ſtella eſt glorioſior, ſic & in reſurrectione.*

Item, de pueris non baptizatis & de non perfecte juſtis hominibus, qui ſimul non pervenerunt ad perfectionem apoſtolorum, martyrum, confeſſorum & virginum, Armeni dicunt quod poſt generale judicium ibunt ad paradiſum terreſtrem & non cœleſtem, ubi carebunt Art. IX.

omni molestia corporali, & delectabuntur inter ligna paradisi; non tamen comedent nec bibent, nec nubent nec nubentur, & ita perpetuo ibi remanebunt, & in hoc consistet eorum beatitudo.

RESPONSIO. De pueris non baptizatis numquam audivimus, & falsitas hujus dicti per se patet, quia animæ puerorum non baptizatorum & imperfecte justorum hominum in unam requiem ire valde est inconveniens propter tres causas. Primo quia parvulus opera bona non habet. Secundo, quoniam cum originali peccato decessit. Tertio quia ad gratiam baptismi non pervenit : tamen imperfecte justorum animæ istorum trium contrarium habent. Primo quia purgati sunt ab originali peccato. Secundo quia habent gratiam baptismi. Tertio quia operati sunt opera bona. Ergo inconveniens esset istos in unam requiem ire. Sequitur.

Differentia tamen erit inter pueros non baptizatos Christianorum filios, & adultos non perfecte justos; quia adulti non perfecte justi habebunt coronam de lumine ignis, quo terra comburetur ante judicium, videbunt etiam claritatem ligni crucis Christi : quæ claritas tunc maxima erit, quia omnes claritates quæ sunt in hoc mundo, adjungentur claritati Christi; & dicti adulti, secundum quod magis vel minus perfecti erunt, dictas coronas luminis differentes habebunt, & dictam claritatem crucis Christi differenter videbunt, secundum eorum merita : dictas tamen coronas luminis non habebunt pueri non baptizati, nec videbunt claritatem crucis Christi, & in hoc erit differentia inter illos.

RESPONSIO. Quamvis igitur Armeni dicant quod in adventu secundo Christi sancta crux glorificata apparebit ante eum, & omnes electi videbunt eum, & de hoc docti per evangelium Mathæi. *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli in virtute & gloria multa.* Unde alias infamias numquam audivimus, & sunt mendacia mente genita, & ecclesia nostra de supradictis intelligit sicut superius diximus.

ART. X. *Item, dicunt quod mediocriter homines mali Christiani post generale judicium non ibunt ad paradisum cœlestem vel terrestrem; sed remanebunt in terra in qua nunc habitant homines, quæ tota erit plena arboribus, sicut paradisus terrestris; & tamen non comedent nec bibent, & tunc morientur. Et hic locus dabitur eis, ex hoc quod mediocriter mali fuerunt. Vocant autem homines mediocriter malos, homines conjugatos, & alios in sæculo communiter viventes.*

RESPONSIO. Quamvis inveniatur in dictis aliquorum simplicium, quod paradisum & terram habitationem animarum dicunt post judicium, non tamen injustorum animarum, ut dicunt in articulo. Apud nos autem sive bonarum sive malarum animarum non est acceptabile sed est spernibile & reprobabile valde, quoniam nos locum electorum post judicium vitam æternam dicimus, & damnatorum infernum, & non secundum falsitatem suprascriptæ opinionis, paradisum & terram; illud vero quod mediocriter malos vocant conjugatos, & alios qui communiter vivunt in sæculo, falsum est, & anathematizatum, quoniam nos actum legitimum matrimonii malum non invenimus esse nec dicimus, absit, qui propter multiplicationem hominum, a Deo in natura ordinatus est; sed malum dicimus peccatum, quod est accidentale naturæ.

Item, de multum malis hominibus, sicut ART. XI. *sunt generaliter infideles, omnes etiam Christiani malam vitam ducentes, habent duas opiniones, quarum una est, quod tales post generale judicium ponentur in oceanum, quod tunc erit igneum, & ibi graviter cruciabuntur, per vermes qui erunt sicut dracones; & sicut magis vel minus peccaverunt, ita dicti dracones majores vel minores erunt; quia ut dicunt, statim quando homo graviter peccat, dictus draco nascitur in oceano, & crescit, secundum quod plus vel minus homo peccat; & aliqui ex hominibus malis, qui multa peccata & diversa commiserunt, plures dracones ibi habebunt, quorum unus cruciabit eos in oculis, alter in auribus, & sic de aliis membris. Cruciabuntur etiam ibi dæmones, qui ibi cum eis erunt, juxta illud quod Dominus dicturus est malis :* Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. *Et ita perpetuo ibi mali homines cruciabuntur.*

RESPONSIO. Pœna maris oceani ignei & vermium qui ex peccatis generantur ibi ad tormenta infidelium & peccatorum Christianorum sunt fabulæ & non acceptabilia in ecclesia Armenorum, & non omnia verba mendosa, quæ inveniuntur in libris stultorum, recipiuntur in ecclesia Armenorum; sicut & apud vos non putamus esse, & excommunicamus dictam opinionem, & si aliquando inveniantur talia in libris stultorum, non approbamus. Sequitur.

Alia vero opinio eorum dicit, quæ magis communis est apud Armenos, quod post generale judicium, nullus infernus erit, nec nunc est, nec fuit postquam Christus ad inferos descendit, & infernum totaliter destruxit; sed unusquisque peccator, peccato quod commisit cruciabitur, & secundum quod plus vel minus peccaverit, secundum hoc a dictis peccatis cruciabitur, & sic talia peccata dicuntur esse infernus, in quo peccatores post generale judicium cruciabuntur.

RESPONSIO. Licet aliquando inveniebatur in dictis aliquorum suprascripta opinio, tamen non communiter, quia multi multis modis dicebant. Aliqui sicut supra in secunda opinione : aliqui alii dicebant, quod licet Christus animas omnium liberavit, tamen infernum non destruxit, quia dicebant quod

post judicium iterum omnes animæ peccatorũ redituræ erant ad infernum: & alii dicebant, quod quamvis Christus animas sanctorum, quæ exspectabant liberationem ejus, liberavit de inferno, non tamen peccatorum animas, quæ damnatæ erant æternaliter in inferno. Et isti varii errores inde proveniebant, quia cum audiebant aliqui, quod Christus infernum destruxit, destructionem hanc intelligebant totaliter, & non secundum partem. Postquam vero novimus ecclesiam Romanam, scivimus hoc quod dicunt, quod post generale judicium nullus infernus erit, nec nunc est, nec fuit postquam Christus ad infernum descendit, & infernum totaliter destruxit, nocivum esse animabus. Ideo abhorremus & & anathematizamus talem erroneam opinionem & habentes eam, & confitemur sicut ecclesia Romana, quod in loco suo perfectius dicemus.

ART. XII. *Item, prædicti Armeni dicunt, quod omnes mediocriter mali in judicio cum operibus suis ponentur in statera, & si plus ponderaverint eorum mala quam bona, tunc ponentur in oceanum secundum opinionem prædictam, de qua suprædictum est, & affligentur ibi secundum quod demeruerunt. Si vero plus ponderaverint eorum bona quam mala, tunc ponentur in ista terra, quæ erit arboribus plena, non tamen ita delectabilis, sicut est paradisus terrestris. Si vero bona eorum & mala æqualiter ponderent, tunc ad preces B.* MARIÆ *& aliorum sanctorum, Deus ponet eos in ista terra, in qua nullum malum afflictivum patientur.*

RESPONSIO. Sciendum quod supradicta verba sunt fabulæ & mendacia, & tædium auditori. Ideo nolumus credere hæc nos, nec umquam talia audivimus.

ART. XIII. *Item, licet in ordinario Armenorum contineatur, quod illi qui baptizantur, etiam si pueri sint, quod veniunt ad baptismum de diaboli servitute, tamen dicunt quod tales pueri nullum peccatum habent, sed omnino innocentes & ab omni peccato etiam originali immunes, nec dicunt, ut baptizentur, ut consequantur remissionem peccatorum; sed ut sint Christiani, & ut post generale judicium intrent cum perfectis sanctis in regnum cœlorum, & ad hæc duo valet eis baptismus secundum eos.*

RESPONSIO. Sciendum est quod supradictus articulus omnino falsus est & criminosus, & in quarto articulo ubi actum fuit de originali peccato, sufficienter respondimus; sed hic etiam falsitatem hanc breviter manifestamus, quia in doctrina ecclesiæ Armenorum scilicet Actuum Apostolorum dicitur de JESU: *Ei omnes prophetæ testificantur remissionem peccatorum accipere in nomine ejus.* Et Petrus in secundo idem confirmat. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine* JESU CHRISTI, &c. Et quia Armeni dicunt & docent & credunt in symbolo: *Credimus unum baptisma in pœnitentiam & propitiationem & remissionem peccatorum.* Ergo Armeni accipiunt remissionem peccatorum veraciter, secundum mandatum apostoli Petri, qui credunt in JESUM, & baptizantur in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, secundum mandatum Christi, & purgantur ab originali peccato. Qui vero hæc mala imposuerunt Armenis, de difficili salvabuntur. Hoc autem quod dicit: Baptizentur ut sint Christiani, & ut post generale judicium, &c. Verum est, nunc cum anima, & tunc cum anima & corpore, & non solum valet ad ista duo bona, sed etiam ab originali peccato purgat, ut superius dictum est.

ART. XIV. *Item, quod dicti Armeni dicunt & tenent quod Christus descendit ad inferos.*

RESPONSIO. Quod Christus descendit ad inferos cum anima rationali, hoc verum est, ut Petrus dicit Act. 2. *Sicut & vos scitis, habent definito consilio & præscientia Dei traditum in manus & affigentes in ligno occidistis, quem Deus suscitavit, solvens dolores mortis, quoniam non erat possibile eum teneri ab ea.* Et idem per prohetam confirmat dicens, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Sequitur.

Prædicavit ibi, & illas animas, quæ ei credere volucrunt, justificavit: illas autem quæ ei credere noluerunt, in suo peccato dereliquit.

RESPONSIO. Opinionem hanc licet aliqui dixerint: tamen alii contrarium dixerunt communiter, quod post mortem per pœnitentiam non est salus nec credulitas liberandi a peccato, ut dicitur Ecclesiastes XII. *Si ceciderit lignum in austro, sive in aquilone: ubi ceciderit, ibi manebit in æternum.* Nos vero descensum Christi ad inferos ad sanctos patres dicimus, & liberationem eis factam & peccatoribus qui condemnati erant in æternum. Illos autem una cum opinionibus suis, qui dicunt, quod peccatores, qui damnati erant in æternum, crediderunt in Christum & justificati sunt in inferno, reprobamus & despicimus. Sequitur.

Exiens autem ab inferis destruxit totaliter infernum, & omnes animas, quas ibi invenit, sive essent bonæ sive malæ, inde eduxit; & posuit eas in isto aëre & terra, & circa paradisum terrestrem, ubi erunt usque ad finale judicium.

RESPONSIO. Quamvis aliqui dixerint, quod Christus exiens de inferno extraxit omnes animas bonas & malas, & dicebant malas redituras in infernum, opinio ista sicut in XIII. articulo diximus, communis non erat, nec acceptabilis, totaliter ablata est; & illi qui dicebant quod omnes animæ exierunt de inferno post mortem Christi, locum proprium non ponebant, sicut in articulo dicitur. Nunc vero qualiter veraciter habemus in VIII. ostendimus. Sequitur.

Interim tamen animæ mediocriter malæ &

& malæ ſimpliciter, non patientur aliquam pœnam ſenſibilem, ſed ſolum patientur timorem: mediocriter tamen malæ, quia timent ſuum periculum, quod erit in die judicii, ut ſupra dictum eſt, quando ponentur in ſtatera: malæ vero ſimpliciter, quia timent pœnam oceani, ubi ponentur poſt generale judicium, patientur pœnam timoris, quæ eas multum affligit mentaliter.

RESPONSIO. In x. & xi. reſpondimus ſufficienter de hoc. Sequitur.

Mediocriter vero malas & perfecte bonas poſuit in iſta terra vel aere circa paradiſum terreſtrem, &, ut dicunt, tales animæ ſunt in magna conſolatione, propter ſpem quam habent de remuneratione, quam conſecuturæ ſunt poſt generale judicium. Et dicunt quod ante dictum generale judicium non erit alia remuneratio operum bonorum vel malorum, inducentes ad hoc dictum Apoſtoli: Oportet nos præſentari ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque, prout in corpore geſſit, ſive bonum fuerit, ſive malum.

RESPONSIO. In ſexto articulo diximus de hoc tantum quod ſufficit. Sapientiæ veſtræ igitur hic manifeſtamus, quoniam magiſtri diverſimode locuti ſunt ſuper hoc. Aliqui ſecundum opinionem Græcorum uſque ad generale judicium retributionem bonorum & malorum, ſic dicebant, ſicut in articulo ſupra ſcriptum eſt. Alii autem dicebant veritatem, quod juſtæ animæ recipiunt retributionem regni & peccatores retributionem inferni, ſed poſtquam venimus in notitiam eccleſiæ Romanæ, totaliter in ultima opinione confirmati ſumus.

ART. XV. *Item quod dicti Armeni non dicunt, nec tenent, quod Chriſtus deſcendens ad inferos prædicaverit dæmonibus, nec quod dæmones eduxerit de inferno.*

RESPONSIO. Verum eſt. Sequitur.

Sed bene dicunt quod dæmones uſque ad generale judicium ſunt in iſto aere, vel in terra; ſi tamen ibi exiſtentes aliquam pœnam ſenſibilem ſuſtinent vel ſuſtinebunt uſque ad dictum generale judicium, non exprimunt. Dicunt tamen quod patiuntur carentiam gloriæ, & quod ipſi qui prius erant clari, effecti ſunt nigri, & quod multum timent pœnam oceani in quo ponendi ſunt poſt generale judicium cum malis hominibus.

RESPONSIO. Uſque ad iſta tempora de ſenſibili pœna diaboli nec affirmabant, nec negabant. Nunc autem nos dicimus, quod ipſi puniuntur ſenſibiliter, & verum eſt, quod gloriam non habent, nec claritatem primam. Sed timor etiam fabula eſt, ſicut ſuperius diximus & idem de dæmonibus, ſicut de hominibus.

ART. XVI. *Item inter Armenos ſunt duæ opiniones de tempore quo fuerunt creati angeli, quia eorum aliqui dicunt, quod ante iſtum mundum ſenſibilem angeli creati fuerunt, alii vero dicunt quod cum iſto mundo ſenſibili creati fuerunt, ſed cum cœlo empireo ante omnem diem.*

RESPONSIO. Opinio Gregorii theologi hæc eſt, quod angeli fuerunt antequam omnes creaturæ, & dicit ſic. Primo cogitabat angelicas & cœleſtes virtutes, & cogitatio fiebat opus, & Job XL. *ipſe eſt principium viarum Dei.* Et aliqui alii dicunt, quod poſtquam cœlum, quod eſt locus eorum, quod tamen ante eſſe hominis omnes confitemur. Damaſcenus non putat convenientia dicta Gregorii theologi, dicens, quod decebat primo intelligibilem eſſentiam ducere ad eſſe, & deinde ſenſibilem & ita ex duabus hominem, tamen ſanctus Nerſes, Glanenſis catholicon Armenorum cœlum empireum, & angelos & primam materiam a principio & de nihilo ſimul de novo creata dicit. Et iſtius opinionem recipit eccleſia Armenorum, & omni Dominica die hanc dicit cantando *noviter creavit verbum in principio cœlum cœlorum & cœleſtes virtutes incorporalium, &c.* Sequitur.

Dicunt etiam quod omnes Angeli boni creati fuerint.

RESPONSIO. Verum eſt, quia a creatore nullum malum veſtigium in ſe habuerunt, ſed boni erant & pro bono creati, ſed, ut dicit Damaſcenus, non potuit comprehendere in ſe claritatem & honores quos dederat ſibi creator; ſed ipſe per liberum arbitrium converſus fuit de naturali bono extra naturam, & ſuperbivit contrariando Deo creatori ſuo, & rebellando ei induratus eſt, & primo diviſus a bono remanſit in malitia. Quapropter malum nihil eſt aliud, niſi ſolum carentia boni, ſicut tenebræ carentia luminis, & ideo qui lux creati ſunt, & creaturæ & boni fuerunt. *Et vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona*, & ex libero arbitrio tenebræ factæ ſunt. Sequitur.

Et in dicta bonitate ſteterunt, ut eorum aliqui dicunt, uſque ad quartam diem, quando Deus luminaria fecit. Aliqui vero eorum dicunt quod ſexta die, quando Adam creatus fuit, dæmones peccaverunt, & de cœlo ceciderunt, per illam partem cœli, quæ apud eos vocatur Artecos, apud nos vero dicitur Galatia, cum quibus etiam per dictum foramen unus bonus angelus cecidit, & multi alii cecidiſſent, niſi Deus eis dixiſſet: Pax vobis. Ille vero bonus angelus, qui ceciderat, ad preces B. Baſilii in cœlo reſtitutus fuit.* * al. Arocea.

RESPONSIO. Hæc ſunt verba deriſoria & puerorum, & non magiſtrorum, quoniam cœlum eſt natura valde ſimplex, & eſſentiæ valde ſubtilis, & incorruptibilitate durabile valde, & angelus eſt ſubſtantia intellectualis & incorporalis, & non ſicut corpus habet longitudinem & latitudinem & profunditatem, ſed intellectualiter ſubito ibi ſunt & operantur, ubi mandat divinæ voluntatis intimatio. Ideo quando angeli de cœlo ve-

niunt in terra, foramen non faciunt, sicut in articulo dicunt; quia si sic esset, tunc necesse esset, quod in cœlo tot foramina essent, quot angeli mittuntur in ministerium hominis. Sequitur.

Dicunt etiam eorum aliqui, quod feria VI. *de mane Adam creatus fuit; sed circa sextam dictæ diei Æva fuit formata, & secundum aliquos eorum eodem die fuit per diabolum tentata, secundum vero alios feria* VI. *sequentis septimanæ.*

Responsio. Versus Glonensis dicit, quod in eodem die in qua creati fuerunt ceciderunt: in tertia hora mens Ævæ per serpentem fuit decepta, & in sexta hora primus homo consentiit verbis ejus, & cecidit; & Christus eadem hora elevatus fuit in cruce ad delendum peccata eorum. Et quando exivit Adam antiquus, Christus latronem posuit in medio paradisi. Illud autem quod dicit, sexta feria alterius sequentis septimanæ omnino falsum est.

Art. XVII. *Item quod Armeni communiter tenent quod in alio sæculo non est purgatorium animarum.*

Responsio. Hoc verbum per unum modum verum est, & per alium non. Quod si aliquis accipiat solum nomen purgatorii, tunc verum est, quod Armeni a parvo tempore citra intellexerunt purgatorium; si vero dicant quod animæ peccatrices, quæ cum fide, spe, & contritione & confessione exiverint de mundo, non tamen cum perfecta pœnitentia, in alia vita nullam pœnam sustinebunt pro peccatis non satisfactis in aliquo loco vel aliquo tempore, hoc falsum est. Et per hoc patet, quod Armeni proprie pro uno defuncto & pro multis statim post mortem, & post tempora per seipsos faciunt, & aliis faciunt facere vigilias, eleemosynas & missas, & mediantibus istis bonis, petunt a Deo pro defunctis remissionem peccatorum, & a tormentis liberationem, & hereditatem regni cœlorum, & ista tria ostendimus in canticis defunctorum. Primo pro remissione peccatorum: *Quoniam te laudant principatus cœlorum, scilicet rex gloriæ omnipotens & omnia tenens, dimitte peccata defunctorum nostrorum, & acquiescere fac in tabernaculo tuo in regali quiete.* Item: *Qui es creator ignitorum & terrenorum, & semper glorificaris a rationabilibus ministris, a te petimus, ut concedas remissionem defunctis nostris.* Item: *Deus qui es dator remissionum, dimitte peccata defunctorum nostrorum omnipotens & fortis & misericors Deus salvator & benefactor.* Secundo liberari a pœnis; *Defeci a generatione mea fatigatus. Dimisi vitam hujus sæculi, & cum vanitate corporis conversus sum in terra, unde creatus fui. Miserearnini mei, misericors Deus & Salvator, & allevies dolores animæ meæ. Ecce in pace reversus sum in terra, de qua creatus fui, renovator artifex, dator misericordiæ, miserere mei, misericors salvator, & allevies dolores animæ meæ.* Tertio propter regnum Dei: *Propterea & nos te rogamus, pater cœlestis, colloca defunctos nostros in supernam Jerusalem in congregatione primogenitorum scriptorum in cœlis, unanimiter a te petimus Spiritum-sanctum vivificantem, intercessione sanctæ Dei genitricis, fac dignos defunctos nostros in cœlesti tuo sancto talamo, & cum supernis virtutibus benedicere sanctam Trinitatem.* Sed posteaquam venimus in notitiam magnæ, sanctæ & gloriosæ Romanæ ecclesiæ, recepimus & confirmavimus verba purgatorii, sicut præmemorata ecclesia, & quod nos recepimus, aliis prædicamus & docemus. Sequitur.

Quia, ut dicunt, si Christianus confiteatur peccata sua, omnia peccata ejus & pœnæ peccatorum ei dimittuntur.

Responsio. Verum est, si pœnituerit: si vero sine satisfactione pœnitentiæ moritur; tunc ecclesia juvat eum jejuniis, orationibus, eleemosynis, & missis: quia Deus nullius mali sine punitione remissionem concedit; sed vel hac vita, vel in futuro punit, secundum Job. *Scio quod non dimittis peccatori.* Sequitur.

Nec etiam Christum orant pro defunctis, ut eis in alio sæculo peccata dimittantur.

Responsio. Quamvis supra contrarium diximus sufficienter, tamen & hic modicum scribamus ad stirpandam hanc falsitatem per cantica defunctorum. *Cum natura nostra quam induisti, in ligno crucis affixus fuisti, solvendo nos a peccati primi patris vinculo, solve & hunc de transgressionibus per sanctam tuam passionem, cum plenis lampadibus introduc in talamum cum sapientibus sanctis virginibus.* Et in oratione defunctorum quæ incipit sic. *Qui regnas ab æterno recipere animam servi tui cum sanctis tuis, qui a principio placuerunt tibi, recipe hunc cum justis tuis, & in tabernaculo amicorum tuorum constitue eum, & si aliquid humaniter transgressus est iste, cogitatione verbo & opere, tu sicut benefactor & misericors Deus, dona sibi remissionem.*

Item in oratione. *Deus animarum: Qui dixisti omnipotenti & forti verbo tuo:* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, *quiescere facias Domine Deus animam servi tui, & scribe in libro quietis gloriosæ beatitudinis, & concede ei portionem & partem in mansionibus æternis, & si transgressus est per transgressiones hujus sæculi sine fine, verbo tuo concede remissionem sibi, & ab omnibus peccatis & vanis deceptionibus libera animam hujus, & recipe in quiete tua.* Et aliæ multæ tales orationes & supplicationes, quas propter prolixitatem transimus. Sequitur.

Sed generaliter orant pro omnibus defunctis, sicut pro B. Maria, *apostolis, martyribus & aliis sanctis, ut in die judicii intrent*

in regnum cœleſte, vel in aliis locis, ut ſupradictum eſt, & quod ibi requieſcant.

Responsio. Licet in miſſali inveniatur una oratio, in qua videtur quod pro ſanctis oramus, non tamen illo modo, ſicut in articulo dicitur, quod in die judicii ſancta Dei genitrix, apoſtoli, martyres, & alii ſancti intrent in regnum cœlorum, ac ſi modo non eſſent. Et oratio dicit ſic: *Per hunc quieſcere facias omnes præcedentes defunctos ſanctos patres, patriarchas, apoſtolos, prophetas, martyres, epiſcopos, ſacerdotes, diaconos & totum collegium eccleſiæ tuæ ſanctæ, & omnes de ordine ſæculari viros, mulieres, cum fidefinientes, cum quibus & nos viſites pius & miſericors Dominus rogamus.* Sciendum eſt quod ſicut habeamus a domino Merces qui exponit miſſam, & nos etiam intelligimus, non petimus ibi pro præmemoratis, ut quieſcant a pœnis, tribulationibus & laboribus. Abſit, quia omnina carent miſeria, & habent beatitudinem æternam; ſed quia ſancti Dei quieſcunt & gaudent de ſalute noſtra & honore Dei, ſicut angeli gaudent de ſalute peccatorum. Igitur petendo in miſſa quietem ſanctorum, petimus nobis gratiam, honorare Deum, & ſalvari, & collocari cum eis. Item quod oratio iſta a ſancto Athanaſio dicta, qua intentione dicit ignoramus. Sequitur.

De animabus paganorum dicunt, quod animæ eorum ſunt ſuper ſepulcra eōrum vel in ſepulcris, uſque ad diem judicii, & frequenter audiuntur in ſepulcris Sarracenorum voces & gemitus, & etiam quandoque animæ eorum, vel dæmones pro eis videntur circa ſepulcra ipſorum in diverſis ſpeciebus animalium & hominum, propter quod Sarraceni non libenter ſtant juxta ſepulcra Sarracenorum; & ex hoc etiam quandoque Sarraceni faciunt baptizare filios ſuos, & inungi in diverſis locis, ut poſt mortem non egrediantur de ſepulcris; non tamen eos faciunt baptizari, ut efficiantur Chriſtiani.

Responsio. Armeni credunt & habent, quod animæ Sarracenorum & aliorum infidelium, & fidelium peccatorum ante & poſt Paſſionem Chriſti vadunt cum anima in inferno, & poſt judicium etiam cum anima & corpore; ſed quando Deus dæmones permittit in corpora Sarracenorum mortuorum intrare, & faciunt ea ſtare & ire, & alia ſigna quæ fiunt circa ſepulcra eorum, ſicut ſupra in articulo dicitur, putamus ex permiſſione Dei fieri, propter confirmationem fidei Chriſtianorum, & ut error Sarracenorum manifeſtus ſit Chriſtianis, qui vident talia ſigna, & ex hoc judicent quod a dæmonibus fit operatio illa; & quando aliquando Chriſtianum contingit eſſe prope, & nominat nomen Chriſti, & ſignat ſigno crucis, ſubito cadit corpus illud dæmoniacum, & remanet immobile; & illud etiam quod quandoque Sarraceni propter ſupradictas cauſas baptizare faciunt filios ſuos, verum eſt, & ut etiam non faciant.

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod Chriſtus deſcendit de cœlo, & incarnatus fuit propter hominum ſalutem, non pro eo quod filii propagati ex Adam & ex Eva poſt peccatum eorum ex eis contrahunt originale peccatum, a quo per Chriſti incarnationem & mortem ſolventur, cum nullum tale peccatum dicant eſſe in filiis Adæ; ſed dicunt quod Chriſtus propter ſalutem hominum eſt mortuus & paſſus, quia per paſſionem filii Adam, qui dictam paſſionem præceſſerunt, fuerunt liberati ab inferno, in quo erant, non ratione originalis peccati, quod in eis eſſet; ſed ratione gravitatis peccati perſonalis primorum parentum. Artic. XVIII.

Responsio. Hoc in quarto articulo reſpondimus falſum eſſe, quia ſecundum fidem & doctrinam Armenorum, Incarnatio & Paſſio Chriſti ſine ſacramento baptiſmi ab originali peccato non purgat, nec ante Incarnationem, nec poſt; ſed per baptiſmum purgat, ſicut ante per circumciſionem: quare veritas Dei dicit: *Qui non regeneratur ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare regnum Dei.* Sequitur.

Credunt etiam quod Chriſtus propter ſalutem puerorum qui nati fuerunt poſt ejus paſſionem, incarnatus fuit & paſſus; quia per ſuam paſſionem deſtruxit totaliter infernum, & ita poſt ejus paſſionem nullus ex dictis pueris vadit ad infernum.

Responsio. Gratia ſalutis puerorum Chriſtus dedit baptiſmum, & mandavit baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & non deſtructionem inferni, ut mentitur hic, & quod etiam alias non audivimus. Sequitur.

Credunt etiam quod propter ſalutem hominum adultorum Chriſtianorum Chriſtus fuerit incarnatus & paſſus; quia ſi tales pœniteant de peccatis ſuis, poſt ejus paſſionem, quando moriuntur, non vadunt ad infernum.

Responsio. Verum eſt, quia [per] pœnitentiam Chriſtiani poſt paſſionem Chriſti non vadunt ad infernum; ſed ad Chriſtum in cœlo ſecundum verbum ſuum, quod *Ubi ego ſum, & miniſter meus erit.*

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod primi parentes & tota eorum poſteritas, uſque ad Chriſti paſſionem mortui fuerunt in corpore & anima, & ad infernum deſcenderunt. Artic. XIX.

Responsio. Verum eſt hoc, quoniam locus ille ubi etiam primi parentes iverunt, quandoque vocatur in ſacris libris Gremium Abrahæ, & quandoque Infernus, etiam & Locus peccatorum, manifeſtus & eſt per evangelium, ſecundum illud: *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Sequitur.

Non propter peccatum originale, quod filii Adam contraxerunt ab Adam, ſed ratione gravitatis peccati perſonaliter primorum parentum: propter quod licet eorum filii non pecca-

verint, tamen propter peccatum primorum parentum paſſi fuerunt mortem corporalem, & apud inferos punitæ eorum animæ fuerunt, uſque ad dictum tempus.

RESPONSIO. Hoc in quarto, & tertio-decimo articulis manifeſtavimus falſum eſſe. Sequitur.

Credunt etiam & tenent, quod poſt Chriſti paſſionem & ante, uſque ad generalem reſurrectionem, filii Adam habent concupiſcentiam inordinatam carnis, & mortalitatem propter gravitatem peccati primorum parentum, & non propter originale peccatum, quod ex eis contraxerunt, a qua concupiſcentia & mortalitate ſancti liberabuntur in generali reſurrectione per Chriſtum.

RESPONSIO. Licet infirmitas & corruptio concupiſcentiæ carnis, & pronitas ad vitia corporalia ex peccato Adæ cauſata fuerint, & intraverint in naturam carnis, tamen nunc ex corpore corpus corruptionem habens, & infirmitatem concupiſcentiæ, & mortalitatem in ſeipſo habendo, generat alia corpora vitioſa & infirma, & mediante corruptione corporis, vitiat etiam & animam; & ex hoc manifeſtum eſt, quod peccatum originale, & in corpore & in anima, ſed in corpore originaliter, & in anima formaliter. Sequitur.

Etiam tantum dicunt, quod dicta concupiſcentia carnis eſt peccatum & malum, quod parentes etiam Chriſtiani, quando matrimonialiter concumbunt, committunt peccatum, & propter hoc pœnitentia eis imponitur per ſacerdotes, quia actum matrimoniale dicunt eſſe peccatum, & etiam matrimonium.

RESPONSIO. Reſponſionem iſtius Paulus Tarſenſis mandat: *Pretioſa eſt conjugatio, & ſancti ſunt thori; ſed fornicatores & adulteros judicat Deus.* Secundum doctrinam Apoſtoli noſtri matrimonium dicimus pretioſum, & conjugationem propter generationem prolis, & retributionem debiti, & cuſtodiam ſui ipſius a fornicatione, ſecundum cauſam, ſi cauſa conjunctionis non ſunt: ſed ſolum pro concupiſcentia animalis delectationis, vel extra terminos conjunctionis, tunc ſine peccato non ſunt; qua de cauſa pœnitentiam injungimus, non propter actum matrimonialem: quare dicunt falſa de nobis. Sequitur.

Dicunt, & credunt, & tenent, quod ſi Adam & Eva non fuiſſent tranſgreſſi mandatum, non fuiſſet inter eos carnalis conjunctio, nec per ſeminum conjunctionem fieret generatio humana; ſed homines propagarentur ab hominibus ſine carnali conjunctione, ſicut lumen a lumine. Dicunt etiam quod Deus præſciens quod homines tranſgrederentur ejus præceptum, membra genitalia fecit in eis, per quæ poſt peccatum fieret hominum propagatio.

RESPONSIO. ZACHARIAS catholicon Armenorum dicit, quod primi parentes per generationem ſine vitio creſcendi erant & multiplicandi ſine animo & numero, ſi mandatum Dei non fuiſſent tranſgreſſi; ſed hanc generationem ſine vitio dicunt aliqui, ſcilicet ſine concupiſcentia vitii; ſed hoc quod dicit, ſicut lux propagatur a luce, numquam audivimus, nec eſt verum, quia lux a luce deciditur, & per materiam multiplicatur, & non generatur ſicut conjunctio a ſemine & a voluntate carnis, & ſimilem ſibi producit.

ARTIC. XX.

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod æternus Dei Filius natus de ſubſtantia Patris, in tempore ſibi univit humanam naturam, & factus fuit homo.

RESPONSIO. Verum eſt hoc & rectum. Sequitur.

Sic tamen quod in ipſa unione humanæ naturæ ad Dei Filium, humana natura converſa fuit in divinam ejus naturam; ſic quod poſt dictam unionem in Chriſto non eſt niſi una natura, ſcilicet divina, non humana, ſicut ipſe eſt una perſona.

RESPONSIO. Hoc eſt falſum, quia licet aliqui ante nos unam naturam dixerint propter ineffabilem unionem in Chriſto, tamen non mutatione nec confuſione, ſicut dicitur hic in articulo, quia tale dictum eſt Indicii, quem eccleſia Armenorum ſemper anathematizavit, & cum eo ſit etiam anathematizata ſupradicta hæreſis ſimul cum tenentibus eam: ſed a tempore illo, a quo appropinquavimus eccleſiæ Græcorum, & poſtquam uniti fuimus eccleſiæ Romanæ, ita intelleximus & intelligimus de duabus naturis, quod in unione & divinæ & humanæ naturarum in Chriſto, divina natura non fuit mutata in humanam, nec humana in divinam, nec ex divina & humana fuit una alia natura per corruptionem earum, quia per hoc Chriſtus non eſſet Patri conſubſtantialis, quia eſt natura ſimplex, nec matri, quia natura matris ex divina & humana natura non eſt compoſita, & Chriſtus nec Deus eſſet, nec homo, ſed aliqua alia ſpecies; ſed nos credimus, quod perfecta Dei natura, & perfecta humana natura unitæ fuerunt, in uno Chriſto, in uno Filio, in una perſona Verbi indiviſibiliter & inconfuſibiliter, immutabiliter & inalterabiliter, in unum & eumdem Chriſtum. Poſt unionem credimus & dicimus non factum ſecundum divinam naturam, ſed factum ſecundum humanam; immortalem ſecundum divinam, & mortalem ſecundum humanam, quod & dominus Nerſes Glanenſis catholicon Armenorum, in epiſtola Meſopotamiæ ſcribit & dicit ſic: « Confitendum eſt, qui pie volunt ſtare in Chriſto, « quia cum erat unicus Dei Filius, Deus & « homo, immortalis & mortalis, mortuus eſt « & per mortalitatem non alius mortuus, nec « alius vivus remanens, ſed unus & idem unicus ex duabus, mortuus eſt ſecundum humanitatem ſicut homo, & ſicut ipſe voluit, «

» & immortalis remanſit, ſecundum divinita-
» tem, ſicut immortalis natura Dei, & quod
» mortuus eſt veraciter, & remanſit immorta-
» lis, certitudinaliter in morte manifeſtant
» ſancta miracula; ſimiliter expiratio ſuper
» crucem, involvi pannis, & poſitio in ſepul-
» cro mortem verificat; ſed poteſtative dare
» ſpiritum in manu Patris, & duplex emana-
» tio fontium ſanguinis & aquæ, quaſi ex vivo
» de mortuo corpore, immortalitatem ſignifi-
» cant, quæ non fuit ſeparata ab eo propter
» hominem. Et iterum idem dicit: quod con-
» fitendum eſt a nobis poſt unionem non ip-
» ſum hominem ſolum, nec Deum nudum
» propter divinitatem; ſed Deum & hominem,
» non alium Deum & alium hominem ſecun-
» dum Neſtorium, & ad invicem adhærentes,
» ſed unum & idem, & hominem verum &
» Deum perfectum, quoniam Deus homo ſan-
» ctus & Verbum caro, non quod eſſentia in
» eſſentia habitavit; ſed una eſſentia illa Verbi
» Dei, quæ facta eſt caro, quandoque patieba-
» tur humana ſicut homo, quandoque per-
» mittebat animam, & corpus humanum pati,
» quæ ſua erant, ſcilicet famem, ſitim, dor-
» mitionem, laborem, lacrymas, triſtitiam,
» timorem & alia omnia; & quandoque mul-
» tiplicia ſigna & virtutes de eſſentia Dei mani-
» feſtabat divina, non alius patiebatur imbe-
» cillia ſigna, & alius oſtendebat fortaram *(a)*
» ſicut dividunt diviſores, lacrymari & ſimilia
» homini, & reſuſcitare Lazarum, & aliam
» Verbi Dei; ſed qui unitus erat in una perſo-
» na, operabatur ſecundum qualitatem ſuæ
» naturæ, quando volebat humane, ut homo,
» quia homo erat; & divine, ut Deus, quia
» Deus erat, & ideo verba evangeliſtarum &
» apoſtolorum magiſtri eccleſiæ duobus modis
» loquuntur, quia ſcripſerunt pro divinitate
» & incarnatione Domini noſtri, quoniam hu-
» milia narrant, ut dicit: *Pater meus major me*
» *eſt*, & *Spiritus promtus eſt, caro autem infir-*
» *ma. Non mea voluntas, ſed tua ſit*; & effuſio
» ſudoris ut gutta ſanguinis ex timore, & *Deus*
» *Deus meus quare me dereliquiſti?* & *Aſcendo*
» *ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum,*
» *Deum meum & Deum veſtrum*; & dicta Pauli:
» *Deus Domini noſtri* JESU CHRISTI *& Pater*
» *gloriæ*; & Jeſus fidelis factori ſuo, & paulo
» minus humiliatus ab angelis, & in diebus
» carnis ſuæ orationes & deprecationes offe-
» rebat cum magno clamore & ſuſpiriis ad
» Deum, qui poterat ſalvare eum, & obedire
» ei qui ſubjecit ſibi omnia. Hæc omnia & ſi-
» milia ſecundum humanitatem dicimus ſcrip-
» ta pro eo & quare, ut non quando revelare-
» tur divinitas mundo poſt reſurrectionem &
» aſcenſionem in cœlo, putarent homines de
» eo vel non accepiſſe naturam humanam,
» vel accepiſſe & mutaſſe in naturam divi-
» nam, quia ſi tanta locuti ſunt in infirmiora,

(a) Sic legitur in manuſcripto. Per fortaram intelligere videtur fortitudinem; nam eam opponit imbecillibus ſignis.

A & adhuc etiam auſi fuerunt hæretici dicere, quod fantaſtice accepit corpus; ſed ſi ſemper altiora narraſſent, & numquam humiliora, in quo igitur lacu non cecidiſſent; ſed dicta Evangeliſtæ: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et illud: *Antequam Abraham eſſet, ego ſum.* Et Apoſtolus, quod *per eum formata ſunt omnia, quæ in cœlo & in terra, & lux gloriæ & figura eſſentiæ ejus;* & talia ſimilia proprie de divinitate ſunt dicta. Et illud: *Ego & Pater unum ſumus.* Et *qui vidit me, vidit & Patrem meum.* Et quod *nullus cognoſcit Patrem niſi Filius.*

B Et quod *tu es Chriſtus Filius Dei.* Hæc & ſimilia his ſecundum unionem Verbi ſunt ſcripta & ſpecialia divinitatis. Ideo ſcripſerunt quod non putant de Virgine accepiſſe principium, ſecundum Paulum Samoſatenum; ſed quod ante ſæcula & a Patre eſt genitus, & poſt unionem indifferenter humanitatis & divinitatis ponunt ſcripturæ nomina & res propter ineffabilem unionem, quoniam quandoque eſt quod opera propria dimittantur, divine humanitati, & eſt quod propria humaniter Deitati ſicut ſupra. Et eſt ſciendum, quod hæreſis Endici & ſequacium

C ſuorum ſimilatur ſupradictæ novæ & falſæ hæreſi, quam imponunt Armenis. Et quoniam Endicius unam naturam dixit per confuſionem & per alterationem, ſcilicet quod Verbum Dei figuram & alterationem ſolum accepit a ſancta Virgine, & non veraciter homo factus eſt, iſtam hæreſim eccleſia Armenorum ſemper anathematizavit, & cum ea etiam anathematizata ſit ſupradicta hæreſis cum habentibus eam, quæ latrat quod humana natura in Chriſto, non eſt niſi una natura, & illa divina & humana. Sequitur.

D *Et dicti Armeni maledicunt omnes qui contrarium dicunt, & in tantum deteſtantur illos qui dicunt poſt unionem duas naturas eſſe in Chriſto, divinam ſcilicet & humanam. Quod ſi aliquis Armenus prius baptizatus ſecundum ritum eorum hoc diceret, non participarent cum eo, ſed haberent eum ac ſi paganus fuiſſet; & ſi vult reverti ad fidem Armenorum, eum iterum baptizant ſic, ſicut ſi ſemper paganus fuiſſet, & poſt ſecundum baptiſmum imponunt ei pœnitentiam viginti annorum.*

RESPONSIO. Hæc omnino ſunt falſa, quia numquam in eccleſia Armenorum hæc alias

E audivimus, nec vidimus, nec fecimus, quia licet a dicentibus duas naturas, ſicut Neſtorius & ſequaces ejus, quos deteſtamus & abrenuntiamus, tamen eos non baptizamus, nec tantam pœnitentiam imponimus ſicut dicunt.

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod ſecundum eos poſt unionem naturarum in Chriſto, natura humana converſa fuit in divinam naturam, ita quod in Chriſto ex tunc non fuit niſi natura divina. ARTIC. XXI.

RESPONSIO. Hoc ſuperius in XIX. articulo

manifeſtamus ſufficienter falſum eſſe, & replicare neceſſe non eſt. Sequitur.

Tamen dicta natura divina in Chriſto fuit paſſibilis & impaſſibilis, mortalis & immortalis, ſecundum quod Chriſto placebat, & ſic dicunt Chriſtum fuiſſe paſſum & mortuum ſecundum naturam divinam, quia ſic voluit ipſe, licet humana natura in eo non eſſet, quando paſſus & mortuus fuit.

Responsio. Sciendum eſt, quod in xx. articulo dicitur de Armenis, quod humanam naturam dicunt & credunt & tenent converſam in divinam ejus naturam; & hic iterum replicant, quod natura humana converſa fuit in Dei naturam, & quod humana natura ſecundum hanc opinionem, quod Chriſtus homo non erat, quia quidquid mutatur a ſubſtantia & natura ſua, quod erat non manet; & hic etiam in xxi. articulo dicitur de Armenis, quod dicunt Chriſtum paſſum & mortuum ſecundum naturam divinam, & per hoc manifeſtum eſt quod Chriſtus etiam non eſt Deus ſecundum dicta eorum, quoniam paſſibilis & mortalis & mutabilis natura Deus non poteſt eſſe. Sic ſequitur ſecundum dicta eorum, quod Chriſtus non eſt Deus nec homo, quod abſit, quia Chriſtus veraciter Deus eſt & perfectus homo eſt, ſicut ſymbolum eccleſiæ Armenorum teſtatur in articulo Filii dicendo: *Credimus & in unum Dominum* Jesum Christum *Filium Dei unigenitum, a Deo Patre genitum, ſcilicet de eſſentia Patris, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum & non factum, eumdem ipſum de natura Patris per quem omnia facta ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia.* Neceſſitatem expoſitionis non habetis vos qui mente illuminati eſtis, videntes quod eccleſia Armenorum per confeſſionem ſupradictam Jesum Christum verum Deum & creatorem omnium creaturarum credit, & ſtatim poſt hæc dicit ſymbolum: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendens de cœlis incarnatus eſt, humanatus eſt, natus eſt perfecte ex* Maria *ſancta Virgine, per Spiritum ſanctum, per quem accepit corpus, animam & omnia quæ veraciter ſunt in homine, non habens dubium.* Et per hoc manifeſte confitetur eccleſia Armenorum, quod ille qui erat Deus verus & creator omnium creaturarum, ille manet homo verus ſine ullo dubio. Ergo falſum eſt, quod natura humana mutata fuit in Dei naturam. Falſum eſt & hoc etiam, quod divina natura paſſa eſt, in Chriſto crucifixa eſt, & mortua eſt. Item, ſciendum quod divinitatem Verbi dicere eſſe paſſibilem eſt hæreſis Ariana, ſicut & Gregorius Theologus manifeſtat & dicit in verbis ad Clodium contra Apollinarem: quod ſi abſque anima erat homo, hoc Ariani dicunt, ut in divinitatem paſſiones introducant, quaſi in movente corpus illud. In eodem ſenſu dicit ſanctus Athanaſius contra Arrianos, quod Deitas non vulneratur, quia Spiritus eſt Deus, impaſſibilis & impalpabilis, quia carnem vulneraverunt Judæi. Et Nerſes Glanenſis Catholicon Armenorum, dicit contra quoſdam tales hæreticos: Qui hoc dicunt, ſimiles ſunt eis qui cavent a parvo lapide in via ut non offendantur, & voluntarie a præcipitio alto projiciunt ſeipſos; ſicut & vos cavendo ab illo, ut non ſolum homini dabitis paſſionem, & crucem, & naturam immortalem dicitis comprehenſam eſſe a morte, quod nec dæmones audent dicere, nec aliquis de peſſimis hæreticis, excepto Arrio, qui non confitebatur eum ex natura Patris genitum, ſed quaſi unum de creaturis poſt tempora factum. Ideo ſecundum creaturas in operibus paſſionum ponebat eum, quoniam naturæ creatæ ſub vitiis paſſionum cadunt ſenſibiles & intelligibiles, intelligibiles ſolum paſſione ſpirituali, ſed homines ſpirituali & corporali: tamen increata natura Dei libera eſt a paſſionibus vitiorum, & tantum diſtant a natura ejus paſſiones, quod ſi vellet mori & pati, non poſſet, quia licet omnipotens eſt, tamen in natura ſua, quæ eſt impaſſibilitas & immortalitas, mutationem recipere non poteſt. Item, dicit Gregorius Theologus in ſermone Nativitatis: quaſi homo mortuus, & quaſi Deus reſurgens, non alius reſurgens & alius mortuus; ſed dicit quod Verbum unicum in corpore ſecundum humanitatem moriens, & ſecundum divinitatem reſurgens. Item alibi dicit: Paſſibilis corpore, & divinitate impaſſibilis, ipſemet cæleſtis & terreſtris, viſibilis & inviſibilis, comprehenſibilis & incomprehenſibilis. Et contra Arrianos ſcribit dominus Nerſes Glanenſis catholicon Armenorum de verbis S. Athanaſii ad Meſopotameos: Quomodo verbum increatum paſſibile dicitis, vel quomodo paſſibile corpus increatum appellatis? Ergo increatam eſſentiam Verbi dicendo paſſibilem, blaſphematis, & paſſibile corpus dicendo increatum, ad duos defectus caditis, vel fantaſticam operationem, & paſſionum patientiam putatis ſecundum impietatem Manichæi, vel increatæ naturæ Dei paſſiones imponitis, & hæc dicendo ipſam divinitatem Patris & Spiritus ſancti dicitis mortis eſſe receptibilem, quoniam mors corporis conſubſtantialis mortalium fuit; unde nos cum ſancto Athanaſio confitemur Chriſtum Deum & hominem; non propter diviſionem hoc dicimus, abſit, quia paſſiones & mors dicuntur de eo, quoniam confitemur paſſionem & mortem corporis Verbi, & ipſummet Verbum immutabile & inalterabile credimus, & quia ipſemet eſt paſſibilis & impaſſibilis, divina natura immutabilis & impaſſibilis, ſed corpore paſſus, ut dixit Petrus, & mortem guſtans. Ideo errant qui dicunt, quod alius eſt qui paſſus

est, & alius est qui non est passus; sed non est alius nisi Verbum quod passum est, & mortem recepit corpore, quia ipsummet impassibile & incorporale Verbum placuit esse corpus passibile, ut per passiones suas salvaret homines. Ideo alapatus a ministro, quasi in Verbo suo alapam recipiens dicebat: *Quare cædis me?* & esse Verbum impalpabile dicebat per prophetam: *Dorsum meum dedi verberibus, & genas meas alapis, & faciem meam non averti a confusione sputi*; quoniam quidquid humanę patiebatur corpus Verbi, hoc cum eo stando Verbum in se recipiebat, ut nos communicari possimus divinitati Verbi. Et valde erat mirabilis res, quoniam ipse erat qui patiebatur, & ipse erat qui non patiebatur. Patiebatur per passibile, quoniam suum corpus patiebatur, & in ipso passibili erat ipse sive passibile indivisibiliter & a passibili corpore, quia Deus essendo Dei Verbum, impassibilis erat natura, tamen cum passibili corpore unitus; incorporalis & corpus habebat in se impassibile Verbum mundans infirmitates ejus. Ergo falsum dicunt contra ecclesiam Armenorum, quod solam naturam dicunt divinam passibilem & impassibilem, mortalem & immortalem, quod absit, quia error iste semper maledictus est ab ecclesia Armenorum, & anathema sit. Sequitur.

Credunt etiam & tenent quod in Domino Jesu Christo *post unionem non fuit nisi unus intellectus, una voluntas, & una operatio, scilicet divina, non humana.*

Responsio. Licet multi multis modis propter duas voluntates, duas operationes, & duas naturas, & aliqui perverse dicendo una voluntas, una natura, una operatio; sed nos secundum doctrinam sanctam evangelii malum abjiciendo & bonum in spiritu & in corde, & in fide nostra colligendo unum eumdemque Christum credimus & confitemur, perfectum Deum & perfectum hominem, sicut supra; sed secundum illud quod perfectus Deus est, habet omnes proprietates divinitatis, quas habet Pater & Spiritus-sanctus absque personali proprietate Patris & Spiritus Sancti, per quas dividitur ab eis. Sed secundum hoc quod perfectus homo est, habet omnia quæ habebat primus Adam absque peccato, scilicet corpus animatum & spiritum rationalem cum virtutibus suis voluntate & operatione, & aliis omnibus.

Art. XXII. *Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ab illa hora quod Dominus mortuus fuit in cruce, ipse descendit ad inferos, & infernum destruxit totaliter, ita quod ex tunc non fuit infernus, nec aliquæ animæ hominum, vel etiam dæmones ex tunc fuerunt in inferno, nec erunt postea.*

Responsio. Quod Christus descenderit in inferno & corporaliter destruxit infernum, ubi erant sancti patres, verum est & diximus supra illud quod dicit quod omnino destruxit infernum, & deinde non est infernus, &c. & istud etiam diximus in xi. articulo, & de dæmonibus diximus in xv. sed apud nos & apud alios sapientes Armenorum confirmatum est veraciter, quod peccatores qui erant ante Christum, in inferno sunt, & vadunt in inferno nunc etiam, & illuc remansuri sunt in sæcula sæculorum. Sequitur.

Quod vero Christus resurrexit, educens de inferno sanctorum animas, qui ibidem erant, duxit eas in paradisum terrestrem, & cum ipsis dictum paradisum intravit, dicens eis: Ecce locus in quo fuistis; & statim de isto paradiso eas ejecit, & posuit eas in terra vel aëre circa paradisum terrestrem.

Responsio. Quod Christus surrexit a mortuis, & animas sanctorum eduxit secum de inferno, verum est confitendum, sed alia omnia falsa sunt, insana & vana.

Art. XXIII. *Item, quod de anima Latronis Christum confitentis in cruce apud Armenos sunt diversæ opiniones, quarum una est, quod illud quod ponitur in evangelio:* Hodie mecum eris in paradiso *to* hodie *non tenetur ibi determinate pro illa die qua mortui fuerunt Deus & latro, sed tenetur pro die finalis judicii, quando sancti perfecti intrabunt in paradisum cœlestem, quomodo dies accipitur in Psalmo:* Melior est dies una in atriis tuis. *Tunc enim, non ante, latro intrabit in paradisum cœlestem secundum eos cum aliis sanctis perfectis. Alia vero opinio dicit, quod die quo dictus latro mortuus fuit, ejus anima venit ad partem paradisi terrestris, volens illuc intrare, sed per angelos, Enoch, & Elyam intrare illuc prohibitus fuit; sed in die resurrectionis Domini, quando Dominus cum aliis animabus sanctorum, quas extraxerat de inferno, venit ad portam paradisi terrestris, invenit ibi dictam animam latronis, & cum Dominus ostendisset manus & latus, angelis, Enoch & Elyæ aperientibus ei portam paradisi, intravit illuc cum dicta anima latronis & aliorum sanctorum, & cum eis dixisset:* Ecce locus de quo exivistis, *cum omnibus dictis animabus exivit de paradiso, & eas posuit in terra vel aëre circa dictum paradisum, ubi erunt usque ad diem judicii, & tunc introducentur in paradisum cœlestem. Alii vero dicunt quod illa vere hora pro qua Adam exivit de paradiso feria* vi. *Dominus posuit animam latronis in paradiso terrestri, si tamen postea eduxit inde eam vel non, non dicunt.*

Responsio. Sciendum est quod supradictæ tres opinionis licet inveniantur; prima & ultima in opinionibus aliquorum Armenorum, & media Assyriorum, tamen nos & alii qui sapientes sunt, in opinionibus hominum non sumus ligati insolubili ligatione, maxime in perversa, sed in verbis evangelii, ut dicit Christus ad hoc: *Hodie mecum eris in paradiso*; & Dominus cum anima ratio-

nali, una cum Deitate ſua ivit ad locum patriarcharum, & aliorum ſanctorum, qui quandoque vocantur ſinus Abrahæ, & quandoque infernus, ut cantat & confitetur eccleſia noſtra, quod anima latronis etiam cum Chriſto ivit illuc ſecundum verbum Domini, & quando liberavit alias animas ſanctorum, & latronis etiam cum eis in die reſurrectionis ſuæ, & quando duxit alias animas ad cœlum, quando aſcendit, animam latronis etiam cum eis, & ſicut viderunt aliæ animæ ſanctorum Deitatem Chriſti in inferno, & ſemper ex tunc, quia eſt gloria cœleſtis paradiſi, ſimiliter & anima latronis, & ſupradictas tres opiniones nos non recipimus, ſed ſpernimus & condemnamus.

ART. XXIV. *Item, quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod animæ malorum hominum, qui multa peccata actualia gravia commiſerunt, qui mortui fuerunt ante Chriſti paſſionem, fuerunt poſitæ in inferno, & ibi pœnas infernales pro peccatis ſuis ſuſtinuerunt.*

RESPONSIO. Verum eſt & adhuc hodie ſuſtinent, & ſuſtinebunt in ſæcula ſæculorum, ſecundum præceptum Domini ibunt peccatores ad ſupplicia æterna. Sequitur.

Sed cum Dominus poſt paſſionem ſuam infernum deſtruxiſſet, dictas animas poſuit in terra, vel in aëre, & ibi vadunt huc vel illuc, non patientes aliquam pœnam ſenſibilem uſque ad diem judicii.

RESPONSIO. Falſum eſt, & non alias audivimus, quia animas peccatorum dicimus in inferno in æternum manſiſſe. Sequitur.

Hominum autem malignorum animæ, qui fuerunt poſt Domini paſſionem, quando mortui ſunt dicti homines, angeli mali & terribiles accipiunt eas, & adducunt ad oceanum, de quo ſupra mentio facta eſt, & oſtendunt eis oceanum, & vermes & dracones, qui ibi ſunt; & dicunt eis, quod poſt generale judicium ibi ponentur, & per dictum oceanum & dracones cruciabuntur, & ex hoc dictæ animæ multum timent propter dictas pœnas, quas paſturæ ſunt poſt generale judicium, non tamen interim aliam pœnam ſenſibilem patientur.

RESPONSIO. In VII. articulo & in XI. ſufficienter dictum eſt de peccatoribus & inferno, & hæc quæ ſupra ſcribuntur ſunt phantaſiæ & fabulæ. Sequitur.

Animæ vero hominum bonorum & perfectorum quando moriuntur, accipiuntur per bonos angelos, & ducuntur in cœlum ante thronum Dei; & vident ſub throno Dei, qui throni ſunt angeli, gloriam quam poſt generale judicium habituræ ſunt, & de hoc multum conſolantur. Poſtea tamen ab angelis ducuntur ad terram vel ad aërem, & ſunt ibi uſque ad diem judicii, & propter dictam ſpem dicuntur requieſcere.

RESPONSIO. Licet aliqui dicebant hoc, quod in exitu juſtarum animarum de corpore angeli ducunt in cœlis facere adorare Deum, & poſt hæc ſecundum divitates ſuas & voluntatem Dei ducuntur ad locum quietis; ſed quod dicit in articulo, quod poſt adorationem, iterum ducunt ad terram vel ad aërem, non audivimus. Sequitur.

Dicunt etiam & credunt, quod poſt generale judicium homines mali, qui fuerunt vel ante Domini paſſionem vel poſt, ponentur in corpore & in anima in dicto oceano, & ibi cruciabuntur perpetuo.

RESPONSIO. Falſum eſt hoc, & in multis locis ſuperius manifeſtavimus, quia numquam a ſacra ſcriptura audivimus nos oceanum eſſe infernum, ſicut nunc ſuperius diximus, & item in VII. & in XI. articulis manifeſtavimus opinionem eccleſiæ Armenorum de inferno & de peccatoribus.

ART. XXV. *Item, quod Armeni dicentes unam ſolam naturam eſſe in Chriſto, ſcilicet divinam & non humanam, reſpondere non poſſunt ad dicta poſita in ſcriptura de Chriſto, per quæ manifeſte oſtenditur Chriſtum habuiſſe humanam animam, quæ divina natura non erat ſicut:* Non derelinques animam meam in inferno; *nec ad illud.* Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem; *nec ad illud quod dicit Dominus.* Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, & inclinato capite emiſit ſpiritum; *per quæ omnia manifeſte ſcriptura dicit fuiſſe in Chriſto poſt unionem animam humanam: ſed cum eis prædicta dicuntur, non habentes quod reſpondeant, recurrunt ad baculos, vel ad pœnas corporales, ut male tractent eos qui talia eis dicunt.*

RESPONSIO. Licet aliqui de Armenis aliquando unam naturam dixerint in Chriſto propter indiviſibilem & ineffabilem unionem verbi & corporis & animæ rationalis, contra diviſionem Neſtorii & ſuorum ſimilium, quia in lingua noſtra natura æquivoca eſt, quandoque etiam perſonam ſignificat, ut dominus Nerſes Glanenſis dicit; & quia Cyrillus qui in ſynodo Epheſi erat principalis ad condemnandum hæreſes Neſtorii, una cum omnibus ſanctis patribus qui ibi erant, dicit in multis locis; una eſt natura Verbi incarnati contra diviſores & propter ineffabilem unionem; ſed ſecundum opinionem hæreticorum confuſione, alteratione, vel converſione nullus dixit, ut hic, & in multis aliis locis in falſitate & confuſione iſtius libelli mentitur, dicendo quod Armeni dicunt ſolam unam naturam in Chriſto, ſcilicet divinam & non humanam. Ideo dictis ſupra ſanctæ ſcripturæ eccleſia Armenorum non fuit contra, nec ſiſtit; ſed credit & prædicat, prout in XX. & XXI. articulo manifeſtavimus de humanitate & divinitate Chriſti; ſed quod poſſumus reſpondere de verbis noſtris patet, ideo baculare non eſt neceſſe; ſed illi qui iſtas falſitates dixerunt, & alii eis ſimiles, quos non cognoſcimus, taliter errantes errant, licet Armeni eſſent, tamen de eccleſia

cleſia Armeniorum non erant, ſed de ſynagoga ſathanæ, ſicut dicit Johannes: *de nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*: quia eccleſia Armeniorum tales errores ſemper excommunicat & anathematizat cum confitentibus eum, & anathema ſit. Sequitur.

Dicunt etiam & credunt quod anima Chriſti, quando deſcendit ad inferos, ne cognoſceretur, induit ſe Deitate, ſicut & quando erat in vita præſenti, ne cognoſceretur, induit Divinitatem ſuam corpore.

Responsio. Hic manifeſte dicunt contra dicta ſua ſupra, qui teſtificantur veritatem ſecundum dictum Armenorum, quod in Chriſto poſt unionem erat Deitas & anima rationalis & corpus; quia deſcenſus animæ rationalis Chriſti ad inferos, ut dicit, quod induta Deitate ut non cognoſceretur, & quando erat in vita præſenti ſic dicit, quod Deitas induta corpore, hæc poſt unionem erant, licet non eſt rectum quod dicit, quod anima Chriſti quando deſcendit ad inferos, ut non cognoſceretur, induit ſe Deitate; quia deſcendens ad inferos non occultatus eſt, ſed manifeſtatus fuit, quoniam mors morti factus eſt, & liberatio vinculatis, & ſalus & gloria ſanctorum ſuorum. Item, dicit hic ſecundum fidem Armenorum, quod in Chriſto poſt unionem erat Deitas, anima & corpus, eſt verum, & confeſſum a nobis; ſed in xx. articulo contra dicit, quia humana natura converſa fuit ad divinam ejus naturam, & natura [divina] ad humanam ſine converſione animæ & corporis mutari non poteſt; & in articulo xxvi. etiam dicit: Armeni dicunt & credunt quod in Chriſto nec corpus erat nec anima poſt unionem. Hæc falſitas per ſe patet, quoniam quomodo Chriſtus ſimul & ſemel corpus & animam habet & non habet, vel natura humana in Chriſto eſt converſa & non converſa? quod eſt valde inconveniens.

Art. XXVI. *Item, quod Armeni dicunt & credunt, quod licet reſurrectio a morte ſolum ad carnem pertineat, quæ mortua fuerat; tamen in Chriſto, quia non erat niſi divina natura poſt unionem ipſam, ſecundum quod volebat faciebat opera carnis & animæ, quamvis in Chriſto nec caro eſſet nec anima poſt unionem.*

Responsio. Et in xxviii. articulo etiam dicit, Armeni dicunt, voluntas divina ſicut volebat faciebat, & oſtendebat ſe humanum corpus habere, licet non haberet. Quare per ſupradicta manifeſtum eſt, quod omnia opera Chriſti phantaſtica erant, & non vera. Si ſic eſt, ut dicit, & in xx. articulo dicunt Chriſtum, ſecundum fidem eccleſiæ Armenorum, non eſſe hominem; ſed dicentes Armeni credunt & tenent, quod in homine humanæ naturæ ad filium Dei humana natura converſa fuit in divinam ejus naturam, ſic quod poſt dictam unionem in Chriſto non erat, niſi una natura, divina ſcilicet & non humana. Item, in xxi. poſt unionem naturarum in Chriſto humana natura converſa fuit in naturam divinam, ſic quod in Chriſto ex tunc non erat niſi natura divina. Item, in xxviii. dicunt Armeni, quod in unione ipſa humana natura converſa fuit in Deitate, de quibus patet, quod ſecundum hanc falſitatem Chriſtus homo non eſt, ſic dicendo: Armeni dicunt & credunt, quod natura divina in Chriſto fuit paſſibilis & impaſſibilis, mortalis & immortalis, ſicut Chriſto placebat, & ſic dicunt Chriſtum paſſum & mortuum ſecundum divinam naturam. Item, in xxix. Armeni dicunt & tenent, quod quando voluit divina ejus natura mortalis fuit & mortua, etiam & quando voluit facta fuit immortalis; ex quo ſequitur manifeſte, quod ſi ſic eſſet, Chriſtus etiam Deus non eſſet, quia paſſibilis, mortalis & mutabilis natura de ſe & ratione naturæ ſuæ Deus eſſe non poteſt. Ecce prima hæreſis Manichæorum, qui dicunt Chriſtum non verum hominem factum, ſed phantaſticum. Secunda eſt Eudici & ſequacium, qui unam naturam dicebant in Chriſto confuſam. Et tertia Arrii, qui Deitatem Verbi paſſibilem dixit, ſicut in xx. articulo manifeſtavimus; ſed quod Chriſtus ſecundum fidem eccleſiæ Armenorum eſt verus Deus, verus homo, & quod omnia opera ejus veraciter ſint, Johannes evangeliſta oſtendit in canonica, ubi dicit: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus-ſanctus, & hi tres unum ſunt*: per quod manifeſtatur, quod Chriſtus verus Deus eſt; *& tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, caro, & ſanguis*; & per hoc oſtenditur, quod Chriſtus verus Deus homo eſt. Igitur ad eſſe homini duo ſunt neceſſaria principaliter, eſſe anima & corpus, quoniam per unionem iſtorum verus homo fit: ſed per hoc quod Chriſtus clamavit in morte voce magna, & emiſit ſpiritum, manifeſte oſtenditur, quod animam habebat, non ſolum vitalem, ſed etiam rationalem, de qua ante dicit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, & *poteſtatem habeo ponere animam meam & iterum accipere*, & per hoc quod una apertione lateris per lanceam exivit aqua & ſanguis, certificatur veraciter, quod Chriſtus verum corpus habebat, quia a phantaſtico corpore nec aqua nec ſanguis exire poteſt, & quod hæc omnia alia opera Chriſti divina & humana vera ſunt, non phantaſtica, dicit Evangeliſta, *qui vidit & teſtatur, & teſtimonium ejus verum eſt*. Item, ſi non habebat animam, quam igitur emiſit? & ſi non habebat corpus, quod fixerunt in cruce, volverunt pannis, & poſuerunt in ſepulcro, & poſt reſurrectionem numquam pedes divinitatis tenuerunt in via mulieres. Et ſi non erat verus homo, qui in cœnaculo intrans ad diſcipulos dixit: *Palpate & videte quia ego idem ipſe ſum*, quare

in confuſione negantium dicebat, quod *anima corpus & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Et ad ſolvendum opinionem Thomæ dicebat Dominus: *Fer manum, & mitte in latus meum, & mitte digitos ad locum clavorum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis;* & talia ſimilia multa habemus in evangelio & ab apoſtolis, quod Chriſtus erat perfectus Deus & perfectus homo, & omnes operationes ejus veraciter ſunt, quibus firmiter credimus ſine ullo dubio, & contradictores habentes contradictionem maledicimus.

ART. XXVII. *Item, quod Armeni credunt & tenent, quod die ſabbati poſt paraſceve, hora ſexta, Dominus reſurrexit, & hoc dicunt ſe habere ex traditione Gregorii, qui fuit antiquitus eorum catholicon, cui, ut dicunt, fuit revelatum cum eſſet in ſepulcro Domini, quod hora ſexta dictæ diei ſabbati reſurrexerat Dominus; & ſic apud Armenos eſt determinatum, & dicta hora faciunt feſtum de reſurrectione Domini, & poſtea eadem die comedunt ova, caſeum, non tamen carnes.*

RESPONSIO. Eccleſia Armenorum, ſicut recepit a Gregorio illuminatore uſque ad hanc diem, in dominica die facit reſurrectionem Domini, & non in ſabbato; per cujus prædicationem credit Chriſtum Deum & hominem, vetus & novum teſtamentum recipit ad doctrinam & magiſterium & inſtructionem ſuam; & non, ſicut detractores & maledictores ſancto patri noſtro dicunt, per traditionem ejus datum fuit & ordinatum in eccleſia Armenorum ſexta hora magni ſabbati facere reſurrectionem Domini, dicentes manifeſtatum fuiſſe ſancto Gregorio in ſepulcro Domini. Sed quod eccleſia Armenorum in dominica facit reſurrectionem Domini, & non in ſabbato, multipliciter oſtenditur: Primo per evangeliſtas, quorum verbis credit eccleſia Armenorum, & Marcus dicit, reſurget JESUS diluculo, *Una ſabbatorum apparuit Mariæ Magdalenæ.* Lucas vero: *Una ſabbatorum valde diluculo audiverunt mulieres ab angelo, Non eſt hic, ſurrexit.* Similiter & alii duo evangeliſtæ teſtificantur de his. Secundo, ab officio eccleſiæ Armenorum, quod canticum ſupradicti ſabbati totaliter ſepulturam Domini recolit & honorat, & nullam mentionem de reſurrectione facit, excepto illo, quod ſecundnm conſuetudinem Armenorum in feſto reſurrectionis, & in omnibus aliis feſtivitatibus totius anni in vigilia feſtum colere incipimus, ſicut apud vos etiam in ſabbato ſancto legitur evangelium S. Matthæi de reſurrectione, & dicitis alleluia, & ſimilia alia. Tertio, quia tantum paſchatis una ſabbatorum totaliter reſurrectionem Domini honorat & colit, ante omnia cantat: *Hodie ſurrexit a mortuis ſponſus immortalis & cœleſtis, tibi gaudium & lætitia, ó eccleſia ſponſa de terra, benedic in voce exultationis Deum tuum Syon. Hodie Angelus cum ſplendore lucis deſcendens de cœlis, & terruit cuſtodes, & ſanctis mulieribus prædicabat, dicens: Chriſtus reſurrexit a mortuis, gaude & lætare mater, & Virgo, quoniam genitus de te Virgine hodie per reſurrectionem genitus de ſepulcro virgine. Hodie lapis fidei Petrus, & dilectus Johannes cum adverſariis feſtinantes ad ſepulcrum reſurgentis,* & ſic omnia cantica dicta una ſabbatorum reſurrectionem Domini multis modis narrant. Quarto, quia per totum annum in dominica reſurrectionem ſemper colimus, excepto pentecoſtes & aliis magnis feſtivitatibus, quæ in dominica veniunt, & reſurrectionis officium impediunt. Quinto, in omnibus diebus dominicis dicimus hoc canticum, quod dominus Nerſes Glanenſis catholicon dicit magiſterialiter: *Manifeſtemus & miniſterium ſecretum noſcamus, quia lux inviſibilis, intelligibilis, mundis autem ſpiritibus viſibilis, in hac una ſabbati nobis eſt ortus ſanctæ reſurrectionis ſplendor. Iterum & deſcendens in ſepulcro, incorruptibili corpore & ſancto reſurgens, tertia die & lux orta eſt mundo.* Sexto, quia totius anni dominicas colimus & honoramus propter reſurrectionem Domini, & ſic per traditionem Gregorii illuminatoris noſtri, & per doctrinam evangelii & apoſtolorum, reſurrectionem Domini in dominica recipimus, facimus & credimus, & contra facientes & dicentes anathematizamus. Sed quod de ovis & caſeis, ſciendum eſt, quod in primis diebus univerſaliter comedebant caſeum & ova in ſero ſabbati ſancti, tamen reſurrectionem una ſabbati diluculo faciebant. Et hæc conſuetudo antiqua eſt, & multotiens prohibita per Mons catholicon, maxime in ſynodis de Siſio & de Adana, quæ factæ fuerunt propter unionem eccleſiæ Romanæ, ordinaverunt cum piſcibus & oleo ſolvere, & abſtulerunt ova & caſeum, & nos ſic facimus, & populum noſtrum, quantum poſſumus, facimus obſervare. Sequitur.

Computant autem tres dies & tres noctes, quibus fuit Dominus in ventre terræ ſic, quia in nocte ſequente feriam quintam Dominus tradidit corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis ſuis, & ipſi diſcipuli, qui terrei erant, corpus ejus & ſanguinem comederunt & biberunt, & ſic in ſeipſis Chriſtum ſepelierunt; & computant illam noctem, & poſtea diem ſequentem uſque ad illam horam, qua in die paraſceve tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, pro prima die & nocte; tempus vero illud quod dictæ tenebræ duraverunt, computant pro ſecunda nocte, & diem quæ fuit poſt dictas tenebras, computant pro ſecunda die, noctem vero quæ præcedit ſabbatum, computant pro tertia nocte, & diem ſabbati uſque ad meridiem, pro tertia die.

RESPONSIO. Licet talia verba inveniantur in libris noſtris, quæ aliqui ſtulti locuti ſunt, ad probandum quod Chriſtus tribus diebus

& tribus noctibus manſit in corde terræ, tamen communiter a magiſtris Armenorum ſpernitur hæc perverſa expoſitio, maxime de nobis; ſed ad confirmandam tertiam diem reſurrectionis Domini, accipimus partem pro toto, ſcilicet in paraſceve in hora nona poſitus fuit in ſepulcro cui nox præceſſerat; & poſt hæc nox & dies ſabbati, quæ faciunt duos dies, & in nocte una ſabbati diluculo, ut dicunt evangeliſtæ, ſurrexit Dominus, & ſic ſunt tres dies & tres noctes. Sequitur.

Et dicunt, quod dicta eorum opinio confirmata fuit per B. Silveſtrum papam ad inſtantiam dicti Gregorii, & plus credunt dicta opinioni, quam evangeliis Marci & Lucæ, qui dicunt, quod prima ſabbati, id eſt dominica Dominus ſurrexerit.

Responsio. Hæc omnino falſa ſunt, & detrectationes & opprobria ſanctorum Dei.

Art. XXVIII. *Item, quod Armeni neſciunt reſpondere ad illa quæ in evangeliis continentur, ubi manifeſte ſcribitur, quod Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam unum corpus humanum habuit, cum dicant quod in ipſa unione humana natura converſa fuit in Deitatem, niſi hoc ſolum quod voluntas divina ſecundum quod volebat faciebat, & oſtendebat ſe corpus humanum habere, cum tamen non haberet.*

Responsio. Sciendum eſt, quod in xx. & in xxi. articulis oſtendimus ſufficienter ſuprascriptum errorem falſum eſſe, tamen quia multotiens replicatur, prolixitati parcatis. In xxvi. dicitur ſecundum quod volebat faciebat opera corporis & opera animæ, licet in Chriſto nec corpus erat, nec anima poſt unionem, & hic dicit quod voluntas divina ſecundum quod volebat faciebat, & oſtendebat ſe corpus humanum habere, cum tamen non haberet; ſed per hoc quod dicit quod Armeni neſciunt reſpondere ad illa quæ in evangeliis continentur, ubi manifeſte ſcribitur, quod Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem verum corpus habuit. Sciendum eſt, quod Armeni dicunt illa quæ ab evangelio didicerunt, quod in Chriſto ſunt tria, ſcilicet Divinitas, rationalis anima humana & corpus humanum; ideo neceſſitatem reſpondendi non habent, ut cantat eccleſia Armenorum in canticis Nativitatis Domini: *Te rogamus, Fili Patri coætanee, qui hodie cum natura protoplaſti de Virgine natus es, Deus & homo.* Numquam protoplaſti natura ſine anima & corpore erat, vel quomodo eſt homo, ſi animam & corpus non haberet? ſed ſuper converſationem Chriſti ſuper terra cantat eccleſia veraciter, *Incarnatus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Et pro anima rationali cantat: *Voluntarie expiraſti, & in ſinu Patris tradidiſti ſanctam animam tuam, & pro corporis claritate inclinatus fuiſti, & pro ſalute noſtra incarnatus fuiſti, &c.* Igitur eccleſia Armenorum habet & credit & confitetur, quod Chriſtus animam rationalem quam accepit, tradidit in morte, & cum eodem corpore quod acceperat crucifixus eſt, quod eſt poſt unionem. Quomodo ergo & animam & corpus non haberet, ſicut ſunt in xxvi. & xxviii. articulis, & in ſymbolo dicimus omni die: *Aſcendens in cœlum cum eodem corpore ad dextram Patris venturus, cum eodem corpore in gloria Patris judicare vivos & mortuos.* Igitur ſi poſt unionem anima & corpus non erant in Chriſto, ut dicunt in articulo, quomodo eodem corpore in Aſcenſione aſcendit ad cœlum? & nunc quomodo eodem tempore ſedet ad dextram Patris? & quomodo eodem corpore venturus eſt judicare vivos & mortuos? Ergo ex hoc patet, quod falſe dicunt contra eccleſiam Armenorum.

Item, licet ſecundum Armenos, in Chriſto poſt unionem non fuerit niſi natura divina, in qua converſa fuit humana ejus natura. Art. XXIX.

Responsio. Ut in xx. articulo manifeſtavimus, hoc veraciter falſum eſt. Sequitur.

Armeni tamen dicunt & tenent, quod voluntati Chriſti ſubjecta erat divina natura, ut de ea faceret quod vellet, & ut dicunt, quando voluit, divina ejus natura mortalis fuit, & etiam mortua, & quando voluit fuit facta immortalis, ſicut factum fuit poſt ſuam reſurrectionem, accipientes ad hæc probandum illud quod dicitur in Johanne: Ego vivo, & vos vivitis.

Responsio. Credendum eſt quod in xx. & xxvi. art. & in multis aliis locis hæc manifeſtavimus ſufficienter falſa eſſe, quod naturam divinam dicit eſſe mutabilem, tamen & hic idem manifeſtat eccleſia Armenorum in ſymbolo, quod omni die dicunt, quod increata & immutabilis natura Filii Dei. Igitur quod dicunt de eo, quod erat aliquando quando non erat Filius, vel erat quandoque quando non erat Spiritus-ſanctus, vel de nihilo factus, vel de aliqua eſſentia vel ſubſtantia dicunt eſſe increatum Filium, vel Spiritum-ſanctum, vel alterabilem vel mutabilem, ut dicitur in xix. & in xx. articulis, & in xxi. & in xxvi. & in xxviii. articulis, taliter dicentes anathematizat ſancta catholica & apoſtolica eccleſia, & anathema ſit.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ex hoc quod Chriſtus aſcendit in cœlum, in eo poſt unionem deſiit eſſe natura humana, alioquin ſi in Chriſto fuiſſet humana natura poſt unionem, non aſcendiſſet in cœlum, ſed tranſlatus fuiſſet in paradiſum terreſtrem, ſicut de Enoch & Elia factum fuit. Art. XXX.

Responsio. Armeni credunt & tenent, quod Chriſtus cum eodem corpore quod accepit a Virgine aſcendit in cœlum, ſedet ad dextram Patris, & cum eodem corpore venturus eſt judicare vivos & mortuos in confuſionem & opprobrium falſitatis illorum quam ſuperius dicunt: *Si in Chriſto fuiſſet humana natura poſt unionem, non aſcendiſſet*

in cœlum. Sciendum est, quod ecclesia Armenorum credit & tenet, quod sancta Dei genitrix virtute Christi assumta fuit in cœlum cum corpore. Igitur nutus Christi, qui alios assumsit cum corpore ad cœlum, seipsum non poterat mutare? Item, sancti post generalem resurrectionem cum corporibus ascensuri sunt in cœlum, ut in VII. articulo manifestavimus, secundum fidem ecclesiæ Armenorum, qui simpliciter homines sunt; sed Christus qui Deus erat & homo, quomodo non poterat ascendere in cœlum? Ergo falsitas hæc per se patet. Ideo dicit Apostolus: *Nolite omni spiritui credere*. Et Propheta: *Sepulcrum patens est guttur eorum*; & *Linguis suis dolose agebant*; & *perdet Dominus loquentes mendacium*.

ART. XXXI. *Item, quod Armeni tenent, quod illæ auctoritates Prophetæ & Apostoli*: Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem, *& quod* Christus exspoliavit principatus & potestates, transduxit eas in semetipsum, *non intelliguntur, quod hoc faceret quando Christus ascendit in cœlum; sed intelliguntur quando Christus ascendens ab inferis, & duxit secum animas hominum, quæ ibi erant, & posuit eas in ista terra vel aëre usque ad diem judicii.*

RESPONSIO. Licet magistri locuti sunt differenter de hoc, sed nos non dicimus, & credimus, quod Christus post passionem suam descendit ad inferos cum anima rationali, ubi erant sancti patres, & liberavit eos ab inferis, & quando ascendit in cœlum, eos duxit in cœlum secum, secundum verbum evangelii quo dicit: *Quando exaltatus fuero de terra, omnes traham ad me ipsum.*

ART. XXXII. *Item, quod dicunt Armeni & tenent, quod Christus descendens ad inferos ligavit dæmones qui ibi erant, & etiam super terram, ut non possent tentare vel offendere homines, sicut ante faciebant; sed sunt trecenti anni, quod dæmones omnes sunt disligati, & seduxerunt homines a fide Christi per totum mundum, exceptis Armenis; a triginta annis citra, illos homines de minori Armenia, & a* XXV. *citra, Armenos de majori Armenia seduxerunt a fide Christi, quia, ut dicunt, ex tunc Armeni posuerunt in sacrificio aquam in vino, & fecerunt festum Nativitatis Domini* XXV. *die Decembris; & sic a dæmonibus seducti fidem Christi dimiserunt.*

RESPONSIO. Sciendum est, quod millesimo anno post baptismum Domini, in quo tempore catholicon Armenorum erat PETRUS, & rex Græcorum erat BASILIUS, & Armenorum rex erat JOHANNES, tertio die Octobris terribile & mirabile factum fuit in cœlo tertia hora diei, quoniam firmamentum cœli scissum fuit ab Oriente usque ad Occidentem, & vehemens lux effusa fuit in terra a parte Aquilonari, & antequam lux deficeret, factus fuit rugitus & strepitus supra totum mundum, & attenebrata fuit terra, sic quod stellæ apparebant quasi in medio noctis. Item, post quinque annos obscuratus fuit sol taliter, quod omnes stellæ de die sicut de nocte apparebant, & terra clamavit communiter, & tremuit vehementer longo tempore, & mare fluctuabat valde vehementer; tunc supradicti catholicon & rex Armenorum miserunt ad quemdam devotum & virtuosum magistrum Armenorum, vocatum Johannem *Ceseirie*, ut diceret causam signorum: qui respondit eis cum lacrymis & suspiriis, quod nunc mille anni sunt a vinculo sathanæ, quem ligavit Dominus noster JESUS CHRISTUS: nunc autem solutus est a vinculis secundum Apocalypsim Johannis Evangelistæ, cui dixit angelus Domini, quod mille annis ligabatur sathanas, & iterum solvetur a vinculis; hodie solutus fuit super mundum, & scissionem firmamenti cœli accepit super debilitates & infirmitates ecclesiæ, quæ debebant debilitari in virtutibus, & obscuritate solis & stellarum; accepit super vitia & incredulitatem hominum, ubi dicit, quod deficiet quilibet in operibus suis, & quasi per modum prophetiæ dicit multiplicari Agarenos & gentiles super terram ad destructionem ecclesiæ, quem vidimus & videmus oculatim, & alia multa quæ propter prolixitatem transimus; sed in fine dicit, quod exitura est virilis gens Romanorum, & accipient Jerusalem, & liberabunt Christianos, & ædificabuntur ecclesiæ, & quod breviter scripsimus invenitur nobiscum. Cetera omnia quæ dicit in articulo, apud nos non inveniuntur, & sunt verba mente genita & falsæ compositæ. Tamen de aqua & festo Nativitatis Domini, verum est quod Armeni non unici detrahunt nobis, qui sumus uniti ecclesiæ Romanæ, & multas alias detractiones & blasphemias loquuntur de nobis, & despiciunt nos; at non debilitamur a veritate quam accepimus a sancta ecclesia Romana.

ART. XXXIII. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod Christus post suam ascensionem habuit humanitatem, sed non habuit naturam humanam, nec voluntatem, nec operationem humanam.*

RESPONSIO. Hoc quod dicit, quod Christus post ascensionem suam habebat humanitatem, verum est, quoniam secundum fidem Armenorum perfectus homo est, sicut & perfectus Deus; sed illud quod dicit quod non habebat naturam humanam, nec voluntatem, nec operationem, falsum est, & in XX. & XXI. & XXV. & XXVI. articulis sufficienter ostendimus, quod secundum hoc quod perfectus homo est, perfecte habet naturam, voluntatem, & operationem, & omnia alia naturalia animæ & corporis. Sequitur.

Etiam dicunt & tenent, quod Christus in cœlum ascendens, non subito pervenit ad dextram Patris, sed decima die post suam ascen-

ſionem, & in novem diebus qui ſunt a die aſcenſionis ejus uſque ad diem Pentecoſtes, Chriſtus fuit inter angelos, ita quod per unam diem fuit in uno ordine angelorum, & alio die in alio, & quilibet ordo angelorum feſtivavit eum una die: decima vero die pervenit ad dextram Patris, & tunc ſtatim miſit apoſtolis Spiritum-ſanctum, & propter hoc Armeni feſtivant illos decem dies.

Responsio. Sciendum eſt, quod S. Gregorius poſt tormenta amariſſima duorum annorum ſuorum pro teſtimonio Chriſti & increpatione idolatriæ Cheridati regis Armenorum, poſitus fuit & in lacum tormentorum, & erant ibi multi ſerpentes & ſcorpiones, & cibabant eos de condemnatis ad mortem. In ſupradicto lacu B. Gregorius fuit per tredecim annos, de mandato regis, & angelus Dei omni die apparebat & conſolabatur eum, & iſte angelus erat de quarto ordine; a quo didicit B. Gregorius, quod angeli etiam feſtivant Aſcenſionem, qui audivit ab angelo, quod feſtum magnum eſt hodie ordini meo qui in cœlis eſt, quod eſt feſtum Aſcenſionis. Eccleſia autem Armenorum de hac materia nihil plus habet, niſi iſtud de B. Gregorio; ſed aliqui alii inveniuntur, qui dixerunt in ſermonibus putative, quod quilibet ordo per unam diem feſtivat, & in quolibet ordine per unum diem ſtetit, & hoc non habemus a S. Gregorio, nec eſt acceptabile apud nos, maxime nunc quando habuimus notitiam Romanæ eccleſiæ; ſed magis veritatem dicimus & prædicamus, ſcilicet quod cœlitus aſcendit in cœlum, & ſedet ad dextram Patris, ſecundum prophetam: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.*

Art. XXXIV. *Item quod Armeni de majori Armenia dicunt, quod ipſi ſunt eccleſia catholica & apoſtolica, & propter hoc quod ipſi habent catholicon; & etiam eorum eccleſia eſt apoſtolica, quod ipſi tenent fidem quam apoſtoli prædicaverunt, & propter hoc ſunt eccleſia catholica & apoſtolica.*

Responsio. Quod Armeni de majori Armenia, propter hoc quod habent catholicon dicunt ſe ſolam eccleſiam catholicam & apoſtolicam, hoc non audivimus: ſed quod eccleſia Armenorum eſt apoſtolica, propter hoc quod habent fidem, quam apoſtoli prædicaverunt, hoc verum eſt, quia ſymbolum eccleſiæ Armenorum, quod nunc habet, eſt ſanctum & rectum & conveniens evangelicæ & apoſtolicæ prædicationi, ſicut recepimus a ſancta eccleſia, & a ſanctis patribus noſtris. Sequitur.

Græca vero eccleſia non eſt eccleſia catholica vel apoſtolica, quia ponunt aquam in vino in ſacrificio, & quia dicunt duas naturas eſſe in Chriſto, & quia faciunt feſtum nativitatis Domini xxv. *die menſis Decembris.*

A Responsio. Sciendum eſt quod Græci primo in ſacrificio non ponebant aquam, & feſtum nativitatis, ſicut Armeni faciebant ſexto die Januarii, ſed poſtea in diebus Johannis Osauri eccleſia Græcorum a pontifice Romano recepit aquam ponere in ſacrificio, & feſtum nativitatis facere xxv. Decembris; ſed eccleſia Armenorum non recipit, quia catholicon Armenorum S. Isaac dejectus eſt de ſede ſua, & non habebat eccleſia Armenorum caput quòd recepiſſet ſupradicta, ſicut aliæ eccleſiæ, & ſic remanſit ad priſtinam conſuetudinem. Græci autem
B poſtquam receperunt aquam in ſacrificio ponere & feſtum nativitatis colere xxv. Decembris, incœperunt obprobriari Armenis, & Armeni Græcis. Sequitur.

Dicunt etiam & tenent quod eccleſia Romana non eſt eccleſia catholica & apoſtolica, propter eaſdem cauſas, quas dicunt de eccleſia Græca, & etiam quia corrumpunt fidem Chriſtianam faciendo & acceptando concilium Calcedonenſe ad inſtantiam B. Leonis papæ.

Responsio. Quia eccleſia Armenorum cum eccleſia Romana numquam bellavit, quare obprobria & convicia eccleſiæ Romanæ parum inveniuntur, ſicut de B. Leone in can-
C ticis Chriſtianorum & cauſam quare, in ſecundo articulo memoravimus. Tamen nos de minori Armenia, & qui de majori Armenia obediunt & conveniunt nobiſcum, jamdiu eſt, cum duabus ſolemnibus ſynodis abſtulimus obprobria S. Leonis papæ & glorificamus eum cum ſanctis, & ſynodum Calcedonenſem cum aliis ſanctis ſynodis, licet aliqui de majori Armenia, qui non conveniunt nobiſcum, remanſerunt ſic ſicut ante erant. Sequitur.

Dicunt etiam & tenent, quod eccleſia Romana & Græca deſinent eſſe ante generalem
D *reſurrectionem, vel tempore antichriſti: Eccleſia vero Armenorum durabit uſque ad finem.*

Responsio. Hoc falſum eſt, quia licet de Armenis dicunt aliqui de ruſticis, quod non venient uſque ad antichriſtum, ſed pro Græcis & pro Francis numquam audivimus talia. Sequitur.

Et quod illi de Armenia minori, excepto rege & quibuſdam nobilibus, ſunt de eccleſia majoris Armeniæ, & ſunt pejores, quam illi de majori Armenia, nec volunt recipere aliquem magiſtrum, niſi ſit de majori Armenia.
E *Dicunt etiam quod rex & nobiles minoris Armeniæ, quia tenent ſupradictos articulos cum eccleſia Romana & Græca, non ſunt de eccleſia catholica & apoſtolica.*

Responsio. Populus Ciliciæ communiter, ſicut catholicon, rex, & alii prælati eccleſiaſtici & ſæculares uniti ſunt eccleſiæ Romanæ, ſimiliter & populares. Ideo pejores quam inobedientes manifeſtare non poſſunt eſſe, & ſi ſint aliqui in corde ſuo, non ſunt inobe-

dientes manifeſtare non poſſunt, quia corriguntur de inobedientia etiam per mortem.

ART. XXXV. *Item, quod Armeni dicunt & tenent quod eccleſia catholica fuit per totum orbem diffuſa a principio, quia aliqui ex omnibus crediderunt in Chriſtum.*

RESPONSIO. Verum eſt hoc & acceptabile. Sequitur.

Sed poſtea in concilio Calcedonenſi fuit fides eccleſiæ corrupta & deſtructa, ex eo quod ibi determinatum fuit, quod in Chriſto erant duæ naturæ & una perſona, & omnes qui dictum concilium receperunt fuerunt extra eccleſiam catholicam: & quia dicti Armeni dictum concilium non receperunt, ſed condemnaverunt, ideo ſolum apud eos eſt catholica, exceptis paucis de eccleſia minoris Armeniæ.

RESPONSIO. Cauſam non recipiendi ſynodum catholicon in ſecundo & tertio articulis breviter manifeſtavimus, & illud etiam, quia nos jamdiu eſt cognoſcentes veritatem, recepimus ſynodum ſanctam: tamen non eſt mirum ſi Armeni defecerunt de facto duarum naturarum; quia ut vos bene ſcitis in ſynodo Epheſina univerſaliter a tota eccleſia condemnatus fuit nefandus Neſtorius cum hæreſi ſua, qui dicebat duas naturas, duas perſonas, & duos filios in Chriſto; & condemnationem iſtam Neſtorii & hæreſis ejus Armeni condemnaverunt in tota eccleſia, ſed poſt modicum tempus facta fuit ſynodus Calcedonenſis, in qua determinatum fuit duas naturas confiteri & unam perſonam in Chriſto, licet ii dixerint naturas eſſe unitas in perſona, & in hac ſynodo Armeni non erant, ut veritatem ſciviſſent. Ideo quoniam audiverunt ab Aſſyriis, quod confirmaverunt hæreſes Neſtorii, tunc incœperunt declinare a ſynodo, ſicut ab hæreſi Neſtorii. Sed tamen eccleſia Armenorum in diebus ERACH cæſaris, & ESDRÆ catholicon Armenorum, quærentes veritatem cum ſolemni ſynodo, receperunt concilium Calcedonenſe cum determinationibus ſuis, cum aliis ſanctis ſynodis, & a dicto ESDRA uſque ad ſeptem catholicon ſic tenuerunt; ſed poſt hæc JOHANNES de Oſna fecit ſynodum in Manaſgarde cum ſex epiſcopis Aſſyriis, & paucis Armenis contra catholicon prædeceſſores ſuos, & fecit declinari multos a veritate, dicendo unam naturam, unam voluntatem, unam operationem in Chriſto contra concilium Calcedonenſe: tamen alii catholicon dominus GREGORIUS & dominus Nerſes Glanenſis, videntes impietatem eorum voluerunt iterato redire ad priſtinum ſtatum, & uniri cum Græcis; & licet duæ partes concordaverint ad invicem, & perveniſſent ad unionem, ſi a morte non fuiſſent præventi, & remanſit ſic uſque ad tempora prædeceſſorum noſtrorum, qui cum duobus conciliis uniti ſunt cum eccleſia Romana, & receperunt concilium Calcedonenſe, & abſtulerunt omnes cauſas turbationis, & nos una cum omnibus nobis obedientibus ſic ſtamus ſic ſumus & docemus.

ART. XXXVI. *Item, quod Armeni credunt & tenent quod ſolum apud ipſos eſt eccleſia catholica, quia, dicunt, apud illos ſunt quæ faciunt eſſe unam tantum eccleſiam, ſcilicet verus baptiſmus & unica fides Chriſti, & unicus Spiritus-ſanctus & unus Deus & Dominus, quæ apud alias eccleſias, quæ vocantur Chriſtianæ, non ſunt.*

RESPONSIO. Si aliqui talia dixerunt nos ignoramus, quia nec audivimus, nec diximus: quoniam licet eccleſia Armenorum, ſecundum fidem Chriſtianam in qua eſt, de catholica eccleſia eſt; tamen ipſa per ſe non eſt tota & univerſalis eccleſia; & ſi dicit habere, ſicut & habet veraciter res iſtas, ſcilicet verum baptiſmum, & unicam fidem Chriſti, unum Sanctum Spiritum, unum Deum & Dominum, tamen non dicit quod aliqui Chriſtiani non habent, ſicut in articulo dicitur, & ex hoc patet quod dicunt, quod omnes venientes ad eos ab aliis eccleſiis rebaptizant, quoniam baptiſmus datus in aliis eccleſiis, non putant verum baptiſmum eſſe; & hoc falſum eſt, quia univerſaliter in tota eccleſia Armenorum hominem venientem ad eos ab aliis eccleſiis rebaptizant, quia baptiſmum aliarum eccleſiarum putant verum eſſe, & non ſicut mentiuntur in prædicto articulo, ſed aliqui ex eis qui articulum iſtum falſum ponunt ſuper Armenos, baptizaverunt plures contra verbum apoſtoli qui dicit: *Non eſt poſſibile ſemel baptizatis iterum renovari ad pœnitentiam, & ſibi ipſis reiterato crucifigere filium Dei.* Sequitur.

Quia, ut dicunt, Armeni habent etiam veram fidem, quam aliæ eccleſiæ deſtruxerunt recipiendo concilium Calcedonenſe. Habent & vere Spiritum-ſanctum & verum Deum & Dominum, quæ aliæ eccleſiæ non habent, quia negaverunt Deum & Dominum in concilio Calcedonenſi, dicendo quia in Chriſto ſunt duæ naturæ & una perſona.

RESPONSIO. Cauſam non recipiendi concilium Calcedonenſe in XXX. articulo manifeſtavimus & replicandi neceſſitas non eſt. Sequitur.

Propter quæ in ſymbolo non dicunt ſimpliciter: Et unam ſanctam eccleſiam, *ſed* in iſtam ſanctam eccleſiam, *accipiendo ly* iſtam, *pro eccleſia Armenorum.*

RESPONSIO. Falſum eſt hoc, quia talem intellectum numquam in ſymbolo audivimus, licet & hoc vocabulum dupliciter invenimus in ſymbolo Armenorum, univerſaliter dicunt, *credit in his ſola univerſalis & apoſtolica eccleſia*, & de hoc ſic intelligimus, quia quicquid dicit ſymbolum, a principio uſque hic, & quod poſt ſequitur uſque ad finem, credit ſola & univerſalis & apoſtolica eccleſia. Sed qui dicunt: *credimus in hanc ſolam univerſalem, &c.* intelligimus *in hanc*

pro una catholica & apoſtolica eccleſia, quæ orthodoxa confitetur omnia quæ ſunt in ſymbolo, & non ſolum pro generatione noſtra, ut falſe detrahimur.

ART. XXXVII. *Item, quod a tempore Eraclii imperatoris citra, fuerunt tres catholicon in Armenia tenentes diverſam fidem & diverſum baptiſmum ad invicem.*

RESPONSIO. Sciendum eſt quod in hoc articulo ponunt multa inaudita, & inſitas peſſimas falſitates ſuper Armenos, quia licet catholicon *de Alnanc*, quod interpretatus *Columbarum* & Jurgianorum quandoque obediebant catholicon Armenorum, tamen tres catholicon, ut dicitur in articulo, Armeni non tenuerunt, nec poſt Eraclium nec ante diverſas fides, & diverſum baptiſma tenuerunt ad invicem. Catholicon *de Alnanc* eſt antiquus, & conſtitutus a B. Gregorio; ſed Archamarenſis archiepiſcopus eſt, & quandoque obediebat catholicon; & de parvo tempore citra nomen catholicon impoſuit ſibi, quare excommunicatus fuit a catholico Armenorum, & adhuc eſt in excommunicatione; tamen baptiſmum, fidem, & officium & ordinationes eccleſiæ & doctrina eorum trium per unum modum fuerunt uſque ad illud tempus, quod catholicon, qui eſt in Armenia minori, & rex ſimul cum obedientibus eis uniti fuerunt cum eccleſia Romana. Nunc autem iſta eſt differentia inter nos & eos, quia nos ponimus aquam in ſacrificio & facimus feſtum nativitatis xxv. Decembris, & dicimus in Chriſto duas naturas unitas in una perſona filii Dei, & recipimus ſanctam ſynodum Calcedonenſem, & confitemur purgatorium & cognoſcimus primatum eccleſiæ Romanæ; ſed ipſi ſecundum antiquam conſuetudinem non ponunt aquam in ſacrificio, & faciunt feſtum nativitatis & Epiphaniæ ſexta Januarii, & dicunt Chriſtum perfectum Deum & perfectum hominem, tamen unam naturam propter ineffabilem unionem, ſecundum verbum Cyrilli, qui dicit quod una eſt natura Verbi incarnati, & adhuc non recipiunt concilium Calcedonenſe, neque nomen purgatorii audiverunt, niſi de quinquaginta annis citra, & non cognoſcunt primatum eccleſiæ Romanæ. Sequitur.

Nam catholicon Columbarum dicit quod Pater & Filius & Spiritus-ſanctus fuerunt crucifixi in cruce.

RESPONSIO. Falſum eſt hoc & crimen. Sequitur.

Et illi qui ſubjecti ſunt ei baptiſant in aqua.

RESPONSIO. Verum eſt hoc. Sequitur.

Catholicon vero medius & ſubjecti ejus dicunt quod ſolus Dei Filius fuit crucifixus in cruce.

RESPONSIO. Verum eſt. Sequitur.

Et pro majori parte baptiſant in aqua, licet aliqui, pauci tamen, baptizent in vino, non tamen baptizatos mergunt in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti.

RESPONSIO. Falſum eſt & criminoſum, quia omnes cum aqua baptizant in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, quia eumdem librum, & ejuſdem rubricas, & eamdem conſuetudinem baptiſmi, quam nos habemus, & ipſi habent, & numquam audivimus quod aliquis in eccleſia Armenorum cum vino baptizaret, nec eccleſia Armenorum talem errorem ſuſtinere poſſet. Sequitur.

Catholicon vero tertius a quinquaginta annis citra tenet illud quod tenet eccleſia Græcorum.

RESPONSIO. Catholicon tertius tenet omnia eccleſiæ Græcorum, per quæ convenit cum eccleſia Romana: tamen illud in quo cum eccleſia Romana non convenit, non tenet, nec vult tenere, ſed tenet ſicut ſancta eccleſia Romana. Sequitur.

Conveniunt tamen dicti tres catholici & ſubjecti eorum in iſtis, quod in Chriſto eſt una natura ſicut una perſona, quæ natura eſt divina, & quod non ponunt [aquam] in vino in ſacrificio, nec faciunt feſtum nativitatis Domini XXV. *die Decembris, excepto catholicon tertio, qui a quinquaginta annis citra in iſtis a primis duobus eſt ſeparatus.*

RESPONSIO. Defferentiam tertii catholicon qui eſt in Armenia minori & archiepiſcopi Archamarenſis & catholicon *de Elnanc* ſuperius diximus, & non eſt neceſſe reiterare; ſed illud quod dicit quod Chriſtus eſt una natura ſicut una perſona, & natura iſta eſt divina, omnino falſum eſt, & crimen tam de his, quam aliis quæ de nobis afferunt, ut ſuperius diximus, in multis locis. Sequitur.

Quilibet autem de dictis catholicon, dicit quod ipſe tenet veram fidem, & verum baptiſmum habet, & quod aliqui catholicon ab eo non habent veram fidem, nec verum baptiſmum, & ſic quia ſunt diviſi inter ſe, non eſt una eccleſia inter eos, ſed alia & alia.

RESPONSIO. Contrarietas hæc quæ ponitur de fide & baptiſmo de ſupradictis tribus catholicon falſum eſt crimen, quia catholicon *de Alnanc* & *de Archamar* uniti ſunt omnino in fide, & in baptiſmo, & nos differentiam noſtram ab eis in iſto articulo demonſtravimus.

ART. XXXVIII. *Item, quod Armeni credunt & tenent, quod in aliis eccleſiis ab eccleſiis Armenorum non datur peccatorum remiſſio, quia aliæ eccleſiæ negaverunt veram fidem, recipiendo concilium Calcedonenſe.*

RESPONSIO. Talia verba ſunt dicta a malignis & a ſtultis, & ſunt valde ſpernibilia apud nos & maledicta. Sequitur.

Nec etiam habent unum baptiſmum, quia miſcent aquam in vino in ſacrificio dicentes, quod aqua quæ fluxit de latere Chriſti, virtutem tribuit ſoli ſacramento baptiſmi, & ideo

illæ eccleſiæ, quæ miſcent aquam in vino, baptiſmum perdiderunt, propter quod remiſſio peccatorum non fit apud ipſos, ſed ſolum fit in eccleſia Armenorum.

RESPONSIO. Hæc omnino falſa ſunt, quia ſi eccleſia Armenorum crederet, quod in aliis eccleſiis baptiſmus non eſt, quia miſcent aquam in vino in ſacrificio, baptizatos ab eis rebaptizaret, ſed eccleſia noſtra, ut in XXXVI. articulo diximus, nullum baptizatum ab aliis eccleſiis rebaptizat, & ſicut credit quod habent verum baptiſmum, ita habent & remiſſionum peccatorum. Sequitur.

Et ideo presbyteri Armenorum prohibent ſubjectis ne ſacramenta recipiant ab aliis, quam ab Armenis; quia illa ſacramenta alii non habent.

RESPONSIO. Eccleſia Armenorum maxime in Cilicia ſemper indiviſibiliter omnia ſacramenta ab eccleſia Romana recepit, & dedit eis, maxime ex tunc, quando iterum in caritate ligata fuit cum dicta eccleſia: ſimiliter, & ab eccleſia Græcorum ſacramenta accipiebat, & ei dabat quamdiu diligebant ſe mutuo; ſed poſtquam per diabolum turbatio intravit inter eas, cœperunt declinare ab invicem: tamen Armeni non propter hoc principaliter, quia judicabant eos ſacramenta eccleſiæ non habere; ſed propter invidiam & inimicitiam utriuſque.

ART. XXXIX. *Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod populus ſubjectus uni catholicon poteſt recipere dicta ſacramenta ab alio catholicon vel preſbyteris ejus, & dicta ſacramenta valent dicto populo; ſed epiſcopi & presbyteri unius catholicon non poſſunt recipere ſacramenta ab alio catholicon vel ſubjectis ejus, vel ſi reciperent, talia ſacramenta eis non valerent.*

RESPONSIO. Populus totius eccleſiæ Armenorum individicabiliter de una diœceſi in aliam diœceſim, & vice verſa accipit omnia ſacramenta, & uſque nunc non eſt prohibitum. Simili modo eſt de epiſcopis in *Alnanc* & in *Archamar*, accipiunt mutuo ſacramenta individicabiliter; ſed archiepiſcopus Archamarenſis, ex tunc quod fuit rebellis nobis, & excommunicavimus ſimul cum ſuffraganeis ſuis, non poſſunt participare nobiſcum, niſi primo obediant & abſolvantur ab excommunicatione, in qua ſunt. Similiter & catholicon Alnancenſis cum ſuffraganeis ſuis non participant nobiſcum nec nos cum eis, poſtquam uniti fuimus cum eccleſia Romana. Sed quando conveniunt nobiſcum in unione eccleſiæ Romanæ, non eſt differentia inter nos & ipſos.

ART. XL. *Item, quod Armeni credunt & tenent, quod nullus Armenorum poteſt conſequi remiſſionem peccatorum per epiſcopos vel presbyteros eccleſiæ Romanæ vel Græcæ.*

RESPONSIO. Hæc dicere de epiſcopis & ſacerdotibus Romanis falſum eſt communiter, quia ſicut in XXXVIII. manifeſtavimus, quod ſic eccleſia Armena ſemper tenuit pacem & amorem cum eccleſia Romana, & eamdem opinionem quam pro ſe habuit, & etiam pro eccleſia Romana: tamen de Græcis non dicunt quod populo ſuo non poſſint dare remiſſionem peccatorum, ſed populum ſuum prohibent, ne vadat ad eos. Sequitur.

Sed aliqui ex Armenis dicunt, quod dicta peccatorum remiſſio poteſt fieri in Armenis per epiſcopos & presbyteros Armenorum.

RESPONSIO. Hæc opinio generalis eſt omnium, & non ſolum aliquorum. Sequitur.

Alii vero dicunt, quod epiſcopi vel presbyteri Armenorum nihil faciunt ad peccatorum remiſſionem, nec principaliter, nec miniſteraliter; ſed ſolus Deus peccata remittit: nec epiſcopi vel presbyteri adhibentur ad faciendum dictam peccatorum remiſſionem, niſi quia ipſi acceperunt poteſtatem loquendi a Deo & cum Deo; & ideo cum abſolvunt, dicunt: Deus dimittat tibi peccata tua, *vel:* Ego dimitto tibi peccata tua in terra, & Deus dimittat tibi in cœlis.

RESPONSIO. Hoc quod dicit, quod epiſcopi & preſbyteri Armenorum nihil faciunt ad peccatorum remiſſionem, falſum eſt, & non audivimus, quia licet principaliter dare remiſſionem ſolius Dei eſt, de ſe habet & facit, ſed miniſtrabiliter datum eſt a Deo miniſtris eccleſiæ dimittere peccata. Sed quod dicit Apoſtolus: *Quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Et iterum in evangelio ſufflavit in eis & dixit: *Accipite Spiritum-ſanctum, & quibus remiſeritis peccata, remittentur eis, & cui retinueritis retenta ſunt;* quoniam ſecundum quod accepit a Deo, dare poteſt aliis; ſed pro forma abſolutionis ſciendum eſt, quod licet intentio ſacerdotis, & illius qui confitetur, eadem eſt ſicut veſtra, quia intentio intendit dare, & populus recipere remiſſionem peccatorum; tamen formam non perfecte ponebant, ſed ſic dicebant, ut ſupradictum eſt. Sed ex tunc quod habuimus notitiam Romanæ eccleſiæ, multi de nobis addiſcentes formam ejus, cum eadem forma facimus remiſſionem peccatorum, & docemus alios facere.

ART. XLI. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod poſtquam aliquis peccando perdidit gratiam Dei, numquam poſtea in æquali gratia reſurgit.*

RESPONSIO. Nos dicimus & habemus, quod poſt peccatum cum pœnitentia & gratia Dei poteſt aliquis in æquali & altiori gratia aſcendere, ſicut antiquitus de David propheta, & in novo teſtamento de Petro apoſtolo, & aliis eis ſimilibus.

ART. XLII. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod ſola Dei paſſio ſine omni alio dono Dei, etiam gratificantis, ſufficit ad peccatorum remiſſionem, nec*

nec dicunt quod ad peccatorum remiſſionem faciendam requiratur gratia Dei gratificans vel juſtificans, nec quod in ſacramentis novæ legis detur gratia gratificans.

Responsio. Arbor ex fructu cognoſcitur, ut dicit Veritas Dei, ſive ab operibus Armenorum poteſt agnoſci, quoniam qui hæc dicunt mentiuntur. Armeni vero baptizatos baptizant in remiſſionem peccatorum, abſolvunt & abſolvuntur a peccatis; ſimiliter & alia ſacramenta accipiunt, quæ de Chriſto ſunt ſpirituales medicinæ pro ſalute noſtra data, quoniam credunt, quod ſub velamine viſibilis Dei divina gratia inviſibiliter operatur ſalutem humanam; quoniam ſacramenta non ſolum ſignant vel oſtendunt; ſed etiam dant gratiam ſanctificationis digne recipientibus, & recipientes faciunt placere Deo; & licet omnia ſacramenta habeant gratiam a paſſione Chriſti ſicut a fonte, ſi tamen ſine omni alia gratia Dei ſolum per paſſionem remiſſio nobis fieret, alia ſacramenta vana eſſent, & non baptizati & impœnitentes occiſi ſalvarentur, quod eſt falſum & contra Deum qui dicit: *Qui non regeneratur ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum Dei.* Et Marcus dicit: *Si non pœnitea-mini, peribitis.* Et Matthæus: *Securis ad radicem arboris poſita eſt: omnis arbor quæ non facit fructum bonum abſcindetur & in ignem mittetur.* Item, *Sine gratia Dei data creaturis in auxilium, nullum opus facere poſſunt, nec etiam in eſſe manere.* Quare dicit Apoſtolus: *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Et per gratiam Dei paratur quibuſque recipere donum Dei, & per eamdem gratiam liberum noſtrum arbitrium prohibetur a malo, & excitatur ad bonum; & ſine hac gratia nullus poteſt ſufficienter parare ſe ad ſalutem Dei, ſecundum Apoſtolum, *Et gratia ejus, quæ in me vacua non fuit;* & ſine gratia gratificante gratiam Dei nec lucrari poſſumus, nec creſcere in bonum, nec recipere gloriam, ſecundum Apoſtolum: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.*

Artic. XLIII. *Item, Armeni tenent & dicunt, quod liberum arbitrium humanum non ſufficit ſibi ad peccandum; ſed diabolus facit & inſtigat homines ad peccandum: ita quod ſi dæmones non eſſent, nullus homo peccaret.*

Resp. Sciendum eſt, quod liberum arbitrium naturaliter liberum eſt a neceſſitate, & nulla cauſa extranea ſufficienter cogere poteſt eum, licet aliquando cauſæ extraneæ debilitent eum in malo, ſicut aliqui qui tribulantur a malo, & negant Chriſtum: ideo nos dicimus quod homo libera voluntate elegit bonum per auxilium gratiæ, & malum per defectum gratiæ; ſimiliter quando dicunt homines, quod ſatanas decipit me, dicunt decipere & non cogere, ſicut invenitur xxii. Regum. Etiam *& ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Ergo quando Deus permittit malos ſpiritus ſuper homines, quic-

A quid volunt faciunt.

Artic. XLIV. *Item, licet Armeni orent in miſſa & alibi pro bonis tam ſpiritualibus quam temporalibus adipiſcendis, & pro malis removendis.*

Responsio. Verum eſt hoc, oramus recipere bona ſpiritualia & corporalia, æterna & temporalia, & liberari æternali & temporali a malo. Sequitur.

Pro mortuis tamen non orant, ut in præſenti requiem habeant, ſed tantummodo in futuro.

Responsio. Falſum eſt hoc, quia nos oramus ut animæ mortuorum in præſenti, qui B vadunt ad purgatorium, & ſunt in tormentis, ut quieſcant nunc in anima, & in futuro in anima & corpore, ut cantica & orationes noſtræ pro defunctis teſtantur.

Artic. XLV. *Item, apud Armenos cum aliquis ex eis mortuus eſt, talis obſervatio fit, quod de ſero ducunt animalia munda, ſecundum legem Moyſi, cujuſmodi ſunt oves, capræ & boves, cooperta pannis ſericis ad oſtium eccleſiæ, ad quem locum exeunt clerici dicta eccleſiæ, & ſacerdos benedicit ſali, & de ſale benedicto ponit in ore animalium dictorum, & poſtea cum oleo de lino inunguntur dicta animalia, & deinde effuſo ipſorum ſanguine occiduntur, & de carnibus dictorum animalium ſequenti nocte comedunt* C *clerici cum ſale; ſed ſacerdos qui in craſtinum debet celebrare pro mortuo, non comedit de carnibus dictorum animalium uſque poſt miſſam.*

Responsio. Secundum conſuetudinem Armenorum quando aliquis moritur, parentes mortui, ſi poſſunt & volunt, faciunt benedicere ſal, & benedictum ſal dant animalibus, & animalia illa occidunt, & ſacerdotibus & pauperibus dant comedere, & vigilias & orationes faciunt fieri pro anima mortui, ut Deus aſpiciens ad orationes & eleemoſynas vivorum, mortuis miſericordiam concedat; & hanc conſuetudinem eccleſia Armenorum recepit a S. Gregorio, quia invenitur in hiſtoriis, quod ſacerdotes idolorum, qui per ſanctum Gregorium crediderunt in Chriſto, dicebant B. Gregorio, quod in gentilitate noſtra de nefandis immolationibus habebamus cibaria pro nobis & filiis noſtris; de cetero autem mandet & oſtendat dominatio veſtra cauſam vitæ noſtræ per quam vivemus: tunc ipſe ordinavit eis dare decimas de omnibus, & mandavit populo, ut pro ſacrificiis quæ idolis ante offerebant, illam darent Deo oblationem de mundis animalibus, benedicerent ſal, & darent animalibus; ſed in feſtivitatibus & Dominicalibus, & in magnis feſtivitatibus ſanctorum, ad memoriam mortuorum in Chriſto, & eleemoſynam ad cibum pauperum pro mortuis, & de immolationibus iſtis ordinaverunt dare fidelibus ſacerdotibus partem; tamen illud quod dicunt, quod ducunt animalia in ſero, & animalia ſint ſecundum legem Moyſi, & quod cooperiunt cum ſericis ad portam eccleſiæ, & quod inun-

guntur cum oleo lini, & cetera quæ ſequuntur, non ſunt vera, quoniam nec vidimus, nec audivimus; & ſi in aliquibus locis inveniatur ab aliquibus ſimplicibus, quos neſcimus, talia facientes, de numero beſtiarum reputamus; & ſi quandoque in aliquo tempore fuerunt talia in aliquibus locis, & particulariter, nunc autem nullo modo inveniuntur. Sequitur.

Faciunt autem prædicta, quia dicunt & tenent, quod licet remiſſio peccatorum principaliter fiat per ſanguinem Chriſti; tamen non fieret dicta remiſſio peccatorum, niſi ſanguis animalium prædictorum effunderetur in peccatorum vivorum & mortuorum remiſſionem.

Responsio. Quia lex Moyſi dicit, quod remiſſio peccatorum fit per effuſionem ſanguinis animalium brutorum mundorum, & ſine eo non fit peccatorum remiſſio vivorum & mortuorum. Et Dominus dicit in evangelio, quod ipſe non venit ſolvere legem, ſed adimplere, quam ſolviſſet, ſi peccatorum remiſſio fieret ſine effuſione ſanguinis animalium: tamen ſecundum novam legem credit & habet eccleſia Armenorum, quod per Corpus & Sanguinem Domini fit; quæ celebratur ad propitiationem & remiſſionem peccatorum vivorum & mortuorum, & non per effuſionem ſanguinis animalium, ſecundum legem antiquam; tamen immolationem animalium quare & qua intentione facit eccleſia Armenorum, ſuperius manifeſtavimus, & non eſt neceſſe replicare. Et quia nos ſecundum legem Moyſi non facimus, per hoc patet, quoniam pro vivis faciebant, & nos pro mortuis; licet quandoque pro vivis etiam & altera ceremonialia ſecundum legem antiquam nos non facimus. Quomodo ergo eleemoſyna noſtra ſimilis eſt immolationibus eorum? Ergo falſum eſt quod dicunt hi de nobis. Item, quod quando veritas venit, quod eſt ſacrificium Chriſti, ſacrificia antiquæ legis completa fuerunt, quæ figuræ erant veritatis; ideo non ſolum quod nos facimus ſecundum legem antiquam; ſed abhorremus valde, ſi aliquis de Chriſtianis inveniatur Judaïce vivere. Sequitur.

Et de hoc etiam reprehendit eos Damaſcenus, dicens quod dicti Armeni accipientes de erroribus Judæorum, Sarracenorum, paganorum, & aliorum errantium, de illis erroribus ſuam fidem compoſuerunt.

Responsio. Fidem & confeſſionem eccleſiæ Armenorum mittimus ſanctitati veſtræ, & inde videre poteritis utrum de Chriſti evangelio eſt, & ab apoſtolis ejus eſt, an de errore Judæorum, Sarracenorum & paganorum. Et mentiuntur, quoniam inde manifeſtabitur falſitas eorum qui injuſte contemnunt Armenos. De Damaſceno vero non habemus talia dicta de nobis, ſicut ſuperius fuit dictum: tamen ſi dixerit, ut homo Græcus, tunc non ſolum nobis dixit, ſed vobis plus quam nobis, quod inconveniens putavimus ſcribere. Sequitur.

Et de dicta fide in concilio Manaſgardenſi librum compoſuerunt, qui apud eos vocatur Radix fidei.

Responsio. Nos concilium Manaſgardenſe una cum omnibus determinationibus ſuis reputamus contra veritatem, & a magno tempore citra non recipimus eum, ſicut ſuperius multotiens manifeſtavimus.

Item, quod dicti Armeni obſervant diſcretionem viborum mundorum & immundorum animalium, ſecundum quod lex Moyſi dicit. Artic. XLVI.

Responsio. Licet Armeni aliqua animalia ſeparent & aliquas volucres, & non comedant: tamen hoc non faciunt propter ceremonialia legis Moyſi, ſed propter inconſuetudinem gentis. Qui ſani ſunt, cum gratiarum actione recipiunt omnia ſecundum Apoſtolum. Omnes creaturæ Dei bonæ ſunt, nec eſt aliud dejicibile, iis maxime qui cum gratiarum actione recipiunt, quoniam omnia mundantur per verbum Dei. Sequitur.

Et licet aliqui de Armenia comedunt porcum: tamen ſecundum eos, ſi ſacerdos comederet de porco, poſtea non poſſet expellere dæmones de obſeſſis corporibus, quia, ut dicunt, Dominus expellens dæmones de duobus hominibus, miſit eos in porcos.

Responsio. Illi monachi de Armenis, qui carnes non comedunt, nec carnes porcinas comedunt: licet aliqui particulariter inveniantur in majori Armenia, qui non comedunt, ad quos non pervenit poteſtas noſtra ut corrigantur.

Item, quod [cum] Armeni jejunant diebus jejuniorum inſtitutis inter eos, non comedunt carnes, nec piſces, nec ova, nec caſeum, nec butyrum, nec lac, nec oleum, quia dicunt, quod omnia iſta ſunt quædam carnes. Art. XLVII.

Responsio. Verum eſt hoc, excepto oleo, quod communiter comedunt, & de piſcibus multi comedunt; & cauſam quam dicunt non comedendi, dicentes quod ſunt quædam carnes, hoc falſum eſt, quoniam non propter hoc quod dicit, non dimittimus comedere; ſed quia ab eccleſia noſtra prohibita ſunt, & quia habemus exemplum a Chriſto, ab apoſtolis, & a ſanctis patribus in Thebaïda, qui in diebus jejuniorum ab omni pinguedine & ſapido cibo abſtinebant, ad affligendum & ſubjiciendum corpus, ut dicit apoſtolus, quod per neceſſitates & deſideria ſe ipſos crucifigebant. Sequitur.

Comedunt autem herbas, panem & vinum: poſſunt tamen comedere, quotiens volunt, illis diebus quibus jejunant.

Responsio. Hoc quod dicit quod comedunt, verum eſt, & alia multa cibaria de ſeminibus & fructibus, & de dulcibus etiam comedunt: illud tamen quod dicit, quod poſſunt comedere quotiens volunt in diebus jejuniorum, licet in jejuniis hebdomadarum

& in quarta & sexta feria, verum est, & pauci sunt qui solum semel comedunt; sed in diebus jejuniorum quadragesimæ, abstinent usque ad horam nonam, & plures semel comedunt, exceptis quibusdam vitiosis, qui nolunt facere secundum legem, sed secundum voluntatem; & exceptis laborantibus & infirmis, pauperibus, prægnantibus & lactantibus. Sequitur.

Dicunt & prædicant, quod illi qui in diebus jejuniorum comedunt pisces, ova, caseum, butyrum & oleum, sunt maledicti & infideles, & extra fidem constituti, & sunt ab ovili Christi separati.

RESPONSIO. Ista sunt verba rixæ & contrarietatis, quoniam qui Christi sunt, secundum apostolum faciunt, qui dicit: *Is qui manducat, non manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non judicet.* Et, *qui manducat, Domino manducet, gratias enim agit Deo; & qui non manducat, Domino non manducet, & gratias agit Deo.* Et non maledicimus, nec dicimus, nec credimus, quod propter cibaria separati sint comedentes ab ovili Christi. Et si quandoque aliqui dicunt talia verba, sicut superius dicitur, propter rixas & controversias dicunt, non secundum legem.

ART. XLVIII. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod si Armeni committunt semel quodcumque crimen, quibusdam exceptis, ecclesia eorum potest absolvere eos tantum ad culpam & pœnam de dictis criminibus; sed si aliquis commiserit dicta crimina iterum, absolvi non possunt per eorum ecclesiam.*

RESPONSIO. Hoc falsum est, & contra doctrinam Christi, cui credimus & obedimus: qui dixit Petro, Dimitte peccanti, non septies, sed septuagies septies. Item, secundum consuetudinem ecclesiæ nostræ, quotiescumque peccatores pœnitentes veniunt ad confessionem, audimus eorum confessionem, & secundum demerita pœnitentiam injungimus; tamen si confessor ignorat mederi, mittit eum ad magistros vel ad episcopos. Quare falsum dicit, quod si quis committeret dicta peccata iterum, absolvi non posset per eorum ecclesiam; & licet absolvimus peccatorem a peccatis, non tamen a pœna communiter.

ART. XLIX. *Item, dicunt quod si aliquis eorum post baptismum acceptat primam & secundam uxorem, absolvi potest per eos; quod si accipiat tertiam & quartam & deinceps, non potest absolvi per eorum ecclesiam; quia dicunt, quod tale matrimonium fornicatio est, & talem habent pro pagano: ita quod nec erit in fine communicandus, neque ducunt de domo sua ad sepeliendum per portam domus; sed frangunt parietes domus, & per foramen parietis educunt corpus ejus; nec missam celebrant, nec sepultura ecclesiæ eum sepeliunt, sed faciunt de eo sicut de pagano.*

RESPONSIO. Armeni qui non sunt uniti ecclesiæ Romanæ in majori Armenia, secundum consuetudinem Græcorum duas uxores accipere putant esse legitimum; sed tertiam & quartam & deinceps adulterium putant. Tamen, quando illi qui tertiam uxorem vel quartam acceperunt, convertuntur, ad pœnitentiam recipiunt, & faciunt pro eis & in vita & in morte, sicut pro aliis peccatoribus: ideo illud quod dicit, quod tales putant paganos, & in morte non communicantur, & quod non extrahant per portam domus, & talia opprobria quæ dicit contra eos, falsum est, nec alias vidimus, nec audivimus. Nos vero de Cilicia, & qui obediunt nobis, postquam uniti fuimus cum ecclesia Romana, qui recipiunt tres vel quatuor, & sic deinceps unam post aliam, recipimus eos, & alios Christianos legitime nubentes. Sequitur.

Si tamen ille qui recipit tertiam uxorem dum vivit, eam dimittit sic, ut postea non revertatur ad eam, recipiunt eum ad pœnitentiam, & imponunt ei XV. *annos pro pœnitentia, sic quod in dictis annis non comedat carnes, pisces & supradicta lacticinia; & si dictam pœnitentiam perfecerit, & postea moriatur, faciunt de eo, sicut de alio Christiano in vita & in morte.*

RESPONSIO. Verum est hoc, quod recipiunt ad pœnitentiam tales in majori Armenia, sicut & alios peccatores; tamen non sic, sicut dicitur in articulo.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod si aliquis ante susceptionem ordinis sacri commisit aliquod peccatum luxuriæ carnalis exterioris, quod ille habet confiteri confessori dictum peccatum. ART. L.

RESPONSIO. Verum est quod ecclesia Armenorum omnes quos ordinat, prius facit eos confiteri, postea ordinat. Sequitur.

Deinde episcopus qui ordines facit, interrogat dictum confessorem, si ille est dignus ordinari. Cui sacerdos respondet, quod non, & sic repellitur a susceptione ordinis sacri.

RESPONSIO. Verum est hoc, quod antequam essemus uniti cum ecclesia Romana, tales defectus fiebant, ut superius dicitur; tamen non communiter, ut supra; & adhuc aliqui in majori Armenia, qui non obediunt nobis, forte sic faciunt. Sequitur.

Si vero postquam ordinatus est commiserit tale peccatum luxuriæ, oportet quod si absolvi velit, quod confiteatur confessori suo, & tunc ille confessor deponit eum ab executione ordinis; & si postea exsequatur actus dicti ordinis, dictus confessor dicit hoc episcopo in præsentia aliorum, & cum qua vel cum quo peccaverit, revelat.

RESPONSIO. Communiter hoc non est verum; tamen principaliter possibile est esse inique; sed ubi potestas nostra pervenit, non

dimittimus tales ſine pœna tranſire. Sequitur.

Mulieres etiam cum quibus tales peccaverint, jactant ſe dicendo: Ego depoſui talem ſacerdotem.

RESPONSIO. Poſſibile eſt, quia aliquando fuerunt talia; ſed tamen quando inveniuntur, puniuntur. Sequitur.

Ex quo contingit apud Armenos, quod multi ſunt qui dicta peccata nolunt confiteri dum vivunt, ne repellantur a ſuſceptione ſacrorum ordinum; & ſi eos ſuſceperint, ne poſtea deponantur ab ordinis executione.

RESPONSIO. Sciendum eſt, quod plures propter timores & verecundiam non confitebantur, ut putamus; nunc autem omnes confitentur.

ART. LI. *Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod iſta peccata ſunt irremiſſibilia, nec eorum eccleſia poteſt hæc peccata remittere, quia Chriſtus non dedit eccleſiæ poteſtatem, quod talia peccata remittat, ſcilicet ſi aliquis peccatum luxuriæ committat in ore hominis vel mulieris.*

RESPONSIO. Tale quod numquam nos audivimus. Sequitur.

Et ſi blaſphemat Chriſtum, vel fidem Chriſtianam, aut crucem, & tales blaſphemos non reputant Chriſtianos, nec ſacramenta eccleſiæ eis miniſtrant dum vivunt, nec quando moriuntur faciunt eis ſicut de Chriſtianis; nec eorum filios reciperent ad baptiſmum, niſi convertantur, & pœnitentiam agant.

RESPONSIO. Hæc omnia falſa ſunt, quoniam omnia peccata quæ confitentur & pœnitentur, remittuntur, ſicut Chriſtus dedit eccleſiæ poteſtatem, & eccleſia noſtra facit, excepta finali impœnitentia, quod eſt irremiſſibile apud nos. Ideo eccleſia noſtra non pœnitentibus & induratis in peccatis, qui in hora mortis etiam non avertuntur a peccatis, non dat eis ſacramenta eccleſiæ. Tamen numquam hæc audivimus nec vidimus, quod pueri geniti a peccatoribus parentibus, puniantur pro peccato parentum, non dando eis caracterem baptiſmi; quod eſt valde falſum & deſpectuoſum, & contra prophetam dicentem: *Filius non portabit iniquitatem patris ſui.*

ART. LII. *Item, quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod ſi aliquis commiſerit ſemel peccatum adulterii, ſodomiæ, beſtialitatis, vel homicidii, vel apoſtaſiam a fide, faciendo ſe Saracenum, vel Judæum; & etiam ſi aliquis dicat, quod in Chriſto ſunt duæ naturæ & una perſona, poteſt abſolvi per eorum eccleſiam, non tamen debet communicari, niſi in fine vitæ ſuæ.*

RESPONSIO. Hoc verum eſt, exceptis duobus. Primum, quod dicit quod tales peccatores non debent communicari niſi in fine vitæ; quia talibus peccatoribus, quando conteruntur, & confitentur peccata ſua, & pœnitentiam peregerint, damus eis ſacramenta. Secundum eſt quod dicit, quod ſi aliquis dicat, quod in Chriſto ſunt duæ naturæ & una perſona, duplici modo intelligimus hoc; ſi dicentes dicunt duas naturas diviſas in Chriſto, ſicut Neſtorius, tales infideles reputamus: ſed qui dicunt duas naturas unitas in una perſona Filii Dei, quod credidit eccleſia noſtra, & credit firmiter, & hoc peccatum non putamus, ſed potius juſtitiam, ſanctitatem & veritatem, ſicut ſuperius diximus. Sequitur.

Et ſi quis commiſit dicta peccata vel etiam alia pluries, non poteſt abſolvi per eccleſiam, niſi prima vice; & ſi poſtquam ſemel confeſſus fuerit & abſolutus de aliquo peccato, de prædictis iterato committat dictum peccatum, prima abſolutio non valet.

RESPONSIO. Falſum eſt hoc, quia eccleſia Armenorum ſemper recipit pœnitentes, ſive ſint peccata ejuſdem ſpeciei, ſeu alterius ſpeciei; & prima abſolutio valet confeſſis, licet in peccata confeſſa recidivent.

Item, quod dicti Armeni dicunt & tenent, ART. LIII. *quod ſi ſacerdos habens uxorem, cum ipſa committat ſodomiam, non peccat, nec ſi hoc confiteatur, deponitur, ſed in hoc derelinquitur conſcientiæ ſuæ quod confiteatur, vel non confiteatur ſi vult.*

RESPONSIO. Sodomitæ, ut habemus ex ſacra ſcriptura, propter gravitatem turpitudinemque peccati, cum maximis pœnis puniti fuerint a Deo, ſicut ſodomitæ & gommoritæ, propter quod ſi aliquis de ſæcularibus inveniatur in hoc peccato, punitur: Ergo multo plus clerici, ſi inveniantur in hoc peccato; ſed mirum eſt quod dicit, quod ſi ſacerdos ſodomiam committat cum uxore, non peccat, & relinquitur conſcientiæ ſuæ confiteri & non confiteri. Unde poteſt hoc probari? ipſe ſibi contradicit ubi in 50. articulo peccatum fornicationis aggravat, & hic ſodomiam peccatum non dicit; ex quo patet quod falſum eſt.

Item, quod inter Armenos catholicon & ART. LIV. *epiſcopi excommunicant Armenos ſine omni culpa excommunicatorum, & nulla monitione præmiſſa, ſicut placet eis.*

RESPONSIO. Falſum eſt communiter, quoniam nos pro peccatis excommunicatorum monemus homines: ſi audiant & dimittant peccata, bonum eſt: tamen ſi non obediant, tunc excommunicamus, licet multotiens propter debilitatem noſtram & injuſtitiam tyrannorum excommunicandos etiam excommunicare non poſſimus; & hoc etiam multotiens accidit in eccleſia Dei nobis & aliis, quia injuſti prælati injuſte communicant populum ſuum propter vitia ſua. Sequitur.

Et dicunt quod excommunicati per eos non poſſunt abſolvi de aliquo peccato, niſi per catholicon vel epiſcopos, qui eos excommunicaverunt.

RESPONSIO. Excommunicatos a catholicon,

sine verbis & auctoritate catholicon, nullus de episcopis potest absolvere. Excommunicatos vero ab episcopis, si injuste fuerit factum, catholicon justitiam faciens absolvit eos, vel absolvere facit. Sequitur.

Si tamen vadant ad alium catholicon vel episcopos alii catholicon subjectos, possunt absolvi per eos a dicta excommunicatione & peccatis suis.

Responsio. Verum est hoc, quia sunt inobedientes & injusti; quia quod de jure non possunt facere, injuste faciunt; & ecclesia corrigere non potest, quia sub potentia infidelium sunt. Sequitur.

Dicunt & tenent quod excommunicatis non debent sacramenta ecclesiastica ministrari.

Responsio. Verum est hoc. Sequitur.

Et si aliquis excommunicatus moriatur, amici ejus vadunt vel mittunt ad illum qui eum excommunicavit, & dant ei pecuniam, vel alias res valentes pecuniam, prout conveniunt cum eo; & tunc excommunicans dat eis licentiam, quod ipsum sepeliant ecclesiastica sepultura, & quod faciant pro eo illa quæ supradicta sunt de animabus, non tamen aliter absolvunt illum ab excommunicatione.

Responsio. Si excommunicatus in die mortis pœnitet de peccatis, & rogat præsentes, ut vadant ad excommunicantem, rogare eum, ut pacificetur, reddendo debitum, si possibile est; etsi non misericordiam petere, tunc excommunicans convenit cum eis, & dat licentiam facere ei sicut & aliis Christianis. Multotiens vero injusti episcopi & officiales eorum faciunt injustitiam, sicut scriptum est hic & prius.

Art. LV. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod excommunicationis sententia etiam juste lata, & secundum Domini ordinationem, quia monitus non vult ecclesiæ obedire, nec se de peccato quod commisit emendare, non excludit a regno Dei, quia ita bene excommunicatus vadit ad regnum Dei.*

Responsio. Falsum est hoc, quia tale opus infidelium est, qui spem gratiæ ecclesiæ non habent, nec bonorum spiritualium, ut dicit apostolus: *qui terrena cogitant solum, quorum abstractum est cor, alienati sunt a vita Dei*; generatio vero Armenorum maxime sæculares turmæ, valde timent ab excommunicatione vel juste vel injuste [lata.] Sed si Armeni excommunicationem nihil putent, ut dicit, quo modo ergo in LIV. articulo
» contra se dicit, Armeni dicunt & tenent,
» quod excommunicatis non oportet dare sa-
» cramenta. Item, Si aliquis excommunicatus
» moriatur, parentes ejus vadunt & mittunt
» ad eum qui excommunicavit eum, & con-
» veniunt cum eo, &c. Hinc patet quod falsè dicunt. Sequitur.

Sed fornicatio, homicidium, adulterium, & si sacerdos accipiat secundam uxorem, & si aliquis ex Armenis dicat esse in Christo duas naturas, & duas voluntates, & duas operationes, & unam personam; ista excludunt a regno Dei, & non excommunicatio lata propter inobedientiam ecclesiæ. Unde Armeni parum vel nihil reputant excommunicationem valere.

Responsio. Verum est quod peccata quæ a lege divina prohibita sunt, operantes sine contritione & pœnitentia excludunt a regno, & peccata quæ sunt contra canones & statuta ecclesiæ, sicut in ecclesia Armenorum confirmatum est per synodum, quod sacerdos unam uxorem habeat & non plures, & qui plures accipiunt, peccant, & si impœnitentes moriantur, pereunt; sed de duabus naturis, & duabus voluntatibus & duabus operationibus & una persona quo modo intelligimus in Christo, respondimus supra in multis locis.

Art. LVI. *Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod si aliquis fuisset baptizatus in ecclesia, & postea lapsus fuisset in hæresim vel in apostasiam a fide, faciendo se Saracenum, vel Judæum, & deinde vellet reverti ad ecclesiam Armenorum, non rebaptizaretur, sed solum cum chrismate inungeretur, nec aliter absolvatur; imponitur tamen ei, quod vadat ad locum illum in quo commisit apostasiam a fide, & ibi coram omnibus confiteatur peccatum suum, & abneget illam perfidiam quam commisit.*

Responsio. Verum est hoc, quia baptizatos iterum non baptizamus; sed apostatantes a fide Christi secundum septimum canonem Laodicensem, sive etiam secundum canonem Constantinopolitani concilii, qui mandat primo abrenunciare hæreses in quas crediderunt, & confiteri orthodoxam fidem, & eos ungere cum oleo sancto in fronte. Sic & nos quandoque facimus, tamen non injungimus conversis iterato ire ad locum ubi negaverunt Christum, nisi forte ipsi voluerint; & si aliquis confessor interrogaverit conversum, utrum valuerit ire ad locum illum ubi negavit Christum, & confiteri eum, & ipse respondeat, non, propter hoc non dimittitur recipi ad gratiam. Sequitur.

Si tamen aliquis fuisset baptizatus in ecclesia alicujus catholicon Armenorum, & postea converteretur ad fidem Romanæ ecclesiæ vel Græcæ; si postea vellet venire ad ecclesiam primam, in qua fuerat prius baptizatus; illa ecclesia sic baptizaret eum, ac si numquam baptisatus fuisset & semper fuisset Saracenus vel paganus. Si vero aliquis fuisset primo baptizatus in ecclesia Romana vel Græca, & postea vellet venire ad ecclesiam Armenorum: illa ecclesia ad quam veniret, rebaptizaret eum, ac si numquam baptizatus fuisset, sed semper fuisset paganus vel Sarracenus.

Responsio. Falsum est hoc ut in XXXVI. articulo sufficienter manifestavimus & respondimus, ubi hoc etiam dicit quod & hic. Sequitur.

Et quod Armeni ideo dicunt, quod baptizati in ecclesia Romana vel Græca, quando veniunt ad ecclesiam Armenorum, rebaptizari debent; quia ecclesia Romana vel Græca in eo quod dicunt duas naturas esse in Christo, fidem negaverunt; & ex eo quod ponunt aquam in vino in sacrificio, non habent aquam baptismi, quia aqua quæ fluxit de latere Christi, non potest servire in sacramento baptismi. Unde cum ponatur aqua in sacrificio per dictas ecclesias, eædem ecclesiæ non habent baptismum, quia non habent verum chrisma, sine quo verum baptisma non datur; & propter prædicta, quia ecclesia Latina & Græca non habent verum baptisma, sed solum ecclesia Armena dictum baptismum verum habet, quia contraria dictis ecclesiis tenet & habet; & ideo ecclesia Armena baptizat baptizatos in ecclesia Latina vel Græca, quando veniunt ad eam.

Responsio. Causæ baptismi quod ecclesia Armenorum baptizat baptizatos a Latina ecclesia vel Græca, ut dicunt detractores Armenorum, tres sunt. Primo quia Romana ecclesia & Græca dicunt duas naturas esse in Christo. Secunda, quia aquam ponunt in sacrificio. Tertia, quia non habent verum chrisma; sed ecclesia Armenorum numquam baptizavit, nec nunc baptizat baptizatos a supradictis ecclesiis. Ergo falsum & criminosum est, quod dicunt de nobis.

Art. LVII. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod verum chrisma sic conficitur, quod habent diversos flores aromaticos, & alios quos invenire possunt in die ramis palmarum, & illos decoquunt in vino, & deinde dictum vinum accipiunt, & per quatuor dies ante diem cœnæ ponunt dictum vinum in oleo, decoquunt insimul, & astant tunc multi episcopi & sacerdotes, dicentes multas orationes dum hæc decoctio fit; & deinde die cœnæ accipitur unus flasco de dicto oleo, & in ipso flascone ponit catholicon balsamum, & postea catholicon celebrat missam; & quando catholicon elevat corpus Christi, unus episcopus qui adstat ei, elevat dictum flasconem, & catholicon dicit orationes. Deinde de dicto flascone ponitur in diversis vasis quæ stant ibi juxta altare, & sic verum chrisma conficitur solum per catholicon modo prædicto.*

Responsio. Verum est hoc, exceptis duobus, primo quia cum vino non decoquimus, & secundo quia in oleo vinum non immiscemus; sed odoriferos flores & aromata decoquimus in aqua, ut accipiat aqua odorem suavitatis; & post hæc accipimus aquam illam claram & odoriferam, & in dicta aqua decoquimus oleum usque totaliter quod deficit aqua, & remanet solum in oleo odor suavitatis, & hoc ideo facimus, ut incorrupte & odorifere remaneat, & ut propter longitudinem temporis non corrumpatur; quia in multis provinciis, ubicumque sunt obedientes nobis, de nobis recipiunt oleum unctionis sive chrisma; & episcopi qui sunt sub potestate nostra, & sub dominio infidelium, a nobis prohibiti sunt consecrare chrisma, ut non propter distantiam sint rebelles nobis. Et balsamus miscetur simul cum oleo, & simul consecrantur in vase super altare, licet tantum unus flasco elevatur, ut populus videat. Sciendum, est quod alias orationes non dicunt, nisi quatuor evangelia leguntur quando decoquitur crisma. Sequitur.

Et sine tali chrismate non potest dari verus baptismus.

Responsio. Falsum est hoc, quia licet non sic facimus, sicut diximus, tamen baptizatos cum chrismate aliarum ecclesiarum veraciter habemus baptizatos, & non despicimus, & supradictam falsam opinionem alias non audivimus. Sequitur.

Unde contigit apud eos, quod pueri portati ad baptismum, quia sacerdos non habet de dicto chrismate, vel illi qui puerum portaverunt, nolunt tantum dare quantum sacerdotes vellent, frequenter moriuntur sine baptismate.

Responsio. Licet secundum consuetudinem gentis nostræ sacerdos semper chrisma & corpus Christi custodit, tamen si contingat in aliquo loco, quod chrisma non inveniatur, & necessitas erit baptizandi, tunc baptizant solum cum aqua, & baptizati sunt; & licet sacerdotibus, qui baptizant, dent unum dragma, vel plus secundum voluntatem dantis; sed numquam audivimus, quod sacerdos quando baptizat, acceperit pretium pro chrismate, quare falsæ dicunt. Sequitur.

De quibus pueris dicunt Armeni, quod in die judicii baptizabuntur de sanguine qui fluxit de latere Christi: quia, ut dicunt, quando Christus moriebatur in cruce, luna descendit, & accepit sanguinem Christi, qui adhuc manet in luna, & ex hoc apparet aliqua nigredo in luna, quæ prius non apparebat: in die autem judicii effluet dictus sanguis de luna, de quo baptizabuntur dicti parvuli, quod sic possint intrare regnum cœlorum.

Responsio. Hoc omnino falsum est, nec audivimus usque nunc, & valde miramur de tam falsa compositione. Tamen notandum est, quod in IX. articulo contrarium dicunt. Armeni dicunt quod non baptizati pueri, post generale judicium ibunt ad paradisum terrestrem & non cœlestem.

Art. LVIII. *Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ad hoc quod sit baptismus verus, ista tria requiruntur, scilicet aqua, chrisma [quod] modo prædicto factum est, eucharistia: ita quod si aliquis baptizaret in aqua aliquem dicendo*: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti amen, *& postea non ungeretur dicto chrismate, non esset baptizatus. Si etiam non daretur ei Eucharistia, sacramentum baptismi ratum non esset.*

Responsio. Licet secundum consuetudi-

nem ecclesiæ nostræ noviter natis tria sacramenta simul damus. Primo baptizamus tali modo, quod sacerdos ponit puerum in aqua fontis, & accipit de eadem aqua sancta, in qua stat puer, & ponit super verticem pueri, dicendo : *Talis veniens de catechumenio ad baptismum, baptizetur in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti amen.* Et post hæc cum chrismate confirmant eum ad modum crucis in fronte pueri, & dicunt : *Oleum suave in nomine* Jesu Christi *fusum super te, sit caracter divinus & cœlestis donorum in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti amen.* Et cetera alia, & postea puerum baptizatum communicant sic : cum corpore Christi sicco tangunt labia pueri, & reponunt; & si sacerdos celebrat & in tempore illo baptizatur puer, tunc modicum sacerdos digitum suum tingit in sanguine, & inde tangit labia pueri, & hoc fit secundum consuetudinem ecclesiæ Græcorum tantum. Si necessitas contingat baptizandi, ubi chrisma & corpus Christi non inveniuntur, tunc baptizant cum sola aqua, & baptismus est, sicut in LVII. articulo diximus. Ideo non est verum quod dicunt, quod baptizati sola aqua in tempore necessitatis, qui non fuerunt uncti cum chrismate, vel communicati de corpore Christi, baptizatos non putant esse. Sequitur.

Et etiam apud eos non baptizantur pueri quo usque habeant VIII. *dies.*

Responsio. Hoc falsum est, quia post & etiam ante baptizamus, & secundum voluntatem parentum, & necessitatem noviter natorum. Sequitur.

Et tunc species sacramenti Eucharistiæ liquefiunt in aqua vel vino, & ponunt in ore pueri baptizati, & sic accipiunt eucharistiæ sacramentum, & tunc dicuntur vere baptizati : quæ tria si non fierent, Armeni non reputarent puerum vere baptizatum.

Responsio istius prius fuit habita, sed illud quod dicunt, quod balneant in aqua vel in vino, omnino falsum est. Sequitur.

Dicunt etiam quod pueri baptizantur in peccatorum remissionem, tamen nullum peccatum habent.

Responsio. Falsum est hoc; quia pueri baptizantur in remissionem peccati originalis, ut Armeni dicunt & credunt, & hoc sufficienter ostendimus in articulis IV. & in XIII. Sequitur.

Adulti vero baptizantur in remissionem peccatorum, non quia in aqua baptizantur; sed quia dicto chrismate inunguntur, & accipiunt Eucharistiæ sacramentum.

Responsio. Falsum est hoc, quia Armeni in unctione non petunt remissionem peccatorum, sed gratiam; quoniam remissionem peccatorum in aqua fontis baptismatis recepit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, quæ est ante unctionem & communionem : & in LXX. articulo dicit aliam falsitatem contra istam, quod Armeni non dicunt vel tenent, quod sacramentum Eucharistiæ digne susceptum operetur in suscipientem remissionem peccatorum, vel pœnarum debitarum pro peccato relaxationem; vel quod per ipsum detur gratia Dei, vel ejus augmentum : ex quibus patet quod falsum dicunt, quod corpus Christi operetur remissionem peccatorum in suscipientibus digne, & non operetur simul. Hoc falsum est & impossibile.

Item, quod Armeni diversimode baptizant, & quantum ad materiam, & quantum ad formam baptismi. Quantum ad materiam quidem, quia aliqui, licet pauci, baptizant in vino puro : alii vero in lacte, alii vero communiter in aqua. Art. LIX.

Responsio. Omnino falsum est & crimen, quoniam materia baptismatis Armenorum est sola aqua, in qua Christus baptizatus fuit, & quæ exivit de latere Christi ad ablutionem nostram, & etiam a Christo audivimus quod in evangelio dicitur : *amen amen dico vobis, qui non fuerit renatus ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare regnum Dei.* Ideo ecclesia Armenorum dixit in oratione baptismi : *Concede aquam istam in qua baptizatur iste nunc in remissionem peccatorum, & receptionem Spiritus sancti, & adoptionem patris cœlestis, & ad hereditatem regni cœlorum, ut mundatus a peccatis, in beneplacito tuæ voluntatis stet in hac vita, & in futuram bonum indeficiens hereditabit.* Et cum lacte & vino baptizare numquam vidimus, nec audivimus, nec in libris nostris hoc invenitur. Ideo possumus dicere cum propheta *sepulcrum patens est guttur eorum, & linguis suis dolose agebant.* Sequitur.

Quantum vero ad formam, nulla formæ baptismi certa est apud eos, sed quilibet episcopus vel presbyter ordinat sibi formam in qua baptizet.

Responsio. Falsum est hoc, quoniam forma baptismi ecclesiæ Armenorum una est, & non alia; & talis est ista, quod sacerdos ponit puerum in fonte baptismatis, accipit aquam benedictam, in qua stat puer & ponit super verticem pueri, dicendo : *Talis veniens a catechumeno ad baptismum, baptizetur in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Aliqui autem mergunt ter in aqua ter recipiendo dictam formam. Hæc est forma ecclesiæ nostræ. Sed quod quilibet episcopus vel sacerdos componat sibi formam specialem & baptizet, numquam vidimus, nec audivimus, nec scimus. Sequitur.

Et modum baptizandi tenet quem vult. Aliqui enim ex eis qui in aqua baptizant, non nominant dum baptizant tres personas divinas : dicendo : Baptizetur iste in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, *sed dum baptis-*

mum in aqua lavant, dicunt evangelium ab illo loco: Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Johannem *usque ad illum locum*: Et vox facta est dicens: Hic est filius meus. *Alii vero dum baptisatum lavant.* Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. *Alii vero dum baptizatum lavant, dicunt antiphonam scilicet* Dum erant apostoli in cœnaculo, repente venit sonitus tamquam spiritus vehemens cum magna voce, & accendit eos in igne sine ardore. *Dicunt etiam illam antiphonam:* Repente descendit Spritus-sanctus in similitudinem gloriæ super apostolos. *Et aliam etiam quæ talis est*: Benedictio in excelsis Spiritus-sancti procedentis a Patre, per quam inebriati sunt apostoli vino immortali, & invitaverunt terram ad cœlum.

Responsio. Quia sicut materia & forma ecclesiæ Armenorum uniformes sunt, ut superius est dictum, similiter & modus baptismatis per totam ecclesiam Armenorum per unum modum est; & differentias istas quas dicit in articulo, modo quo dicuntur, nec habemus, nec in libris nostris invenimus, quia licet dicamus: *Vox Domini super aquas*, quando aquam ad fontem baptismatis ponimus, & post hæc legimus de Ezechiele: *Hæc dicit Dominus: accipiam vos, &c.* & ab apostolo, *Ergo lex pædagoga, &c.* Et post hæc evangelium: *Et erat homo ex pharisæis nomine Nicodemus, &c.* Et post hæc duæ orationes, & post hæc baptizant in fonte baptismi in aqua, *in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Et post hæc sacerdos tenens puerum in fonte dicit hoc evangelium: *Tunc venit Jesus de Galilæa in Jordanem ad Johannem, &c.* usque illuc. *Exivit* Jesus *velociter de aqua illa.* Et quando verbum hoc dicit, extrahit puerum de fonte & ponit puerum in ulnis compatris, & post hæc dicunt: *Pater noster*, & aliqua talia cantica. Et sic est modus baptismi nostri, & non sicut superius dicunt. Sequitur.

Illi vero qui baptizant in vino, dum lavant illum qui baptizatur, dicunt. Ego te lavo in vino, ut sis fortis & non patiaris frigus. *Illorum vero qui baptizant in lacte non exprimitur aliqua forma.*

Responsio. Hæc sunt verba falsa, sicut superius diximus, & detractiones. Sequitur.

Aliqui vero dum lavant baptizando, dicunt, quod ipsi vellent committere turpia cum matre pueri, qui baptizatur.

Responsio. Istud est verbum turpe & obprobriosum sacramentis Dei, & grave auditui nostro, & est inconveniens ponere in scriptis. Sequitur

Aliqui etiam ex Armenis quando ponunt baptizandum in aqua, dicunt: Baptizetur talis in nomine Patris & filii & Spiritus-sancti. *Et deinde cum baptizandum lavant, dicunt iterum eadem verba; & deinde quando extrahunt de aqua, dicunt eadem verba.*

Responsio. Sciendum est, quod quia communiter omnes Armeni sic faciunt, quia sive mergant puerum in aqua, sive fundant super caput, pro qualibet vice mergendi & effundendi aquam, dicitur: *Talis veniens a catachumeno ad baptismum, baptizetur in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti.* Nunc autem nos communiter secundum consuetudinem ecclesiæ Romanæ dicimus semel tribus sub mersionibus & effusionibus aquæ factis, cum ista forma: *Ego baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*; sed illud quod dicunt, quod quando ponitur & extrahitur, dicitur forma baptismi, non est verum, sed in baptizando verum est. Sequitur.

Et deinde inungunt baptizandum cum chrismate in oculis, in auribus, in ore, sub aselis, in genu & sub genu, in pedibus & in plantis pedum, dicendo certa verba; & postea baptizatum communicant de sacrificio altaris, & sic, ut dicunt, homo plene & vere est baptizatus & aliter non.

Responsio. Verum est hoc, excepto hoc, quod sub asella nec sub genu non ungunt, sed bene alia loca, sicut supra scriptum est, & ultra ungunt concavum manus, pectus & humeros, quæ non dicunt: modum autem communionis in LVIII. articulo manifestavimus.

Item, quod si aliquis Armenus baptizatus in aqua vel vino aut lacte modis supradictis, etiamsi dum baptizaretur in aqua dicatur: Baptizetur iste in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, *transeat ad ecclesiam Latinum vel Græcam, & postea revertatur ad primam ecclesiam, ita rebaptizatur, ac si pagánus semper fuisset. Si vero de ecclesia unius catholicon transeat ad ecclesiam alterius catholicon, ille catholicon ad cujus ecclesiam vadit, facit eum negare fidem illius catholicon, qui eum baptizavit, & chrismat eum modo prædicto, dicens quod chrisma alterius catholicon nihil valet, nisi suum, non tamen rebaptizat eum excepto catholicon Armeniæ minoris, qui baptizatos chrismatos in ecclesiis catholicon majoris Armeniæ venientes, ad ecclesiam minoris Armeniæ rebaptizat, & chrismat modo supradicto.* ART. LX.

Responsio. Hæc omnia quæ hic in LX. articulo dicunt, sunt totaliter falsa & verba inaudita.

Item, Armeni dicunt quod virtute sacramenti baptismi baptizatus fit membrum ecclesiæ, & potest participare sacramentis & efficitur Christianus, & post finale judicium, nisi aliud obsistat, intrabit regnum cœlorum. ART. LXI.

Responsio. Vera sunt hæc, nunc autem intrant in vitam cum anima, & post generale judicium intrabunt cum anima & corpore, sicut in VII. articulo & alibi in multis locis.

Item,

ARTIC. LXII. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod licet in eorum ordinario antiquo dicatur, quod per baptiſmum datur remiſſio peccatorum; ipſi tamen hoc ſic expoſuerunt, quod hoc veritatem non habet de pueris, qui in ætate puerili baptizantur infra ætatem* XII. *annorum, quia tales reputant innocentes & ſine peccato, quia Armeni pro maximo peccato habent peccatum luxuriæ, quod committere non poſſunt tales pueri; ſed de illis qui baptizantur poſtquam peccatum luxuriæ commiſerunt, dicunt quod tales baptizantur in remiſſionem peccatorum.*

RESPONSIO. In quarto articulo & in decimo tertio, & in quinquageſimo octavo ſufficienter manifeſtavimus falſum eſſe quod dicunt, quia parvuli baptizantur in remiſſionem originalis peccati, & adulti in remiſſionem originalis & actualis peccatorum. Notandum eſt autem quod in LVIII. articulo dicunt, quod adulti in aqua baptizati non recipiunt remiſſionem peccatorum; & hic dicunt quod qui baptizantur poſtquam peccatum luxuriæ commiſerunt, quod tales baptizantur in remiſſionem peccatorum, ex quo patet quod falſum eſt & dicunt. Sequitur.

Tenent etiam dicti Armeni, quod illi qui non commiſerunt peccatum luxuriæ, ſunt virgines & innocentes, etiamſi non baptizati decederent.

RESPONSIO. Licet non baptizati ſecundum corpus poſſunt vocari virgines, nondum corrupti corpore, innocentes vero non, quia habent maculam originalis peccati, maxime ſi cum actuali peccato etiam peccaverunt.

ARTIC. LXIII. *Item, apud Armenos utriuſque Armeniæ non datur ſacramentum confirmationis, quia, ut dicunt, illi qui eis fidem a principio prædicaverunt, tale ſacramentum eis non dederunt.*

RESPONSIO. Omnes Armeni per totum mundum & in utraque Armenia ſacramentum confirmationis dant poſt baptiſmum [per] epiſcopos & ſacerdotes indifferenter. Primo confirmant cum chriſmate ad modum crucis frontem pueri, & dicunt: *Oleum ſuave in nomine* JESU CHRISTI *fuſum ſuper te ſit caracter divinus cœleſtium donorum in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Amen.* Simili modo & alios ſexus* inungunt dicendo quædam verba, & per hunc modum dant ſacramentum confirmationis. Licet poſtquam prædeceſſores noſtri uniti fuerunt cum eccleſia Romana, aliquot in minori Armenia epiſcopi confirmant ſecundum modum eccleſiæ Romanæ, & alii ſecundum modum antiquum, quem habuerunt ab eccleſia Græca. Sequitur.

Et quamvis apoſtoli miſerint Petrum & Johannem ad illos qui baptizati fuerant in Samaria per Philippum, ut imponerent eis manus, & acceperunt Spiritum-ſanctum, quod ad ſacramentum confirmationis pertinere videtur; dicunt tamen Armeni, quod illi qui baptizati fuerunt per Philippum, non acceperant verum baptiſmum, quia Philippus erat ſolum diaconus, & non presbyter vel epiſcopus: qui presbyter & epiſcopus ſolum poſſunt dare verum baptiſmum, & ideo miſſi fuerunt dicti duo apoſtoli ad eos, ut verum baptiſmum & Sanctum-Spiritum acciperent.

RESPONSIO. Secundum [librum] Actuum apoſtolorum, qui dicit: *Sed poſtquam crediderunt Philippo, qui evangelizabat regnum Dei & nomen* JESU CHRISTI, *baptizabantur omnes viri & mulieres;* aliqui ex magiſtris ſuper hoc verbo opinantur, quod iſte Philippus de ſeptem diaconibus erat, & ſic baptizati per eum non erant vere baptizati. Hoc non dicimus nos, nec alias audivimus, quia licet ſcriptum ſit in Actibus apoſtolorum de Petro & Johanne, quod miſſi fuerunt de Jeruſalem ab aliis apoſtolis in Samaria, quæ Samaria recepera. verbum Dei, ipſi euntes oraverunt ſuper eos, qui ſolum baptizati erant in nomine JESU CHRISTI, tunc poſuerunt ſuper eos manus, & accipiebant Spiritum-ſanctum, tamen iterato non baptizaverunt. Ex quo patet, quod perfecte & veraciter baptizati erant, ſicut nos credimus. Sequitur.

Dicunt etiam dicti Armeni, quod Eunuchus baptizatus a Philippo, in tali baptiſmo non acceperit Spiritum-ſanctum; ſed poſtquam Philippus raptus fuit ab eo, Spiritus-ſanctus venit ſuper Eunuchum.

RESPONSIO. Hoc contra textum ubi dicitur in Actibus apoſtolorum; *& deſcenderunt ambo in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum: & cum exierunt de aqua illa, Spiritus-ſanctus venit ſuper Eunuchum, & angelus Domini rapuit Philippum.* Quare non eſt credendum, ſi milleſies exponerent illa, quamvis expoſitiones non acceptamus, nec alias audivimus.

ARTIC. LXIV. *Item, catholicon minoris Armeniæ dicit, quod ſacramentum confirmationis nihil valet, & ſi valet aliquid, ipſe dedit licentiam presbyteris ſuis, ut idem ſacramentum conferatur.*

RESPONSIO. Falſum eſt dupliciter. Primo, quia ſacramentum confirmationis recipit eccleſia Armenorum, ſecundum conſuetudinem Græcorum, & hoc eſt valde antiquum, antequam minor Armenia eſſet Armenorum. Secundum falſum eſt & crimen dicere de catholicon minoris Armeniæ, quod ſacramentum confirmationis nihil putat.

ARTIC. LXV. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod illa inunctio cum chriſmate facta in novem locis, de qua ſupradictum eſt, valet Chriſtianis dum vivunt, pro omnibus inunctionibus quæ fiunt per eccleſiam Latinam: unde apud eos non eſt ſacramentum confirmationis, nec extremæ-unctionis, nec quando conſecrantur epiſcopi vel presbyteri, unguntur eorum manus vel capita.*

RESP. Hoc quod dicunt, quod unctio puerorum, quæ fit in novem locis, ſicut ſupra di-

* f. nexus.

ctum eſt, valet Chriſtianis dum vivunt pro A omnibus unctionibus, quæ fiunt per eccleſiam Latinam, hæc ſunt verba ſtultitiæ & inania; quoniam quamvis obſervatio extremæunctionis communiter deficiat in eccleſia Armenorum, particulariter non faciebat, ſecundum modum eccleſiæ Græcorum: unctionem aut confirmationem univerſaliter per omnes Armenos cum baptiſmo dabant ſacerdotes ſine defectu ſicut & Græci, ut ſuperius, etiam in LVIII. articulo diximus. De unctione vero ſacerdotum ſciendum eſt, quod a tempore domini NERSES Glanenſis citra ducentos annos, hæc veritas intravit eccleſiam Armenorum, quoniam in conſecratione epiſcopi & ſacerdotis ungimus caput & pollicem epiſcopi; ſacerdoti autem totam manum ungimus ſub hac forma, quia duabus manibus ſacerdotis ad invicem conjunctis epiſcopus ungit, incipiendo a pollice dextro manus, ducendo ad indicem ſiniſtræ manus, & incipiendo a pollice ſiniſtræ manus, ducendo ad indicem dextræ manus, dicendo: *Domine, tu unge ſanctitate & benedictione manus iſtorum, & omnia quæcumque iſti benedicent, tu benedic, & quæcumque manus iſtæ ſignabunt in nomine tuo confirma, & perfice, ut confortentur per gratiam Domini noſtri* JESU CHRISTI. Caput vero epiſcopi ungimus per modum crucis & dicimus: *Caput tuum ſit unctum & benedictum cæleſti unctione cum honore epiſcopali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.* Deinde ungimus pollices, & dicimus: *Deus Pater Domini noſtri* JESU CHRISTI, *qui per voluntatem ſuam exaltavit te ad honorem epiſcopalem, potentia ſua ſignet te per unctionem ſanctam, & impleat abundanter ſpiritali benedictione: quare conſecratus de te, conſecratus ſit, & ſanctificatus de te, ſanctificatus ſit, & omnia quæcumque ſignabis cum manu & pollice ſanctificentur, & ſuper quem acquieſcet dextera tua, ſit ei ad ſalutem & ſanitatem.* Et hæc receperunt patres noſtri ab eccleſia Romana, & ad nos ſicut pervenit, ſic facimus, & docemus omnes obedientes nobis. Illi vero qui ante dictum NERSESfuerunt, ſecundum conſuetudinem eccleſiæ Græcorum faciebant. Sequitur.

Sed quando preſbyteri vel epiſcopi ſunt mortui, portantur ante altare, & ibi eorum capita & frontes & manus dextra inunguntur, & tunc populus venit, & oſculatur manum dextram prædictorum, & faciunt oblationes ſuas, ac ſi primam miſſam haberent celebrare; poſtea adducuntur ad oſtium eccleſiæ animalia munda, cooperta pannis ſericeis, & modo ſupradicto occiduntur & comeduntur.

RESPONSIO. Verum eſt hoc, tribus exceptis. Primum, licet inungunt frontem, caput vero non. Secundum, nec oblationem faciunt ut in prima miſſa. Tertium, de animalibus in XL. articulo manifeſtavimus.

ART. XVI. *Item, omnes Armeni communiter dicunt & tenent, quod per verba poſita in canone miſſæ, quando dicuntur per ſacerdotem:* Accepit panem, & gratias agens fregit & dedit ſuis ſanctis electis, & recumbentibus diſcipulis dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis & multis diſtribuitur in remiſſionem peccatorum. Similiter & calicem accipiens, benedixit, gratias egit, bibit, dedit ſuis ſanctis electis & recumbentibus diſcipulis, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes: Hic eſt Sanguis meus, novi teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, *non conficitur, nec ipſi conficere intendunt Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed ſolum dicunt verba recitative recitando, ſcilicet quod Dominus fecit quando ſacramentum inſtituit.*

RESPONSIO. Omnes Armeni univerſaliter credunt & dicunt, quod panis & vinum per verba Chriſti poſita in canone miſſæ eorum, quando accipit ſacerdos panem in manu ſua, & dicit alta voce: *Accipite & bibite ex eo omnes: Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effundetur in propitiationem & remiſſionem peccatorum*, conficitur veraciter Corpus & Sanguis Chriſti, ſecundum fidem eccleſiæ Armenorum, & ſecundum intentionem ſapientum, quamvis multi de ſimplicibus incipientes a principio miſſæ dicunt & legunt uſque ad finem canonis miſſæ, & putant fuiſſe miſſam, ideo non dicit verum quod non conficitur, nec ipſi conficere intendunt Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed ſolum dicta verba recitative recitando, ſcilicet quod Dominus fecit, quando ſacramentum inſtituit. Sequitur.

Et poſt dicta verba dicit ſacerdos multas orationes poſitas in eorum canone, & poſt dictas orationes venit ad locum ubi ſic in eorum canone dicitur: Adoramus, ſupplicamus, petimus a te, benigne Deus, mitte in nobis & in hoc propoſitum donum coeſſentiale tibi Spiritum-ſanctum, per quem panem benedictum Corpus veraciter efficiens Domini noſtri & Salvatoris JESU CHRISTI; *& dicta verba dicit ſacerdos ter, deinde dicit ſacerdos ſuper calicem:* Et vinum benedictum Sanguinem veraciter efficiens Domini noſtri & Salvatoris JESU CHRISTI, *& per hæc verba credunt quod conficitur Corpus Chriſti & Sanguis.*

RESPONSIO. Quamvis illud quod dicit ſuperius invenitur in miſſali S. Athanaſii, quod nos habemus, & facimus, & Johannes Osauri etiam poſt verba Chriſti, quæ ponuntur in canone miſſæ: *Accipite & comedite, accipite & bibite*, & cetera alia ſic dicit, *etiam faciens panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui, & vinum hoc pretioſum Sanguinem Chriſti tui.* Similiter & S. Baſilius dicit indifferenter in eodem loco & eodem modo ut S. Chryſoſtomus; ideo & nos ſic diximus, ut dixerunt & ordinaverunt iſti, tamen non

credimus confici Corpus & Sanguinem Christi, ut dicunt, quod ante est confectum. Et tamen qua intentione supradicti sancti magistri fecerunt ignoramus; & si aliud melius videatur vobis, quod necessarium sit facere, parati sumus perficere. Sequitur.

Diversum ritum etiam habent dicti Armeni ad celebrandam missam, quia quidam illorum in altari ponunt duos calices, in quibus ponunt panem & vinum, & calices apud eos sunt vel terrei vel lignei: & quidam celebrant missam in communibus vestimentis, quidam induuntur sacris vestibus, & quidam celebrant populo præsente, & quidam excluso populo, & clausis januis sacerdos solus celebrans intrat ecclesiam & exit, & penitus non ostendit populis Corpus Christi, & adhuc in pluribus locis sit isto modo, quod celebrant super janua clausa, quousque sacerdos dixit: Respicite, *quando scilicet elevat Corpus sacramentum, ut populus videat, & tunc aperiuntur januæ ecclesiæ.*

Responsio. Nos in minori Armenia per omnia facimus, sicut & vos, quia quando nos celebramus, vestimur vestimentis sacris, & ponimus unum calicem argenteum vel aureum cum patena, & alii nimis pauperes de metallo stannato, vel de vitro grosso. Ligneus autem vel terreus apud nos non inveniuntur, & numquam clausis januis celebramus; sed semper in aspectu populi: tamen in Armenia majori in aliquibus locis inveniuntur particulariter, sicut superius dictum est in articulo, propter metum infidelium, & nos quantum possumus corrigimus, & docemus non facere sic. Sciendum est autem, quod in majori Armenia, qui januis clausis celebrant in quadragesima, in sabbato tantum fit & in Dominica, & hoc particulariter, & in tempore quo elevatur Corpus Domini, aperiunt portas ecclesiæ, ut populus videat, quod elevatio Corporis Domini fit necessario, sive sit ibi populus, sive non.

Art. LXVII. *Item, Armeni non dicunt, quod post dicta verba consecrationis panis & vini sit facta transubstantiatio panis & vini in verum Corpus & Sanguinem, quod natum fuit de Virgine* Maria, *& passum & resurrexit.*

Responsio. Contra hoc est textus canonis missæ ecclesiæ Armenorum, qui dicit: *Per quem*, scilicet per Spiritum-sanctum, *panem habens, & vinum benedicens, Corpus & Sanguinem veraciter faciens Domini nostri* Jesu Christi, *convertens per Spiritum sanctum.* Ex quo patet, quod ecclesia Armenorum panem & vinum per operationem Spiritus-sancti intendit consecrare, & transubstantiare in verum Corpus & Sanguinem Christi, qui natus est de Virgine Maria, crucifixus & sepultus, & resurrexit, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris, & venturus est judicare. Et Christus idem dicit: *Hoc est Corpus meum.* Et *Hic est Sanguis meus.* Et *Qui manducat Corpus meum, & bibit meum Sanguinem, ipse in me habitabit, & ego in eo.* Ergo qui aliud dicet, vel putabit, vel prædicabit, quam illud quod Christus dicit, anathema sit secundum Apostolum. Sequitur.

Sed tenent quod illud sacramentum sit exemplar, aut similitudo, aut figura veri Corporis & Sanguinis Domini; & hoc specialiter aliqui magistri Armenorum dixerunt, videlicet quod non erat ibi Corpus Christi verum & Sanguis, sed exemplar & similitudo ejus.

Responsio. Tales magistros cum tali doctrina non cognoscimus; sed maledicimus. Sequitur.

Dicunt etiam, quod quando Christus sacramentum instituit, non transubstantiavit panem & vinum in Corpus suum & Sanguinem; sed solummodo instituit exemplar & similitudinem Corporis & Sanguinis sui; propter quod sacramentum altaris non vocant Corpus & Sanguinem Domini, sed hostiam vel sacrificium, vel communionem.

Responsio. Error maximus est iste, & quem alias numquam audivimus; quoniam Christus in celebratione Corpus & Sanguinem suum dixit, sicut & nos credimus, & non exemplar & similitudinem Corporis & Sanguinis sui. Sciendum est vero, quod nos panem missæ hostiam vocamus, quando nondum consecrata est in altari, & Corpus Christi post consecrationem: communionem autem propter communionem nostram cum eo: sacrificium vero, quia oblationem facimus Deo Patri pro nobis. Sequitur.

Quidam etiam magister vocatus Nerses, *habet in suis libris expressum, quod quando sacerdos dicit hæc verba:* Hoc est Corpus meum, *tunc est ibi Corpus Christi mortuum; sed quando sacerdos dicit:* Per quem, *ut supra positum est, ibi est Corpus Christi vivum; non tamen expressit, si erat verum Corpus Christi ibi, vel similitudo ejus.*

Responsio. Opinio dicti magistri super hoc verbo, & si qua alia sunt, quæ non sunt recta, non recipiuntur a nobis. Et potest iste errare sicut homo, quoniam & alii magni magistri, qui tamquam sancti honorantur, in multis defecerunt, quæ ab ecclesia non recipiuntur pro vero. Quod dicit quod dictus magister non expressit utrum erat Corpus Christi ibi vel similitudo ejus, non dicit verum; quoniam verum Corpus & Sanguinem dicit panem & vinum post celebrationem. Sequitur.

Et quod etiam Armeni illud quod ponitur in eorum canone missæ, Per quem panis benedictus efficiatur verum Corpus Christi, *sic verum Corpus Christi exponunt, quia efficitur vera similitudo & exemplar Corporis & Sanguinis Christi.*

Responsio. Talem falsam & pernicioſam expositionem numquam alias audivimus, nisi in isto libello. Sequitur.

Unde & Damascenus propter hoc reprehen-

dens eos, dixit quod ducenti tunc anni erant, quod Armeni perdiderant omnia sacramenta, & quod illa sacramenta quæ habebant, non erant eis tradita ab apostolis, vel ab ecclesia Græca vel Latina; sed ipsi, ut voluerunt, sacramenta sibi finxerunt.

Responsio. Non putamus quod Damascenus dicat talia de nobis; & si dicit, forte propter divisionem nostram ab eis. Sciendum est vero, quod sacramenta quæ recepimus a principio ab ecclesia per sanctos patres nostros, ita habemus; primo matrimonium & pœnitentiam, quæ ante incarnationem Christi dedit Deus hominibus in adjutorium perficere mandata ejus, & pervenire ad bona promissa, & Christus etiam confirmavit ista; pœnitentiam, prædicando, ut dicitur in Marco: *Si non pœnitemini, peribitis;* & matrimonium, eundo ad nuptias, & Armeni ita habent; quia peccatoribus prædicat ecclesia Armenorum conteri de peccatis suis, & confiteri, & pœnitere, secundum illud: *Facite fructus dignos pœnitentiæ;* & matrimonium habet & prædicat pretiosum, sanctum, & simile Christo & ecclesiæ, secundum apostolum; & sicut Christus recepit baptismum in aqua, & mandavit nobis baptismum in aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, quod & nos facimus & habemus simili modo, sic in articulo LIX. & in multis aliis locis manifestavimus. Sed quando fecit discipulos sacerdotes, dedit potestatem ligandi atque solvendi, secundum illud Marci: *Amen dico vobis quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis.* Sic & nos habemus & facimus, & primam missam ipse Christus fecit, & secundum [eam] corpus & sanguinem suum dedit, quod pro nobis in multis distribuitur in propitiationem & remissionem peccatorum, & mandavit apostolis facere, secundum illud Matthæi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et hæc similiter nos facimus, sicut superius in LXV. & in LXVI. articulis manifestavimus. Et confirmationem etiam, secundum consuetudinem totius orientalis ecclesiæ usque nunc, episcopi & sacerdotes qui baptizant, dant consequenter post baptismum, sicut in XVIII. articulo & in LXIII. manifestavimus, & licet per hoc differamus ab ecclesia Romana, in qua soli episcopi dant; Græca autem non, quoniam & ipsi ita faciunt sacramenta quæ apostoli didicerunt a Christo, & docuerunt ecclesiæ. Hæc sunt quæ etiam & nos habemus, & invenimus in libris apostolorum. Quare falsum est dicere de nobis, quod non habemus sacramenta quæ apostoli docuerunt ecclesiæ, & quod nova sacramenta finximus pro nobis. Igitur ostendat nobis veritatem sacramentorum, & antiquitatem sacramentorum apostolorum, & tunc corrigemur. Et si non sit ita, cessent a detractionibus suis.

De sacramento vero extremæ-unctionis, sciendum est, quod aliqui licet pauci faciunt secundum consuetudinem Romanæ ecclesiæ, quemadmodum & nos & aliqui secundum modum Græcorum. Secundum autem majorem partem non faciunt: nunc conamur hoc sacramentum per gratiam Dei, quantum possumus, conformari consuetudini ecclesiæ Romanæ.

Art. LXVIII. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod si presbyter vel episcopus ordinatus committat fornicationem etiam in secreto, perdit potestatem conficiendi & ministrandi omnia sacramenta, quæ pertinent ad episcopum vel presbyterum, & tamen omnia sacramenta per eos confecta, nullam efficaciam vel virtutem habent, ex eo quod per tales fornicationes perdiderunt potestatem conficiendi & administrandi.*

Responsio. Quamvis publici fornicatores prohibentur ab ecclesia Armenorum, ut non celebrent, non propter hoc quia perdiderunt potestatem celebrandi & administrandi omnia sacramenta, quæ pertinent ad episcopum vel presbyterum, & quod nullam virtutem vel effectum habeant sacramenta confecta per eos, ut dicunt supra; sed propter canones sanctorum patrum & scandalum populi, & quia ministri hujus magni sacramenti juxta posse mundi sint. Qui vero in secreto peccat, si de voluntate sua dimittit celebrare propter conscientiam, tunc confessor celebrare non cogit. Si vero veraciter contritus est, & non velit cessare a celebratione, tunc confessor habet dispensare eum per pœnitentiam. Sequitur.

Dicunt tamen, quod bonus laicus fidelis Eucharistiam confectam per episcopum vel presbyterum habentem potestatem conficiendi sacramentum Eucharistiæ, eam aliis ministrare potest.

Responsio. Falsum est hoc, quia tale, quod ad nos non pervenerit.

Art. LXIX. *Item, dicti Armeni dicunt, quod si episcopus vel presbyter committat fornicationem, vel quamcumque aliam speciem luxuriæ secrete vel publice, perdit potestatem conficiendi & ministrandi sacramenta, quæ ad Deum pertinent. Si vero efficiatur hæreticus & apostata a fide, ut Saracenus vel Judæus, vel committat quodcumque aliud crimen, ut homicidium, perjurium, & sic de aliis criminibus, dictam potestatem conficiendi & administrandi sacramenta non perdit; sed sufficit, quod de talibus peccatis pœniteat, sive dicta peccata commiserit publice vel occulte.*

Responsio. De fornicatione manifestavimus in LXVIII. articulo. Tamen de homicidiis sciendum est, quoniam sacerdotes Armenorum contra inimicos fidei tempore necessitatis ad bellum vadunt, & si in bello de infidelibus occidunt, tunc propter hoc ab ordinibus non prohibemus; nec quando in-

fideles venientes ſuper Chriſtianos ad occidendum eos, tunc ſi ſacerdotes noſtri liberando ſe, occidunt eos, non inhibemus eis quin poſſint celebrare, quia pro fide & juſtitia bellant. Aliter vero homicidæ pœnitent & ceſſant a celebratione. Apoſtatam a fide non vidimus celebrare poſt apoſtaſiam.

ART. LXX. *Item, Armeni non dicunt nec tenent, quod ſacramentum Euchariſtiæ digne ſuſceptum operetur in ſuſcipiente peccatorum remiſſionem, vel pœnarum debitarum pro peccato relaxationem, vel quod per ipſum detur gratia Dei, vel ejus augmentum.*

RESPONSIO. Dicta Chriſti in canone miſſæ Armenorum, cui credunt Armeni, ſine omni dubitatione ſunt contra hoc, quia dicit Dominus: *Accipite & comedite ex hoc omnes, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis & pro multis diſtribuitur in propitiationem & remiſſionem peccatorum.* Item: *Bibite ex eo omnes, hic eſt ſanguis meus, novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effundetur in propitiationem & remiſſionem peccatorum.* Et alibi in canone miſſæ ſcriptum eſt de corpore Domini, ut hoc ſit omnibus nobis accedentibus ad eum, non ad condemnationem, ſed propitiationem & remiſſionem peccatorum; de quo dicit Johannes evangeliſta: *Sanguis* JESU *mundet nos ab omnibus peccatis.* Et in LVIII. articulo etiam contra ſe ipſos dicunt, quod adulti baptizantur in remiſſionem peccatorum, non quia in aqua baptizantur, ſed quia dicto chriſmate inunguntur, & accipiunt Euchariſtiæ ſacramentum. Ergo ſumtio corporis Chriſti remiſſionem peccatorum operatur etiam ſecundum verba eorum, quod eſt contrarium ſupraſcriptis; quoniam ſicut per comeſtionem cibi mors intrat in nobis, ſic per ſpiritualem cibum iſtum vivificamur & augmentamur in gratia, ſecundum illud: *Qui manducat corpus meum & bibit ſanguinem meum, mortem non videbit in æternum.* Sequitur.

Sed ſolum dicunt, quod effectus ſacramenti Euchariſtiæ ſunt iſti; ſcilicet, quod ille qui recipit hoc ſacramentum, Chriſtus manet in eo, quia ſcilicet corpus Chriſti intrat in ejus corpus, & in ipſum convertitur, ſicut & alia alimenta convertuntur in alimentum.

RESPONSIO. Sciendum, quod numquam nos alias talem hæreſim audivimus, quoniam ſi effectus corporis Chriſti ſolum hoc eſſet, quod verteretur in alimentum ſicut & alia cibaria, nihilominus tamen apoſtolus ipſum oſtendit eſſe majus quam alia cibaria, dicens: *judicium ſibi manducat & bibit, qui non dijudicat corpus Domini.* Eccleſia Armenorum effectum corporis Chriſti in canone miſſæ exprimit aliter: *Recipe a nobis propoſitionem hanc, & perfice hanc in ſacramentum corporis & ſanguinis unigeniti tui, & medelam remiſſionis peccatorum concede nobis manducantibus hunc panem & vinum.* Sequitur.

Et quia euchariſtia manet in ſuſcipiente, dicunt quod presbyter qui accipit corpus Chriſti non debet flebotomari poſtea per triduum: & quia quidam presbyter contrarium fecit, exivit de flebotomia ſanguis & ignis.

RESPONSIO. Poſſibile eſt quod aliqui de ſimplicibus faciunt ſic, tamen non propter hoc quod corpus Chriſti & ſanguis maneat & convertatur in eis; ſed propter inſipientem conſuetudinem, nec ſit de mandato noſtro, nec de ſtatuto eccleſiæ. Sequitur.

Dicunt etiam Armeni quod effectus euchariſtiæ ſunt ut cuſtodiatur accipiens a fulgure & grandine, & ab aliis aëris nocuis impreſſionibus, & ab infirmitatibus corporis, & talibus malis corporalibus ſuis vel carorum ſuorum; & idem dicunt quo ad iſtas pœnalitates corporales de ſacramento pœnitentiæ, quod ſcilicet homines per dictum ſacramentum a talibus pœnalitatibus cuſtodiuntur.

RESPONSIO. Effectum euchariſtiæ ſupra in parte manifeſtavimus. Quamvis per gratiam ſacramenti recipimus multa data optima, & dona perfecta ſpiritualia & corporalia, & liberamur a multis periculis, tentationibus ſpiritualibus & corporalibus. De pœnitentia vero ſic eſt ſicut in loco ſuo patefecimus.

ARTIC. LXXI. *Item, quod ſexcenti & XXII. * anni ſunt, quod concilium ſupradictum fuit celebratum per Armenos in civitate Manaſgardenſi, & ibi patriarcha Aſſyriorum*, catholicon, epiſcopi, & magiſtri Armenorum determinaverunt, quod in ſacrificio altaris non debet miſceri aqua in vino.*

* *al.* XII.

* *al.* Surianorum.

RESPONSIO. Verum eſt hoc, quamvis multotiens ſuperius diximus quod nos dictum concilium cum omnibus determinationibus ejus non recepimus. Sequitur.

Nihilominus determinaverunt ibi, quod illi qui miſcent aquam in vino in ſacramento altaris, non habent verum baptiſmum, quia illa aqua quæ fluxit de latere Chriſti in cruce, non poteſt ſervire niſi ſacramento baptiſmi; & ideo qui aquam ponunt in vino, perdiderunt ſacramentum baptiſmi. Determinaverunt etiam in dicto concilio, quod ſi aqua in ſacramento altaris poneretur, quod illud ſacramentum nullum eſſet, quia Dominus poſt conſecrationem ſacramenti euchariſtiæ dixit: non bibam de hoc genimine vitis; *& ita ſolum germen vitis debet poni in ſacrificio & non aqua.*

RESPONSIO. Superius multoties diximus quod concilium Manaſgardenſe cum omnibus determinationibus ſuis, quæ ſunt contra veritatem, non recipimus. Hoc autem quod dicunt, quod illi qui miſcent aquam in vino in ſacrificio altaris, non habent verum baptiſmum, ex eo quod aqua ſolum ſacramento baptiſmi ſervire poteſt, & quod in miſſa in qua erit aqua, non eſt miſſa; iſta ſunt verba ſtultitiæ, & neſcimus certitudinaliter utrum in dicto concilio determina-

tum fuit hoc vel non : quoniam quamvis Armeni propter antiquam consuetudinem in sacrificio aquam non ponebant, tamen non dicunt quod in sacrificio in quo aqua erit, eucharistia non fit, vel ex eo quod aquam ponant, propter sacramentum baptismi. Forte aliquis impius propter rixas & inimicitias dixit tale quid, quod ignoramus. Sequitur.

In quo etiam concilio anathematizaverunt illos qui ponebant vel ponerent aquam in dicto sacrificio, & in tantum hoc detestantur, quod si in ecclesia Armenorum celebretur missa in qua misceatur aqua in vino, aliqua pars tecti ecclesiæ discooperitur, ut radius solis in eo intrare possit, per cujus introitum consecratio dictæ ecclesiæ tollitur, & postea antequam aliquis Armenus in dicta ecclesia missam celebret, oportet quod dicta ecclesia reconcilietur.

Responsio. Hæc omnino falsa sunt & verba nequitiæ.

Art. LXXII. *Item, quod Armeni antiqui dixerunt & tenuerunt quod nullus non ordinatus in presbyterum, quantumcumque esset bonæ vitæ, poterat conficere sacramentum eucharistiæ.*

Responsio. Verum est hoc secundum opinionem antiquorum Armenorum & novorum. Sequitur.

Et quod illi qui erant in presbyteros ordinati, si malæ vitæ essent, non poterant dictum sacramentum conficere; sed boni presbyteri hoc facere poterant, & non alii.

Responsio. Quamvis sacerdotes malæ vitæ de facto possint celebrare sicut boni; tamen de jure solum bonis convenit facere secundum apostolum, *primo probet quis seipsum, & tunc de pane illo edat, & de calice bibat, quia qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit*, quoniam non dijudicat corpus Domini &c. Sequitur.

Armeni vero moderni dicunt quod boni & mali presbyteri, dummodo non dimiserint legem Armenorum, nec effecti fuerint de lege ecclesiæ Latinæ vel Græcæ, nec commiserint peccata de quibus supradictum est, possunt conficere dictum sacramentum : sed illi presbyteri qui dimiserunt legem Armenorum, vel facti de lege ecclesiæ Græcæ vel Latinæ, quia eam dimittendo effecti sunt hæretici, non possunt conficere dictum sacramentum.

Responsio. De bonis & malis sacerdotibus supra breviter diximus, quomodo possunt & non possunt. Si vero Latinorum & Græcorum legem dicant rebaptisari & reordinari, tunc verum est, quod illud non recipimus sive sit de nobis, sive sit de aliis, forte baptizatus non erit. Si vero de ritu ecclesiæ Latinæ dicunt, tunc verum non est, quia sacerdotes ejusdem ecclesiæ amore simili accipimus, sicut & nostros, & baptizatos per eos, & rebaptizati in opprobrium baptismi & reordinati in opprobrium sacerdotii deponuntur ab ordinibus secundum statuta canonum.

Art. LXXIII. *Item, Armeni habent in quodam canone, quod si aliquis fuisset baptizatus in quibuscumque ecclesiis, quæ tenerent quod in Christo essent duæ naturæ & una persona, & vellet a presbyteris Armenorum recipere eucharistiæ sacramentum, idem sacramentum non daretur ei per dictos presbyteros, nisi prius abnegaret baptismum, quod prius acceperat, & malediceret illos, qui dicunt duas naturas esse in Christo, & qui miscent aquam in vino in sacrificio, quibus factis, rebaptizant eum modo Armenorum, & tunc dant ei eucharistiæ sacramentum, per eos modo Armenorum confectum.*

Responsio. Quamvis Armeni separentur ab illis qui dicunt duas naturas divisas, ut Nestorius, qui una cum hæresi sua fuit anathematizatus in sancta & universali synodo Ephesina, talibus non damus sacramentum eucharistiæ, nisi prius abnegent illam hæresim, tamen non separantur ab illis qui duas naturas dicunt unitas in uno Christo & in una persona, quod & Armeni confitentur & credunt. Illud vero quod dicit, quod faciunt abnegare baptismum & rebaptizant, omnino falsum est, & crimen, quod etiam multotiens superius diximus. Sequitur.

Et quod presbyteri Armenorum, dum celebrant missam januis clausis ecclesiæ, secundum quod supradictum est, maledicunt illos qui dicunt duas naturas esse in Christo, & qui miscent aquam in vino in sacrificio, & qui aliquam reverentiam faciunt imaginibus Dei vel sanctorum.

Responsio. Quamvis aliquando inter Græcos & Armenos per simplices fuerit controversia de imaginibus, nunc autem ablata est turbatio illa : prælati vero Armenorum semper receperunt imagines sanctorum, & sunt in ecclesiis nostris. Illud vero quod dicunt quod januis clausis maledicunt, dicentes duas naturas esse in Christo, & ponentes aquam in sacrificio eucharistiæ, hoc non audivimus alias nisi nunc.

Art. LXXIV. *Item, quod apud Armenos majoris Armeniæ non sit imago crucifixi, nec aliæ imagines tenentur sanctorum.*

Responsio. Quamvis quandoque aliqui ignorantes de Armenis contrarii fuerint, sicut supra in LXXIII. articulo diximus; tamen a prælatis dictæ ecclesiæ numquam sunt abjectæ, sed potius habentur in multis ecclesiis depictæ; sed causa quod non habentur imagines communiter in majori Armenia, est persecutio Saracenorum, qui dominantur Armenis, & valde persequuntur imagines & habentes.

Art. LXXV. *Item, quod magister Armenorum cum veniisset ad quemdam locum ubi fiebat solemniter [sacrificium], & sacerdos elevasset eu-*

chariſtiæ ſacramentum, ut videretur a populo, dictus magiſter maledixit eidem ſacerdoti, dicens quod myſterium fidei in ſecreto debebat teneri, & non populo oſtendi, & quod oſtendendo dictum ſacramentum, ſacerdos videbatur dicere populo: non timeatis unum fruſtum panis eſt hoc ſacramentum.

RESPONSIO. Sciendum eſt quod NERSES epiſcopus de Orui, qui nunc in Romana curia falſe ſe nominat archiepiſcopum Manaſgardenſem, ſcripſerat ſupradictum errorem a populo Hangæ, quod eſt caſtrum magnum & a populo de villa Sahap, quæ ſunt loca notabilia, domino JACOBO, qui tunc temporis erat catholicon Armenorum, & dictus dominus Jacobus miſit legatos dominum BASILIUM DE MALMESCIA qui eſt epiſcopus Iconienſis, & Baſilium publicum notarium, ad inquirendum & certificandum utrum ita eſſet, ſicut ſcripſerat ſupradictus epiſcopus ex parte populi dictorum caſtrorum vel non, ſed dictus publicus notarius catholicon Armenorum cum juramento teſtimonium perhibuit coram domino MAKZINITAR, qui nunc eſt catholicon Armenorum & coram domino Sergio, & domino Baſilio, & domino Gregorio, & fratre Daniele, & coram multis aliis, quod de mandato catholicon ivimus ad Hanga caſtrum ſolemne, & ibi congregavimus quinque epiſcopos & XII. ſacerdotes, & plures burgenſes ejuſdem loci & magiſtrum MAZZZINCHAR & Diracoë ſacerdotem qui miſſam celebraverat, propter quem & dequo ſupradictus NERSES epiſcopus ex parte dictorum caſtrorum ſcripſerat errorem domino Jacobo, & ibi NERSES epiſcopus inventus eſt mendax; quia populus ille ad inſtantiam cujus ſcripſerat errorem, teſtimonium dederunt unanimiter, & una voce jurando, quod de dicto MAKZNICHAR & Diracoë ſacerdote talia verba quæ ſcripſit NERSES epiſcopus de ipſis non audiverunt, nec de voluntate & licentia eorum ſcripſit litteram. Tunc rumor magnus fuit, quod ſi non fuiſſemus ibi, plures lapidaſſent eum & nepotem ſuum, qui litteram falſam ſcripſerat de voluntate ſui avunculi, & illud fuit principium, & cauſa perſecutionis ſuæ a diœceſi, & fugiens venit ad nos. Nos vero propter hanc falſitatem & alias multas injuſtitias, quas fecit apud nos & in aliis locis, non potuimus eum recipere in amorem. Quare fugiens de nobis, venit ad vos, & hæc multoties impoſuit nobis.

ART. LXXVI. *Item, quod fuerunt Boloniæ tres Armeni, qui prius fuerant baptizati in forma Armenorum, & poſtea fuerunt baptizati in forma eccleſiæ Latinæ, qui homines cum poſtea veniſſent apud Florentiam, duo Armeni interrogaverunt eos an fuiſſent balneati, vocantes balneationem baptiſmum receptum in eccleſia Latina; qui cum reſpondiſſent quod ſic, dixerunt eis quod abnegarent dictam balneationem; quod cum facere nollent, tantum verberaverunt eos, quod unus ex eis poſt paucos dies deceſſit: alios vero duos tamdiu in carcere retinuerunt, quo uſque dictam balneationem abnegarent, dicendo quod dictam balneationem reputabant ac ſi unus canis minxiſſet ſuper eos, & fuerunt per eos, ut creditur, rebaptizati, ſecundum modum Armenorum, alioquin talibus non darent euchariſtiæ ſacramentum, etiam in fine, quantumcumque peterent.*

RESPONSIO. Supradicta facta nos ignoramus, tamen de hoc valde miramur, quod cum apoſtolus baptiſmum unum dicit, & forma cum qua baptizamus eſt ſancta & accepta ab omnibus generalibus ſynodis, in quibus primatum eccleſia Romana habebat, quomodo ſuſtinet eos qui rebaptizant baptizatos cum illa forma, quam ſanctam & rectam tenet maxime quando vi faciunt.

ART. LXXVII. *Item, cum clerici & laici Armeni fuiſſent baptizati in forma eccleſiæ Latinæ, catholicon minoris Armeniæ fecit eos capi & dehoneſtari, radendo totaliter eorum capita & medietatem barbæ, & ſcindendo veſtes eorum, & poſtea in carcerem poni; & cogebat eos, quod ſacramentum baptiſmi quod acceperant, in forma eccleſiæ Romanæ abnegarent; & quia facere noluerunt, diu fecit eos in carcere detineri.*

RESPONSIO. Sciendum eſt quod ſupradicti eccleſiaſtici & ſæculares, non propter hoc fuerunt dehoneſtati, quia cum forma Latinæ eccleſiæ baptizati fuerant, ſed quia præſumſerant tam in occulto quam in ſecreto errorem introducere in eccleſia: quia ipſi reordinati fuerant, rebaptizati, & multos alios trahentes ad ſe rebaptizaverunt & reordinaverunt: aliquos rebaptizabant in balneis, alios in domibus, alios in tranſitu aquarum, & in occultis locis & ſilvis reordinabant. Et cauſas dedicationis has dicebant primo, quia quando primo baptizati fuiſtis, non eratis capaces rationis, & neſcitis utrum ſacerdos dixit: *Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti*; & forte non dixit propter ebrietatem, ideo neceſſe eſt vobis baptizari in ætate perfecta, ut certitudinaliter a ſacerdote formam baptiſmi recipiatis, & auferatis dubium de cordibus veſtris. Secundo quia peccata quæ feciſtis, ſi contingat quod cum pœnitentia non deleveritis, nunc per baptiſmum ſanctificabimini, & ſine pœnis purgatorii poteſtis tranſire ad regnum cœlorum; & ſi verum eſſet quod baptizati non eſſent, rebaptizari & reordinari neceſſe fuiſſet; tunc oportebit notificare prælatis eccleſiæ, & medelam ſanitatis quærere, & non occulte & in ſecreto novum errorem & malum in eccleſiam Dei introducere, & bonas conſtantias Chriſtianorum corrumpere. Ideo correxerunt eos in modico tempore eccleſia & rex per ſuum forum judiciale, & iratum miſericordiam fecerunt,

dando eis res ſuas & conſtituendo eos ad executionem ordinum.

ART. LXXVIII. *Item, quod cum archiepiſcopi dubitantes an eſſent vere ordinati & baptizati per Armenos, venißent ad catholicon, qui nunc eſt minoris Armeniæ, dictus catholicon vocavit dictos archiepiſcopos, & inhibuit eis hoc primo, quod non celebrarent miſſam Latinam, ſed miſſam antiquam Armenorum.*

RESPONSIO. De duobus archiepiſcopis quos dixit, unus vocatur SIMEON BECH & alter NERSES BALO. De Simeone Bech verum eſt, quod Theotopolis archiepiſcopus erat; de Nerſes vero, qui nunc eſt in curia Romana, qui archiepiſcopum Manaſgardenſem ſe nominat, falſum eſt; quia ipſe erat epiſcopus Urni, & non de Manaſgarde; & iſti ad dubitationes ſuas erroneas alios inducebant rebaptizando, & in miſſis eorum dubium introducendo, dicentes quod miſſæ Armenorum non veraciter ſunt miſſæ. Ideo dominus JACOBUS, qui tunc catholicon erat, vocavit eos & monuit, ut non facerent a ſe ipſis novam deceptionem, nec perderent homines in civitate & in habitatione ſua, & non dixit eis quod miſſam Latinam non celebrarent, quoniam uſque in hodiernum diem, qui vult & ſcit facit. Sequitur.

Secundo præcepit eis quod non ſervarent jejunia eccleſiæ Romanæ, ſed antiqua jejunia Armenorum.

RESPONSIO. Falſum eſt hoc, quia dominus JACOBUS, qui tunc catholicon erat, multotiens multos condemnabat ad ſententiam pecuniariam, qui non obſervabant quinque dies ſtatutos pro jejunio nativitatis, incipiunt in XIX. die Decembris, ſed cuſtodiebant jejunium Epiphaniæ ſecundum antiquam conſuetudinem Armenorum, qui faciebant feſtum nativitatis & epiphaniæ ſimul ſexto die Januarii. Sequitur.

Tertio, præcepit eis quod non baptizarent aliquem, qui dubitaret de ſuo baptiſmo, & veniret ad eos ad petendum verum baptiſmum; ſed ut dicerent ei quod baptiſmus Armenorum eſt melior, quam baptiſmus eccleſiæ Romanæ.

RESPONSIO. Quia ſupradicti duo epiſcopi non ſolum baptizabant, qui dubitaret an eſſet baptizatus, & dubium eſſet conveniens; ſed etiam totam gentem in erroneam opinionem inducebant, & rebaptizabant, ſicut in LXXVII. articulo etiam diximus; ideo monebat eos dominus JACOBUS quod non facerent, & non dicebat, quod baptiſmus Armenorum melior eſſet, quam baptiſmus Romanæ eccleſiæ, quoniam nos baptiſmum Romanæ eccleſiæ & Armeniæ eccleſiæ unum ſcimus, ſecundum Apoſtolum, & unus baptiſmus non eſt uno bonus & melior. Sequitur.

Quarto, inhibuit eis, ne facerent populum ſuum Armenum Latinum, quia dicebat ille dictus catholicon, quod melius erat quod populus ſuus ſicut Armenus vadat in infernum, quam ſi fierent Latini, & omnes irent in paradiſum.

RESPONSIO. Hoc mandatum per ſe patet, quia nullus habens rationem hoc diceret, neque vellet, quoniam melius eſt de quacumque natione voluerit eſſe, ire ad vitam, quam Chriſtianus peccator eſſe & ire ad infernum: quamvis ſecundum canones generalium conciliorum populum & diœceſim noſtram ab aliis rapi nolumus.

Quinto, præcepit eis quod non docerent pueros Armenos nec linguam, nec litteram Latinam, quia quando addiſcerent linguam Latinam, amitterent linguam Armenorum: & ad teſtimonium & confirmationem horum dictorum eſt hoc, quod in eodem anno ſupradictus catholicon conſecravit ſex epiſcopos Armenos, & accepit ab eis litteram publicam, quod ipſi non darent pueros de partibus ſuis ad diſcendum litteram Latinam.

RESPONSIO. Hoc falſum eſt, & per hoc patet, quod ipſi qui hæc dicunt, tunc nec linguam, nec litteram * faciebant; quomodo ergo alios docere potuiſſent? De ſex epiſcopis etiam quos ad teſtimonium pro confirmatione mendacii ſui dicunt, nec dominus JACOBUS hoc fecit, ſicut dicit, nec etiam vidimus, nec audivimus. Sequitur.

* *f.* faciebant.

Nec dimitteret aliquem prædicatorem Latinum, qui prædicaret veritatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in diœceſi & provincia ſua. Item, quemlibet epiſcopum quem ipſe conſecrat, facit anathematizare illos Armenos, qui volunt fieri veri catholici & obedientes eccleſiæ Romanæ.

RESPONSIO. Et hoc falſum eſt, quia multi prædicatores de eccleſia Romana prædicaverunt & prædicant in eccleſia Armena; & nullum de Armenis umquam excommunicavimus ex eo, quod obediret eccleſiæ Romanæ, ſed potius excommunicamus ſemper, & manum adjutricem porrigimus & contrarios corrigimus.

Sexto, inhibuit eis quod non prædicarent papam Romanum caput eſſe eccleſiæ in Orientalibus partibus, ſed ipſe ſe dicit & facit papam in partibus Orientalibus, a fine maris uſque ad imperatorem magnum Tartarorum, & multa alia verba inconvenientia & errorem ſapientia locutus eſt.

RESPONSIO. Summam poteſtatem papæ Romani, & obedientiam noſtram in multis locis manifeſtavimus; tamen catholicon Armenorum a primitiva eccleſia uſque nunc habet curam omnium Armenorum. Propter hoc vocatus fuit catholicon Armenorum. Nos vero interrogavimus dominum JACOBUM, qui tunc catholicon erat, de ſubſcriptis verbis; & ipſe admiratus reſpondit talia verba numquam dixiſſe. Sequitur.

Hæc omnia inhibuit eis dictus catholicon, & quia noluerunt ei obedire in prædictis, gravem perſecutionem contra eos fecit, propter quod unus ex eis poſt annum cum dimidio ivit ad

ad insulam Cypri, & ibi audivit quod dictus catholicon, consentiente rege Armeniæ, illos quos illi & aliqui Latini baptizaverant & ordinaverant sub conditione in forma ecclesiæ Romanæ, capi fecit, & aliquos sacerdotes ex eis degradavit, & in duro carcere regis posuit: alios vero incarceravit, & adhuc sunt incarcerati, & eorum bona & possessiones fuerunt confiscatæ, & aliis venditæ.

RESPONSIO. Causa persecutionis eorum non est hæc quam dicunt; quæ autem sit in articulo LXXVII. manifestavimus in parte, sicut & vos audietis per litteras multorum qui sciunt facta NERSES.

ART. LXXIX. *Item, quod presbyteri & episcopi Armenorum imponunt pœnitentiam illis Armenis, qui veniunt ut baptizentur in ecclesia Græca vel Latina per aliquot annos, ut scilicet jejunent modo Armenorum. Modus autem Armenorum talis est, quod in dicto tempore non debent comedere carnes, pisces, lac, caseum, vel ova. Possunt tamen comedere quoties volunt in die. Illis vero Armenis, qui accipiunt Eucharistiæ sacramentum in ecclesia Græca vel Latina, imponunt pœnitentiam quinque annorum, ut scilicet jejunent per dictum tempus modo supradicto.*

RESPONSIO. Qui non sunt baptizati, ut sunt cathecumeni Armenorum, si volunt parentes, tunc indifferenter faciunt baptizari in ecclesia Latinorum sicut Armenorum; quia plures de principibus Armenorum & filiis eorum baptizati sunt secundum consuetudinem ecclesiæ Romanæ. Tamen si baptizati fuerunt & rebaptizentur in opprobrium & contumeliam sacramenti Dei, tunc tales non solum cum jejuniis, sed cum igne necesse est corrigere. Pœnitentiam vero jejuniorum quam dicunt pro baptismate & communione, nec nos fecimus, nec audivimus talia fuisse inter Armenos: quoniam multi de nobis, qui volunt, indifferenter & cum magna spe communicantur a Latinis sicut a nobis. De jejuniis autem verum est, quoniam supramemorata cibaria non comedimus, excepta quadragesima, in qua semel comedunt: in aliis autem quando & quantum volunt comedunt; in quadragesima vero communiter jejunant quousque horam nonam diei, & postquam dixerint officium comedunt aliqui semel, & aliqui incontinentes contra statuta prout placet comedunt.

ART. LXXX. *Item, quod apud Armenos in quadragesima, quam incipiunt Dominica in quinquagesima, non celebratur missa in ecclesiis, nisi in die sabbati & Dominica.*

RESPONSIO. Verum est hoc, secundum consuetudinem totius Orientalis ecclesiæ, in palatio vero regis Armenorum celebratur omni die in quadragesima; & in aliis ecclesiis quando faciunt, non prohibemus. Sequitur.

Nec decem aliis septimanis anni in quibus Armeni jejunant.*

* vel nec dicitur aliis septimanis.

RESPONSIO. Falsum est hoc, excepta septimana ante Dominicam septuagesimæ, in qua in Armenia majori non celebrant nisi in sabbato & Dominica: in Armenia vero minori, in secunda septimana omni die celebrant, & in aliis etiam x. septimanis; in majori vero per IX. septimanas faciunt sicut & nos, excepta septimana ante septuagesimam. Sequitur.

Magis autem celebrant missas in die sabbati, quam in diebus dictorum temporum, quia communiter omnia festa quæ veniunt in septimana, celebrant in die sabbati, exceptis festis Assumtionis B. MARIÆ, & Exaltationis S. Crucis, quæ festa celebrant in Dominica; alio vero tempore anni communiter in ecclesiis non celebrant, nisi dictis duobus diebus in septimana, & tunc etiam ducunt animalia ad ostium ecclesiæ, & occidunt modis supradictis.

RESPONSIO. Quamvis aliquas festivitates faciant in die sabbati in majori Armenia, quæ cadunt in fine septimanæ jejunii, tamen non omnes; festum vero B. MARIÆ & S. Crucis, & omnes alias festivitates, ut docet martyrologium, nos in minori Armenia facimus; & licet quandoque in festivitatibus sanctorum aliqui ob solemnitatem festi præmittunt eleemosynam dare pauperibus, tunc occidunt animalia, & cibant famelicos, non tamen secundum supradictum modum.

ART. LXXXI. *Item, quod apud Armenos populus non communicat, nisi in vigiliis epiphaniæ & in die; ita quod illi qui jejunaverunt per septimanam ante dictam vigiliam, in dicta vigilia vel nocte sequenti communicant, & faciunt festum Natalis Domini, & ibi anathematizant omnes illos qui faciunt festum Natalis Domini* XXV. *die Decembris. In sequenti vero die faciunt festum epiphaniæ, & tunc illi de populo qui volunt communicant, & etiam illi qui non jejunaverunt dictam septimanam. Communicant etiam aliqui in die cœnæ & in sabbato sancto.*

RESPONSIO. Armeni communicant in vigilia epiphaniæ post vesperas in occasu solis, quoniam celebrant missam & in mane, & in cœna Domini, & in sabbato sancto, & in Paschate communiter, & quamvis ante universaliter tota ecclesia Armenorum sexto Januarii faciebant festum Nativitatis & epiphaniæ, secundum antiquam consuetudinem Orientalis ecclesiæ: illos vero qui XXV. die Decembris faciebant festum Nativitatis Domini, non anathematizabant, ut dicunt falsæ & criminaliter. Nos autem a magno tempore citra in minori Armenia, & qui sequuntur ritum nostrum de majori Armenia etiam festum Nativitatis XXV. die Decembris facimus & docemus.

ART. LXXXII. *Item, quod quando aliqui communicari debent per sacerdotem, fit confessio generalis, dicendo genera peccatorum, non descendendo ad*

aliquod peccatum ſingulare, & poſtea populis * *recitat dictam confeſſionem in ſecreto, tamen raro vel numquam aliquis Armenus confitetur ſacerdoti ſua peccata.*

* si populus reiterat.

Responsio. Populus Armenorum communiter ſecundum conſuetudinem eccleſiæ Armenorum confeſſus fuit, & confitetur peccata ſua ſacerdoti ſingulariter, & ſine ſingulari confeſſione apud nos non debet communicare, nec communicari: ſed ſi aliquando non fit, hoc non eſt ſecundum conſuetudinem legis noſtræ, ſed fit ex ignorantia confeſſoris vel confeſſi, quoniam Chriſtiani qui non confitentur, valde reprehenſibiles ſunt & vituperabiles apud nos. Sequitur.

Et ſi confitetur, non dicit quod hoc vel illud ſingulare peccatum commiſerit, ſed dicit quod diabolus dictum peccatum fecit, vel quod ad ſuggeſtionem alterius hominis dictum peccatum fecit.

Responsio. Licet aliqui ignorantes dum confitentur dicunt: Satanas decepit & peccavit, tamen non intelligunt, quod non obſtante ſatana, qui fuit culpabilis, quoniam ſi intelligerent ſe eſſe innocentes, non confiterentur. Sequitur.

Dimittunt autem confiteri peccata ſua ſecrete & ſingulariter, quia ſacerdotes peccata eorum revelarent, & multum graves eis pœnitentias imponerent, propter quod communiter Armeni non confitentur, niſi in genere peccata ſua.

Responsio. Secundum conſuetudinem eccleſiæ Armenorum nulla de cauſa debet confeſſio revelari. Si vero aliquis hoc fecerit, tunc deponitur & punitur; nec propter gravem pœnitentiam deſiſtunt a confeſſione. Sequitur.

Facta autem dicta generali confeſſione per populum, ſacerdos dicit: Ego dimitto vobis peccata veſtra, *vel* Deus dimittat vobis; *& aliqui dicunt*: Ego dimitto vobis peccata veſtra in terra, & Deus dimittat vobis in cœlo.

Responsio. De forma abſolutionis noſtræ diximus in XL. articulo ſufficienter. Sequitur.

Dicti autem ſacerdotes dicunt eis, quod niſi dictas pœnitentias compleverint, non debent communicare in vita præſenti, nec ingredientur in regnum Dei, & erunt excluſi a gratia & benedictione Dei.

Responsio. Quamvis confeſſores pœnitentiam quam injungunt confeſſis, volunt quod compleant, & ſi accidat quod non compleant, non propter hoc prohibentur a communione, niſi deſpexerint pœnitentiam & noluerint facere, & ſint potentes ad hoc, vel per canones & ſtatuta prohibiti ſint. In hora vero mortis ſine prohibitione communicant. Sequitur.

Et apud Armenos nullam certam formam habent presbyteri & ſacerdotes abſolvendi ſubjectos eorum a peccatis ſuis.

Responsio. Formam abſolutionis noſtræ modo quo habemus in XL. articulo diximus. Sequitur.

Quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod dicta generalis confeſſio ſufficit ad remiſſionem peccatorum & abſolutionem, nec apparet quod ſecrete & ſingulariter aliquis confiteatur peccata ſua ſacerdoti; dicta etiam abſolutio generalis valet ad peccatorum abſolutionem, etiamſi contritio non præceſſerit.

Responsio. Non ſine cauſa dicit Spiritus-ſanctus per prophetam, quod os talium maledictione, amaritudine, & nequitia plenum eſt, & ſub lingua eorum labor & dolor. In L. articulo ſingularem confeſſionem dicunt neceſſariam eſſe ſecundum conſuetudinem Armenorum, ſic dicendo: Si vero poſtquam ordinatus eſt, commiſerit tale peccatum luxuriæ, oportet quod ſi abſolvi velit, quod confiteatur ſuo confeſſori. Et hic dicit, quod non oportet quod ſecrete & ſingulariter aliquis confiteatur peccata ſua ſacerdoti, ſed confeſſionem generalem dicunt ſufficere ad abſolutionem & remiſſionem peccatorum, etiam ſi contritio non præceſſerit, quod eſt falſiſſimum & contra omnes canones.

Art. LXXXIII.

Item, Armeni infirmi, quando dicitur eis quod morti appropinquant, ipſi vel eorum amici petunt communionem, & eam faciunt portari; & quandoque contigit quod quando multum debiles ſunt, ſacerdotes ponunt in ore eorum communionem; & quando ſunt proximi morti, faciunt ſacerdotes de communione ſignum crucis ſuper os eorum, & ſic reportant communionem.

Responsio. Non oportet dari niſi his qui volunt & poſſunt accipere. Hoc autem verum eſt, quod quandoque talia accidunt, ut dicitur in articulo, & nos correximus & corrigemus juxta poſſe quod hoc non ſit plus.

Art. LXXXIV.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod catholicon, epiſcopi & presbyteri Armenorum eamdem & æqualem poteſtatem habent ligandi vel ſolvendi, quantam & qualem habuit B. Petrus apoſtolus, cui a Domino dictum eſt: Quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveritis, &c.

Responsio. Secundum jura canonica & civilia, ſucceſſores habent auctoritatem prædeceſſorum ſuorum; papa autem eſt ſucceſſor apoſtoli Petri, & habet auctoritatem Petri, & catholicon eſt ſucceſſor Thadæi apoſtoli, & habet auctoritatem ejus. In Nicæna vero ſancta ſynodo ſancti patres congregati, quorum determinationes & canones valde acceptabiles ſunt apud nos, ſententiam dederunt Romanam eccleſiam caput eſſe omnium aliarum eccleſiarum, cujus caput eſt papa. Ideo catholicon Armenorum & alii patriarchæ ſub poteſtate ejus ſunt, & minores eo, ſcilicet archiepiſcopi minores ſunt catholicon ſecundum gradum, & non æquales, ut dicitur hic ſupra in articulo, & apud nos

nullus ignorat hoc, quod catholicon major rem poteſtatem habet quam epiſcopi, & epiſcopi quam ſacerdotes, quamvis ſecundum conſuetudinem eccleſiæ Armeniæ non aſtringimus auctoritate ſubditorum noſtrorum populos, ſcilicet audire confeſſionem & abſolvere large ab omnibus peccatis. Tamen ſi vobis videatur inconveniens, parati ſumus facere ſecundum voluntatem veſtram, modo quo ſcribetur nobis.

ARTIC. LXXXV. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod uſque ad concilium Nicænum Romanus pontifex non habuit majorem poteſtatem, quam alii patriarchæ; ſed tunc de voluntate dicti concilii fuit ordinatum, quod dictus Romanus pontifex haberet poteſtatem ſuper alios patriarchas; quam poteſtatem habuerunt Romani pontifices uſque ad concilium Calcedonenſe; ſed quia in dicto concilio congregato ad inſtantiam B. Leonis papæ fuit determinatum, quod in Chriſto erant duæ naturæ & una perſona, Romani pontifices perdiderunt dictam poteſtatem, & omnes illi qui dicto concilio conſenſerunt, & ex tunc illa plena poteſtas ligandi vel ſolvendi, quam Chriſtus dedit eccleſiæ in perſona B. Petri, apud ſolos Armenos remanſit: & hoc etiam Armeni determinaverunt in ſupradicto concilio Manaſgardenſi, quod congregatum fuit ibi de mandato cujuſdam Sarraceni nepotis Mahometi.*

RESPONSIO. Si ante concilium Nicænum papa Romanus majorem auctoritatem habebat, quam alii patriarchæ, nos huic rei non contradicimus; ſed ſicut in ſancta ſynodo Nucerii* determinatum fuit, ſic diſcimus, cognoſcimus & habemus; & pontifex Romanus major eſt auctoritate aliis patriarchis, ſicut in LXXXIV. diximus. Quod autem dicitur poſtea in articulo: auctoritatem hanc habuerunt ſummi pontifices Romani, &c. *uſque in finem*, ſunt verba rixæ & controverſiæ, quæ numquam audivimus.

* ſ. Nicæna.

ART. LXXXVI. *Item, Armeni dicunt & tenent, quod poſt concilium Calcedonenſe Romanus pontifex non habet plus de poteſtate ſuper ſubjectos ſuos, quam ille pontifex qui præeſt Neſtorianis ſuper Neſtorianos, & ille qui præeſt Græcis ſuper Græcos. Dicunt etiam ulterius, quod papa ſcit quod poteſt, & Armeni ſciunt quod poſſunt.*

RESPONSIO. Hæc nos non dicimus, nec alias audivimus, & maledicimus dicentes, & in LXXXIV. articulo manifeſtavimus quod papa Romanus major eſt aliis patriarchis.

ART. LXXXVII. *Item, quod rex Armenorum interrogavit catholicon minoris Armeniæ, an ſi papa excommunicaret eum, reputaret ſe excommunicatum, quod reſpondit quod non, quia papa nihil habet facere de eo, nec ipſe aliquid accepit a papa. Rex tamen dixit, quod ſi papa mandaret ei, quod dictum catholicon deponeret, ipſe deponeret eum.*

RESPONSIO. Utrum rex dominus JACOBUM, qui tunc erat catholicon, ſuper talia interrogavit ignoramus, quia non eramus præſentes; ſed quando poſt mortem regis interrogavimus dominum JACOBUM, ipſe dixit: hæc ignoro.

ART. LXXXVIII. *Item, catholicon Armenorum hoc modo eliguntur, inſtituuntur & confirmantur, & poteſtatem pertinentem ad catholicon accipiunt, & deponuntur, & aliter puniuntur: quia catholicon Columbarum & catholicon de* Hactamar *viventes eligunt aliquem de genere ipſorum, quem volunt, & poſtea conſecrant eum in catholicon; non tamen utitur hanc poteſtatem quouſque mortuus fuerit ille catholicon qui eum elegit. Poſtquam autem mortuus eſt dictus catholicon, primus ſequens catholicon vadit ad imperatorem Tartarorum qui eſt paganus, & ab ipſo confirmatur in catholicon, & ut confirmetur in catholicon per eum exigitur ab eo pecunia quam ſolvere poteſt: qui modus eligendi & confirmandi catholicon introductus fuit in eccleſia majoris Armeniæ per* SAPOREM *regem Perſarum paganum, qui colebat ignem, & durat uſque nunc. Qua confirmatione facta per dictum regem, idem rex dat litteras ſuas, quod epiſcopi & ſubjecti ei obediant, quia eſt confirmatus per eum, & quod dent ei certam quantitatem pecuniæ, & poſtea annuatim alias, & omnes presbyteri ad minus dant ei valorem unius floreni annuatim, & de quolibet foco Chriſtianorum ei ſubjectorum habet ad minus valorem ſex groſſorum argenti annuatim, & dictus catholicon dicto regi quolibet anno habet dare certam magnam ſummam pecuniæ, quam ſi non daret, vel aliud crimen committeret; dictus rex deponit eum, & ſecundum qualitatem criminis commiſſi per eum, punit etiam ad mortem.*

RESPONSIO. Supraſcripta communiter vera ſunt, exceptis paucis, quoniam quamvis catholicon Alnancenſis & archiepiſcopus Akchamacenſis vadunt ad canem tamquam ad tyrannum, tenentem mundum, & accipiunt confirmationem ſuper poteſtate temporali & non ſpirituali, quia canis de ſpiritualibus Chriſtianorum non curat. Secundo, utrum Saporius rex Perſarum, qui colebat ignem, hoc modo fecerit, ſicut ſcribitur ſuperius, vel non, tunc vero non propter hoc ſic fit, quia Saporius ſic fecit; ſed quia tyranni hujus temporis qui ſunt canes ſic volunt, quia dominantur in illis partibus, & ſicut volunt ita faciunt ſubditis ſuis. Tertio, licet epiſcopi & ſacerdotes ſerviant ſupradictis catholicon & archiepiſcopo, & populares epiſcopis & ſacerdotibus ſecundum conſuetudinem ſuam; tamen ſupradicti prælati non poſſunt vi extorquere pecuniam a populo, niſi a cane accipiant mandatum ſpeciale, & hoc poteſt eſſe valde raro. Quarto, quia quamvis ſupradictus catholicon Alnancenſis & archiepiſcopus Aktamacenſis heredes ſibi eligant, tamen in vita eorum non conſecrantur electi, ſed poſt mortem. Sequitur.

Catholicon vero minoris Armeniæ ſic ſit;

quia mortuo catholicon, rex Armeniæ convocat A *episcopos quos vult, & eligunt tres episcopos minoris Armeniæ in catholicon & præsentant eos regi, qui rex coram quolibet electorum prædictorum flectit genua, & deinde ille de dictis electis, qui plus de pecunia dederit regi, per regem statuitur catholicon, & confirmatur per hoc quod rex imponit annulum in digito manus ejus, & iste catholicon qui nunc est, dedit pro confirmatione sua dicto regi* L. *millia grossorum vel valorem ipsorum, & quolibet anno dat ei* XX. *millia grossorum vel valorem. Dictus autem rex potest deponere dictum catholicon, & aliter punire quando vult; & apud Armenos catholicon, episcopi, & presbyteri nullum ordinem alicui dant, nisi interveniente pecunia, nec chrisma, nec aliquod aliud sacramentum; sed omnia alia talia venalia sunt apud eos.*

Responsio. Veritas hæc est, quod post mortem catholicon, archiepiscopi, episcopi, magistri, abbates & archipresbyteri de mandato regis congregantur, & quilibet horum dat vocem cui vult, scilicet episcopis, magistris, abbatibus & monachis : & voces omnium in scriptis dant regi sub sigillis suis. Si vero plures sunt, rex mandat ut conveniant in duobus vel in tribus; deinde rex cum concilio suo de tribus his eligit unum quem C vult, & in die consecrationis rex flexis genibus ponit annulum in digito ejus, osculando manum dextram, & redit ad locum suum, & tunc accipiunt eum prælati, & consecrant eum secundum consuetudinem catholicatus. Tamen consensus regis in electione catholicon cum argento non fit, ut dicitur in articulo. Sequitur.

Dictus autem rex potest deponere dictum catholicon, & alias punire quando vult.

Responsio. Rex catholicon de jure nec deponere potest, nec punire; sed si aliquod malum fecerit contra canones, illa de causa canones deponunt eum & puniunt; tunc rex congregat episcopos qui elegerunt illum D catholicon, & deponit eum & punit; sed de hoc quod in articulo dictum, quod apud eos catholicon, episcopi, & sacerdotes nec ordines, nec crisma, nec aliquod aliud sacramentum dant aliqui, nisi interveniente pecunia, falsum est hoc : quamvis aliqui ante & post ordinationem episcopo dant aliquid per modum encœnii secundum quod volunt, & non pretium gratiæ ordinum.

ART. LXXXIX *Item, quod imperator majoris Armeniæ quando confirmat dictos catholicon, dicit eis :* Eatis & faciatis officium secundum fidem vestram, & mandamus quod possitis benedicere, maledicere, & ligare & solvere secundum fidem vestram, prout vobis videbitur expedire; & volumus quod Christiani qui sunt sub nobis obediant vobis, & si obedire nollent, mandamus quod illi qui præsunt terræ, eos cogant vel puniant, *& de hoc dat eis privilegium.*

Responsio. Hæc nos nescimus utrum ligandi vel solvendi mandatum dent ipsi, nec fit de voluntate nostra vel per canones, nec nos corrigere & dirigere possumus, eo posito, quod sic fieret, sicut dicitur in articulo. Sequitur.

Et eodem modo fit per regem minoris Armeniæ, de catholicon minoris Armeniæ.

Responsio. Falsum est hoc, quoniam rex ipsi catholicon non dat privilegium, nec auctoritatem ligandi, absolvendi, maledicendi & benedicendi; quia quod non habet, dare non potest : catholicon vero habet auctoritatem hanc de Christo, mediantibus B apostolis & eorum sequacibus. Sequitur.

Et rex minoris Armeniæ eligit ipsos episcopos & presbyteros, accepta pecunia ab eis; & postea illos electos in episcopos mittit ad catholicon, ut consecrentur per eum, & presbyteros ad episcopos, ut ordinentur per eos : qui etiam episcopi & presbyteri ordinantur per catholicon & per episcopos pecunia.

Responsio. Episcopi minoris Armeniæ de voluntate regis eliguntur & constituuntur, & causa ista est, quoniam monasteria cum redditibus suis de patrimonio regis sunt, & diœceses episcoporum & monasteria cum reditibus suis mixti sunt simul, qua de causa sine C voluntate regis non fit; & si quandoque catholicon electionem putat esse inconvenientem, violenter non facit fieri. De pecunia vero sciendum est, quod non per bonam consuetudinem nec per canones potest fieri. Si vero facit, peccat. Qui nunc de majori Armenia veniunt, cum litteris testimonialibus, catholicon consecrat eos auctoritate sua. Tamen illud quod dicitur de sacerdotibus, quod rex accipit pecuniam, & mittit eos ad episcopos ut consecrentur, omnino falsum & in LXVIII. articulo breviter manifestavimus modum dandi & accipiendi de sacerdotibus : sic fit de episcopis. Sequitur.

Eo autem ipso quod sunt consecrati vel ordinati, a Deo immediate post consecrationem accipiunt potestatem ligandi & solvendi, consimilem illi quam dedit Christus B. Petro apostolo, & tantam potestatem habent presbyteri, sicut episcopi & catholicon.

Responsio. De hoc respondimus in LXXXIV. articulo sufficienter.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ART. XC. *potestas illa quam Christus dedit B. Petro dicendo ei* ; Quodcumque ligaveris super terram, &c. *Fuit solum data personæ Petri, &* E *pro ipso solo : ita quod hæc potestas non transivit ad aliquem ejus successorem.*

Responsio. In articulo LXXXIV. manifestavimus quomodo successores habent auctoritatem prædecessorum, sicut nos habemus & dicimus, & malum hoc noviter inventum, nullus qui utitur ratione cogitat.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ART. XCI. *generalis potestas super totam ecclesiam Christi*

non fuit data Petro, nec ſucceſſoribus ejus a Chriſto; ſed hæc poteſtas fuit eis data per concilium Nicænum, quam tamen poteſtatem poſtea ſucceſſores Petri perdiderunt.

RESPONSIO. Hæc de novo audivimus; ſed nos bene habemus hoc in ſcriptis, quod volumus dicere, quod in prima & ſecunda ſynodo Nicæni patres ſententiam dederunt, quod eccleſia Romana caput eſſet aliarum eccleſiarum. Similiter & pontifex Romanus excellentior quam alii pontifices. Igitur nos ſic dicimus & habemus non ſolum, quia in ſancta ſynodo determinatum fuit; ſed quia Chriſtus oves ſuas Perro recommendavit paſcere. Illud vero quod dicunt, quia ſucceſſores Petri auctoritatem perdiderunt. Hæc ſunt verba rixæ & non caritatis, nec veritatis; & abſit quod talia verba ſtolida per mentes noſtras tranſierint.

ART. XCII. *Item, quod apud Armenos non ſunt niſi tres ordines, ſcilicet, acolytatus, diaconatus & presbyteratus.*

RESPONSIO. Secundum conſuetudinem noſtram acolytum vocamus oſtiarium, quem facimus ſub iſta forma; quia in fine orationis oſtiario dat epiſcopus clavem in manu, accedenti, dicendo *Accipe auctoritatem claudendi & aperiendi portas eccleſiæ ſanctæ*, & ſcindit crines per modum crucis, & in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Secundo dat candelam in manu ejus, & dicit: *Accipe auctoritatem accendendi lampades ſanctæ eccleſiæ.* Tertio dat libros in manu ejus, & dicit: *Accipe auctoritatem legendi libros divinos ſanctos novi & veteris teſtamenti.* Et hæc tria vocamus acolytatus ordinem. Poſt ſubdiaconos ordinamus: poſt orationem & alias orationes, ponit epiſcopus manum ſuper capita eorum, & in fine induunt veſtimenta, & ponunt manipulum in manu ſiniſtra, & iſtos vocamus ſubdiaconos & exorciſtas, & ſic ſunt quinque ordines. Ordinem vero diaconatus ſic damus: poſt multas ordinationes & orationes quas dicit epiſcopus ſuper diaconum iuxta altare; deinde convertit epiſcopus faciem diaconi ad populum, & ambas manus ponit ſuper caput ejus, & aſtantes ſacerdotes ponunt unam manum ſuper humerum, & aliam elevant ad Deum dicendo alta voce epiſcopus & ſacerdotes: *Divina & cœleſtis gratia quæ ſemper imples neceſſitatem adminiſtrationis apoſtolicæ eccleſiæ, voca talem de ſubdiaconatu in diaconatum & ad miniſtrationem ſanctæ eccleſiæ ſecundum teſtimonium perſonæ ſuæ & populi*, & populus dicit ter: *Dignus eſt.* Deinde convertit eum ad orientem, flectendo genua coram epiſcopo, & ponit manum ſuper caput ejus dicendo: *Ego ponam manum meam ſuper eum vos omnes orate, ut dignus ſit iſte gradum diaconatus incorrupte obſervare ante ſanctum altare Dei.* Poſt hæc dicit multas orationes & epiſtolas. In fine vero epiſcopus ponit ſtolam ſuper humerum ſiniſtrum dicens: *Accipe mundam & ſanctam ſtolam de manu Domini noſtri* JESU CHRISTI, *& tradidit evangelium in eccleſia Dei ad auſcultationem vivorum & memoriam mortuorum.* Deinde tradit thuribulum cum incenſo dicens: *Accipe licentiam dare odorem ſuavitatis ad miniſtrationem ſacramenti Dei.* Quando vero ſacerdotem ordinamus, hoc modo facimus: poſt aliquas orationes, quas habet dicere epiſcopus tenendo manum ſuper caput ejus, convertit eum ad populum, & dicunt: *Divina & cœleſtis gratia, &c.* Illo modo ſicut ſuperius in ordinatione diaconi diximus, & deinde dicit epiſcopus multas orationes, & legunt multas lectiones, & poſt hæc omnia ſacerdos qui noviter ordinatur aperit manus adhærentes ad invicem, & epiſcopus cum chriſmate per modum crucis ſignat ambas manus ejus, ſicut ſuperius diximus, ſic dicens: *Tu, Domine magne, ſanctitate & benedictione manus iſtorum & omnia quæ hi benedicent benedic, & quod manus iſtorum ſignabunt in nomine tuo confirma, & perfice ut ſint confortati per gratiam Domini noſtri* JESU CHRISTI. Poſt hæc accipit epiſcopus patenam cum corpore Domini & calicem cum ſanguine, & dat in manibus eorum dicendo: *Accipe poteſtatem per gratiam Dei ſignare & perficere ſanctam euchariſtiam pro vivis & mortuis.* Deinde ponit epiſcopus dextram ſuper novos ſacerdotes & dicit: *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, deſcendat ſuper vos, qui perfecti eſtis in ordine ſacerdotali, offerre propoſitionem corporis & ſanguinis Chriſti Dei noſtri pro pace in remiſſionem peccatorum, populo Dei, cui det gloria, potentia & honor, &c.* Modum & reſponſionem iſtorum ordinum dominus BERMUNDUS comes Quiquenſis ſecundum antiquam conſuetudinem Armenorum, & ſecundum novam conſuetudinem, quas eccleſia Armenorum impetravit ab eccleſia Romana a cc. annis citro interpretravit in lingua latina, & miſit vobis & demum etiam poteritis videre veritatem. Sciendum quod a prædeceſſoribus noſtris ſic pervenit ordo ſacerdotis, & ita ſic nos fecimus & facimus. Sequitur.

Quod ordines conferunt epiſcopi promiſſa vel accepta pecunia.

RESPONSIO. Item iſtius in LXXXVIII. articulo diximus. Sequitur.

Eodem modo dicit ordines presbyteratus & diaconatus conferunt, ſcilicet per manus impoſitionem, dicendo quædam verba, hoc ſolum mutato, quod in ordinatione diaconi exprimitur ordo diaconatus, & in ordinatione presbyteri ordo presbyteratus.

RESPONSIO. Veritatem ſicut habemus ſupra manifeſtavimus. Sequitur.

Nullus autem epiſcopus apud eos poteſt ordinare alium epiſcopum, niſi ſolus catholicon; qui catholicon tenet penes ſe pontificale

ubi continetur modus consecrandi episcopum dictum; qui catholicon nullum in episcopum consecrat, nisi data vel promissa pecunia secundum facultates consecrandi in episcopum vel valorem episcopatus.

Responsio. Verum est quod secundum consuetudinem ecclesiæ catholicon solus consecrat omnes episcopos vel archiepiscopos Armeniorum, astantibus episcopis vel archiepiscopis, & facimus secundum canones sine pecunia, & episcopi consecrati a catholicon serviunt secundum valorem episcopatus. Sequitur.

Et in majori Armenia consecrantes episcopos, presbyteros, diacones, vel acolythos in communibus vestibus stant, dum prædicta faciunt, & etiam ordinandi.

Responsio. Quamvis talia prius facta fuerunt, & ab aliquibus paucis & simplicioribus: nunc vero cum sanctis vestimentis communiter faciunt, maxime qui obediunt nobis, & de die in diem quantum possumus corrigimus.

Art. XCIII. *Item, quando aliquis ordinatus est in diaconem, episcopus dat ei licentiam quod contrahat matrimonium cum virgine: quo matrimonio contracto, ministrat in dicto ordine, & potest etiam, stante matrimonio, promoveri in sacerdotem.*

Responsio. Semper apud nos in acolytatus ordine qui volunt sacerdotes sæculares fieri, accipiunt uxores virgines, & deinde subdiaconi & diaconi fiunt, & serviunt in ordine diaconatus, & ideo falsum dicit, quod prius diacones fiunt, & deinde uxorem accipiunt. Sequitur.

Si existens diaconus, accipiat secundam uxorem, postea non promovetur ad sacerdotium.

Responsio. Verum est hoc.

Art. XCIV. *Item, in Armenia majori quando aliquis ordinatur in diaconem, non datur liber evangeliorum nec stola, sub certa forma verborum; nec quando aliquis ordinatur in presbyterum, datur ei calix cum vino, nec patena cum pane sub certa forma verborum quibus utitur ecclesia Romana, nec inunguntur ejs manus.*

Responsio. In majori Armenia episcopi qui a nobis consecrantur, ita sicut manifestavimus in XCII. articulo: qui vero non obediunt nobis, eos non bene cognoscimus veraciter. Sequitur.

Nec quando aliquis ordinatur in episcopum, ponitur liber evangeliorum in cervice & in spatulis ejus, nec caput nec manus inunguntur ejus chrismate, ut fit in ecclesia Romana. Catholicon etiam majoris Armeniæ soli consecrant episcopos, assistentibus eis aliis episcopis.

Responsio. De minori Armenia ponimus evangelium super spatulas, & ungimus pollicem & caput, sicut in LXV. articulo expressimus, & astant multi episcopi in consecratione. In majori vero Armenia, qui non obediunt nobis, quomodo faciunt, nos nescimus veritatem.

Art. XCV. *Item, quod catholicon majoris Armeniæ dedit potestatem cuidam presbytero, ut possit ordinare in diacones quos vellet de subjectis, cum tamen apud Armenos minoris Armeniæ, nullus possit ordinare aliquis in presbyterum & diaconum nisi solus episcopus.*

Responsio. Hoc vero falsum est, quia non invenimus aliquem catholicon minoris Armeniæ, qui dederit sacerdoti licentiam diacones ordinare, quoniam apud nos solus episcopus potest diaconos ordinare, & non sacerdos.

Art. XCVI. *Item, catholicon minoris Armeniæ, quando vult consecrare episcopos, induit se vestimentis sacris; ipse tamen solum dictam consecrationem facit, & si aliqui episcopi sint præsentes propter honorem ejus, non consecrant cum eo episcopum; sed solum assistunt in missa, quando celebrat catholicon, sicut cardinales quando papa celebrat, nec tenent librum pontificalem, nec orationes dicunt, quæ dicuntur per episcopos assistentes in consecratione episcoporum.*

Responsio. Quamvis catholicon solus dicat orationes consecrationis, tamen episcopi qui assistunt participant cum eo, quia aliqui de assistentibus episcopis tenent manus accedentis, & alii evangelium tenent super humeros accedentis, & alii tenent manus super humeros ejus, quando catholicon consecrat, & unus episcopus legit evangelium secundum quod convenit, & omnes alta voce dicunt: *Divina & cœlestis gratia, &c.* sicut in ordine diaconatus scripsimus. Ideo verum non est quod dicit, quod nihil faciant episcopi assistentes ei, quamvis episcopi assistentes non habeant librum pontificalem.

Art. XCVII. *Item, quod catholicon Armeniorum conveniunt cum episcopis eis subjectis, qui non per successionem veniunt, ad certam quantitatem pecuniæ ei dandam; quam si non solvunt deponit eos, & consecrat alios episcopos loco ejus, & cum suis litteris scribit populo, quod ipse episcopum primum deposuit & alium constituit, ex quo contigit quod frequenter propter talem causam in uno episcopatu sunt tres vel quatuor episcopi: venientes simul episcopos & depositos per eum iterum restituit ad suos episcopatus, si bene solvant ei pecuniam de qua cum ipsis convenit.*

Responsio. Episcopos non dantes pecuniam raro contigit deponere; tamen multoties quia sunt in subjectione infidelium non obediunt aliquando catholicon, vel alter alterius episcopatum rapit, vel contrariatur veritati, vel unioni ecclesiæ orthodoxæ, vel quia propter mala merita sua populum scandalizat, & quando vocamus eos, ut veniant ad nos ut corrigantur, ipsi non obediunt, nec veniunt, ideo deponimus eos, & propter tales causas tales privantur ab episcopati-

bus ſuis, & alii in loco eorum ſubſtituuntur; tamen epiſcopus depoſitus ſi injuſte ſit depoſitus, propter invidiam & falſum teſtimonium, proceſſu temporis examinatione facta & veritate reperta, qui injuſte fuit depoſitus, tunc reſtituitur ad epiſcopatum ſuum. Sequitur.

Illos vero epiſcopos, qui veniunt per ſucceſſionem, quando non ſolvunt ei pecuniam de qua cum eis convenit; dictus catholicon eos excommunicat, nec dat eis chriſma, quouſque ſolvant dictam pecuniam.

Responsio. Quoniam inobedientes reperiuntur epiſcopi, & cenſum debitum de jure noſtro & conſuetudine quam tenentur dare ſedi noſtræ, & non dant; tunc propter hoc puniendo increpat in ſpiritualibus, quouſque reddiderint cenſum eccleſiæ debitum.

Art. XCVIII. *Item, catholicon minoris Armeniæ tenet penes ſe ulnam brachii & manum adhuc integram B.* Gregorii, *qui fuit catholicon, & fuit ordinatus epiſcopus more eccleſiæ Græcæ; quam ulnam & manum dictus catholicon ponit ſuper caput & manus illorum quos ordinat in epiſcopos, & dicit, quod ſi dictæ manus impoſitio & brachii non fieret ſuper caput & manus illorum, qui per eum ordinantur in epiſcopos, non eſſent ordinati in epiſcopos; quia impoſitio dicti brachii & manus faciunt conſecrationem epiſcoporum, & propter hoc ipſe nullos epiſcopos ut epiſcopos recipit, qui ordinati fuerunt per alios catholicon Armeniæ majoris, quod nullus alius catholicon, niſi ipſe, dictum brachium & manum Gregorii habeat.*

Responsio. Hoc omnino falſum eſt, quia quamvis dextra B. Gregorii ſancti patris noſtri, qui fuit ſucceſſor B. Thadæi apoſtoli, & convertit gentem Armenorum, cum multis paſſionibus & miraculis de idolatria ad cultum Dei, ponamus ſuper capita epiſcoporum ſignando, tamen non dicimus nec habemus, prout habetur in articulo, quod impoſitio dicti brachii ſeu ulnæ faciat conſecrationem epiſcoporum, quoniam patet manifeſte falſum; quia ſecundum hoc ſequeretur, quod nullus de aliis epiſcopis eſſet epiſcopus; quos omnes tamen reputamus epiſcopos, & illos etiam qui de catholicon Alnanenſi & archiepiſcopo Akathamarenſi conſecrati ſunt, quamvis cum ipſis propter eorum rebellionem non participamus; tamen quando uniunt ſe eccleſiæ noſtræ, recipimus eos ut epiſcopos:

Artic. XCIX. *Item, quod Armeni venientes ad Italiam, dicunt ſe eſſe expulſos de epiſcopatibus ſuis per Sarracenos, cum tamen hoc verum non ſit; & dicunt ſe eſſe archiepiſcopos, cum tamen in Armenia nullus ſit archiepiſcopus, ad hoc ut poſſint pro pecunia vendere religioſis mendicantibus epiſcopatus; & multi ex eis magnas pecunias exigunt, & multos epiſcopos taliter fecerunt, & in curia Romana etiam multos ordinaverunt in presbyteros & diaconos ſine licentia diœceſanorum, in quorum diœceſi habitabant, & pro pecunia & perſecuti ſunt & perſequuntur illos Armenos, qui ſecundum ritum eccleſiæ Romanæ baptizabantur, & illos qui fidem Romanæ eccleſiæ tenent: & dicunt quod eccleſia Romana errat; ſed epiſcopi Armeni bonam & rectam fidem tenent.*

Responsio. Poteſt eſſe quod ſupradicti epiſcopi fugientes de tribulationibus veniunt ad vos, ut quieſcerent tamquam pueri ad patrem, licet non cum litteris & verbis noſtris. Ideo ipſi reſpondeant pro ſe ipſis. De hoc vero quod dicunt, quod Armeni non ſunt archiepiſcopi, falſum eſt hoc, quia multi archiepiſcopi ſunt in minori & majori Armenia, quamvis ſuffraganeos non habeant, quia aliqui epiſcopatus vacant, qui diſſipati ſunt per infideles, & aliqui de archiepiſcopis in majori Armenia epiſcopatus ſuffraganeorum ſuorum rapuerunt; & quia ſub poteſtate infidelium ſunt, eos vi dirigere non poſſumus. Pro perſecutione vero Armenorum, qui iterum rebaptizati ſunt, ſciendum eſt, quod nos contrarium audivimus ab aliquibus qui appellaverunt ad nos, quod ſine mandato papæ condemnaverunt illos qui ſunt in monaſteriis Armenorum in terra Latinorum, & condemnant & incarcerant, quouſque coacti chirographum propria manu dent ſcriptum, quod non ſunt baptizati, & tunc baptizant eos, & perſequuntur eos quouſque fugiunt de partibus veſtris. Notandum quod ipſe ſibi contrarium dicit, quia in articulo LXXVIII. dicit, quod duo archiepiſcopi dubitantes, &c. & nunc dicunt, quod in Armenia nullus ſit archiepiſcopus: ex quo patet ſimplicitas & falſitas eorum.

Item, quod apud Armenos nulla eſt certa forma verborum exprimens conſenſum matrimonii inter virum & uxorem; immo multi per parentes & amicos coguntur venire ad eccleſiam, ut matrimonium fiat inter eos; & quamvis unus vel ambo dicant, quod nolunt inter ſe matrimonialiter copulari, tamen matrimonium fit inter eos in facie eccleſiæ. Art. C.

Responsio. Apud Armenos eſt forma verborum, quæ conſenſum matrimonialem manifeſtant inter virum & uxorem. Igitur primo mediantibus parentibus ſponſi & ſponſæ loquuntur ad invicem, & ſi conſentiunt, deſponſant ſe mutuo per traditionem annuli; & quando veniunt ad portam eccleſiæ, tunc promittit fidem unus alteri cum talibus verbis: Interrogat ſacerdos ſponſum, dicendo: *Si talis mulier efficiatur cæca, clauda, leproſa, infirma, dominus es?* quod ſonat in lingua Armenica: *Vis accipere eam?* Tunc ſponſus reſpondet: *Dominus ſum*, hoc eſt, conſentio in eam. Deinde ſponſam interrogat, & ipſa reſpondet in ſimili forma, & cetera talia; & in libro quem olim miſeramus vobis, invenietis ſufficienter ſuper iſta ma-

teria. Deinde introducit in ecclesiam, & dat benedictionem, & huic respondent, *ad domum*. Et hæc est consuetudo generalis omnium Armenorum. De violentia vero, quam dicit fieri per parentes & amicos, contra voluntatem viri & uxoris, in terra nostra non fit. Si vero accidat in terra infidelium, tunc per episcopos cum excommunicationibus &

ART. CI. pœna pecuniaria corriguntur & diriguntur.

Item, quod inter Armenos gradus consanguinitatis & affinitatis, qui apud eos pro eodem habentur, observantur usque ad septimum gradum. Si tamen aliqui existentes in tertio gradu & infra inter se matrimonium contrahant, permittuntur stare in tali matrimonio, & non inquietantur super hoc per episcopos.

RESPONSIO. Secundum antiquam consuetudinem gradum consanguinitatis custodiebamus usque ad septimum gradum : nunc vero usque ad quintum gradum observamus; & si infra contrahatur per simplices, dirimuntur, & gradum affinitatis usque ad duos

ART. CII. vel tres, & non amplius, ut dicunt.

Item, quod apud Armenos, si post matrimonium contractum, & carnali copula subsequuta, & prole suscepta, viro non placeat uxor, vel e converso ; ille cui non placet alter conjunx vel ambo, si sibi mutuo non placent, vadit vel vadunt ad episcopum seu sacerdotem, & eis data pecunia, secundum quod ad invicem conveniunt, episcopus seu sacerdos separat dictum matrimonium, & licentiam dat alteri nubendi, etiam tum altero conjuge invito, & hoc fit multoties apud Armenos.

RESPONSIO. Hoc nunc non facimus, & si inveniatur qui talia fecerit amplius, secundum præcepta ecclesiæ nostræ, ipsum episcopum dejicimus ab episcopatu suo, & privamus ab executione ordinum, & bona confiscantur ad palatium regis. Et hoc confirmatum est per spiritualem & temporalem curias nostras. Tamen eunuchos & dæmoniacos post spatium septem annorum separamus. In Armenia autem majori adhuc multotiens fit illud quod superius dictum est.

ART. CIII. *Item, apud Armenos multi sunt qui habent plures uxores simul, quia viri habentes uxores in uno loco, cum se propter mercaturas vel alias transferunt ad alia loca, accipiunt alias uxores in dictis locis ad quæ se transtulerunt : in locis etiam propriis manentes, multi sunt qui duas uxores viventes simul habent, quarum unam accipiunt post aliam, etiam in facie ecclesiæ talia matrimonia facientes.*

RESPONSIO. Plures uxores simul habere non fit apud nos legitime, & non vidimus: tamen uxorem & fornicariam multotiens inlegitime accidit simul habere. Quod de mercatoribus dicit, potest fieri incongrue, & sine lege. Illud etiam quod dicit, quod duas uxores simul viventes matrimonialiter habent communiter, falsum est, & contra canones ; quia Christus non plures, sed dixit : *Duo erunt in carne una.* Sequitur.

Spurii etiam apud eos ita succedunt in hereditatem, ac si legitimi essent, & promoventur sine alia dispensatione ad omnes ordines, & ad episcopatum, & etiam ad statum catholicon, sicut de facto est de nepote Zachariæ, qui erat filius concubinæ fratris dicti Zachariæ, qui promotus est in episcopum post patruum suum.

RESPONSIO. Apud nos spurii ad gradum sacerdotii non possunt ascendere, secundum consuetudinem & canones ecclesiæ nostræ; & si contingat, fit contra statuta. De nepote autem dicti domini Zachariæ, de quo dicitur quod est spurius fratris domini Zachariæ, hoc non audiveramus, & cum audivimus & quæsivimus, tunc fuit nobis dictum, quod de licentia domini Johannis fuit factum.

Item, quod cum Armeni dicunt, quod in ipsa unione natura humana in Christo conversa fuit in divinitatem ; dicti Armeni dicunt & credunt, quod Christus in judicio, in forma divina apparebit & judicabit, & non in forma humana. ART. CIV.

RESPONSIO. In XX. & in XXI. & multis aliis manifestavimus, quod secundum fidem Armenorum, nec humana natura conversa fuit in divinam, nec divina in humanam; sed divina & humana naturæ unitæ fuerunt in uno Christo non confuse & indivisibili unione, & ita falsum imponunt Armenis; & sic necesse non est hoc repetere : tamen de modo & apparitione Christi in judicio, ecclesia Armenorum in symbolo, contra hoc ostendit quod habet & credit, dicens : *Venturus est in corpore ecclesiæ forma hominis & gloria Patris judicare vivos & mortuos.* Ecce forma Dei. Idem & Matthæus dicit : *Venturus Filius hominis in gloria Patris sui.* Et Johannes Apocal. 1. *Ecce veniet in nubibus cœli, & videbunt eum omnes oculi & qui vulneraverunt eum.* Quomodo ergo Christus erit in judicio Filius & eodem corpore quod accepit a Virgine, & non habebit figuram hominis ? quod est valde falsum & phantasticum.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod post generale judicium justi & impii in æternum vivent, quia ex tunc non morientur. ART. CV.

RESPONSIO. Verum est ; justi autem in gloria, & impii in pœnis. Sequitur.

Dicunt tamen, quod ex justis hominibus aliqui ibunt in paradisum cœlestem post judicium, & alii in paradisum terrestrem, & alii in terram istam, ut supra dictum est, in quibus locis nullam pœnam sustinebunt.

RESPONSIO. Quamvis invenitur quod aliqui putaverint hoc, tamen opinio ista non capitur a nobis, quoniam nos recepimus & credimus, ut Christus dicit, quod justi ibunt in vitam æternam, & peccatores ad pœnas æternas. Sequitur.

Dicunt tamen, quod vita æterna etiam in illis qui

qui ibunt in paradiſum cæleſtem, non conſiſtit in Dei viſione faciali & fruitione; quia Dei eſſentia a nulla creatura umquam videbitur, ſed ſolummodo claritas ejus.

RESPONSIO. In VIII. articulo ſufficienter ad hæc fuit reſponſum.

ART. CVI. *Item, quidam catholicon Armenorum ſcripſit & dixit, quod in generali reſurrectione cum corporibus ſuis omnes homines reſurgent.*

RESPONSIO. Verum eſt. Sequitur.

Sed tamen in corporibus eorum non erit ſexuum diſcretio, quia ſi talis diſcretio ſexuum eſſet inter eos, tunc viri ducerent uxores, & mulieres nuberent, cujus contrarium Dominus dixit: ſed reſurgent viri & mulieres cum corporibus ſuis in alia forma, in qua non erit ſexuum diſcretio.

RESPONSIO. Sicut audivimus & didicimus a ſancto evangelio, quando reſurgent omnes in reſurrectione generali cum propriis corporibus ſuis, nec viri uxores accipient, nec mulieres viros; ſed erunt ut angeli, qui in cœlis ſunt; & ita credimus & habemus, quoniam poſt reſurrectionem generatio non erit, tamen quod cum ſexu virili & femineo reſurgendi ſunt, de hoc communiter ab eccleſia Romana certificati ſumus & placet; & contrarium non recipimus, quamvis apud nos inveniatur opinio nunc dicta in articulo.

ARTIC. CVII. *Item, Armeni tenent, quod ſi aliquis ſit in periculo moriendi, & non habeat tempus recipiendi communionem, quod faciunt crucem cum manu in terra, & de quolibet brachio dictæ crucis accipiunt modicum de terra & comedunt, & hæc comeſtio terræ habetur per eos pro communione.*

RESPONSIO. Hæc ſunt phantaſiæ vetularum & ſimplicium, & reſponſionis non digna: quoniam non quicquid vetulæ quandoque dicunt, apud nos eſt lex; quia hoc anno in terra noſtra plus quam decem millia Chriſtianorum a gladio infidelium occiſi ſunt, & numquam ab aliquo audivimus, quod aliquis cum terra communicatus fuerit.

Item, quod aliqui magni homines Armeni laïcis dixerunt, quod ſicut beſtiæ in morte exſpirant, & ſic moriuntur: ita & homines: & ſicut beſtiæ cum ſemel mortuæ fuerint, numquam reſurgent: ita nec homines poſtquam mortui fuerint, reſurgent.

ARTIC. CVIII. RESPONSIO. In terra noſtra per gratiam Dei tales hæretici non inveniuntur, ſicut ipſi dicunt: tamen ſi in majori Armenia inveniantur, ignoramus, & talia alia non audivimus, excepto de quibuſdam hæreticis, qui ſunt in majori Armenia in contrata *Manaſguer*, & vocantur filii ſolis, & quamvis ipſi habitent in majori Armenia, & loquantur Armenice, tamen Armeni non ſunt; ſed colunt ſolem, & ſunt infideles manifeſti, & operantur multas alias turpitudines, quas propter prolixitatem tranſimus.

ARTIC. CIX. *Apud Armenos nullus punitur de quocumque errore quem teneat.*

RESPONSIO. Falſum eſt hoc, quia multi puniuntur de erroribus ſpiritualibus, & de malis corporalibus, quantum convenit & poſſibile eſt ſecundum conditiones temporum.

ART. CX. *Item, apud Armenos ſunt multi alii errores a prædictis, qui errores continentur in infra ſcriptis libris Armenorum quorum primus intitulatur* Tonapachaz*, *id eſt contra feſtivitates quas eccleſia Romana celebrat & Græca. Secundus liber vocatur* Anadoarmat, *id eſt Radix fidei. Tertius liber vocatur* Johannes Mandagonenſis. *Quartus liber vocatur* Johannes Oſtinenſis. *Quintus liber vocatur* Myaſtoſuruy*, *id eſt unius locutionis. Sextus vocatur* Michael Patriarchæ Anthiocheni. *Septimus vocatur* Paulus Taronenſis. *Octavus intitulatur* Occenenſis.* *Nonus vocatur* Matthæus. *Decimus vocatur* Canonum apoſtolorum, *in quo continentur omnes errores Armenorum. Undecimus dicitur* Sergium. *Duodecimus dicitur* Marocha *a nomine magiſtri, qui ſic vocabatur, in quo libro exponuntur evangelia. Decimus tertius dicitur* Vanam *in quo exponitur evangelium Johannis. Decimus quartus dicitur* Ignadius, *in quo exponitur evangelium Lucæ. Decimus quintus vocatur* Guanazan, *id eſt liber virgarum. Decimus ſextus vocatur* Neginus Pataraquin, *in quo exponitur miſſa. Decimus ſeptimus vocatur* Teytorgunt * *id eſt liber epularum. Decimus octavus vocatur* Aiſmavort*, *id eſt martyrologium, & quod ſunt plures alii libri Armenorum in quibus multi continentur errores.*

* *al.* Tonophacen.

* *al.* Myaſcoſurum.

* *al.* Octavenſis.

* *al.* Textorquire.

* *al.* Aiſmanore, id eſt, martyrologium.

RESPONSIO. Sciendum eſt quod de ſuper ſcriptis libris ſunt aliqui quos neſcimus, & ſunt iſti primus *Toctanenſis*, ſecundus *Mathæus*, tertius *Miaſcoſurus*, libri vero quos audivimus & vidimus & qui ſunt ſpernendi & reprobandi, nec a nobis recipiuntur, ſunt *Johannes Oſtinenſis*, *Mandagonenſis*, *Paulus Taronenſis*, *Maruchа*, *Michaël*; ſed libri qui ſunt in eccleſia Armenorum approbati & acceptabiles in parte non ſunt iſti *Tonapachar*, *Hanadoarmat* ideſt radix fidei *canones apoſtolorum*, *liber Sergium*, *Vanam*, *Ignadius*, *Guanazam*, *Ayſyjanot*, *Pataraquin*, *Mehging*, id eſt expoſitio miſſæ, in iſtis, quando inveniuntur aliqua, quæ contra veritatem ſunt & unionem noſtram cum eccleſia Romana, ſed vel de una natura, vel de aqua in ſacrificio, vel de feſto nativitatis, vel de ſynodo Calcedonenſi, & ſi quæ ſimilia, de quibus ad præſens non recordamur, illa ſpernimus, reprobamus, nec recipimus.

ART. CXI. *Item, dicunt Armeni quod Chriſtus non depoſuit ſuperflua naturæ, & ut dicunt, cauſa eſt quia corruptio talium ſuperfluitatum eſt peccatorum gravatio**, *& quia Chriſtus peccata*

* *al.* generatio.

non fecit, ideo non dominabatur sibi talis corruptio.

RESPONSIO. Opinio ista communiter inveniebatur inter Armenos; tamen ex tunc quod uniti fuimus cum ecclesia Romana particulariter & non generaliter invenitur tale dictum, maxime nos volumus sequi intellectum vestrum super hoc verbo.

ART. CXII. *Item, dicunt quod licet Christus fuit circumcisus secundum legem, non tamen sibi fuit amputatum præputium, quia non licebat a Deificato corpore aliquid amputari, & maxime quia sic fuerat ordinatum, quod primogenitus circumcideretur, findendo pellem præputii, & nihil amovendo, & Christus fuit primogenitus.*

RESPONSIO. Quamvis inveniatur in dictis aliquorum sicut scriptum est in articulo, tamen nos sic dicimus, & credimus sicut in evangelio dicitur, quod Christus octava die fuit circumcisus secundum legem Moysi, & vocatum fuit nomen ejus JESUS, & in honorem & memoriam ejus omni anno festum facimus solemniter; & opinio proposita in articulo a nobis non recipitur.

ART. CXIII. *Item, dicunt quod Deus propter amorem hominis victus fuit, quia in suis comminationibus non fuit inventus verax; sed semipartialis; quia dixerat homini quod moreretur, si manducaret lignum vetitum; & tamen non fuit totaliter mortuus post commestionem fructus, quia anima numquam fuit mortua, iterum etiam nec in corpore fuit mortuus usque ad nongentesimum trigesimum annum. Iterum quia animalia omnia non revellaverunt sibi, sed necessaria in ejus servitio remanserunt.*

RESPONSIO. Si opinio ista inveniatur ab aliquo dicta, ad nos tamen non pervenit, nec tale quid alias audivimus, quia nos naturam divinam & incommutabilem credimus & scimus, & Deum in verbis suis ineffabilem & veracem scimus & credimus, quoniam sicut dicit Deus Adæ, quod in die qua comedes morte morieris, & sic factum est, & ex tunc sub potentia mortis cecidit, & perdidit gloriam paradisi, & post tempora mortuus fuit corpore, & animalia etiam post transgressionem Adæ non sic obedierunt Adæ & filiis ejus, sicut ante faciebant ante transgressionem mandati Dei.

ART. CXIV. *Item, dicunt, quod signum posuit Deus non occidendi Cain, & ita fuit ad litteram, quia secundum eos nullus eum occidit; sed ipse de præcipiti se submisit: ex quo innuunt scripturam Geneseos quoad hoc esse falsam, quæ videtur dicere, quod Lamech interfecit Cain.*

RESPONSIO. Si supradicta opinio inveniatur in dictis alicujus stulti, tamen apud nos sic non invenitur, quoniam in biblia nostra, & in libris qui leguntur in scholis invenimus, quod Lamech interfecit Cain. Sicut Genes. 4. dicitur: *Audite uxores Lamech vocem meam, & auribus percipite, quoniam occidi virum.* (a) [a]

ART. CXV. *Item, quia, cum rex Armenorum vocatus Ethon, ut Armeni unirentur ecclesiæ Romanæ, congregasset omnes episcopos Armeniæ & magistros, & catholicon, ut disputarent cum legato misso ei per Romanam ecclesiam; & facta dicta disputatione, cognovisset dictus rex, quod veritatem tenebat sancta Romana ecclesia, & quod Armeni errantes errant a veritate, ex tunc reges minoris Armeniæ tenent fidem Romanæ ecclesiæ; sed episcopi, magistri & principes Armenorum non fuerunt de hoc contenti; & post recessum dicti legati, quidam magister dictus* Varcham *de Nigro-monte* (b) *composuit unum librum vocatum* de Rifma *contra papam, & suum legatum, & contra ecclesiam Romanam, in quo vocant papam Romanum superbum Pharaonem cum suis subditis in mari hæresum submersos, & legatum ejus ambasiatorem Pharaonis fuisse reversum cum maxima verecundia. Et dixit quod ecclesia Romana erat multum decepta, quia nativitatem & aquam a maledicto Archomano recepit, & multas alias blasphemias scripsit, qui magnus est, & multi magistri Armenorum & episcopi & presbyteri dictum librum habent, & honorant tamquam canones apostolorum.* [b]

RESPONSIO. Invenimus quod in diebus magni ETHIMY regis venit legatus a papa pro unione, & rex recepit eum caritative, & dictum legatum misit in Hormengela ad dominum CONSTANTINUM catholicon; & ipse etiam cum caritate & honore recepit eum, & in tempore illo erat in Nigro-ponte supradictus *Varchan*, vir ignotus & amator rixæ, qui scripsit aliqua verba insipida, erronea, & inordinata contra verba legati, quæ non placuerunt regi, nec catholicon, & sunt valde reprehensibilia apud nos, & ubicumque inveniuntur igne comburuntur.

ART. CXVI. *Item, quod Armeni non habent omnino veram fidem quam tenet ecclesia Romana, nec sacramenta, blasphemantque ecclesiam Romanam & papam & cardinales, dicentes esse hæreticos; & quod catholicon minoris Armeniæ dixit quod papa & omnes cardinales qualibet die plures quam ipsi haberent capillos in capite, faciunt homines occidere: & licet prædicent quod simonia non sit committenda, ipsi tamen sine labe simoniæ nullas gratias faciunt, & pauciissimi sunt homines in majori Armenia præter regem & nobiles, qui teneant fidem veram Romanæ ecclesiæ.*

RESPONSIO. Mentiuntur, Armeni namque habent fidem veram, quam receperunt a sancta catholica & apostolica ecclesia per sanctum Gregorium illuminatorem, & hæc est, *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium &*

(a) Hic desideratur unus articulus de catholicon, quem rex petentibus duobus episcopis deponere recusavit.
(b) In responsione legitur *Nigre ponte*.

invisibilium, & unum Dominum JESUM CHRISTUM, *Filium Dei unigenitum, a Deo Patre genitum, scilicet ex essentia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, eumdem ipsum de natura Patris, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra, visibilia & invisibilia, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, incarnatus est, humanatus est, natus est perfecte ex Maria Virgine per Spiritum sanctum, per quem accepit corpus, animam, mentem & omnia quæ veraciter sunt in homine, indubitanter passus est, crucifixus est, sepultus est, tertia die resurrexit, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, venturus est eodem corpore & gloria Patris judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum sanctum, increatum & perfectum, qui ex Patre Filioque emanat, qui cum Patre & Filio adoratur & glorificatur, qui locutus est per prophetas in lege & in prophetis & in evangelio. Qui descendit in Jordanem, prædicavit in apostolis, & habitavit in sanctis: credit in his sola universalis & apostolica ecclesia, in unum baptisma pœnitentiæ in propitiationem & remissionem peccatorum & in resurrectionem mortuorum, in judicium æternale animarum & corporum, in regnum cœlorum & in vitam æternam.* Qui vero dicunt de eo, quod erat quandoque quando non erat Filius, vel erat quandoque quando non erat Spiritus-sanctus, vel de nihilo factus vel de alia essentia vel substantia dicunt esse increatum * Filium Dei vel Spiritum sanctum, vel alterabilem, vel mutabilem, talia dicentes anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Nos vero glorificemus illum qui est ante sæcula, adorando sanctam Trinitatem & unam Deitatem. Sciendum est quod quamvis primo Spiritum sanctum in symbolo a Patre solum dicebamus emanare, tamen ex tunc quod uniti fuimus cum ecclesia Romana, a Patre & Filio dicimus. Similiter habent Armeni & sacramenta sancta, quorum quodlibet in loco suo superius manifestavimus, & in LXVII. articulo, & omnia in uno loco breviter diximus, sicut habemus & docemus, idem replicare necesse non est. Sequitur.

* f. creatum.

Blasphemant sanctam Romanam ecclesiam, & papam, & cardinales, dicentes eos esse hæreticos.

RESPONSIO. Omnino hoc falsum est, quia si nos tales malas opiniones haberemus de vobis, non fuissemus uniti vobiscum in confessione fidei orthodoxæ, & eo quod hoc dicit, anathematizatum sit. Ista etiam interrogavimus de illo qui tunc temporis catholicon erat, & ipse respondit: ignoro, amen.

CONCILIUM PROVINCIALE Rotomagense anno MCCCXLII. celebratum.

Ex mſ. Aquicinctensis monasterii.

GUILLELMUS miseratione divina episcopus Bajocensis, dilectis nobis in Christo filiis capitulo ecclesiæ nostræ Bajocensis, salutem in Domino. Cum in concilio provinciali nuper in capella archiepiscopali Rotomagensi, gratia Spiritus-sancti prævia, celebrato, statutum novum editum fuerit sub hac forma. Quoniam secundum canonicas sanctiones pro reformandis moribus, & excessibus corrigendis concilia provincialia sint a singulis metropolitanis cum suis suffraganeis celebranda, idcirco nos J. (*a*) miseratione divina Abrincensis episcopus, vi specialis commissi vices gerentes reverendi patris ac domini domini Ay. (*b*) Dei gratia Rotomagensis archiepiscopi absentis, & nomine nostro, & G. (*c*) Sagiensis, ac G. (*d*) Lexoviensis personaliter, nec non & G. (*e*) Bajocensis, R. (*f*) Ebroicensis, ac G. (*g*) Constantiensis episcopi per procuratores ad hoc idoneos constituti in provinciali concilio, in capella archiepiscopali Rotomagensi insimul congregati, & inibi sacrum concilium provinciale celebrantes, vocatis etiam ad dictum concilium abbatibus, prioribus conventualibus, & capitulis tam cathedralium quam aliarum collegiatarum, ac conventibus sæcularium & regularium ecclesiarum & monasteriorum provinciæ Rothomagensis, & per se vel per procuratores præsentibus in concilio memorato pro corrigendis excessibus, præsertim in personis ecclesiasticis perpetrandis, & moribus, quantum in nobis est, reformandis, salva semper in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, post multas deliberationes præhabitas, præfato approbante concilio, consensu unanimi statuimus infrascripta.

[a] [b] [c] [d] [e] [f] [g]

Quoniam multis grassantibus [vitiis] opus est exemplo, ut pœna unius metus sit multorum, & meta præsumtionis existat. Et quia experientia docuit in Rotomagensi provincia fuisse & esse quamplures suæ salutis immemores & oblitos, ac nomen Domini recipientes in vanum, qui perhorrenda inhumanitate, detestandaque sævitia, nonnullas personas etiam ecclesiasticas diffidarunt, & earum vitæ pararunt insidias, domosque ipsarum invaserunt, necnon & ipsas personas ecclesiasticas impediverunt, & eisdem impedimentum præstiterunt, & etiam procuraverunt, quominus pacifice, libere & secure

(*a*) Johannes *Hautfrine*. (*b*) Aymerici qui eodem anno obiit. (*c*) Guillelmus *Maugér*. (*d*) Guillelmus de Caromonte. (*e*) Guillelmus. (*f*) Robertus de *Brucourt*. (*g*) Guillelmus *de Thieville*.

ad ecclesias & alia loca incedere possent, & a suis exire domibus, pro libito voluntatis, eisdemque quamplurimas irrogarunt injurias, ac ipsas fuerunt hostiliter insecuti, & in futurum pejora contingere verisimiliter formidantur, nisi celeriter occurratur. Quapropter nos volentes tot & tantis consimilibus excessibus ac malis exemplis & animarum periculis obviare, sacro approbante concilio, provida deliberatione statuimus, quod si quis in provincia Rothomagensi de cetero aliquam personam ecclesiasticam, cujuscumque status aut ordinis existat, diffidaverit, vel paraverit insidias, quamvis mors, vulneratio vel percussio secuta non fuerit, vel domos ipsas invaserit, vel eam impediverit indebite, aut eidem impedimentum dederit, vel procuraverit, quominus libere, pacifice & secure ad ecclesias & alia loca incedere valeat, & a suis exire domibus pro libito voluntatis, aut alias ipsos fuerit hostiliter insecutus, vel præmissa, aut aliquid præmissorum fieri mandaverit, vel nomine suo facta rata habuerit, aut facienti auxilium, consilium aut favorem impenderit, seu facientes vel mandantes scienter receptaverit; ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, a qua absolvi valeat a diœcesano loci, quo dictum facinus fuerit perpetratum & non ab alio, præterquam in mortis articulo, nisi super hoc a dicto diœcesano mandatum habeat speciale, satisfacto tamen primitus diffidato seu insidiato, arbitrio diœcesani loci, in quo præmissa, aut aliquid præmissorum fuerit perpetratum, & tam diffidator, quam alii quivis supradicti sic excommunicati, quamdiu in sua perduraverint contumacia, singulis Dominicis diebus & festivis, pulsatis campanis & candelis accensis, per omnes illius diœcesis ecclesias, in quo præmissa vel aliquod præmissorum fuerit perpetratum, necnon civitates diœceseon vicinarum ad mandatum diœcesani excommunicati publice nuntientur. Pœnas vero supradictas extendi volumus ad eos, qui diffidationes jam factas, vel aliquod præmissorum de cetero prosequentur. Et ne quis prætextu ignorantiæ a pœna hujusmodi statuti se valeat excusare, statuimus & ordinamus, quatenus præsens statutum in singulis synodis & decanorum calendis, ac etiam in parochialibus ecclesiis ad minus ter annis singulis publicetur. Ejusdem auctoritate concilii vobis districte præcipiendo mandamus, quatenus dictum statutum in nostra Bajocensi ecclesia prædicta, palam, publice & solemniter, ad hoc facto silentio, publicari curetis & mandetis per omnes ecclesias vobis, capitulo, seu singularibus dignitatibus aut præbendis subjectas modo simili publicari, juxta dicti statuti continentiam & tenorem, ita quod non possitis aut debeatis de inobedientia aut negligentia reprehendi. Datum sub sigillo nostro, anno Domini MCCCXLII. die XIV. mensis Decembris.

CONCILIUM TERRACONENSE anno MCCCLXIX. celebratum.

Hanc constitutionem fecit Petrus Terraconensis archiepiscopus VII. *die Martii, anno Domini* MCCCLXIX.

CUm juri sit consonum, ut quilibet in suis juribus foveatur, & factum unius alteri nocere non debeat, eodem approbante concilio, statuimus & ordinamus, quod quilibet episcopus cum clericales tonsuras vel alios ordines in aliqua villa vel castro duxerit conferendas, habeat in principio proponere edictum per se vel per alium loco sui, quod ipse episcopus non intendit promovere ad dictam clericalem tonsuram vel alios ordines, nec admittere aliquem de redemtione existentem alicujus domini ecclesiastici vel laïci temporalis. Et si aliquis de redemtione apparuerit, qui velit dicta clericali tonsura vel aliis ordinibus insigniri; si sui interfuerint, velut ejus pater, tutor, vel curator, vel alius, pro eo autem habeat præstare cautionem idoneam cum juramento in posse dicti episcopi, quod conveniet cum domino suo de jure sibi competenti ratione redemtionis, si & quando ipsi domino placuerit, de qua protestatione & cautione habeat fieri scriptura in libro vel registro ordinum ipsius episcopi ad memoriam rei gestæ.

INSTRUCTIO BONA in & pro visitantibus, in concilio provinciali Remensi composita anno Domini MCCCCVIII.

Ex mſ. codice regii collegii Navarræ.

AD laudem Dei & ædificationem populi Christiani, compilata est hæc brevis & rudis instructio tempore quo celebrabatur Remis provinciale concilium, anno Domini MCCCCVIII. ultima Aprilis, collecta tam ex sermone illic habito, quam ex cedulis & dictis variis plurimorum; & in primis cum institutiones canonicæ sint inefficaces & languidæ, nisi per pastorem qui est lex viva, demandentur effectui, saluberrimum videtur pro reformatione morum & subditorum emendatione, quod pastor juxta canonicas sanctiones, visitet diligentius & crebro suum gregem, aut per seipsum, aut per vicarios doctos, habentes plenariam ab eo potestatem, in negotiis præsertim spiritualibus ordinandis & expediendis, præcipue circa materiam pœnitentiæ, prout eis visum fuerit expedire, & cum moderato stipendio eis ordinando per prælatum: qua in re videntur attendenda pro quadam generali rememo-

ratione ea quæ ſequuntur, cum additione vel diminutione, ſecundum circumſtantiarum occurrentium qualitatem, & cum appoſitione remediorum, ſecundum prudentiam viſitantis.

1. Primo, quod viſitaturus perſonaliter aliquam parochiam, prænuntiet adventum ſuum per dies aliquot, prius indicens per ſchedulam, ut ſi quis conſilio vel remedio ſalutari indigeat pro facto ſuæ conſcientiæ, ſive in commutatione votorum, ſive in caſibus reſervatis, ſive in aliis quibuſcumque, ſit paratus tali die & hora, ut tunc confidenter adveniat, & indicatur omnibus parochianis ceſſatio ab omni opere, ut in eccleſia compareant.

2. Item, ſi viſitator ſit prælatus, indicatur eis ultra hæc, quod ad ſacramentum confirmationis digne ſuſcipiendum ſe præparent, & illud recipiant. Quod ſi non ſit prælatus, inducantur adire eum quam primum commode potuerint.

3. Item, viſitator in principio ſui adventus poterit ad populum in eccleſia per ſe vel per alium facere commonitionem brevem, conformiter ad illa quæ continentur in tractatulis compoſitis pro eruditione ſimplicium ſacerdotum & populorum in materia præceptorum & conſcientiæ.

4. Item, viſitator poterit prius, ſi voluerit, vel poſtmodum interrogare ab illo vel de illo qui deſervit curæ parochiali, ſi ſit curatus, vel ſolum vicarius, vel mercenarius conductus.

5. Item, qualis eſt in habitu, in tonſura, in victu, in converſatione, & eruditione.

6. Item, quales reditus ſint in cura, & quomodo miniſtrantur.

7. Item, de presbyteratus domo & utenſilibus, & de reparationibus, & hæc concernent quoſdam ex prælatis.

8. Item, qualia habet ſtipendia ille qui deſervit, & fiat ſufficiens proviſio per principalem, & ſciatur quo privilegio gaudet non reſidens, & ſi juſte.

9. Item, ſi in parochia ſit alia villa adjuncta pro ſuccurſu, propter quam oporteat celebrare duas miſſas quandoque in die.

10. Item, videatur ſi ille ſciat ea quæ ſpectant ad officium curati, & ſpecialiter in materia ſacramentorum, ubi majus eſſet periculum, ut ſi ſciat formam pro baptiſmo, pro euchariſtia, pro abſolutione tam ab excommunicatione quam a peccatis, necnon pro matrimonio & extrema-unctione.

11. Item, ſciatur ab eo qualiter ſe haberet in caſibus dubiis emergentibus quandoque circa miniſtrationem ſacramentorum, aut circa celebrationem miſſæ, cum cadit aliquid in calicem, vel dum ſanguis effluit, vel dum non reperitur eſſe vinum in calice, vel ſi in pixide ubi eſt hoſtia ſacra inveniuntur vermes, &c.

12. Item, circa baptiſmum dum puer eſt baptizatus ab obſtetrice, qualiter ſe habet, & ſi obſtetrices ſciant unam formam baptizandi in parochia ſua, & ſuper hoc etiam poterunt obſtetrices interrogari & doceri, quod hæc eſt forma, aſpergendo aquam ſuper puerum: *Enfent, je te baptiſe ou nom du Pere & du Filz & du S. Eſperit. Amen.*

13. Item, qualiter ſe habet erga infirmos viſitandos in articulo mortis.

14. Item, ſi celebret ſemper jejunus, hoc eſt quod nihil ſumſerit poſt mediam noctem ejuſdem diei.

15. Item, ſi oſtendit hoſtiam populo antequam ſit conſecrata.

16. Item, ſi umquam celebraverit ſuſpenſus a jure vel ab homine per excommunicationem, quia de irregularitate ſolus papa vel pænitentiarii tunc abſolvunt.

17. Item, ſi celebraverit coram excommunicatis cauſa timoris vel favoris, vel quia nolebant recedere.

18. Item, ſi dicit primam antequam celebret, & ſi poſt pollutiones nocturnas aut diurnas ſtatim celebret.

19. Item, quomodo ſe habeat in foro pænitentiæ erga confitentes ſibi, qualiter interrogat de peccatis, qualiter inſtruit, qualiter abſolvit, qualiter remittit pro caſibus reſervatis, & qui ſint caſus ſibi reſervati, qualiter abſolvit excommunicatos & participantes, qualiter injungit pænitentias, & ſi abſolvit eos qui nolunt habere propoſitum deſiſtendi a peccatis, ut rancore, furto, luxuria. Quibus locis & temporibus audit confeſſiones, ſi pro peccatis occultis dat pænitentiam publicam vel ſolemnem.

20. Item, ſi eccleſiam ſuam cum ornamentis & ſacro chriſmate, & fontibus pro baptiſmo teneat decenter & honeſte & ſecure; ſi altare ſuum ſit integrum, ſi hoſtiam ſacram mutat de menſe in menſem, vel crebrius.

21. Item, ſciatur caute & ſecrete per parochianos vel alios de moribus ſuis, ut ſi ſit continens vel concubinarius, ſi ſollicitat mulieres confitentes ad malum, ſi per iram & crapulam frangit ſigillum confeſſionis ſigno vel verbo, ſi ſit luſor ad taxillos, vel aliter ſcandaloſus in populo, in tabernis, & juramentis & alias.

22. Item, ſi ſe reconciliat & per quos dum vult celebrare.

23. Item, quos accipit adjutores in confeſſionibus audiendis circa Paſcha.

24. Item, ſi per negligentiam ſuam aliqui pereunt ſine ſacramentis, ut pueri vel ægroti. Si mulieres habentes pueros ex concubinatu admittit ſolemniter ad purificationem.

25. Item, qualiter denuntiat feſta ſetvanda.

26. Item, qualiter facit abſolutionem generalem in Paſcha.

27. Item, ſi habeat ſtatuta ſynodalia, ſi ſciat legere ea, & ſi publicet ea quæ debet ex talibus populo nuntiare.

28. Item, ſi ſciat cantare & legere in miſſali.

29. Item, ſi habeat in ſcriptis tenorem generalium præceptorum divinæ legis, & ſi denuntiat ſuis parochianis, & qualiter, & ſi ſciat ſeptem peccata mortalia, & hic videatur de Doctrinali ſimplicium, vel de tractatulis aliis ordinatis.

30. Ceterum poſt inquiſitiones de moribus curati vel ſui ſubſtituti, poterit fieri inquiſitio ab eodem vel aliis probis ſuper conditionibus parochianorum, & hoc caute in generali, petendo qualia vitia magis regnant in parochia ſua, non nominando perſonas, niſi vitia ſint notoria.

31. Inquiratur etiam ſi in parochia ſint plures excommunicati, & quibus cauſis.

32. Item, ſi regnant ibi hæreſes, ſortilegia & qualiter, & ſi ſint ſuperſtitiones in ligaturis, ſcripturis, & brevibus appenſis, ſi blaſphemiæ, uſuræ, vel falſæ incantationes, ſi furta, ſi peccata contra naturam, ſi adulteria, & ſimilia: quia ſecundum iſta poterit viſitator prædicationem ſuam, vel viſitationem, vel confeſſiones fructuoſius adaptare.

33. Item, ſi parochiani bene ſervent feſta principalia, veniendo ad miſſam & ſtando per totam, vel ſi recedunt ſumta aqua benedicta, vel poſt elevationem corporis Chriſti.

34. Notetur hic de moderatione, qualiter fieri poſſit in tot feſtis, & notetur de feſto Trinitatis ſolemnizando, prout papa noviter inſtituit.

35. Item, ſi ſolvunt decimas & de quibus & quibus. Si veniunt omnes ad confeſſionem ſaltem in Paſcha; ſi ſciunt *Credo* & *Pater noſter*, & ſi dicunt.

36. Item, ſi vexantur ab officiariis prælati, vel aliis, vel qualiter.

37. Item, ſi teſtamentorum executores faciunt diligenter ſuum onus impoſitum.

38. Item, ſi ſint inter aliquos inimicitiæ capitales.

39. Item, ſi ſint inter eos lites motæ judicialiter & quibus cauſis, & ſi poſſent ad concordiam ſummarie revocari.

40. Item, ſi obſervent jejunia eccleſiæ, vel ſi irrideant.

41. Item, qualiter inſtruuntur pueri in parochia, & ſi ſint ſcholæ ibidem vel prope. Similiter quæratur hoc in omni loco viſitando, ſive ſit in religione vel alibi, quia a pueris debet inchoari reformario eccleſiæ; & prohibeatur hic nimia familiaritas fratrum & ſororum ad invicem, & cum parentibus, quia jacendo cum eis aliquando ſuffocantur in corporibus, & deterius aliquando provenit in moribus.

42. Item, ſi morientes in puerperio aperiuntur, ut infans vivus recipiatur & baptizetur.

43. Item, qualiter ſe habent parochiani in eccleſia, ſi reverenter & ordinate, & quiete.

44. Item, ſi fiant ſermones apud eos, & per quos & quando.

45. Item, ſi quæſtuarii veniunt ad eos, & quomodo miſſi ſunt, & quid dicunt.

46. Item, ſi laïci & mulieres intrant chorum, & ſi ducunt choreas in locis ſacris, & ſi illic celebrant convivia.

47. Item, ſi irreverenter ſe habent dum baptizantur pueri, vel dum fiunt matrimonia, vel in aliis ſacramentis ridendo, jocando, garrulando, & ſi fiant nuptiæ cum bannis, & in eccleſia parochiali. Si infirmi prius quærunt medicos animarum quam corporum.

48. Item, ſi parochiani turbant per ſe vel per canes, infantes clamantes divinum ſervitium.

49. Item, ſi diebus feſtivis exerceantur a juſtitiariis ſæcularibus torturæ & quæſtiones ad mortem. Si impediunt ne confiteantur ante mortem.

50. Item, ſi qui loquuntur irreverenter de prælatis, & dominis, & aliis.

51. Item, ſi quærunt extremam-unctionem in infirmitate; ſi abortivos & excommunicatos ſepeliunt in cimiterio. Si exercent mercaturas in feſtis & in locis ſacratis, & ſi exercent tunc opera ſervilia. Et ſi in eccleſia ſunt arcæ ſine neceſſitate guerrarum.

52. Si parochiani excedunt in crapulis & ludis prohibitis & ſimilibus, ſpecialiter in nocte Natalis & aliis vigiliis ſacris.

53. Amplius ſi in parochia ſunt domus religioſorum vel hoſpitalia, fiet inquiſitio ſecundum ſtatus eorumdem, ut quomodo ſervant vota, ſpecialiter continentiæ & paupertatis ſine appropriatione, quomodo curant de pauperibus, & ſpecialiter in ſpiritualibus, & ſi antequam recipiantur, confiteantur.

54. Item, ſi illic ſint monachi compatres, ſi obligant eccleſias ſuas, & ſi fidejubeant.

55. Rurſus applicet ſe viſitator per ſe vel ſuos comites ad audiendum confeſſiones diligenter & moroſe, tam parvorum quam magnorum modis idoneis, & ſecundum inſtructiones alibi memoratas, præſertim quoad peccata carnis, quæ difficilius & periculoſius extrahuntur. Nam in hoc ſtabit fructus principaliſſimus reformationis.

56. Item, ſi ille qui deſervit curæ repertus fuerit idoneus, detur ſibi bona poteſtas ſuper caſibus occultis reſervatis, & præſertim quæ ſunt frequenter repetita & erga juvenes & feminas.

57. Item, ſi non reperiatur eſſe talis, inſtituatur in proximiori loco unus idoneus ſæcularis vel religioſus tamquam pœnitentiarius, ad quem poſſunt remitti parochiani ſuper talibus caſibus reſervatis, & ſuper ha-

bendo conſilio in caſibus dubiis conſcientiæ.

58. Item, pro debita appoſitione remediorum per viſitantem expedit ut habeat & haberi faciat tractatulos per parochias breves in vulgari de examinatione conſcientiæ, de caſibus reſervatis ad hos vel illos cum ſtatutis ſynodalibus abbreviatis, pro cognoſcendo quæ ſunt formæ præciſe ſacramentorum, necnon de præceptis Dei atque ſimilibus.

59. Item, pro tractando certum & fructuoſum modum reſervandi peccata, videtur primo quod nullus caſus debeat reputari reſervatus apud pueros & puellas minores XIV. annis.

60. Item, modus traditus in ſynodalibus epiſcopi Cameracenſis videtur idoneus.

Primo loquitur epiſcopus dicens:

61. Reſervamus nobis magna peccata, videlicet peccata contra naturam in viris ultra vigeſimum annum, homicidia, incendium, ſimonias, hæreſes, apoſtaſias, & ſacrilegium ultra XL. ſolid. inceſtus cum patre, matre, filio, filia, fratre, ſorore, & cum religioſis mulieribus & profeſſis, injectiones violentas manuum in parentes ex deliberatione factas, ſortilegia in ſacramentis, videlicet in euchariſtia vel chriſmate, oppreſſiones parvulorum, voluntarias & procuratas negligentia parentum in igne vel aqua natos perdentium, perjuria ſolemnia, & fidei fractiones ſolemnes in curia Cameracenſi, votorum ſolemnium tranſgreſſiones, maleficia impedientia coitum, procurationes ſterilitatum vel abortivorum, propinationes veneni, magnas blaſphemias Deo factas, caſus eorum qui falſificant litteras curiæ noſtræ vel abutuntur eiſdem, omnes excommunicationes tam a nobis quam a canone latas, exceptis inferius nominatis & expreſſis, & omnia alia peccata iſtis graviora.

Caſus pœnitentiarii per decanatus commiſſi.

62. Committimus pœnitentiariis noſtris per decanatus deputatis, peccata contra naturam in omni ætate a mulieribus perpetrata, & in viris infra XX. annum, pollutiones manuum in omni ætate, perjuria & fidei fractiones quæ non fuerunt factæ in curia Cameracenſi, votorum non ſolemnium tranſgreſſiones, injectiones manuum in parentes, ubi non fuit gravis læſio vel deliberatio, ſortilegia quæ non fiunt de euchariſtia vel chriſmate, injectiones manuum parvulorum in clericum uſque ad XX. annum, oppreſſiones parvulorum non voluntarias, ſed caſuales, clandeſtinas nuptias, inceſtus excepto patre, matre, filio, filia, fratre, ſorore; omnia adulteria, hoc ſalvo quod ſi clandeſtinæ nuptiæ, inceſtus, adulteria per duos teſtes aut plures qui iis interfuerunt, aut alias per communem famam vel infamiam probari poſſint, prius ſuper his eccleſiæ vel noſtram juridictionem exercentibus ſatisfiat. Injectiones manuum in clericum vel ſacerdotem, ubi non eſt enormis læſio, quæ tamen ſi probari poſſit, ut prædictum eſt, prius læſo & eccleſiæ ſatisfiat. Sacrilegia uſque ad XL. ſolidum, ita tamen quod debita fiat reſtitutio eccleſiæ de eiſdem. Omnia peccata in quibus curati habent poteſtatem.

Item, reſtitutiones incertæ committendo in pios uſus.

Caſus presbyteris parochialibus commiſſi.

63. Curatis & eorum vices gerentibus committuntur inordinatus concubitus cum mulieribus, mollities, peccata contra naturam in ætate puerili, in viris uſque ad XIV. annum, & in mulieribus uſque ad XXIV. annum, adulteria ex parte viri provenientia, damnificationes & furta, dummodo fiat reſtitutio quam cito ſe facultas obtulerit, ſacrilegium uſque ad decem ſolidos, dummodo fiat reſtitutio eccleſiæ, injectio levis manuum in parentes, ſortilegia in rebus minimis & communibus, ubi non eſt horror & turpitudo, perjuria privata in quibus nullus damnificatur, ſtuprum, virginum aborſus non procurati, ſed caſuales.

64. De caſibus nobis & pœnitentiariis noſtris reſervatis, curatis & eorum vices gerentibus, excepto mortis articulo, aut alia manifeſta neceſſitate, abſolvendi omnem interdicimus poteſtatem.

65. Sacerdotes confeſſiones mulierum cum quibus peccaverunt, fautorum & mediatorum non audiant, donec ſaltem de peccatis inter eos patratis alias confeſſi fuerint competenter, & ceſſaverit infamia, ſi quæ fuerit propter hoc contra eos, ſed mittant eas ad honeſtos & idoneos confeſſores.

66. Porro ſi talis viſitatio non fiat per parochias, videntur tamen iſta diligenter interroganda a quolibet ſecundum ſtatum ſuum, & hoc dum venerit ad ſynodum epiſcopi vel aliorum, & hoc publice vel ad partem, gallice vel latine.

67. Item, fiet talis examinatio de omnibus qui approbantur ad regimen curarum, priuſquam eis litteræ concedantur.

68. Item, domini prælati & alii habentes juriſdictiones poterunt facere ſimiles inſtructiones pro inquiſitione facienda ſuper abuſibus qui dicuntur fieri in curiis ſuis, ut ſciant & provideant tamquam incipientes reformationem a ſeipſis & domo ſua.

69. Notetur hic de juramentis omnium officiariorum requirendis & ſervandis.

70. Item, de juramento exacto ab his qui quæſtionantur, vel per impoſitores a mercatoribus, quorum tamen juramento non ſtatur, cum finis omnis controverſiæ ſit juramentum, ſecundum Apoſtolum.

71. Item, de teſtamentis expediendis ſine tali ſumtu & fractu.

72. Item, de excommunicationibus tam frequenter & leviter fulminatis a jure & a judice.

73. Item, de promotoribus, qui dum fecerunt vexationes injustissimas, nihil solvunt de expensis, nec puniuntur, sed reportant salaria ab innocentibus absolutis, diffamatis & vexatis.

74. Item, de applicatione pecuniarum pro emendis taxatarum in pios usus & publicos.

75. Item, ad evitandam notam vel speciem simoniæ in omnibus ubi dantur pecuniæ administrando spiritualia, sicut sunt ordines, sepulturæ, baptisma, missæ, &c. expediens videretur & conformiter ad jura, aut quod nihil reciperetur, aut cum moderatione majori, aut quod per prius darentur spiritualia quam aliquid exigeretur & reciperetur temporale; sed postmodum quærerentur consueta: quæ si renuerentur contumaciter solvi, fieret tunc honestius actio contra tales renuentes.

76. Item, in ministratione ordinum fiat diligentior inquisitio & observatio ætatum institutarum per canones, & hoc pro religiosis sicut pro aliis, nisi sint privilegiati, quia hic est laqueus formidabilis pro prælatis, & pro talibus ordinariis propter suspensiones & alias pœnas juris, vel propter defectum prælati in intentione. Sit subdiaconus in XVIII. diaconus in XX. sacerdos in XXV. anno.

77. Item, quod non promoveantur sine certo & stabili titulo beneficii vel patrimonii sine fraude.

78. Item, quod sciant competenter loqui Latinum & intelligere.

79. Item, denuncietur recipientibus ordines sacros, quod faciant votum castitatis solemne, nec reputent se liberos ad fornicandum.

80. Item, contra prædones & vexatores terrarum ecclesiæ videretur procedendum per viam publicæ & piæ prædicationis ad dominos, insinuando gravamina particulariter & ostendendo pericula suarum animarum, nisi providerint.

81. Item, quæratur executio constitutionis quam dominus noster fecerat pro theologia, supplicando eidem ex parte concilii hujus, si opus est, ut scilicet in qualibet ecclesia cathedrali & collegiata notabili sit una præbenda affecta in perpetuum pro uno theologo lecturo. Et similiter providendum esset abbatiis & monasteriis, quod non carerent viris docentibus eos, etiam a puero meditari in lege Domini die ac nocte.

82. Item, reformetur honestas in divino servitio contra ludos fatuorum contumeliosos Deo & ecclesiis, & hoc per excommunicationem, privationem distributionum, vel incarcerationem.

83. Item, contra garrulationes indecoras in choro tempore servitii.

84. Item, deberet fieri specialis inquisitio sicut & visitatio pro mendicantibus, tam in facto sermonum quam confessionum & aliorum, & specialiter quod evitent consortia mulierum in camerulis, & detractiones in sermonibus & fabulas aniles & assertiones temerarias diffiniendo aliquid generaliter esse peccatum mortale.

85. Item, inquiratur de qualibus peccatis remittunt ad pœnitentiarios.

86. Si ministrent sacramenta contra prohibitionem.

87. Si prædicant contra curatos & sepulturas & decimas.

88. Si admittunt excommunicatos a judicibus ad sua consortia in divino servitio.

89. Item, prioratibus desolatis, ubi non sunt nisi unus vel duo religiosi sæpe in scandalum sui & aliorum, esset providendum.

90. Item, de observatione Benedictinæ pro monachis nigris & aliis.

91. Item, videatur de modo conferendi bene & libere beneficia in casu reductionis beneficiorum ad ordinarios, & de reliquis consequentibus.

92. Item, providendum erit in processibus visitantium plus sæpe ad quæstum & pompam & destructionem, quam ædificationem.

93. Item, videatur de modo habendi certam contributionem pro tota provincia ad defendendum & prosequendum ea quæ fuerunt ordinata, & quod hoc viriliter & prudenter exequatur.

94. Item, ordinentur aliqui qui habeant inquirere reformanda pro qualibet diœcesi, & conferre cum avisamento provisionum decentium.

95. Item, fiat in qualibet diœcesi monitio similis illi quam fecit episcopus Parisiensis contra loquentes sub specie joci contra fidem & sacramenta, ut scilicet audientes denuntient tales episcopo loci, vel officiali, vel curato infra octo dies, aut quamprimum fieri commode poterit, & hic essent puniendæ graviter cantilenæ erroneæ & lubricæ, & contra quo... matrimonialis sacramenti.

Et sic finis PH.

ACTA VARIA

quæ concilium Pisanum præcesserunt.

ADMONITIO PRÆVIA.

Acta celeberrimi concilii generalis Pisani, anno 1409. *celebrati ad extinctionem inveterati per annos* XXX. *schismatis, non semel nec ab uno scriptore litteris sunt consignata. Ea siquidem jam a quatuor saltem scriptoribus collecta, publicam in lucem prodierunt. Prima ex manuscripto codice bibliothecæ regiæ Parisiis anno* 1612. *prælo fuere commissa; alia his fusiora ex codice Gemmeticensi edidit benemeritus de re litteraria noster Acherius Spicilegii tom.* 6. *Utraque in generali omnium conciliorum collectione recudit Philippus Labbe, seu ejus continuator Gabriel Cossartius, societatis Jesu presbyter eruditus, qui & alia addidit ex Oderico Raynaldo in continuata ab eo Baronii historia ecclesiastica ad annum* 1409. *Hæc præter, duplicia quoque ex duobus manuscriptis, uno Vindobonensi, altero ex Wolfenbutelensi vulgavit anno* 1697. *vir clarissimus Hermannus* Von-der-Hardt, *in amplissima collectione actorum ad concilium Constantiense spectantium.*

His in omnibus actis illud commodi est, quod singula aliquid singulare contineant ab aliis prætermissum, adeo ut ad perfectam & integram historiæ concilii Pisani cognitionem omnia necessaria videantur. Ab his etiam omnibus discrepant ea quæ hic ex manuscripto codice S. Laurentii Leodiensis proferimus, eo lectoribus & viris eruditis, uti speramus, gratiora, quo plura hactenus ignota exhibent. Plura etiam complectitur idem codex acta, quæ Pisanum præcesserunt concilium: quorum aliqua jam in Thesauri nostri Anecdotorum tomo secundo dedimus, aliqua in Spicilegii Acheriani tomo sexto, nonnulla in Historia Universitatis Parisiensis reperiuntur, quæ proinde hic consulto prætermisimus. Verum quamplura etiam habet, de quibus altum hactenus apud auctores silentium, quæ si diutius in tenebris latere sineremus, male omnino de viris litteratis, deque ecclesia ipsa mereremur, cum ex hujusmodi vetustissimis monumentis non parum proficiat. Igitur operæ pretium duximus præponere brevem historiam de initio schismatis, quod concilii Pisani celebrationi occasionem dedit; deinde varia & quasi prævia ad illud adversus duos de papatu contendentes acta cum in Francia tum in Italia subjungemus, quæ omnia suppeditavere codex antiquus S. Laurentii Leodiensis, & alii Chaveliniana, regiaque Bibliotheca atque Colbertina.

DE INITIO SCHISMATIS QUOD MULTUM PERTURBAVIT CHRISTIANUM POPULUM.

1. ANno MCCCLXXVIII. mense martii, die XXVII. obiit Romæ papa GREGORIUS XI. & sepultus fuit ad sanctam Mariam novam. Quo defuncto, officiales & rectores populi Romani cum aliquibus Italicis prælatis pluribus vicibus, & hominibus suspectis, diversa consilia tenuerunt in capitolio Urbis contra collegium cardinalium pro tunc Romæ constitutorum, quorum quatuor erant Italici, ceteri XII. Cisalpini. In quibus quidem tractatibus decretum & concluſum fuit per Romanos, ut cardinales compellerentur eligere papam Romanum vel Italicum, ut sic sedes apostolica de cetero in Italia remaneret; statimque præscripti Romanorum officiatores miserunt ad castella pro VI. millibus rusticorum, quæ sunt de obedientia & comitatu Romano, qui Romam intrantes armati, cardinales Gallicos sæpe irritaverunt, & omnes qui deputati fuerant ad custodiam portarum, pontium & exituum urbis Romanæ, amoti sunt per eos, & novi custodes illic locati, ne aliquis cardinalium clam possit aufugere, nec quisquam de famulis cardinalium permissus est arma aut cultellos longos deferre. Post hoc Romani rectores jusserunt discedere omnes nobiles & notabiliores de Roma, nec quisquam illorum adesse permiserunt pro custodia conclavis, ut ad nutum suum cuncta disponerentur & succederent. *Exmf. sancti Laurentii Leodiensis.*

2. Quæ cum cardinales cognovissent, illi congregati in ecclesia S. Spiritus prope ca-

ſtrum S. Angeli, vocatis rectoribus Urbis, rogabant ut amotis novitatibus, abſque impreſſa violentia permitterent eos novum papam eligere & creare, quod illi cum juramento gravi ſe facturos pollicebantur. Sed cum cardinales conveniſſent ante palatium S. Petri, ubi conclave erat præparatum, cum tumultu maximo & ruſtica multitudine grandi cum civibus requiſierunt cardinales, ut ſine retractatione papam Romanum aut Italicum eligerent, alioquin immineret eis ſcandalum maximum & damnum irreparabile. Porro eodem fero quo cardinales conclavem ingreſſi ſunt, dum januæ clauſæ fuiſſent, XIII. Romani, qui capita regionum vocabantur, januas conclavis effringentes, violenter ſunt ingreſſi, requirentes incluſos, ut papam Romanum vel Italicum nominarent, alioquin corda populi ſic erant elevata, quod non evaderent pericula perſonarum. Et cœperunt Romani clamare, & ſuper tecta conclavis lapides jactare, ad incutiendum timorem cardinalibus; & effractis januis & parietibus conclavis cum inſtrumentis ferreis, irruerunt ſuper cardinales enſibus evaginatis, clamantes in ſuo vulgari: *Par la bodella de dyo vo morere o ferrate papa Romano;* in quo tumultu cardinales nominaverunt BARTHOLOMÆUM DE PRINHANO Neapolitanum, tunc archiepiſcopum Barrenſem. Aſſerunt quidam, quod cardinales volentes ſedare populum, primo dixerunt eis: *Ecce recipiatis dominum cardinalem ſancti Petri;* qui putantes eum ſinceriter electum, exhibuerunt ei reverentiam, petentes ab eo benedictionem. Qui renitens, clamabat: *Vos eſtis gens mala, Ego nec ſum, nec volo eſſe papa.* Et ſic videntes ſe illuſos, modicum quieverunt, donec poſtmodum audiſſent deſignatum BARTHOLOMÆUM Barrenſem archiepiſcopum. Igitur hac nominatione facta, cardinales latenter omnes fugerunt ex conclavi, quidam in ſuis domibus abſcondebantur, quidam extra Urbem in caſtro S. Angeli fugerunt, BARTHOLOMÆUM ſolum relinquentes cum Romanis, abſque ſolemnitate quacumque facta conſueta.

3. In craſtino BARTHOLOMÆUS perpendens quod nullus cardinalium manſiſſet cum eo, dixit rectoribus Urbis: *Vos feciſtis me, & niſi cardinales veniant & obediant mihi, nihil factum eſt.* Qui ſubito miſerunt ad cardinales, qui in ſuis domibus latebant, & ad ſex qui in caſtro ſancti Angeli fuerant concluſi, quod venirent ad papam & ei obedirent, & conſuetas ſolemnitates ei facerent, alias ſimili vel majori periculo ſubjacerent. Qui ſinguli metu corporis inducti, non audentes reluctari, cuncta ad ordinationem & creationem papalem requiſita facere proceſſerunt. Nam in die cœnæ Domini proceſſionaliter cum eo a ſancto Petro ad Lateranum proceſſerunt, & in die Paſchæ poſt miſſam coronaverunt, & URBANUM VI. appellaverunt, beneficia & rotulos pro ſe & ſuis amicis ab eo impetrarunt. Cardinalis Gebennenſis Oſtienſem epiſcopatum ab eo poſtulavit & accepit. Litteras etiam pro eo ad reges & prælatos Chriſtianos deſtinarunt, & inſuper mente ficta ad omnia ſuper quibus requiſiti fuerant, verbo tenus conſenſerunt.

4. Poſtquam igitur ſpatio trium menſium cum ſuo URBANO infra Urbem cardinales inſediſſent, adveniente menſe Iunio, Gallici intemperiem aeris & æſtivos calores allegantes, petierunt a papa licentiam eundi ad Anagniam civitatem. Qua conceſſa, ad civitatem Fundanam pervenerunt: ſub dominio comitis Fundorum: qui jocunde nimis & hilariter eos ſuſcepit, omnem eis libertatem & ſecuritatem promittens.

5. Tunc ipſi cardinales Gallici videntes ſe jam in libertate conſtitutos, ſcripſerunt papæ, & perſuaſerunt eidem, ut papatui cederet, quia electio ejus non fuiſſet canonica, ſed violenta, & per impreſſionem ſeditioſam Romanorum facta. Papa vero confidens in juſtificatione ſua, & nolens renunciare, obtulit eis concilium generale, ubi poſſit res decidi. Tandem intervenere multi tractatus per medium trium cardinalium Italicorum, videlicet Florentini, Mediolanenſis & de Urſinis. Nam cardinalis S. Petri jam obierat. His in nullo proficientibus, die IX. Auguſti cardinales citra montani ſub ſuis patentibus bullis ſcripſerunt univerſis pene principibus per univerſum orbem, quod electio BARTHOLOMÆI Barrenſis non eſſet canonica & vera, ſed per impreſſionem Romanorum facta, qui ipſis mortem intentabant, niſi papam Romanum vel Italicum nominarent, quem tam bonæ conſcientiæ putabant, quod numquam illam frivolam & coactam electionem debuiſſet acceptare, exorantes per viſcera miſericordiæ Domini noſtri JESU CHRISTI, & requirentes omnes & ſingulos, ne ipſi de cetero adhærerent, ſed ut antipapam & prophanum declinarent, &c. Verum URBANUS in jure ſuo confidens, in menſe Septembri ſabbato quatuor temporum XII. cardinales Ciſalpinos privavit, & XXIX. novos cardinales creavit. Quibus illi in civitate Fundana perceptis, ipſo die S. Michaelis, vocatis tribus cardinalibus Italicis, ROBERTUM Gebennenſem tituli XII. apoſtolorum in papam elegerunt, quem & CLEMENTEM VII. vocaverunt. Sed tres Italici prædicti electioni ejus non conſenſerunt. Deinde ſequenti menſe duo papæ terribiles ſententias excommunicationum & maledictionum contra ſe mutuo fulminari cœperunt, beneficiis & honoribus privantes adhærentes &c.

6. Unitas eccleſiæ tunc diviſa eſt in partes, ita ut quidam vocarentur Urbaniſtæ, alii Clementini. Nam regna Alemanniæ,

Hungariæ, Angliæ, Bohemiæ, Daciæ, Sueciæ, Norvvegiæ, Portugalliæ, Italiæ & quasi Siciliæ cum multis provinciis adhærebant URBANO: regna vero Franciæ, Aragoniæ, Hiſpaniæ, Scotiæ, Navarræ, Majoricæ, Sardiniæ & plures provinciæ adhærebant Clementi. Qui propter favorem regis Franciæ tranſtulit curiam ſuam in Avenionem. Cardinales utriuſque obedientiæ ſcripſerunt principibus ad illiciendum eos in partem ſuam. Univerſitas Pariſienſis inſtigante rege Franciæ, CLEMENTEM ut verum papam acceptavit, & URBANUM intruſum, ſchiſmaticum & antipapam determinavit. Alii aliter ſenſerunt,

7. Anno MCCCLXXVIII. papa URBANO apud Neapolim reſidente, ubi erat natus, & frequenter cauſa ſolatii ad caſtrum Luceriæ equitante, octo de cardinalibus quos ipſe creaverat, conſpiraverunt contra eum, auctorante cardinale Aretino. Unde ipſis procurantibus captus fuit a CAROLO rege Siciliæ & in carcerem tuitialem poſitus. Unus autem ex cardinalibus nimis pœnitens, confeſſus fuit papæ, quod ipſe cum ſeptem aliis hoc procuraſſet, petens ſibi indulgeri. Papa ſtupens valde & admirans de his quos tantum exaltaverat ſibi hoc procuratum, datis & promiſſis pecuniis dimiſſus eſt liber. Qui diſſimulans omnia ac ſi nihil eſſet factum, finxit ſe cum cardinalibus velle Romam reverti, ſociatis ſibi equitibus multis, & caſtrum ſuum Luceriam cum omnibus intravit. Caſtro igitur debite obſerato, pontibuſque levatis, cratibuſque dimiſſis, in craſtino paratum eſt conſiſtorium; ad quod cum cardinales conveniſſent, dato ſigno, papa univerſos fecit comprehendi per ſtipendiarios milites latenter incluſos, & in ergaſtulo profundiſſimo dimitti, ſcalis ſtatim levatis. De quo uſque ad diem obitus ſui numquam ſunt revocati, pœnam condignam luentes pro ſcelere patrato. Aretinus autem nimis callidus ſe obſervaverat, & ſic captus non fuit. Rex Siciliæ his auditis ſtatim caſtrum obſidione vallavit, ſed papa per quemdam comitem ereptus fuit cum ſuis per varia artificia: qui a Januenſibus cum ſolemnitate ſuſceptus, ſtetit ibi per annum & tres menſes. Igitur papa URBANUS in civitate Januenſi reſidens, in ſpiritu vehementi excanduit in hoſtes ſuos Clementinos, fautores ſingulos dignitatibus & beneficiis privando & alios ſubrogando.

Item, cardinalibus de Petra-mala & Ravenna, de quibus ſuſpicionem habebat, demandavit, ut feſtinato accelerarent venire Januam ad colloquium ſibi: qui ex infortunio fratrum ſuorum timentes pelli ſuæ, non auſi ſunt proficiſci, niſi ommimoda ſecuritate & corporum ſoſpitate repromiſſa. Qua non conceſſa, papa pileis rubeis eos privavit, & omnibus præbendis & dignitatibus privavit. Qui ſic dehoneſtati per URBANUM, confeſtim Italiam egreſſi, ad CLEMENTEM in Avenionem ſe tranſtulerunt; qui ſtatim eos in ſuam gratiam recepit, & priſtinis dignitatibus, additis amplioribus, reſtituit.

8. Anno MCCCLXXXIX. Urbanus papa audiens regnum Siciliæ a diverſis tam Francis quam Alemannis diſcerpi, relicta Janua, venit in Lucam civitatem opulentam, deinde ivit ad Peruſium, dehinc ad Florentiam. Quod audientes Romani, promiſſa ſatisfactione condigna de moleſtiis ſibi pridem illatis, reduxerunt eum Romam numquam receſſurum, & ibidem XV. Octobris ab hac luce ſubtractus eſt. Sedit annis XI. menſibus V. diebus XXVII. Cui mox ſubrogatus eſt ſecunda Novembris BONIFACIUS IX. prius dictus Petrus de Tornacellis Neapolitanus, non obſtantibus precibus regis Franciæ, qui libenter reduxiſſet eos ad obedientiam Clementis reſidentem in Avenione. Iſte BONIFACIUS dedit epiſcopatum Leodienſem JOHANNI DE BAVARIA. Iſte Bonifacius annum jubilæum reduxit ad XXXIII. annum, qui celebratus fuit Romæ anno XC. Iſte Bonifacius miſit gratiam anni jubilæi Leodii anno nonageſimo primo per dominum WILLELMUM DE VINEIS epiſcopum Anchonitanum, qui ſedebat in eccleſia S. Crucis. Anno XCIII. inſtituta eſt celebrari feſtivitas viſitationis B. Mariæ. Eodem tempore, ſcilicet anno XCIIII. XVIII. Septembris ſedens in palatio in Avenione CLEMENS VII. ſupra cathedram ſuam, hora prandii ſubitus defunctus eſt, & ſubito ventus horriſonus exortus eſt, qui multos conſternavit. Eo ſic mortuo, alma univerſitas Pariſienſis, miſſo ſolemni nuncio, ſupplicavit collegio cardinalium, ne ad electionem novi pontificis procederent, donec alias litteras eis deſtinarent. At illi contemtis hujuſmodi ſupplicationibus, intraverunt conclave, & elegerunt dominum PETRUM DE LUNA de regione Arragonum, unum de antiquis cardinalibus Gregorii XI. quem appellaverunt BENEDICTUM XIII. Univerſitas Pariſienſis audiens ſuas requeſtas contemtas fuiſſe, ſubtraxit ſe ab obedientia novi papæ, appellando contra electionem factam, ſperans per hoc medium dictum noviter electum compellere ad ceſſionem papatus, & in die S. Dionyſii rectores univerſitatis, propoſitis multis argumentis juſtis & rationi conſonis, ad opinionem ſuam inflexerunt regem & optimates univerſos, aſſerentes, quod per ſolam viam ceſſionis poſſet fieri unio in eccleſia Dei, & alias non. Miſſi igitur ſolemnes nuncii ex parte regis ſuorumque procerum & almæ univerſitatis, exhortarunt collegium cardinalium, ut ipſi una ſecum ſuum novum papam ad renuntiandum papatui vellent inducere, præſertim cum ipſe idem in ſuis ſermonibus publicis & privatis ſæpius aſſeruiſſet, numquam poſſe ſchiſma illud extingui, niſi per viam ceſſio-

nis, & insuper juraſſet ad ſancta Dei evangelia ante ſuam electionem, quod ſi cum contingeret eligi in ſummum pontificem, libentiſſime propter bonum pacis & unionis cederet papatui, quotiens fuiſſet requiſitus ſuper eo, & BONIFACIUS IX. eamdem viam vellet ſimiliter acceptare. Continuo cardinales omnes, uno tantum excepto, cum præfatis ambaſſiatoribus dominum PETRUM DE LUNA humiliter & ſerioſe adorſi ſunt, ut propter bonum pacis ſe vellet benigne inclinare ad viam ceſſionis. Quibus auditis, ille poſt aſſumtum honorem mutatus in virum alterum, ex toto contradixit, affirmans hujuſmodi ceſſionem eſſe diabolicam, injuſtam, & Deo diſplicentem. De quo reſponſo nimium ſtupefacti præmiſſi viri præcipui, iterato rogaverunt eum, ut melius deliberaret, & reſponſum primarium immutaret. At ille nimium efferatus, minabatur ſe ablaturum univerſitati Pariſienſi ſuas libertates & beneficia quæ poſſidebant, ipſiſque cardinalibus præcepit, ne de talibus eum amplius moleſtarent, ſicque infecto negotio dicti ambaſſiatores reverſi, nuntiaverunt regi ſuiſque proceribus induratum eſſe cor PETRI DE LUNA. Ex tunc ventilata ſunt multa quoad neutralitatem proſequendam, quæ tamen propter infirmitatem regis longo tempore ſunt intermiſſa.

9. Anno XCVIII. WENZELAUS rex Bohemorum & Romanorum venit Remis ad colloquium regi Francorum, ubi ambo reges ſe dulcibus oſculis amplexi ſunt cum gaudio univerſorum qui illic convenerant; propoſitaque fuerunt ibi multa de neutralitate tenenda. Sed cum rex Romanorum non poſſet induci, ſupplicavit rex Francorum ut BONIFACIUM ad hoc induci feſtinaret, ut papatui cederet pro bono ſacræ unionis: qui reſpondit, quod libentiſſime ſcriberet ei, ut ſi abſque præjudicio cauſæ & honoris ſui hoc facere poſſet, quod hanc viam ceſſionis acceptaret, alias non. Sicque infecto negotio ambo reges regreſſi ſunt ad propria. Sed univerſitas Pariſienſis ſupplicabat regi Francorum, ut papam ſuum non Benedictum, ſed maledictum ad cedendum juri ſuo, quod in papatu prætendebat, aſtringeret, & omni die fiebant tales poſtulationes. Tandem rex cum magno exercitu armatorum venit ad civitatem Avenionem, ubi BENEDICTUS cum curia ſua reſidebat, mandavitque prædicto BENEDICTO, quod incontinenti cederet papatui, & omni juri quod in eo ſe habere affirmabat; alioquin ſi contingeret civitatem expugnari, ſine mora eum juberet occidi. Ille manebat fixus in propoſito maligno, finaliter tamen juſſit portas aperiri regi, ceſſitque penitus papatui juxta requeſtam regis. Quo facto, ad ceteros principes & communitates Chriſtianorum rex miſit ſuas litteras & ambaſſiatores, poſtulans ut nec uni nec alteri papæ adhærerent, ſed neutrales eſſe dignarentur, quouſque res plene eſſet deciſa. Et inflexit ad ſuam partem ducem Burgundiæ, & ducisſam Brabantiæ, & Leodienſes, & ſequeſtrata ſunt bona ſpectantia ad menſam papæ & cardinalium, ut per hoc medium ad ea quæ pacis & unionis ſunt citius compellerentur.

10. Cum igitur grave ſchiſma inter BONIFACIUM papam IX. & BENEDICTUM XIII. graſſaretur, rex Franciæ cœpit infirmari de freneſi, habebat tamen lucida intervalla, & ipſe & proceres ſui ad neutralitatem intendebant. Sed anno MCCCCII. cardinales qui ſuo papæ Benedicto certis ex cauſis obedientiam ſubtraxerant, una cum civibus Avenionenſibus XXIX. Martii in caſtro Rainaldi ſub certis pactis & conditionibus ei plenam obedientiam reſtituerunt, præſente illic domino LUDOVICO Siciliæ & Jeruſalem rege, duce Andegavenſi & comite Provinciæ.

11. Anno MCCCCIV. BONIFACIUS papa prima Octobris infeſtiſſima febre & calculo graviter attritus, morte ſubitanea deceſſit a ſæculo, cum ſediſſet annis XIV. Porro cardinales illius obedientiæ ſchiſmati novum fomitem præbentes, nec ad unionis formam mentes dirigentes, ſtatim elegerunt in ſummum pontificem Coſmatum cardinalem Bononienſem, de regno Neapolitano etiam oriundum, quem INNOCENTIUM nuncupare voluerunt, PETRO DE LUNA in ſuo errore apud Avenionem permanente. Hic JOHANNEM ÆGIDII præpoſitum Leodienſem, venerabilem valde virum natione Normannum, ad cardinalatum promovit, unde electus Leodii cum clero & populo, reprobato Petro de Luna adhæſit.

Anno V. ſcilicet INNOCENTIUS papa apoplexia & paralyſi diſſolutus, ſexta Novembris obiit, cum vix duobus annis & uno menſe præfuiſſet. Quo ſepulto, priuſquam cardinales ad electionem procederent, exiſtentes in conclavi inter ſe magno zelo ſtatuerunt & ſolemniter juraverunt, quod ſi eorum aliquis in papam aſſumeretur, pro unione in eccleſia Dei reducenda & ſchiſmatis extirpatione renuntiaret papatui & juri quod ſibi competere poſſet in illo, dum tamen dominus BENEDICTUS ſimiliter renuntiaret vel moreretur: dummodo cardinales, qui ipſi Benedicto adhæſerant, vellent convenire cum cardinalibus Romæ exiſtentibus, quod ſequeretur electio unius veri & indubitati paſtoris. At ANGELUS CORRARIO ſtatim in papam electus, natione Venetus, vocatus eſt GREGORIUS XII. qui ſtatim idem juramentum renovavit, & manu propria ſub nomine Gregorii iterato ſubſcripſit. Sed & bullas ſuas ad dominum BENEDICTUM & ad omnes fere principes Chriſtianitatis tranſmiſit, quod ea volebat inviolabiliter obſervare. Sed paulo poſt videns BENEDICTUM, vocaliter tantum

& non ex animo ad id disposítum, cœpit recalcitrare. Duo enim nepotes sui, scilicet ANTONIUS episcopus Mothonensis, & PAULUS CORRARIO instigaverunt eum in contrarium. Insuper deinceps omnes qui sibi de cessione mentionem faciebant, exosos habebat supra modum. Nam cum ex condicto cardinalium utriusque partis pro unione adipiscenda GREGORIUS in Luca, BENEDICTUS in Portu Veneris convenissent, post multas colluſiones inter se factas, videntes cardinales in Luca existentes pertinaciam sui Gregorii, omnes, uno demto, ab eo recesserunt versus civitatem Pisanam. Quorum recessum GREGORIUS molestè ferens, suos armigeros misit ad comprehendendum vivum vel in frusta conscindendum dominum JOHANNEM ÆGIDII cardinalem Leodiensem dictum : qui cum protegente Deo, manus sicariorum evasisset, domus ejus in Luca existens prædæ exposita est, & omnia mobilia ad manus camerarii papæ apportata.

12. Anno VIII. cardinales utriusque obedientiæ, tam Italici quam Gallici, perpendentes GREGORIUM & BENEDICTUM de papatu contendentes, nolle venire ad viam mutuæ cessionis per eos oblatæ & juratæ, & voto multiplici roboratæ, & fere ab omnibus Christi fidelibus approbatæ, nec in locum velle concordare in quo fieret partium conjunctio pro pace ecclesiæ danda, sed magis e contrario ex proposito separabant se ad loca valde remota; ipsi domini cardinales apud Liburnium sub dominio & episcopatu Pisano constitutum convenerunt, illic ex consensu decernentes, ut concilium generale utriusque partis & obedientiæ ad civitatem Pisanam XXV. die Martii proxime futurum convocaretur, ubi prædicti GREGORIUS & BENEDICTUS de papatu contendentes citarentur, eo fine ut ipsi generali concilio utriusque partis, tamquam viæ ordinatæ, præbeant consensum & opem, quodque dicto concilio dicti contendentes personaliter interfint debitum suum facturi, & ut alias extitit promissum & concordatum exhibituri. Super quibus ita concordatis cardinales suas patentes & clausas litteras direxerunt principibus & prælatis, quarum copiæ habentur in hoc volumine circa finem.

COPIA LITTERARUM

Quæ fuerunt per dominos cardinales transmissæ archiepiscopo Barrensi existente in *Tuille*, a dominis cardinalibus existentibus in Agnania in forma monitionis.

Anno 1378. Ex inf. Collectivo.

EPiscopi, presbyteri & diaconi cardinales, sede vacante, BARTHOLOMÆO olim archiepiscopo Barrensi spiritum consilii sanioris.

Exigit sanctæ & catholicæ fidei puritas, exigit & catholici ac Christiani populi devotio salutaris, exigit totius ecclesiæ status, clara professio, ac salus animarum Christi fidelium singulorum, ut ea quæ dissimulata in fide maculam, subversionem in Christicola populo, status ecclesiastici enervationem ac evidentiam inducerent, super tecta prædicentur, ne indiscretum silentium in errorem derelinquat qui poterant erudiri; ac ii ad quos ex officio pertinet, subjaceant reprehensioni prophetæ dicentis: *Prædicatores tui videbant tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Cum igitur nuper apostolica sede vacante per obitum piæ & sanctæ memoriæ domini GREGORII papæ XI. qui de mense Martio ultimo præterito in Urbe diem suum clausit extremum, nosque in electione summi pontificis, ut juris & moris est celebranda, in conclavi ad hoc in palatio apostolico, in quo idem sanctæ memoriæ dominus GREGORIUS obierat, deputati convenissemus; populus Romanus, etiam ad campanæ sonitum congregatus, hostili more, totum circumdans ab extra, & ab intus fere implens palatium, & terrori tam vehementi minas etiam superaddens, quod nisi eligeremus & sine mora Romanum vel Italicum, statim incideremur per frusta, etiam congruo spatio temporis, in quo saltem de persona deliberare possemus, nobis subtracto; contra voluntatem & propositum nostrum ad eligendum Italicum, subito & ex abrupto per violentiam & metum mortis coëgerunt invitos : propter quod ad evitandum mortis dumtaxat periculum, alias non facturi, ut etiam tunc palam inter nos diximus, te in papam duximus eligendum, extimantes te, cui tam nefanda impressio, sicuti & toti clero & populo nota erat, talis esse conscientiæ, quod eam nullatenus acceptares. At tu propriæ salutis immemor, omni pura conscientia procul pulsa, ambitionis alias inauditæ ardore quam maxime inflammatus, præsentationi electionis hujusmodi ab illis ex nobis qui in Urbe remanserant, etiam per metum extortæ, contra canonicas sanctiones, in scandalum maxime cleri &. populi Christiani, ac exempli perniciem, electioni hujusmodi, licet nullæ & invalidæ, ipso jure consensisti, necnon metu & ipsius metus causa adhuc procul dubio perdurantibus, in Urbe ipsa inthronisatus & coronatus, de facto te in papam & apostolicum nominasti, qui a sanctis patribus & jure communi apostaticus, anathematizatus, antichristus, & totius Christianitatis invasor & destructor potius & merito nominaris. Nempe cum ista tua tam nefaria intrusio in papatu, jam sic sit divulgata per orbem, veluti tam notoria, quod jam alicubi celari non potest: cum eo tempore, scilicet modicum ante Pascha facta fuerit, quando

de universis partibus Christianitatis major adest in Urbe populi multitudo, quod errores quamplurimi pullulare incipiunt, & fidelium Christianorum illaqueari conscientiæ, tuque diutius expectatus, ac in secreto caritative admonitus, immemor salutis propriæ, tecum in præcipitium cupiens trahere clerum & populum uniuersum, ad cor redire non cures, sed inanem & transitoriam mundi gloriam saluti animæ tuæ propriæ & aliorum Christi fidelium anteponens, animo obstinato satagis ipsum papatum tyrannice possidere, qui per ostium non intrasti. Nos non valentes præmissa salvis conscientiis amplius sub dissimulatione transire, ad tuam & aliorum Christi fidelium notitiam præmissa omnia, licet ipsa tibi quam pene toti clero & populo existant notiora, deducentes, te anathematizatum ac tamquam intrusum in papatu, nulla electione canonica præcedente, totius Christianitatis invasorem, qui caput ipsius sanctæ Christianitatis invadere non formidas, destructoremque, qui sub tua occupatione tyrannica efficere satagis, ut fere sacramenta deficiant, ut Christicola populus vero pastore carens, per abrupta ducatur in devium, publicamus ac etiam denuntiamus : te nihilominus exhortantes & obsecrantes per viscera misericordiæ Jesu Christi, cujus ecclesiam sanctam suam non erubuisti invadere, ut de fine cogitans ad quem jam te trahit plenitudo dierum, ad Deum & puram conscientiam dirigas aciem mentis, ipsamque B. Petri sedem sanctissimam, quam sine titulo occupas, liberam ac vacuam omnino dimittas, insignia deponas papalia, & ab administratione spiritualium & temporalium papatus Romanæ ecclesiæ abstineas indilate, & alias Deo & ecclesiæ sanctæ suæ per fructus veræ pœnitentiæ satisfacere studeas juxta posse. Quod si feceris, coronam Dei, gloriam mundi, ac laudes cleri & populi universi mereberis obtinere, & acerbarum pœnarum per jura communia tibi impositarum & etiam imponendarum remissionem, cum misericordiosa indulgentia merearis obtinere ; alias indignationem Dei omnipotentis, ac beatissimorum apostolorum Petri & Pauli sanctorumque omnium non immerito incursurus. Nosque divinum & humanum auxilium, cum Christi sponsa & omnium Christianorum communis mater per te procul dubio violetur, invocabimus, aliisque utemur remediis per canonicas sanctiones concessis abunde, in antea nullam spem de misericordia habiturus. Datum Anagniæ.

LETTRE ENVOYE'E DE PAR LE ROY à nosseigneurs les Cardinaux incontinent après la mort du pape Clement VII.

Anno 1594. Ex mſ. bibliotheca regia.

CHARLES &c. à nos tres chers & especiaux amis du saint College des cardinaux estant en Avignon salut & dilection.

Tres chers & especiaux amis, incontinent que sceu avons le trespassement de sainte memoire pape Clement VII. dont Diex par sa sainte grace vueille avoir l'ame, nous en suivant les traces & bonnes mœurs de nos predecesseurs, qui tousjours, comme vous sçavez, ont esté vrais catholiques & singuliers protecteurs & deffendeurs de l'universelle eglise, & qui desirons sur toutes choses, comme raison est, la bonne paix, & union d'icelle eglise, & la cessation de cet horrible & douloureux schisme, qui si longuement a ja duré, & qui est disposé d'encore durer, si bonement n'y est pourveu, avons par bonne & meure deliberation de plusieurs de nostre sang & lignage, & de notre grand conseil, estant à present pardevers nous, ordené & deliberé, comme n'agueres vous avons escrit, denoncier brievement pardevers vous, nos messages solemnels, c'est à sçavoir nos amez & feaux Loys de Sancerre, & Jehan le Maingre, dit Bouciquaut mareschaux de France, Regnaut de Roye nos conseillers & chambellans & maistre Jehan Bertaut notre secretaire, lesquels nous y envoyons & presentement, pour vous informer par eux de notre entention & voulenté, sur les choses dessus dittes, & aucunes autres plus plainement, que par lettres ou escrit informer ne pourrions. Si vous prions tres cher & especiaux amis tant affectueusement & de cuer, comme nous plus povons, que nosdits messagers vous vueillez plainement croire de tout ce qu'ils vous diront & exposeront de par nous, & le faire & accomplir tout ainsy comme si nous mesmes le vous disions ou exposions de bouche, & sur tout pour l'amour & affection que vous avez & devez avoir à ladite paix & union de l'eglise, & le plaisir que faire nous voulez, ne vueillez aucune chose faire, ny souffrir faire au contraire. Donné à Paris le XXVII. jour de Septembre.

INSTRUCTION BAILLE'E PAR le roy notre ſire à meſſeigneurs les ducs de Berry, de Bourgogne, & d'Orleans, & autres ſes conſeillers & ſerviteurs, leſquelx il envoye preſentement devers notre ſaint Pere pour le fait de la paix & union de l'egliſe univerſelle.

Anno 1395. Extat. bibliothecæ regiæ.

PRemierement ſera recitè que le ſchiſme de l'erreur qui eſt en l'egliſe a moult longuement duré par l'eſpace d'environ dix-ſept ans, & que moult de grands perils des ames, maux & inconveniens en grant leſion de noſtre foy chreſtienne s'en ſont enſuis, & ſe pourroient enſuis, ſi noſtre mere ſainte egliſe n'eſtoit ramenée à vraye union.

II. Item, que notre ſaint pere le pape CLEMENT du temps du roy CHARLES, que Dieu pardoint, & depuis a envoyé pluſieurs fois ſes meſſagers ſolemnels devant luy, & auſſy devers le roy noſtre ſire qui eſt à preſent, en leur priant, que eux vouliſſient mettre en peine, & travailler à oſter le ſchiſme, & mettre ſainte egliſe en paix, & que eux y ont grandement labourré par devers les autres rois, princes & ſeigneurs de la chreſtienté, & neantmoins dure encore ce ſchiſme, & eſt moult enraciné; & que plus dureroit ou temps à venir, de tant plus ſeroit-il difficile à appaiſier, & ſi bievrement remede n'y etoit mis, il ſeroit grand peril, qu'il fut perpetuel, que Dieu ne vueille, ainſy que eſt la diviſion de l'egliſe Grecque & de l'egliſe Latine.

III. Item, que le roy a touſiour reſpondu & fait reſpondre aux meſſages, qui ſont devenus par devers luy de par noſtre ſaint pere Clement, & de par noſtre ſaint pere, qui eſt à preſent, comme il eſt en verité, que c'eſt le fait du monde qu'il a plus à cœur, que de mettre paix & union en ſainte egliſe, en ſuivant les voyes de ſes predeceſſeurs, & qu'il y veut expoſer ſa perſonne, les ſeigneurs de ſon lignage, ſa chevance, & y faire tout ce qu'il pourra.

IV. Item, que il eſt aſſes toſt apres la creation de noſtre ſaint pere BENOIST, il envoya devers le roy ſes meſſages ſolemnels, monſieur l'eveſque d'Avignon, ſon mareſchal, & meſſire Pierre Blau, qui dirent au roy entre les autres choſes, que noſtredit ſaint pere avoit accepté cet eſtat & ſon election, principalement pourtant faire en ſon temps au plaiſir de Dieu, que le ſchiſme ceſſat, & que l'egliſe fut en paix, & qu'il eſtoit tout pret ſans aucun delay d'entendre à l'union de l'egliſe par toutes voyes poſſibles & honeſtes, qui ſeroient aviſées, & qu'il avoit toute ſa fiance au roy & à noſſeigneurs ſes oncles & freres, plus qu'en autres princes de la chreſtienté; & ſupplioit au roy, qu'il luy pleuſt envoyer ſes meſſages ſolemnels par devers luy, & par eux luy faire ſçavoir ſon intention ſur cette matiere, & qu'ils fuſſent de telle auctorité, & ſi prouchain de lui, & tellement inſtruits, que quand ils ſeroient par dela, notre ſaint pere par le bon avis & deliberation d'eux & des ſeigneurs cardinaux du college puſt conclure en cette matiere, ſans qu'il falluſt les meſſages retourner par devers le roy.

V. Item, que aſſes toſt apres le roy en ſa preſence fiſt reſpondre auſdits meſſages, qu'il ſe vouloit expoſer & travailler en ce fait, comme deſſus eſt dit, & qu'il envoyroit volontier ſes meſſages pardevers noſtre dit ſaint pere pour la maniere qu'il avoit requis, & que quand monſieur de Bourgogne ſon oncle és marches de Bretagne ſeroit retourné, il auroit avis quiex meſſagers il envoyroit devers le pape, & auſſi ſur ce qu'il les chargeroit pour lui dire.

VI. Item, que pourceque cette matiere eſt la plus grande qui puſt eſtre, & que le roy & noſdits ſeigneurs l'ont tant à cuer que plus ne peuvent, & que ſur ce le roy vouloit avoir bon & grand conſeil, & a mandé les prelats de ſon royaume, pluſieurs abbez, prieurs, maiſtres en theologie, docteurs, deputez des etudes de Paris, d'Orleans, d'Angers, & de Toulouſe, & pluſieurs religieux des ordres des Chartreux, des Celeſtins, des Mandians, & autres ſages hommes, & auſſi a voulu avoir la deliberation de l'univerſité de Paris, & ainſy la fait ſçavoir à noſtre ſaint pere.

VII. Item, qu'environ la journée aſſignée aux prelats pour venir devers le roy, qui fuſt à la Chandeleur, noſtre ſaint pere envoya derechef ſes meſſages pardevers le roy, les deſſuſdits eveſque d'Avignon, & Meſſire Pierre Blau, & l'eveſque de Tiraſon, leſquiex ont encore ſupplié moult inſtamment au roy qu'il luy pluſt avancer l'allée de ſes meſſages pardevers le pape; & outre que le pape pour la ſedation du ſchiſme avoit aviſé une bonne voye & brieve, qui ſeroit plaiſante au roy, & à tout le monde, & laquelle il diroit aux meſſages du roy, quand ils ſeroient pardevant luy, & non à autres perſonnes.

VIII. Item, que ces aſſemblées & conſultations qui ont eſté faites du commandement du roy, tant par les prelats & autres, qui ont eſté avec eux, comme diſt eſt, & auſſi quant au fait principal par l'univerſité de Paris, auſſy comme le roy ſçeut par le rapport que luy a eſté fait, pluſieurs voyes ont eſté touchées & ouvertes par maniere d'avis & d'opinion tant ſeulement, non pas par maniere de determination, mais pour donner conſeil au roy, à ce que le roy peuſt chargier ſes meſſages pour faire expoſer par eux ſon intention & advis au pape, ainſy qu'il l'a requis.

IX. Tous ont deliberé, que pour avoir la grace du ſaint Eſprit en la proteſtation & bonne concluſion de ce fait, eſt neceſſité

d'avoir recours à Dieu par devotes oraiſons, meſſages, predications, proceſſions, aumoſnes, & autres œuvres preciſes*, combien qu'il ne ſuffiſe pas. Mais avec ce faut proceder à querir & elire la plus convenable & plus brieve voye pour mettre paix en ſainte egliſe.

f. pieuſes ou precieuſes.

Prima via facti.

X. Entre les voyes qui ont eſté ouvertes a eſté touchié de la voye de fait, c'eſt à ſçavoir que l'intrus, ſes anticardinaux, & tous ceux qui tiennent ſa partie & ſon obeiſſance fuſſent contraints par la puiſſance du roy à venir à la verité, & à l'obeiſſance de notredit ſaint pere pape BENOIST, lequel le roy, les ſeigneurs, le clergé, & le peuple de ſon royaume tiennent fermement & ſans doute eſtre vray pape & vicaire de notre Sauveur JESUS CHRIST, & que és temps paſſez pluſieurs des roys predeceſſeurs du roy noſtre ſire ont bouté hors du ſaint ſiege de Rome les intrus, & remis le vray pape en ſon ſiege, & contraint par une voye de fait les rebelles luy obeir, & que ce ſeroit l'honneur du roy de le faire par cette maniere.

Reſponſio viæ facti.

XI. Neantmoins il ſemble aux deſſus dits, que cette voye n'eſt point à conſeiller au roy, à noſtre ſaint pere. car elle ſeroit tres perilleuſe, & avec les guerres que le roy a de preſent, il prendroit guerre à toutes les autres nations, qui ſont de l'obeiſſance de l'intrus. Pourquoi d'inconveniens ſe pourroient enſuir, que c'eſt ſans nombre, & ſi pourroit aucun pour nos pechez par la puiſſance de noſtre Seigneur, & pour nous punir, que noſtre ſaint pere, qui a bonne & vraye juſtice, ſuccomberoit, & que l'intrus obtiendroit; & ſuppoſé que par la voye de fait & de guerre l'intrus & tous ſes anticardinaux fuſſent morts ou pris, & que noſtre ſaint pere BENOIST fuſt par le roy mis en ſon ſiege à Rome, ne ſeroit pas pour ce le ſchiſme oſté, ny l'egliſe en union. Car ja pour ce les nations d'Allemagne, d'Angleterre & d'Italie, d'Hongrie, & autres, ne croiroient ja en noſtre ſaint pere Benoiſt: mais diroient que a tort, par force & contre raiſon occuperoit l'egliſe, & ſeroit le ſchiſme plus fort qu'il n'eſt de preſent, & n'eſt pas pareil le ſchiſme qui eſt en l'egliſe aux ſchiſmes qui ont eſté du temps paſſé. Car lors il etoit clair & evident, que l'un etoit intrus, combien qu'il fut ſoutenu de fait par aucun ſeigneur; mais à preſent combien que la partie de l'intrus ſoit fauſſe, toutesfois eſt-elle grandement colorée & fondée ſur diverſes ecritures & raiſons, & ſoutenue par plus grand nombre de clercs notables, qu'il n'en a en l'obeiſſance de noſtre ſaint pere Benoiſt, & ſi eſt certain que au commencement du ſchiſme les deux clercs furent eleus par tout le college des cardinaux; ce qui n'eſt pas eſcrit.

Secunda via eſt reductionis.

XII. Une autre voye qui a eſté touſchiée eſdittes aſſemblées, eſt de reduction, c'eſt à ſçavoir, que par bonnes exhortations & demonſtrations de la juſtice de noſtre ſaint pere BENOIST, par meſſages & eſcritures, les roys, princes & ſeigneurs, le clergé & le peuple de l'obeiſſance de l'intrus fuſſent ramenés à la verité & obeiſſance de noſtre ſaint pere Benoiſt, laquelle voye fut commencée au temps de noſtre ſaint pere CTEMENT, par laquelle pluſieurs roys & royaumes vindrent à ſon obeiſſance, comme ce royaume, les roys de Caſtille, d'Aragon, de Navare, d'Ecoſſe, & leurs ſujets, & ſembleroit que ſi le roy procedoit encore & y perſeveroit, qu'il y pourroit bien profiter.

Repulſio ejuſdem.

XIII. Cette voye ne ſemble pas poſſible, ny à conſeiller au pape, pour ce que le ſchiſme eſt trop fort enraciné & a duré trop longuement, & que durant icelui les intrus de Rome ont pourveu de fait tous les prelats, preſque tous & autres gens d'egliſe, qui tiennent obeiſſance de l'intrus, & ſont auſſi fort obſtinez les roys, princes, prelats, les clercs & laïs de ſon obeiſſance, & leur erreur, comme les roys & autres ſeigneurs, les clercs & les laïs de l'obeiſſance de notre ſaint pere Benoiſt, ſont fermes & conſtans en ſa bonne juſtice, & qui plus eſt à preſent les nations eſtranges, Anglois, Allemands & autres ſont tellement obſtinez, que eux ne voudroient point oüir la verité de noſtredit ſaint pere par meſſages, ny par lettres, auſſi peu comme le roy & ceux qui tiennent la verité de noſtredit ſaint pere Benoiſt voudroient oüir l'iniquité.

XIV. Et outre ſuppoſé que l'intrus de Rome & tous ſes anticardinaux par exhortations ou autrement ſe declaraſſent à l'obeiſſance de noſtredit ſaint pere Benoiſt, qui n'eſt pas à croire que jamais ſe puſt faire, ja pour ce les nations deſſus nommées d'Allemans, d'Anglois & autres n'obeiront à noſtre ſaint pere Benoiſt, mais feroient par elections de leurs prelats un nouvel intrus, comme ſi noſtredit ſaint pere Benoiſt & tous ſes cardinaux ſe declaroient à l'obeiſſance de l'intrus de Rome, ja pour ce les roys, les princes, les prélats & le peuple de ſon obeiſſance ne croiroient audit intrus, ni ne lui obeiroient.

Tres viæ contentæ in epiſtola univerſitatis Pariſienſis.

XV. Item, és aſſemblées qui ont eſté faites dernierement ſur cette matiere, ont eſté repriſes les trois voyes autrefois ouvertes par l'univerſité

l'univerſité de Paris, contenant en une epiſtre, qui par elle fut baillée au roy depuis la ſaint Jean dernierement paſſée, de concile general, de compromis, & de ceſſion.

Via concilii generalis.

XVI. Quand à la voye de concile general, il ſembleroit que ce fut la plus raiſonnable de droit, car és faits concernans la foy ou l'eſtat de l'univerſelle egliſe, comme eſt le ſchiſme, le pape eſt ſujet au concile, & en peut le concile juger & determiner. Si le jugement étoit donné par le concile general, chacun y obeiroit, & ſi eſt à croire que la ſentence ſeroit juſte & raiſonnable, & que Dieu ne ſouffriroit qu'en ce fait qui touche la foy, le concile general erraſt, & ſuppoſé qu'il erraſt, chacun en ſeroit excuſé en ſa conſcience, en obeiſſant en la ſentence; & dient aucunes ecritures anciennes que autrefois a ainſy eſté fait.

Reprobatio quo ad præſens propter prolixitatem.

Johannes de Matiſcone.
Geraldus *Bagoul*.

Geraldus de Caſtro-Morono & ejus ſocius, & Petrus Januti de ſtudiis Aurelianenſi, Tholoſano, & Andegavenſi, decretorum & legum doctores ſolemnes.

Jacobus *Coſſon*.
Guillelmus de Cauteriis.

Robertus de Donis in curia parlamenti conſiliarii regii.

Andreas Grangerii.
Johannes *de Melly*.

Radulfus de Ulmonte etiam in curia parlamenti cauſarum patroni.

Magiſtri Robertus de Freta.

Amelius de Brolio auditores ſacri palatii apoſtolici.

Et Guillelmus Bonnaterii, licentiatus in legibus, ſocius domini epiſcopi Anicienſis.

Prior Carthuſienſium Pariſienſium.
Prior Cæleſtinorum Pariſienſium.
Necnon Johannes Capitis Bituricenſis.
Johannes Plaonis Agathenſis.

Prior Prioratuum S. Columbæ de Savardino & de Volvento Caſtrenſ.
Guillelmus Muneti Abrincenſis.
Jacobus de Manſaugia *Chido* Ambianenſis.

Quidam alius Mimatenſis epiſcoporum vicarii & nuncii officialis Lugdunenſis.

Bertrandus Geneſte archidiaconus Conſtantienſis, & quidam religioſus Almannus de ordine Minorum, magiſtri viri litterati & juriſperiti... & noſtrum notariorum prædictorum, præſtito ante omnia a ſingulis prænominatorum juramento de dando fidele conſilium in hac materia dicto domino noſtro regi, ſecundum eorum conſcientias & diſcretiones, antequam fuerint requiſita ſingulorum vota, fueritque materia repetitis vicibus ſolemniter diſcuſſa, & poſt hujuſmodi diſcuſſionem opiniones petitæ, & per unumquemque, paucis exceptis, certa die, immo certis diebus, ſecundum quod materia ipſa repetebatur, ſua opinio dicta fuiſſet. Hinc eſt quod in noſtrûm notariorum prædictorum præſentia, præfatis dominis patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus & aliis perſonis ſupradictis in camera viridi prædicta congregatis, & ſuper materia ſeu negotio hujuſmodi ſuam opinionem dicentibus, quia pro majori parte domini prædicti adhærebant opinioni unius dictorum dominorum, quæ erat in ſcriptis, & quædam alia opinio quæ per quemdam alium dominum tangebatur etiam in ſcriptis, fuit dictum quod ambæ opiniones ſic in ſcriptis redactæ, alta voce & intelligibili legerentur: quibus lectis & intellectis, præfatus reverendiſſimus in Chriſto pater dominus patriarcha Alexandrinus ibidem præſidens requiſivit omnes aſſiſtentes, quatenus ipſi per juramenta ſua jam præſtita, Deum ſolum habendo præ oculis, dicerent in hac parte quod conſcientia ſibi dictaret. Quo audito, ipſiſque dominis ſedentibus, & propter hoc congregatis & interrogatis ſuper præmiſſis ſingulariter & ſigillatim, fuerunt octoginta ſeptem ex ipſis, qui unanimiter tenuerunt opinionem contentam in cedula ſuper hoc tradita, cujus opinionis articulus, omiſſis cauſa brevitatis aliis in ipſa cedula contentis, ſequitur in hæc verba: Concludendo & eligendo per modum opinionis & conſilii ſolum, attenta deliberatione religioſorum ordinis Cartuſienſis & Cæleſtinorum & univerſitatis Pariſienſis, & quod neceſſe eſt eccleſiæ ſanctæ Dei ſub periculo deſolationis ejuſdem, iſtud deteſtandum ſchiſma brevius quam fieri poterit extirpari, & eccleſiam uniri, nec viæ prætactæ aut aliæ quæ per ſcribentem imaginari valeant, ſint ſufficientes ad veram unionem, pacem firmam & concordiam animarum, præter viam ceſſionis utriuſque partis, iſtam viam ſatis communem, quaſi Sancti Spiritus eligit & regi conſulit per nuncios ſolemnes domini regis domino Benedicto conſulendam, ipſum & ejus collegium ad hanc omnibus bonis modis cum honore & reverentia decentibus, exhortando, exponendo tamen domino noſtro primitus alias vias prætactas cauſas, propter quas non approbantur de præſenti, & cauſas propter quas ceſſio utriuſque videtur eligenda. In caſu vero quo ſic dominus noſter rex cum dominis de genere ſuo & aliis de conſilio ſuo ſic deliberaverit, modus ſignificandi & proſequendi poſſet eſſe talis, videlicet quod in conſiſtorio publice nuncii regis regratiarentur domino noſtro & cardinalibus de bonis intentionibus ſuis, de nunciis ſolemnibus per papam miſſis domino

regi; significarent etiam in genere bonam intentionem domini regis, diligentiam per ipsum habitam circa materiam, convocando suos prælatos & alios notabiles viros, quorum & universitatis Parisiensis habuit consilium, & quod nuncii regis missi sunt ad papam, ad sciendum ipsius intentionem & viam per ipsum deliberatam, prout ipse se dicturum per suos nuncios regi significavit. Demum ad partem & secrete nuncii regis loqui poterunt cum domino nostro, relinquentes ejus arbitrio, si primo voluerit eis viam per ipsum deliberatam aperire, vel audire viam ex parte regis consulendam, & quicumque primus viam aperiat, si sunt concordes in nomine Domini. Si vero clare pateat nunciis regis, vel quod eligere vellet viam compromissi, seu concilii generalis, istas vias impugnent, secundum suas instructiones per media prætacta & alia satis communia; sed si via per papam exponenda foret alia de tribus prætactis concilii, compromissi vel cessionis, revocaretur in dubium, an esset melior vel æque bona, quod est incredibile seu multum difficile. Tunc super hoc rex esset consulendus, & ejus beneplacitum expectandum. Præterea si dominus noster elegerit viam concilii vel compromissi, aut unam aliam viam quam cessionis, quæ non videtur ita fructuosa, sicut renuntiatio, post discussionem materiæ & inductionem aliquorum dominorum cardinalium, qui plus ad factum aspiciuntur, exponerent nuncii regis domino nostro Benedicto semper cum reverentia & honore, quod ex quo melior & brevior via quam cessionis non referretur regi, crederent quod rex viam sibi consultam per omnes vias & modos rationabiles & honestos sibi consultos & consulendos, usque ad effectum finalem penes reges & principes & subditos utriusque partis prosequeretur, si melior & brevior reperiri non posset.

Item, fuerunt viginti duo, qui in toto tenore dictæ cedulæ non bene concordabant cum præfatis octoginta septem, quorum unus tradidit unam cedulam manu sua scriptam: qua lecta, eidem cedulæ decem & novem ex ipsis viginti duobus potius quam primæ suprascriptæ adhærebant. Duo vero alii ex ipsis viginti duobus, ambo episcopi, dixerunt expresse, quod dictæ secundæ nullatenus adhærebant: cujus cedulæ tenor sequitur:

[a] (a) Ad principale quæsitum, quo quæritur quid regi, principi, & domino nostro consulo per eum domino nostro papæ consulendum pro breviori, honestiori & faciliori modo unionis habendæ in universa Dei ecclesia, Deus cujus causa agitur, judicet scribentem, si aliter loquatur quam credit & sentiat, negotio de quo agitur profuturum. Est igitur iste modus secundum eum qui in pauco, aut nullo differt a modo aliorum saltem effectualiter. Sed quia ducendi sunt non trahendi, a quorum voluntate principaliter hoc dependet, est eis mos gerendus, præsertim cum nihil de specialibus obmittitur. Mittantur ergo solemnes ambaxiatores ex parte regis domino nostro, & si fit possibile, domini patrui, aut alter ex eis, quoniam illis fas erit magis negotium accelerare, & illis verisimiliter dominus noster se effusius aperiet, & cum illi sint viri litterati & timentes Deum, habentesque rectum zelum causæ hujus, qui secum deferant, tacitis nominibus opinantium, effectualiter quæcumque hic gesta; fiatque in consistorio publico propositio stans in generalibus terminis regratiatoria, exhortatoria, & oblatoria auxilii & favoris, postmodumque ad partem coram illis, de quibus domino nostro placuerit, petatur ab eo apertio viæ seu viarum, quas in hac materia dominus noster, ut asseritur, dicit se habere: quibus per eum apertis, si conveniat in via grata ambassiatoribus regis secundum instructiones illis datas, benedictus Deus, tunc ad executionem illius, absque hoc, quod per hæc verba ultra hic redire oporteat, incipiat manum apponere juxta ea in quibus ibidem invicem concordabunt. Sin autem, quod non opinor, viam dominus non aperiret, vel saltem non factibilem aut nimis longam, vel aliter cum regiis ambassiatoribus & litteris per eos portatis non conveniret, tunc aperirent domino nostro omnia hic tacta, & vias exprimendo, quæ via habet plures sequaces, cottando omnes vias in mundo, totum sine expressione personarum, & convenientia cujuslibet viæ, & inconvenientia etiam exprimendo in quo resedit universitas, & in quo major pars hujus concilii. Et si dominus noster reduceretur cum ambaxiatoribus, bene quidem, aliter tunc per dominos cardinales quæ tanguntur, & alios de quibus videretur, honestiori tamen & secretiori modo quo esset possibile, & in terminis concilii, secluſa omni etiam artatione causativa, sibi tangi facerent, etiamsi opus esset, addendo quod dominus noster ad viam brevem & factibilem se disponeret, quia rex erat propositi non ultra in hoc diffidio schismatis remanere; & si tunc non haberetur optatus finis, de cujus contrario credo esse certus, redirent ambassiatores ad regem, qui per convocationem secundam concilii, vel alias, ut materia exigit, provideret. Hoc tamen non omitto, quod si dominus noster offerret viam factibilem & bonam, licet non illam de qua essent ambassiatores per regem onerati, quod antequam redirent, hoc nunciarent regi & ejus expectarent responsum, ut videretur, an via per dominum nostrum aperta, licet esset alia, regi esset accepta, qui in via rationabili decenter dominum no-

(a) Hanc cedulam per manus episcopi Xanctonensis traditam in consilio alibi legimus in eodem ms.

ſtrum papam præſertim in hac materia ſequi A deberet.

Quibus ſic actis, prædicta die decima octava Februarii, præfati domini prælati & perſonæ acceſſerunt ad præſentiam prædicti domini noſtri regis, in domo ſua S. Pauli Pariſius exiſtentis, in camera parlamenti baſſa, ubi ipſo domino noſtro rege ſedente in ſolio ſuo regio, aſſiſtentibus ſibi dominis ducibus Bituricenſi & Burgundiæ patruis, Aurelianenſi germano, Borbonii avunculo, comite Augi conſtabulario, Arnaldo de Corbeia cancellario, dicto *Boucicaut* mareſcallo, domino Johanne de Vienna admiraldo, Guichardo Dalphini magiſtro baliſtariorum, multiſque comitibus, baronibus, militibus, cambellanis & perſonis aliis, de conſilio dicti domini regis, præfatus dominus, dominus patriarcha Alexandrinus in præſentia omnium prædictorum alte & intelligibiliter retulit regi omnia ſupradicta. Qua relatione ſic facta, ante & poſt ac pluries prædictus dominus patriarcha de omnibus prædictis, dum modo prædicto fierent & dicerentur, petiit a nobis notariis prædictis fieri publicum inſtrumentum, unum vel plura, ad opus ipſius & omnium quorum intereſt vel intereſſe poterit in futurum, & etiam præfatus dominus noſter rex petiit ſibi fieri de hujuſmodi relatione publicum inſtrumentum. Acta fuerunt hæc Pariſius, anno, diebus, locis, & præſentibus quibus ſupra.

Et ego Johannes de Bordis in utroque jure baccalaureus archidiaconus Pariſienſis, publicus auctoritate apoſtolica notarius, congregationibus, diſcuſſionibus, cedularum traditionibus, relationi factæ per dictum dominum patriarcham Alexandriæ dicto domino noſtro regi & omnibus aliis, dum fierent & dicerentur, prout in præſenti inſtrumento ſupraſcripto continetur, præſens fui, exinde ipſum inſtrumentum aliena manu ſcriptum ſigno meo manuali ſignavi, & in eo me ſubſcripſi, & hic rogatus & requiſitus in teſtimonium præmiſſorum. *Bordes.*

Et ego Gunterus Colli domini noſtri regis ſecretarius, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, congregationibus, diſcuſſionibus, cedularum traditionibus, relationi factæ per dominum patriarcham Alexandrinum dicto domino regi & omnibus aliis, dum fierent & dicerentur, prout in præſenti inſtrumento ſupraſcripto continetur, fui præſens, & ob hoc ipſum inſtrumentum alia manu ſcriptum ſigno meo ſecretariatus manu mea ſignavi, & me ſubſcripſi hic ſuper hoc requiſitus & rogatus in teſtimonium præmiſſorum. *Gontier.*

INSTRUMENTUM

Per quod domini cardinales interrogati fuerunt per juramentum, ut dicerent, quam viam videbatur eis eſſe meliorem & utiliorem pro ſtirpatione ſchiſmatis, & hoc fuit coram dominis ducibus ambaxiatoribus regis, ubi dixerunt opiniones ſuas.

Anno 1395. *Ex mſ. bibliothecæ regis.*

IN nomine Domini. Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno Domini M. CCC. B LXXXV. indictione III. menſis Junii die prima, pontificatus SS. in Chriſto patris & domini noſtri, domini BENEDICTI divina providentia papæ XIII. anno primo, in notariorum & tertii infraſcriptorum præſentia, perſonaliter exiſtentibus illuſtribus & magnificis principibus & dominis, dominis Bituricenſi & Burgundiæ patruis, & Aurelianenſi fratre domini noſtri regis ducibus, necnon reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis dominis videlicet de Florentia, Peneſtrino, Ambianenſi, de Albano, de Novo-caſtro, de Agrifolio, *de Giffons*, Jeruſalem, Neapolitano, Venetiarum, de Murolio, de Thureio, C de Vivariis, Pampilonenſi, Auxitano, Anicienſi, de Vergeyo, de Saluciis, de Petramala, S. R. E. cardinalibus, ac etiam reverendis in Chriſto patribus, Silvanectenſi, Pictavenſi & Attrebatenſi epiſcopis, Guillelmo vicecomite Meldunenſi cambellano, Johanne comite de Sacro-Cæſare, domino Guidone de Trimoilla, domino Johanne de *Bueil*, domino Petro de Gyaco, domino Odardo de *Chazeron*, domino Jaqueto *de Blaru*, domino Almarico de Ordeo-monte, domino Odardo de Molinis, Johanne de Monte-acuto, & magiſtro Ægidio de Campis, D dicti domini noſtri regis conſiliariis, apud Villam novam juxta Avinionem, hora quaſi quarta poſt meridiem, in domo quæ quondam fuit defuncti cardinalis Boloniæ, in quadam camera dicti hoſpitii, ſedentibus in conſilio januis clauſis, dictus illuſtris princeps & dominus, dominus dux Bituricenſis vivæ vocis oraculo recitavit in brevi dictis dominis cardinalibus cauſam adventus eorum, & quomodo eodem die in mane ipſi audierant viam aperiri per os dicti magiſtri Ægidii de Campis coram dicto domino noſtro papa Benedicto, & ipſis cardinalibus, quam dictus E dominus noſter rex repererat in concilio ſuo, quod ob iſtam cauſam multis diebus celebraverat Pariſius, domino noſtro papæ per ipſum conſulendam ad ſedationem ſchiſmatis & eccleſiæ unionem obtinendam. Poſtea cum inſtantia requiſivit eoſdem dominos cardinales ex parte regis, & etiam ipſorum dominorum ducum, quod quilibet ipſorum per juramentum quod habebat eccleſiæ Dei, & in ipſius conſcientia, diceret qua via ei vi-

debatur melior, brevior, tutior & factibilior ad dictum schisma sedandum, quod in Dei ecclesia, proh dolor! viguerat & vigebat, & ad obtinendam pacem & unionem ipsius Dei ecclesiæ, & pacificationem conscientiarum omnium Christi fidelium. Et primo petiit a dicto Florentiæ cardinali, qui quidem respondit: Domini mei, hora est tarda, & possemus vos attædiare propter prolixitatem materiæ & multitudinem opinionum; & si placeret vobis, cras de mane reverteremur ad vos; attamen si velitis, nunc expediemus nos; & tunc plures alii cardinales dixerunt: Nunc, nunc; qui dictus dominus Bituricensis dixit, quod non attædiarentur propter hoc ipsi domini duces, immo requirebat quod sine aliqua mora unusquisque diceret opinionem suam. Quo dicto, idem cardinalis de Florentia dixit, quod ecclesia Dei erat de præsenti judicio suo in duriori statu quam umquam fuerat post mortem B. Petri apostoli, & adduxit aliquas rationes facientes ad istud propositum. Dixit insuper quod ipse fuerat hactenus ab exordio ipsius schismatis, erat adhuc & esset continuo præsto & paratus laborare juxta posse suum pro bono pacis & unionis ecclesiæ, & in conscientia sua videbatur sibi, quod ad dictam pacem & unionem obtinendam via cessionis erat melior, brevior, tutior, factibilior, & magis pacificans conscientias fidelium & sedativa schismatis, quam quæcumque alia via tacta, vel quæ sibi occurreret.

2. Dominus Penestrinus asseruit viam magis Deo gratam fore meliorem ad sedationem schismatis, ad quod diversis mediis deveniri potest, & quod si via cessionis bene practicetur, illa sibi pulchra & bona videtur, eamque consulit, cum tali modo posset practicari, quod esset Deo grata.

3. Dominus Ambianensis dixit per conscientiam suam, partem suam paradisi, juramento quo ad ecclesiam Romanam, necnon ad dictum dominum nostrum regem astringitur, quod via cessionis est melior, brevior, & sanctior, factibilior, honorabilior Deo, mundoque, placans conscientias, & corda fidelium pacificans, plus sedativa schismatis, pacis & unionis in ecclesia universali, quam quæcumque alia via, & quod judicio suo per nullam aliam viam pax nec unio apponi vel reperiri possunt, & propter hoc ad ipsam se tenet, eamque solam approbat; pro cujus viæ corroboratione plures adduxit rationes. Dixit insuper quod sibi videbatur opus esse, quod de modo executionis dictæ viæ fieret mentio de præsenti.

4. Dominus Albanensis post regratiationes per ipsum regi & dominis nostris præfatis ducibus de bona & magna affectione, quam ad pacem & unionem ecclesiæ habere noscuntur, exhibitas, dixit viam cessionis a tempore Christi non fuisse visam, & quod certum est, quod qui de ista materia disputaret, melior via & honorabilior pro ecclesia, domino nostro papa, ac domo Franciæ, quam via cessionis possit reperiri. Dixit ulterius, quod cognoscebat aliquos, quos taccbat pro tunc, qui oculum & intentionem habebant ad hoc quod dominus noster de papabilitate amoveretur. Deinde quod præsupponit & firmiter tenet, quod rex & domini nostri duces ad pacem & unionem ecclesiæ aspirant, & quod nolunt quod dominus noster papa cedat, nisi intrusus renuntiet; & quia tenent viam cessionis meliorem & breviorem, dixit præcise, quod si per viam cessionis pax & unio ecclesiæ citius quam per aliam quamcumque sequerentur, & intrusus cedere velit & renuntiet, quod similiter dominus noster papa Benedictus in hoc casu renuntiet suo juri.

5. Dominus cardinalis de Novo-castro dicit, quod in conscientia sua firmiter tenet, quod rex & sui patrui, necnon frater & eorum consilium fuerunt & sunt in vera, justa, & sancta opinione pro pace & unione ecclesiæ consequenda, & quod cum magna & matura deliberatione hanc viam consuluerunt & elegerunt, & propter hoc ad eam se tenet, tamquam meliorem & breviorem.

6. Dominus cardinalis de Agrifolio dicit quod præsupponit & firmiter tenet, quod rex & domini nostri habuerunt & habent veram intentionem atque propositum veniendi ad pacem & unionem ecclesiæ brevius & meliori modo quam fieri poterit, & ob hoc dixit, quod si via cessionis quam elegerunt posset tali modo practicari, quod pax & unio ecclesiæ sequeretur, quodque ecclesia in suis libertatibus remaneret, eam tenet & reputat meliorem, & ipsam domino nostro papæ, etiam si pater suus aut frater esset, consulit.

7. Dominus *de Giffons* asseruit in conscientia sua se totis affectibus super omnia pacem & unionem ecclesiæ optasse & optare, quod ad dictam unionem, prout sibi videtur, papa pertingere non posset, nisi mediante potentia regia & dominorum: ex quo nulla alia per regem in suo consilio præter viam cessionis est acceptata, quam præ omnibus aliis, per quas est possibile ad unionem ecclesiæ devenire, apertis & tactis elegit, & quæ fuit sibi consulta tamquam melior, papa non deberet resistere opinioni regis, cui adhæret idem dominus cardinalis, & eam pro meliori tenet, proviso quod diligenter & honeste executioni deducatur.

8. Dominus cardinalis Jerosolymitanus dicit quod tenet regem fovisse veram partem ecclesiæ, & ut in ea pax & unio poneretur, magnum & maturum consilium per plures dies celebrasse, per quod reperiit viam cessionis aliis viis fore meliorem & etiam breviorem. Quapropter dictus dominus cardinalis eidem viæ cessionis adhæret, & eam

tamquam meliorem approbat, ſupponendo quod eccleſia in ſuis libertatibus & franchiſiis remaneat, & quod rex & domini in ipſis eam manu teneant & ad manutenendum adjuvent.

9. Dominus cardinalis Neapolitanus tria dixit, primo quod ſanctæ memoriæ CLEMENS papa nuper defunctus, erat verus papa, cui ſucceſſit dominus noſter BENEDICTUS. Secundo, quod rex & domini regales pacem & unionem eccleſiæ deſideraverunt & optant. Tertio, quod domus Franciæ eccleſiam, ſchiſmate urgente, ſuſcepit, ſemperque tenuit veram partem, nec reperit eos umquam a fide deviaſſe. Tenet etiam quod vellent quod dominus noſter remaneret papa: quare ſecundum quod rex tenet, quod pro pace & unione eccleſiæ via ceſſionis eſt melior, brevior, eodemque modo tenet dominus cardinalis. Dixit ulterius quod ſi aliqua via æque bona, ſicut via ceſſionis, reperiretur, nihilominus ad iſtam, videlicet ceſſionis, ſe teneret, & eo quod rex, qui ſuper ipſam tam mature & maturam deliberationem habuit, eam tenet.

10. Dominus cardinalis Venetiarum dixit ſe ſemper tenuiſſe, necnon tenere, quod conſideratis terminis & ſtatu in quibus eccleſia conſiſtit de præſenti, via ceſſionis eſt melior, quam fortius ſolito approbat, attento quod rex huic adhæret, qui in ipſius viæ executione nihil facere vellet, quin eſſet ad honorem eccleſiæ.

11. Dominus de Murolio ſimiliter ſemper tenuit, quod via ceſſionis erat melior & brevior pro pace & unione eccleſiæ conſequenda, & inductus rationibus per gentes regis, qui prout tenet, in tali convocatione quam fecit, meliorem viam elegit, propoſitis, adhuc tenet firmius, quod dicta via ceſſionis ſit melior & brevior quam quæcumque alia.

12. Dominus cardinalis de Thureyo dixit, quod ſemper tenuit & firmiter tenet papam CLEMENTEM fuiſſe verum papam, & eodem modo dominum noſtrum BENEDICTUM fore, & quod pro pace & unione eccleſiæ obtinenda ſibi videntur duæ viæ dumtaxat, reductionis videlicet intruſi ad credentiam & obedientiam domini noſtri Benedicti, aut renuntiationis dicti domini noſtri, dum tamen intruſus pari modo cederet, quæ quidem in principio ſchiſmatis non fuiſſet conſulta, ſed prædicta reductionis, quæ per XVII. annos practicata; qua non obſtante, his diebus ſchiſma fortius radicatur. Et quia per dictam viam reductionis minime fieri poſſet, quod eſſet ſedativa ſchiſmatis, & pacificatrix conſcientiarum, viſa temporis prolixitate, omnino viam ceſſionis ambarum partium, tamquam breviorem, ſedativam, pacificantem, veriorem & ſanctiorem approbat, pro cujus executione bonæ viæ reperirentur, de quarum practica diligenter ſupplicavit.

13. Dominus Vivarienſis dixit & aſſeruit in ſua conſcientia, ſe nihil in hac materia dicturum, quod in præſentia papæ CLEMENTIS, cui multum tenebatur & obligabatur, non dixiſſet, & quod non diceret in præſentia domini noſtri BENEDICTI, ſi præſens eſſet; & dixit quod in conſcientia ſua videtur ſibi, quod via melior atque factibilior eſt via ceſſionis, & credit firmiter, quod qui eam obtuliſſet tempore Clementis papæ, ipſe contra ſuum adverſarium ſatis obtinuiſſet.

14. Dominus Pampilonenſis dixit & affirmavit per ſuam conſcientiam in hac materia ſi nihil dicturum timore, amore, favore, odio, vel alias præter ſecundum conſcientiam, veram veritatem, & Deum ſuper hoc teſtatur, & quod præſupponit & firmiter tenet, quod rex Franciæ & domini noſtri pacem & unionem eccleſiæ totis affectibus cupiunt, quod & facit. Ulterius quod non eſt modus, nec antiquæ cerimoniæ, quod collegium coram quocumque vel cuicumque reſpondeat abſque deliberatione ad invicem habita & de conſenſu papæ, & per modum collegialem, & non per modum opinionis, nec per aliquem poſſunt aut debent in contrarium cogi: quod ſi fiat, effectus nullius roboris aut valoris debet reputari. Deinde pro fundamento ſumſit ſupponendo quod dominus noſter BENEDICTUS ſit verus noſter papa & ſolus vicarius JESU CHRISTI, & per conſequens ipſum diligere tenemur, fovere, deſtendere, manutenere, & etiam cuſtodire tamquam verum papam, & partem adverſam, intruſum ſcilicet odio habere & expellere. Idcirco dixit in ſua conſcientia, quod recta & vera via Dei & juſtitia pro veniendo ad pacem & unionem eccleſiæ eſt, ut intruſus expellatur, aut ſaltem quod de hoc faciamus poſſe noſtrum, & hoc quod in nobis eſt, quod nondum vidit aggredi; nec capere poſſet aut intelligere, quomodo proſequendo pacem & unionem eccleſiæ, incipere debamus ad viam ceſſionis, nec eſt ratio, quod ab ea incipiatur, quia hæc via eſt contra Deum & rigorem juſtitiæ. Nam juſtitia minime vult, quod quis renuntiet juri ſuo. Item, nec juſtum aut rationi conſonum, quod ſchiſmaticus vero catholico æquiparetur domino noſtro papæ. Item, via ceſſionis in ſe nec habet, nec continet, aut impedit aliquem honorem vivis aut mortuis, quin immo nec domui Franciæ, quæ tenuit defunctum dominum noſtrum papam Clementem verum papam, & tenet ſimiliter dominum noſtrum Benedictum. Quin pars adverſa dicet & ſuſtinebit, dum nos procurare videbit quod dominus noſter papa ſuo bono juri renuntiet, nos errare; quod minime fuit viſum nec in ſcripturis aut aliis reperitur domum Franciæ regalem umquam erraſſe, tenuiſſe malam partem, aut alteri quam vero papæ credidiſſe.

Quare præfatus dominus cardinalis ſe tenet ad viam expulſionis intruſi, nec intelligere poteſt aut concipere, quod via ceſſionis, quam periculoſiorem eſſe credit animabus, & infinitas perplexitates continere, ſit præferenda aut conſulenda, ſed omnibus omiſſis, eſt veritas diſcutienda, cujus modum ſciendi ipſe dominus cardinalis bene dabit & docebit, dum fuerit requiſitus. Et inſuper paratus eſt ſuſtinere, monſtrare & deducere cum clericis, quod per viam ceſſionis pro veniendo ad pacem & unionem eccleſiæ non eſt incipiendum. Vult etiam quod domini noſtri ſuper iſto adviſentur, quod in cedula juramenti ante electionem præſtiti, continetur, quod dicta cedula non intelligitur de hac via ceſſionis, nec in ea de præſenti habet locum dicta via, vel debet habere, aut in dicta cedula intelligi, nec præfata cedula dominos cardinales aliqualiter ligat in hoc caſu, nec quantum ad viam ceſſionis. Dixit ulterius in fine quod per viam conventionis & congregationis papa & collegii cum intruſo & ſuis anticardinalibus facilius & citius ad pacem & unionem eccleſiæ veniremus, quam per viam ceſſionis.

15. Dominus cardinalis Auxitanus dominum Pampilonenſem, ſi per viam quam tenet ad unionem deveniri poſſit, inſequitur: verum tamen bene dixit, quod ſi honor & libertas eccleſiæ, domini noſtri papæ Benedicti, & etiam domus Franciæ, & eorum qui crediderunt, & foverunt noſtram partem ſervaretur per viam ceſſionis, & intruſus primo cedere vellet, ipſe dominus cardinalis tenet quod dominus noſter papa cedere teneretur, & hanc viam ceſſionis in hoc caſu tamquam meliorem conſulit.

16. Dominus cardinalis Anicienſis, viam regis, ſcilicet ceſſionis approbat; & tenet quod dominus noſter hanc acceptabit, ſuppoſito quod praticetur modo debito ad honorem Dei & eccleſiæ, maxime quia defunctus papa CLEMENS pluries renunciare promiſerat.

17. Dominus cardinalis de Vergeyo, dixit quod attentis in materia præſenti conſiderandis, via ceſſionis eſt juſta, ſancta & rationabilis, & quod ea domino noſtro papæ tamquam melior conſuli debet.

18. Dominus cardinalis *du Vergne* dixit quod via reductionis ſibi pro ſchiſmatis ſedatione videtur impoſſibilis, quoniam partes in factis contrariis exiſtunt, & diverſas habent intentiones ſuper facto principali, & ob hoc eam non approbat aliquo modo, ſed eidem apparet in ſua conſcientia, quod via ceſſionis partis utriuſque eſt melior. Nam per eam omnes errores auferentur, & conſcientiæ plus quam per aliam quamcumque pacificabuntur, & eſt minus præjudicialis minuſque ſcandaloſa pro partibus, & etiam rex & ſuum conſilium eam tamquam meliorem elegerunt, & propter hoc eidem tamquam meliori minuſque præjudiciali adhæret.

19. Dominus cardinalis Saluciarum dixit, quod ſi per viam ceſſionis amborum pax & unio in eccleſia poſſit haberi, eam approbat, & ad eam ſe tenet, pro honore domini noſtri papæ conſervando. Dixit ulterius, quod ante electionem domini papæ, ipſe fuit opinionis, quod ad electionem alicujus non procederetur, deinde quod eligeretur intruſus, de qua opinione fuerunt plures domini cardinales, ſicut ipſimet ibi confeſſi fuerunt.

20. Dominus cardinalis de Petra-mala dixit ſe firmiter tenere quod rex & domini noſtri habuerunt & habent factum domini noſtri papæ & eccleſiæ univerſalis recommendatum. Quo præſuppoſito, dixit quod viſa opinione regis, quæ eſt via ceſſionis, ipſe tenet in ſua conſcientia, ſi per hanc viam ceſſionis pax & unio eccleſiæ poſſit haberi, & intruſus renuntiare velit, quod dominus noſter papa renunciare debet. Super quibus omnibus & ſingulis ſuperius declaratis, & per prædictos dominos cardinales ſic prolatis, prædicti domini duces requiſierunt a nobis notariis publicis ſubſcriptis unum vel plura fieri inſtrumentum vel inſtrumenta, ad opus omnium quorum intereſſe poteſt vel poterit quomodolibet in futurum.

21. Et ego Gonterius Colli clericus Senonenſis, domini noſtri Francorum regis ſecretarius, apoſtolica & imperiali auctoritatibus notarius, dum hæc omnia & ſingula ſuperius ſic, ut præmittitur, agerentur, & fierent, ac dicerentur & proferrentur præſens fui, eaque vidi & audivi una cum prænominatis dominis & patribus dominis cardinalibus, nec non illuſtriſſimis ducibus ceteriſque ſupraſcriptis dominis comitibus, baronibus, dominis, & conſiliariis regiis, & ſignum meum ſecretariatus tunc præſenti paginæ ſubſcripſi in teſtimonium veritatis, anno, indictione, menſe & die quibus ſupra. *Gontier.*

Sequuntur in mſ. duæ Bonifacii IX. *bullæ ad Carolum regem Francorum, utraque edita in ſpicilegii tom.* 6. *prima ſic incipit* Regia circumſpectio. *Data Romæ apud ſanctum Petrum* IV. *nonas Aprilis pontificatus ſui anno* I. *Secundæ initium eſt* Præfari non eſt diu. *Data Peruſii* XII. *Cal. Julii pontificatus ſui anno* IV.

COPIA BULLÆ

faciens mentionem quod dominus noſter celeriter mittat ambaſſiatores ſuos ad dominum noſtrum papam, quibus aperire liberius poſſit intentionem.

BENEDICTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio CAROLO regi Francorum illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Serenitatis tuæ litteras nobis noviter deſtinatas paterno affectu recepimus,

cepimus, & earum intellecto tenore, sinceritatem regii animi circa ecclesiæ unitatem & solertem tuam diligentiam, qua quodammodo postpositis aliis etiam arduis negotiis regni tui, principaliter ad id vacas in Christo Jesu, cujus res agitur, plurimum commendamus, sibi regratiantes humiliter, qui cor tuum dirigit ad sedulam prosecutionem tam sancti operis & negotii salutaris, tibique grates referimus, qui illud sic firmiter & prudenter assumis: tenentes indubie, quod votis tuis ipse Deus assistet, & quod laudabiliter cœpisti, laudabiliter confirmabis. Et quia ab aliquibus tibi scribis esse relatum, per nos & venerabiles fratres nostros S. R. E. B cardinales factum fuisse unum publicum instrumentum, dum adhuc essemus in conclavi, cujus quæ dicitur copia, jam per aliquos his diebus de Parisius extitit nobis missa, ipsiusque originale vel transumtum in publica forma pro expedientiori utilitate negotii, & pro his quæ tractanda erunt in congregatione prælatorum regni tui, quos pro materia ista convocari fecisti tibi postulasti per latorem præsentium vel alium celebrem destinari: immo quodam modo mirabaris, attento tenore asserti instrumenti præfati, cur tamdiu tardavimus tibi instrumentum ipsum transmittere, cujus copia ibidem aut a pluribus C habebatur, de quo aliqui murmurabant, nobis adscribentes, quod ad ejus impedimentum vel dilationem distulimus instrumentum prædictum tuæ celsitudini destinare. Ad hæc serenitati tuæ, fili carissime, respondemus, quod qui tibi vel aliis ista scripserunt, vel quomodolibet retulerunt, minus viridice id egerunt, & propterea dictam copiam, quam confectam esse constanter asserimus, tibi remittimus præsentibus intra scriptam. Verum est, amantissime fili, quod per nos & dictos cardinales ante & post introitum conclavis, & etiam postquam inde D exivimus, fuerunt multa condita, multaque prolocuta, & aliqua scripturæ commissa, quæ de sui natura & pro utilitate negotii secreto expedit reservari: quæ nihilominus illis, quos mittes ad nos, quia speramus quod erunt tales, cum quibus fieri poterit solidum firmamentum, libere communicabimus, & eis omnia quatenus secreta pandemus, cum firmæ nostræ intentionis existat, nihil apud te & tuos de omni conceptu nostro remanere incognitum vel occultum. Et propterea, fili carissime, te rogamus & obsecramus per viscera misericordiæ Jesu Christi, quod missionem acceleres eorum quos missurus E es, tales ad hoc eligendo, quibus possimus omnia libere aperire, & tunc clare percipies, quod non differre vel turbare volumus, sed accelerare totis affectibus ecclesiæ unitatem, cum teste Christo ad id principaliter tota nostra versetur intentio, ut operibus eluceseat. Datum Avenionis III. nonas A Februarii pontificatus nostri anno I.

OPINIO CARTURIENSIUM
super via cessionis.

1. Deo gratias super inenarrabili dono ejus qui dissipat gentes quæ bella volunt, lætificans eos qui rogant quæ ad pacem sunt Jerusalem, ut omnes sentiant quam bonum sit & jocundum habitare fratres in unum. Siquidem illorum opinio, vel potius error, qui huc usque honorem suum paci universalis ecclesiæ inaniter prætulerunt, (dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei) ecce, divino flante Spiritu, rarescere ac pene deficere voluerit, & vel sero operti sicut diploide confusione sua, experti quod justum est subditum esse Deo, & mortalem non contraria Deo sentire: quoniam qui ecclesiam Dei conturbat, portabit judicium quicumque est ille. Hujus rei gratia freti, reverendi patres, ecclesiarum prælati, gloriosaque theologorum ac jurisperitorum multitudo his diebus in civitate regia congregantur, tractaturi de viis, modis & remediis competentibus, quibus præsens schisma per successores abyron, heu! vetustate nimia roboratum, finem accipiat, & populus Dei optata cunctis fidelibus pace fruatur. Super quo pauperes quidem idiotæ & abjecti, non quidem dare consilium, quod extremæ dementiæ foret, præsumunt; sed suum qualemcumque quem habent ad unionem ecclesiæ insinuant dilectionis affectum.

2. Primo, quoniam prophetica maledictione notantur qui ordiuntur telam, & non per Spiritum Dei; (Nemo quippe ordinem cœli & rationes ejus ponet in terra) operæ pretium videtur, ut etiamsi incerta & occulta sapientiæ suæ super hoc facto manifestaverit Deus, ut res effectum habeat, & is qui incœpit, bonum opus perficiat usque in diem Jesu Christi, qui dat velle & perficere pro bona voluntate, ne forte, quod absit, interim aliqua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

3. Item, cum error hujus schismatis ex superbia & propriæ gloriæ cupiditate convaluisse noscatur, & humilitas utriusque partis, quæ nunc ad amorem unitatis & pacis inclinare se cœpit, satis tenella & læsibilis merito suspicetur, cavendum valde videtur, ne si recens & nondum forte radicata humilitas respectu partis adversæ depressam aut confusam se senserit, a bono proposito resipiscat, & fiat novissimus error pejor priore. Sed si ex æquo sic fiant omnia, ut integraliter utriusque collegii & principum ac prælatorum populorumque partibus adhærentium honor & reverentia conservetur, non dabitur occasio maligno spiritui, & omnium ora prorsus claudentur.

4. Item, ſi ex prædicta æqualitate aliquis zelo partis ſuæ aut infrendens murmurat, aut ſtomachans tacitus ingemiſcat, quod ſcilicet pars quam ſchiſmaticam & falſam eſſe aut opinatur, aut firmiter credit, parti ſuæ, quam ſanam & catholicam non dubitat, ne in modico quidem ſuccumbat, ſed in omnibus comparetur; noverit qui hujuſmodi eſt, quod caro & ſanguis hanc ſibi ſapientiam revelavit, & manifeſte quæ ſua ſunt quærere, non quæ JESU CHRISTI. Difficile huic hujuſmodi perſuadebitur, ut ſicut Chriſtus pro nobis animam ſuam ponit, ſic debeat & ipſe pro fratribus animam ponere, qui nec modice ſaltim pro ſalute hominum humiliari conſentit: quod certe ſi volens ageret, & in præſenti & in futuro ad magnam ſibi cederet gloriam, ſcriptura dicente: *Quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo & hominibus invenies gratiam.* Eſto non eſt propheta, aut filius prophetæ, ut Jonam imitetur, qui pro pauculis hominibus, hiſque idolatris, de navi propter ipſum periclitante deponi voluit, & ſeipſum belluinis faucibus obtulit glutiendum: nec poteſt comparari perfectioni Moyſis, qui pro ſalute populi petiit deleri de libro Dei; aut ſequi Paulum, qui cupit anathema eſſe a Chriſto pro fratribus. Sed erubeſcat neceſſe eſt, ipſe Chriſti diſcipulus juſtitiam illius meretricis, quæ verum & certum partum ejus penes æmulam manere voluit integrum, quem nulla poterat ratione diviſum.

5. Item, qui præſens ſchiſma magna ex parte principum ſæcularium partibus adhærentium favore & adminiculo creditur roboratum, ſatis rationabilis videtur, quod ſuper hoc prudenter & reverenter moveantur, ne pro gloria ſua temporali in præjudicium eccleſiaſticæ pacis ſuam de cetero partem confoveant, negotiumque ſpirituale ſpiritualibus determinandum committant, dicente propheta: *Non in exercitu, neque in robore, ſed in Spiritu meo, dicit Dominus.* Et loquitur de his qui templum Domini ædificabant poſt reditum Babilonicæ captivitatis. Hinc eſt quod rex Oſias inanis gloriæ vento repletus, dum ultra quam decens erat, rebus ſpiritualibus ſe ingeſſit, offerendo incenſum uſque ad diem mortis ſuæ lepra percuſſus contabuit. Sane articulus iſte & immediate præcedens, quamvis fortaſſis quibuſdam ex ſuperfluo videantur adjungi, nonnullis tamen videtur, quod, ut vulgo dicitur, hic jacet lupus: quoniam ſi principes & prælatos obſtinata non detinet proprii honoris ambitio, ſperamus quod eccleſia Dei facile pacem recuperabit optatam.

6. Item, nonnullis videtur rationi conſonum, ut quia eccleſia Dei per principes ſæculares de diverſis regnis ad hanc deſideratam pacem ſecurius peragendam convocentur, tum, ut dignum eſt, ex hoc honorentur, gaudeantque tanti boni tantæque lætitiæ ſe eſſe mediatores, cooperatores, & participes, qui de diviſione multiplices ſuſtinuere dolores; tum ut pondere auctoritatis eorum, ſi qua forte, quod abſit, partibus adunatis controverſia emergeret, ſopiatur.

7. Item, cum ſalus ſit, ubi multa ſunt conſilia, non videtur abſurdum, ut ad locum ordinandum, ad quem utraque pars convenient, aſſumantur ab utraque parte decem vel quindecim ſacræ theologiæ magiſtri, & totidem canonici juris doctores, ſive ſint prælati, aut religioſi, aut ſæculares, qui magnæ litteraturæ & bonæ conſcientiæ putabuntur, tum ad præſtandum in re tam ardua, ſi opus eſt, ſanum conſilium, tum ut ad certum actum inferius deſcribendum, ſi juſtum & rationabile viſum fuerit, eligantur.

8. Item, cum objectum præſens multum moveat multis conſiderationibus, ad pacem facilius obtinendam apparet quam plurimum expedire, ut utrumque collegium cum ſuo capite ad certum locum conveniat. Et difficile quidem eſt, ut communi utriuſque partis conſenſu, vel in Roma vel in Avinione laudabilis ſynodus congregetur. Sed potius juſtum videtur pro utriuſque partis honore ſervando, ut in aliqua civitate, ſive Bononia, ſive alia, quaſi inter duas partes media, ambæ partes cum principibus & doctoribus memoratis conveniant, & finem huic calamitati, modo quo Deus inſpiraverit, ardenti zelo pacis imponant.

9. Item, cum utrumque collegium, Deo miſerante, una cum principibus, magiſtris & doctoribus ſupradictis ad condictum locum pervenerit, pium & ſanctum videtur quibuſdam, ut a peritiſſimis & Deum timentibus certa conſcribatur forma verborum, quæ quidem a quolibet duorum de jure papatus contendentium ſucceſſive & immediate legatur, audientibus univerſis: in qua quidem forma verborum, qui primo legerit, auctoritate quantacumque poteſt, & de conſilio fratrum ſuorum revocet, quaſſet, & penitus annullet omnes proceſſus, ſententias, & pœnas ſub quacumque forma verborum a ſuo prædeceſſore, vel a ſe ipſo contra quoſcumque ſchiſmaticos, & ſibi vel ſuo prædeceſſori non obedientes, modo quolibet promulgatas, ipſoſque abſolvat, & cum eis diſpenſet, prout forma verborum latiſſime & perfectiſſime continebit.

10. Item, in prædicta verborum forma ſcribatur, quod idem auctoritate & conſilio quibus ſupra, primo illum qui de jure papatus contendit, & omnes fratres ſuos, quos ſuos nuncupat cardinales, creet, conſtituat & ordinet S. R. E. cardinales, itemque omnes indifferenter prælatos, religioſos vel ſæculares, aut alios in quacumque dignitate,

gradu, ordine, vel officio eccleſiaſtico conſtitutos, quos dudum ipſe vel prædeceſſor ejus pro ſchiſmaticis reputavit, in eiſdem dignitatibus, gradibus, vel officiis denuo creet & conſtituat, prout in prædicta forma verborum ſapientia peritorum dictanda uberius exprimetur; & hæc dicuntur ad cautelam, propter illos, qui de utraque parte variis conſiderationibus, dubiis & ſcrupuloſitatibus vel læſam vel turbatam conſcientiam habuerunt.

11. Item, in præfata verborum forma continetur, quod idem ad Dei gloriam & ſanctæ eccleſiæ unitatem & pacem, ſponte ſua & de conſilio fratrum cedit & plenarie renunciet totali juri quod in papatu habet, vel habere ſe credit. Et cum hanc verborum formam, omnibus audientibus, pronunciaverit, alter immediate, nihil addito vel remoto, hanc eamdem formam verborum, omnibus audientibus, conſimili modo pronunciet. Tunc in conſpectu omnium domini cardinales ex utroque latere in gaudio Spiritus-ſancti & oſculo pacis reconcilientur, agentes gratias Deo, qui concordiam in ſublimibus ſuis faciens & ſolvens inimicitias, utraque unum, ex tunc omnis amaritudo, clamor, & indignatio tollatur ab eis cum omni malitia, omnes denique præteritæ iniuriæ, infirmationes, & improperia, & irriſiones, quaſi numquam fuerunt, ab ore & corde talium virorum cum ingenti proſcribantur horrore, & ſempiterno ſint conſopita ſilentio.

12. Item, cum ad electionem futuri pontificis, Domino favente, pervenerint, unum collegium effecti, non abſonum quibuſdam videtur, ut quia forſan una pars cardinalium aliam excedit in numero, quod ab utraque parte eligantur cardinales ad æqualem numerum, in quos ſub facto electionis ceteri compromittant, ut negotium tam ſanctum & pium omnis invidiæ & ſuſpicionis omnino careat, quod ſumma mentium ſuavitate & unitate debet compleri. Ceterum non deſunt, qui arbitrantur commodius, ſi in præfata electione aſſumantur de qualibet parte tres vel quatuor cardinales, & de præfatis magiſtris & doctoribus ex parte qualibet decem vel duodecim, in quos totum electionis devolvatur negotium. Cum autem electus in plenam & pacificam poteſtatem papatus fuerit, poterit, ſi ei placet, ſecundum ſapientiam datam ſibi a Deo ad omnimodum ſcrupulum in perpetuum removendum, ea quæ in præſcripta verborum forma contenta & perlecta fuerint, ſua certa & vera auctoritate plenarie confirmare.

13. Deus autem qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, per quem legum conditores juſta decernunt, illuminet corda ſanctorum & reverendorum patrum horum, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, & ſic zelus domus Dei comedat eos, ut antequam unuſquiſque redeat ad propria, aliquid ſalubre ad invicem de reformatione & emendatione ſanctæ matris eccleſiæ conſtanter pertractent, quod loco & tempore offerant effectui mancipandum, & cui dictum eſt: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos;* cui, ne ſubditorum ſanguinem requirat Deus de manu ejus, juſtum eſt ut evellat & diſſipet, & ædificet & plantet. Decebat quidem ut emendaremus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei, eſſemuſque perfecti ſicut & Pater noſter cæleſtis perfectus eſt. Verum quoniam mirabilis facta eſt juſtitia, hæc ex nobis confortata eſt, & non poterimus ad eam. Declinemus ſaltem quorumdam hominum peccata manifeſta præcedentia ad judicium, quo ipſos etiam laïcos ſcandalizant illis ſubſannantibus & dicentibus nobis. *Jam non eſt ſicut populus, ſic ſacerdos;* qui cum clavem ſcientiæ habeat, nec ipſe moratur in regnum cæleſte, nec alios intrare permittit, quia cum limpidiſſimam aquam intelligendo bibat, reliquam pedibus ſuis male vivendo conculcat. *Egreſſa eſt quippe iniquitas de Babylone a ſenibus judicibus, qui videbantur regere populum*, & quia *prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, publicani & meretrices præcedent eos in regno Dei.* Putamus, aiunt, tempus gratiæ impletum iri, quod dicitur per prophetam, in die illa non erit ultra mercator in domo Domini, qui facto de reſticulis funiculo, columbas vendentes negotiatoreſque de templo ejecerit, &.... & Simon qui olim deſcendentes in profundum lacus cum incircumciſis & interfectis gladio dormierant, ſurrexerunt & venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis, & ſibi januam uſurpantes, clauderunt, & nemo aperuit; aperuerunt & nemo claudit. Sunt & alia extirpatione digniſſima, quæ provocant oculos majeſtatis ejus, qui *diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam*, quæ nulla ſi ſubſecuta fuerit; etiamſi per eum obducta fuerit cicatrix ſchiſmatis hujus, verendum eſt ne dicatur de nobis: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata*; verendum eſt, inquam, ne forte in his omnibus ſit averſus furor ejus, ſed & adhuc manus ejus extenta, & cum diu in multa patientia ſuſtinuit, via iræ aperta in interitum, tandem excitatus tamquam potens crapulatus a vino, repellat altare ſuum & maledicat ſanctificationem, percutiens eccleſiam ſuam plaga inſanabili, caſtigatione crudeli, & derelinquatur filia Sion, ut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumeratio, & ſicut civitas quæ vaſtatur.

14. Ut autem ea quæ ſuperius prolixioribus quam decuerat, ob imperitiam dictantis, verbis brevi coarctemus epilogo, quod tamen non immerito in re tam ardua ſub tremore

& correctione omnium hominum dicimus, videtur nobis ſimplicibus & idiotis hoc eſſe bonum & expediens ad Dei gloriam & celerem eccleſiæ pacem, ac utriuſque partis magnum meritum & honorem, ut utrumque collegium, accerſitis principibus & magiſtris & doctoribus prælibatis, ad locum certum conveniat, ibique præſentibus omnibus, nulla alia de jure partium diſcuſſione facta, ambo contendentes de jure papatus cedant & plenarie renuntient totali juri quod in papatu habent vel habere ſe credunt, ibidemque reconciliatis in oſculo pacis cardinalibus, omnes utriuſque, immo jam unius collegii, ad ſummi pontificis electionem procedant.

CY COMMENCE L'AMBASSADE de meſſieurs les ducs au pape Benedict dernier éleu en pape, & ordonnée par le roy noſtre ſire.

1. MArdy 22. Septembre 1394. vindrent lettres au roy noſtre ſire au matin par Colleçon lieutenant en Avignon de M. Simon de Bury, procureur dudit ſeigneur en cour de Rome; & tantoſt que le roy ot oye ſa meſſe, il ſe mit au conſeil pour la cauſe deſſuſdite, & renvoya les gens de ſon parlement, qui celuy jour devoient entendre en ſa preſence au fait de l'archeveſque de Lyon: & ce jour en ladite matiere n'y fut rien fait, auquel conſeil furent ceux qui s'enſuivent: Le roy, monſieur d'Orleans, monſieur de Bourbon, meſſire Pierre de Navarre, M. le chancelier, le patriarche, l'eveſque de Langres, l'eveſque de Meaux, Orgemont, le vicomte de Melun, le mareſchal Bouciquaut, le ſire de Couſans, le vicomte d'Acy, meſſire Regnault de Trye, le Mrs des arbaleſtriers, Martel, Regnault de Roye, Cocherel, Colart de Tanques, J. Aucher & Montagu, & moy ſeul ſecretaire. Et illec en plein conſeil fut demandé par la bouche de monſieur le chancelier que le roy avoit à faire, & fuſt dit qu'on demandaſt par opinion. Et fut premierement demandé au patriarche d'Alexandrie, lequel dit que pour venir à bonne paix & union de l'égliſe, il lui ſembloit le plus expedient, que l'en ne procedât point à eſlire pape juſqu'à ce que le roy, les cardinaux, & les roys qui obéiſſent à noſtre part, euſſent adviſé, ſi on pourroit trouver voye comment fin fuſt miſe à ce douloureux ſchiſme, qui eſliroit, ou auroit à faire à deux contendans, que à un ſeul, & que le roy eſcriviſt tantoſt haſtivement au ſaint college eſtant en Avignon, qu'ils ne procedaſſent autrement en aucune maniere à l'élection d'aucun pape, juſqu'à ce qu'ils eu le conſeil & advis du roy, lequel il leur feroit brievement ſçavoir par ſes meſſages, que pour cette cauſe il envoyroit devers eux, & qu'on eſcrive haſtivement à M. de Bourgogne ces choſes, & auſſi qu'on envoye leſdits meſſagers en Avignon le pluſtoſt que on pourra, à laquelle opinion ſe tindrent tous, ſans contradiction, fors que l'eveſque de Meaux diſt que il doutoit, que qui differeroit à élection, on donroit occaſion à la partie de l'intrus de croire que nous ferions doute du droit de noſtre ſaint pere dernier treſpaſſé; & fut conclu de eſcrire. Et eſcrivit le roy audit college les lettres, dont la minute fut faite en la place, & leuë devant le roy & le conſeil, dont la teneur s'enſuit.

2. Tres-chiers & eſpeciaux amis, tantoſt « après la douloureuſe nouvelle à nous venuë « du treſpaſſement de feu noſtre ſaint pere pape « CLEMENT de bonne memoire, duquel noſtre « Seigneur vueille recevoir l'ame en paradis, « de laquelle nous avons eſté & ſommes moult « dolens en noſtre cuer; nous avons tenu no- « ſtre conſeil avec ceux de noſtre ſang, eſtant « de preſent devers nous, & autres de noſtre « grand conſeil, pour aviſer que nous avons à « faire pour le bien & union de l'égliſe uni- « verſelle, & pour ce que cette beſoigne eſt « moult grande, & touche toute la Chreſtien- « té, ne pouvons ſi brievement avoir deliberé « & conclu en cette matiere; ſi vous prions & « requerons tant affectueuſement & à certes « que plus pouvons, ſur tout le bien que vous « voulez à l'égliſe de noſtre Seigneur, & à la « paix & union d'icelle, & que vous deſirez « avoir l'obéiſſance & creance de nous & de « noſtre royaume, & que nous y mettions « ſoigneuſement diligence & cure par œuvre, « que vous ne procedez en aucune maniere à « élection d'aucun, juſqu'à ce que vous ayez « ouy nos ſolemnels meſſages, que pour cette « cauſe envoyerons brievement devers vous, « leſquiex y ſeront le plus brief que faire ſe « pourra bonnement: ſachant veritablement « que nous ne vous ſolliciterons ne requerrons « de eſlire aucun par amour, ni par faveur au- « cune. Donné à Paris ce XXII. jour de Septem- « bre.

3. Et auſſi reſcrivit le roy aux cardinaux d'Amiens, d'Albanie, & de Thury, & au chambellan, qui lui recrivirent la mort de noſtredit ſaint pere, & reçûrent les lettres par Colinet chevaucheur de monſieur de Thury, qui les apporta ledit jour, le roy eſtant au conſeil deſſuſdit, & contiennent les lettres du roy exhortation de accomplir ce qu'il eſcrit au college.

ter visitasse. Novissime, princeps inclyte, ad domini nostri instantiam & requestam pro danda pace & unitate ecclesiæ fuistis dignatus huc mittere illustres principes dominos Bituricensem & Burgundiæ & Aurelianensem, duces vestros patruos & germanum. Qua ambaxiatâ nec fuisse nec esse posse credo nostris temporibus digniorem. Verum, illustris princeps, dominus meus dominus Burgundiæ post aliqua mutua colloquia referans vestræ mentis arcanum, mihi aperuit pro faciliori & commodiori viam renunciationis spontaneæ domini nostri papæ, ubi idem adversarius faceret. Ego autem considerans nihil in factis ecclesiæ & pro ejus felici statu per quemquam salubrius posse provideri, quam per vos, qui estis dextera & sola spes labentis ecclesiæ, vestræ opinioni me devote conformans, viam cessionis utriusque, tamquam meliorem, honestiorem, & ad serenandum conscientias principum & omnium populorum magis utilem, & expedientem quibuscumque aliis viis tactis, & nisi fallar, etiam tangendis in posterum prætuli & prælegi, ipsam primo dicto domino meo Burgundiæ soli & deinde in publico approbavi, & diversis vicibus repetivi, & eam sequendam in conscientia mea, & propterea eam sequi promisi. Nunc autem, illustrissime princeps, quia, ut scribitis, vobis suggestum est, quod ego ad mutandum propositum, vel opinionem aliquorum persuasionibus inducor, & propterea a me requiritis & rogatis, ut dictæ opinioni firmiter insistam, & ab ea nullo modo divertam, nec me permittam quoquomodo per quoscumque diverti, vestræ celsitudini respondeo, quod vestram sanctam intentionem propensius attendens atque considerans, ad quantum bonum & favorem unitatis ecclesiæ tendit via per vestram celsitudinem primo electa, & cum quanta deliberatione & digestis consiliis per me extitit approbata, tenore præsentium serenitati vestræ firmiter respondeo, quod ego in promissione, quam primo domino meo Burgundiæ, deinde aliis præfatis dominis ducibus feci, persisto, nec ab ista in aliquo hominis sugestione variabo: immo illam constanter & firmiter teneo & tenebo, nec ab ea, christianissime princeps, quomodo libet evelli vel abduci me posse credatis: immo fixus & constans donec vixero, in illa persistam tamquam viæ quam commodiorem & meliorem assero & censeo, pro tollendo schismate, & ecclesiæ unitate celerius consequenda. Sic enim mens mea meumque propositum, & ita serenitati vestræ fideliter & audaciter iterato promitto, & maxime quia certum me reputo, quod conformans me sanctæ vestræ opinioni in factis ecclesiæ, cum Dei adjutorio nullo modo deficere potero, cum ista sit sola via, quæ clarius & melius ducat ad terminum. Vestram regiam majestatem, quæ mihi fideli suo servitori quæque præcipere dignetur, conservet Altissimus feliciter & longæve. Scriptum Avenioni die VII. octobris.

Humilis servitor vester NICOLAUS ALBANENSIS.

LITTERA DOMINI CARDINALIS de Agrifolio missa domino regi.

Ejusdem argumenti.

SEreniſſimo principi domino CAROLO regi Francorum illustrissimo. Sereniſſime ac illustrissime princeps, super contentis in vestris litteris mihi novissime directis, per harum exhibitorem respondendo vobis rescribo, quod in tenendo, & in quantum in me est & erit prosequendo viam pro sedatione schismatis in ecclesia nunc vigentis, oblatam per vos & dominos duces patruos & germanum vestros, quemadmodum coram ipsis dudum cum ceteris omnibus dominis meis cardinalibus ibi tunc præsentibus, uno solum excepto, ad hoc meliorem, expedientiorem & breviorem esse attestatus sum, videlicet quod tam per dominum nostrum papam, quam suum adversarium renuncietur juri, quod quilibet ex ipsis habet seu habere prætendit in papatu, sum constans & firmus, nec ab ipso propono divertere quovis modo, nisi forte maturiori superveniente consilio, ab ea etiam diverteret vestra regia celsitudo, cujus votis in his & aliis mihi possibilibus me conformatum offero, & alia exsequi, quæ ipsa mihi duxerit injungenda; cui humiliter supplico, ut si fortassis in posterum sibi suggeratur aut hactenus suggestum extiterit contrarium, nolit omnino credere; sed me potius quoad hoc immutabilem æstimare. Et eam conservet Altissimus votive & feliciter per longa tempora. Scriptum Avenionis die VII. octobris.

Vester G. CARDINALIS DE AGRIFOLIO.

Anno 1395. Ex mss. bibliothecæ regiæ.

LETTRE CLOSE ENVOYE'E AU ROY par le cardinal de Murol.

Ejusdem argumenti.

AU roy mon tres-redouté seigneur.

Mon tres-redouté seigneur, après toute & tres-humble recommandation. Il n'a gueres que j'ai reçû humblement les lettres qu'il a plû à vostre majesté à moy escrire, contenant que sur ce que aviez entendu, que aucuns s'étudioient de faire divertir & varier messeigneurs les cardinaux du saint college & moy de la voye & sainte opinion qu'ils & moy aussi, euë sur ce meure deliberation, avions tenuë & tenons pour venir à l'unité de l'egliſe; c'est assavoir la voye de cession de la partie de nostre saint pere, & aussi de la

Anno 1395. Ex mss. regiis.

la partie de l'intrus contendant de la papalité, voſtredite majeſté eſcrivoit audit college ſelon que luy ſembloit bon, comme me apparoiſt par icelles lettres, & me priez & exhortiez & requeriez, que encore ſur la foy & loyauté que je vous dois, comme nay de voſtre royaume, qu'en ladite opinion je vouſiſſe eſtre ferme & conſtant, attendu qu'elle eſt commune, la plus équale, & à appaiſier les conſciences, & garder l'honneur des roys, des prelats, des ſeigneurs, & de toutes autres gens, & plus brieve, & à moins de difficultez pour oſter la diviſion, & venir à ladite union de l'egliſe, laquelle tous vrais Chreſtiens doivent deſirer ſur toutes choſes aprés le ſalut des ames, dont maintes ſont en grand peril pour ladite diviſion. Si vous plaiſe ſçavoir, mon tres-redouté ſeigneur, que j'ay veu leſdites lettres addreceans à meſſeigneurs du college, & ay eſté avec eux en la deliberation de la reſponſe, que à preſent vous font clairement ſur la teneur d'icelles lettres, & ſi ſuis & veux eſtre voſtre ſujet, nay de voſtredit royaume, & par ainſi de mon petit povoir faire voſtre plaiſir, & obéir aux commandemens de voſtre excellence, comme de mon ſeigneur naturel, & meſmement en ce cas qui touche le ſauvement des ames, ſi n'ay point varié, ni penſé varier, & mon tres-redouté ſeigneur, con ait voulu donner à entendre à voſtredite magnificence, ſauve la reverence d'un chacun, je n'ay point veu ne ſceu que aucun ſe ſoit efforcié de faire l'un l'autre, de laiſſier ladite opinion. Si ſupplie tres-humblement à voſtre excellent magnificence, que me vueille pardonner de cette prolixe & mal ordonnée eſcriture, faite toutesfois de bon cœur & loyale volenté Et en teſmoin de ce, car ſuis mal-aiſié d'eſcrire, je ſeulement me ſuis ſuſcrit de ma main, en ſuppliant pardon comme deſſus. Et Dieu tout-puiſſant par ſa ſainte miſericorde vous octroye ſainte & bonne vie, & longue, & en la fin la gloire de paradis, & grace en ce monde, que parmi voſtre main, force & vertu, puiſſions voir l'union de l'egliſe. Ecrit en Avignon le VII. jour du mois d'Octobre.

Voſtre humble chapelain & volontaire, combien que inutile ſerviteur

LE CARDINAL DE MUROL.

LETTRE CLOSE ENVOYE'E AU ROY par le cardinal d'Aux.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1395. *Ex mſ. regio.*

AU roy mon tres-redouté ſeigneur. Mon tres-redouté ſeigneur, je me recommande à la voſtre royale majeſté ſi tres-humblement comme je puis; & vous plaiſe à ſçavoir que j'ay receu vos lettres, contenans en effet, que vous me priez & exhortez, que je ne vouſiſſe point ſouffrir, à mon povoir, nulle variation eſtre faite entre meſſeigneurs les cardinaux ſur le fait de l'union de l'egliſe. Car, mon tres-haut & tres-redouté ſeigneur, je ſuis & ay tousjours eſté voſtre ſerviteur, & vueil eſtre toute ma vie. Pour ce, en reſpondant au plus brief que je puis à voſdites lettres, je vous ſupplie tres-humblement & de tout mon cuer, qu'il vous plaiſe de tenir & croire fermement, que je ſuis en l'opinion en laquelle je demouray à Ville-neuve avec meſſeigneurs vos oncles & frere, & en celle opinion ou autre plus expedient, que par la voſtre majeſté royale ſera trouvée, je vueil demourer juſquà la mort, ne il n'eſt homme vivant de tous ceux qui s'étudient à faire divertir le ſaint college, qui de celle me puiſſe faire divertir. Mon tres-ſingulier ſeigneur, le Saint Eſprit vous doint bonne vie & longue, & conſervation de tout voſtre royaume, & au confort de la ſienne ſainte egliſe. Ecrit en Avignon le VIII. jour du mois d'Octobre.

Le voſtre humble chapelain
LE CARDINAL D'AUX.

LITTERA CARDINALIS PENESTRINI miſſa domino regi.

Ejuſdem argumenti.

SEreniſſimo principi & excellentiſſimo domino domino CAROLO Dei gratia Francorum regi illuſtri. Sereniſſime princeps & illuſtriſſime domine, litteras regiæ majeſtatis recepi, inter alia continentes, quod nonnulli, ut ſerenitas veſtra intellexerat, conabantur dominos meos de collegio ac me retrahere ab opinione viæ ceſſionis per dominum noſtrum papam & intruſum faciendæ, quam cum dominis meis de collegio tenueram fore utilem & rationabilem pro unione ſanctæ Dei eccleſiæ; quodque ſtudiis talium, ſeu requiſitionibus nollem aliquatenus aſſentire. Unde ſublimitati veſtræ notifico, quod opinionem hujuſmodi, quæ mihi, ut præfertur, æqua & rationabilis viſa fuit, & adhuc videtur, ſicut dixi dominis patruis & germano veſtris, Dei gratia, firmiter tenui ſemper & teneo, nec fui pulſatus ab aliquo, ut diverterem ab eadem, neque ſcio quod aliquis ex dominis meis ſollicitatus fuerit ſuper illo. Celſitudinem veſtram omni tempore conſervet & regni ſui participem faciat Rex æternus. Datum Avenioni die VIII. Octobris.

Veſter G. CARDINALIS PENESTRINUS.

Anno 1395. *Ex mſ. bibliothecæ regiæ.*

LITTERA CARDINALIUM de Florentia, de Agrifolio & de Vernhia, miſſa domino regi.

Ejuſdem argumenti.

SEreniſſime princeps, ſerenitatis veſtræ litteras directas nuper ſacro concilio vide-

Anno 1395. *Ex mſ. bibliothecæ regiæ.*

runt domini cardinales ſiſtentes iſtic. Vidimus & nos pariter eas, continentes quod veſtræ majeſtati ſignificatum fuerat ac ſuggeſtum, qualiter nonnulli conabantur alios dominos cardinales & nos divertere ac facere reſilire a ſalubri propoſito, quod pro bono unionis eccleſiæ tenuimus & tenemus in & ſuper via ceſſionis domini noſtri & intruſi contendentium de papatu: ad quam viam tamquam magis communem, æquam, melius ac celerius conſcientias ſerenantem, conſervantemque honorem regium, dominorum, & prælatorum utriuſque partis, necnon breviorem, accommodioremque, & minus difficilem pro integritate eccleſiæ aſſequenda, veſtra ſerenitas grandi & matura deliberatione præcedente, prout etiam ex relatione illuſtrium principum dominorum Biturïæ, Burgundiæ & Aurelianenſis ducum patruorum & germani veſtrorum eramus plenius informati, determinata eſt penitus, eamque intendit proſequi diligenter, & ſicut ipſæ litteræ ſubjungebant, licet veſtra majeſtas eoſdem dominos atque nos firmos & conſtantes credat procul dubio in hac via, præſertim propter ea quæ de nobis fuere per præfatos illuſtres principes veſtræ majeſtati relata, nihilominus ipſa majeſtas nos ſimul & diviſim hortabatur, rogabat, & eadem per litteras requirebat, ut in hoc ipſo propoſito ſanctaque via pariter cum majeſtate prædicta vellemus firmi perſiſtere & conſtantes; ſed nec facere vel permittere directe aut indirecte quicquam contrarium, vel derogans ipſi viæ: ad quarum ſeriem, rex Chriſtianiſſime, nos ex ordinatione ac de conſcientiis & mente prætactorum dominorum omnium, præterquam illius domini, de quo litteræ veſtræ faciunt mentionem, ac domini noſtri de Novo-caſtro, qui licet hujus opinionis primus ſit, præſentialiter tamen in curia non exiſtit, necnon domini S. Martialis, qui tunc & nunc infirmitate oppreſſus, deliberationibus ſuper hoc habitis non interfuit, reſpondentes in veritate & noſtris puris conſcientiis per præſentes aſſerimus, & certificamus majeſtatem eamdem, quod poſtquam domini duces veſtri patrui & germanus prædicti his diſceſſerunt a partibus, quicumque cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtat, qui nos aut noſtrum aliquem, directe vel per obliquum, ſtuduiſſet aut ſtuderet in futurum divertere a præfata ſerenitate & via hujuſmodi, labores ſuos fudiſſet funderetque incaſſum, nec in veritate umquam aliquos ſuper hoc ſenſimus laborantes. Et quoniam omnes & ſinguli in prædicto propoſito ſumus quotidie perſiſtentes, ſupplicamus, ut ſi majeſtas ipſa de nobis forſan aliqualiter hæſitaverit, a modo dignetur omne mentis dubium amputare. Nos enim certificamus majeſtatem præfatam, quod in jam dicta via ceſſionis ipſa majeſtate permanente, in illa firmi erimus & conſtantes, ac procurabimus meliori modo quo poterimus, ut tenemur, quod mediante veſtræ majeſtatis ſuffragio, via prædicta bonum & brevem ſortiatur effectum. Præterea quoniam reverendiſſimus pater dominus cardinalis Ambianenſis videtur ſpecialius fuiſſe apud ſæpedictam majeſtatem nominatus, quod ad divertendum nos, ſeu noſtrum aliquos, laborabat, ecce in veritate & noſtris conſcientiis teſtificamur, ut ſupra, quod nuſquam eum ſuper hoc ſcivimus aut cognovimus laborantem: immo ubilibet & jugibus horis intendentem, ac in cunctis pro ipſius viæ concluſione optata fideliter procedentem. Ideo repetitis vicibus ſupplicamus majeſtati eidem, quatenus dignetur circa hujuſmodi deteſtanda ſuſurria, tam eumdem dominum Ambianenſem, quam omnes alios dominos de collegio, ac nos excuſatos habere; verum & in cunctis ſuſcipere propenſius recommiſſos, & linguas hujuſcemodi in magniloquia ſe laxantes abigens de cetero non audire. Nec miretur, quæſumus, ipſa majeſtas, ſi collegialiter non ſcribimus ſuper his. Etenim quia aſſuetum non eſt, apoſtolica ſede plena, prætacti domini cardinales nos tres infraſcriptos, ſuper præmiſſis ſic ſcribere voluerunt majeſtati memoratæ, quæ nobis dignetur inceſſanter injungere ſingula quæ fuerint prærordiis ſuis grata, quamque Virginis Filius votive conſervet longævis & felicibus auſpiciis regnaturam. Scriptum Avenioni, die octava Octobris.

Veſtri P. FLORENTINUS, G. DE AGRIFOLIO, P. DE VERNHIA, cardinales.

LITTERA DOMINI CARDINALIS de Giffono, directa domino noſtro regi.

Ejuſdem argumenti.

SEreniſſime & Chriſtianiſſime rex, poſt humilem recommendationem. Veſtri culminis litteras datas Pariſius die XVI. menſis Septembris proxime præteriti, mihi per latorem præſentium præſentatas cum honore & reverentia debitis me recepiſſe noveritis: de quarum continentia, non quas debeo, ſed quas poſſum Deo gratias retuli, qui cor regium ad tam ſanctum ejus propoſitum ferventis amoris igne ſuccendit, ad proſequendam viam ceſſionis domini noſtri papæ, atque alterius adverſarii ejus, quam egomet ipſo conſcientiæ ſtimulo juramentoque ſpontaneo elegi, approbavi, & tenui tamquam meliorem, & ad ſerenandas conſcientias principum & omnium populorum magis utilem & expedientem, quibuſcumque viis, aliis tactis, prout mihi ſecundum Deum & veram conſcientiam viſum fuit, & quam in præſentia illuſtrium dominorum ducum Biturïæ, Burgundiæ, & Aurelianenſis diverſis vicibus approbavi & in publico repetivi, atque ipſam

Anno 1391. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

sequi pariter repromisi. Nunc autem, illustrissime princeps, quia, ut scribitis, vobis suggestum est, quod ego ad mutandum propositum vel opinionem aliquorum persuasionibus inducor, & propterea me requiritis & rogatis, ut dictæ opinioni firmiter insistam, & ab illa nullo modo divertam, nec permittam me quoquo modo per quoscumque diverti, vestræ celsitudini respondeo, quod vestram intentionem attendens solertius, atque considerans ad quantum bonum & favorem unitatis ecclesiæ tendit via cessionis hujusmodi per vestram celsitudinem præelecta, & cum quanta deliberatione & digestis consiliis per me extitit approbata, tenore præsentium serenitati vestræ firmiter respondeo, quod ego in promissione, quam feci prædictis dominis meis ducibus persisto, nec ab illa in aliquo cujuscumque hominis suggestione variabo, immo illam constanter & firmiter teneo & tenebo, nec ab ea quomodolibet aliquis me abducet: immo fixus & constans in illa persistam tamquam via quam commodiorem & meliorem affero & censeo pro tollendo schismate & ecclesiæ unitate celerius consequenda. Sic enim est mens mea, meumque propositum; & maxime quia certum est, & reputo, quod conformans me vestræ sanctæ opinioni in factis ecclesiæ, cum Dei adjutorio nullo modo deficere potero, cum ista sit sola via quæ clarius & melius ducat ad terminum. Regiam vestram majestatem, quæ mihi suo fideli servitori quæque præcipere dignetur, conservet Altissimus feliciter & longæve. Scriptum Avenioni die octava mensis Octobris.

Servitor vester
L. CARDINALIS DE GIFFONO.

LETTRE CLOSE ENVOYE'E AU ROY par le cardinal de Vergne.

Ejusdem argumenti.

Anno 1355. *Ex mss. bibliotheca regia.*

A Tres-haut & tres-souverain prince le roy de France mon tres-redouté seigneur.

Tres-haut & tres-souverain prince & mon tres-redouté seigneur, je me recommande tres-humblement à vostre benigne grace. J'ai reçû vos dignes lettres, contenant que je sois fermé & constant en l'opinion que j'ai tenuë en & sur la voye de cession pour venir à l'union de nostre mere sainte eglise. Si vous plaise sçavoir, redouté seigneur, que en icelle opinion pour l'honneur de Dieu, de nostre sainte foy, de ladite eglise, de toute Chrestienté, & de vous qui tres-saintement l'avez encommencée, comme le tres-Chrestien roy, fils, protecteur & bras dextre d'icelle eglise, je suis constant & ferme, & sans variation quelconque, & suis tousjours prest à obvier & resister de tout mon povoir à tous ceux qui ladite voye voudroient troubler, A empeschier, changier, & machiner au contraire, & resister tous les jours. Car ladite opinion, selon mon avis, est tres-sainte, juste, tres-seure, & à moins d'offense des adherans de l'une & de l'autre partie, selon ce qu'il est contenu en vos dessusdites lettres, pour plûtôt venir à ladite paix & union, que tous bons princes, prelats, seigneurs catholiques, & loyaux Chrestiens doivent desirer & pourchassier à leur povoir, & pour éviter & eschiver les tres-grans & tres-horribles mauxs, esclandres & perils, qui pourroient venir & viennent continuellement en Chrestienté, & en l'eglise d'une part & d'autre, par le délay B que la chose prend de jour en jour, pour laquelle voye j'ay autrefois deliberé, presens messeigneurs vos oncles & frere; & de moy en ce ne convient faire doute, qui suis tousjours appareillé à obeir de tout mon cœur parfairement à vos nobles commandemens, comme le tout vostre diacre cardinal en ce & en toutes autres choses. Tres-haut & tres-souverain prince, & mon tres-redouté seigneur, le Saint Esprit vous ait en sa sainte & benoiste garde, & vous doint bonne vie & longue. Escrit en Avignon le IX. jour d'Octobre.

Le tout vostre
C CARDINAL DU VERGNE.

LETTRE CLOSE ENVOYE'E AU ROY par le cardinal de Vivier.

Ejusdem argumenti.

AU roy mon tres-redouté seigneur. Anno 1355. *Ex mss. bibliotheca regia.*

Mon tres-redouté seigneur, j'ai reçû vos lettres à tres-grant reverence, ainsi comme je en suis tenu, contenant vostre benigne exhortation, que je ne me partisse point de la voye que j'avois prise sur le fait du schisme, & qui s'accordoit à celle que vostre D royale majesté avoit élûë avec son conseil, laquelle je avois prise & declarée par le temps que messieurs les ducs de Berry, de Bourgogne & d'Orleans estoient ici, c'est-à-sçavoir, que nostre seigneur le pape & l'intrus renonçassent au droit que chacun d'eux prétend à avoir en la papalité. Si vous plaise à sçavoir, mon tres-redouté seigneur, que je elisi cette voye par grant deliberation, & par conscience, & pour sauver le serment que j'avois fait en conclave. Car j'ai oy disputer souventefois devant le pape CLEMENT, que Dieu absoille, & devant nostre seigneur le saint pere E de present, de toutes les voyes, que li college pouvoit imaginer, & ne me sembloit nulle autre souffisant à obvier és inconveniens qui s'en peuvent ensuire d'une part & d'autre, entre clercs, lais, princes, & prelats, & qui soit tant appaisant les consciences d'eux, & tant gardant l'honneur des adherans de l'une partie & de l'autre. Et quand je oy que vostre conseil avoit élû celle voye, je en loë Dieu

moult humblement, ne de celle je n'ay point entention de moy departir, ſe ce n'eſtoit que voſtre royale majeſté avec noſtre ſaint pere le pape trouvaſt plus brieve voye & meilleure à l'honneur de Dieu & de l'egliſe, & de toute Chreſtienté, qui s'en attend moult à vous. Et en verité, mon tres-redouté ſeigneur, ſe pape CLEMENT veſquit, qui eſtoit mon ſeigneur naturel, je la luy conſeillaſſe, toutesfois l'avoit-il ja eſlûë ſecretement, & mandé par ſon aumoſnier au grand dom de Chartrouſe, un pou après que les deux Chartreux furent premierement envoyez de Rome, & l'avoit dit à aucuns de noſſeigneurs les cardinaux, ne ne doutez point que nul me puiſſe oſter ny divertir de ladite voye, ne nuls auſſi ne s'en eſt eſſayé. Car je n'ay pas tant grand paour de mon eſtat, que je n'ayme plus ma conſcience, pour acquerir paix à Chreſtienté, combien que je me fie bien que voſtre royale majeſté m'auroit pour recommandé en mes neceſſitez, pour honneur & memoire du pape CLEMENT, qui n'a laiſſié de ſa terre cardinal fors que moy, qui fus appareillé de ſervir à voſtre royale majeſté de tout mon povoir tant humblement & cordialement comme homme de voſtre royaume. Mon tres-redouté ſeigneur, je prie le benoiſt Fils de Dieu, qu'il vous doint bonne vie & longue au telle comme je voudrois pour moy-méme. Eſcrit en Avignon le x. jour d'Octobre.

Le tout voſtre humble chappelain,
LE CARDINAL DE VIVIERS.

LETTRES CLOSES ENVOYE'ES de par pluſieurs des cardinaux au roy noſtre tres redouté ſeigneur.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1395. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

NOſtre tres redouté ſeigneur, nous nous recommandons à vous ſi tres-humblement que plus pouvons, & vous plaiſe ſçavoir, noſtre tres redouté ſeigneur, que tres reverend pere en Dieu, monſieur le cardinal d'Amiens, nous a monſtré une lettre à luy addreſſée de par vous, contenant, ſi comme entendu aviez, aucuns s'eſtudioient, & mettoient peine de faire divertir & varier les autres ſeigneurs cardinaux du ſaint college, & nous de l'opinion que tenuë avions & tenons ſainctement, & bien ſur la voye de ceſſion de noſtre ſaint pere & l'intrus contendans de la dignité papal, & que de nouvel eſtoit venu à voſtre notice, que ledit monſieur d'Amiens conferoit tous les jours avec monſeigneur le cardinal de Pampelune, ſur cette matiere, & eſtoit adjoint avec luy pour nous traire à ladite variation & faire departir de noſtre propos & bonne opinion ſur ladite voye de ceſſion, dont ſi, comment contenoient vos dittes lettres, eſtiez moult merveilleux, s'il eſtoit ainſy. Si nous a requis & prié ledit monſieur d'Amiens à tres grant inſtance, que ſur ce vous vueillons eſcrire la pure verité, afin que voſtre royale majeſté en ſoit veritablement & plainement informée: & pour ce, noſtre tres redouté ſeigneur, que ce ſeroit grand pitié, que contre verité vous fuſſiez informé des choſes deſſus dites, ou pour cauſe & achoiſon d'icelle troublé ou eſmu en aucune maniere contre ledit monſieur d'Amiens, qui a tousjours eſté & eſt tout voſtre. Nous vous faiſons ſçavoir, teſmoignons & affermons en nos leautez & conſciences, que depuis le departement de noſſeigneurs vos oncles & frere de pardeça, nous avons eſté par pluſieurs fois en conſeil & autrement avec ledit monſieur d'Amiens, & il avec nous, & parlé, traittié & conferé des matieres, qui ſe devroient tenir ſur laditte voye de ceſſion pour la plus brieve & meilleure proſecution d'icelle, & certainement & veritablement avons toujours clairement veu, ſceu, & connu & apperceu par ſes paroles, opinions & deliberation, que il eſtoit & eſt continuellement plus ferme & plus conſtant en laditte voye de ceſſion ſans mutation ou variation aucune, qu'il n'avoit eſté avant la venuë de noſdits ſeigneurs, ou eux eſtant icy. Et auſſy, noſtre tres redouté ſeigneur, vous faiſons ſçavoir pour verité, que des choſes à nous eſcrites deſſus contenües ne fuſt aucune mention à cette cour. Luy avec nous, & nous avec luy, avons du commun aſſentement parlées & & accordées juſtes & raiſonnables, qui nous ſemble eſtre grandement profitable à la continuation, fermeté & ſeureté de laditte voye de ceſſion de l'un & de l'autre, & à oſter toute matiere de variation ou changement ſur icelle. Et ſemblablement, noſtre tres redouté ſeigneur, vous teſmoignons & affermons en nos leautez & conſciences, que oncques ledit monſieur d'Amiens ne parla à nous enſemble, ou aucun de nous, de nous delaiſſer, ou nous departir de laditte voye, ny avons ſceu ne cogneu qu'il en ait parlé à quelques autres de noſſeigneurs les cardinaux, ou de ce faire ſe ſoit travaillé ou entremis en aucune maniere. Si vous ſupplions tres humblement, noſtre tres redouté ſeigneur, que ſur leſdites choſes impoſées audit monſieur d'Amiens, & chacune d'icelles, deſquels il eſt pur & innocent, il vous plaiſe le tenir pour excusè, & avoir pour recommandé, & en voſtre bonne grace, ſi comme vous avez accouſtumé, & nous mander & commander en ce & toutes autres choſes vos bons plaiſirs, leſquiex nous accomplirons de nos pouvoirs, ſi comme nous nous y reputons à eſtre tenus. Noſtre tres redouté ſeigneur, le ſaint Eſprit vous ait en ſa ſainte garde, qui vous doint bonne vie

& longue. Eſcrit à Avignon le XI. jours d'octobre.

Vos tres humbles ſerviteurs les cardinaux,

DE GIFFON. DE MUROL.
DE NAPLES. DE THURY.
DE VENISE. DE VIVIERS.

DU PUY. DE SALUCES.
DE VERGY. DE PETRAMALE.
DE VERGNE.

LETTRE CLAUSE ENVOYE'E au roy par le cardinal de Naples.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1395. Ex mſ. regiæ bibliothecæ.

ATres excellent & ſouverain prince le roy de France mon tres redouté ſeigneur.

Tres excellent & tres ſouverain ſeigneur, & mon tres redouté prince, je me recommande tres humblement à voſtre benigne grace, à laquelle plaiſe ſçavoir, que à deüe reverence j'ay receuës vos lettres, leſquelles il a pleu à voſtre royale majeſté à moy eſcrire, contenant que ſur ce que vous aviez entendu, que aucuns s'eſtudient de faire divertir & varier meſſeigneurs les cardinaux du ſaint college, & moy de la voye de ſainte opinion, laquelle eux & moy, euë ſur ce meure déliberation, avons tenuë & tenons pour venir à l'union de ſainte egliſe, c'eſt à ſçavoir la voye de ceſſion de la partie de noſtre ſaint pere, & auſſi de la partie de l'intrus de Rome, voſtre ditte majeſté eſcrivoit audit college ſelon qu'il luy ſembloit bon, comme il m'apparoit par icelles lettres, & me priez, exhortiez & requeriez qu'en laditte opinion je vouſiſſe eſtre ferme & conſtant, attendu qu'elle eſt la plus commune & miex égale à appaiſer les conſciences, & à garder l'honneur des roys, des ſeigneurs & prélats de l'une partie & de l'autre, la plus brieve & à moins de difficultez pour oſter la diviſion & venir à l'union de laditte ſainte egliſe, laquelle tout vrai chreſtiens doivent deſirer apres le ſalut de leurs ames, dont maintes ſont en grand peril pour laditte diviſion. Si vous plaiſe ſçavoir, mon tres redouté ſeigneur, que j'ay veu leſdittes lettres qui s'addreſſoient à meſſeigneurs du college, & ay eſté avec eux en deliberation de la reponſe que à preſent vous font clairement ſur la teneur d'icelles lettres. Si vous certifie, tres excellent prince, que en celle opinion de ceſſion je ſuis & ay eſté de long temps encore paravant que noſtre ſaint pere qui eſt à preſent fuſt eſleu pape, & fu tres lié, quand je ſceus que voſtre royale majeſté avoit deliberé celle voye pour la meilleure, & ſi n'eſt homme au monde qui me puſt oſter ne deſvoyer d'icelle pour les ſaintes & bonnes raiſons que vous mettez en vos dittes lettres, A fors ſeulement votre tres haute majeſté. Car tousjours j'ay eſté d'opinion, que toute voye qui vous ſembleroit bonne pour ladite union, ſans Dieu offendre, nous de cette partie la devions tenir & ſuivre. Car vous eſtes le prince, qui ſur tous autres tousjours nous avons maintenu & deffendu, & nous devons connoiſtre que ſans vous nous ne povons, ne vouloir devons venir à la concluſion de ce ſchiſme; ainçois vous devons tousjours honorer, comme tres-Chreſtien & tres-catholique prince, & noſtre principal défenſeur. Et en verité je n'ay pas apperceu, que aucun ſe ſoit efforcié, ou entremis de divertir meſdits ſeigneurs les cardinaux ne moy hors de cette opinion de ceſſion. Si vous ſupplie, mon tres-redouté ſeigneur, que il vous plaiſe mettre diligence & cure pour venir à l'union de ſainte egliſe, comme tres-bien & tres-ſaintement l'avez encommencé, & comme vos prédeceſſeurs ont toûjours fait & accompli; & qu'il vous plaiſe de voſtre benigne grace moy commander & enjoindre vos bons plaiſirs, comme à celui qui eſt tres-deſirant de vous obéir, honorer, & ſervir. Tres-excellent & tres-ſouverain prince, & mon tres-redouté ſeigneur, le benoiſt Fils de Dieu vous ait en ſa ſainte garde, & vous octroye bonne vie & longue. Eſcrit en Avignon le XI. jour d'Octobre.

Le tout voſtre,
CARDINAL DE NAPLES.

LETTRES CLAUSES ENVOYE'ES au roy par le cardinal de Jeruſalem.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1395. Ex bibliotheca regia.

SEreniſſimo principi & excellentiſſimo domino CAROLO Dei gratia regi Francorum.

Sereniſſime princeps & excellentiſſime domine, per veſtræ regiæ majeſtatis litteras, quas recepi nuperrime, de conſtantia & perſeverantia primæ opinionis execrabilis evellendi ſchiſmatis exhortatus, ſublimitatem veſtram certifico per præſentes, quod hucuſque in propoſito & opinione ejuſdem ſchiſmatis per duorum mutuam renunciationem ſedandi, perſeverare curavi, nec ab ipſis intendo diſcedere, niſi per eamdem majeſtatem ejuſque conſilium via altera tutior & brevior, quod credo difficile, fuerit adinventa; nec credat contrarium regia celſitudo, quam rex æternus ad vota dignetur feliciter conſervare, & ſui regni efficere coheredem. Scriptum Avenione XI. Octobris.

Totus veſter,
CARDINALIS JEROSOLYMITANUS.

LETTRE CLOSE ENVOYE'E par le cardinal de Thury.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1395. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

AU roy mon tres-redouté ſeigneur & ſouverain.

Mon tres-redouté & ſouverain ſeigneur, je me recommande à vous tant & ſi humblement comme je puis, & vous plaiſe ſçavoir, mon tres-redouté ſeigneur, que j'ay vû une lettre, qui vous a pleu eſcrire au ſaint college, & auſſi ay receu & veu les lettres que eſcrites m'avez particulierement, ſi comme avez fait à chacun des autres ſeigneurs cardinaux, contenant en effet comment l'on vous avoit donné à entendre, que aucuns s'eſtudioient & mettoient peine de faire divertir & varier les autres ſeigneurs cardinaux & moy auſſi de l'opinion que tenuë avons & tenons ſaintement, & bien en & ſur la voye de ceſſion de noſtre ſaint pere & de l'intrus contendant de la dignité papale; & par icelles lettres priez & requerez tous nous enſembles & particulierement un chacun de nous, que ſans quelconques variations nous demouriſſiens fermes & eſtables, conſtans en ladite voye de ceſſion, laquelle vous aviez eſluë, & à icelle vous eſtiez ſaintement & juſtement determinez par tres-bonne & meure deliberation, & nous auſſi pareillement avec voſtre royale majeſté. Sur toutes leſquelles choſes, mon tres-redouté ſeigneur, vous reſpons & certifie, que avant que le pape fuſt eſleu, & tousjours depuis j'ay eſté & ſuis de cette opinion; car en ma conſcience, je croy qu'il n'y ait autre voye quelconque pour oſter ce douloureux ſchiſme, fors que cette voye de ceſſion, & que tout homme de quelconque eſtat ou condition qu'il ſoit, qui par eſpecial depuis le département de meſſeigneurs vos oncles & frere, ſe fût travaillié ou pour le temps à venir ſe travailleroit de moy faire changer, muer ou varier en quelconque maniere, directement ou indirectement de ladite voye de ceſſion, & moy departir aucunement de voſtre royale majeſté, euſt perdu ou perdroit ſa peine, & ſe travailleroit en vain. Car, mon tres-redouté ſeigneur, je vous certifie & ainſi le vous promets loyaument, que jamais de cette voye & de voſtre opinion, je ne me entens, tant comme je vivray, à departir: mais y ſeray & demourray ferme & conſtant, & feray & pourchaſſeray tout le mieux que je pourray, que moyennant voſtre bonne aide, cette voye prenne bonne & brieve concluſion, ſi comme je y ſuis tenu, & le deſire de tout mon cuer, pour le bien & appaiſement de ſainte egliſe & de toute Chreſtienté, & auſſi pour l'honneur & reverence de voſtre ſeignourie. Et vous ſupplie que doreſnavant ne vueillez croire le contraire, pour quelconque rapport qui vous en ſoit fait. Mon tres-redouté ſeigneur, autre choſe ne vous eſcris de preſent, mais qu'il vous plaiſe moy tousjours mander & commander feablement vos bons plaiſirs, leſquels je accomplirai de mon pouvoir, ſi comme je y ſuis bien tenu. Le ſaint Eſprit vous ait en ſa ſainte garde, qui vous doint bonne vie & longue. Eſcrit à Avignon le XII. jour d'Octobre.

Voſtre treshumble & obeiſſant ſerviteur
P. CARDINAL DE THURY.

LETTRE CLOSE ENVOYE'E AU ROY de par le cardinal de Saluces.

Ejuſdem argumenti.

ATres-excellent & ſouverain prince le roy de France. Anno 1395. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

Tres-excellent & ſouverain prince, je me recommande à vous, ſi humblement comme je puis. Si ay receu vos bonnes & gratieuſes lettres contenans en effet, que en l'opinion de ceſſion que vous tenez eſtre comme la plus brieve, la plus expediente & profitable au bien & union de l'egliſe, & par laquelle les cuers des perſonnes pourront miex eſtre pacefiez, je vueille demeurer ferme & non la muer en aucune maniere. Tres-redouté ſire, plaiſe vous ſçavoir que depuis le departement de meſſeigneurs vos oncles & frere, je ne ſuis, ne penſay eſtre d'autre opinion, & ne feray, ſi autre voye plus expediente au vouloir de vous & de voſtre conſeil, ne ſe trouvoit; & mercie à votre royale majeſté le plus de cœur & affectueuſement que je puis, de ce qu'il vous plaiſt avoir l'egliſe recommandée, comme tousjours ont eu vos prédeceſſeurs, & luy ſupplie treshumblement & devotement, que vueille perſeverer à y mettre aucune bonne & brieve concluſion. Car la demeure a eſté, & tousjours eſt, & ſera perilleuſe & damnable. Tres-excellent & ſouverain prince, le benoiſt Fils de Dieu vous doint bonne vie & longue, ainſi comme de tout mon cuer le deſire. Ecrit en Avignon le..... jour d'Octobre.

Voſtre tres-humble ſerviteur
A. CARDINAL DE SALUCES.

ARRESTORUM A TEMPORE INTRUSIONIS uſque in præſens ſumma narratio.

DIviditur proceſſus totius negotii in tria tempora, videlicet tempus domini CLEMENTIS. II. Tempus vacationis apoſtolicæ ſedis. III. Tempus aſſumtionis domini noſtri moderni uſque in præſens. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

1. Circa primum veritas ſic ſe habet, quod poſt intruſionem BARTHOLOMÆI, receſſum dominorum, & ea quæ Anagniæ geſta ſunt,

electus fuit ibidem dominus CLEMENS, qui
postea quatuor cardinales, scilicet tales qui
sciebant veritatem facti, apostolicæ sedis le-
gatos ad tales regiones transmisit &c. Simi-
liter & rex CAROLUS genitor hujus regis, qui
per sacrum collegium &c. fuerat informatus
& declaratus solemniter pro hac parte, mi-
sit solemnes ambassiatores ad Hispanias, Ita-
liam, Bohemiam, Hungariam, JOHANNAM
reginam Siciliæ, & Scotiam; & hujusmodi
legationes & ambassiatas posuerunt in aliqui-
bus regionibus a principio eo tempore quo
factum recens erat. Attamen a quindecim
annis citra, nostra obedientia quasi in nullo
fuit dilatata; immo in aliquibus, puta in Por-
tugallia, fuit decurtata; quamvis per domi-
num Clementem, dicto tempore durante,
& per regem Franciæ factum fuerit & pro-
curatum quicquid fieri potuerit pro reduc-
tione partis adversæ, nunc per potentiam
maximam & favorem principum Andegav.
& Burgundiæ, nunc tractatibus, modo le-
gationibus, modo prædicationibus, disputa-
tionibus, allegationibus & scripturis, adeo
quod quicquid potest dici & allegari pro hac
parte, est plene ad notitiam alterius partis
deductum, & nihilominus obstinatiores &
constantiores in eorum opinionibus reman-
serunt. Unde multis nobilibus viris, domino
CLEMENTE vivente, qui certos super facto
unionis ecclesiæ deputaverat, videntes ex
hoc taliter ecclesiam destrui, inter multas
vias per diversos apertas, via cessionis utriusque cum debitis circumstantiis melior visa
fuit, tamquam brevior, clarior, & minus
periculosa, & magis serenativa conscientia-
rum, postquam justitiam nostram pars ad-
versa recusabat nedum agnoscere, immo &
audire, prout cum Anglicis, &c. dominus
noster modernus ob hoc missus in Franciam,
probavit, non obstante requestis factis ex
parte regis per dominos duces &c.

2. Et inter hanc viam sequentes asserunt
aliqui magni principes per dominum no-
strum tunc temporis hanc viam ipsis fuisse
notam, suggestam & consultam; propter
quæ dominus CLEMENS videns flebilem sta-
tum ecclesiæ, & quod non erat ad quem
recurreret pro justitia consequenda, eidem
compatiens disposuit, & ad hoc voto se ad-
strinxit unire quanto citius ecclesiam per
viam cessionis utriusque, & hoc aliquibus
ex dominis cardinalibus & prælatis, & do-
minæ matri ecclesiæ declaravit paulo ante
mortem.

3. Circa igitur tempus secundum, scili-
cet vacationis sanctæ sedis, veritas sic se ha-
bet, quod vacante sede per obitum domi-
ni CLEMENTIS, major pars collegii, immo
duæ partes hanc viam specialiter præ oculis
habuerunt. Unde cum per nonnullos ex do-
minis moneretur, si propter hoc foret elec-
tio differenda, fuit finaliter conclusum, quod
non, quia pro executione hujus viæ, opor-
tebat quod esset papa, per quem necessaria
pro unione expedirentur; sed ne ille qui e-
ligeretur faceret difficultatem, fuit certa or-
dinatio in scriptis facta, & solemniter per
dominum nostrum & omnes suos & singu-
los jurata, & manibus propriis ipsius domi-
ni nostri ac nostris subscripta; quæ potest ac
ejus copia exhiberi, & sub ista intentione
quæ regulat actus gentium domini cardina-
lis, dominum nostrum, qui hanc taliter com-
mendabat, quorum aliqui prius per eumdem
dominum de sua voluntate super hoc volue-
runt certificari &c. quoniam antea aliqui ex
dominis fuerant propter istud de domno
Carthusiæ collocuti.

4. Circa tertium tempus veritas est, quod
electo domino nostro in papam, ipse in con-
tinenti juramentum quod fecerat per prius,
ut est dictum, multis dominis & aliis præ-
sentibus, solemniter renovavit, & ex post
idem dominus noster satis cito post suam
coronationem solemnes ambassiatores tales
cum certis instructionibus datis in scriptis,
quorum copia potest dari, ad dominum re-
gem, ejus patruos & fratrem transmisit, qui-
bus mandabat, quod dominus noster reme-
morans quæ fecerant & faciebant pro eccle-
sia &c. eligerent in principales prosecutores
negotii; & volebat quod per ipsos reduce-
retur ecclesia ad unionem. Rogabat de acce-
leratione, ex eo quod quæcumque dilatio
quantumcumque modica, erat nociva. Ro-
gabat etiam, quod circa hoc factum & pra-
ticam ejus personas mitteret, & ad partem
mandabat, quod essent de sanguine regio,
instructas de omnibus viis, quæ viderentur
regi utiliores pro acceleratione negotii; &
certificabat regem, quod ipse dominus no-
ster erat dispositus ad omnes vias rationabi-
liter sibi possibiles, & quod a nulla via ra-
tionabiliter possibili declinaret, immo in illa
consentiret. Propter quæ taliter requisitus
per papam, habito solemni consilio ducum,
prælatorum, comitum, procerum, docto-
rum, & devotarum personarum in multitu-
dine copiosa, & super hoc deliberatione re-
cepta, misit tales dominos. Interim super
his fuerunt multa consilia inter papam & do-
minos, & in ipsius domini nostri præsentia
per duas partes dominorum ad hanc viam
fuit concluſum, licet sub diversis pratticis,
bene tamen fuit dictum papæ per dominos,
quod de omni bona via essent contenti, dum-
modo faceret, quod domini duces manerent
contenti, quia sine assistentia regis per nos-
met non poterat unio procurari.

5. Post hæc vero domini duces venerunt,
qui viam solius nudæ conventionis per pa-
pam oblatæ non acceptantes, ex eo quod
ipsis videbatur, ita crude convenire habere
poterat grandia pericula, dicti domini hor-
tando & consulendo dixerunt ex parte regis,

quod pro ceteris viis apertis in consilio regis & alibi, videbatur expedientior pro bono unionis ecclesiæ, & pro singulari gloria papæ offerret, quod ipse quantum in ipso esset, viam cessionis utriusque, ita tamen, & non alias, quod idem faceret intrusus, & quod unio optata in Dei ecclesia sequeretur. Et promiserunt sibi ad partem, quod si intrusus recusaret, ipse &c. Si vero assentiret, ipse esset causa tanti boni, & circa reelectionem laborarent, & multa alia promiserunt. Finaliter propria non acquiescens obtulit certa, prout in tribus cedulis continetur, quarum copiæ possunt dari, quas sub bulla ad diversas partes transmisit; & post multas humiles preces & supplicationes, dicti domini duces nihil aliud reportare volentes, recesserunt, ipsis & sacro collegio invicem concurrentibus in hac via, prout & concurrunt, & hæc est tota divisio quæ potest allegari.

6. Post hoc autem domini cardinales videntes quanta mala, quanta pericula imminebant ex hac diversitate ecclesiæ sanctæ Dei, ducere non valentes dominum nostrum aliquibus modis ad hanc viam, licet post recessum dominorum longo tempore tentassent, tandem supplicaverunt domino nostro, quod aliquod medium caperet; & cum nihil aliud reperiret, domini cardinales, de domini nostri mandato pluries congregati avisaverunt unum medium, & si domino nostro placeret laborarent apud regem quatenus acceptaret, videlicet quod primo loco cum omni efficacia, etiam data fide prosequeremur viam papæ: ita quod ex nunc papa consentiret, quod si illa via non habuisset effectum, acciperet viam regis & collegii; & istud medium papa non habuit gratum, nec aliquid aliud aperuit. Iterum post magni temporis intervallum domini de ipsius domini mandato congregati aperuerunt domino solam viam conventionis sub fida protectione & custodia dicti regis, prout alias in scriptis obtulerat, & super hoc laborarent apud regem. Nec istud papa gratum habuit. Et post, nec est diu, aperuerunt aliqua domini, & dixerunt papæ, si ei placeret, quod laborarent apud collegium, & inde collegium apud regem, quod illa quæ responderat dominis ducibus in scriptis, in tribus cedulis, de quibus supradictum est, ponerentur in practica, prout scriptum est, & ubique sub bulla transmissum, & per regem & collegium acceptarent: respondit quod non, sed dedit unam cedulam, cujus quasi similem longe tamen pinguiorem regi sine scitu dominorum per nuncios Castellæ transmiserat: sed in illa cedula detrahitur quicquid boni continetur in prædictis tribus cedulis: quam quidem cedulam rex repulit, prout rex significavit per suas litteras, in quibus omnia quæ acta sunt per regem Castellæ cum eo significat, prout ipsi regi Aragoniæ, si placet, poterit ostendi, & ista quæ gesta sunt usque in præsens.

7. Ex præmissis apparet quot modis & diligentia est tentata reductio partis adversæ, & sine fructu a quindecim annis, nec spes manet. Secundo apparet, quantum papa & nos ad hanc obligamur, tam jure communi quam jure speciali sub juramento, præsertim attenta intentione electorum, quæ multum debet attendi. Tertio apparet, quod non est via nova quæ fuerit tempore domini nostri inchoata. Quarto, quod a domino nostro est regi data occasio huc mittendi eo modo quo transmisit. Quinto, quod per dominos cardinales pro tollendo omnem divisionem factum est quicquid fieri per eos potuit. Sexto apparet, cum reverentia loquendo, minus honesta domini nostri variatio, & ecclesiæ multum damnosa.

8. Cum autem objicitur & dicitur: Cur non prosequimur viam ordinariam justitiæ? Respondetur, quod via justitiæ esset voluntaria reductio partis adversæ, quæ ex prædictis patet, non de cetero expectanda. Esset etiam via justitiæ, secundum aliquos, humana potentia, quæ nobis non suffragatur, nec hodie expedit. Esset etiam via justitiæ per recursum ad superiorem judicem, & illum in hac materia habere non possumus. Illa ergo in casu nostro est vera via justitiæ, attenta dispositione ecclesiæ & totius populi Christiani, quæ est brevior, & habet minora pericula, & magis serenativa conscientiarum omnium, & per quam utriusque magis honor servatur. Et hæc est, proh dolor! via cessionis utriusque cum debitis circumstantiis.

9. Dum autem dicitur: Certæ personæ hinc inde eligentur in pari numero, quorum vel majoris partis judicio ambo contendentes de papatu se submittent. Certe pauci notabiles hujus obedientiæ, idem creditur de alia, huic viæ tam periculosæ assentirent, nec alteri, per quam possemus subjici obedientiæ alterius partis contra propriam conscientiam, legitime informatam. De rege Franciæ & Castellæ & de sacro collegio certum est, & idem dicit rex Angliæ, & multi alterius obedientiæ. Et hæc via locum habere non potest, nec enim obligaret, nisi se solum astringentes, nec revera hæc materia, quæ est tam spiritualis, & circa quam vertitur tantum periculum animarum, est receptibilis, nec umquam per hanc viam esset conscientiis hominum satisfactum; & hoc est tamen quod principaliter est quærendum pro vera unione realiter consequenda.

10. Supplicetur ergo regi, quod apud dominum nostrum pertinet, quod ad hanc viam scilicet solius oblationis veniat, & quod a rege Franciæ & suis, nec etiam a collegio taliter se separet, quia speramus, quod per hoc poterit venire ad magnam gloriam & triumphum; & si videatur regi quod aliquid boni possimus

poſſimus, promtos nos reperiet & paratos ad ſervitium Dei & eccleſiæ, ac honorem domini noſtri & ipſius.

C'EST L'OPINION DU ROY DE CASTELLE ſur le fait de l'union de l'egliſe, miſe de langage Caſtelain en François.

C'Eſt la reponſe que nous dom HENRY par la grace de Dieu roy de Caſtelle & de Leon faiſons à vous dom SYMON patriarche d'Alexandrie, & à vous dom meſſire COLART DE CALLEVILLE chevalier, & conſeillers & ambaſſadeurs du roy de France noſtre tres cher & amé frere, nouvellement avec aucuns autres par luy & nous ſur le fait de l'union de l'egliſe envoyez.

Premierement, à ce que nous ledit noſtre tres cher & amé frere envoye prier, que conſiderées les raiſons & motifs par vous ſeſdits ambaſſadeurs par ſa part à nous declarées, voulſiſſions pourſuivre avec luy enſemble l'union de l'egliſe par la voye de renonciation d'eux deux qui contendent du papat, laquelle voye eſt meilleure, plus brieve & plus conveniente & plus ſedative des conſciences, que nulle autre.

Auquel reſpondons & diſons, que nonobſtant que nous ſemble & à noſtre conſeil aſſemblé ſur ce que ladite voye aſſignée pour la part du roy de France noſtre tres cher & tres amé frere, ſoit la meilleure, la plus brieve, & la plus conveniente, & la plus ſedative des conſciences de tous les bons Chreſtiens, mais toutesvois pour tant que noſtre ſeigneur le pape nous a envoyé dire que nous envoiſſions à luy nos ambaſſadeurs, auſquiex il diroit & declareroit toute ſon intention. Item, pour quoy leuſmes en aucunes reſponſes, que noſtre ſeigneur le pape a donné à nos tres chers parens les ducs de Berry, de Bourgogne & d'Orliens, eſquelles a dit qu'il eſtoit advis qu'ils deuſſent convenir en aucun certain lieu & ſeur, ſur deffendement & garde dudit roy noſtre frere, noſtre-ſeigneur le pape Benedict XIII. qui maintenant eſt avec ſes cardinaux, & l'intrus avec ſes anticardinaux, & promettroit de non partir ſans donner vraye union en l'egliſe de Dieu, ainſy que plus largement eſt contenu eſdites reponſes, leſquelles reponſes, ainſy que creons auxdis ducs, pour lors ne furent agreables pour doute des grans perils & dilations qui pourroient recroiſtre, ſe cils hommes s'aſſembloient ſans avoir aucune choſe appointée & declarée. Et pour ce nous voulans eſtre mediateur de cette beſogne, aſſemblons la voye de noſtre ſaint pere le pape avec celle du roy de France noſtre tres cher & tres amé frere, & concordons aux deux leurs ententions tendans à une bonne fin : c'eſt à ſçavoir au bien & union de noſtre mere ſainte egliſe par la maniere qui s'enſuit. Que noſtre ſaint pere le pape Benedict avec ſes cardinaux, & l'intrus avec ſes anticardinaux, s'aſſemblent & conviennent en un certain lieu & ſeur, & illec noſtre ſeigeur le pape dedans trois jours, ou neuf, ou quinze, ou vingt, ou vingt-cinq juſqu'à trente jours au plus, donne voyes & manieres concluſives de l'union de l'egliſe, en maniere que nous ayons un pape certain, ſeul & pour le tout pour toute la Chreſtienté, tel qu'il ne ſoit mie l'intrus : au roy de France & à nous & à tout le monde doit plaire & plaira de cecy. Et en cas que dedans les trente jours inclus non ne douroit tel pape que dit eſt, que au jour enſuiant aprés leſdits trente jours, il ſoit tenu de renoncier ſi l'intrus veut renuncier tantoſt de fait en la maniere deſſus & deſſous par la pratique eſcrite, & renunce noſtre ſire le pape principalement au papat. Et parce que noſtre ſeigneur le pape Benedict en la maniere deſſus declarée, & par la pratique deſſous eſcrite, confeſſe & reconnoiſſe mauvaiſement & ſans raiſon & contre droit de tenir & uſurper le papat, & que contre luy ſoit procedé comme antechriſt & apoſtat & invaſeur du papat, & deſtruiſeur de toute Chreſtienté. Et pour quant que le roy de France noſtre tres cher & tres amé frere nous a envoyé prier, que nous envoiſſions ſur cette union à noſtre ſeigneur le pape & à luy, nous nos ambaxateurs, & vous leſdits patriarche & meſſire Colart, vous doutez que vous departiez, nous envoyerons nos ambaxateurs, & que cette beſogne ſe elognera, & demandaſtes que nous promiſſions de les envoyer à certain terme, & que à certain terme fuſſent en Avignon, & à certain terme à Paris, & nous pourtant & pour que ſoyez de ce plus certains, vous promettons que noſdits ambaxateurs, leſquels ſont . . . . . partiront de cy par telle maniere que ils ſeront en Avignon par tout le mois de novembre, & ſeront avec ledit roy de France noſtre tres cher & tres amé frere par tout le mois de janvier : & ou cas que N. S. P. le pape ne vueille accorder ne faire les choſes deſſuſdites, que les noſtres ambaxateurs ne ſoient à Paris audit temps, dés maintenant promettons de tenir & pourſuir l'union de l'egliſe par la voye de ceſſion nommée & accordée avec la pratique que vous nous diſtes pour la partie du roy de France noſtre tres cher & tres amé frere, laquelle pratique eſt deſſous eſcrite, & par les manieres qui ſeront adviſées par le roy de France & ſon conſeil, preſens nos ambaxateurs, & vous leſdits dom SYMON patriarche, & meſſire COLART DE CALLEVILLE chevalier, de noſtre priere & mandement pour le bien de cette ſainte beſogne, nous juraſtes ſur la croix & ſur les ſaints evangiles de Dieu par vous cor-

porellement touchées, & nous promiſtes par voſtre foy de non ouvrir cette cedule preſente, qui eſt cloſe & ſcellée de noſtre ſcel ſecret, ne conſentir qu'elle ſe ouvre juqu'aprés tout le mois de janvier paſſé, qui ſera en l'an de la nativité Noſtre-Seigneur mil trois cent quatre vingt dixſept ans, & ſi devant ledit terme les nos ambaxateurs approchent au roy de France, que vous puiſſiez donner audit roy de France ladite noſtre cedule, & ſe puiſſe lire & ouvrir devant ledit roy de France noſtre tres cher & tres amé frere, & devant nos tres chers & tres amez parens les ducs de Berry, de Bourgogne, d'Orleans & de Bourbon, & du chancelier, & nos ambaxateurs preſens.

Modus praticandi viam cessionis posset esse talis.

Primo. Quod ſi habito conſenſu domini noſtri & intruſi ſuper via ceſſionis, ipſi congregentur cum collegiis ipſorum, in aliquo loco bono & ſecuro, in limitibus utriuſque obedientiæ, & cum domino noſtro ad ſecuritatem ſuam erunt gentes regis Franciæ & regis Caſtellæ, ſi ſibi placet.

Item, quod ipſis ſimul congregatis, quilibet ipſorum revocet & adnullet proceſſus per ſe & prædeceſſorem ſuum contra alterum & ſibi adhærentes, quantum melius & ſecurius fieri poterit.

Item, quod prædictis revocationibus factis, quilibet ipſorum approbet, ratificet, & confirmet promotiones, beneficiorum collationes, & alia facta utrobique : ita tamen, quod ſi in uno epiſcopatu ſint duo epiſcopi, quorum unus teneat civitatem, & alter partem diœceſis, quod ille qui tenebit civitatem, etiam totum epiſcopatum adminiſtrabit, & per modum proviſionis faciet penſionem annuam alteri, juxta valorem proventuum partis quam in diœceſi tenebat, ſolvendam quouſque papa futurus ſibi proviſerit. Ubi autem nihil poſſideret in epiſcopatu, etiam nihil habebit, ſed proviſionem ſummi pontificis futuri expectabit; & idem in aliis caſibus emergentibus circa materiam, quantum de jure rationabiliter fieri poterit judicio peritorum.

Item, ſic ordinatis procederetur in uno inſtanti ad renuntiationem amborum : qua facta, ſtatim omnes cardinales, tam ab una parte quam ab alia, qui omnes facient unum collegium, intrabunt conclave, in forma juris procedent ad electionem futuri Romani pontificis.

Item, ad evitandam confuſionem & diſcordiam propter multitudinem cardinalium, qui longo tempore fuerunt diſcordes, videretur bonum, quod pro iſta vice procederetur ad electionem per viam compromiſſi, & quod ipſi ambo eſſent de compromiſſariis, & poſſent eligere de ſeipſis. Rex ad hoc cum cardinalibus libenter laboraret, & ipſi ambo ante renuntiationem poſſent canonice ſtatuere, quod pro iſta vice fieret electio per viam compromiſſi.

Item, fuit tactum per aliquos in conſilio prælatorum regis Franciæ, quod ſi forſan per modos prætactos leviter fieri non poſſet, expediret quod poſt renuntiationem, iſtis duobus tamquam compromiſſariis daretur poteſtas eligendi tertium.

Item, ante renuntiationem videtur regi, quod debetur fieri bona & notabilis proviſio pro ſtatu domini noſtri, & intruſi, & in iſta pratica quidquid rex dicit eſt per modum adviſamenti, quia ubi dominus noſter vel rex Caſtellæ aut aliquis alius melius viderent, ipſe ſemper ſe refert judicio meliori. Sic ſignatum *yo* el *Roy*.

Et nos Symon patriarcha Alexandrinus, & Nicolaus de Calleville miles ſupranominati, juravimus & juramus per venerabile ſignum crucis, & per ſancta Dei evangelia, coram ſerenitate prædicti domini regis Caſtellæ per nos corporaliter tacta, præſentem cedulam non aperire, & penes nos tenere uſque ad tempus prænominatum in præſenti ſcriptura. Ita juravi ego Symon patriarcha, & hoc manu propria ſcripſi, & ſigno conſueto ſignavi. Symon patriarcha Alexandrinus. Et moy auſſi Colart de Calleville ay juré & ſigné cette cedule de mon ſigne manuel accouſtumé. C. Calleville.

Processus nunciorum Franciæ, Angliæ & Caſtellæ habitus in curia Romana per eoſdem.

1. Primo applicuerunt Villam-novam prope Avenionem hora prandii dicti nuncii Franciæ & Angliæ, die lunæ poſt Pentecoſten, quæ fuit xi. Junii. Nuncii vero Caſtellæ intraverunt per prius Avenionem fere per decem dies ante.

2. Item, dato ordine ſuper receptione eorumdem, prædicti nuncii Franciæ, Angliæ & Caſtellæ ſimul aſſociati domino camerario papæ, patriarchæ, archiepiſcopis, epiſcopis, aliiſque multis prælatis, ac etiam familiaribus papæ & dominorum cardinalium, die Mercurii, hora veſperarum Avinionem intraverunt, & juxta ordinationem præhabitam, nuncii Franciæ, aſſociati omnibus ſupradictis, intrantes Avinionem recta via aſſociarunt, & duxerunt nuncios Angliæ ad domos eorumdem, & deinde ſine mora nuncii Franciæ cum prædicta comitiva venerunt ad palatium, ubi in camera paramenti reverentiam ſolitam papæ fecerunt, & poſt ad domos eorum redierunt.

3. Item, die Jovis ſequenti nunciis Franciæ & Angliæ per papam ad prandium invitatis, una cum quatuor dominis cardinalibus, prædicti nuncii Franciæ paulo ante pran-

dium nuncios Angliæ ad papæ præſentiam duxerunt, &c. & demum cum papa & quatuor cardinalibus ad prandium fuerunt, & poſt prandium omnibus nunciis die ſabbati aſſignavit, ad proponendum quæ vellent.

4. Item, dicta die ſabbati fuit ambaſſiata ſolemniter & ſcientifice per magiſtrum Ægidium de Campis propoſita, & demum per ambaſſiatores Caſtellæ & Angliæ approbata.

5. Item, illico dicta die ſabbati, quæ fuit XVI. Junii, papa dictis nunciis reſpondit, quod ſuper eorum petitione, continente materiam tam grandem, volebat cum dominis cardinalibus fratribus ſuis deliberare, & habita deliberatione cum ipſis dominis, dictis nunciis quanto citius reſponderet.

6. Item, ab illa die inantea uſque ad diem Jovis, quæ fuit quinta dies Julii, non dedit verbum ſuper hac materia dictis dominis cardinalibus, niſi ſolum cardinali Pampelonenſi: verumtamen die Martis præcedenti, quæ fuit tertia dies Julii, & die Mercurii ſequenti fecit proponi per magiſtrum Bonifacium de Menatis rationes, ſuam viam & ſuum propoſitum ſequentes, & viam ceſſionis reprobantes, quas die Jovis prædicta de mane ſequenti magiſter Ægidius ſub terminis generalibus, non in modum diſputationis, confutavit.

7. Item, dicta die Jovis & die Veneris ſequenti habuit deliberationem cum dominis cardinalibus, & primo fraudulenter & ad malum finem contra morem ſecrete cum ſingulis per modum ſcrutinii, & demum in communi, & finaliter ab omnibus cardinalibus, tribus vel quatuor dumtaxat exceptis, fuit deliberatum & expreſſe papæ conſultum, quod votis dominorum regum annueret, & viam ceſſionis vellet amplecti; & inſuper fuit ab ipſis dominis ſolemniter requiſitus, ut hanc viam acceptaret.

8. Item, die ſabbati ſequentis, quæ fuit ſeptima Julii, papa pro finali reſponſione dictis nunciis dixit, quod attenta arduitate materiæ, nondum reputabat ſe deliberatum, ſed volebat adhuc deliberare plenius cum dictis dominis regibus [antequam] ſuam intentionem ſignificaret, & ſperabat in Domino, quod eſſet talis, quod dicti reges deberent rationabiliter contentari.

9. Item, quod audita dicta reſponſione dicti omnes ambaſſiatores ſe trahentes ad partem, incontinenti ad præſentiam papæ redierunt, & tunc dictis dominis cardinalibus & multis aliis præſentibus fuit reſponſum per dominum Nicolaum *de Calleville* valde prudenter & audacter, pro & nomine omnium ambaxiatorum Franciæ papæ, quod erant ſumme triſtes & admirati, quod moram tam longam dabat in tradendo finalem & præciſam reſponſionem, & etiam quod ipſos ſuper hoc tamdiu detinuerat & detinebat, & nunc pro reſponſo non dederat, niſi dilationem ſine præfixione termini, & ideo dixit papæ cum omni reverentia, quod rex requirebat & ſummabat eum una vice pro omnibus, quatenus infra feſtum Purificationis B. Mariæ Virginis proxime venturum haberet talem modum in facto unionis eccleſiæ tenere, quod infra dictum terminum haberetur in terra unus verus ſolus paſtor univerſalis, & vicarius JESU CHRISTI, & qui ab omnibus Chriſtianis concorditer recipiatur, & tranſacto dicto termino rex intendebat providere taliter, quod cauſæ prolongationis, quæ fuerant datæ in hoc facto ſchiſmatis, tollerentur, & etiam provideret omnibus aliis melioribus modis, quibus poſſet.

10. Item, quod poſtquam finivit ſermonem ſuum idem dominus Nicolaus, locutus eſt pro & nomine regis Caſtellæ dominus Petrus *Louppe de Ayalle*, & dixit papæ in ſubſtantia & effectu verba ſimilia, quæ protulerat dictus dominus Nicolaus, & multo magis pungitiva. Dixit etiam ulterius idem dominus Petrus, quod ab hoc propoſito rex Caſtellæ non recederet, nec umquam ſe mutaret, de quo papa fuit valde turbatus.

11. Item, finito verbo ipſius domini Petri, ambaxiatores regis Angliæ formalia & ſimilia verba dixerunt, prout & quemadmodum fecerunt ambaxiatores regum Franciæ & Caſtellæ, & hoc eſt id quod potuerunt dicti ambaxiatores regum Franciæ & Caſtellæ a domino noſtro papa reportare, quamvis ipſum cum majori diligentia qua fieri potuit ſunt proſecuti.

12. Item, cum per aliquot dies ante nuncii Franciæ requiſiſſent dominos cardinales collegialiter, quatenus vellent in eorum opinione, ſcilicet viæ ceſſionis perſiſtere, & ſuper hoc de eorum intentione eis reſpondere, dicti domini cardinales fuerunt in palatio propter hoc congregati, ubi omnes ſimul habita deliberatione concluſerunt ſicut alias, videlicet quod firmi manerent in via ceſſionis, nec ab illa deſiſterent; & ita per ipſos dominos cardinales fuit reſponſum dictis nunciis Franciæ in monaſterio S. Martialis, Dominica ſequenti quæ fuit octava Julii.

13. Item, die lunæ ſequenti IX. die menſis nuncii Franciæ fuerunt per aliquos de dominis cardinalibus, quantum ſciverant & potuerant, inſtructi & informati de omnibus quæ ipſi domini cardinales crediderunt accommoda & expedientia pro feliciori directione eorum quæ per eos & alios nuncios collegas tam in via, quam in urbe ſunt agenda.

14. Item, die Martis de mane immediate ſequenti, dicti nuncii Franciæ & Angliæ uno cum ipſis ſolum nuncio de dictis ambaxiatoribus Caſtellæ, bene & honeſte receſſerunt.

15. Item, licet papa multa conſilia tenuerit ſuper aliis materiis, nullum tamen conſilium cum dominis cardinalibus tenuit

usque in præsentem diem, quæ est quinta Augusti, super responsione danda dominis regibus, prout dictis nunciis responderat.

EPISTOLÆ JOHANNIS DE VARENNIS ad Benedictum papam XIII.

Epistola I.

Rogatus a rege, ut quid de ipsius celeri electione & ecclesiæ unione sentiret, aperiret sibi, petitque a Benedicto quid responsi facturus sit regi.

Anno 1394. Ex ms. S. Victoris.

SAnctæ matris ecclesiæ summo pontifici.

1. Pater a Deo benedicte, post pedum oscula beatorum, in Filio Virginis gloriosæ devotissima præmissa recommendatione. Hac autem die nova de vestra audivi sanctissima in apostolatum assumtione, de qua non modicum felici interna jocunditate exultavit spiritus meus in Christo Jesu salutari meo; sed non minus voce altissima corde & animo si pacem ex eadem in ecclesia sponsa vestra assequi mereamur cum populo Israëlitico lætabundus in Domino, exclamabo inquiens: *Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis.*

2. Nuper autem intellexi, pater sancte, quod rex illustrissimus Franciæ, per quem, ut æstimo, lux pacis præcipue e cœlo adveniet inclytæ sponsæ vestræ, dominis meis ac patribus reverendis scripserat, ut aliquantulum in electione supersederent Romani pontificis, quousque antipapa consuleretur, an vellet desistere, &c. Cujus littera recepta & non admissa, ad electionem vestræ nihilominus processerunt sanctitatis, de qua, ut percipio, multi gaudent: sed de modo aliquantulum turbantur adeo celeri procedendi: quibus siquidem apparet, quod per modum hujusmodi fere perpetuatur schisma, quoniam eodem modo, experientia docente, sero intruso vita functo, anticardinales non minus perperam agent, & ita numquam erit finis, nisi piissimus Jesus, cujus causa in patulo agitur, propter scelera nostra adhuc dormitans, aliter sua pietate in brevi disponat. Proinde Parisius clamitant * sortistæ parvuli fari vix gestientes, pax, pax, pax, & non erit pax, quia secundum eos solo mutato nomine, reincidimus in idipsum.

* *f.* Sorbonistæ.

3. Rex inde causis ex præmissis aliquantulum motus, velut filius timoratus, pia viscerali compatiens affectione matri, in præcordiis suæ majestatis clementia regia ejus solita pauperi vermiculo suo super montem gradienti, scribere non dedignatus est, quidnam sentiret in hac tam grandi materia, & eidem rescribere intentum suum pro unitate non formidaret; alias si calamo committere pertimesceret, paratus eidem erat transmittere aliquem de domo sua, quem eligeret. Cui incontinenti respondi de præsenti cum benigna supportatione suæ regiæ majestatis, quod nec scribere poteram, aut pro aliquo mitterem, nisi prius vestra consulta sanctitate. Et ut velocius, cum res ipsa exigat, ab eadem vestra sanctitate responsum obtinerem, eidem supplicavi quod litteras præsentes vestræ per proprium nuncium dirigeret beatitudini.

4. Heu me! pater sancte, quid tanto regi excelso terræ in præsenti altissima profecto; non terrena, sed cœlesti potius materia potero respondere, nisi tua mihi suffragante sanctitate? Responde mihi quid dicam, aut si fugere debeam a facie ejus. Si pro pace instes, veluti & antea instabas legationis tuæ tempore, securus tibi respondebo. Clama nunc apud eum & balbutire non cessabo, & si novo homine nunc induaris, tamquam sponsus & pater patrum, magis laborare teneris. Pro pace itaque almæ tuæ sponsæ insta nunc opportune & importune. Si vero, quod absit, mutatio novi hominis priscos mutaret mores, nedum a facie regis terreni, quin immo Regis summi, oporteret me fugere, quia tantam Christi nescirem injuriam & Petri opprobrium dissimulare, cum jam propterea facultates omnes famamque exposuerim ludibrio. Deinde sic in me aliud nihil restat, nisi caput proprium, cum res, Christo disponente, exegerit, gladiis hostilibus objectare. Et utinam pro re adeo celebri, orbi toti fructuosa, tanta jucunditate, in remissionem peccatorum meorum apud Deum mererer insigniri. Arbitror enim vos oblivioni non dedisse, vestræ me Parisius dixisse sanctitati, qua ex causa inutilis & indignus huc accessi, & si pro pace sanctissimæ sponsæ vestræ atteſtetur Dominus ille, qui servum suum Moysen in montem discalceatum transmisit Sinaï, ut legem mereretur suscipere Domini, per quam pax orbis reparetur universi.

5. Ceterum quia ab experto dudum vestræ sanctitatis novi circa præsentem materiam rectam intentionem, propterea eidem significo vestræ sanctitati, quia cum piæ vestræ sanctitatis juvamine, per quemcumque modum imaginari queam, pacem sponsæ vestræ, tranquillitatem illam apud quoscumque, modis tamen juridicis, aut alias rationabilibus, ad sanguinis usque effusionem posse tenus, favente Domino, prosequi non desistam. Et si contrarium peragerem, crederem procul dubio ædificare ad gehennam. Præmissis ita consideratis, vestræ supplico pietati, quod omnia mihi mandare dignemini quæ volueritis circa materiam hujusmodi me facturum, & dante Deo, pro pace non desistam in commissis. Vestram sanctitatem diu & feliciter conservare dignetur piissimus Jesus in ecclesia sua sancta, ut pacem suo in tempore videat sponsæ suæ digne. Amen.

6. Pater beatissime, regi obnoxius dominisque ducibus regalibus tenetur sanctitas

veſtra regratiari bonam affectionem, quam erga pacem ſanctæ matris eccleſiæ unanimiter gerunt omnes piæ ſponſæ veſtræ; quam etſi ab experto noveritis, tandem ante per litteras novi regis & dominorum præcipue ducum tantum inde facientes quod orbis totus veſtræ piæ mentis agnoſcat erga pauperem eccleſiam ſinceritatem & pacis affectum antequam emergat ſcandalum, ne dicatur, *Væ illis per quos ſcandalum venit.* Dubito tamen propter peccata noſtra, quod vix eccleſia abſque illo reparabitur, quod flens ſcribo. Ab illo ſiquidem præſervet nos Deus,

Indigniſſima veſtra creatura
In monte (a) S. Læti reſidens.

[a]

RESPONSIO PAPÆ SUB BULLA ad præfatas litteras.

Dilecto filio magiſtro Johanni de Varennis capellano noſtro.

Laudat ejus zelum, ſuumque declarat pro eccleſiæ unione, ad quam diligenter ſe elaboraturum promittit.

Anno 1394. BENEDICTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio magiſtro Johanni de Varennis S. & A. B.

Litteras cariſſimi in Chriſto filii noſtri CAROLI regis Francorum illuſtris, tuas nobis directas incluſas habentes recepimus, quæ tuæ te cordialem de noſtra ad ſummi pontificatus apicem promotione lætitiam, ſpemque de ſecutura proinde unione eccleſiaſtica concepiſſe, ſincerum etiam ad nos devotionis & dilectionis affectum gerere nobis luculentius indicarunt: de quibus gratiarum tibi perſolvimus actiones, zelum quem ad unionem prætactam habere te perpendimus in Domino commendantes. Ut autem ſuper contentis in litteris rei veritatem & noſtram intentionem agnoſcas, noverit tua diſcretio, quod tanti molem oneris, nobis Deo & conſcientia & omnibus qui in facto electionis affuerunt teſtibus, nobis injunctam invitis, ad hoc ſolum ſuſcipere conſenſimus, ut unionis prædictæ negotium per nos in tot regnis & populis, ac cum tot laboribus & ſollicitudinibus antea proſecutum, per ulterioris diligentiæ noſtræ ſtudium, optatum cœlitus ſortiretur effectum, & a certo tanto pacem & unionem eccleſiæ appetimus nunc ardentius & viſceroſius, quanto ſuſceptum per nos, licet immeritos & indignos, ipſius eccleſiæ regimen ad ejuſdem procuranda commoda, ſubmovendaque poſſe tenus ſcandala per amplius nos aſtringit: quam pacem & unionem omnibus poſſibilibus nobis viis & modis proſequi, ceteris omiſſis, intendimus, ac ſine moræ diſpendio toto conamine procurare; pro quo negotio jam ad præfatum ceteroſque reges & principes orthodoxos nuncios noſtros miſimus, viros utique litteratos, commendabiles & ſolemnes, unioniſque prædictæ fervidos, ni fallimur, zelatores, de mente noſtra ſufficienter inſtructos, ipſorum regum & principum ad noſtri præfati faciliorem & compendioſiorem executionem propoſiti juvamen, favorem & conſilium pro nobis & eccleſia petituros, præſertim regis prædicti Franciæ, ceterorumque de glorioſa domo ſua principum, quos, ſicuti claræ memoriæ progenitores eorum hactenus in ſimilibus extiterunt, ad abſtergendum a facie ſponſæ Chriſti tam inhoneſtam maculam, eſſe ſcimus indubie voluntarios, benivolos & intentos; & per quorum directionem & ſollicitudinem operoſam principaliter poſt Deum confidimus & ſperamus dictum negotium feliciter & celeriter conſummari. Circa quæ, concedente Domino, tantum & taliter faciemus, quod totus mundus noſtram bonam ac omni ambitione vacuam cognoſcere poterit voluntatem; nec nobis quominus dicta ſequatur unio, quicquam per Dei gratiam poterit imputari. Ad hoc autem quod ſcribis, electionis accelerationem minus gratam fuiſſe regi prædicto; profecto, fili, venerabiles fratres noſtri S. R. E. cardinales, inter quos & de quorum numero tunc eramus, deductis in medium & diſcuſſis prolixius ac maturius ponderatis rationibus, quæ pro parte utraque facere videbantur, in facto electionis modos & ordinem tenuerunt, quos ſecundum Deum ad bonum & utilitatem eccleſiæ faciloremque & tutiorem extirpationem ſchiſmatis crediderunt potius expedire, confidentes etiam ita fieri placitum regi fore: quæ diſcretioni tuæ ſic ſcribenda ducimus, ut memorato regi ſuper petitis per ipſum conſultius valeas reſpondere: Diſcretionem eamdem caritative rogantes, ac perſonaliter exhortantes, quatenus Regis æterni piis & ſedulis precibus implores clementiam, ut eccleſiæ ſuæ tandem ignoſcat, ipſamque regere, pacificare, & adunare dignetur. Statum autem & ſucceſſus tuos, utinam ſemper ſecundum utrumque hominem proſperos & felices, nobis per crebras litteras tuas gaudebimus intimari. Datum Avenione IV. calendas Novembris, pontificatus noſtri anno primo.

G. PARMETI.

(a) Mons S. Leti locus eſt in diœceſi Remenſi duabus dumtaxat a civitate leucis diſſitus, gallice *Le Mont S. Liè.*

EPISTOLA II. JOHANNIS de Varennis, ad Benedictum XIII. papam.

Mittit ei formulam pacis & unionis per abbatem Igniaci, oratque ut fidum sibi aliquem nuncium mittere dignetur, cui suæ mentis arcana possit aperire; tandem petit facultatem ipsius adversario scribendi.

SAnctissimo in Christo patri domino Benedicto sanctæ sedis Romanæ almo pontifici.

1. Pater beatissime & domine noster a Deo Benedicte, devotissima post pedum oscula beatorum in Christo Jesu præmissa semper recommendatione. Per priorem Igniaci (a) [a] harum gestorem quamdam moditam litterulam pacem ecclesiæ continentem vestræ dirigo beatitudini; & quia magni dignoscitur esse ponderis, vestra pensata cœlica majestate, hac simpliciter de causa, ipsum veluti mihi fidelem nuncium earumdem eligere decrevi. Cui propterea, si libeat, vestra magnificentia credere mei ex parte dignetur in dicendis.

2. Verum, pater sancte, quia per litterulam memoratam aut per eum nunc ad votum mentis non possum explicare conceptum, vestræ pro tanto per viscera misericordiæ Jesu Christi supplico clementiæ, quod illum mihi benivole transmittere curetis Deum timentem, in quo cœlesti in hujusmodi materia post Deum cœtumque dominorum magis confiditis, cum quo fari viscerosius gestiam, tamquam cum vestra mihi peramantissima sanctitate. Et per illum viam talem quam sub cœlo viventi nusquam detegi, eidem vestræ dirigam excellentiæ, quod ipsam, veluti reor, rationi consonam recusare non valebit quovis modo, ad decoremque domus suæ & locum habitationis gloriæ suæ, cum reparatione dedecoris, proh dolor! nuper jam elapsi. Et interim apud domum posse tenus, Domino concedente, laborare contendam Franciæ, quod omnis via cesset facti. Obsecro itaque, pater sancte, quod hunc non contemnatis pusillum, sed post harum infra xv. dies vel citius, si placet, receptionem litterarum, animæ suæ celeriter complere dignemini desiderium, cum Spiritus sancti gratia tarda nescit molimina, & magnum, ut arbitror, orthodoxis cunctis exhibebitis suffragium, si viæ illi, Deo, ut æstimo, gratæ, acquiescere velitis.

3. Secure enim, pater sancte, in servulo vestro & in quibusvis aliis vestra confidere non formidet beatitudo, quoniam bifaciem novi nusquam, sed quidquid memoror non celandum palam ad Dei laudem nunciare mundo non erubesco; vir autem nullus duplex A dolo malo omni profecto evacuatur iniquitate.

4. Litterula vero præfata, quam, ut prælibavi, vestræ dirigo beatitudini, viam prætendit sæpefatam per me tandem, Christo prævio, adinventam. Et idcirco animum vestrum, si eidem molesta sit, ipsa non exasperet. Juro autem vobis quod illam vivens numquam legit, nisi quidam fidus hic mihi juratus, qui hic post manum meam eam scripsit, quam rescribere nimis glossatam fas mihi non fuit. Quæso non attendatis corticem, sed mentem, Deo teste, sanctæ sedi, vobis necnon sinceram zelo utinam fidei non semiplenam. B

5. Pacem vestro in tempore, cœlo tenus vobis triumphante, glorioſa Dei genitrice suffragante, prout die noctuque suppliciter exoro, breviter in ecclesia vos feliciter videre piissimus Jesus concedere dignetur, ad laudem & gloriam nominis sui. Amen.

6. Sanctitas vestra licentiam mihi dignetur impertiri, adversario vestro quæ mihi videbuntur scribendi, & cum sibi litteras per aliquem regium transmisero, si possum, cursorem, harum vestræ mox copiam dirigam C beatitudini. Jam autem dudum post vestram de qua spero indulgentiam effectui mancipassem, sed vix formam reperire gestio, cum intra & extra secundum Deum eidem injuriari nolens, intitulandi.

Vestræ sanctitatis servulus humilis
pauper peccator sancti Læti.

EPISTOLA III. JOHANNIS de Varennis, ad Benedictum papam XIII.

D *Salutaria ei dat monita, urgetque ut viam cessionis in conclavi juratam amplectatur.*

SAnctissimo patri domino Benedicto S. R. E. almo pontifici, ejusdem beatitudinis pauper catulus non leonis, sed vermiculi potius, habitans nunc in abditis S. Læti, omnem subjectionem post pedum oscula beatorum, pacem & lætitiam sempiternam.

1. Tuas dudum, pater sancte, bullas recepi devotissimas, inutilis cujusdam litterulæ meæ responsivas, in quibus tua sincera canebatur affectio, quam ad pacem geris ecclesiæ terrestris Jerusalem sponsæ tuæ, subjungens E quod in apostolatu hac solum de causa præbuisti consensum, ut ardentius per te pax eadem celeriusque sortiretur effectum, nonnulla alia gratiosa continentes, de quibus omnium retributor tuæ sit majestati condigna merces.

2. Has autem, pater sancte, circa primordium tuæ in apostolatus assumtionis mihi direxisti; sed multifaria tandem præmissis, proh dolor! plerisque asserentibus contraria, extiterunt innovata, quibus vix adhibere fidem valeo, sollicitudinibus attentis quas in tot regnis

(a) Igniacum insigne ordinis Cisterciensis monasterium in diœcesi Remensi.

sudoribusque variis viscerosis antea pro eadem pace subegisti, de quibus, præfatis attentis, non finerer, si vera forent, per nimium admirari.

3. Quis enim sanæ mentis arbitrari præsumeret, orbis lumen, Christum Domini velle dejerare. Tuæ etenim impingitur sanctitati, juramento te in introitu conclavis spopondisse, quod si eligereris, papatui renunciares dum opus foret pro via pacis celeriori, si pars ad hoc dominorum sanior assensum præberet cardinalium.

4. Si hoc denique veritate fulciatur, te & dominos reor memoratos apud Deum orbemque universum de tam celebri ecclesiæ provisione, a cunctis Christicolis merito extollendos, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.

5. Si autem pars illa dominorum major assensum tandem præbuerit, ducibus instantibus tribus, Bituricensi & Burgundiæ avunculis, Aurelianensique germano Francorum regis tam inclytis; ubi vero tunc fuit summus pontifex verus papa, sal terræ, veritatisque assertor, qui opus Deo tam amabile, necnon toti mundo gratum executioni demandare renuerit. Si sal namque tunc evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum quoque valet ultra, Christo vociferante, nisi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Si enim, quod absit, illa quæ præcesserunt ex labiis tuis facias irrita, cui in posterum credetur? debet namque obmutescere veritas in tanta temporis egestate.

6. Ubi autem nunc dormitat dux Christianorum, plebis pastor, & gentium cunctarum doctor? turpe numquid tanto foret doctori, si culpa redarguit ipsum? at vero turpior numquam est pars quæ suo non congruit universo.

7. Ceterum ubi nunc adest via justitiæ, virga potentum, fidei defensor, malleusque tyrannorum, qui de cetero reprimere audeat insidias calumniantium; cujus tandem vultus debet esse super facientes mala? Si ergo sacerdos qui est unctus, peccaverit, numquid faciet delinquere populum? quod vero a superioribus agitur, faciliter hodie trahitur a subditis in exemplum: per hos siquidem modernis in diebus a via erramus veritatis, & lumen justitiæ non illuxit nobis, sed ad viam laxati sumus iniquitatis.

8. Numquid enim tempus adesset, quod tutor pupillorum, refugium oppressorum, viduarum judex & pauperum advocatus suæ nunc desolatæ indulgeret ecclesiæ, tantarumque obviaret periculo animarum. Super quo pauci aut verius nulli ex clero elaborare contendunt?

9. O pietatis exemplar & sanctimoniæ speculum! quis enim super unionem gregis dominici, supposito juramento non firmasset, in hoc tam pestiferi schismatis devio vacare debet, nisi tu qui solus altissimus esse debes super omnem terram? Obsecro nulli tradas in opprobrium, quoniam mali mala deaurando tegunt crebrius simulando virtutes.

10. Rememoror enim tuæ dudum scripsisse beatitudini, quod causa præsens sopiri vix posset absque scandalo gravi; & si illud in januis jam vidisti, crede alias Mariæ veraci potius quam peccatorum turbæ fallaci. Si autem in proximo majus tibi contingat & ecclesiæ Dei, nisi aliter justitiam de te ipso opereris, fidem per præsentes adhibe, non prophetæ, sed pauperi peccatori; & recordare quid tuo ante ejus obitum fere per sex septimanas scripserim prædecessori, & si copiam habueris, cursor apostolicus testificetur quem mihi ob hoc transmisisti.

11. Stude itaque, pater beatissime, per sancta opera, pompa quavis a Petri sede relegata, & humilitate non semota, placare Regem summum, & non pascere verbis regem sibi subditum, bolisque ecclesiam strangulantibus. Egredietur enim splendor justus e cœlo per concessionem principibus decimarum ecclesiæ obnoxiam, alias per nominationem personarum ad certa beneficia eisdem factam, pro beneficiandis eorum famulis famulabusque ad pacis non modicam prorogationem, sive per concessionem prælatis de certis eorum beneficiis ad votum ipsorum conferendis ad schismatis totalem radicationem. Æstimo profecto quod non, quidquid enim tibi ab ecclesiæ æmulis consulatur, legi nusquam fraudem & dolum cuiquam patrocinari; hi vero solam sensualitatis assequuntur imaginem, non autem rationis appetunt veritatem.

12. Arbitrantur etenim matrem interim nostram, talium prætextu munerum, & per promotiones ad præsulatus, fama crebrescente, insignium denuo principum ad instantiam factas, in peccatis nostris prolixius permanere, velut adulteram continuo & repudiatam. Sed advertat piissimus ejus sponsus, ne per hoc diutius ab iis pseudocæcis sic flagelletur, quæ sua sunt quærentibus, non quæ Jesu Christi.

13. Opinionem quampiam nusquam in hac materia formaliter eligere decrevi, licet ante a nonnullis requisitus plerumque extiterim; & ratio est, quoniam illam remitto summo regi, cujus causa in patulo agitur. Exilem etiam fructum afferret electio mea in hac tam grandi materia cælica. Verumtamen si scirem quod in aliquo posset prodesse, illam pro vivente non pertimescerem eligere, & usque ad necem inclusive: quoniam arbitror congruentius mihi fore mori in bello eligere, quam languens mala videre gentis nostræ & sanctorum.

14. Rememorare itaque, pater beatissime, in scrinio pectoris tui, omni procul pulsa affectione carnali, si via illa cessionis per te jam-

dudum electa regemque memoratum, & alios nonnullos, quos zelum habere æstimo religionis orthodoxæ, tui forte ad instantiam amplexata, fit apud Deum brevior & efficacior, & sic, tua quæso arbitretur caritas, an pro bono pacis per te absque mora, sana conscientia, debeat eligi. Si enim animarum dispendium sit in mora etiam unius horulæ aut momenti, judicet Dominus, qui hic quotidie & in partibus schismatis hic prope populum suum plaga crudeli, peccatis nostris exigentibus, flagellat mortalitatis; & totum perpetrare, sceleribus nostris crebrescentibus, hoc duo non verentur soli homines in universo orbe, qui, prout nec hæsito, horum rationem in districto reddent examine.

15 O utinam tanta carnalis non foret dulcedo in hac gloriosa Petri sede, quam pars sanior præcessorum tuorum solum optarunt, ut palmam felicem martyrii valerent obtinere! Illam siquidem hodie, prout longa didici experientia, quilibet exoptat, ut præ ceteris pompa eminentior censeatur, suos vero exaltet, & alienos deprimere non vereatur. O Deus unigenite! quamdiu hoc tolerabis? Utinam pedes illius beatos nostro osculari mererer in tempore, qui velut in terra unicus Christi vicarius pompam omnem in Petri sede evellat, Christi humilitatem sectando, viros provectos exaltet, utroque homine sanctos, indignos repellendo. O piissime Christe Jesu! cœlos nunc disrumpe, nec ultra moreris, & illum breviter nobis cœlitus transmitte, per quem ecclesiam tuam ultra modum schismate in præsenti lacceratam reconciliare & pacificare digneris. Amen.

16 Et si ita velociter non fiat, prout die noctuque apud ipsum incessanter, piissimam ejus nec non genitricem balbutire non cesso, sceleribus meis graviissimis adscribere non verebor. Quicquid enim profecto patimur, peccata nostra hoc meruere.

17 Præpares denique adversario tuo nunc ignominiam, cum tempus adest, & improperium, ad omnem viam licitam te subjiciens, cum nulli de præsenti se subjicere velit, prout per copiam ejus novi litterarum, quas regi nuper direxit Romanorum.

18 O quam benedictus a toto populo exclamari dignus fores, si per te pacem in ecclesia Dei sancta consequi mereremur, etiam adversario tuo resiliente præfato! Æstimo procul dubio, quod glorioiius tibi esset, etiamsi viam cessionis eligeres, quam si papatu unicus per discursum vitæ tuæ triumphum residendo pacifice obtineres.

19 Jube ergo, domine, quod fiat lux, & facta utique mox erit lux. In te, domine, pendent leges & prophetæ. Præpara te ad viam per te dudum electam, & omnis populus adversarium tuum contabescet; cujus via in cœlo & in terra, colubri ad instar tortuosi, procul dubio sine mora in ictu oculi, tuba noviissima canente, nunc reperietur. Esset ipse dignus vivere, si pacem ecclesiæ, commune tantum cunctis bonum, te instante, recusaret?

20 Cunctis enim Christicolis talem pro homine mortali in monticulo meo non expavescerem pacem ecclesiæ impedientem, antichristum satanæ altissime dogmatizare, hominem perditum, & fidei negatorem, & ab ejus merito obedientia recedendum. Et si ambo in mora, quod a cordibus absit fidelium, concordes existeretis, quid enim nisi opus zabuli in fide nostra foret æstimandum? Quis vero in hoc casu adeo enormi providéret, nisi solus Altissimus, aut ipso permittente via facti? Per similem quoque casum schisma radicatum est Latinorum atque Græcorum, & imperium sciissum est Romanorum. Patientiam enim in hoc casu, Spiritu-sancto stimulante, profecto nescirem habere, quin gladium verbi Dei in guttur cujuspiam præsumerem immergere, & usque ad sanguinis effusionem vocem meam extollere. O quale foret scandalum, si ecclesia sancta Romana rursus in duo partiretur regna! Quid enim aliud esset nisi utriusque dissipatio, Christo proclamante, quod regnum in seipsum divisum desolabitur? Ridiculosum a certo nimis esset, si ambo infelici hoc, quod absit, idiomate uteremini: Transeamus tempus nostrum, satis habemus quilibet pro statu nostro; sapias tu in obedientia tua, & ego in mea. O quam tale linguagium a cunctis orthodoxis foret exstirpandum! & gladio materiali: ad illud siquidem prorsus evellendum cunctis auderem bene Christicolis consulere, quod qui non haberet gladium, tunicam suam venumdaret pro illo emendo, aut pallium.

21 Quis enim esset ille filius diaboli, qui tantum bonum præsumeret impedire, simpliciterve imaginari? Profecto illum æstimare nescirem Christianum, sed hæretico, deteriorem Judæo aut pagano, etiamsi toto tempore vitæ suæ panem ostiatim deberet mendicare.

22 Crudeliorem enim plagam schismate Deus in orbem non potest transmittere. Testis sit ipse, si omni die experiar in pauperes audiendo oves errabundas, in limitibus existens utriusque partis, quæ velut dispersæ, quo non gestientes divertere, juxta illud propheticum: Vulnerato nempe capite, curandis omnibus quis cohibebit medicinam? & si languor in capite curatus non fuerit, totum corpus morbus invadet.

23 Ad hanc ergo pacis viam eligendam, pater sancte, non te terreat honor mundanus, aut aliud momentaneum dedecus, si jam in primordio eam non quæsiisti aut acceptare illam renuisti, verbum Christi humilis magistri

giſtri tui præ oculis rememorans dicentis : *Quod majus eſt in cœlo gaudium ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis pœnitentiâ non egentibus.*

24. O quale gaudium, angele Dei benedicte, in cœlo & in terra angelis pariter & hominibus nuntiares, ſi ſolum verbum illud cum effectu proferres angelicum : *In terra pax ſit hominibus bonæ voluntatis.* Quis enim in eccleſiaſtica hierarchia verus profitetur angelus pacis ſupernus, niſi pontifex ſummus, propter veram ejus pacis mundo quam facere debet nuntiationem, propter angelicam ejus puritatem in exemplari vita, & propter ejus felicitatem in Dominici gregis unione atque cuſtodia : & ſi quid horum in eo aut alterum deſit, angelus numquam meretur dici pacis, ſed zizaniæ ſeminator & orbis totius conturbator. Talem denique videntes angeli pacis fient in cœlo, & diſſipatæ ſunt viæ illius ; ceſſat enim tranſiens per ſemitam rectam, & irritum factum eſt pactum ejus.

25. O glorioſe papa Benedicte, noſtro quæſo in tempore effici digneris angelus pacis & columba lætabunda, quæ ad arcam Domini ramum ferens olivæ, virentibus foliis pacem nuntiavit patriarchæ ſummo Noe, caput eccleſiæ typicanti. Quis vero ſi tam celebre opus compleas, nomen tuum in cœlo & in terra glorioſum merebitur extollere ? Profecto id recipere vix poterit totus orbis. De te ipſo concinant angeli pacis in terra bonæ voluntatis, id quod in laudem prorumpit de Chriſto ſacra ſcriptura, cujus vicarius es ; ſeipſum dedit nobis tot modis, quod non ſolum caritas, ſed quodammodo tranſgreſſio & prodigalitas nuncupatur.

26. O quam beatiſſima fuit ipſius noſtri Salvatoris ſumma illa memorata prodigalitas, per quam ſuo inimicos proprios, ſervos indignos, pretioſo ſanguine morte ab æterna liberavit ! Sed ô quam benedicta tua fere ſimilis liberalitas eſſet, & apud te prodigalitas, ſi filios tuos a dæmonio in terra nunc errante, eriperes meridiano !

27. Eſto ſimilis, obſecro, nunc leoni in operibus ſuis, ut de te illud alta voce concinam propheticum : *Venite & videte opera domini* Benedicti, *quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella uſque ad finem terræ ; arcum conterens & confringens arma, ſcutaque comburens igni.* Quæ omnia pacis laudabilia ſunt ſigna.

28. Et numquid meritò illud quod ſequitur glorioſe poteris dicere : *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus*, ſcilicet in terra, quia pacem univerſo annuntiavi mundo : propterea *exaltabor in gentibus & exaltabor in terra.* Et ſi, pater a Deo benedicte, in medium pacis æmuli deducere non erubeſcant, quod numquam via illa ceſſionis a ſæculo legitur electa, numquid pro tanto, ſi illam nunc primus adipiſci merearis, major erit tibi gloria ? æſtimo procul dubio quod ſic, quin immo præ ceteris cum jocunditate propterea a populo Dei obnixius exclamaberis : Ecce plus quam Othoniel hic, qui populum Iſraëliticum a regis Syriæ captivitate & Meſopotamiæ liberavit ; & tu illum nunc liberabis a principe hujus mundi catenis non vinctum, qui per te ejicietur foras.

29. Judith quoque numquid laudatur ex eo quod pro ſalute populi periculis ſe expoſuit, & gratia Dei periculis ullis te non exponens ? quoniam præ omnibus Benedictus diceris, illum quippe habens ſtatum quem eligere æſtimabis : quin immo Domino poſſes reeligi ſuffragante, & tandem in pace velut angelus pacis, ſæculum, dante Domino, reformare molieris.

30. Memorare, pater ſancte, quomodo dilectiſſima ſponſa & mater tua vociferat nunc gemens : Apud te, fili, inquiens, dilecteque ſponſe mi, modo non obliviſcaris mei, ſicuti nec ſum diebus in tuis oblita tui. Te enim in pace regali genui progenie, maternum tibi præbens gremium : in ſcientia te erudivi, & in honoribus præ ceteris conſortibus tuis exaltavi. Mater nempe cupio effici, ut alios filios legitimos valeam procreare ; ſed mihi fas non eſt, te obſtante, quia mihi non auxiliaris in præſenti hac neceſſitate. Nunc ſiquidem in compedibus vinculata exiſto, manicisque ferreis per adverſarium tuum, nec minus meum carceribus mancipata, qui me diu noctuque virginem deflorare molitur. Solebam quippe præ filiis hominum eſſe ſpecioſa ; nunc vero palleſcit jejunio facies mea, victualibus interdictis, & ſic vernans in facie decor meus natura ſuccumbente marceſcit : unde verſa per vos ambos eſt in luctum cythara mea, & organum meum in vocem fletuum, & non eſt qui commoveatur ſuper contritione mea.

31. Ego quidem ſum illuſtriſſima olim mater tua, quæ magiſtra ſolebam eſſe orationum, modo facta per vos ſpelunca latronum & habitatio exterorum, catenis carceralibus circumdata, in opprobriumque data cunctis gentibus. Miſerere igitur mei, fili mi, quoniam ferrum pertranſivit animam meam dolore tabefactam. Hodie effeminati mihi dominantur, & concupiſcentia garrula in ſolio meo ſedet. Primipilarii mei, fili mi, terga mihi verterunt, a quibus nunc egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram ; unde navicula mea fluctibus fere periclitatur. Archiflamines mei ægroti hodie medicos ſe jactant ; mortui alios reſuſcitant ; claudi perduces ſunt & præcurſores. In optimatibus meis ſola remanſit miniſtra. Pro me non mugientes, ſed adverſus me ſua erigentes cornua ; via in Bethſamis nec minus gradientes regia. Animarum quoque rectores ſenſu pueri atque ætate, præ aliis imbecilles magiſtri ſunt ſeniorum ; unde in eis vitæ exempla deficiunt. Et idcirco ſubditi

mei miſerabiliter corruunt; & horum denique omnium duo homines ſoli propter peccata populi ſunt in cauſa: judicium nihilominus duriſſimum fiet iis qui ſic præſunt.

32. Si quod igitur in te ſolatium ſit caritatis, ſi quis reſpectus ad Chriſtum, ſi qua viſcera miſerationis, ſi qua vero memoria judiciorum Dei, formoſe ſponſe mi, tuus apud me ſponſam tuam excitetur affectus pariter & effectus. Adjuva me, fili mi, & ſalva ero, ne diutius omnis populus Chriſtianus doloribus & fletu intabeſcat. Aſpice in me & miſerere mei, quoniam non eſt dolor ſimilis dolori meo; ne de manu tua ſanguis innocens requiratur.

33. Per quemcumque autem modum, ſponſe mi amantiſſime, procura mihi pacem, & recordare quomodo in omni dignitate nihil cenſetur dignius, quam pro pace mea honoris abjectio & contemtus. Alta nimirum ſapere mors eſt; facile quoque periclitatur, qui ſe in eminenti conſiderans obſtupeſcit; libido namque dominandi malis magnis probos agitat, & totum ſolita eſt conterere genus humanum.

34. Pater ergo beatiſſime, in hac ſiquidem materia laude omni extollenda diſciplinam audi matris tuæ, velociter & exaudi, illorum pſeudo non acquieſcens conſilio, qui eccleſiam Dei palpant, eidem dicentes, Euge, euge, cornua addentes pectori. Iſti vero ſunt qui in hypocriſi eam ſalutant, in labiis habentes oſculum, jaculum occulta in corde detractione; ſimulatam zelantes ſanctitatem, ut mundanam ambiant gloriam. Res enim magni diſcriminis eſt impietatem ſub pietatis obumbraculo, & antichriſtum ſub Chriſti veſtibus occultare.

35. Illorum quippe ſane acquieſcas crebrius conſilio, quibus in ore eorum non ſit mendacium, aut verbum Domini non ſit alligatum, nec in eis timor humanus ſpiritum obruat libertatis: fideles quippe ſunt ſervi illi qui diſſimulare injuriam Chriſti recuſantes & opprobrium Petri, incidere potius cupiunt in manus hominum, quam delinquere in legem Domini. Aſſume apud temetipſum hominem talem in conſiliarium, qui ſpiritum Dei habeat in ſemetipſo, & ſtatum tuum felix, Deo gratus pones ſuper eum.

36. O quam abſurdum eſt, pater ſancte, quod pro duorum lite tota Chriſtianitas adeo ruat, & in tenebris ſic ambulet, quæ nimio, proh pudor! tempore cœca a cœcis conducta ſic peregrinavit. Totis ergo viribus vias exquirere non tepeſcas exuberes pacis & unitatis: unde ſi electa ſit verior, illam mente ſincera amplectere facto & non verbo, ut totus mundus agnoſcat piæ mentis tuæ erga pacem ſinceram effectum.

37. Pernicioſum quoque eſt, quod ſcandalum ambo expectetis totius Chriſtianitatis, quod non longe eſt a vobis, niſi aliter in vobis provideatis. Debetis enim arbitrari quod non diu ſic eccleſiam ſuam propter duos homines Chriſtus derelinquat, quam pretioſo ita care ſuo redemit cruore, cum totidem animarum quotidie pereuntium diſcrimine? Reor etenim quod ſic eam diu pollui non patietur ab indignis.

38. Ex ore ejus una dierum procedet gladius bis acutus, cujus exterminium obſecro devitare ambo curetis, ejuſque furorem pertimeſcere non immerito etiam ambo debetis, ex eo quod corpus & animam perdere poteſt in gehennam.

39. Sed rurſus regum furorem terræ una cum præfato expaveſce; & ſi non propter te, ſaltem propter eccleſiam tibi commiſſam, ne manibus in tuis culpa tua pereat, quorum iram in cordibus eorum diebus a non paucis jam ſentio accenſam: & ſi ſcandalum eccleſiæ toti peregerint, quis illud reparare ſciet aut conabitur? Melius quippe foret ante tempus occurrere, quam poſt tantum vulnus remedium explorare. Et ſi ſcandalum per te, quod abſit, tantum oriatur, quis linguas illorum refrenabit contra te ſuſurrantium palam & dicentium: Utinam natus non fuiſſet homo ille! Audi quam pœnam Deus illi infert puſillum ſuum ſcandalizanti, contra quem lege ſua ſanxit, quod in illius collo mola ſuſpendatur aſinaria, & in profundum maris demergatur: & aliàs neceſſe ſit quod veniant ſcandala, verumtamen væ homini illi per quem venit. Si autem manus tua, hoc eſt honor & divitiarum appetitus, aut pes tuus, id eſt conſiliarii tui nequam ſcandalizant te, obſecro abſcide illos, & projice abs te. Melius ſiquidem eſt tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum abſque illis, quam cum iis mitti in ignem æternum. Et ſi tanta inferatur a Domino pœna unum dumtaxat puſillum ſcandalizanti, quid ergo fiet de te, ſi per te mundus ſic ſcandalizetur univerſus?

40. Cauſa nempe efficieris ſcandali & peccati illorum adverſus te ſuſurrantium. Scelus numquid grande eſt patri maledictionem imprecari? Qui enim patri maledicit, lumen extinguetur ejus in mediis tenebris. Pater namque es patrum, filios ergo tuos ceſſare facias a ſui tam enormi patris maledictione, ne pater cum filiis maledictionem, quod abſit, conſequatur æternam. Adimple igitur pii patris officium, ut vulneribus nunc curandis peccatorum non adjungas dominandi libidinem, ſed prorſus adhibeas reſignandi, ſi pro pace congruum ſit, medicinam, ne tibi a Deo paſtori ſuo dicatur: Væ qui diſpergit, & ſic dilacerat gregem paſcuæ meæ.

41. Ut autem ſcandalum eccleſiæ toti formidandum ceſſaret, primus CLEMENS ſanctiſſimus papatui numquid renuntiavit, ne ejus occaſione Romani pontifices poſteri alium ſui loco ſubſtituerent? O quam floridam ergo toti exhiberet Chriſtianitati gra-

tiam non modicam, ſi, cum alias pacem obtinere non valeamus, præſulatui renuntiares, cum via illa ſecundum te jam dudum electa efficacior cenſeatur, ut ſcandalum eccleſiæ tantum ceſſaret, quod in mente mea formido a Deo regibuſque ipſius miniſtris ſuper eccleſiam univerſalem breviter emergere, niſi aliter noſtri ſui miſereatur pietate. Scandala quippe hic inſererem, ſed dubitans ne ad alias præſens litterula manus deveniat, illa omitto, etiam nolens inſtruere Minervam.

42. Eſto igitur tui ipſius, pater ſancte, judex & medicus, qui ſolum Deum habes ultorem, impia facta tua, ſi qua ſint, ulciſcentem, ne contra jura apoſtolica tibi breviter in facie dicatur, cur ita facis? & ne alias pro tam celebri bono pacis invitus renuntiare cogaris: hilarem enim datorem diligit Deus. Abſurdum quoque eſt quod filii matrem negligentiæ, prætextu autem iniquitatis, cunctorum dominam corripiant, quæ pro nullius olim reminiſcitur perſona fuiſſe corrupta. Abſit autem quod per tam generoſam perſonam moribus & ſcientia flagrantem, temeritate creſcente, univerſalis eccleſiæ confuſio naſcatur; & ſi ultra per te quam ſit humilietur, ad cujus demum confugiemus auxilium, & ubi relinquemus gloriam noſtram?

43. Licet autem, pater ſancte, ut me luce clarius noſti, princeps legibus ſit ſolutus, nihilominus tamen ſecundum leges vivere debet. Quis ergo eum ab illo pro tanto ſacro eximet canone eccleſiæ unionem zelante, formaliter ſic inquiente: facientes in ſancta Dei eccleſia ſciſſuras, non ſolum exiliis, ſed etiam proſcriptione rerum & dura cuſtodia per publicas debent poteſtates coërceri. Non puto majeſtati divinæ nec evangelicæ congruere diſciplinæ, ut pudor & honor eccleſiæ tam turpi diu & infami contagione fœdetur.

44. Si autem tam diu, quod abſit, pater ſancte, in opinione hujuſmodi adeo dura univerſali eccleſiæ Dei velles perſiſtere, pro ſingulari tibi nunc conſulerem ſuffragio, quod ad fontem gratiæ recurreres & ad miſericordiam ſummi Regis, ſine quo in ejus navicula diu non vales præſidere. Sed audivi nuſquam quod hoc peregeris: ridiculum quoque grande æſtimo in navi quapiam velle dominari, ejus diſſentiente patrono.

45. Ubi enim ſunt proceſſiones quas pro pace almæ ſponſæ tuæ per orbem ad hoc fieri mandaris? Ubi namque ſunt indulgentiæ quas populo ex eccleſiæ theſauro quem in hac præſenti neceſſitate abundanter aperire debes, ad hoc elargitus ſis? Ubi vero ſunt orationes eccleſiæ, fuſæ lacrymæ, miſſæ, ceteraque ad Deum placandum ſuffragia, quas ad hoc fieri in univerſo orbe ordinaveris? Legatos nempe tuos apud viros inclitos, Deum timentes, ipſum placare valentes audivi numquam ad hoc quod miſeris, ſed pro pecuniis illecebroſis bene diverſa ſubſidia poſtulando, decimas & medias decimas ſuper clerum, principibus fere invitis concedendo. Utinam Pharao hodie reviviſceret, ſub cujus tyrannico pro certo licet dominio, clerus majori potiebatur libertate. Et ſi mille horum prætextu cenſuram vilipendentes eccleſiaſticam in regno Franciæ celebrent excommunicati, audiat clamorem eorum Dominus, quos eximia novit egeſtate prægravari. Eos verumtamen non excuſo, mulcta dignos corporali, ſed eorum rectores accuſare coram judice ſummo non erubeſcerem, ſi dignus forem exaudiri. Cœci ergo ſunt & principes cœcorum. Arbitraris enim quod per aurum & argentum, in quorum defectu decoratus eſt princeps apoſtolorum, cujus vices geris, pacem conſequi valeamus. Si ſic, non ambigo quod ultra juſti medium pretii tempore certo deceptum te æſtimabis. Ubi autem Chriſtus lapis angularis ſtabile non eſt fundamentum, nullum profecto diu permanere poteſt ædificium.

46. Placandum denique primum reor Regem altiſſimum, ſi pacem ab eo, qui ſolus eam dare poteſt, conſequi peroptemus, præ ſuperbiis noſtris pompiſque illecebroſis contra eccleſiam ſuam non mediocriter furore accenſum. Sed audi quid propheta Dei nomine tempore prænuntiavit pro præſenti. Et ſi a planta pedis uſque ad verticem non ſit in te ſanitas, eccleſiæ ſuæ, proh dolor! inquientis, quomodo tui miſerebor? Ubi enim ſunt filii eccleſiæ, qui a Deo pro ea miſericordiam popoſcant? pro certo illos ignoro, quoniam fere omnes converſi ſunt retrorſum, de ejus ſanctitate non curantes, opera potius ſcelerata in ea committentes, veneralia carnaliaque nimis planctu digna atque luctu; gloriam ſuam quæritantes humanam; & idcirco de die in diem magis ſemper ejus multiplicatur ignominia. Et ſi conniventibus oculis ſub diſſimulatione tranſiens hoc non corripias, quis conſiſtorii te advocatus in die retributionis excuſabit?

47. Ad thronum ergo gratiæ, pater ſancte, recurrere non tepeſcas, ut gratiam nomine ſponſæ tuæ conſequi merearis; quoniam ultra eam vana abſque dubio eſt ſalus hominis. Et ſi dicas, quam durus eſt ſtolidi hujuſmodi ſermo, quis poterit eum audire? Reſpondeo quod tu, ſi Deum diligas atque timeas. Si enim in rege quocumque plus quam in eo ſperes, procul dubio hæſito ne tibi dicat illud propheticum: *Ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis, & eas muniam lapidibus quadris.* Per quod foramen igitur tranſire cupis, cum Dominus exiſtat cœli, terræ atque maris. Memento quod tu factura ejus es pulvis e terra, & quod in cinerem breviter, niſi ejus crebrius acquieſcas conſilio, reverteris cum ignominia perſonali, irreparabilique temporalis famæ tuæ, necnon generis tui, & ſcandalo non mediocri eccleſiæ univerſalis ſanctæ Dei.

48. In cor autem tuæ propter præfata,

quæso, non deſcendat ſinceritatis, quod tuam optem almam quovis modo non præſidentiam, quoniam illi juro quam indignus hodie tractamus, & audacter tantam fidem adhibeas jurijurando incredulam, quod vellem te in Petri ſede unicum hodie pacifice ad Dei laudem, & quoad vixeris præſidere; & quod cras poſt miſſam meam, in remiſſionem omnium ſcelerum meorum, tanti necnon boni pacis eccleſiæ, ſpiculator viliſſimus ſubtus crucis patibulum caput deberet mihi amputare: & ſi mentiar, in regnum nuſquam cœlorum merear introire.

49. Pater ergo ſanctiſſime, præſumtioni obſecro non aſcribas aut temeritati, ſed caritati potius & ſponſæ tuæ ſervidæ dilectioni, quod vermis talis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis adeo aſpere apud pias aures patris & domini ſui, altiſoneque velut inſenſatus non formidet exclamare. Ex vi enim obnoxius ſum juramenti tam nefaria non diſſimulare ſanctæ ſedi, cui divina non ambigo præes patientia.

50. Noſti enim, ut legatus ante apoſtolatum tuum qua de cauſa huc acceſſi; & ſi pro pace almæ ſponſæ tuæ Dominus hoc atteſtetur qui teſtis eſt in cœlo fidelis: unde propterea non erubeſco voce alte adeo fari, aut membranas occupare, unde in hac tam cœlica materia æſtimo poſſe quidquam proficere; nec obmuteſcam, Domino concedente, vita comite. Ex quo famam expoſui jam ludibrio, fortunamque periculis, indeque opprobrium factus ſum abundantibus & deſpectio, prout in dubium non revoco, ſuperbis. Et utinam poſt hoc effici dignus mererer caput gladiis hoſtilibus primis velut exiguum munus Deo præſentare, cum nil aliud habeam, quod ſummo valeam offerre capiti eccleſiæ.

51. Cum autem de hac cœlica materia fari geſtio, pater alme, aut de eadem quibuſvis ſcribo, finem verbis aut calamo vix frenum rememoror imponere. Tua ergo ſanctitas in prolixa hac inutili ſcriptura, dolabro tamen caritatis fabricata, habere me dignetur excuſatum, in patientiaque eam ſuſcipe; & canticum præſens audi lætabundus ſervi tui fidelis, quamquam non prudentis, obnixius & exaudi ſalutem animæ tuæ zelantis, nec minus reipublicæ; auribus tamen humanis fortaſſis minus ſuave, verius non tamquam meum, ſed ejus qui miſit me huc patris, ad quod crebrius advertere non differas; quoniam ſi ſcintillam hanc ſermonis ejus non audieris, tonitruum magnitudinis ejus breviter non dubito quod vix poteris intueri. Et ſi illud ſilere, quod abſit, diſſimulando vellem, lapides non hæſito contra me utique exclamarent.

52. Age nunc, pater beatiſſime, jubeque ut reſonet vox tua toto terrarum in orbe. In te enim ex toto poſt Deum pax reſonat eccleſiæ. Eia ergo lucem nobis emitte, & iis illuminare qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ut per te pedes dirigant ſuos in viam pacis. Quod tunc celeriter ſic agere piiſſimus Jesus ad interceſſionem almæ genitricis ſuæ concedere dignetur; tandemque poſt hujus ſæculi naufragia ad gaudia te perducat æterna, ubi pax eſt perpetua & perennis lætitia. Amen.

EPISTOLA IV.

Johannis de Varennis, ad Benedictum XIII. papam.

Mittit ei per priorem Igniaci adinventam aſe viam pacis & unionis eccleſiæ.

BEatiſſimo patri domino Benedicto ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo paſtori.

Pater beatiſſime, devotiſſima in Filio Virginis almæ uſque ad pedum oſcula beatorum præmiſſa ſemper recommendatione. Per priorem Igniaci præſentium geſtorem, ſcripto veſtræ dudum ſupplicavi ſanctitati, quod fidum aliquem mihi dignaremini tranſmittere, cui viam certam pro pace ſanctæ matris eccleſiæ, veſtræ beatitudini poſſem aperire; quæ ſua benigna clementia mihi reſcribere dignata eſt, prout inferius harum in fine copia deſcribitur. Unde lætatus ſum in his quæ tunc ſcripta ſunt mihi, quamquam eumdem nuntium meum plus quam optaſſem detinueritis in expectando reſponſum. Expectans enim poſt datam litterarum veſtrarum per ſeptem & quadraginta dies illum expectavi; ſed quod non intendit mihi, eumdem decrevi amplius non expectare. Idcirco viam memoratam per eumdem priorem nuncium præfatum veſtræ dirigo ſanctitati, quam juro, Deo ſuperſtite, numquam revelavi, niſi ſoli ejuſdem fido ſcriptori. Veſtra beatitudo mei ex parte credere nuntio memorato dignetur in dicendis: quam unigenitus Dei & Virginis præcelſæ Filius in eccleſia ſua ſancta feliciter conſervare jubeat. Amen.

Veſtræ ſanctitatis ſervulus indignus, incola minimus ſancti Leti.

EPISTOLA V.

Benedicti papæ XIII. ad Johannem de Varennis.

Continet viam ad pacem.

DIlecto filio magiſtro Johanni de Varennis, apoſtolici palatii cauſarum auditori.

Benedictus, &c. Dilecte fili, litteras tuæ devotionis per latorem præſentium nobis deſtinatas recepimus; & ſuper tactis in eis unum ex noſtris fidum & ſecretum ad te infra duos vel tres dies ad tardius tranſmittemus, cui fideliter loqui poteris & ſecure. Datum Avinioni XVIII. Novembris.

VIA

VIA PRO PACE S. MATRIS ECCLESIÆ,

De qua fit mentio in litteris apoſtolicis præcedentibus.

Ave Pater omnipotens, Jeſus-Chriſtus, Maria, & beatiſſime Spiritus.

1. GLorioſiſſimo Chriſti nomine triumphali primitus invocato, ſuæ necnon ſacratiſſimæ genitricis Mariæ, pro via arbitror pacis ſanctæ matris eccleſiæ celerius obtinenda, meliori ſalvo quorumcumque judicio, primo examinandum unde peſtiferi hujus ſchiſmatis emanavit exordium; ad quod plane infantuli reſpondere poſſent, fari vix geſtientes, quod propter peccata communia eccleſiaſticorum, magnatum & popularium.

2. Quia igitur contraria contrariis conveniens eſt ſanari, eccleſiam reor univerſalem ſuper his, ut noſtri Deus miſereatur, antea reformandam: imaginari quoque aliter nequirem pacem quomodo debemus habere eccleſiæ, niſi per orbis reparationem. Qualiter autem cum Deo pacem habebimus, niſi cum eo reformemur & reüniamur? Niſi vero celeriter fiat, formido quod Chriſtianitati toti breviter alias enorme ſcandalum contingat inauditum. Cunctis etenim debet eſſe notum, Deum contra nos fore non mediocriter turbatum, quando in eccleſiam ſuam execrabilem adeo tranſmiſit plagam, quam adeo care ſuo pretioſiſſimo plaſmavit cruore. De remedio igitur cum Deo crebrius eſt providendum.

3. Remedium itaque ſecundum fragilem intellectum meum, Spiritu Dei utinam vallatum, eſt iſtud, quod Dominus noſter papa Benedictus concilium Lugduni celebret, ex eo quod locus ille fere medius eſt ſuæ totius obedientiæ, aut alibi, tamen ubi ſuæ libuerit ſanctitati.

4. Ad illud autem reges convocentur ſibi obedientes, Franciæ, Hiſpaniæ, Arragonum, Navarræ & Scotiæ, una cum ducibus inclitis aut comitibus ejuſdem obedientiæ, ſi accedere voluerint; cum intimatione, quod ſi ibidem commode intereſſe non valeant, ſaltem fideles ibi tranſmittant, pacis præfatæ, ſi placet, eccleſiæ zelatores.

5. Papæ autem ex parte iidem exhortentur, quod ad concilium accedant memoratum, pompa ſpreta quacumque, ſed cum omni Deo grata humilitate.

6. Deinde ibidem omnes ſuos convocet prælatos, eiſdem mandans, quod cum ſingulari illuc accedant humilitate, videlicet quod horum major ſecum ultra octo non adducat equitaturas. Et ſi patriarchis octo ſufficiant aut primatibus equi, ſive archipræſulibus, epiſcopis ſex, & abbatibus quatuor etiam capitibus religionum hoc diſcretiones arbitrentur tranſmittentium. Ad iſtud equidem concilium etiam congregari poterunt abbates, capita religionum & Mendicantium principales, de qualibet univerſitate duo vel tres doctores, ut in omni ſtatu eccleſia ibidem reformetur.

7. Et ſi a nonnullis in dubium fortaſſis revocetur, an domini præfati debeant conſuli, ſi concilium expediat hujuſmodi celebrare, reſpondeo quod non; ſed ſufficit quod papa cum conſilio fratrum eoſdem evocet, ut veniant quicumque venire voluerint. Sed ut libentius veniant aut mittant, expedit quod duæ hæ clauſulæ in bullis inſerantur apoſtolicis, videlicet quod in illo dominus noſter eccleſiam intendit in capite & in membris primo reformare, & eam ſecundo reünire, etiam uſque ad ceſſionem incluſive, ſi ſit opus. Si vero fieri Deo poſſet prævio, ſatis cito poſt paſcha, jocundo in illo tempore Spiritus-ſancti, magna hujus rei ſanctæ efficeretur acceleratio.

8. Ad concilium autem hujuſmodi dominus noſter una cum ſuo ſacro collegio aut majori parte ejuſdem, cum omni, ut præfertur, accedere dignetur humilitate, cunctis in eodem Domino gratiarum præbentes exemplum. Et ne merito dicatur: Turpe namque eſt doctori, &c. Arbitratur idem dominus noſter an curia ſua in capite & in membris prius circa præmiſſa vel tunc veniat reformanda.

9. Cum vero in ſacro hujuſmodi concilio dominus noſter papa præſidebit, Spiritus-ſancti gratia in miſſa ſermone quoque ſolemnibus primitus invocata memoratis per ſe dicere, aut alium in concilio, ad partem tandem poterit cauſam, quare congregationem hujuſmodi fecit; videlicet quod tota ejus verſetur intentio circa pacem eccleſiæ, & quod a Deo jugis eam precibus obtinere valeamus.

10. Inſuper quod ad duos fines tam celebre convocavit concilium, ut eccleſiam per eum in tribus præcipue, in ſuperbiæ execratione per humilitatem, avaritiæ deteſtatione per ejus exſtirpationem, & luxuriæ procul pulſa fœditate per ſanctam caſtitatem primitus reformetur, per quæ eccleſia, proh dolor! de præſenti in tanta propterea ſubnixa eſt ruina.

11. Et quia caſus particulares nonnullos in quadam tetigi litterula, quam dominis Pariſius dudum congregatis direxi prælatis, idcirco hos cauſa brevitatis hic ſubticeo. Sed ſi iſtud Deo gratum ibi aut alibi celebretur concilium, illos rurſus tranſmittam una cum aliis, Virgine auxiliante beata, mihi demum in omni ſtatu multifarie, proh pudor! omni die occurrentibus: Jesus autem piiſſimus, quæſo, atteſtetur, ſi eccleſia ſua tali nunc bene egeret in capite & in membris glorioſiſſima reformatione, etiam ſi pax hodie alias in ipſa foret, quoniam illius ſolum audire nefaria Deo eſt & abominabile & univerſo orbi.

12. Secundus autem finis hujus almæ ſit congregationis per dominum noſtrum aut alium uno contextu explicandus; quod proviſo primitus ibidem verbaliter meliori quo poterit modo ſuper illis, promtus eſt omnem viam acceptare pacis ſanctæ matris eccleſiæ, etiam uſque ad viam ceſſionis, ſi per concilium diffiniatur tam celebre: & ſe excuſare exinde congrue poterit, ex eo quod viam tantum hujuſmodi eligere decrevit propter præmiſſa quæ in mente geſſit in reparatione per prius ſalutari orbis.

13. Cum autem domini in concilio exiſtentes ſæpefato, ſinceram in præfatis ipſius domini noſtri erga eccleſiæ pacem, orbis necnon reparationem, intuentur affectionem; opinor enim in Domino quod pro ejus jure omnes inſurgent, altiſone nec immerito clamitantes: Iſte eſt verus paſtor, & non mercenarius, legitimuſque pater illi ſimilis, qui filium proprium dividere recuſavit. Glorioſe igitur perducamus eum ad ſedem Petri omnes, quoniam ipſe ille Benedictus, qui plenus gratia, virtutibuſque refulgens, velut luna plena in diebus ſuis, nos qui in umbra mortis ſedemus illuminans, venit in nomine Domini ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

14. Quin immo & plebeii a majori uſque ad minorem poſt ipſum fere cuncti vociferabunt, etiam ſchiſmatici: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia in tali BENEDICTO viſitavit & redemtionem fecit plebis ſuæ. Tantæ beatitudinis ergo omnes imitemur veſtigia, quoniam adverſarius ejus meretrici non diſſimilis infantem anhelat dividere, antichriſtus dici meretur ſatanæ, & noſter BENEDICTUS verus eſt Chriſti vicarius, cujus vocem palam cognovimus, velut noſtri veri paſtoris, in reformatione almæ ſponſæ ſuæ, totius necnon orbis. Per hanc ſiquidem viam reges imaginor quod placabuntur, & univerſi fines terræ. Ad tantum denique clamoris obedientiæ ſuæ ſpectaculum cuncti etiam exſurgent e cœlo angeli, jus ejuſdem tuentes, & juxta prophetæ vaticinium, ſpiritu labiorum ſuorum Chriſtus profecto interficiet adverſarium ſuum impium: animas quoque introducet fidelium in paradiſum exultationis, fietque tunc unum ovile, & ipſe unus orbis paſtor, dante Domino, remanebit. Unum autem iſtorum breviter non dubito quin contingat, quoniam eccleſia univerſalis ſic reformabitur, quod fieri abſque concilio non poteſt, ibi aut alibi particulari celebrando, cum generale fieri pro nunc fere eſſet impoſſibile; aut ipſa ſcandalum tantum in capite & in membris patietur, quod inimici etiam fidei illud dicent propheticum: *Ubi* vero *eſt Deus eorum?*

15. Concludo igitur congruentius fore concilium alicubi celebrare, quam Deum ſic tentare, & enormem adeo plagam infeliciter expectare. Erubeſcerem enim voce fari quanta regnet hodie iniquitas in omni ſtatu in eccleſia ſancta Dei. Quare ergo pacem cum ſceleribus noſtris expectamus, gladio in manu evaginato pro nobis crucifixi, quem rurſus quotidie recrucifigere non expaveſcimus?

16. Æſtimo etenim quod ſi dominus noſter viam hujuſmodi, prout & dubito, non eligat, quod peccata ejus & noſtra communia cauſam præpedient tanta indignius benedictione, quam in tanta temporis egeſtate ſuo utinam non reſervet ſucceſſori; & nos ſiquidem tanta utinam jocunditate per eum non fruſtremur, peccatis noſtris non officientibus, pacis glorioſiſſimæ ejuſdem matris noſtræ.

17. Via autem hujuſcemodi Chriſticolis univerſis per dominum noſtrum, ſi eidem placita ſit, mox propaletur; & orthodoxi ſui inde audient quantas benedictiones BENEDICTUS ab eis conſequatur, cum reparatione dedecoris nuper jam elapſi: quin immo amplius ejuſdem non eſſet memoria, dummodo illibato illam amplectetur affectu.

18. Si vero, quod abſit, quæcumque interius ingrueſceret etiam maculæ ſcintilla, reor quod exterius ſplendor nullus eluceſceret, nec fructus quiſpiam exinde ſequeretur opportunus. Ubi vero Spiritus-ſanctus ab intra & in hac præcipue tam cælica materia non eſſet fundamentum, quis æſtimare obſecro ſciret, quod aliquid validum ſuperædificari ulterius poſſet ædificium? In dubium enim & ex cauſa non revoco, quin pacem conſequamur eccleſiæ ad preces miraculoſæ præcelſæ Dei genitricis MARIÆ. Idcirco dominus noſter una cum ſuo ſacro collegio, ut noſtri erga Filium ſuum glorioſum benignus miſereatur, vovere dignetur pro pace habenda, quod eccleſia univerſaliter feſtum deinceps ſuæ ſanctiſſimæ celebrabit Conceptionis una cum octavis: & votum hujuſmodi, ſi placet, in proceſſione in curia compleat ſolemni, antequam ad concilium accedat memoratum.

19. Si vero præmiſſa effectivæ executioni demandare idem dominus noſter renuat, vitam viſibiliter ipſius formido breviſſimam, velut Deo non acceptam. Quæ omnia, dante Domino, atque majora ejus adimplebit immediatus ſucceſſor; ſed utinam hodie citius fieret quam cras, ut pacem cœlo tenus obtinere in eccleſia Dei ſancta jocundius mereremur.

20. Exile ſiquidem noviſſimum conſilium, quæſo, non reſpuat idem dominus noſter, ſi a Deo eſt, & non admittatur illud profecto quod per homines impediet carnalis angelus ſatanæ, zizaniæ ſeminator: ſi vero ab homine provenit, ille pacis atteſtetur zelator, qui pro ea, & ut filios Dei congregaret in unum, in cruce mori ſua pietate non erubuit.

21. Unum tamen calamo hic committere non verebor, quod ſi via hujuſmodi reſpuatur, & melior abſque mora non eligatur, ſcandalum adeo pernicioſum cunctis & bre-

viter vere continget reſpuentibus, quod poſt Dathan & Abiron viam inſequetur miſerabilem una cum ſuis ſatrapibus; & ipſis nihilominus in confuſionem prolapſis, pacem in eccleſia Dei, Virgine glorioſiſſima ſuffragante, prævio tamen, proh dolor! inenarrabili ſcandalo, conſequemur peroptatam, quam celeriter illo procul pulſo nobis elargiatur unigenitus Dei Filius & Virginis glorioſæ. Amen.

22. Via hujuſmodi in ſancto Leto per pauperem peccatorem ibidem degentem adinventa fuit die beati Dionyſii IX. Octobris, ejus durante miſſa, & in ſcriptis illa die redacta, anno Domini MCCCXCV.

EPISTOLA VI.

Johannis de Varennis, ſanctiſſimo papæ domino Benedicto XIII.

Inſtat ut viam ceſſionis accipiat.

1. PRæſul beatiſſime, uſque ad pedum oſcula ſanctorum, ſincera prævia in CHRISTO JESU ſemper recommendatione. Veſtræ nuper ſcripſi ſanctitati per priorem Igniaci, viam quamdam modicam, Domino ſuffragante, mihi occurrentem, pacem ſanctæ matris eccleſiæ, ſicuti mihi videbatur, ſatis accelerantem; ſed quia viſibiliter ambigo, titulo de dilationibus attento, qui nunc in curia, prout audio, regnare dinoſcitur, illam quod non acceptetis, propterea veſtræ juſſus amplius non diſſimulare intimo beatitudini, quod ſi illam, quod abſit, renueritis, aut meliorem, ſi placet, non elegeritis, quid vobiſcum a prima littera egerim uſque ad præſentem incluſive, illico ſignificabo eccleſiæ. Si autem eccleſia ipſa me non audierit, aliam viam in promtu habeo a ratione non deviam, nec juri diſſonam, per quam pacem breviſſime & abſque mora reportabimus, Deo duce, velint nolint objurgantes tunicæ Domini, quicumque ſcindere eam molientes: quam cum palam, ſolum Deum pertimeſcentes, altiſone dogmatizavero, principibuſque ſæculi inſinuavero, mihi non eſt neceſſe veſtræ pro tunc illam ſcripto intimare ſanctitati: quum ſi cœli & terra tunc audiant, verba mea, gratiarum actiones referam cunctipotenti.

2. Pauliſper labuntur tempora, & ego infelix ad hæc quid egi, ejulante anima mea? Optabilius mihi ſiquidem eſt cras mori in bello, quam diu ſic languens oculis meis cernere mala gentis noſtræ & ſanctorum. Vos & adverſarius veſter in calidis cameris nutitantes, nefaria non aſpicitis, quæ, vobis mediantibus, conniventibus oculis fiunt in orbe palam. Juro Deo, quod ſi tales eſſetis quales ambo eſſe deberetis, per unam ſic noctem ſomno gravi non dormitaretis, quominus mundo pacem daretis univerſo, culpis veſtris non mediocribus labefacto. Et unde hoc quod duo ſoli homines in bonis ediis ſe tenentes, tantam orbi plagam inferre toti adeo non vereantur, pax, pax corvi more coram hominibus aientes, & pacem in occulto ſagittare non erubeſcentes.

3. Unum ex litterula præſenti notare, pater ſancte, crebrius poteſtis, quod ſi ſapiens forem ſapientia hujus mundi, memorata tantæ veſtræ nec immerito formidarem patefacere majeſtati; ſed dolore tabefactus grandi, neſcio quid aut cui ſcribo, perſonam in mundo non agnoſcens obnoxiam paci hujuſmodi: fatuus quippe ſpiritualis ubi percutiat non aſpicit, illum ſolum denique pertimeſcens, qui occidere poteſt corpus & animam. Sæpius autem emergit prō mundi reſtauratione totali, quod ſtultiori Dominus ſolitus eſt donare clavam, ut per illam fortia quæque confundere dignoſcatur. Sapientes vero hujus mundi in pace nuperrime defecerunt hujuſcemodi, quos jam quieſcere, fama crebreſcente, feciſtis. Sed cum fatui ſilebunt, lapides utique contra vos, non hæſito, exclamabunt, cum pacem præſentem adſcribere nolit Deus ſapientiæ humanæ.

4. Rememoremini, quæſo, ſi antequam huc accederem, auribus veſtris Pariſius innotui, quem mundi hebetiorem Dominus elegerat pro pace procuranda hujuſcemodi; & ſi invitus, putrida reſiliente carne mea, pacem cunctis præfatam ignoſcam, hoc mihi teſtetur Dominus ille, qui pro nobis paſſionis ſuæ beatiſſimæ in tempore humanitus ait: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*; ſed propterea velut pugil inclytæ ſponſæ ſuæ, a prælio pro eadem uſque ad finem non diſceſſit, ſed deitate eum impellente, de inimicis noſtris crucis in arbore victoriam reportare meruit, & eccleſiam ſuam glorioſiſſimam pretioſiſſimo tunc ex ſuo cruore plaſmavit,

5. O quam beatiſſimus noſtro foret in tempore, qui, Deo jubente, illuſtris tam pugilis pro almificæ eccleſiæ ſuæ reünione poſſet imitari veſtigia, qui pro unione mori non erubuit, cuique inquierit: Univerſa quæcumque dixero tibi illis ſcribe, qui pacem impediunt eccleſiæ meæ; nec timeas a facie eorum, quoniam tecum ego ſum ut eruam te, dicit idem Dominus exercituum; qui pacem breviter nobis donare dignetur per veſtri medium, & veſtram diu tunc ſanctitatem in eccleſia ſua ſancta conſervare, & tandem feliciter in ævum. Amen.

Veſtra ſupplex creatura, pauper peccator ſancti Leti.

EPISTOLA VII.

Johannis de Varennis, ad cardinales.

Hortatur eos ad reformandam eccleſiam in capite & in membris, & ad eccleſiæ unionem procurandam.

BEatiſſimis in Chriſto patribus ſanctæ ſedis apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ reverendiſſimis cardinalibus, pauper cœcus in deſerto S. Leti nunc devius, quo dirigere pedes ſuos neſcius in viam pacis, iter ad ſalutare Dei pacis & concordiæ, ſanctæ matris eccleſiæ unitatem, & in æterna tandem beatitudine jocunditatem perennem. Amen.

1. Glorioſiſſimi terræ principes & orbis indefeſſi pugiles, mundi reor ab exordio a Deo vos conſtitutos fore cardines terræ, ſuper quos ipſe ſuum firmaret orbem, pro tanto in deſerto velut errabundus, ad quos confugere vere non geſtio pro pace ſanctæ matris eccleſiæ, niſi ad divinas veſtras piaſque aures pacis auditus utinam ſitibundas.

2. O igitur digna dici lux mundi, ſuper aſtra ſplendidior, illuminare digneris oculos pauperis cœci nati, qui in umbra nunc mortis ſedet, dirigere pedes ſuos aliter neſciens in via pacis, niſi per tuæ beatitudinis poſt Deum ſuffragium ſalutare e veſtigio tibi ſuccurratur.

3. Auribus meis nuper nihilominus innotuit, quod illam, ducibus inſtantibus Franciæ generoſis tribus inclytis, pauliſper tunc quæſiiſtis, ſed a tramite ejuſdem cum ab oppido veſtro terga verterunt, mox audivi gemens quod deſiiſtis. Poſt pedes veſtros beatiſſimos iter meum in viam pacis æſtimabam arripere: ſed ex quo a ſemita recta ſi jam declinaſtis, cœcus ego præ cunctis mœſtis deſiderio meo fraudatus, quo pergere debeam ignoro, niſi quod in montem tranſmigrare celſiorem ſolitarius degens ſicut paſſer in tecto. Si cœcus autem cœcum imitari non deſinam, quis ſecurum me proteget, quominus in foveam cœcus abſque lumine introrſus cadam?

4. O cœleſtis aulæ utinam milites, ubi tellus eſt namque craſſa, perditionis timor videlicet beneficiorum veſtrorum, aut verius maleficiorum, quæ ita cito pedes veſtros terræ præ pinguedine declinare non expavent a pacis recto & ſuavi tramite. Aliud quoque geſtio non æſtimare, niſi quod plus illa zelatis maleficia non perdere, quam totius populi Chriſtiani ejulantes animas, ut de veſtris obmuteſcam neſcius quid dicere.

5. Si enim militantis eccleſiæ oſtii cardo beatiſſimus in imo proſtratus nunc jaceat confractus, & per hoc ejuſdem clauſura compedita ſit & apertura, ad quem ego fabrum cœcus infelix, ut conſolidetur e veſtigio, percurram, niſi ad ſummi fabri Filium, qui dici auroram fabricavit atque ſolem?

6. O veſtrum utinam quilibet nunc cum propheta fari non erubeſceret: *Zelus domus Dei comedit me*; qui in menſis opiparis cibis deſuper exquiſitis comedere, vaſiſque in aureis, criſtallinis, atque poculis peregrinis bibere non veremini. An non vobis magis quam divo Agricolæ vermes parcent.

7. O firmæ baſes ſuper lapide angulari Christo Jesu utinam ſolidati! Quis eccleſiæ jugum leve nihilominus ſuper humeros ſuos deinceps ferre auſus erit, ubi eam conlabi conniventibus oculis ultro ſic permittitis? qui fundamenta nihilominus eſſe debetis militantis eccleſiæ in montibus ſanctis. Per montes quippe dici apoſtolos & prædicatores Apoſtolus patenter inſinuat. Qui vero Dei proprie ſunt apoſtoli & prædicatores, niſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardines? Et ſi ſanctorum apoſtolorum ſonus exivit in orbem terrarum, vox veſtra præſenti in eccleſiæ egeſtate modo numquid ſilet in finibus orbis terræ per contrarium? Per eos ſiquidem evangelium ratione reſplenduit; ſed doctrina eorum per vos arbitror modo quod non eluceſcit. Per eos autem civitas Romana ſacerdotalis & regia gens ſancta effecta fuit, & populus acquiſitionis; ſed per vos modo fertur quod effecta eſt civitas meretrix, gens non ſancta & populus perditionis. Suo equidem beatiſſimo ſanguine eccleſiam Dei conſecrarunt, & in tantam eam altiſſimi culminis ſectatores gloriam provexerunt. Hi autem qui poſt eos confeſſores fieri non lucidi concupierunt & non martyres inclyti, eam prorſus tandem ad nihilum deducere non erubuerunt, vita & ſanctitate eis diſſimiles, aurum cumulantes, parentes abſque menſura ditantes, & eos licet aſinos præ ceteris exaltantes; in Babylonia turres & palatia ædificantes; bona eccleſiarum ſic diſſipantes: indignos atque per ſimoniam promovere ſatagentes; de ſalute animarum nihil prorſus curantes. Ad cujus igitur confugiam auxilium, quoniam in ænigmate gemens nuper aſpexi gloriam Iſraël mox tranſlatam ad alienos? O utinam Pſalmiſta non reminiſcat, & vobis veſtroque cœtui non exprobret: *Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus*!

8. Pacem autem quomodo concupiſcitis habere eccleſiæ, vitam talem ſic geſtando? pacem verbo interdum poſtulantes paci obſtatis, quia tres vobis principales in laribus veſtris fovetis pacis hoſtes: ubi quæſo majores dominantur ſub orbe pacis hoſtes, quam ſuperbia, avaritiaque ſint, nec minus luxuria, qui in curia veſtra ſemiplene regnare non dinoſcuntur?

9. Quid enim curiæ veſtræ domina egregia confert ſuperbia? Numquid inſana ambitio eſt ſimum purpura tegere, aut magno circuiri equorum in quaſſum & mularum famulantiumque cumulatu; bona pauperum ſic diſſipantes, militum agminibus ſtipati incedere

dere non verentes. Multi ſervi, multi pacis hoſtes, domuum veſtrarum latebras introſpicientes, conſiliaque pacis prodentes. Belli profecto genus eſt pace carens, quorum vel ſpectator fœdus, vel laborioſus compoſitor eſt. Per hos autem ſacros pauperes obliviſcimini non ſeminudos, quorum bona editis, hirſutis togis hibernum frigus arcentes. Scio quod peccatrix opulentia ſanctam ſpernit inopiam: in omnibus autem medium tenuere beati. Veſtrum autem, ſi ſane attendatis, exordium, fuit ſancta humilitas; ſed ex quo potentia in vobis creverunt, honor atque divitiæ, decreverunt utique virtutes: aucta ſiquidem eſt poſſeſſio, ſed diminuta eſt religio: creviſtis quippe in exterioribus, ſed utinam non minorati ſitis in interioribus.

10. Si vero avaritia veſtra in curia veſtra proſperetur, inde judicent illi qui experientiam ab experto dudum noverunt, unde injuſtitia, juſtitia prorſus relegata, præ ceteris triumphatur, ſancta ſimonia nequaquam pulſa, quæ nec minus ibi dominatur. Ille autem qui modico ſatis antea beneficio debuiſſet contentari, fluvium numquid modo abſorbet beneficiorum, manus porrigens, non in cœlum, ut in os ejus influat, Jordanis fluvius demum Secanam expectans atque Rodanum? Et numquid ignis tabernacula devorabit illorum qui cumulo ſatiantur nuſquam beneficiorum, pariterve illorum qui manibus cum ambabus ſuſcipere munera etiam non verentur pauperum? Ex iis autem calamitoſæ nunc ſubvenite eccleſiæ, quoniam alias non arbitrarer vos pro ejuſdem ſalute animam aut ſanguinem effuſuros, ſi ſubſtantiarum veſtrarum particulam genitrici veſtræ denegaretis. Impudentes rutilas auro veſtes nunc abjicite, canes, aves, ſtratos ſplendentes, mulas, frena aurea ceteraſque obſcœnas libidines, quæſo, repellite, ut unde habeatis ſubvenire matri veſtræ. O quid vobis conferunt divitiæ, eadem naufragante? Quis cœleſtium frenabit impetus? Quis vero illorum a vobis auferet injurias ipſa periclitante. Aſpicite quod primo eccleſiæ naſcimur, deinde nobis.

11. Sed vigilantiſſima libido, cujus cantibus ſonoriſque vocibus permulcetur curia, non regis ſummi, ubi regnat niſi inibi? Illius quippe ornatus inſignis vexillum eſt & nidus luxuriæ. Sed ab hinc voluptates; non jam deportatur lautus victus quæ pacis conturbatrix non minus eſt almæ noſtræ matris. Hos vero in deliciis viventes pacis hoſtes æternum in exilium pellite, & pax e cœlo mox deſcendet vobiſcum. O utinam dracones non ſint juxta arcam circumeuntes Domini.

12. Optabilius ſiquidem eſt pacem abſque peccato ſervare, quam ſceleribus crebreſcentibus eam ſperare. Stulti equidem eſt res certas faſtidire, ambiguas vero ſpe amplecti. Rari quoque ſunt qui pacem non inveniant, ſi bona fide quæritare eam cœperint. Iis denique ſæpius quibus dulce nomen pacis eſt, pax amara crebrius eſt.

13. Culpas veſtras tempori, quæſo, neque diebus adſcribere nolite; ſed ſcelera veſtra abjicite, voſmetipſos reformantes, cum ſolum Deum habeatis ultorem, & tempora bona utique erunt nec minus dies. Male autem agere molientibus nil periculoſius eſt quam libertas cœca præceps. Qui vero nil metuit, proximus eſt ruinæ.

14. Si injuſtum dominium reſpublica patiatur, quid autem aliud æſtimatis; niſi quod huic ſceleri ſcelus eſt debitum. In omni fere hodie curia boni juſtitia comite exulant: ſed ſi inibi fures dominentur atque imperent, poſco non ambigite. Iis autem vulneribus eccleſia hodie vulneratur graviſſimis; quodque funeſtius eſt non ſentit.

15. Vulnus grande, obſecro, pertimeſcite, ſuper capita veſtra e cœlo quoddam non hæſito breviter deſcendere, hoſtili mucrone loricam penetrante. Vos propterea non armate, ſed ultro ſceleribus veſtris ſpoliare mox vos non poſtponite. Cui vulnerum comes accedat humilitas una cum ſororibus ſuis, ut illud in vobis locum habeat Pſalmiſtæ: *Humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum.* Vulnus quoque ſpecioſum eſt atque utile, quod plurium aut majorum vulnerum medicina eſt; veraciter æſtimantes neminem lædi poſſe niſi lædatur a ſeipſo. Vix autem fallitur qui ſe in ipſo non fidit: male autem agendo, & pacem eccleſiæ ſperando, arbitror nil ſtolidius.

16. Ubi jam quieſcunt divinæ atque præclaræ animorum veſtrorum dotes, qui pauperem intuimini nunc eccleſiam tantis ſubnixam periculis, ludibrio pro tanto a cuncto populo habetur. Et quid aliud hoc nobis indulget, quam ſcelera veſtra atque mollities? Sola denique virtus veſtra reor quod nos faciet victores.

17. Miſeremini eia nunc, cum tempus adeſt, cuncto populo, & pervigiles quoque eſtote, attento quod in vobis leges prorſus pendent & prophetæ. Cum nautis quidem rectore domino noſtro Benedicto papa XIII, crebra, obſecro, habeatis colloquia, ut nautæ velut non inexperti portum nobis patefaciatis ſalutis, auribus ſuis jugiter acclamantes: abba pater, ſalva nos, quia naufragio periclitatur navis noſtra.

18. Et ſi immemor, quod abſit, ſuæ exiſteret ſalutis, eccleſiæ quare non adhærebitis, veluti ſidera firmamento annexa? Illa quippe vos genuit, & incorrupta eſt mater noſtra. Audete, quæſo, eidem ſuccurrere, ne tamdiu permaneat adultera culpa veſtra non mediocriter labefactata.

19. Eccleſia ſiquidem malignantium alis fallacibus attollitur, & ſterilium diſputationum ventoſa jactantia inane circumvolvitur.

Sed beatiſſima genitrix noſtra certis atque modeſtis compendio gradibus ad ſalutem pergere, ſi per nos non ſtet, aſſidue non deſinit.

20. O triſtis cœcus ego devius in monte Domini naufragus, propter crebra ſcelera mea a Deo ejectus. Quis ad portum vero me tutum transfretabit ſalutis? In tenebris quoque per deſertum pergo, & lumen cœli videre erubeſco. A quibus autem in tremebundo judicio inſolertem repetam animam meam, niſi ab orbis terræ rectoribus, qui nautæ hujus eſſe debetis navis, ſine qua portus nullus fertur eſſe ſalutiferus?

21. Heu me! quando audire illud divinum merebor oraculum adimpletum: *Cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua juſti?* O utinam hodie celebris ille dies coleretur pro reparatione mundi totali, & cras poſt miſſam meam capite dignus forem plecti, & audacter cum omni ignominia & dedecore grandi. Simeonis autem adinſtar, utinam illum adhuc ſanctum angelicum paſtorem oculis propriis cernam antequam moriar, quoniam oculis meis aliam nunc cerno corporis vehementer tabefactis prophetiam adimpletam: O Deus, *venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.* Et illud: *Poſuerunt in pomorum cuſtodiam.* Quis vero oppreſſum relevabit orbem, niſi ille ſacer divinus paſtor angelicus? Quis ſparſas recolliget oves? Quis autem paſtores arguet erroneos? Quis everſos mores reformabit? Sed quis eccleſiam collapſam reparabit, niſi cito ad nos exules pergere feſtinet? O paſtor unice, ovibus tuis nunc miſerere, cœlos equidem & nunc diſrumpe; & utinam breviter deſcendat ille qui te Chriſtum exulem in ſancta ſede inthronizet apoſtolica, & antichriſtum ejuſdem nunc dominum deportare perpetuum in exilium non erubeſcat. Nimis enim profecto regnavit transfigurata hypocriſis.

22. Sacro hoc propterea numquam videmus in tempore agnos in vinculis bonos mergi, lupos liberos & malos erigi; reptare aquilas, aſinos volare; vulpes in turribus, & columbas in ſterquilinio. *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat*; minis atque prodigiis nunc ſentit cor Pharaonis, quod utique obduratum eſt, cunctos ſuaviter obdormit. Sed heu me! ullus non advertere non expaveſcit.

23. O cardinalium cœtus propagine veteri atque generoſa ceteris, atque luce clarior, noli, gemens poſco, eccleſiæ hac in egeſtate nunc degenerare: prædeceſſorum enim merita ſucceſſorum degenerantium notæ ſunt maculæ. O totius orbis decus populo Dei Chriſtifero clam non oſtende; ubi jam nunc, quæſo, ſalutiferus in pace reſidet amor tuus? O viri inclyti, aſtris cunctis in terra ſplendidiores, ubi nunc clara rutilant in orbe dona veſtra? Totius autem populi Chriſtiani ſalus in veſtra, non ambigo, ſalute fundata eſt; at ſalus mea in veſtra non minus incluſa eſt. Non igitur ſimulato tremore in veſtra infirmitate, neque enim alieno periculo, cum vos in Chriſto exhortari cogor, ſimpliciter permoveor, ſed vere proprio.

24. Blandiloquentem utinam non æſtimetis me, obſecro, ſcribentem; nam amare fleo, dum vos audio febricitantes, ſed in grabato magis, proh dolor! cum audivi nuper vos jacentes. Cum vero dolor teterrimus abſque longæ moræ diſpendio vos apprehendet, niſi plagæ quam genitrici noſtræ ſalutiferæ non nuper intuliſtis, medelam adhibere curetis, quis me ad mortem ſaucium uſque curabit, niſi mihi præ ceteris deſiderata ſalus veſtra nec minus mea? Si autem ægritudine in longæva, quod abſit, permanſeritis, ad metallum ex nunc remedio abſque provinciæ a Perſide æſtimo me damnatum, quoniam a veſtra ſalute unica dependere fragilis dignoſcitur ſpes mea.

25. Optabilius equidem fatui conſilio judicare reor vos ſalvari, quam juriſperitorum conſilio tantum cœtum una cum populo Dei naufragio periclitari. Pauperem, obſecro, fatuum nec irrideatis, Minervam ſatagentem inſtruere; ſed caritate, Deo teſte, compulſum veſtris hæc prodigia magnificentiis indicantem, ne cum labentibus ejulans naufragetur anima ſua.

26. Scio equidem Dominum delectari cum hos cernit dejectos, quos per fraudem ſimulatamque hypocriſim conſtat celſos regnorum apices conſcendiſſe. In illo itaque propterea confidite, cujus ſolius potentes eſt deponere, & pauperem de ſtercore, dum volet, erigere. Quis namque poteſt facile manus effugere ultoris criminum Dei? horrorem enim pariter & timorem membris meis non noviſſime attulit, cum auribus noſtris innotuit capitis noſtri febris non modica, quæ, prout dubito, incurabilis eſt, ferroque inviolabilis, niſi confeſtim accedat Dei miſericordia.

27. Sæpius autem eidem domino noſtro papæ ſcribere propter zelum quem apud eum gero, fiſus ſum, & magis reipublicæ, ſed modicum aut verius ſceleribus meis obſiſtentibus, aut ſuis profecit inlecebris anima mea.

28. Duo veſtris nunc referabo paternitatibus beatiſſimis eiſdem fortaſſis prorſus occulta, & hac de cauſa præcipue glorioſiſſimo cœtui veſtro ſcribere decrevi. Quare primo eidem domino papæ etiam in ſui apoſtolatus primordio ita rigoroſe ſcripſi, & ſecundo quem proceſſum cum eo tenui.

29. Primum quoque duo includit, quare videlicet primo ſibi ſcripſi, & illud in cauſa præſenti habeo in pagina ſubticere: ſi tamen orbis ſtultiori Deus clavam præbuerit, hoc clara cunctis palam edocet experientia. Eidem

vero domino noſtro, tempore quo Pariſius legationis fungebatur officio, nudius tertius, antequam huc accederem, viva voce a quo miſſus eram, & qua de cauſa huc pergebam, cum omni tremore pariter & amore indicavi. Qui tamen commiſſionem meam in pace proſequenda hujuſmodi voluerit videre, illam palam cunctis innoteſcam, ubi ſummus Dei auditor CHRISTUS JESUS ſuam manifeſtavit beatiſſimi Patris ſui crucis in arbore, mulctave in acriori, ſi meritus forem illam tolerare. Quamquam autem in ſcriptis eam, miſſam in curia Romana indignus celebrans, teſtibus abſque ullis humanis redegerim, quantum a Deo potui perpendere, pro hujuſmodi autem non gloriabor, ſed ſummo attribuatur navis rectori noſtro in tempore præſenti gloria, laus & decor.

30. Si alio namque proceſſerim cum eo ordine, in poſterumve procedam quam ſolitus ſum, vicarii Dei auditor, procedere nullus admiretur, quoniam ubi Spiritus Dei, ibi libertas; & ubi vult Spiritus ſanctus ſpirat. Aſinam lego quod reprehendere fecit prophetam, & bovem Romæ magiſtrum ſuum, perperam agere adverſus rempublicam non vetentes.

31. Quare autem ſecundo eidem etiam apoſtolatus ſui in primordio ita exaſpere ſcribere non veritus ſum, duo ad hoc me compulerunt. Primum fuit mei ipſius deceptio: cum domino enim CLEMENTE, ſanctæ utinam memoriæ, per dona, litteras ſuaves, aſperiores tandem, aſperrimaſque poſtremo procedere decrevi; ſed cum in ſpe ſuæ advenit converſionis, mox me gemente, vita, ut audivi, tali quali fuit functus.

32. Ultimarum namque litterarum copiam ſuarum domino meo de Saluciis veſtro concordiali, ſalutiferamque harum reſponſionem ſi effectui mancipaſſet, nuper tranſmiſi ultra pro tanto medium juſti deceptus pretii, aliter cum ejus ſucceſſore terminis etiam non ſervatis, abſque ſtrepitu & figura judicii procedere conſeſtim inchoavi.

33. Sed alia nempe fuit ratio, quoniam ex ipſo cum per regem in apoſtolatus ejuſdem audivi aſſumtionem, in mente mea mox geſſi ipſius contra ſtimulum futuram non mediocrem recalcitrationem, quam per regis nuncium in inſtanti domino Philippo de Macetiis & non regi ſcripto nuntiavi, quæ tandem, proh dolor! auribus cunctorum altiſone nimis inſonuit.

34. Quia vero prolixum nimis foret juxta ſtudium proceſſus ſeriem, quem cum eodem domino noſtro papa tenui, per extenſum referare, in mente mea geſſi ipſius copiam veſtris propterea dirigere beatitudinibus, ut me teneatis, ſi libet, excuſatum, etiamſi aliter & rigoroſius tempore compulſus procedam affuturo. Pro pacem vero proſequentibus corpus exponam & animam; pro perſequentibus autem eam Dominum JESUM obnixius exorabo, veluti pro perſecutoribus ejus, pro quibus nihilominus, quacumque præfulgeant dignitate, etiam apoſtolica, quidquam de contingentibus uſque ad mortem incluſive non omittam. Mori namque non timeo, quoniam bonum Dominum habeo, & ſi plane cum eo forem adjunctus, omnes mortalium minas utique ſpernerem: verumtamen ſi in hac tam celebri perſecutione corpus perdam, animam meam Deo veſtriſque ſuppliciter beatiſſimis interceſſionibus devotiſſime recommendo.

35. Si in hac vero Deo grata materia in viſceribus veſtris aliqua geratis aviſamenta, mihi ſignificare ſupplico non pigriteminis; pro remuneratione nil aliud quærito diù noctuque, niſi viliſſimum cruorem meum fundere. Heu me! ſi tanta gloria dignus eſſem, ſanctiſſimi Patris mei CHRISTI JESU imitari cupiens veſtigia, qui pro unione ſanguinem ſuum effundere beatiſſimum ſua pietate non dedignatus eſt. Et utinam ad tam enorme ſcandalum reſecandum, glorioſiſſimamque pacem conſequendam unus modo pro populo morereretur beatiſſimo Chriſtiano, ne pereat tanta gens ſancta.

36. Si cœcus igitur in hac Chriſtifera materia exiſtam, gemitus præ dolore & balbutiens nimis anxietatis præ timore, cardines Dei, quæſo, indulgete, nec aſpectum geratis ad ſterilia verba mea; cum de ea ſiquidem fari ſcribereve exordior, frenum linguæ profecto aut calamo etiam inutiliter neſcius ſum apponere. Quamquam enim non ignorem, quod brevem dicet eſſe ſermonem, qui in divinas aures ore humano transfunditur. In patientia igitur ſtoliditatem meam tantam inutili hoc in opere, obſecro, ſuſcipite, Altiſſimum flagitans immenſum, quod in hac cœlica materia taliter, ipſo cooperante, vos ſinat procedere, quod tota Chriſtianitas ſancta veſtro beatiſſimo per vos in tempore reſidere jocunde valeat in pace; indeque digni efficiamini pacem cum beatiſſima genitrice ſua Maria conſequi ſempiternam. Amen.

37. Patres reverendiſſimi, præſentium in effectu concluſio eſt hæc, quod veſtri pietate in capite & in membris curiam veſtram reformare dignemini, antequam cunctarum dominæ atque magiſtræ eidem per vos tantum emergat ſcandalum fere irreparabile, quod jam paratum nunc gemens aſpicio in ænigmate. Si autem cœtui veſtro indicavero coram Deo, univerſo necnon orbe excuſatus ero, nec immerito. Domino noſtro papæ vicibus repetitis pari forma inſinuavi, ſed non intendit mihi: reor quod ſi me nec exaudieritis, cœli & terra audient verba mea.

38. In dubium quoque non revocans, quod pacis viam, quam eidem nuperrime deſtinavi, non haberet acceptam, litteram quamdam mox ſibi direxi, quam non longe magis gra-

tam habuit. Ad pacis viam dare mihi reſponſum protinus recuſavit; ſed pro ultimarum a ſomno excitatus reſponſione, per curſores nuncium meum quæri fecit, qui ſi in curia per biduum latitavit, inſipiens arbitror quod non fuit. In perenni utinam beatitudine nos omnes reperire valeamus. Amen.

---

[a] *RELATIO* (a) *DOMINO NOSTRO REGI Francorum facta* XV. *die Januarii, Pariſius in domo regia S. Pauli, præſentibus rege Navarreo, duce Biturix, comitibus S. Pauli & Armeniaci, domino Carolo* Lebret, *& pluribus aliis, per Robertum eremitam, qui ex parte domini noſtri regis Angliæ ad dominum noſtrum papam Avenionem, & Romam ad alterum tranſmiſſus fuerat.*

Anno 1397. *Ex mſ. bibliothecæ regiæ.*

RObertus eremita Avenionem veniens, domino noſtro papæ regum litteras tradidit, & quæ ſibi per articulos ſcripta . . . . . expoſuit. Quibus auditis: An, inquit, dominus noſter papa, eoſdem articulos Romam ad alterum deferes? Reſpondit Robertus: Ita mihi a regibus injunctum. Scripſit itaque litteras prædictus dominus noſter papa ad regem Aragonum, eaſque per Robertum Maſſiliam miſit, ubi pro tunc rex præfatus erat. Quibus traditis, Robertus rurſus ad papam cum rege reverſus eſt; fuitque informatus quomodo hi duo in partibus Romæ & Fundorum convenire debuerant. Scripſit autem papa quamdam ſchedulam, intentionem ſuam ſuper pace eccleſiæ continentem, eamque Roberto tradidit, dicens: Hanc, inquit, Roberte, illi de Roma meo nomine trades, & qua poteris cura perquires tam Romæ, quam ubilibet poteris, omnia quæ ad pacem & unionem eccleſiæ pertinebunt, ut omnibus his mihi relatis... res ſi commode ſe habeat. Et his dictis, Robertus, petita licentia, Romam profectus eſt.

2. Ubi vero Robertus Romæ venit, litteras regum & papæ cedulam alteri de Roma præſentavit, exponens omnia quæ ſibi credita fuerant, ut papæ Avenionenſi fecerat; ille vero ut regis Franciæ litteras eſt intuitus, miratus eſt quod eum nomine privato appellaſſet. Et quomodo, inquiens, rex Angliæ illi de Avenione reſcribit? Et dixit Robertus: Cognatum ſuum illum vocat, & cardinalem de Luna, eo quod cardinalis ante hanc eccleſiæ diviſionem exiſteret.

3. Robertus interea fide dignorum relatione cognovit, qualiter dominus noſter papa & rex Aragonenſis cum comite Fundorum & epiſcopo Aſſiſii, aliiſque pluribus magnis & potentibus dominis earum partium, loco certo deſignato ejuſdem comitatus convenire diſpoſuerant, utque inter memoratum dominum noſtrum papam & illum de Roma pacta fuerant, confirmarent. Erat autem tractatus hujuſmodi, ut dominus noſter confidebat: Illo de Roma cedente, dominus noſter ſolus permanere debebat, & alius in partibus illis legatus cum plenitudine poteſtatis, quamdiu viveret, exiſtere. Nam & ita dicti domini ſe adimplere ſpoponderant his qui ex parte domini noſtri miſſi fuerant, & quod abſque dubio alius in hoc ſuum præberet aſſenſum: pro quibus ita complendis dominus noſter, ut unicuique dictorum ſatisfaceret dominorum, grandes pecuniarum ſummas expoſuit, nec minores ille de Roma dedit, ut tamen pro ipſo e contrario totum fieret. Inſuper magnæ eccleſiæ terræ comiti Fundorum, comitatus ſcilicet Campaniæ, civitas Terracinenſis cum adjacente patria traditæ ſunt. Sicque prævaricatores egregii & ſuum papam & noſtrum pariter, prius tamen hinc inde, quas optabant, exhauſtis pecuniis, a ſuo deſiderio defraudabant.

4. Poſtea illi de Roma Robertus ſuaſit, ut viam ceſſionis acceptare & offerre dignaretur, pro tanto, inquit, bono, quantum eſt univerſalis eccleſiæ pacem obtinere; aut ut ipſe & dominus noſter, ita alias fierent hac in re concordes, ut non minus hæc ipſa pax in eccleſia haberi poſſet; aut certe Chriſtianorum regum & principum hanc eſſe, ait, intentionem ſcitote, ut ab utroque veſtrum obedientia ſubtrahatur.

5. Poſt quæ omnia inſuper & alia hanc tam altam materiam tangentia, ille de Roma cardinales omnes, avunculum, duoſque fratres ſuos, & plures Romanos archiepiſcopos, epiſcopos & alios prudentes viros convocari præcepit, a quibus expetiit, ut in eorum conſcientiis ſibi conſulerent, quid hac in re eſſet facturus. Conſulunt igitur tribus diebus, ipſo præſente, & abſente duobus; cumque in unam ſententiam conveniſſent, unum elegerunt, qui ſuo papæ deliberata referret, qui præſentibus cunctis, Pater ſancte, vos, inquit, conſcientias noſtras oneraſtis exquirere, quo facto opus ſit. Igitur ſcire dignemini, omnes nos in hanc deliberationem incidiſſe, quam ſi exequamini, adverſarius veſter, ut confidimus, victus & de papatu dejectus eſt. Verum eſt, inquit, regem Franciæ, avunculos ejus, & univerſitatem Pariſienſem, in qua tota ineſt ſapientia, ſatis eſſe prudentes; ſed & cardinales intruſi veſtrum adverſarium perſequuntur, & ut dicitur, tertium intendunt eligere: quæ & omnia, quantum in hac materia perpendere potuimus, pro vobis faciunt. Sciunt nempe ſuum papam non plus juris habere in papatu, quam diabolus in paradiſo poſſideat. Sed errorem ſuum, quem diu tenuerunt, honeſte volunt contegere. Unde quod nobis viſum eſt expedire, totum ſtat, totum in vobis eſt. Adjungamini igitur regibus

(a) Hujus relationis fragmentum edidit Raynaldus, refertque ad annum 1397. quo conflatam adverſus Bonifacium IX conſpirationem contendit. Integram hic damus.

gibus & principibus Christianis tam vestræ quam alterius partis, & quoad poteritis, illis vos confœderetis, eosque requiratis, ut in ponenda pace ecclesiæ ab ipsis adjuvemini, vestrisque patentibus bullis vos spontaneum ostendatis, vosque cum illis interesse, quemcumque locum, sive in Alemannia, sive in Francia, aut alibi delegerint, cum vestro collegio convenire. Scire etiam velle & tempus & diem quo id fieri voluerint. Sed cuncta sint inter se sic apta atque composita, ut vester adversarius causam non habeat breve nimis longumve dicendi. Hæc si feceritis, non revocamus in dubium Christianos principes eo modo quo dictum est, quoque intenditis, vobiscum processuros; & ut melius æstimamus, vester adversarius jure suo diffisus, aut suis offensus partibus, huic tanto conventui non aderit. Cumque universi referentem approbassent atque collaudassent, respondit se libenter omnia facturum, quod ante hac salubrius consilium non audisset, sicque læti hac responsione & securum omne consilium dimissum est.

6. Verum post biduum, avunculus ejus, fratres sui, mater ejus, cardinales aliqui, & aliqui Neapolitani rem totam perverterunt, & ad eum accedentes: Pater sancte, inquiunt, si præheri eramus alia in opinione concordes, omnibus tamen consideratis, merito nobis [aliter] videtur, sententiam mutavimus, attentis germanitate, propinquitate, & affinitate, quas ad alios reges rex Franciæ & avunculi ejus habent. Nam rex Angliæ regis Franciæ gener est. Reges Romanorum & Ungariæ germani sunt, avunculis dicti regis & regi ipsi & suo fratri semipuncto minus attingunt, quos mutatos germanos dicunt. Ceteri reges omnes, Hispaniæ, Aragoniæ, Navarræ, Scotiæ, ita sunt aut generis conjunctione, aut uxorum, aut firmissima confœderatione devincti, ut non dubium, si vos inter eos semel & intrusos cardinales immiseritis, & papatum amittere, & ex toto vestro statu dejiciemini atque deampunctuabimini. Gallici nempe & Parisiensis universitas, non considerata vestra justitia, Gallicum papam habere contendent, & reliquos omnes facile ad se trahent, vel astutia circumventos, vel benevolentia delinitos; sicque errorem suum operient, & eos tanti manebit gloria facti. Quibus auditis, quid igitur sumus acturi? Responderunt, mittite prudentem aliquem virum ac vobis fidelem ad principes Christianos, maxime ad regem Franciæ, qui multa, specialiter autem unionem ecclesiæ vos velle optime simuler. Interea ut specialius poterit, voluntatem regis inquirat, si ad veram obedientiam velit aliquando reverti, ut aliqui illarum partium vobis scripserunt; aut si forte armata manu, ut dicitur, huc venire disponat, faciatque qui rem vestram geret, ut nihil posset tenus intentatum relinquat, multa vestro nomine promittat, verbis & dilacerationibus *quoad poterit, tempus detineat. Hic processus longus erit, fluent forte octo aut decem anni, interim ad vestram vestrorumque conservationem muniri & fortificari poteritis, & in pace remanere, omni timore sublato: quibus acquievit, omisso priori consilio.

*f. dilationibus.

7. Rogavit eum postea Robertus de finali habendo responso. Cui ille respondit: Ego, inquit, præter id quod regum legatis jam dedi, aliud responsum non dabo. Cum mihi bonum videbitur, ipse etiam meam ambassiatam sive legationem mandabo. Quo non obstante, Robertus, ut potuit, persuasit quantum bonum faceret, si ad regum requestam cederet. Nam per hoc inæstimabile bonum illud, scilicet unio in ecclesia haberetur: Numquam, inquit, verbum hoc ab ore meo excidet: quod si contingeret, infernus me merito haberet. Cum Robertus replicasset, quod apud reges & principes, tam in Francia, Alemannia, Avenione, & alibi disseminatum esset eum pro bono unionis obtulisse vias concilii generalis, compromissi, etiam usque ad viam cessionis, quodque, ut communiter, certum ab omnibus teneretur.

8. Respondit: Per beatum Petrum, Roberte, qui hoc dicunt, male conscientiam scrutati sunt. Hanc ego inhonorationem ecclesiæ non faciam: quod si mihi violentia inferatur, nolo* mori martyr. Tamen, auxiliante Deo, bene providi. Alias violentia illata est, quam qui fecerunt maledictiones adhuc comitantur.

*f. Volo.

9. Et rursus Robertus: Ne, inquit, statui vestro timueritis: nam ego a regibus sæpe & a magnis & nobilibus viris audivi, in casu quo vestro consensu fieret electio, de centum millibus ducatis ante forat vobis promissum. Et ubi, ait, hæc summa caperetur? Robertus: archiepiscopatus, episcopatus & aliæ ecclesiasticæ dignitates usque ad valorem prædictum vobis in commendam traderentur, sicque per manus vestras levaretur. Qui respondit: Roberte, inquit, qui volet loquatur, & violentiam inferet qui poterit, numquam justitiam meam in manus alterius ponam, & regi vestro dicere poteritis: Si hoc umquam ego fecero, numquam bibam aut manducem, numquam agam aliquid quod Deo non sit acceptum, numquam ejus particeps fiam.

10. Robertus cum responsum aliud habere non posset, ut intentiones illorum sciret, qui prius consilium donaverant, ad eos reversus est. Qui dixerunt: Roberte; mutatum est propositum. Neque enim tam bene nobiscum Deus agit, ut papa tam salubri tamque fideli sine dato nostro acquiesceret consilio. Hæc certe via erat, qua superare suum adversarium potuisset.

11. Ubi vidit Robertus se nihil acturum, secum tacitus quæ dicta sunt recolligens, Avinionem reversus est, omnia domino nostro

papæ exponens quæ geſta quæve dicta fuerant, & qualiter optimi illi mediatores, & ipſum & ſuum adverſarium deceperant, & ambos ſuis exſpoliatos pecuniis irridebant. Omniaque retulit Robertus quæ audierat ac viderat, ſive generaliter, ſive ſpecialiter, quæ ad unionem eccleſiæ pertinerent, tam adverſa quam proſpera.

12. Cujus relationem cum dominus noſter audiviſſet, reſpondit: Roberte, novit Dominus quam magno propterea dolore afficimur, quod apud adverſarium noſtrum & alios illarum partium aliud non ſit repertum, quodque ad unionem minime ſint diſpoſiti. Nam quantum in nobis eſt, veriſſime perfecta voluntate trahimur, & parati ſumus omnia exponere, neque proprio parcere labori, neque amicis, neque facultatibus univerſis: tantum ut unioni & reformationi eccleſiæ in capite & in membris intendere & vacare valeamus, inimiciſque fidei reſiſtere, quod fieri, quamdiu peccatis exigentibus eccleſia diviſa perſiſtet, commode certe non poterit.

13. Et rurſus: Etſi, Roberte, in eo quem per mediatores illos barones & epiſcopos Romanarum partium facere ſperabamus tractatu, deluſos nos eſſe, te narrante, & alias cognoſcimus: totus tamen cupimus noverit mundus, id propterea nos tentaſſe, ut & tum brevius tumque facilius & abſque ſcandalo unio fieret. Maxime autem ne principes ſæculares vexati tam gravem ſubire laborem contingeret, & congruentius videbatur, ſi hæc unitatis maledicta ſciſſura ad pacem eccleſiæ & omnium Chriſtianorum ſolamen per eccleſiaſticos integrata finem perciperet.

14. Item, ut tuo, Roberte, relatu videmus, unio eccleſiæ nondum parata eſt, tamen quod cum adverſario noſtro diutius converſatus, deque plurimis circa hanc materiam inſtructus ſis, & de tuo ſenſu & probitate confiſi, quippe de quibus reges Franciæ & Angliæ non diffidunt, volumus ut quæ nobis agenda ſunt, ut tibi videbitur edifferas.

15. Robertus humili & prolixa de ſui ruditate excuſatione præmiſſa: Poſtquam, inquit, pater ſanctiſſime, veſtrum, excuſationibus omnibus prætermiſſis, urget imperium, inter vias omnes ac practicas, ut ſemel ad ceſſionem ſuo in tempore ordinatam, atque veram eccleſiæ unionem, viris probis & juſtis omnibus multum diuque cupitam aliquando veniatur, nihil occurrit convenientius illo conſilio, quod a cardinalibus magnis & prudentibus viris adverſario veſtro datum fuerat, ut plene ſuperius explanatum, ut videlicet convenientibus præſentialiter in unum principibus, ſua cura, diligentia, potentia, & maxime Dei gratia mediante, adinveniatur modus unionis, aliquando ſecundum Deum ſuo tempore neceſſarius, & via ſolemnis adverſariis fidei reſiſtendi.

16. Hanc ſi adverſarius veſter attentaſſet, & ſumma cum diligentia ad effectum uſque perduxiſſet, in grandi veſtro præjudicio, ut forte dicerent aliqui, verſa eſſet, ſicut Romæ vivis & efficacibus, ut mihi videbatur, rationibus prudentes illi viri confidenter demonſtrarunt: quippe rationabiliter univerſa nobilitas, ſed & cardinales & clerus omnis toto proſequerentur favore; qui deliberationi atque conſilio regum, cardinalium ac prudentium virorum ob Dei reverentiam & eccleſiæ tranquillitatem & pacem ſponte ſuum præbuiſſet aſſenſum, & pro concluſione ſecundum meum tenuem intellectum, nullus, qui tamen pacem affectet, hanc viam recuſare deberet, per quam ſolemniter unio obtineri, & turbatæ Chriſtianorum conſcientiæ, Deo præſtante, ſerenari valebunt, ut longe melius prudentiores noverunt: maxime autem alta illa veſtra ſapientia, quæ & eccleſiæ & peſtiferi facta ſchiſmatis certo jam experimento didicerit.

17. Quamobrem, beatiſſime pater, ſalutarem iſtam, quam adverſarius veſter recuſavit, ingrediamini & inſequamini viam, neu antea deſiſtatis, donec ad optatam vos perſeverantia metam deduxerit. Sic enim Dei gratiam, principum favorem, eccleſiæ unionem & reformationem non ſolum eccleſiaſtici, ſed etiam ſæcularis ſtatus adquirere & parare poteritis. Forſitan & hoc, rerum ordine & temporis opportunitate ſervata, reges ac principes Chriſtiani animoſe, confidenter & fortiter, adverſus hoſtes fidei bella Chriſti gerant, terramque ſanctam gravi qua diu premitur ſervitute expediant. Amplius, ſi hæc exordiamini, effugietis verba jam vulgata per multos, & magna vos prorſus ſuſpicione liberabitis. Aiunt namque veſtræ obedientiæ plurimi, ſola vos papatus ambitione permotum viam ceſſionis refugere, parumque unioni affectum.

18. Robertus eremita ſermonem finierat, & dominus noſter papa, cum mora aliquanta tacitus perſtetiſſet, Roberte, inquit, etſi plures a pluribus viæ nobis oſtenſæ ſint, nulla tamen, quantum aſpectu primo ſe res offert, Deo gratior, nulla rebus & tempori accommodatior, nulla eſt poſtremo, quæ ſit amplius a ſuſpicione remota: carpam quam nobis diffuſe ſatis expreſſiſti, & quam, ut dicis, adverſarius noſter abnuerit. Nam ſi & nos & noſtrum adverſarium cum utriuſque collegio, præſentibus regibus & principibus Chriſtianis ſimul eſſe, Deo volente, contingat: ſi tamen caritate unanimes & abſque ſimulatione ad unionem inveniamur diſpoſiti, Deus, ut pie credimus, ſeu etiam principes ipſi Chriſtiani nobis non deerunt: ſed nos favore, opera, conſilio, & labore juvabunt, ad inveſtigandum vias omnes & modos, quibus eccleſia uniri & in ſtatu reponi melius poſſit, tantum paratos nos acquieſcere & ſummitti ſuo ac bonorum omnium qui præſentes ade-

runt consilio ac deliberationi cognoverunt. Et quia testis nobis est Deus, ex omnibus quæ sub cœlo sunt, unioni istiusmodi nihil præfetimus, nihilque est cujus tam vehemens nos cura sollicitet. Hanc, Roberte, quantum ex parte nostra est, & sub divina miseratione, elegimus & probamus.

19. Quæ ad effectum ut perduci citius possit, adibis, Roberte, memoratos reges, qui te huc ad nos & Romam ad nostrum adversarium miserunt, plenaque hujus viæ relatione facta, nomine nostro eis dices, hanc nos viam sequi & amplecti, nosque illis offerre, si acceptam habuerint. Igitur si duo hi reges, rexque Romanorum & rex Hispaniæ, itemque alii, maxime autem propter rem breviandam hi solum quatuor, hac nostra sint oblatione atque præsentia contenti, diem & locum quem volent statuant, & nos, præstante Deo, una cum nostro collegio aderimus, inquisituri & investigaturi cum ipsis quæ ad unionem commodissima via sit, eamque præterea quam ipsi, qui ad rem hanc evocandi fuerint, expeditionem approbaverint & nos approbaturos, hancque pro viribus exequi certo sciant.

20. Adhuc, Roberte, regibus alterius obedientiæ nostra ex parte dicetis, nos orare eos & precari, ut adversario nostro diem & causam insinuent, quo & ipse cum suo collegio præsens esse debeat, perfecturus etiam pro sua parte, quæ ad rem pertinere videbuntur.

21. Amplius, Roberte, illis dices, ut omnes aliquando intelligant, nos unione nihil pluris facere, nihil optatius nobis esse, nihil tam timere, quantumque in nobis est, magis effugere, quam ne infanda ista divisio diutius permaneat; consentimus & volumus, ut qui nostrûm duorum præfinito die, ut supra dictum est, defuerit, is a collegiis ipsis & regibus & ab aliis ad quos spectabit, schismaticus & hæreticus censeatur, sitque omni ecclesiastico honore privatus. Quod si ea quæ offerimus, grata rataque præfati reges tulerint, idque eorum litteris, quas ad nos ipse deferes, constabit, illis indilate patentes bullas nostras confirmativas priorum mittemus, dieique assignato, Deo favente, intererimus quæ sunt prædicta facturi.

In mſ. codice S. Laurentii Leodienſis poſt Caroli regis Francorum litteras, quibus obedientiam Benedicto XIII. ſubtrahit, quæque editæ ſunt primum a Pitheo inter probationes libertatum eccleſiæ Gallicanæ, deinde apud Odericum Rainaldum ad annum 1398. *n.* 8. *& in tomo* 4. *hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis. Sequitur*

LITTERA EXSECUTORIA EJUSDEM.

PIerre de Bueil, chevalier chamburlain du roy nostre sire, son bailli de Tours & des ressorts & exemtions d'Anjou, du Maine & de Poitou, commissaire du roy nostre sire en cette partie, au premier sergent du roi nostre sire, qui sur ce sera requis; salut.

Nous avons rechuës les lettres royaulx, desquelles la teneur s'en siet. CHARLES par la granze de Dieu roy de Franche, au bailli de Touraine, & à tous nos autres justichiers & offisiers, ou à leurs litenant salut. Comme tres-grande & meure deliberation des prelaus & du clergié por chu assembleis en nostre ville de Paris represumans l'englize universelle de nostre royalme, de princes de nostre lignage, & autres de nostre conseil, nos & ladite englize de nostredit royalme, & aussi de nostre Dalphiné, nous soyons du tout departis de l'obéissance de BENEDIC, qui derenement fut élû en pape, & aions volu & ordiné entre tuite chouse, que nuls de quelque état que ils soient paient ou respondent audit BENEDIC, à ses collecteurs, ou officiers, ne à aultres ses complices ou adherans, aucune chose des revenus & emolumens qu'ils soloient prendre en nos realmes & Dalphiné deseurdis. Et aussi que vacans les prelatures ou autres benefisses electifs, l'en pourvoye ausdits benefisses par election. Et quant aux aultres benefisses, que ils soient conferez par ceulx ausquels la collation en appartient, gardées les solemniteiz accoutumeis; & avec chu que des benefices des complices & adherans dedit BENEDIC, l'on pourvoye par les ordinairs, & soient baillé en commende à personne ydoines, sans saire aucune alienation des biens immeubles, ne des meubles pretioux, si comme ces chouses & autres peuvent plus plainement apparoir par nous lettres patentes & solempnez faites & publiez sor ledit departement. Nous desirans lesdites chouses estre mises à exsecution deuë, vous mandons & commettons, si mestier est, par le tenure de ces presentes, & al chacun de vos, si comme à lui appartiendra, que lesdites ordinanches faites solemnement publier, tenir, gardeir, & accomplir selon leur sourmes, es termes & mettes de vos juridiction; en contraignant à ce ceulx qui seront à contraires par toutes voyes deuës & raisonnables, toutes les personnes qui les enfrainderont, ou s'efforceront de venir directement ou indirectement à l'encontre, punissez & corrigiez, ainsi que affaire siera par raison, & en oultre vos informeiz de ceulx qui aprés ladite publication adhereront ou demorront avec ledit BENEDIC, ou en sa cour; & se vos trouveis que accun d'eulx tenignent benefisses ou aultre bien temporeil en nostre royaulme, preneiz ou faites prendre & mettre realement & de fait en nostre main lesdits biens, & yceulx le gouverneir dessoubs ycelles, jusques à tant que par ceulx qu'il appartenra en soit disposé selon ce que en nos autres lettres sur ce faites est plus à plain contenu, & ce faites en telle maniere, que les autres y prengnent

exemple, & que vous n'en doyez eſtre repris de negligence de ce faire, vous donnant pouvoir & mandement eſpecial; mandons & commandons à tous nous juſticier, officier, & ſubgez, que à vous & à chacun de vous en faiſant les chouſes deſſuſditres, & dependent d'icelles, obeiſſent & entendent diligemment, & vous donnent confort & ayde, ſi meſtier eſt, & requis en ſont. Donneit à Paris le XXVII. jour de Juillet l'an de grace MCCCXCVIII. & de noſtre regne le XVIII. Ainſi Saugneur par le roy, preſens meſſeigneurs les ducs de Berry, de Bourgogne, & de Bourbon, le conneſtable, & vous l'amirale, & aultres. J. HUE.

Par vertu & auctoritez deſquelles lettres royaulx deſſus tranſcrites & du pouver à nous donneit & commis en ceſt partie par ycelles nous vous mandons & commettons que leſdites ordinances de par le roy noſtre ſire faites ſolempnellement publier, tenir, gardeir & accomplir ſelon leur forme, és fins & mettes de voſtre ſergenterie, & où il appartiendra à faire de raiſon; ainſi & par la maniere que eſdites lettres eſt faite mention: de ce faire deuëment te donnons pouvoir & commandement eſpecial; mandons & commandons à tous à qui il appartient, que à vous en ce fays obeiſſent & entendent diligemment. Donné ſous noſtre ſcel le 11. jour de Septembre l'an de grace MCCCXCVIII.

JEHAN DE VALEC por Boiſlanfrois.

Publié en plaine feyre à Luçon le IX. *jour du mois de Septembre l'an* MCCCXCVIII. *par moy Guillaume Racodet ſergain du roy noſtre ſire, preſent à ce honorable hommes .... Martine, Maiſtre Guillaume Garun, frere Robier Toulouſin.*

---

[a] EPISTOLA (a) COLLEGII CARD. illuſtriſſimo principi domino duci Bituricenſi.

Mittunt ei litteras quas regi ſcripſerant ſuper ſubtractione obedientiæ facta Benedicto tam a rege quam a ſacro collegio.

Anno 1398. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

ILluſtriſſime princeps & domine, Chriſtianiſſimus & ſereniſſimus princeps dominus rex Francorum, nuper per venerabiles viros magiſtros Robertum Cordelerii, & Triſtanum de Boſco ſuæ regiæ majeſtatis conſiliarios & nuncios, ad nos cum certis litteris tam patentibus quam clauſis tranſmiſit, pro arduis negotiis veſtræ excellentiæ non ignotis, concernentibus eccleſiam ſanctam Dei, ſuper intentionem noſtram & concluſionem, quam poſt maturam & digeſtam deliberationem inter nos unanimiter & concorditer, nemine diſcrepante, urgentibus conſcientiis, recepimus, eidem Chriſtianiſſimo principi per noſtras litteras tenoris ſubſequentis duximus nuntiandum.

Chriſtianiſſime & ſereniſſime princeps, nuper per honorabiles viros magiſtros R. Cordelerii & T. de Boſco veſtræ claræ majeſtatis conſiliarios & nuncios litteras ejuſdem majeſtatis recepimus, per quos elegantiſſime & prudenter veſtræ ſerenitatis ex parte expoſita fuere, quæ eadem ſerenitas ſuper receſſu a totali obedientia BENEDICTI ultimo in papam electi, in illo grandi & celeberrimo concilio nuper tento Pariſius decreverat, prout nobis innotuit per litteras authenticas & publicas veſtræ ſacræ regiæ majeſtatis, quas nobis præſentes nuncii præſentarunt: quæ omnia audivimus, conſpeximus, & intelleximus luculenter, & quanto magis credimus quod per hoc cunctorum corda fidelium in viam pacis optatæ celerius dirigentur, tanto affectuoſius ſerenitati veſtræ uberiores gratiarum reddimus actiones: hortantes eamdem ex intimis, ut huic tam catholico quamque laudabili principio per ſerenitatem eamdem finis optatus impendatur, videlicet eccleſiæ unionis, cum non ſufficiat grandia invenire principia, ſi non fine debito concludantur. Nec enim in principiis, ſed in fine majores noſtri laudes & gloriam poſuerunt. Ad quæ ut proclivius & ardentius veſtra excellentiſſima claritas attingat,* eidem notum facimus per præſentes, quod conſideratis & ponderatis omnibus, quæ per veſtram ſerenitatem ac etiam per nos in hac parte facta, necnon cauſis & motivis, quæ, prout in veſtris litteris plenius continentur, veſtram ad hoc ſacram majeſtatem impulerunt, aliiſque rationibus, quibus in conſcientiis noſtris urgemur, multiſque inter nos litteris, conſiliis & deliberationibus digeſtis, nos omnes numero XVIII. exiſtentes & ſacrum collegium Romanæ eccleſiæ facientes, unanimi omnium voluntate & aſſenſu, ea quæ per ſerenitatem veſtram ac eccleſiam, clerum & populum regni veſtri ac etiam Delphinatus facta ſunt, concernentia receſſum ab obedientia totali Benedicti, collegialiter laudavimus & approbavimus, laudamus & approbamus. Nos nihilominus a totali obedientia ipſius recedere decrevimus, recedimus & aſſerimus receſſiſſe, & cum ſerenitate prædicta concurrere in proſecutionem ulterius agendorum; ſperantes in Domino, quod ex hoc, veſtro regali præſidio ſuffragante, repulſis ambitionibus hominum non timentium thronum Dei, eccleſia ſancta Dei tot inundationibus concuſſa elevabitur in ſublime. Et qui poſt nubilum dat ſerenum, inclytam ſponſam ſuam oculo clementiori ex alto reſpiciat, non ferens eam in ſui nominis injuriam diutius conculcari. (b) Ad veſtram vero regiam majeſtatem, infra biduum, hominem nobis fidum ſuper nonnullis plenarie informatum tranſmittemus, & poſt

* al. accingatur.

(a) Hæc epiſtola extat in Spicilegii tom. 6. ſed mutila initio & in fine, integram hic damus.

(b) Quæ ſequuntur deſiderantur in Spicilegio.

ſatis

satis cito aliqui ex nobismet, super prosecutione negotii principalis accedent ad magnitudinem eamdem, quam ille, cujus res in præsentiarum agitur, feliciter prosperet incolumem, ut oramus. Eapropter vestram excellentiam duximus exorandam, quatenus super ulteriori prosecutione, ad finem optatæ unionis, & conservationis status ecclesiæ, ac nostrum factum hujusmodi, prout plenius confidimus, velitis suscipere recommissum. Excellentiam vestram conservet Altissimus, & dirigat ad unionem ecclesiæ suæ sanctæ. Scriptum apud Villam-novam prope Avinionem, XVII. Septembris.

Sacrum collegium sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium.

SUBTRACTIO FACTA PER VICARIUM domini archiepiscopi Bisuntinensis.

Anno 1398. *Ex mss. bibliotheca regia.*

SEreniſſimo ac Chriſtianiſſimo principi domino KAROLO Dei gratia Francorum regi illuſtriſſimo.

Sereniſſime ac Chriſtianiſſime princeps, dudum per reverendum in Chriſto patrem & [a] dominum dominum C. (a) Dei & apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopum Cabilonenſem, nobilem & potentem virum dominum Guillelmum de Vienna militem, & venerabilem virum magiſtrum Girardum Boſandi illuſtriſſimi & potentiſſimi principis domini domini ducis & comitis Burgundiæ conſiliarium, veſtræ regiæ majeſtatis nuncios ſpeciales, vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus reverendi in Chriſto patris & domini domini [b] G. (b) Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopi Biſuntinenſis litteras veſtræ regiæ majeſtatis cum devotione humiliter recepimus & honore; per quem reverendum patrem dominum Cabilonenſem elegantiſſime ac prudentiſſime veſtræ ſerenitatis ex parte expoſita fuerunt, quæ eadem ſerenitas ſuper receſſu a totali obedientia BENEDICTI, ultimo in papam electi, in illo grandi & celeberrimo concilio nuper tento Pariſius, decreverat, prout & nobis innotuit per litteras autenticas & publicas veſtræ ſacræ majeſtatis, quas nobis præfati nuncii præſentarunt. Quæ omnia audivimus & intelleximus luculenter, & quanto magis credimus, quod per hoc cunctorum corda fidelium in viam pacis optatæ celerius dirigentur, tanto affectuoſius ſerenitati veſtræ uberiores gratiarum reddimus actiones, eamdem devotiſſime deprecantes ex intimis, ut huic tam catholico, tamque laudabili principio, per ſerenitatem veſtram finis optimus impendatur, videlicet eccleſiæ unionis, ad quæ, ut ardentius veſtra excellentiſſima claritas accendatur, eidem ut univerſis notum facimus per præſentes, quod conſideratis & ponderatis omnibus, quæ per veſtram devotionem in hac parte facta ſunt, necnon cauſis & motivis, quæ, prout in veſtris litteris plenius continetur, veſtram ad hoc ſacram majeſtatem impulerunt, aliiſque rationibus, quibus cum infra nominatis in conſcientiis noſtris urgemur, multiſque per nos habitis conſiliis & deliberationibus digeſtis: Nos vicarius præfatus auctoritate dicti reverendi patris domini Biſuntinenſis, ac de ejus ſpeciali mandato vivæ vocis oraculo nobis facto, de unanimi & concordi voluntate & aſſenſu venerabilium virorum dominorum decani & capituli dignæ eccleſiæ Biſuntinenſis, reverendorumque dominorum abbatum ſeptem numero, ac quorumdam aliorum capitulorum diœceſis Biſuntinenſis, ea quæ per ſerenitatem veſtram ac eccleſiæ clerum & populum regni veſtri, ac etiam Delphinatus facta ſunt, concernentia receſſum ab obedientia totali dicti Benedicti laudavimus & approbavimus, laudamus & approbamus, noſque nihilominus nomine quo ſupra, a totali obedientia ipſius Benedicti recedere decrevimus, receſſimus & aſſerimus receſſiſſe: ſperantes in Domino quod ex hoc veſtra regali proſapia ſuffragante, repulſis ambitionibus hujuſmodi non timentium thronum Dei, eccleſia ſancta Dei in ſublime poterit elevari. Datum in capitulo dignæ ſanctæ eccleſiæ Biſuntinenſis, multo clero & populo ibidem præſentibus, ſub ſigillo dicti reverendi patris domini Biſuntinenſis, die triceſima menſis Octobris, anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo. Sic ſignatum. T. DE PRET.

(a) Sedebat tunc in ſede Cabilonenſi Oliverius *de Martreuil*, qui ex decano Eduenſi factus epiſcopus Vivarienſis, ad Cabilonenſem eccleſiam tranſlatus eſt anno 1387. eamque rexit ad annum 1405. quo fato functus eſt.

(b) Guillelmus *de Vergi*.

SUBTRACTIO REGINÆ JERUSALEM.

MARIA Dei gratia regina Jeruſalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, duciſſa Andegaviæ, comitatuum Provinciæ & Forcalquerii, Cenomaniæ, Pedemontis & Rouciaci comitiſſa, bajula, tutrix, & adminiſtratrix cariſſimi nati noſtri LUDOVICI eadem gratia regnorum regis, ducatuum ducis, comitatuum comitis prædictorum, univerſo populo Chriſtiano ſalutem & magnum ſtudium ad unionem ſanctæ matris eccleſiæ per exſtirpationem ſchiſmatis nunc vigentis. Anno 1398. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

2. Semper in voto nobis fuit unitatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quantum nobis a Deo conceſſum eſt, conſervare, & radices nocivi ſchiſmatis totis viribus exſtirpare, quod ſui malitia religionem impedit Chriſtianam, devotionem minuit, nervos diſrumpit eccleſiæ, cenſuram eccleſiaſticam deducit in contemtum, ad bellum civile incitat Chriſtianos, turbat pacem eccleſiæ, hoſtes barbaros irritat, urbes impugnat, artes machinat, & arietes

contra muros; unde mortes ſequuntur & vulnera, prædæ fiunt dignitates eccleſiæ, captivitates hominum offenduntur.

3. Sane proceſſus conſultiſſime nuper factus, nobiſque deſtinatus per illuſtriſſimum & catholicum principem dominum meum Franciæ regem ad ſubtrahenda patrocinia & tollenda juvamina, quibus fera & periculi ſui ignara ſchiſmaticorum inſania ſuſtentatur, noſtræ inſinuavit majeſtati, quod BENEDICTUS poſt obitum felicis recordationis CLEMENTIS papæ VII. ante & poſt aſſumtionem de ipſo factam in papam, juramentum ad ſancta Dei evangelia præſtitit pro Dei ſervitio, unitate eccleſiæ ſuæ, ac ſalute animarum fidelium omnium, promittendo quod abſque dolo, fraude & machinatione quibuſlibet, ad unionem eccleſiæ, ad finem imponendum ſchiſmati, quantum in eo eſſet, quantumque pertineret ad eum, laboraret fideliter & etiam diligenter, nec ad eam differendam daret conſilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte: quin immo ſi ad apoſtolatum aſſumtus eſſet, ſervaret ſane & veraciter hæc omnia ſine machinatione, excuſatione vel dilatione quibuſlibet, uſque ad ceſſionem incluſive per ipſum de papatu faciendam, ſi cardinalibus, qui tunc erant vel eſſent in futurum de tunc exiſtentibus, aut majori parte eorumdem, id expedire videretur pro bono eccleſiæ & unitate prædicta. Deinde per ſuos ambaxiatores ſolemnes nunciavit ipſi regi, quod magnum zelum gerebat ad exſtirpationem ſchiſmatis, & eccleſiæ unionem, quodque nihil in hoc facere volebat ſine conſenſu & directione & voluntate ipſius regis, exhortans ipſum & deprecans, ut in hoc negotio vellet ſine intermiſſione intendere, & ad ipſum deſtinare notabiles & fideles viros, verum & cordialem affectionem ad eccleſiæ unitatem gerentes, plene de viis & modis utilibus & accommodis per regem in hac materia deliberatis inſtructos, ſufficitoſque poteſtate opportuna; ſic quod deliberata poſſent executioni mandare, poſſet ſuos conceptus, ſubjungens ſe adviſaſſe unam viam optimam, qua faciliter unio ſequi poſſet, quam aperiret ambaxiatoribus ipſius regis, dum tamen tantæ fuiſſent auctoritatis, quod expediret eis hoc revelare, ſubjiciens quod quamcumque viam non recuſaret aptam producere unitatem.

4. Quibus per regem intellectis, ipſe rex convocavit concilium prælatorum, capitulorum, nobilium, univerſitatum, plurium ſacræ paginæ & utriuſque juris doctorum, religioſorumque, & aliorum procerum regni ſui, quod concilium conſulte deliberavit & ſanctæ viam eligere ceſſionis ab utroque, videlicet Benedicto & Bonifacio, faciendam; & merito, quia ſola eſt ſufficiens ad plene tollendum ſchima, & eſt conſcientiarum hominum totaliter purgativa: quam viam ceſſionis jam dictæ practicandam docuit dictum concilium modo pacifico & honeſto.

5. Deinde rex ipſe ſuos ambaxiatores ad ipſum BENEDICTUM mandavit, videlicet illuſtriſſimos principes dominos JOHANNEM Biturïæ, PHILIPPUM Burgundiæ, patruos, LUDOVICUM Aurelianenſem fratrem, duces, ipſius regis fratres & nepotem noſtros cariſſimos, munitos perſonis conſilii in tanto negotio requiſiti, præditos etiam poteſtate petita, qui cum magna devotione ſe præſentarunt conſpectui apoſtolico, ſicut regalium Franciæ eſt de more. Poſt quæ opportunitate captata eidem Benedicto ſuæ legationis cauſam exponunt, ſupplicantes eidem, quod viam quam ſe adviſaſſe regi deſcripſerat, pro ſchiſmate faciliter finiendo, vellet eis aperire; quam ſi talis eſſet, uſque ad finem perducere promiſerunt. Qui BENEDICTUS eis viam non erubuit offerre compromiſſi, novam rem & inuſitatam, & ad magis ſuam velandam ambitionem, in forma compromiſſi voluit inferri duas ſpecies ceſſionis, unam videlicet tactam, cum dicit quod pronunciatio ſeu ordinatio vim habet ceſſionis; aliam expreſſam, cum dicit quod victus cedat ſeu renuntiet ad cautelam. Sed in tanta retia & tot modis involutus tradit formas, quæ vix poſſent in vita hominis reſolvi, & eſt quodam in ænigmate Domini, præſertim conſideratis perſonis eligentium, & in arbitros electorum. Sunt enim pars formata, qui numquam judicabunt taliter, quod poſſint dici fuiſſe ſchiſmaticos in detrimentum famæ ſuæ, nec etiam principales ſollicitabunt negotium, habentes ambitioſum optatum compromiſſi, viam videlicet litigii immortalis. Conſiderato etiam quod vult ut eligantur arbitri in numero pari contra conſilium utriuſque juris. Numquam enim aut raro etiam de *loco tuto erit* proviſum, ut placeat ambobus: ita quod calumnioſum actorem & principium iſta via videtur habere; & ſi conſideretur medium, hoc eſt procedendi modus in compromiſſo, quod hodie redactum eſt adinſtar judiciorum, libellus dabitur ſuper poſſeſſorio, & inſtantia durabit quantum volent. Deinde ſi finis erit poſſeſſorio, ad petitorium venietur, quod & in ipſa inſtantia dabitur libellus, conteſtabitur lis, dabuntur poſitiones & articuli, reſponſiones, inſtrumenta, teſtes probatorii & reprobatorii producentur, utrimque proponentur exceptiones, examinabuntur juris allegationes, ſuper quibus audientur advocati; ideo videtur iſta via tyrannica, & habere videtur tyrannum directorem. Finis autem hujus compromiſſi non veniet ex immortali proceſſu, iniquitates habet plurimas, & importat periculum animarum. Eſſe autem poterit, ut dicunt jura, perperam ignorantia facti forte vel juris, aut corruptione pro pecunia vel ambitione. Quo caſu etiam dubium erit, utrum ipſo jure valeat, vel ſit nulla ſen-

tentia pro illo qui non est papa, aut esse secundum canonicas sanctiones non potest, pronuntiabitur, aut provisio fiet; & est mirum quod in tanto negotio tantus tunc reputatus homo viam obtulerit compromissi, cum nec in modicis beneficiis, nec in integrum restitutionis causa, nec in matrimoniali, nec in liberali, neque etiam in criminali publici judicii, aut etiam popularis, aut de ingenuitate, aut fidei commissoria libertate possit compromitti ex rationabilibus causis, quæ possunt in proposito rationabiliter applicari. Etiam secundum canonicas sanctiones non potest compromitti super re de qua possit etiam particulari ecclesiæ damnum sequi, sicut in proposito contingere potest; etiam papa non potest rem facere de qua universalis turbetur ecclesia, quæ sine dubio turbari poterit ex tali compromisso. Ceterum qua firmitate validari poterat decisio compromissi, si acceptum fuisset alia quam jurisjurandi religione; quoniam penes ipsum Benedictum nec est firmitas rerum, nec divini numinis timor, cum super re tam grandi, tamque tangente ecclesiam Dei & catholicam fidem, violaverit in conclavi præstitum juramentum, & post ejus assumtionem per ipsum iteratum.

6. Cum ipso ergo a modo nihil est agendum; nam si iste casus esset applicabilis ad legem, quia adversus pacta, quæ, invocato omnipotentis Dei nomine, eo auctore solidaverat, putavit esse veniendum, non adimplendo promissa; non solum notaretur infamia, verum etiam careret emolumento quod ex electione fuisset consecutus. Ideo sancte & merito dicti ambaxiatores improbaverunt, & improbatam recusarunt dictam viam compromissi, ut nocivam toti reipublicæ Christianorum, & sanctissimam providamque viam simplicis cessionis seu renuntiationis amborum obtulerunt, sequentes vestigia S. Clementis papæ immediate successoris B. Petri apostoli, qui ipsum sibi elegerat in successorem, qui pro longe minori utilitate sanctæ ecclesiæ quam sit ista, cessit papatui & ejus oneri & honori; non tamen sic ipse Benedictus, sed dictam viam cessionis totaliter despexit, ex causis, ut nostræ relatum est majestati, quæ non habent justitiam, nec fundantur ratione.

7. Dicit enim idem Benedictus, quod res nova est & inusitata, causam schismatis terminari per cessionem; in hoc est sibi ipsi contrarius, quia in via compromissi per ipsum oblata, offert duplicem cessionem, quæ si perspicaciter attendantur, potiores sunt rebus ceteris in compromisso contentis. Ceterum urgens schisma novum est in ecclesia Dei, quia numquam simile fuit, nec ex omnibus suis partibus ita fundatum sicut istud. Ideo sicut in novo casu nova debet adhiberi provisio.

8. Dicit ulterius quod peccaret mortaliter viam cessionis sequendo. Sed quare melius hic quam supra in compromisso peccaret non videmus; & quid nunc videt in observatione juramenti, quod non viderit in præstatione ignoramus, nisi quod tunc libenter præstitit, ut eligeretur in papam; nunc autem ambitiose recusat, ut non destituatur; sed dicti ambassiatores numquam fessi, ut possent statum & pacem ecclesiæ reformare, sæpe & sæpius aliquoties sibi, aliquando cum sacro collegio simul, quandoque aliquibus secum ductis cardinalibus, & multotiens sacrum collegium per se solum, & etiam cardinales divisim, aliqui etiam cum lacrymarum effusione, flexis genibus, manibus complosis, humiliter supplicarunt eidem Benedicto, ut pie misereri dignaretur ecclesiæ sanctæ Dei, & totius Christianitatis periclitantium, etiam in periculis animarum, & miserendo vellet viam eligere cessionis, quæ per sui æquitatem & formam sibi datam per regem apta est totius schismatis pleniſſimum dare finem. Adjicientes quod cedula per sacrum facta collegium prius quam de electione summi pontificis tractaretur, in omni sui parte servaretur. Tempestivius autem quam continebatur in cedula, dictam nolebat cessionem, sed ejus prosecutionem, prout in ipsa cedula continetur. Juravit autem bis ipse Benedictus fideliter & diligenter non differendo laborare ad unionem ecclesiæ, & finem imponendum schismati usque ad cessionem inclusive, & ita juravit fideliter & diligenter prosequi cessionem, & ad eam differendam non dare favorem, cujus contrarium facere videtur prosequendo viam inextricabilem compromissi, & recusando viam facillimam cessionis. Nec debet adeo vel ad se remissionem seu dispensationem sperare pro tanta utilitate fidei catholicæ & totius Christianitatis præstiti juramenti. Et in eo quod allegat quod non tenetur dictum juramentum servare, sed peccaret mortaliter si servaret; gignit novam opinionem, & sic vinculis sacri canonis illaqueatur.

9. Sed his omnibus spretis & despectis, ille prophanus ardor ambitiosæ avaritiæ, quæ secundum divinum eloquium radix est omnium malorum, ipsum Benedictum sic miserabiliter captivasse videtur, quod non videt quod expedit, & quod decet, aut quod necessitati subjacet non discernit. Semper & ubique dictam viam cessionis recusavit & repellit. Sed hæc res mira est de Benedicto, qui in verum papam fuit assumtus, & debebat malle integritatem ecclesiæ in alium eligendum in papam canonice desiderare, & ad hoc dare operam cum effectu, quam cum tanto scandalo & suæ damnationis perpetuæ detrimento partem habere. Et debebat exemplo illius moveri matris pueri vivi, quæ obtinuit in judicio Salomonis; & sic ambassiatores sua

intentione fruſtrati reverſi ſunt ad regem. Ipſe vero Benedictus volens decipere mundum, & ſuam impiam ambitionem palliare, per diverſas Chriſtianitatis partes mandavit garrulatores publice coadunatis turbis, aſſerentes dictos ambaſſiatores viam præſentis ceſſionis ſibi præſentaſſe, ad hoc ut Gallicum poſſent habere papam, quod non fuit verum, quia non fuit præſentata præſens ceſſio, ſed futura & conditionalis, ſi antipapa faceret illud idem. Nam ſui ſolius renuntiatio non haberet effectum deſideratum per regem, ut eſt quod ceſſio talis fiat, quod totaliter tollat ſchiſma. Nec intereſt regis unde ſit papa, quia in annalibus & hiſtoriis ſummorum pontificum reperientur tot favores exhibitos regi & regno per exteros fore conceſſos, ſicut per Gallicos papas. Nec enim in hoc caſu eſt ſibi Teutonicus, Gallus, Anglus, vel Hiſpanus, dum tantum ſit utilis eccleſiæ ſanctæ Dei; quia non eſt perſonarum acceptio, ſicut de Deo dicunt Apoſtolus & Juſtinianus. De ipſo autem Benedicto dicere poſſumus cum divina ſcriptura: *Poſuerunt mendacium ſpem ſuam, & mendacium operis paraverunt.* Et iterum qui ſecundum prophetam dicunt Domino: *Recede a nobis, vias tuas ſcire nolumus*; propter quod Salomon dicit: *Per ſemitas propriæ culturæ erraverunt, colligunt autem manibus infructuoſa.*

10. Sed addendo peſſima prioribus, miſit epiſcopum Terracinenſem ad antipapam Romæ, ſine conſilio cardinalium & conſenſu: ſed ſuper quibus rebus ipſum miſit ignoratur. Sed nihilominus res nova fuit: tamen vehementer & veriſimiliter præſumitur, quod fuit colluſio inter ipſos Benedictum & Bonifacium, quod quilibet ſcindentium eccleſiam Dei ſit contentus parte quam tenet, & irrevocabiliter ſub papæ nomine perſeveret: quia ex tunc alter contra alterum ceſſavit procedere, & inchoatos proceſſus continuare: quæ ceſſio per biennium & ultra duravit. Ulterius de colluſione iterato vehementius ſuſpicatur, quia ambaſſiatoribus ipſius regis, regumque Angliæ & Caſtellæ ad eorum quemlibet pro ultima voce deſtinatis, ſupplicando & rogando humiliter & devote, ut viam eligerent ceſſionis, eadem & per eadem verba, ac ſi uno loquerentur ore, uterque reſpondit, videlicet quod nondum erant bene deliberati ſuper acceptanda renuntiationis via, ſed deliberarent cum fratribus ſuis & aliis de quibus eis videretur, poſteaque eorum deliberatum propoſitum notificarent regibus ipſis: ſed tamen in eorum ambitioſa duritie perſiſtentes, nec hoc, nec illud fecerunt: tamen de Bonifacio nihil ad nos, quia ſemper habuimus ipſum & habebimus pro apoſtatico & antipapa.

11. Ex quibus manifeſte concluditur Benedictum, nedum facere, ſed etiam nutrire ſchiſma, peccans in ſe & in aliis ſequentibus eum, quos amplectitur favoribus, gratiis & promotionibus, etiam ad majora: contradicentes autem odio proſequitur, & in diverſis proceſſibus & gravaminibus involvit. Schiſmaticus ergo eſt, & ſchiſma eſt ad hæreſim via. Ideo de ipſo Benedicto dicere poſſumus cum Johanne papa ad Auguſtum, alienum ſane a communione ſe ipſe & ab eccleſia judicavit eſſe catholica. Obediamus ergo Paulo apoſtolo inquienti: *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri* Jesu Christi, *ut ſubtrahatis vos ab omni fratre inambulante inordinate, non ſecundum traditionem quam accepit a nobis.* Et ne dicat nobis ipſe Paulus: *Eccleſiam Dei contemnitis*, cognoſcentes nos debere eſſe reddituros rationem propter eccleſiam quam Chriſto tuendam ſuſcepimus. Nam ſive augeatur pax & diſciplina eccleſiæ per nos & illos fideles principes, ſive ſolvatur a nobis, & ejus rationem exigit, qui noſtræ & eorum poteſtati ſuam eccleſiam credidit. Principes autem ſæculi nonnumquam intra eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent.

12. Nos igitur cupientes reintegrationem unitatis & pacis eccleſiæ, & in hoc cum aliis principibus inſiſtere, ſequentes veſtigia dicti domini regis, etiam ducti exemplo ſanctiſſimo & ſalutari hortatione ſacri collegii ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, qui per duos ex ipſis nobis ſignificarunt, quod ſeipſos ſubtraxerant ab omni obedientia ipſius Benedicti, per dictam juſtitiam nos rogantes, quod illud idem facere vellemus. Quam hortationem & rogamina devote ſuſcipientes, præſertim in hac cauſa quæ concernit pacem eccleſiæ, Chriſtianorum unitatem ſalutemque animarum, ad ſuper his conſultius deliberandum, ad nos vocavimus prælatos, nobiles & alios proceres, univerſitatum magiſtros, in ſacra pagina & utriuſque juris doctores dictorum noſtrorum comitatuum Provinciæ, terrarumque adjacentium, præſente dilecto & cariſſimo filio noſtro Carolo principe Tarentino, & aliis ſupradictis, quia expedit reipublicæ Chriſtianorum, tales ambitioſos & turbantes pacem eccleſiæ ſemper egenos eſſe, munientes nos ſigno venerabili ſanctæ crucis, inquientes: In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Poſtquam dictus Benedictus ſe alienum a communione fidelium & ſacroſanctæ eccleſiæ judicavit, non agnoſcens articulum Unius eccleſiæ, ſed vult, in quantum in eo eſt, eſſe duas, nos eccleſia, clerus, & populus dictorum comitatuum noſtrorum & terrarum adjacentium eiſdem, de prædictorum vocatorum judicio & aſſenſu recedimus, nuntiamuſque auctoritate præſentium ex nunc receſſiſſe ab obedientia totali ipſius Benedicti: volentes inter cetera, quod ab inantea ipſi Benedicto ſuiſque collectoribus, & aliis ſuis officiariis quibuſcumque, ſuiſque complicibus, fautoribus & ſequacibus

bus ac procuratoribus eorumdem, nullus, A cujuſcumque conditionis fuerit, de reditibus, proventibus & emolumentis eccleſiaſticis quomodocumque vel ex quacumque cauſa ſolvere aut reſpondere præſumat: quod etiam occurrentibus vacationum caſibus, aſſumantur ad prælaturas, dignitates & alia beneficia electiva per electionem, etiam ceteris beneficiis provideatur per collationem eorum, ad quos hujuſmodi electio & collatio ſpectant quomodolibet, ſeu etiam ſpectabunt, adhibitis ad hoc ſolemnitatibus & aliis ſolitis & opportunis. De beneficiis vero complicum, fautorum, & ſequacium prædictorum B per ordinarios provideatur debite vel alias ea concedantur in commendam perſonis idoneis, alienatione bonorum immobilium & pretioſorum mobilium eis ſingulis interdicta, regenda ſcilicet & adminiſtranda, donec alias canonice ſit proviſum: diſtrictius inhibentes univerſis & ſingulis ſubditis noſtris ac incolis comitatuum prædictorum, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus, quacumque etiam pontificali dignitate vel quovis alio titulo ſeu nomine cenſeantur, ne præfato Benedicto ejuſque ſequacibus aut officiariis & auditoribus ſeu juſtitiariis quibuſlibet obedire quomodo- C libet, aut contra tenorem præſentium aliquid attentare præſumant, ſi pœnas graves noſtra & eccleſiæ auctoritate eis infligendas cupiant non ſubire. Et inſuper mandamus earumdem præſentium auctoritate univerſis & ſingulis juſtitiariis & officiariis noſtris infra limites prædictos conſtitutis & eorum cuilibet, quatenus ſervato præſentium tenore, prout ad eorum quemlibet pertinebit, quemcumque his deprehenderint ac noverint aliquatenus contraire, taliter puniant, quod cedat ceteris D exemplum: ponentes, dantes & ſuſcipientes, ipſarum auctoritate præſentium, dictam eccleſiam & omnes & ſingulas perſonas eccleſiaſticas, earumque familiares, & bona in noſtra ſalvagardia & ſpeciali protectione. Datum in villa noſtra Taraſconiæ, ſub noſtro magno ſigillo pendenti per magnificum virum Raymundum Bernardum Flamingi militem, legum doctorem, magnæ noſtræ & regiæ curiæ magiſtrum rationalem majorem, & ſecundarum appellationum Provinciæ judicem collateralem, conſiliarium noſtrum & regium fidelem dilectum, anno Domini MCCCXCVIII. die E ultimo menſis Novembris ſeptimæ indictionis, regnorum vero dicti filii noſtri regis anno XV.

Per reginam, præſentibus domino principe Tarentino, ſeneſcallo Provinciæ, domino de Saltu, domino de Aſſeyo, domino de Coreis, & domino de Seſanſta, & pluribus aliis. Antonius Iſnardi, M. *de la Crois*.

SUBTRACTIO TOTIUS CLERI & omnium capitulorum civitatis Cameracenſis.

IN nomine Domini. Amen. Notum ſit univerſis præſens publicum inſtrumentum inſpecturis, quod cum anno ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo, indictione ſeptima, menſis Decembris die ſecunda, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris domini Benedicti divina providentia papæ tertii decimi anno quinto, nobiles & circumſpecti viri magiſtri & domini Petrus Blancheti & Johannes *de Boiſſay*, excellentiſſimi principis Francorum regis conſiliarii, magiſtri requeſtarum ſui hoſpitii, & per eumdem regem ambaſſiatores ad infraſcripta deputati, in loco capitulari Cameracenſis eccleſiæ unà cum clero civitatis Cameracenſis, ad ipſorum inſtantiam ibidem adunato, conveniſſent, eidemque clero litteras creditivas dicti domini regis præſentaſſent, fidem continentes creditivam; hiſque litteris ibidem perlectis, injunctam ſibi credentiam expoſuiſſent; litteraſque ejuſdem domini regis patentes exhibuiſſent, continentes rationes, motiva, & proceſſum, quæ poſt ſolemnes deliberationes & indagines antedictum regem moverant ad denegationem obedientiæ domini Benedicti prædicti, ad finem unionis eccleſiæ ſanctæ Dei procurandæ, & ſchiſmatis peſtiferi quod diutius, proh dolor! graſſatum eſt, extirpandi: requiſiverunt ex parte domini regis dictos de clero, & exhortati fuerunt ob animarum ſuarum ſalutem, & zelum unionis, & exſtirpationis jam dictarum, quatenus determinationi & obedientiæ denegationi factis per præfatum dominum regem ad finem prætactum & bonum eccleſiæ militantis ſe conformarent. Tandem dicti de clero reſponderunt, quod ſuper viſis, auditis & expoſitis, tamquam univerſalis eccleſiæ pacis & unionis zelatores, deliberationem inter ſe & cum aliis abſentibus haberent, quam citius opportunitate captata acturi & reſponſuri poſt hujuſmodi deliberationem quod juſtum & rationabile foret, Domino miniſtrante; advenienteque quinta die dicti menſis, congregatis præfatis dominis ambaxiatoribus & clero in loco capitulari ſupradicto, pro parte dictorum de clero, per organum venerabilis viri magiſtri Walteri de Bello-viſu, præpoſiti Cameracenſis eccleſiæ jam dictæ, de mandato & commiſſione omnium de dicto clero præſentium, dictis dominis ambaxiatoribus data & facta fuit reſponſio viva voce, & in ſcriptis, ad veriorem cautelam modo & forma inferius annotatis.

Anno 1393. *Ex mſ bibliotheca regia.*

IN Dei nomine. Amen. Viſis & diligenter recenſitis per nos capitula majoris eccleſiæ, ſanctorum Gaugerici & Crucis; abbates &

conventus monaſteriorum ſanctorum Auberti & Sepulchri Cameracenſis, litteris credentiæ ſereniſſimi domini noſtri regis Francorum, & metuendiſſimi domini noſtri ducis Burgundiæ per vos eleganter expoſitæ, proceſſibus, & determinatione ejuſdem domini regis ſuper denegatione obedientiæ domini noſtri Benedicti papæ tertii-decimi in litteris patentibus comprehenſis, & per nos lectis, & auditis requiſitionibus per vos factis de ejuſdem regis mandato, cum nonnullis aliis cauſis & rationibus, & inter ceteras adhæſione collegii ſacri dominorum cardinalium ad finem unionis univerſalis eccleſiæ, & exſtirpationem ipſius ſchiſmatis peſtiferi, quod diutius eccleſiam commaculavit, proh dolor! non aliter aut alias determinationi præfati domini regis Chriſtianiſſimi principis adhæremus. Quia reſponſione facta & perlecta, præfati domini ambaxiatores pro parte dicti domini regis, & ad opus omnium quorum intereſt & intereſſe poterit, quæſierunt a me notario publico ſubſcripto ibidem præſenti, & ad hoc ſpecialiter vocato, ſibi confici de præmiſſis publicum inſtrumentum unum vel plura publica inſtrumenta ſub aſtantium teſtimonio perſonarum. Acta fuerunt hæc in loco capitulari prædicto anno, indictione, menſe, diebus & pontificatu prædictis, præſentibus ibidem venerabilibus viris magiſtro Jacobo Gregorii officiali Cameracenſi, & domino Johanne Louberti preſbytero, notario publico Cameracenſis diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis, ſpecialiter & rogatis. Sic ſignatum.

Et ego Johannes de Pontiſara preſbyter Noviomenſis diœceſis, publicus auctoritate apoſtolica & imperiali notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis ſic, ut præmittitur, factis & geſtis, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui; ideo præſens publicum inſtrumentum inde confectum, quod per alium ſcribi feci, aliis legitime impeditis, ſigno meo conſueto ſignavi, me propria manu ſubſcribens in teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum requiſitus & rogatus.

SUBTRACTIO SCABINATUS & communitatis villæ Cameracenſis.

Anno 1398. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

IN nomine Domini. Amen. Tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis pateat evidenter, quod anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo, indictione ſexta, menſis Decembris die ſeptima, pontificatus domini noſtri Benedicti papæ XIII. anno quinto, in mei notarii publici & teſtium infraſcriptorum præſentia perſonaliter conſtitutis venerabilibus & circumſpectis viris, magiſtro Waltero de Bello-viſu in legibus licentiato, præpoſito & canonico majoris eccleſiæ, necnon Martino de Tornaco eccleſiæ ſanctæ Crucis Cameracenſis canonico, Wilhelmo *Biredelare* præpoſito, Gerardo *Cordelois*, Triſtando *Godene*, & Johanne *Faux*, ſcabinis civitatis Cameracenſis, & quampluribus aliis, ex parte totius ſcabinatus & communitatis jam dictæ civitatis ſpecialiter deputatis. Qui quidem ad tenorem litterarum credentiæ die præcedenti eiſdem ſcabinis pro parte ſereniſſimi & illuſtriſſimi principis domini CAROLI Dei gratia Francorum regis eiſdem per venerabiles & circumſpectos viros dominos & magiſtros Petrum Blancheti & & Johannem *de Boiſſay* archidiaconum parvi Caleti in eccleſia Rothomagenſi conſiliarios & magiſtros requeſtarum hoſpitii præfati dicti domini regis, ambaſſiatores regiæ majeſtatis prædictæ præſentatas, poſt expoſitionem credentiæ eiſdem per hujuſmodi litteras regias commiſſæ, continentes in effectu, quatenus attento quod præfatus ſereniſſimus princeps cum cleri & procerum totius ſui regni conſilio decreverat recedere ab obedientia dicti domini Benedicti dudum in papam electi, certis & legitimis ex cauſis ipſum moventibus, ad finem unionis eccleſiæ ſacroſanctæ, iidem conſiliarii dictæ villæ, ſcabinique & communitas idem facere vellent, ſe dicti illuſtriſſimi principis & totius ſui regni opinioni & ordinationi reddendo conformes, per jam dictos conſiliarios & ſcabinos reverenter exauditam & conceptam; habita ſuper hoc matura deliberatione cum ſuis conſcabinis, conſiliariis, juratis, & aliis quorum poterat intereſſe, per organum memorati venerabilis viri magiſtri Walteri, alterius conſiliariorum principalium dictæ civitatis, reſponderunt in effectu modo ſubſequenti, ſcilicet quod ipſi volentes in omnibus, ut tenebantur, regiæ majeſtati totis virium conatibus in quibuſcumque poſſibilibus complacere, attendenteſque denegationem obedientiæ dicti domini Benedicti & cetera dictæ ordinationis fuiſſe facta provida deliberatione ac matura, ad finem unionis eccleſiæ ſacroſanctæ per hoc citius recuperandæ, dicti illuſtriſſimi principis & domini regis ſuorumque conſilii & regni ordinationi, quantum in eis erat, in hac parte adhærere volebant, & adhærebant, prout ſimiliter fecerunt domini de capitulo & monaſteriorum eccleſiarum civitatis Cameracenſis prælibatæ; ſuper quibus præfati domini ambaxiatores petierunt a me notario publico infraſcripto ſibi fieri publicum inſtrumentum.

Acta fuerunt hæc Cameraci in hoſpitio, in quo tunc erant hoſpitati præfati ambaxiatores, anno, indictione, menſe, die, & pontificatu prædictis, præſentibus ibidem venerabilibus & circumſpectis viris magiſtris Jacobo Gregorii officiali, necnon Radulpho preſbytero canonico & ſigillifero Cameracenſi, ac etiam Ægidio de Vitriaco, Salomone Foreſtarii de Pariſius, & Petro Boſſandi Cameracenſis, Noviomenſis & Senonenſis diœce-

ſum teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Sic ſignatum.

Et ego Petrus *de Caudry* Cameracenſis clericus, auctoritate apoſtolica & imperiali curiæ Cameracenſis notarius juratus, prædictis reſponſioni & adhæſioni, ceteriſque præmiſſis, dum ſic agerentur, una cum prænominatis teſtibus vocatis præſens fui, & hoc præſens publicum inſtrumentum inde confectum propria manu ſcripſi, ſignoque meo ſolito ſignavi rogatus in teſtimonium præmiſſorum.

---

[a] *SUBTRACTIO (a) ECCLESIÆ regis Caſtellæ.*

Anno 1398. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

1. IN Dei nomine. Amen. ENRICUS Dei gratia rex Caſtellæ & Legionis, univerſis Chriſti fidelibus [ſalutem] & ad pacem properanti militanti eccleſiæ ſub uno rectore caritatis vinculo coüniri. Ad tollendum hujus ſchiſmatis peſtiferi rabiem, proh dolor! in Dei eccleſia nunc vigentis, tanto ardentius conamur inſurgere, quanto periculoſius ipſum cernimus perdurare, quantoque foret ſalubrior toti corpori myſtico proviſio unionis, ne ſi in nobis ardens zelus unitatis eccleſiæ orthodoxæ, & quæ ex ea pendet proſperitatis fidei catholicæ, qui noſtra ad id fervide ac ſinceriter accenderat pectora, a fidelium mentibus remitti ſeu tepere putetur, præcipue cum cernimus, Deo propitio, cauſam magis ac magis jugiter deſiderato fini dirigi ac diſponi. Quamobrem ſuperna dirigente clementia, ſolertiam, diligentiam, & curam noſtram inſtantius atque indefeſſius impendere non ceſſamus. Videmus nempe tam nubiloſum atque tenebroſum turbinibus horrendiſſimum ſchiſma peritorum pariter atque innocentium per tot annorum & temporum curricula corda lethalibus vulneribus fauciare, ne vetuſtatis oblivione arbitremur, niſi cauteriſaretur ferri rigore, plagam hujuſmodi fiſtulari. Quid namque nobis commendatius ſentiemus, quam ut animarum ſaluti provideamus propenſius, indefeſſos ferendo labores, & murum nos objiciendo pro fidei conſervatione, necnon & matris eccleſiæ unitate aſcendere volentibus ex adverſo, magiſtri noſtri veſtigiis inhærentes, qui licet omnium Dominus, nihilominus tamen ſervi formam ſuſcipiens, pro generis humani ſalute ſeipſum morti ſubjecit; cujus inter cetera notanter illud ſervare debemus, ne occaſionem ſcandalis præbeamus, qui ea nullis obnoxius culpis vitavit, atque ſub interminatione gehennæ vitare docuit ac juſſit. Beatiſſimus etiam Paulus, ille doctor gentium eximius, auriga fidei, apoſtolorum gemma, utriuſque tam novi quam veteris teſtamenti divinus interpres, ſcandali perniciem exſecratus, & præſidentibus exempla relinquens, libertatem propriam ultroneus dereliquit, judicia atque diſſidia fugere, immo potius ferre injurias perſuadens, fraudemque pati divinitus hortabatur. Numquid tam ſacrilegum atque lamentabile ſchiſma defleviſſet, & in ſancta eccleſia ad quartum uſque luſtrum venenum ita peſtiferum ſchiſmatis, ſine cujuſque antidoti remedio impune tuliſſet? Nonne languente matre, hos duos, ſi dicamus filios, pertinaci animoſitate per cavilloſas jurium aſtutias viſcera genitricis inhumaniter lacerantes, tam ... membrorum ceterorum compagine merito depuliſſet? utrumque compellens deſiſtere, aut nihilominus certantes diutius cum tanto diſcrimine, pro libidinoſa dominandi ambitione, præſidendi faſtu, ſublimi ſtatu, lautis cibis, ornatibus variis, & hoc unicæ vocis applauſu beatiſſimæ pacis, a vicariatu Chriſti magiſtri humilis, eorum etiam providendo ſaluti, noxios eccleſiæ vaſtatores abigendos a præſidentia tam noxia prædicaret, tantumque ſe terrenæ poteſtati conformantes, extincto prorſus humilitatis ſpiritu, antiſtitum indignos obedientia judicaret. Quibus Phares merito, quod interpretatur diviſio, improperare poſſumus. Dividit namque qui vel oves diſpergit, vel diſperſas ponendo pro eis animam non congregat: quin potius hi fortaſſe animas ultronei auferunt, ne diſperſum aut bipartitum gregem ſub Chriſti veri paſtoris unici paſſi pro illis ovili concludant. Sed quomodo animam ſuam dabit, qui pro ſuis ovibus non dat cappam, aut hujus tranſitoriæ vitæ ſubſtantiam, non videmus: ut dicamus eccleſiæ matri noſtræ: Ut quid mater eos lactaſti, puerperii enixa labore fomentis multiplicibus educaſti, & prætuliſti honorum culminibus variorum? Immo, proh dolor! ipſi ſpreverunt te, turbant te, te impugnant, ſuper te conantur, ſuper tuam veſtem miſerunt ſortem, immo eamdem inconſutilem lacerare .... & nedum hoc, quin immo in te cum totius Chriſtianitatis inter ſe ad invicem agonizantis diſcrimine deſævire, & lethali vulnere in duo paria vel imparia fruſta conſcindere, ac bipartitam perpetuo detinere, erumpentibus inde velut cumulatiſſimo grege vermibus: adeo ut ſi citius proviſio quæ ſequitur, adhibita non fuiſſet, putridæ huic plagæ & tabidæ ſaniei fortaſſe, niſi omnipotentis provideret digitus, numquam fomentorum juvarent medicamina, nec ſine figuræ typo loquentes, unionis eſſentia potiremur.

2. Conſtanter autem atque gementes aſſerimus, quod prælibatum ſchiſma eſt innumerabilium guerrarum pariter & turbationum totius Chriſtianitatis exordium, cujus utique ſedatio ſchiſmatis illis eſſet remedium opportunum: quod prudenter conſiderans cardinalium ſanctum & venerandum collegium, quodque tam valide diutius fuerat radicatum, quod facile non poſſet funditus exſtirpari,

(a) Ejus partem edidit Raynaldus ad annum 1398. Integram hic damus.

immo quod ſi unitatis differretur proviſio, poſſent merito perpetuitate ejuſdem ſchiſmatis diſpendia cæmentari; omnibus inſimul dicti collegii cardinalibus in conclavi pro futuri electione pontificis celebranda, & domino PETRO vulgariter nuncupato de Luna cum eis poſt obitum domini CLEMENTIS VII. conſtitutis, ordinaverunt & ſtatuerunt cedulam quamdam juramenti vinculo roboratam per omnes; quam & idem PETRUS DE LUNA tunc cardinalis ſimiliter jurejurando firmavit, inter cetera effectualiter continentem, quod electus in papam procurabit ſane veraciter & abſque machinatione, excuſatione vel dilatione quacumque, omnes vias utiles & accommodas ad utilitatem unionis eccleſiæ prædictæ, uſque ad ceſſionem incluſive de papatu faciendam, ſi eiſdem cardinalibus vel majori parti eorum pro bono unionis prædictæ videretur expedire. O Pater omnipotens, qui cordium & renum ſcrutator exiſtis, ſi, quod dictio illa uſque ad omnes vias ſerioſe actualiter practicandas referri ſano debeat intellectu primitus quam ad ceſſionis viam pro habenda eccleſiæ unione, fuerit talis dictantium cedulam animus, cum tam ſanctis adjacentibus ſermonibus, talis etiam tergiverſationis illuſionem tali ſubſecuta pertinacia ad immane flagitium non ſentires, ut talis hujus jurisjurandi obſervantia non tam improbabilis, quam a ſiniſtri ſpiritus ſuggeſtione procedens merito judicetur. Sapit ſeu deſipit qui ſic ſentit.

Locus obſcurus & implicatus.

3. Quibus ſic peractis, prædictus dominus PETRUS DE LUNA fuit per omnes concorditer electus, & vocatus BENEDICTUS XIII. Subſequenter autem fere novem elapſis menſibus, prædicti domini cardinales, intentione ſua ſuper dicta cedula conſiderata atque propoſito ſuperius præſtiti juramenti; attendentes aliàs quàm per amborum de papatu contendentium ceſſionem, non poſſe unionem in eccleſia veriſimilius evenire, cujus vel cujuſvis alterius viæ diſpoſitio eorum humeris, juxta cedulæ præſcriptæ ſeriem, incumbebat, intentionem ſuam declarantes, quamdam ediderunt cedulam, cui ſe ſubſcribentes ſub hac forma dixerunt: « Viam ceſſionis præ ceteris quibuſcumque viis elegimus & eligimus tamquam convenientiorem, breviorem & utiliorem ad dictam unionem faciendam, & toto populo Chriſtiano gratioſam, ad ſchiſma tollendum & ſingulorum conſcientias ſerenandum, viamque hujuſmodi ceſſionis expedire pro bono unionis eccleſiæ prædictæ, & dicimus eidem domino noſtro papæ & etiam diximus, & atteſtamur, & aſſerimus, conſuluimus & conſulimus, ut illam acceptet & exequatur. Inſuper aſſerimus & confitemur nos velle in hujuſmodi propoſito firmiter perſiſtere, & de practica executionis hujuſmodi viæ ceſſionis & aliis circa illam & poſt illam neceſſariis & opportunis debite, & prout ad nos pertinebit, conſulere & etiam providere. »

4. Cum autem complerentur hæc omnia, idem Benedictus ſcripſit nobis per ſuum ſpecialem nuncium inter alia, quod ad eum dirigeremus ambaxiatores noſtros, quibus ipſe ſui animi ſecreta penitus omneſque conceptus in hujuſmodi materia revelaret; quod cum Seneca recenſendo, & commemorando præterita, & futura diligentius cogitando, prudentius tam grave negotium volentes aggredi & operi mancipare; omnibus regni proceribus & baronibus convocatis, necnon univerſis prælatis, magiſtris, doctoribus, religioſis, & aliis rectæ intentionis perſonis in civitate noſtra Segobienſi, eos conſulendos duximus, quæ via foret melior, brevior & utilior ad unitatem eccleſiæ conſequendam, impleturi pro poſſe quod per eos deliberatum eſſet, examinatum concorditer & conſultum; qui omnes jurati ſolemniter ſuper ſignum crucis, & ſancta Dei evangelia, & ſanctorum reliquias, nobis expoſuerunt, quod licet cariſſimus frater noſter rex Francorum viam ceſſionis præciſe offerendam duxerat eidem domino noſtro papæ, ac etiam humiliter ſupplicandum per conſanguineos noſtros duces, ſuos patruos atque fratrem: nihilominus tamen pro Dei ſervitio & bono unitatis prædictæ, & honore papæ melius conſervando, & ut intentio domini papæ juxta per eum oblata præfatis ducibus, & intentio ejuſdem cariſſimi fratris noſtri ſanius concordarent, dixerunt & conſuluerunt nos debere procedere in hunc modum; videlicet quod dictus dominus BENEDICTUS cum ſuo collegio, ejuſque adverſarius cum ſuo anticollegio ſimul convenirent, & ſi uſque ad certum terminum non darent unicum papam toti eccleſiæ, per viam quam ipſi ducerent eligendam, quod ex tunc ambo tenerentur cedere juri ſuo quod habebant, ſeu ſe habere prætendebant, ſub certis ſufficientibus ſubmiſſionibus & obligationibus ordinandis judicio peritorum. Ad quod fuit datus & ordinatus certus modus practicæ ex parte noſtra eidem domino papæ, in cujus fine cavetur, quod ſi papa vel quiſquam alius in dicta practica aliquid in melius cerneret immutandum, ordinandum vel etiam minuendum, nobis gratum erat ſtare judicio meliori. Super quibus eidem domino BENEDICTO per noſtros ambaxiatores extitit humiliter ſupplicatum: quibus ſupplicationi & poſtulationi per nos factis minime condeſcendit.

5. Sane poſt prædicta, lapſo magni temporis ſpatio, eidem BENEDICTO per ambaxiatores noſtros una cum ſolemnibus ambaxiatoribus cariſſimi fratris noſtri regis Franciæ, & cum ambaxiatoribus regis Angliæ, fuit denuo ſupplicatum cum humilitate debita, quod placeret eidem acceptare viam ceſſionis quam ipſe juraverat, ut ſupraſcripta cedula

dula continetur; ipſe vero reſpondit quod prælabito conſilio ſuper his, deliberationem ſuam ſignificaret regibus antedictis, quod uſque in hodiernum diem facere prætermiſit. Subſequenter fuit idem dominus papa ſolemniſſime per eoſdem ambaxiatores eorumdem regum & noſtros ſummatus, ſeu etiam requiſitus, quod uſque ad feſtum Purificationis beatiſſimæ Virginis ipſe per ſe aut cum adverſario provideret quovis modo eccleſiæ de paſtore, alioquin ex tunc reges provideremus cauſas tollendi, quæ ſunt occaſio ſchiſmatis nutriendi, qui terminus Purificationis præteriit, infecto adhuc per eum negotio penitus, aut etiam inchoato.

6. Ceterum ut quiſque fidelis intentionis noſtræ juſtitiam ſentiret apertius, quam in hoc negotio ſemper habuimus, ad eumdem Benedictum rurſus alium ambaxiatorem noſtrum deſtinavimus, per quem eum ſuper præmiſſis fecimus iterato requiri: jubentes eidem domino papæ narrari denuo ſupplicationes, requiſitiones, & ſingula ſupradicta, & ut inter cetera idem ambaxiator noſter ſibi unam exhiberet cedulam, cujus tenor materialiter ſequitur in hæc verba: Idcirco flexis genibus in ſuæ ſanctitatis præſentia humiliſſime noſtri ex parte ſuæ clementiæ ſupplicabitis, & etiam omnipotenti Deo requirentes exponetis eidem, quod pro gratia & miſericordia ſpeciali recto libramine ponderare dignetur ſingula negotium præſens concernentia, & veriſimiliter ſecutura, & dignetur placare atque lætificare omnes Chriſti fideles, qui cum via ceſſionis præ ceteris contentantur, quia eſt brevior & melior, pluſque conſcientiarum cunctorum in orbe degentium ſerenativa, & ſcandalorum omnium ſedativa, quam ſervare jurejurando promiſit, & quam conſtanter cardinalium ſacrum collegium aſſerit atque tenet, dicentium iſtam fore meliorem, & per quam eccleſia Dei citius ad veram perveniret unitatem. Dignetur etiam convenire, & pro unione concordare cum adverſario ultra prædictum feſtum Purificationis in competenti termino, qui per ambaxiatores & procuratores cariſſimi fratris noſtri regis Francorum & noſtros ſupplicative atque requiſitive extitit aſſignatus. Si autem objiciat quod practica, ſeu via quam nunc ipſe offert ſit melior, tutior & brevior; reſpondebitis, quod eamdem vel aliam practicet, quæ ſibi placuerit, infra dictum terminum noviſſime aſſignatum, qui eſt terminus in quo ambo contendentes concordare debebunt, ut ſi concordes non fuerint, in eodem termino providendo eccleſiæ de certo & indubitato paſtore, ex tunc ambo cedere teneantur cum ſuffi-
cientibus ſubmiſſionibus & obligationibus, ut melius fieri poterit judicio peritorum, cum ordinationibus etiam apoſtolicis, ut ipſe fieri depoſcit in via quam nobis per Conchenſem epiſcopum deſtinavit, quæ nihilominus inſufficiens & ad unionem infructuoſa patere poterit cuilibet intuenti; & caſu quo noluerit iſtud facere, aperietis eidem noſtri ex parte, ne ſuſcipiat ad moleſtum, quoniam neceſſarium eſt nobis ſecundum Deum & bonæ conſcientiæ debitum viam proſequi per prælatos, magiſtros, religioſos, doctores, atque perſonas bonæ & ſanctæ intentionis regnorum noſtrorum nobis conſultam concorditer atque electam, cujus contrarium faciendo, arbitraremur in noſtri damnationem adaugeri, ſi tanto errori & pernicioſo exemplo hujus peſtiferi ſchiſmatis, quod viginti annis jam duraverit, univerſi reges non curarent remedio congruo providere, ne totus populus tanto ſe periculo, tribulationi atque cœcitati ſubactum eſſe cognoſcat. » Quibus idem papa ſatisfacere effectualiter, immo nec reſpondere curavit.

7. Poſt hæc autem omnia archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniarum primas, ad pacem eccleſiæ ferventer anhelans; de conniventia noſtra ſcripſit cardinali Pampelonenſi, in cujus litteris inter cetera continebatur exhortatio quædam, quæ ſequitur in hæc verba: « Compellat ergo dominum noſtrum papam ad iſtam viam ſanctiſſimam eligendam, immo apertis brachiis amplectendam, ſincera & immaculata ejus conſcientia, ſuaque bona & ſanctiſſima atque recta intentio: quoniam ipſe in minoribus conſtitutus, ſemper laboravit indefeſſe angariationibus jugibus diverſas peragrando provincias, ut haberetur unio in eccleſia ſancta Dei; & etiam poſtquam fuit ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumtus, clamavit & clamat, & etiam regibus ſcripſit ſe velle tollere illud ſchiſma & reducere eccleſiam Dei brevius quam poſſet ad veram unitatem. Sed nulla alia via melior, brevior & ſecurior, quam iſta. Igitur ultroneus ſe debet ad eam recipiendam offerre; ardeat utique intra viſcera ejus paſſio Domini noſtri Jesu Christi, qui expanſis membris mori voluit antequam gens tota periret. Ferveat & bulliat in acie mentalium oculorum ſanguis pretioſiſſimus Domini noſtri Jesu Christi, qui effuſus eſt, ut totum genus humanum redimeret. Ipſe enim languores noſtros voluntarie ſuſtinuit, & peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, cujus livore tota Chriſtianitas ſanata eſt, quæ tota, vel ſaltem major pars ipſius Chriſtianitatis propter illud horrendum ſchiſma eſt in perditione. Dicam de eo & ei, Vicarie Jesu Christi, tibi Dominus noſter Jesus Christus reliquit exemplum, ut ſequaris veſtigia ejus qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. tibi enim commiſit oves ſuas paſcendas, pro quibus tamquam bonus paſtor mori teneris, quanto magis ſi eas videas, ſicut per viginti annos vidiſti & adhuc perite cernis, non oſferes modicam ceſſionem, quam approbat tuum collegium cardinalium, & majores prin-

» cipes, reges, duces, & barones totius mundi; & insuper fere omnes prælati, & doctores totius orbis, & communitates plures, ac omnes populi, & omnes majores & mediocres & minores una voce dicentes: non est alia via ad serenandas conscientias nostras, præter istam. Non dubites, beatissime pater, & domine mi, non dubites eam acceptare, nec trepides ubi non est timor, quia sine dubio principes mundi, & tu pacificatus cum ovibus tuis remanebis in pace. O quanta laus erit tibi, remedium animæ tuæ, immo refrigerium, & per sæcula laudabilis gloria & exemplum!

8. Scripsit etiam idem archiepiscopus Toletanus eidem domino BENEDICTO, cum copia litteræ prædictæ ad dominum Pampilonensem directæ, & cum exhortationis clausula in ejus littera intercluſa, ut ad ejus notitiam deveniret. Ad quæ idem dominus BENEDICTUS minime respondere curavit. Novissime autem post omnia & singula supradicta, abundantius volentes eumdem dominum Benedictum, quantum in nobis erat, quomodolibet contentare, scripsimus in nostra civitate Abulensi, effectualiter eidem significando, quod dignaretur adhuc acceptare prædictam primam viam, quam primo loco sibi de Segobia miseramus, sine cujusque termini præfixione, quod scilicet ipse cum adversario convenirent, vel taliter laborarent, ut nobis darent unum papam indubitatum, alioquin nobis necessarium erat exequi, quod per prælatos & concilium regni nostri matura digestione deliberatum fuerat, & proinde ordinatum. Ipse autem neglexit accommodare consensum in aliquo præmissorum, quin immo continuata intentione hucusque, licet toties & multiplicatis vicibus tam humiliter quam solemniter pulsatus & requisitus, tamque rationabiliter, ut est dictum, semper recusavit, & recusat acceptare, aut offerre viam sufficientem ad prædictum schisma tollendum, & per quam lacerata etiam ecclesia sub unici pastoris regimine requiescat, & tranquillæ sortita pacis effectum, unionem debitam assequatur.

9. Attendentes etiam quod post idem rex Francorum, nedum prosapiæ suæ, sed etiam multorum aliorum principum & ecclesiæ regni consilio & assensu, jam diu est, se subtraxit a totali obedientia ejusdem Benedicti. Attento etiam quod sacrum cardinalium collegium ab ejusdem obedientia similiter se subtraxit. Considerato etiam insuper & attento quod supradictos contendentes in obedientia sustineri, est occasio sive causa plures habendi sequaces, participes vel fautores, beneficiorum ecclesiasticorum seu gratiarum intuitu, vel dum nunc hos, nunc illos alliciunt muneribus sive donis. Quidam etiam quibus cum conscientiæ sinceritate via cessionis apparet melior, ut eidem assistentes accepti atque grati beneficia possint assequi, & dignitatibus sublimari, nihilominus suadent cessionem non fieri: quæ omnia sunt schismatis fomenta non minima, & unionis offendicula manifesta: quibus per obedientiæ subtractionem cessantibus, unio facilius sequi posset. Pensantes siquidem, quod in nos Deus animadverteret acrius, immo, quod absit, in damnationem acerbissimam verteretur, si nos ac ceteri reges, quibus ipse justitiæ commisit imperium atque gladii potestatem, & ecclesiam suam signanter in hujusmodi casibus commendavit, prout uniuscujusque opportunitas se obtulerit, sufficienti remedio pro ejus adjutorio deesſemus, præcipue cum juxta sanctorum decreta patrum & traditiones tam pestilenti morbo nequeat congrua & salubris provisio, nisi per potestates sæculares atque terræ principes procurari, nec alius supereſt qui sufficienti remedio provideret. Suadet itaque sic expleri naturalis cujusque prudentis, circumspecti, seu oculati viri discretio, divini juris & humani clamat auctoritas, urget invincibilis ratio, cui resisti nequit, aut rationabiliter obviari. Unde si post hujusmodi multiplices supplicationes & requisitiones eidem Benedicto per nostros ambaxiatores factas, modis debitis, ut præfertur, ipsius partem sustineremus, ulterius merito nobis posset adscribi, quod allecti muneribus & gratiis eidem Benedicto faverimus indebite, & nefando schismati præberemus assensum, Christianitatis pesti mortiferæ fomenta cladifera ministrantes, deque reünienda Christi ecclesia minime curaremus.

10. Ideo præmissis & aliis debita meditatione pensatis, quæ longum foret describi per singula, ut cunctis pateat nos scissuræ vestis Dominicæ condolere, ac etiam eam, quantum in nobis est possibile, resarcire: Nos omnipotentis & altissimi Regis regum nomine invocato, cum consilio & assensu illustris & carissimi germani nostri infantis domini FERNANDI, necnon prælatorum, ducum etiam, comitum, procerum, & baronum, magistrorum, doctorum, religiosorum virorum regni nostri ad hoc specialiter vocatorum, eumdem omnipotentem Deum præ oculis semper habendo, declaramus subtrahi debere totalem obedientiam eidem Benedicto in spiritualibus & temporalibus, in terris omnibus nostri districtus atque dominii sive regni: & denuntiamus præsentibus fore subtractam, subtrahimusque nos, regna, dominia, terras, loca cujuscumque districtus nostri, ecclesiam, clerum & populum regni nostri ab eodem Benedicto, inhibentes firmiter, ut nullus audeat eumdem Benedictum ut papam tractare, nec eidem aut ejus præceptis obedire, aut cum redditibus quibuscumque, vel obedientia spirituali, vel temporali, vel cuivis alteri pro eo ex quacumque causa & super quibuscumque aliquatenus respondere, quodque in prælatiis, dignitatibus & benefi-

ciis ceteris vacantibus & etiam vacaturis, ſi electiva fuerint, per electionem & per confirmationem archiepiſcoporum provideatur, adhibitis ſolemnitatibus in præmiſſis. Sane ut ſancta & recta intentio, quam nos ad unionem ſanctæ matris eccleſiæ ſemper habuimus & habemus, univerſis pateat manifeſte, nec arbitretur quiſquam nos quacumque ſiniſtra intentione moveri, niſi dumtaxat propter zelum unionis eccleſiæ ſupradictæ, voluntatis & propoſiti noſtri eſt, numquam & nuſquam obedire intruſo, qui ſe BONIFACIUM appellat, nec eum habere aut ſuſcipere in ſummum pontificem, nec etiam obedire cuiquam alteri eligendo in papam, niſi fuerit electus canonice, & obeditus per univerſalem eccleſiam, verus, unicus, ſummus pontifex & receptus. Jubemus inſuper, quod omnes & ſinguli noſtri regnicolæ plenarie pareant ſuis archiepiſcopis, epiſcopis, ceteriſque prælatis, habentes eos in ſuos veros pontifices & paſtores. Si quis autem in præmiſſis aut eorum quolibet temerarius violator extiterit, poſt voluntatis noſtræ acrimoniam, adverſus eum dira procedat ultio, velut in eum qui regis ſui præcepta contemnit, & domini ſui audet juſſionibus contraire. Præſentium inſuper auctoritate noſtra mandamus univerſis & ſingulis juſtitiariis & officialibus regni noſtri & eorum cuilibet, ut quoſcumque deprehenderint præmiſſa vel eorum quodlibet violare, taliter puniant, ut cedat ceteris in exemplum. Datum in villa de Alcala de Henares ſub noſtro ſigillo plumbeo, cum noſtri appoſitione nominis, & ſigno Johannis Martini cancellarii noſtri ſigilli ſecreti, & etiam notarii cameræ noſtræ & omnium noſtrorum diſtrictuum & regnorum, XII. die menſis Decembris, anno a Nativitate Domini MCCC. XCVIII.

11. Acta fuerunt hæc anno, die, & menſe quibus ſupra, præſentibus illuſtriſſimo domino FERRANDO infante, fratre domini noſtri regis, duce de *Pentorfiel*, comite Majoricæ & de *Albuquerque*, & domino de Lara, ac proceribus dictorum regnorum atque baronibus, tam abſentibus quam intereſſentibus, ac reverendiſſimo in Chriſto patre & domino PETRO cardinali Hiſpaniæ, necnon reverendo in Chriſto patre domino PETRO archiepiſcopo Toletano, Hiſpaniarum primate, pro ſe & prælatis dictorum regnorum tam abſentibus quam præſentibus, domino etiam LAURENTIO SUGGERII magiſtro militiæ S. Jacobi, ENRICO comite de *Montelegre*, & domino MARTINO comite Valentiæ, domino etiam Petro Lupi de Mala cancellario majore domini noſtri regis, & pleriſque aliis cancellariis.

12. Et ego prænominatus Johannes Martini prædictis omnibus & ſingulis, dum præmiſſa obedientiæ ſubtractio & inhibitiones & præcepta per dictum dominum meum regem viva voce publicarentur, promulgarentur, & fierent, una cum prænominatis interfui, & præſentem ſubtractionis teſtimonialem litteram per alium fideliter, me aliis occupato negotiis, ſcribi feci, & prehabita collatione ſigno proprio ſolito conſignavi in teſtimonium veritatis.

EPISTOLA CAROLI Francorum regis, ad Wenceſlaum Romanorum regem.

Hortatur ad procurandam eccleſiæ pacem & unionem.

SEreniſſimo & illuſtriſſimo principi WENCESLAO Dei gratia Romanorum & Bohemiæ regi, conſanguineo prædilecto, CAROLUS eadem gratia Francorum rex, ſalutem. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

Sereniſſime princeps, ecce quomodo diebus noſtris verſutus ille hoſtis, qui mille habet modos nocendi, & a principio ruinæ ſuæ conatur unitatem eccleſiæ ſcindere, ſic prævaluit, quod eccleſia Dei jam per decem & novem annos per ſchiſma dominorum contendentium de papatu ſic lacerata lamentabiliter permanſit, & adhuc eſt diſpoſita in diviſione permanere proſtrata, niſi veſtra celſitudo, quæ ad hoc præ ceteris regibus, eo quod Deus omnipotens majora commiſit, eſſe noſcitur obligata. Nos & reges ceteri catholici via regia incedentes ad Deum, & ſalutem populi non a dextris, neque a ſiniſtris oculum habentes, ſicut divinitus per organum regis ſancti creator omnium nos excitat dicens: *Nunc reges intelligite, &c.* more noſtrorum viriliter, quibuſcumque favoribus poſtpoſitis, manum apponamus. *Regnum enim in ſe diviſum*, ut proceres antiqui prædixerunt, *deſolabitur*; & lex adverſum ſe diviſa deſtruetur, & ſive augeatur pax in eccleſia per fideles principes, ſive ſolvatur, ille a nobis omnibus, & plus ab eo cui plura commiſit, in tremendo judicio rationem exiget, qui regum poteſtati eccleſiam ſuam tuendam commiſit: pro cujus unione in diverſis mundi partibus ſunt viæ multæ a Chriſti fidelibus exquiſitæ: quarum, ut videtur, ſunt aliquæ ad pacem & unionem habendam, vel non bene poſſibiles, vel omnino inutiles & ineptæ: nam via diſcuſſionis juris partium ad ſedationem ſcandali, nunc ſicut Deo placuit in eccleſia exiſtentis, non eſt bene poſſibilis, ſicut veſtra oculata majeſtas regia clare videre poteſt. Si enim dicamus, generale concilium congregabitur, quis in tali concilio, quoniam Chriſtianitas ſuper unitate capitis ſic diu diviſa extitit, præſidebit? Et quomodo prælati per utrumque contendentium, vel eorum prædeceſſores promoti, qui utique pars ſunt, (nam de eorum ſtatu agitur, quia promoti ab illo qui reprobaretur, utique etiam reprobati remanere deberent, ſicut alias quando

ſchiſma per viam diſcuſſionis legitur fuiſſe ſedatum, ſemper factum fuit,) macula ſuſpicionis quacumque ceſſante, canonice judicare poterunt? & præcipue quia materia non eſt taliter fidei, quando concilium in his quæ ſunt facti & in facto conſiſtunt, humanitus errare poſſet, illi etiam per quos poſſet melius veritas haberi, nonne jam mortui ſunt? Quid diceret pars quæ per viam diſcuſſionis ſuccumberet? nonne ſatis colorate diceret, quod æterni tribunal judicis illum reum non habet, quem judex injuſte condemnat, teſtante propheta, qui dicit: *Nec damnabis eum, cum judicabitur illi;* & fortius multo remaneret ſcandalizata quam nunc, ſi in ſchiſmate perſeveraſſe ſic diu & forſan contra juſtitiam per ſententiam declararetur: & ſi viam prædictam amplecteremur, attenta fixa & antiquata opinione partium, veriſimiliter pars una diceret: Papa noſter habet jus, & ita nos qui ſumus major pars ordinamus; alia vero & forſitan canonice reſponderet: licet nos ſimus minor pars in numero perſonarum, ſumus tamen, omnibus attentis, major & ſanior, quia pars quæ meliori & ſaniori ratione innititur, ſecundum ſacros canones major & ſanior reputatur; & ſic dum anſam ſolvere crederemus, nedum ſchiſmaticos ſine dubio fortius firmaremus. Et ſi iſta via concilii per rationes prædictas & alias multas, quas veſtra ſerenitas melius conſiderare novit, ad ſedationem ſcandali non eſt bene poſſibilis, quanto minus via compromiſſi vel concilii particularis, quæ pro certo non eſſet quoquo modo ſcandali ſedativa. Nam ſola canonica electio facit papam, non compromiſſariorum ſententia, quæ profecto novum jus non tribuit, ſed ſolum declarat antiquum. Et licet dicatur: ille qui habebit ſententiam concilii generalis vel compromiſſariorum, facta per alium omnia confirmabit, credo quod veſtra ſerenitas non libenter audiret ſententiam, per quam in effectu appareret felicis memoriæ dominum CAROLUM patrem veſtrum malam in facto eccleſiæ opinionem tenuiſſe, & in ea dies ſuos finiviſſe; nec etiam nos vice verſa de nobis & patre noſtro talem declarationem, teſtis eſt nobis Deus, libenter audiremus, & contra promotos qui adhuc vivunt, remaneret labes indelebilis, immo potius inſania facti. Nonne diceret populus: principes & prælati noſtri deceperunt nos, qui utique ſunt promoti per papam ſchiſmaticum; & ita principes & viri eccleſiaſtici eſſent opprobrium hominum & abjectio plebis. Et de compromiſſariis quando eſſet concordatum? forſan numquam; & ſi eſſent in numero pari, veriſimiliter cauſa ſine fructuoſo exitu remaneret, & imparitas magis de una parte, quam de alia rationabiliter haberi non poſſet, quia pars quæ majorem haberet numerum perſonarum, poſſet etiam contra juſtitiam damnabiliter obtinere. Via facti eſt, ut videtur, a Chriſto expreſſe reprobata, qui dicebat apoſtolis contendentibus de primatu: *Reges dominantur, vos autem non ſic, &c.* Et per iſtam vere non ſedaretur ſcandalum, immo fortius multo creſceret & augmentaretur, attenta fixa & probabili partium opinione. Nam ſi reges qui obediunt uni, per viam facti alium impugnarent, illi qui alteri obediunt, ſuum pro viribus defenſarent, mortes, raptus, incendia fierent, & alia multa infinita, quod abſit. Quid dicam? ut jam fere totus mundus clamat, nulla ad delendum penitus ſchiſma præſens eſt via habilis & ſufficiens, niſi amborum contendentium ceſſio, ſeu renuntiatio. Luce enim clarius eſt, quod verus papa poteſt papatui renuntiare, & quod pro ſedatione gravis ſcandali tenetur ad hoc ſecundum canonicas ſanctiones; & ſi propriæ ſalutis immemor hoc facere renuat, lex eccleſiaſtica clamat, immo potius Spiritus-ſanctus, cujus dono dictata eſt, quod malum eſt ſchiſma eſſe, & per regales poteſtates canonicæ ſcripturæ auctoritas, & paternarum nos regularum veritas docet. Et ſi illi qui in ſchiſmatibus inveniuntur, ad unionem redire non, quia coguntur, reprehendant; ſed, quod coguntur, attendant; & alibi cur hoc fieri non poteſt, ut de ſedibus quæ illicite uſurpantur, vel ad Dei injuriam retinentur, pius expellat impium & juſtus injuſtum? & nos Deo dupliciter ſervire debemus, aliter quia homines ſcilicet vivendo fideliter; aliter, quia reges, leges juſtas præcipientes, contraria prohibentes, convenienti vigore exequendo. Quæ prudenter attendens tempore BENEDICTI IX. & alias, ut referunt hiſtoriæ, imperator, veſtræ ſerenitatis anteceſſor, realiter practicavit, duobus contendentibus expulſis, & CLEMENTE II. promoto, & in hoc claudat os male loqui volentium canon Auguſtini ſic dicentis: Mirantur quia commoventur reges contra diſſipatores eccleſiæ, ſi non commoverentur, quomodo redderent rationem de imperio ſuo Deo? Quid dicam? Ad reges ſæculi ſpectat, ut temporibus ſuis velint matrem ſuam eccleſiam eſſe pacificam, de qua ſpecialiter nati ſunt; nec fixa determinatio patrum & longa adhæſio, quam iſtis ambobus fecimus, debet nos a proſecutione hujus viæ in aliquo retrahere, quia alma mater eccleſia, cujus actio noſtra debet eſſe inſtructio, plerumque nonnulla rationabiliter ordinat & conſulte, quæ ſuadente ſubjectorum utilitate poſtmodum conſultius & rationabilius revocat, in meliusve commutat. Et vere ſi bene videantur hiſtoriæ, numquam aut raro ſchiſma, quod nihil aliud eſt, ut dicunt ſancti doctores, niſi contentio illicita de primatu eorum, inter quos unitas eſſe debet, legitur fuiſſe ſedatum niſi per reges & principes fideles. Illuminare ergo, ſereniſſime princeps, his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, dirigendo pedes veſtros in viam pacis, in qua jam reges multi conveniunt, & ſic de facili

veſtra

veſtra ſerenitas conveniet populos in unum, & reges ut ſerviant Domino, ad iſta attenti & ſolliciti more majorum noſtrorum, poſtquam pluries per vos fuimus ad laborandum in hoc requiſiti, & nos etiam vos pluries per nuncios noſtros, ſicut decuit, excitavimus, veſtrum ſalubre reſponſum eum ſummo deſiderio expectamus. Nec vos malorum ſeductiones moveant, qui dicunt, quod principum ſæcularium poteſtas & auctoritas, quam nunc habent, minuetur, ſi eccleſia ad unionem reducatur: abſit quod princeps catholicus talibus ſeductionibus aurem præbeat, ſed potius claræ memoriæ Juſtiniani imperatoris veris aſſertionibus firmiter credat, dicentis quod ſi ad hoc vera Dei dogmata omnes attendamus diligenter & ſine mora, magna nobis a Deo dona dabuntur, & quæ nunc ſunt firma habebimus, & quæ numquam hactenus evenerunt, acquiremus & finaliter æternæ gloriæ coronam, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Quod vobis concedere dignetur ille cujus cauſa agitur, Dei Filius benedictus, amen.

---

[4] QUÆDAM NOTABILIS LITTERA (a) directa domino regi.

Hortatur ad pacem eccleſiæ procurandam.

Exemſ. bibliothecæ regiæ.

POtens & inclyte rex, dignetur veſtra majeſtas regia adeo multis virtutibus inſignita advertere, quod a jam diu Dei eccleſia, de qua ſpiritualiter natus eſtis, adverſa pertulerit, & quod per ambitioſos & ſimoniacæ hæreſis trapeſitas repetitis malleis crebris concuſſionibus ſubjacuerit, ſic quod diebus veſtris columna Dei viventis jam pene videtur nutare, & ſagena ſummi pontificis procellis intumeſcentibus cogitur in naufragii profunda ſubmergi; quam ſi pernicioſum eſt in tranquillitate projectam deſerere, quanto magis in procella? Et vere recidiva mala, quibus majores noſtri, ſi executor adeſſet, forſitan bene proviserant, fortius quam umquam hodie prævalent, cum diutius quam aliàs eſt auditum, ſic per paucos lacrymabiliter plurimi fluctuamus. Heu! Chriſtianiſſime rex, ecce nunc tempus illud flebile, ut videtur, de quo Salvator prædixit in evangelio, pſeudoepiſcopos & pſeudoprophetas ſurgere & multos ſeducere, & fideles ſuos in mundo multas habituros preſſuras, & quod uno peccante, ira Dei deſuper omnem populum venit; & hoc, inquit Hieronymus, accidit, quando qui populo præſunt erga turbatores eccleſiæ benivoli videri volunt, verentes eorum linguas, ne de ipſis male loquantur, & dum, inquit, pro tunc uni univerſæ eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ iſta bonitas? quæ benevolentia, uni vel duobus parcere, & omnes in diſcrimen adducere? Exſurgat ergo Deus, & vos ejus miniſter attendite ex adverſo, & conſtituite vos murum pro domo Iſraël. Nam vere diſſipatoribus eccleſiæ ſicut rugitus leonis eſt terror regum, & rex qui debite ſedet in ſolio diſſipat omne malum intuitu ſuo, nec legitur ſchiſma fuiſſe ſedatum niſi per bonos reges. Adverſitas enim quæ bonis votis objicitur, vera eſt probatio virtutis, & ſicut flatus premitur ut creſcat, ita virtuoſus in tribulationibus compremitur, ut ejus virtus augeatur. Aſcendat ergo veſtra majeſtas ad cor altum, & procul dubio exaltabitur Deus, qui non niſi pacis in tempore bene colitur pacis actor. Eſt enim magnanimitas quæ proprie regibus competit, ut inquit Tullius. Mittens manum ad aratrum ne reſpiciat retro; ſed ſicut cum rege noſtro patre veſtro eadem majeſtas ſalubriter incœpit, via regia incedat, & a dextris neque a ſiniſtris ullatenus declinet. Sæpe enim fit ut poſt ſe redeant qui præibant, & hi terminum præveniant qui ſequuntur, nec coronabitur niſi qui legitime certaverit. Et quia, rex illuſtriſſime, qui ſuis meritis firmus eſt, ſæpe turbatur alienis, videte quomodo caute ambuletis, & ne quis vos ſeducat. Docet enim Ambroſius, cavere perfidos, quorum hodie defectus multifarie multiſque modis a rege circumſpecto clare poſſunt deprehendi. Sunt enim præcipue de nobis eccleſiaſticis aliqui vecordes & formidoloſi, qui effecti ſunt canes muti, non audentes latrare, qui ad foros regum & principum inceſſanter potius clamare deberent, & quaſi tuba pro pace eccleſiæ exaltare vocem ſuam. Alii vero qui ut citius promoveantur, regibus & principibus, proh dolor! falſa ſuggerunt, & mentiuntur & fingunt. Fingere enim & mentiri, ut dicit Lactantius, eorum eſt, qui opes quærunt & lucra deſiderant. Alii vero qui cum propheta ad litteram dicere poſſunt, *A, a, a, Domine, neſcio loqui, quia puer ego ſum*, puer ego, inquam, quandoque maledictus etiam centum annorum. Alii vero ſcuto bonæ voluntatis coronati, & deſurſum a Patre luminum, a quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, talento ſcientiæ decorati, qui viriliter omni tepiditate ſubmota conſilium & auxilium in hoc Dei opere, ſicut tenentur, ſunt præbere parati. Providete igitur, rex devotiſſime, vobis viros potentes de omni plebe timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderunt avarum; & attendite ſic vobis & univerſo gregi, quod navis habeat Petrum, & ſic non turbabitur; ſed erunt prava in directa, & aſpera in vias planas, & ego utique, Deo teſte, devotus veſtræ ſerenitatis, qui miſſus ad inquirendum & proſequendum pacem eccleſiæ pro parte patris veſtri, regna diverſa peragrando circa

(a) Auctorem non prodit codex regius unde eam deſcripſimus; id unum prodit epiſtola ipſa, illum a Carolo V. rege atque ab ejus filio tunc regnante diverſas in provincias fuiſſe miſſum ad procurandam eccleſiæ pacem.

modum prosequendi ad unionem ecclesiæ diversa opinantes audivi: nec mirum, quia ad diversitatem corporum sequitur sæpe diversitas opinionum, & audita in libello quædam de mandato regis, sicut melius potui, recollexi, quæ vestræ majestati de pace ecclesiæ devote & sollicite mittere disposui. Non, absit, quod velim sensus regalis solem meis facibus adjuvare, nec docere Minervam. Quis enim tanto fastidio tumidus quod sensum tanti regis spernat? Sed quia materia est ardua & multis extranea, & causæ præcipue talis merita clarius partium assertione panduntur, dubius & anxius ad partem, tamen, ut verum loquar, affirmativam, quæ secundo loco in quæstionibus ambabus ponitur, de præsenti magis inclinatus, causas meæ dubitationis ad vestræ majestatis consistorium humiliter refero, sicut relatio est de jure dubitando ad superiorem facta consultatio. Eia ergo, rex clementissime, cujus pectus tam ferreum, & cujus cor tam lapideum, ut gemitus non exprimat, & lacrymas non effundat, cum ecclesiæ Dei morbum intuetur, vel potius interitum? ad cujus sananda vulnera vere, ut ait Augustinus, necesse est quod veniat magnus medicus, nam magnus pro certo ubique jacet infirmus; & recolere debet vestra celsitudo, quid pro vobis Deus fecit, & vere si in ejus vinea fideliter laboretis, majora faciet, & quod justum erit dabit vobis, & finaliter coronam, quam diligentibus se promisit. Et si in libello prædicto, vel in litteris istis sint aliqua, quantum ad vestræ majestatis reverentiam, vel illius quem ipsam tenet aut alias minus decenter dicta, parcat mihi, quæso, vestræ sublimitatis benignitas. Nam vere dum in libello prædicto contenta scribebam, ad ejusdem sublimitatis vestræ notitiam hæc deducere non credebam, de cujus immensa bonitate confisus, post recepi audaciam, nec vestra regalis providentia curat de verborum foliis, sed potius de radice rationis, quam Deus omnipotens benedicat, & sic vivere faciat, quod pacem ecclesiæ videat omnibus diebus vitæ suæ, filiosque filiorum suorum, & pacem inter reges & regna, & finaliter ad futuram gloriam perducat, ad quam non sunt condignæ passiones hujus sæculi, quæ per sui clementiam revelabitur in nobis.

A

B

C

D

LITTERA DOMINI REGIS E missa populo & communitati civitatis Florentiæ.

Hortatur eos ad subtractionem faciendam papæ Romano.

Anno 1399. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

CAROLUS Dei gratia Francorum rex. Prudentes & magnifici viri, amicitiam vestram tanto nobis certiorem æstimamus, quanto cum patribus vetustiorem hactenus fuisse recordamur. Faciliter enim mutari non potest quod per longa fuit sæcula custoditum, nec aliquid de facili credere volumus vel debemus, aut leviter recipere, quod diffidium inter nos valeat operari, hujusque amicitiæ fomes erit suavissimus rerum honestarum mutua collatio & parilitas voluntatum. Nunc vero, proh dolor! limina apostolorum, sicut jam omnibus notum est, per plures annos non tenuit devotio, sed potius ambitio, vitiorum origo, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, & tinea sanctitatis, quæ si sic clare dicamus, verenda non detegimus, sic quod nisi ejus versutiæ qui mille habet modos nocendi, lædendi aditus præcludamus, ecce mala in januis quæ fortius solito ecclesiam, quæ congregatio est fidelium, sic divisam desolabunt, & legem Christi, nisi Deus avertat, destruent. Quibus cum debita pensatis meditatione, nuper inquirendo pacem ecclesiæ, & eam debite prosequi volentes, egimus quæ in litteris nostris apertis, sigillo nostro in cera viridi & filo serico sigillatis, quas per dilectum nostrum ostiarium armorum Johannem *Soudant* præsentium portitorem, vestris magnificentiis destinamus, latius videbitis contineri, & ultra contenta in litteris antedictis deliberamus, quod cum deputandis aliorum regnorum ac vestris, & cardinalibus utriusque collegii, duobusque contendentibus, prælati videlicet regni nostri in certo notabili numero, & unus de principibus nostris vel plures, cum certis aliis personis notabilibus sufficientem a nobis & clero regni & Delphinatus nostrorum potestatem habentes, conveniant in loco decenti & tuto, de quo per Dei gratiam bene concordabitur, ut sic saltim per repræsentationem ecclesia congregata huic mortifero schismati finem imponat, & ecclesia Dei unum verum & indubitatum pastorem habeat successorem Petri & vicarium JESU CHRISTI: quæ omnia recenter regi Romanorum, Hungariæ, Angliæ, Hispaniæ, Arragoniæ, Navarræ & Scotiæ per nostros significavimus nuncios, ipsos quantum plus potuimus ad pacem & unionem ecclesiæ exhortantes, causam Dei more progenitorum nostrorum prosequi volentes indefesse usque ad finem optatum. Et nunc ad amicitiæ nostræ notitiam etiam disposuimus hoc deduci, ejus poscentes non onerosum obsequium, sed quo illustrabitur perpetuo, vosque cum quanta possumus affectione requirimus & rogamus, quatenus nobiscum unanimiter causam Dei prosequi velitis, & propter bonum unionis ecclesiæ & totius Christianitatis ab obedientia illius qui residet in Roma, ibique papam se facit vocari, una cum amicis nostris & vestris recedere, sicut nos a BENEDICTO jam fecimus, & tenor confœderationum inter nos & vos initarum hoc salubriter continet satis clare, ut sic istorum

contendentium, qui quo fine res terminetur non curant, ſed lucris inhiant, diſrumpamus vincula, & abjiciamus a nobis jugum damnationis ipſorum. Habetis namque copioſe viros potentes de omni plebe timentes Deum, in quibus eſt veritas, inter quos Colusius per ea quæ ſatis recenter ſcripſit in materia, apud nos ſic virtuoſus cognoſcitur, ſicut ubique etiam, fama teſte, laudatur, quorum prius maturo digeſta conſilio fuerunt, ea quæ unionem eccleſiæ concernunt promiſſa, & in litteris confœderationum ſignanter inſerta. Hoc vere gratum in hoc Dei opere veſtris magnificentiis debet eſſe ſubſidium, cujus ſolutio vobis ſolventibus ſic creſcit in commodum, ſicut nobis exigentibus proficit in augmentum, voſque dantes juvat, & nos recipientes pro temporis neceſſitate non modicum lætificat; quæ ſi feceritis in hac mercatione Dei noſtrûm uterque deſiderata commoda per Dei gratiam ſe percepiſſe gaudebit. Hæc autem ſcripta noſtra vobis de præſenti ſingulariter dirigimus, ut ſicut confœderationis fuiſtis primi & præcipui factores, ſic & in eiſdem contentorum ad laudem Dei ſitis etiam veri principaliter exhibitores, nobiſque per eumdem noſtrum oſtiarium præſentium portitorem, de veſtro, ut indubitanter tenemus, conſtanti, ſancto & fructuoſo propoſito per litteras veſtras apertas ad plenum certificari velitis. Datum Pariſius ſecunda die Januarii.

Venerabilibus & magnificis viris priori artium & vexillifero juſtitiæ populi & communis civitatis Florentiæ, amicis noſtris cariſſimis.

EPISTOLA CAROLI regis Navarræ, ad Carolum Francorum regem.

Decretam eſſe in regni ſui generalibus comitiis ſubtractionem obedientiæ utrique contendentium faciendam.

Anno 1399. Ex mſ. bibliothecæ regiæ. [a]

MOn tres-redouté ſeigneur, j'ai receu vos tres-honorables lettres, qu'il vous a plû m'envoyer par l'abbé de Saint Marc (a) de Soiſſons voſtre conſeiller, porteur de ceſte, & ay oy & entendu tout ce qu'il m'a voulu dire de par vous, par vertu de ſa créance, touchant le fait de la ſubſtraction de l'obéiſſance du pape. Si vous plaiſe ſçavoir, mon tres-redouté Seigneur, que ſur ce j'ai fait aſſembler les prelats & les autres eſtats de mon royaume; & combien qu'une grande partie d'eux ayent eſté & ſoient de contraire opinion, toutefois par conſideration du ſervice de Dieu principalement, & après pour eſtre avec vous en toutes choſes, s'il vous plaît, & par eſpecial en ce cas, ouquel vous avez noble & ſainte entention pour mettre l'egliſe à union, j'ai conclu & deliberé de faire ſemblablement ladite ſouſtraction, ſelon que ledit abbé vous dira de ma part touchant cette matiere; & vueillez commander & faire délivrer brievement un mien conſeiller que j'envoye de par delà en la compagnie dudit abbé pour aucunes choſes qu'il vous dira. Mon tres-redouté ſeigneur, plaiſe vous de avoir touſdis en memoire, & pour eſpecialement recommandés moy, mon frere, & mes beſoignes de par delà, en moy commandans vos bons plaiſirs pour les accomplir à mon pouvoir, & prie le benoiſt Fils de Dieu qu'il vous ait en ſa ſainte garde, & vous doint bonne vie & longue à ſanté de voſtre excellente perſonne, comme votre cuer deſire. Eſcrit à Olit le XIV. jour de Janvier.

Votre humble & obeiſſant couſin le roy de Navarre Charles.

A mon tres-redouté ſeigneur le ſeigneur le roy.

(a) Id eſt ſancti Medardi, quem adhuc hodie vulgus apud Sueſſiones gallice vocat *Saint Marc*.

PROCESSUS TENTUS IN CURIA Romana, per regem Arragonum.

1. PRimo ad cujus motum huc venit rex Aragonum, cui obviam ſuper multorum informatione Pampilonenſis miſſus eſt, & de modo receptionis ipſius, & impenſis ſibi honoribus inſolitis ſpecialiter circa menſam, &c. contra ordinem deputatorum.

2. Item, de collocutionibus & de conſiliis habitis primis ſex diebus, omnibus cardinalibus, excepto Pampilonenſi, excluſis: quibus diebus ſuper multis videtur fuiſſe pro voluntatis arbitrio informatus.

3. In ſequenti ſabbato mane dictus rex locutus eſt ſacro collegio ſatis plene, proponens principaliter quatuor, videlicet propoſitum ſuum ſuper proſecutione unionis, amotione diviſionis inter papam & dominos cardinales exiſtentis, generalem oblationem viæ promtæ pro ſedatione ſchiſmatis, aſſerendo ſe habere tractatum cum intruſo, & ſuper hoc bullam ipſius, quam tamen non oſtendit, nec ſic eſſe creditur per dominos. Quarto requiſivit, quod certi pro parte ſacri collegii ad tractandum cum ipſo deputarentur. Et fuit finaliter proteſtatus, quod caſu quod per nos remaneret, quominus cum papa remaneremus concordes in ſervitium papæ, per alium modum ſe interponeret inter papam & intruſum; & hæc omnia fecit tendens & ſperans divertere ſacrum collegium ab opinione domini Francorum regis.

4. Item, per collegium ſeptem, de quorum numero fuimus, (b) deputati fuerunt: qui deputati ſequenti die Lunæ de mane prius [b]

(b) Hinc patet proceſſum hunc ab aliquo cardinali fuiſſe conſcriptum.

& ante omnia, ne procederetur per ignota, dictum regem de veritate ſtatus eccleſiæ plenarie informarunt, prout apparet per cedulam datam, tam de omnibus his quæ tempore fere domini Clementis per ipſum dominum Clementem felicis recordationis, regem CAROLUM, ac etiam regem modernum Franciæ geſta ſunt, necnon de his quæ facta & condita fuerunt tempore vacationis ſedis, & aſſumtionis domini moderni, ac etiam de toto proceſſu habito a tempore dictæ aſſumtionis, uſque in diem præſentem, ſciebamus quod rex fuerat aliter informatus perprius quam rex eſſet.

5. Item, rex voluit habere aviſamentum dictorum deputatorum ſuper modo procedendi, quod quidem dederunt verbo, & demum ad ejus requeſtam, in ſcriptis, prout apparet per cedulam quæ incipit: *ad tollendum*; ſuper quo debebat dare reſponſum, quod tamen numquam poſtea dedit.

6. Item, die Veneris ſequenti ad requeſtam regis fuerunt omnes cardinales in palatio congregati, credentes quod eſſet ad audiendum reſponſionem regis ſuper ſibi datis: loco tamen reſponſionis faciendæ, dictus rex requiſivit dominos cardinales ſuper creatione duorum cardinalium ſui regni, qui domini cardinales, deliberatione præhabita, non obſtantibus omnibus modis impreſſivis adhuc adhibitis, ſe a dicta congregatione excuſarunt, offerentes ſe circa hoc velle ſibi complacere, dum tempore opportuno alias de creatione cardinalium ageretur.

7. Item, per plures dies ſuper hac re per papam & regem dominos cardinales infeſtantes multa etiam cum modis indebitis facta fuerunt.

8. Item, Dominica in Ramis Palmarum hora veſperarum, ad requeſtam regis fuerunt cum eo dicti deputati, quibus idem rex expoſuit, qualiter offerebat dare unam practicam in viam juſtitiæ, per quam infallibiliter cito imponeretur finis ſchiſmati, requirens cum inſtantiis repetitis, quatenus ipſi deputati ipſam viam vellent pro tunc acceptare, & cum ipſo proſequi, fingens illam papæ ignotam. Ipſi vero deputati & merito facere recuſarunt, dicentes tamen, quod illam libenter vellent videre; & in craſtinum de mane dictus rex pari modo totum collegium congregatum requiſivit, prout in una cedula data per regem continetur, & modo ſimili reſponſum eſt, dicta cedula data eſt alibi.

9. Item, quod illa practica regis collegio data fuit, præſtito prius juramento de non revelando, & ſub pœna excommunicationis per papam lata, eo tamen caſu, quo poſtea non fuiſſet per collegium acceptata, vel quouſque fuiſſet aliter publicata, ſicut eſt hodie tam in Francia, quam hic, & incipit, *ut optamus*, unio quæ fuit data alibi.

10. Item, quod illa practica quam rex prætendit per ipſum fore inventam, licet eam non intelligat, addit ad practicam papæ miſſam regi Pariſius per nuncios Caſtellæ, ubi, prout nunc dicitur, per papam & regem multum plene complectuntur viæ juſtitiæ, compromiſſi, ceſſionis & concilii generalis, domini cardinales dederunt magna dubia & rationabilia, confutantia dictas vias.

11. Item, die ſabbati de mane poſt paſcha rex & omnes domini fuerunt ſimul congregati, & ibi multis & variis modis per papam & regem ſervatis, papa fecit reſponderi ad objectiones datas circa practicam ſuam pro parte collegii, & demum rex approbans ſtatim reſponſiones papæ, licet illas non intelligeret, ad objectiones factas circa practicam ſuam reſponderi fecit.

12. Item, illa die rex dixit papæ in præſentia dominorum, quod de via ceſſionis non auderet ipſum requirere, ſed hoc ſuæ conſcientiæ relinquebat.

13. Item, cum pro vitando novitates paratas collegium dediſſet papæ & regi reſponſum, quanto dulcius & amicabilius potuerunt, parviter tenendo negotium in ſtatu, quouſque dominus rex Francorum fuiſſet plenarie de omnibus informatus; nihilominus papa & rex Aragonum prædictus de dicto reſponſo fuerunt multum turbati, ſpecialiter propter duo; primo, propter proteſtationem expreſſe appoſitam de non reſpondendo, &c. Secundo, quia expreſſam voluntatem regis in omnibus ſervaverunt.

14. Item, illo mane iterum dictus rex Aragonum papam licet non renitentem, & dominos cardinales inſtanter ſuper creatione dictorum dominorum cardinalium requiſivit. Super quo voluit papa habere cardinales cum ipſo illa die hora veſperarum, & etiam die ſequenti eadem hora.

15. Item, die Lunæ ſequenti de mane ad tollendum gravia ſcandala & longe majora, fuerunt circa hujuſmodi creationem aliqua apunctata; ſcilicet quod poſſet facere dominos cardinales ad requeſtam regis Aragoniæ circa medium Septembris proxime futuri.

16. Item, dictus rex eſt deliberatus ſtatim mittere ſuos ambaſſiatores ſolemnes Pariſius ad regem ſuper facto eccleſiæ, &c. & ſuper ſuis propriis, ut creditur.

17. Item, papa eſt in ſua ſolita diſpoſitione, &c. etiam longe plus ſolito, & omnimode ad novitatem diſpoſitus, ad quas tamen non creditur procedere dicta ambaxiata, tractatu pendente dicti regis Aragonum cum domino rege Franciæ.

18. Item, videtur quod non eſt facienda reſponſio ambaxiatoribus regis Aragonum, ſed ad ipſum mittendum ambaxiatores ſolemnes.

19. Item, de munitione palatii, &c.

20. Ad tollendam omnem diviſionem, immo verius opinionum diverſitatem domino

mino regi Aragonum, per nos mota sunt quæ sequuntur, super quibus nos obtulimus secuturos cum reverendissimis dominis sacri collegii, ut exinde sacrum collegium cum præfato domino rege Aragonum, si placeat, se apud sereniſſimum principem dominum regem Franciæ interponat.

21. Videlicet quod cedula continens practicam super facto unionis ecclesiæ, transmissa per dominum nostrum regi, per ambaxiatores Castellæ suppleatur, & emendetur juxta continentiam trium cedularum responsalium dicti domini nostri, & dominis ducibus, dum hic fuerunt, traditarum, & in diversis regionibus & provinciis ex parte domini nostri publicatarum: quo facto, per dominum regem Aragonum procuret apud papam, quod præmissis velit addere tale quid ob reverentiam domini regis Aragonum, quod domino regi Franciæ, & toti populo debeat esse gratum.

RESPONSIO DOMINI NOSTRI PAPÆ facta ambaxiatoribus regis Aragonum, post supplicationem ipsorum, ut condescenderet ad capitula per ambaxiatores regis Franciæ sibi proposita.

Anno 1399. Ex mſ. bibliotheca regia.

1. IN nomine Domini. Amen. Noverint universi hoc præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono, indictione septima, mensis Aprilis die quarta, ab electione domini BENEDICTI ultimo in papam electi anno v. constitutis personaliter coram præfato domino Benedicto in palatio apostolico civitatis Avinionensis existente, reverendo in Christo patre domino PETRO abbate monasterii Montis S. Michaëlis in periculo maris, ordinis S. Benedicti Abrincensis diœcesis, & nobili viro domino domino Guillelmo de Trignonvilla milite, ac circumspecto viro magistro Ægidio de Campis, sacræ paginæ professore, Christianissimi principis & domini domini KAROLI Dei gratia regis Francorum illustrissimi, necnon reverendo in Christo patre domino RAIMUNDO abbate monasterii beatæ Mariæ de Rivipullo ejusdem ordinis, domino Geraldo de Cervilione milite, fratre Petro Marini fratrum Minorum ordinis, provinciæ Aragoniæ ministro, sacræ paginæ magistro, & Petro *Zacalin* legum doctore sereniſſimi principis & domini domini MARTINI Dei gratia regis Aragonum illustrissimi, ambaxiatoribus ad præfatum dominum Benedictum pro parte ipsorum dominorum regum super facto unionis ecclesiæ destinatis & transmissis, vocatisque nobis notariis publicis & testibus infrascriptis, dominus Petrus *Zacalin* prædictus, de voluntate & consensu aliorum ambaxiatorum domini regis Aragonum prædictorum, dixit & proposuit talia, vel consimilia verba in effectu: « Beatissime pater, jam scit sanctitas vestra, qualiter socii mei & ego, ut ambaxiatores sereniſſimi principis domini mei regis Aragonum, ivimus ad illustrissimum principem dominum Francorum regem super factis & negotiis unionis ecclesiæ sanctæ Dei, super quibus habita per ipsum dominum regem Franciæ & illos de consilio suo deliberatione, tum per certa capitula pro parte ipsius nobilis oblata & vestræ sanctitati per nos ostensa, eidem sanctitati intimavimus: quorum capitulorum continentiæ seu dictæ deliberationi eadem sanctitas pro bono dictæ unionis animum condescendit, & propter hoc venerunt ad præsentiam ejusdem sanctitatis ambaxiatores dicti sereniſſimi principis regis Francorum, ad sciendum & audiendum a dicta sanctitate, si condescenderet capitulis supradictis. Igitur placeat eidem sanctitati in eorum præsentia hæc dicere, approbare, annuere, & condescendere dictis capitulis, prout eadem sanctitas eis absentibus antea fecerat, nobis præsentibus coram sanctitate jam dicta. » Quibus verbis finitis, dictus dominus abbas Montis S. Michaëlis pro se & aliis suis dixit, quod propter hoc ad ipsius præsentiam venerant, & statim dictus dominus BENEDICTUS respondit per talia vel similia verba in effectu.

2. Ad præsens non quæro dilatare sermones; unde ad proposita veniens, dico breviter tria. Et primum exstirpationem hujus, proh dolor! nefandi schismatis, & veram unionem sanctæ matris ecclesiæ, prout decet verum catholicum, me semper optasse, & super omnia desiderabilia in hac vita cunctis viribus & multis intervenientibus periculis & laboribus attentius procurasse; si verbis non creditur, cernantur opera quæ in promtu se exhibent investigare volenti. Hunc affectum & zelum Dei, quem sub prædecessore meo, ut votam in tantum optabilem cunctis exponerem, non deposui postquam mihi onus principaliter incumbebat. Testis est Christus, non ambitione hujus status mihi...non optare, sed impositæ servitutis, quam magna devictus instantia tandem receperam, & vere anxius retinebam, quod si expediret, satis posset faciliter declarari. Vias me fateor ipsius refutasse unionis aliquas, & alias obtulisse, per quas credebam Dei negotium securius, utilius & honestius expediri. Hoc non ad jactantiam dixerim, sed ne mihi voluntate illustrissimi principis Francorum regis, ... dictis capitulis confidenter assentio, confidens primo & principaliter in Deo cujus res agitur, immo graviter agitatur, qui ecclesiam suam rexit in prosperis, in adversitate non deseret, sed inter fluctus sævientes speciali providentia gubernabit. Secundum, dum post creatorem ad creaturam me referens, quantum in homine licet considere, confido in præfati sereniſſimi regis Francorum excellentia, quod

» a præclariſſimis progenitoribus exemplar animo impreſſum retineat protegendi eccleſiam, qui etiam in minoribus caſibus ſe ei devotum exhibuit protectorem, quod in tam periculoſo articulo, quantum ad ſe pertinet, eam non volet opprimere, nec permittet ruere, vel incidere in errorem; ſed erga fidem ſuam & devotionem catholici principis & erga me, etſi indignum, verum Chriſti in terris vicarium, in tanta ruina & afflictionibus anxium, humanitatem & munificentiam tanto regi convenientem oſtendet. Amen.

» 3. Eſt verum & hoc ſit certum, quod dicere propoſueram, quod circa hujuſmodi negotia inter vos ambaxiatores præfati illuſtriſſimi regis Francorum & dominos cardinales Tiraſonenſem, Gerundenſem, & *de Boyl*, qui præſentes ſunt ad invicem, de aliquibus ſimul conferatis & tractetis, ac ea concordetis; & ſi præſentia mea neceſſaria fuerit in eiſdem, ſemper me offero paratum ad eam vobis exhibendam quotieſcumque oportuerit, & faciendum quæ ad me ſpectant, & ſi placet, prædicta videantur & expediantur, dilationibus & diffugiis quibuſvis procul pulſis omnibus.

4. Quibus per præfatum dominum Benedictum dictis, præfati tres ambaxiatores dicti domini regis Franciæ in ejuſdem domini Benedicti præſentia conſtituti, ſe retraxerunt ad partem, & habito inter ſe aliquo ſecreto colloquio, eiſque demum ad præſentiam ipſius domini Benedicti regreſſis, prædictus dominus abbas Montis S. Michaëlis loquens pro ſe & aliis ſociis ſuis, regratiatus fuit primitus Deo, & ſubſequenter dicto domino Benedicto de ſua bona & grata reſponſione, per quam oſtendebat ſe habere bonas affectionem & intentionem ad eccleſiæ unionem; dixitque quod merito idem dominus Benedictus habere poterat ſingularem ſpem & confidentiam poſt Deum in prædicto domino rege Francorum, & quod ſemper ipſum reperiret zelatorem unionis eccleſiæ, & promtiſſimum ad ipſam procurandam, quodque tres ipſi ambaxiatores dicti domini regis Franciæ, omni mora & dilatione poſtpoſitis, erant parati indefeſſe laborare & intendere circa practicam & executionem capitulorum ſæpedictorum.

5. De quibus omnibus & ſingulis ſupradictis, dicti domini ambaxiatores, tam domini regis Francorum prædicti, quam dicti domini regis Aragonum, petierunt eis fieri & tradi unum & plura publica inſtrumenta. Acta fuerunt hæc anno, indictione, menſe, die, loco, & ab electione prædictis, præſentibus reverendis in Chriſto patribus dominis Didaco Segobienſi, & Francisco Immolenſi epiſcopis, ac venerabilibus viris dominis Garaldo *Lemot* præpoſito Gerundenſis, Johanne Romani canonico Branchinonenſis eccleſiarum, fratre Hieronymo *de Oton* monacho monaſterii Sublacenſis dicti ordinis S. Benedicti, Juliano de *Loba* canonico eccleſiæ Tiraſonenſis, & Petro de Ponte clerico Gerundenſis diœceſis, iſtis duobus notariis publicis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Signatum per eoſdem notarios apoſtolicos, Robertus *de Vauvendrin*, & Adam *de Sahurs*.

ACCEPTATIO CAPITULORUM REGIS per dominum Benedictum.

Anno 1399. *Ex inſ. bibliothecæ regiæ.*

IN nomine Domini. Amen. Noverint univerſi præſentis publici inſtrumenti ſeriem inſpecturi, quod anno ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione ſeptima, die decima menſis Aprilis, ab electione domini Benedicti ultimo in papam electi anno quinto, vocatis nobis notariis publicis & teſtibus infraſcriptis, coram præfato domino Benedicto in palatio apoſtolico civitatis Avinionenſis exiſtente, conſtitutis perſonaliter reverendo in Chriſto patre domino Petro abbate Montis S. Michaëlis in periculo maris, ordinis S. Benedicti, Abrincenſis diœceſis, ac nobili & circumſpectis viris dominis Guillelmo de Tignonvilla milite, & magiſtro Ægidio de Campis ſacræ paginæ profeſſore, ambaxiatoribus Chriſtianiſſimi principis domini Karoli Dei gratia regis Francorum, ac reverendo in Chriſto patre domino Raimundo abbate monaſterii beatæ Mariæ de Rivipullo dicti ordinis, Vicenſis diœceſis, & circumſpectis viris dominis Giraldo Alamanni de Corvillione milite, fratre Petro Marini, ordinis fratrum Minorum, provinciæ Aragoniæ miniſtro, & magiſtro ſacræ paginæ, ac Petro Zacalini legum doctore, ambaxiatoribus ſereniſſimi principis domini Martini eadem gratia regis Aragonum, exhibitis ibidem in ſui forma, & lectis de verbo ad verbum certis capitulis ſcriptis in pergameno, & ſigillo dicti domini regis Franciæ, ut apparebat prima facie, roboratis & ſignatis manu magiſtri Johannis de Sanctis ſecretarii præfati domini regis Aragonum, de Pariſius redeuntis, præfato domino Benedicto, ut ipſe aſſeruit, præſentatis: idem dominus Benedictus pro reſponſione ad dicta capitula per eum facienda, tradidit, ſeu tradi fecit nobis notariis publicis infraſcriptis quamdam cedulam ſcriptam quam ibidem alta & intelligibili voce legi petiit & fecit. Quorum cedulæ & capitulorum tenores ſequuntur per ordinem. Et primo tenor dictæ cedulæ talis eſt.

« Benedictus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Cum nuper dilecti filii Raymundus abbas monaſterii de Rivipullo, nobilis vir Geraldus Alamanni de Corvillione miles, frater Petrus Marini ordinis fratrum Minorum, in provincia Aragoniæ miniſter, magiſter in theologia, Petrus *Zacalin* legum doctor, ambaxiatores cariſſimi in Chriſto filii noſtri

» MARTINI regis Aragoniæ illuſtris de Pariſius redeuntes, certa capitula inferius deſignanda pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri KAROLI regis Francorum illuſtris, ejuſque robo-rata ſigillo, ſuper modo unionis eccleſiæ no-bis præſentaverint. Et deinde accedentibus ad noſtram præſentiam dilectis filiis PETRO abbate monaſterii Montis S. Michaëlis in pe-riculo maris, & nobili viro Guillelmo de Tignonvilla milite, & Ægidio de Campis magiſtro in Theologia, ambaxiatoribus præ-fati regis Francorum eadem capitula verbo replicantibus, & ex parte ipſius regis confir-mantibus. Nos confidentes primo & princi-paliter in Deo cujus res agitur, quod eccle- B ſiam ſuam quam rexit in proſperis, in adver-ſitate non deſeret, ſed inter fluctus ſævientes ſpeciali providentia gubernabit. Deinde poſt creatorem ad creaturam nos referentes, quan-tum in homine licet confidere, etiam con-fidentes in prædicti ſereniſſimi regis Franco-rum excellentia, quod a præclariſſimis ac Chriſtianiſſimis progenitoribus exemplar ani-mo impreſſum retineat protegendi eccleſiam, qui etiam in minoribus caſibus ſe ei devo-tum exhibuit protectorem, quod in tam pe-riculoſo articulo, quantum ad ſe pertinet, eam non volet opprimere, nec permittet ruere vel incidere in errorem, ſed erga ipſam fi- C dem ſuam & devotionem catholici principis & erga nos, etſi indignum, verum ipſius & terris vicarium, humanitatem & magnifi-centiam tanto regi convenientem oſtendet, annuerimus dictis capitulis, prout etiam nunc in præſentia omnium ipſorum ambaxiato-rum, ac notariorum & teſtium aſſiſtentium annuimus, ipſaque capitula, ac omnia & ſin-gula contenta in eis, ſcienter, voluntarie & ſpontanee acceptamus, firmamus & appro-bamus, ac bona fide promittimus tenere, fa-cere, complere & inviolabiliter obſervare, & etiam faciemus per noſtros qui nobiſcum D remanebunt in palatio, eadem capitula, ac omnia & ſingula in eiſdem capitulis deſignata teneri, fieri, compleri & firmiter obſervari. Renuntiantes expreſſe quibuſcumque prote-ſtationibus, ſi quæ per nos factæ fuerint, quæ contra prædicta capitula, vel contenta in eis poſſent in aliquo derogare, neque per nos amodo ſtat quin iidem ambaxiatores poſſint & debeant ſtatim ad totalem executionem commiſſorum eis pro noſtra, ac noſtrorum plena ſecuritate, & tractatione & ſuſtentatio-ne honeſta, ſicut decet, procedere. Ea prop-ter nos ambaxiatores in noſtra præſentia con-ſtitutos hortamur, requirimus & rogamus, E quatenus nobis & noſtris tradant & exhibeant litteras regias, ac etiam plenam & effectua-lem ſecuritatem ſuſtentationemque mini-ſtrari faciant, & omnia alia & ſingula exe-quantur, ac exequi & adimpleri procurent & faciant juxta dictorum capitulorum conti-nentiam & tenorem. Pro quorum omnium majori firmitate, nos huic cedulæ propria manu ſubſcribimus.

Tenor autem dictorum capitulorum ſe-quitur in hunc modum.

ISTA EST RESPONSIO DOMINI NOSTRI regis Franciæ, facta ambaxiatoribus domini regis Aragonum, videlicet domino abbati de Rivipullo, domino Geraldo de Cervillione militi, fratri Petro Marini miniſtro ordi-nis fratrum Minorum in provincia Arago-niæ, & domino Petro Zacalin *legum doctori, nuper pro parte ipſius regis Aragonum miſſis pro pace & unione eccleſiæ ad dominum Fran-corum regem prædictum.*

1. SUper quadam cedula per BENEDICTUM aliàs electum in papam confecta & ſig-nata, & per ipſos mittere diſpoſuit, qui ad plenum de intentione ſua ipſum ſuper pace & unione eccleſiæ ulterius proſequenda in-formabunt.

2. Item, ut via facti quæ inter ipſum BE-NEDICTUM & cardinales ſacri collegii & ci-ves villæ Avinionenſis jam ſcandaloſe mul-tum incœpit, ceſſet penitus & omnino, & ad ea quæ ad pacem ſunt eccleſiæ liberius in-tendatur; dominus rex noſter procurabit cum effectu quod ambaxiatores prædicti habebunt acceſſum ad Benedictum prædictum, & in-trabunt palatium, ad ſciendum ejus intentio-nem ſuper his quæ ſequuntur.

2. Primo, ſi propter reverentiam Dei & ſalvationem gregis Chriſti, BENEDICTUS præ-dictus velit acceptare viam ceſſionis & pro-mittere quod intruſo cedente, mortuo, vel ejecto, ipſe renuntiabit papatui, ad finem quod eligatur tertius, unicus verus paſtor & vicarius JESU CHRISTI, & penitus dimittere viam facti, & abjicere a ſe gentem armige-ram quam ſecum habet in palatio & alibi, tam in terra, quam in aqua, rex faciet & pro-curabit cum effectu, quod domini cardinales ſacri collegii, civeſque & habitatores villæ Avinionenſis a quacumque via facti ceſſa-bunt penitus & omnino.

4. Item, etiam BENEDICTUS teneatur pro-mittere & promittat, quod ipſe directe vel in-directe quovis modo non faciet, nec procu-rabit aliquid, per quod unio eccleſiæ valeat retardari, nec via ceſſionis quomodolibet impediri, & hoc etiam jurabunt perſonæ quæ apud ipſum manebunt, quodque eidem Bene-dicto, ſi contrarium facere vellet, non conſentient, nec ei dabunt conſilium aut fa-vorem.

5. Item, ſimiliter promittat quod quoties expedierit, ipſe ibit ad conventum, ſeu con-gregationem quæ fiet pro unione ſanctæ ma-tris eccleſiæ, una cum illis qui ad eumdem conventum, ſeu congregationem prædictam ſunt vel erunt ordinati de parte quæ obedivit felicis recordationis domino CLEMENTI papæ

ſeptimo, & eidem Benedicto, & mediantibus prædictis, quia dicti ambaxiatores præfati domini regis Aragonum ſatis aperuerunt, quod antequam aliquis pro parte domini regis Aragonum reciperet ipſum Benedictum in ſua regia & ſpeciali protectione, etiam cum domino noſtro Francorum rege prædicto, oporteret primitus ipſum dominum regem Aragonum adire, & per hoc bonum hujuſmodi negotii poſſet multum differri, dictus dominus rex obtulit eis, quod ipſe recipiet perſonam ipſius Benedicti, & illorum qui ſecum erunt uſque ad numerum centum perſonarum ſine armis cum eorum bonis omnibus in ſua ſpeciali cuſtodia, ſeu protectione; & ex tunc deputabit ſibi perſonas notabiles eccleſiaſticas & ſæculares, qui ipſum cuſtodient, aſſociabunt & honorabiliter tractabunt in palatio, in quo nunc eſt, vel alibi, ubi ejus manſio expediens & honorabilis videbitur; de quo tamen loco promittet non recedere ſine conſenſu regum qui ſibi obediverunt & ſacri collegii, & ad hoc dabunt operam de conſenſu ſuo deputandi ex parte regis, quantum fieri poterit honeſtius.

6. Item, quod perſonæ quæ cum ipſo & ad ejus ſervitia manebunt, jurabunt & promittent ſimiliter quod ipſum Benedictum non permittent a dicto loco recedere, nec ad hoc ſibi dabunt directe vel indirecte, auxilium, conſilium, vel favorem.

7. Item, faciet rex ſibi & illis qui cum eo erunt uſque ad numerum centum perſonarum ſine armis miniſtrari victualia & alia neceſſaria eorum expenſis honeſte, ſicut decet, & una cum regibus Caſtellæ, Aragoniæ & Navarræ & Scotiæ, ad pacem & unionem eccleſiæ habendam quantum plus poterit, laborabit, ſic quod per Dei gratiam in brevi idem Benedictus & ceteri omnes Chriſticolæ pacem eccleſiæ ſe videre gaudebunt. Per prædicta tamen in nullo intendit rex prædictus a concluſione denegationis obedientiæ nuper per eccleſiam regni ſui & Delphinatus recepta, in aliquo recedere, ſeu ab ea aliqualiter deviare.

8. Item, ſi Benedictus prædictus ſuprascripta facere velit, ambaxiatores dicti domini noſtri regis intrabunt palatium ad loquendum cum eo ſuper prædictis, & faciendum circa prædicta quæ videbuntur neceſſaria, ſeu etiam opportuna; proviſo tamen quod ſibi reverentiam papalem non exhibeant. Si vero concordare & promittere prædicta noluerit, ingreſſus & collocutio ambaxiatorum domini noſtri regis non videtur neceſſarius, nec honeſtus. Et ut brevius prædicti ambaxiatores poſſint eſſe expediti, ex nunc rex tradidit gentibus ſuis litteras ſuas ſuper ſecuritate prædicti Benedicti, & litteras etiam per quas committet effectum dictæ ſecuritatis, gardiamque ſeu cuſtodiam gentium & bonorum ſuorum archiepiſcopo Narbonenſi, & tribus baronibus ſuis, videlicet ſeneſcallo Bellicadri, & dominis de Caſſenatico & de Volta, & etiam domino Georgio *de Marle* ſeneſcallo Provinciæ, vel eorum tribus aut duobus. Et ne iſta cauſa Dei ducatur per dilationes fruſtratorias, prædicti ambaxiatores promittent & jurabunt in ingreſſu palatii, non remanere ibidem ultra tres aut quatuor dies.

9. Quibus quidem capitulis & cedula de verbo ad verbum lectis, ac etiam per dictum dominum Benedictum ore proprio acceptatis, firmatis, approbatis & promiſſis, ut in præinſerta cedula continentur, & per eum dicto & affirmato, quod ipſe dictam cedulam ſua propria manu ſignaret, & ſignatam nobis notariis publicis infraſcriptis traderet, idem dominus Benedictus petiit & requiſivit præfatos dominos ambaxiatores dicti domini Franciæ regis, ut ipſi tamquam ambaxiatores dicti domini regis Franciæ vice verſa promitterent complere & compleri facere, & complerent omnia & ſingula in præinſertis capitulis expreſſata. Qui quidem domini ambo ambaxiatores præfati domini regis Franciæ ipſius domini Benedicti petitionibus & requiſitionibus reſpondentes dixerunt, convenerunt & promiſerunt eidem domino Benedicto, ut ambaxiatores dicti domini regis Franciæ, & etiam medio juramento eorum, manibus tactis ſacris ſcripturis, quilibet ipſorum promiſit, quod ipſi tamquam ambaxiatores præfati domini regis Franciæ exhiberent & traderent eidem domino Benedicto litteras dicti domini regis Franciæ, ſecuritatem ejuſdem domini Benedicti continentes, ac exequerentur, & exequi & adimpleri procurarent & facerent, quantum eſſet in eis, omnia & ſingula contenta in capitulis præinſertis, juxta ipſorum capitulorum ſeriem & tenorem. De quibus omnibus & ſingulis ſupradictis tam præfatus dominus Benedictus, quam præfati dominorum Franciæ & Aragoniæ regum ambaxiatores petierunt ſibi fieri per nos notarios publicos infraſcriptos publicum inſtrumentum & publica inſtrumenta.

Acta fuerunt hæc anno, indictione, menſe, die, & loco prædictis, præſentibus ad hæc reverendis in Chriſto patribus domino Franciſco epiſcopo Immolenſi, Petro abbate monaſterii S. Johannis de Pinna dicti ordinis ſancti Benedicti, Oſcenſis diœceſis, nobilibus viris dominis de Praxida archidiacono Elnenſi, Geraldo *Lencol* præpoſito Gerundenſi, & Johanne Romani canonico Barchinonenſi eccleſiarum, ac Gondiſſalvo *Forien* milite Tiraſonenſis diœceſis, necnon Petro Soriani preſbytero dictæ eccleſiæ Barchinonenſis canonico, & Petro de Ponte clerico Gerundenſis diœceſis, iſtis duobus notariis publicis cum pluribus aliis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Sic ſignatum.

Et ego Adam de *Sahurs* clericus Cenomanenſis

manenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum ſubſcripto notario & prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi. Ideo huic præſenti publico inſtrumento propria manu ſcripto, me ſubſcripſi, ſignumque meum ſolitum apoſui requiſitus & rogatus in teſtimonium veritatis præmiſſorum. Sic ſignatum.

Et ego Robertus de *Vauvendrin* clericus Rothomagenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut ſuprascribuntur, dicerentur & fierent, una cum notario & teſtibus ſupraſcriptis præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi, hoc præſens publicum inſtrumentum ſigno meo ſolito ſignavi, hic me ſubſcribens in teſtimonium præmiſſorum.

QUALITER DOMINUS BENEDICTUS refutavit cuſtodiam a collegio cardinalium.

Anno 1399. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

IN nomine Domini. Amen. Noverint univerſi & ſinguli præſens publicum inſtrumentum inſpecturi & audituri, quod anno ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione ſeptima, die vero decima menſis Aprilis, ab electione domini Benedicti ultimo in papam electi anno quinto, conſtitutis perſonaliter coram dicto domino Benedicto exiſtente in palatio apoſtolico civitatis Avinionenſis, reverendo in Chriſto patre domino PETRO abbate monaſterii Montis S. Michaëlis in periculo maris ordinis S. Benedicti, Abrincenſis diœceſis, & nobili ac circumſpectis viris Guillelmo de Tignonvilla milite, ac magiſtro Ægidio de Campis ſacræ paginæ profeſſore, Chriſtianiſſimi principis & domini domini CAROLI Dei gratiâ regis Francorum illuſtriſſimi ambaxiatoribus; exiſtentibus etiam ibidem reverendo in Chriſto patre domino RAYMUNDO abbate monaſterii de Rivipullo ejuſdem ordinis Vicenſis diœceſis, & nobili & circumſpectis viris Geraldo Alamani de Cervillione milite, fratre Petro Marini ordinis fratrum Minorum provinciæ Aragoniæ miniſtro, magiſtro ſacræ paginæ, & Petro *Zacalin* legum doctore, ambaxiatoribus ſereniſſimi principis & domini domini MARTINI Dei gratia regis Aragonum illuſtriſſimi, & vocatis nobis notariis publicis & teſtibus infraſcriptis, præfati domini ambaxiatores domini regis Franciæ oſtenderunt & exhibuerunt; ac ibidem per unum ex nobis notariis infraſcriptis legi fecerunt quamdam cedulam, ſeu copiam cujuſdam litteræ dicti domini regis Franciæ eis noviter, ut dicebant, tranſmiſſæ, cujus quidem cedulæ in vulgari Gallico ſcriptæ ſupraſcriptio erat talis:

A nos amez & feaux chevaliers & conſeillers l'abbé du Mont S. Michel, Robert Cordelier, Guillaume de Tignonville, & maiſtre Gilles des Champs, & à chacun d'eux.

Tenor vero contentorum intus dictam litteram, erat hujuſmodi ſeriei.

Nos amez & feaux, nous avons reçû lettres d'Avignon, & auſſi nous avons oüy par la relation des cardinaux eſtant par-deça comme BENEDICT *dernierement éleu en pape s'eſt conſentu & veut mettre ſoy & le palais apoſtolique en la garde & main du college, dont nous avons tresgrande joye & plaiſir; & pour ce avons eu ſur ce avis & deliberation avec nos tres-chers, tres-amez oncles & frere, & autres de notre grand conſeil, & ſommes d'accord, & nous plaiſt bien, que s'il ſe veut mettre en la main & garde du college des cardinaux, ou d'aucuns d'eux, de ceux qui ont été & ſont de l'opinion de la ſuſtraction, que on l'y reçoive, & que on l'y mette, & ledit palais auſſi; ſi voulons & vous mandons que en tant que à vous pourra toucher & appartenir, vous accompliſſez & demandez à execution les choſes deſſuſdites à bonne diligence & ſagacité dûë en telle maniere, que par vous n'y ait faute, & que la beſongne vienne à bonne concluſion. Donné à Paris le jour de Paſque.*

In fine ipſius litteræ ſcriptum erat de manu prædicti domini regis Franciæ, ut prima facie apparebat, hujuſmodi nomen, CHARLES. Et erat ipſa littera ſic ſignata, *Gontier*. Qua quidem cedula, ſeu copia lecta, dicti domini ambaxiatores præfati domini regis Franciæ juxta ea quæ in dicta littera continebantur, & mandatum regium in ea deſcriptum, requiſierunt & interrogaverunt præfatum dominum BENEDICTUM, petieruntque ab eo, an ipſe vellet ſe ponere in cuſtodia & manu collegii dictorum dominorum cardinalium, juxta tenorem dictæ litteræ regiæ, ſecundum quod, ut dixerunt, id fuerat his diebus ſcriptum & datum intelligi præfato domino regi Francorum, prout eiſdem dominis ambaxiatoribus ſcriptum fuerat per dominum regem, & contentum erat in littera præinſerta: offerentes ſe, quantum in ipſis erat, complere & executioni demandare mandatum regium ſupradictum. Ipſe vero dominus BENEDICTUS ad contenta in dicta littera, & requiſitionem ei factam reſpondit & dixit, quod licet ipſe ſemper optaverit, prout etiam optabat & vellet, in quantum honeſte poſſet, bonum & honorem collegii cardinalium ſanctæ Romanæ eccleſiæ, affectumque ſincerum ad dictos cardinales eorumque proſperum ſtatum habuerit, tamen quia jam diu ante exhibitionem certorum capitulorum ex parte domini dicti regis Franciæ ſibi præſentatorum, ſecuritatem perſonæ ſuæ & ſtatum unionis eccleſiæ & certa alia tangentium, & etiam poſt exhibitionem dictorum capitulorum, ad quæ condeſcenderat idem dominus Benedictus, juxta continentiam ipſorum capitulorum, diſpo-

ſuerat ſe & ſuos ponere in ſpeciali ſalva-gardia & protectione domini regis Francorum, nec decebat eumdem dominum Benedictum ab his retrocedere, vel etiam variare.

Item, conſiderata excellentia & magnificentia dicti domini regis Franciæ, ulterius etiam propter nonnullas alias rationabiles cauſas, quæ animum ſuum movebant & inclinabant ad præmiſſa, & ad vota regia complectenda, nullo modo volebat, nec intendebat quemcumque alium ipſi domino regi Francorum præponere in hac parte, nec alium acceptare, maxime cum ipſe dominus Benedictus, ut ibidem aſſeruit, numquam prædicta concluſerit, ſeu concordaverit cum cardinalibus memoratis. De quibus omnibus & ſingulis ſupradictis, tam præfatus dominus Benedictus, quam præfati domini ambaxiatores præfati domini regis Franciæ petierunt per nos infraſcriptos notarios confici, eiſque dari & tradi unum & plura publicum inſtrumentum, ſeu publica inſtrumenta.

Acta fuerunt hæc anno, indictione, die, menſe & loco prædictis, præſentibus reverendis patribus dominis Ferdinando Tiraſonenſi, Berengario Gerundenſi preſbyteris, & Gaufrido *de Boyl* diacono pro cardinalibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſe gerentibus, ac reverendis patribus dominis Francisco epiſcopo Immolenſi, & Petro abbate monaſterii ſancti Johannis de Pinna, dicti ordinis ſancti Benedicti, Oſcenſis diœceſis, & nobilibus viris dominis Gondiſſalvo *Foren* milite Tiraſonenſis diœceſis, Johanne de Praxida archidiacono Elnenſi, & Geraldo *Lencol* præpoſito Gerundenſis, ac venerabilibus viris Johanne Romani canonico Barchinonenſis eccleſiarum, & Petro Garceſii de Carmyana laïco Ceſarauguſtenſis diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Sic ſignatum.

Et ego Adam *de Sahurs* clericus Cenomanenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, qui præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, dicerentur, agerentur & fierent, una cum notario ſubſcripto & prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi. Ideo huic præſenti publico inſtrumento me ſubſcripſi, ſignumque meum ſolitum appoſui rogatus & requiſitus. Sic ſignatum.

Et ego Robertus *du Vauvendrin* clericus Rothomagenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut ſupraſcribuntur, dicerentur & fierent, una cum notario & teſtibus infraſcriptis præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi, huic præſenti publico inſtrumento ſignum meum appoſui rogatus in teſtimonium veritatis.

SECURITAS DATA DOMINO Benedicto per cardinales.

IN nomine Dei. Amen. Anno a nativitate ejuſdem milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione ſeptima, die verò vigeſima tertia menſis Aprilis, in domo domini de Saluciis, quam inhabitat dominus cardinalis Vivarienſis, noverint univerſi tam præſentes quam futuri hoc præſens publicum inſtrumentum viſuri & audituri, quod reverendiſſimi in Chriſto patres & domini, domini Petrus miſeratione divina Portuenſis, Nicolaus Albanenſis, Bertrandus Sabinenſis epiſcopi; Guillelmus tituli ſancti Stephani in Celio monte, Johannes tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Petrus tituli ſancti Petri ad vincula, Guillelmus tituli ſanctæ Ceciliæ presbyteri, & Petrus ſancti Angeli diaconus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, ſacrum collegium facientes, ob Dei reverentiam, & pro bono unitatis ipſius eccleſiæ, & ad honorem ſereniſſimi principis domini Caroli regis illuſtriſſimi, ſolemniter promittunt, & per pactum expreſſum ſolemni vallatum ſtipulatione nobis notariis infraſcriptis, ut perſonis publicis, pro omnibus illis quorum intereſt ſeu intereſſe poterit, quomodolibet in futurum ſtipulantibus, pro domino Benedicto ultimò in papam electo, viam facti contra ſacrum collegium, ac ſingulos dominos cardinales dicti collegii, civitatem Avenionenſem, & alias terras eccleſiæ, incolas & habitatores earum, per ſe & ſuos penitus dimittente, & abjiciente a ſe gentem armigeram, quam ſecum habet in palatio & alibi, tam in terra quàm in aqua, ipſi a quacumque via facti contra ipſum & ſuos ceſſabunt penitus & omnino, & permittent & non impedient victualia & alia neceſſaria ſibi & ſuis expenſis ejus, uſque ad numerum centum perſonarum ſine armis in ſuo ſervitio exiſtentium miniſtrari, nec aliquid facient per ſe vel alios contra ſalvam gardiam regis Francorum, ſeu quomodolibet attentabunt, eodem domino Benedicto contra dictam ſalvam gardiam dicti regis, in qua ſunt prænominati domini cardinales, villa Avinionenſis, comitatus Venayſſini, & terræ eccleſiæ nihil faciente nec quomodolibet attentante. Si quid autem circa hoc dubitationis vel ambiguitatis emerſerit, ratione cujus inter præfatum dominum Benedictum & prælibatos dominos cardinales, & alios ſupra nominatos materia quæſtionis oriretur, ſeu oriri poſſet, voluerunt & conſenſerunt ſuper hoc ſtare judicio, declarationi & interpretationi præfati domini regis Francorum, dicto domino Benedicto eadem per omnia promittente & faciente; & quod hoc pendente, a via facti hinc inde ceſſetur, & victualia ei præſertim miniſtrentur.

Anno 1399. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

Ubi autem præfatus dominus Benedictus a
Roſe abjiceret gentem armigeram, quam ha-
bet in palatio, & diligentiam debitam face-
ret de abjiciendo reforciatum *Dagout*, illos
homines armorum qui ſunt in Tailladis &
alibi nomine ipſius, & de faciendo quoad
hoc omnis ceſſare viam facti & guerræ, vo-
luerunt & conſenſerunt omnino ceſſare a via
facti & guerræ contra ipſum dominum Be-
nedictum & ſuos ſecum in palatio exiſtentes,
victualiaque & alia neceſſaria ſibi & ſuis, ut
præfertur, miniſtrari. Si vero circa hujuſmo-
di diligentiam inter ipſum dominum Bene-
dictum & præfatos dominos cardinales al-
tercatio oriretur occaſione guerræ, quam fa-
ceret & moveret reforciatus *Dagout*, & ſui
vel alii nomine ipſius domini Benedicti con-
tra ſupra nominatos dominos cardinales col-
legialiter & ſingulariter, ſeu aliter, præfato
domino Benedicto afferente ſe diligentiam
debitam & exactam circa hoc adhibuiſſe, nec
ad aliud de ratione arctari poſſe; præfatis
dominis cardinalibus contrarium aſſerenti-
bus, dicentibuſque reforciatum & ſuos, ſeu
alios & damna & guerram ipſis dominis &
ceteris ſupraſcriptis ipſius domini Benedicti
culpa facere & inferre, ſeu aliàs ipſos do-
minos cardinales per factum ipſius & negli-
gentiam incommoda & injurias pertuliſſe,
voluerunt & conſenſerunt ſuper hoc, nec
non damnis, intereſſe & expenſis ſtare judi-
cio & declarationi præfati domini regis Fran-
corum; dicto domino Benedicto idem ſimi-
liter promittente & faciente: ita tamen quod
ipſius domini regis ambaxiatores in Avenio-
ne nunc propter hujuſmodi negotium exiſ-
tentes, quamdiu propter hoc ibidem præſen-
tes fuerint, poſſint circa hoc providere & or-
dinare, dicto domino Benedicto, ut ſupra,
acceptante. Hujuſmodi vero altercatione pen-
dente, a via facti hinc inde ceſſabitur, vic-
tualiaque & alia neceſſaria miniſtrabuntur,
ut præfertur; & proteſtantur ſolemniter præ-
fati domini cardinales collegialiter & ſingu-
lariter, quod per prædicta, nec per aliqua
alia facta, dicta, fienda, vel dicenda quo-
modocumque per eos, vel eorum aliquem,
ipſi nolunt recedere, vel aliquando deviare
a receſſu quem ipſi domini ſolemniter fece-
runt a totali obedientia ipſius domini Bene-
dicti. De quibus omnibus & ſingulis ſupra-
ſcriptis præfati domini cardinales, nec non
dicti ambaxiatores domini regis prælibati, ad
cautelam pleniorem omnium & ſingulorum
quorum intereſt, vel poterit intereſſe quo-
modolibet in futurum, petierunt & requiſi-
verunt ſibi fieri unum vel plura, publicum
ſeu publica inſtrumentum vel inſtrumenta,
& quæ fuerint neceſſaria, aut aliàs quomo-
dolibet opportuna per notarios publicos in-
fraſcriptos. Datum & actum Avenione anno,
indictione, die, menſe & loco quibus ſupra,
præſentibus ibidem venerabilibus & diſcretis
viris Adam de *Sahurs* magiſtro in artibus, Ro-
berto de Vallevendrini Cenomanenſis & Ro-
thomagenſis diœceſum, dictorum ambaxia-
torum notariis, domino Jordano de Niomis
baccalario in legibus, & nobili viro Ponceto
Aſtrandi, Pauleto Lattiſſuti burgenſibus de
Avenione, & Raymonneto de Vaucio mer-
catore & cive Avenionenſi, teſtibus ad præ-
miſſa vocatis & ſpecialiter rogatis. Subſe-
quenterque non divertendo ad alios actus
extraneos ſeu peregrinos, ſed potius conti-
nuando negotium ſupraſcriptum, nos nota-
rii infraſcripti, de mandato prædictorum do-
minorum ivimus ad domos habitationum
reverendiſſimorum in Chriſto patrum domi-
norum *de Giſſono*, de Veruhio, pro haben-
do ipſorum conſenſum ſuper præmiſſis. Qui
quidem domini & quiliber ipſorum ſingula-
riter, lecta ſibi nota hujus præſentis inſtru-
menti, in domo ſua exiſtens, prædictis om-
nibus ſuum præbuit conſenſum pariter & aſ-
ſenſum. Dein conſecutive reverendiſſimus
in Chriſto pater dominus cardinalis Ambia-
nenſis in camera ſua paramenti exiſtens, au-
ditis omnibus ſupraſcriptis & intellectis ipſis,
& eorum ſingulis, ſponte conſenſit, præſen-
tibus in præmiſſis teſtibus ſupra, & notariis
infraſcriptis. Subſequenti verò die ivimus e-
tiam de mandato prædicto ad domum habi-
tationis reverendiſſimi in Chriſto patris do-
mini cardinalis Venetiarum, quem in came-
ra reperientes, requiſivimus ex parte dicto-
rum dominorum, ut ſuper præmiſſis vellet
conſentire: qui ipſis intellectis, ſponte con-
ſenſit, præſentibus quibus ſupra. Sic ſigna-
tum.

Et ego Guillelmus Dominici preſbyter Cla-
romontenſis diœceſis, publicus auctoritate
apoſtolica notarius, quia præmiſſis omnibus
& ſingulis dum, ut præmittitur, per dictos
dominos fierent & concederentur, unà cum
teſtibus ſupra & notariis infraſcriptis præſens
interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vi-
di & audivi; idcirco hoc præſens publicum
inſtrumentum per alium ſcriptum, in hanc
publicam formam redegi, cui me manu pro-
pria ſubſcripſi, meumque ſignum appoſui
conſuetum in fidem & robur omnium præ-
miſſorum, requiſitus & rogatus. Sic ſigna-
tum.

Et ego Petrus Fabri clericus Gebennenſis
diœceſis, publico auctoritatibus apoſtolica
& imperiali notario, qui præmiſſis omnibus
& ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, per præ-
fatos dominos cardinales fierent & conce-
derentur, unà cum prænominatis teſtibus &
notario præſens interfui, eaque ſic fieri vidi
& audivi, ac in notam recepi; ideoque huic
præſenti publico inſtrumento per alium fi-
deliter ſcripto, me hic ſubſcribendo, ſignum
meum rogatus & requiſitus appoſui conſue-
tum in robur & teſtimonium præmiſſorum.

SECURITAS DATA DOMINO Benedicto per villam Avinionenſem.

Anno 1399. Ex mſ. bibliothecæ regiæ.

IN nomine Domini. Amen. A nativitate ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione ſeptima, & die vigeſima quarta menſis Aprilis, in præſentia noſtrûm notariorum publicorum & teſtium infraſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, congregato in loco infraſcripto venerabili conſilio civitatis Avenionenſis, de licentia & auctoritate expreſſis nobilis & potentis viri Petri de Balayſone, domicelli, vicarii ejuſdem civitatis Avenionenſis ibidem præſentis, ipſo quidem conſilio prius ad ſonum tubæ, ut moris eſt, per loca ſolita ejuſdem civitatis, per diſcretum virum Johannem Sarcelli præconem publicum curiæ temporalis ipſius civitatis, pro eodem conſilio congregando tubicinante, congregato: in quo nempe conſilio interfuerunt dictus dominus vicarius præſidens in eodem, ac nobiles, venerabiles & providi viri Johannes *Rathoncon* domicellus, Salvator Yriſſoni burgenſis ſindici univerſitatis ejuſdem civitatis, domini Raymundus Bernardus Flamingi miles, Stephanus Caprioli dictorum ſindicorum aſſeſſor, Petrus *de Candouc*, Franciſcus de Cario, Petrus de ſancta Cruce, Antonius de Paniſſeriis, Johannes de Sadone legum doctores, Stephanus Regis in legibus licentiatus, Jordanus de Nicomis, Johannes de Cabaſſale, Pontius Aſtrandi, Galhardus Chapucii, Jacobus Rebolli, Giraudus Raynaudi, Guillermus Johannis, Johannes Arquerii, Johannes Artaudi, Syffredus Raynaudi, Johannes Ralherii, & Antonius Alamanni conſiliarii ejuſdem civitatis cum ſolemnitate debita congregandi, ad hujuſmodi conſilia, ſicut præmittitur, congregati, ac majorem & ſaniorem partem ipſius conſilii dictæ civitatis Avinionenſis facientes & conſtituentes, promiſerunt omnes unanimiter & concorditer, collegialiter & ſingulariter nobis notariis publicis infraſcriptis, ut publicis perſonis, nomine, vice & ad opus omnium & ſingulorum quorum intereſt aut intereſſe poteſt, ſeu poterit in futurum ſtipulantibus & recipientibus, quod domino Benedicto ultimò in papam electo, viam facti contra ſacrum collegium & eos, villam Avinionenſem, comitatum Venayſſini, epiſcopatum Avinionenſem, & alias terras eccleſiæ, incolas & habitatores eorum per ſe & ſuos penitus dimittente, & abjiciente a ſe gentem armigeram, quam ſecum habet in palatio & alibi, tam in terra quàm in aqua, ipſi a quacumque via facti contra ipſum & ſuos ceſſabunt penitus & omnino, & permittent & non impedient victualia & alia neceſſaria ſibi & ſuis expenſis ejus, uſque ad numerum A centum perſonarum ſine armis in ſuo ſervitio exiſtentium, miniſtrari, nec aliquid facient per ſe vel alios contra ſalvam gardiam regis Francorum, ſeu quomodolibet attentabunt, eodem domino Benedicto contra ſalvam gardiam dicti regis, in qua ſunt prænominati domini cardinales, civitas & epiſcopatus Avinionenſis, comitatus Venayſſini & terræ eccleſiæ prædictæ, nihil faciente, nec quomodolibet attentante, & obſervante ea quæ continentur in capitulis nuper per illuſtriſſimum principem regem Franciæ nuntiis regis Aragoniæ datis, in quantum ipſum dominum Benedictum concernunt. Si quid autem circa hæc dubitationis aut ambiguitatis emerſerit ratione, cujus inter præfatum Benedictum & prælibatos materia quæſtionis oriretur, ſeu oriri poſſet, voluerunt & conſenſerunt ſuper hoc ſtare judicio, declarationi & interpretationi præfati domini regis Francorum; eodem domino Benedicto hæc promittente & faciente per omnia, & quod, hoc pendente, a via facti hinc inde ceſſetur, & victualia, ut præfertur, miniſtrentur. Ubi autem præfatus Benedictus a ſe abjiceret gentem armigeram, quam habet in palatio, & diligentiam debitam faceret de abjiciendo reforciatum *Dagout*, & illos homines armorum, qui ſunt in Talhadis & alibi nomine ipſius, & de faciendo quoad hoc omnino ceſſare viam facti & guerræ; voluerunt & conſenſerunt omnino ceſſare a via facti contra ipſum Benedictum & ſuos ſecum in palatio exiſtentes, victualiaque & alia ſibi neceſſaria & ſuis, ut præfertur, miniſtrari. Si vero circa hujuſmodi diligentiam inter ipſum dominum Benedictum & præfatos ſindicos & conſiliarios altercatio oriretur occaſione guerræ, quam faceret & moveret reſervatus *Dagout*, & ſui & alii nomine ipſius, ſeu aliter præfato domino Benedicto aſſerente ſe diligentiam debitam & exactam circa hoc adhibuiſſe, nec ad aliud de ratione arctari poſſe: præfatis dominis contrarium aſſerentibus, dicentibuſque reforciatum & ſuos ſeu alios damna & guerram ſuis dominis & ceteris ſupraſcriptis, ipſius domini Benedicti culpâ, facere & inferre, ſeu aliàs ipſos per factum ipſius & negligentiam, incommoda & injurias pertuliſſe; voluerunt & conſenſerunt ſuper hoc, nec non damnis, intereſſe, & dependentiis, ſtare judicio & declarationi præfati domini regis Francorum, dicto domino Benedicto idem per omnia ſimiliter promittente & faciente; ita tamen quod ipſius domini regis ambaxiatores, in Avenione nunc propter hujuſmodi negotium exiſtentes, quamdiu propter hoc ibidem præſentes fuerint, poſſint circa hoc providere & ordinare, dicto domino Benedicto, ut ſupra, acceptante; hujuſmodi vero altercatione pendente, a via facti hinc inde ceſſabitur, victualiaque & alia neceſſaria miniſtrabuntur,

ut

ut præfertur. Et proteſtantur ſimiliter præfati ſindici & conſiliarii, nomine ipſorum, & civium, & incolarum ac habitantium, collegialiter & ſingulariter, quod per prædicta, nec per aliqua alia facta, dicta, fienda vel dicenda quomodocumque per eos, vel eorum aliquem, ipſi nolunt neque intendunt recedere, vel quomodolibet deviare a receſſu, quem ipſi domini ſolemniter fecere a totali obedientia ipſius domini Benedicti. De quibus omnibus, univerſis & ſingulis ſupradictis, prædicti ſindici & concilium voluerunt & conceſſerunt ac petierunt fieri publicum inſtrumentum & publica inſtrumenta per nos notarios publicos infraſcriptos. Acta fuerunt hæc Avinioni in hoſpitio habitationis ſupradicti nobilis Johannis Rathouchini, anno, indictione, die & menſe quibus ſupra, præſentibus reverendo patre domno PETRO, Dei gratia abbate monaſterii Montis ſancti Michaëlis, ac nobilibus & circumſpectis viris dominis Roberto Cordellerii in legibus licentiato, & Guillelmo de Tignonvilla militibus, Raymundo de Columberiis domicello, Johanne de Sadone, & Raymundo de Baucio, iſtis tribus civibus Avenionenſibus, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis, & me Petro Baſſurelli clerico Mimatenſis diœceſis, publico apoſtolica & imperiali ac civitatis Avinionenſis auctoritatibus notario, qui in prædictis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus ac diſcretis viris magiſtris Adam *de Sahurs* & Roberto de Vallevendrino, Cenomanenſis & Rothomagenſis diœceſum clericis infraſcriptis, notariis publicis, præſens fui, & requiſitus unà cum ſubſcriptis notariis de eis notam recepi, de qua hoc inſtrumentum per alium, me aliis negotiis occupato, extrahi & groſſari feci; & facta collatione de præſenti inſtrumento cum dicta nota & cum notariis infraſubſcriptis, hic me ſubſcripſi propria manu, in publicumque relegi, & ſigno meo conſueto ſignavi in teſtimonium præmiſſorum. Sic ſignatum.

Et ego Adam *de Sahurs* clericus Cenomanenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus ac notariis, præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi; ideo huic altera manu ſcripto inſtrumento publico me ſubſcripſi, ſignumque meum ſolitum appoſui requiſitus.

Et quia ego Robertus *du Vauvendrin* clericus Rothomagenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum, ut ſupra ſcribuntur, agerentur, dicerentur & fierent, unà cum notariis & teſtibus ſupra nominatis, præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi, huic præſenti publico inſtrumento per alium ſcripto, ſignum meum conſuetum appoſui, hìc me ſubſcribens in teſtimonium veritatis rogatus.

JURAMENTA ILLORUM qui receſſerunt de palatio Avinionenſi.

IN nomine Domini. Amen. Noverint univerſi quod anno ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione ſeptima, menſis Aprilis die vigeſima nona, ab electione domini Benedicti ultimò in papam electi, anno quinto, reverendus pater dominus PETRUS abbas monaſterii Montis ſancti Michaëlis in periculo maris, ordinis ſancti Benedicti, Abrincenſis diœceſis, nobilis & circumſpecti viri domini Guillelmus de Tignonvilla miles, & magiſter Ægidius de Campis, ſacræ paginæ profeſſor, ambaxiatores Chriſtianiſſimi principis ac domini CAROLI Dei gratia regis Francorum illuſtriſſimi, in mei notarii publici & teſtium infra ſcriptorum præſentia, narraverunt & expoſuerunt, quod ſecundum contenta in capitulis reſponſionis præfati domini regis Francorum, factis & compoſitis per eum pro bono unionis eccleſiæ per viam ceſſionis procurandæ, traditiſque nuper ex parte ipſius ambaxiatoribus domini regis Aragonum, & poſtmodum per ipſum dominum Benedictum ſpontaneè firmatis, acceptatiſque & approbatis, ipſe dominus Benedictus habebat penitus dimittere viam facti in dominos cardinales ſacri collegii, civeſque & habitatores villæ Avinionenſis, & exinde dominus Benedictus prædictus volens, ut dicebat, ſecum retinere ſolum numerum centum perſonarum in dictis capitulis deſignatum, voluerat & promiſerat abjicere a ſe gentem armigeram, & certos homines eccleſiaſticos & ſæculares ſecum in palatio apoſtolico civitatis Avinionenſis exiſtentes, juramenta inferius deſignanda præſtituros; ideo coram ipſis dominis ambaxiatoribus præfati domini regis Francorum, meque notario publico, & præſentibus teſtibus infraſcriptis, perſonaliter conſtituti venerabiles viri Antonius de Bonora, Galcerandus Pinos, Ferdinandus de Eceſa, Franciſcus Laurentii, Petrus de Portu, Johannes Eledo, Martinus Ferdinandi, Ferdinandus Alvari, Gondiſſalvus de Sibilia, Nundinus de Yralia, Johannes Gondiſſalvi de Sibilia, Ferdinandus de Deoniedo, Johannes Ferdinandi de Cordona, Andreas Martini, Bernardus Fabri, Petrus *Boſch*, Andræas Boubarclarius, Petrus Oliverius de Majoricis, Gabriel de Barchinona, de conſenſu ipſius domini Benedicti a dicto palatio recedere volentes, juraverunt & promiſerunt bona fide, ac quilibet ipſorum in quantum ipſum tangit ſingulariter, eorum manibus tactis ſacris ſcripturis, mihi notario publico

Anno 1399. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

infraſcripto, tamquam perſonæ publicæ, vice & nomine illorum quorum intereſt, aut intereſſe poterit in futurum legitime ſtipulanti, juravit & promiſit illa quæ ſequuntur.

Primò, quod ipſi non facient, nec facient fieri guerram, neque damnum quodcumque, quomodocumque, publice vel occulte, collegio dominorum cardinalium villæ Avinionenſis, comitatui Venayſſini, nec alicui ſingularium ipſorum collegii, villæ & comitatus, neque alicui alteri occaſione ſubſtractionis obedientiæ factæ domino Benedicto ultimò in papam electo, nec etiam occaſione guerræ, quæ nuper fuit inter ſupradictos collegium, villam Avinionenſem, & comitatum Venayſſini, neque etiam occaſione eorum, quæ ex ſubſtractione & guerra prædictis ſunt ſecuta.

2. Item, juraverunt quod ipſi non facient malum per ſe nec per alium regno Franciæ, neque ſubditis ipſius quovis modo.

3. Item, quod ipſi non auferent nec alienabunt aliqua jocalia, aut alia bona quæcumque eccleſiæ Romanæ pertinentia.

4. Item, quod ipſi non dicent, nec facient aliquid, per quod unio eccleſiæ poſſit retardari, neque via ceſſionis quomodolibet impediri, præſentibus ad hoc juxta portam exteriorem palatii apoſtolici prædicti verſus eccleſiam cathedralem dictæ civitatis, nobilibus viris dominis Buffilo Bruncaſſio de Neapoli mareſcallo Romanæ curiæ, Georgio de *Marle* ſeneſcallo Provinciæ, Roberto *Cordelier* conſiliario dicti domini regis Francorum, & Gondiſſalvo *Forcen* ipſius domini Benedicti familiari militibus, cum pluribus aliis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Subſequenter vero die ultima menſis Aprilis de mane, anno prædicto, coram domino Guillelmo de Tignonvilla milite ambaxiatore prædicto, meque notario publico infraſcripto perſonaliter conſtituti, domini Johannes de ſancto Clemente, & Franciſcus de ſancto Clemente milites, Bernardus *Aymerich*, Bartholomæus Bajuli, Andræas Giberti, Raymundus *Gueraut*, Aryas Petri, Turybius *de Burgos*, Petrus Navarro, Johannes *Aycart*, Antonius *Maltes*, Johannes *Doniedo*, Guillelmus *Le Grand*, Jacobus *de Caragos*, Petrus *de Alfars*, Johannes *Garcie*, Garcias de Bermeo, Guillelmus Fabri, Arnaldus *Vich*, Garcias de Vimieſta, Dominicus Lupi, Guillelmus *Franch*, Franciſcus Johannes, Petrus *Ram*, frater *Dantomelles*, Dominicus Navarro, Guillelmus Capelli, Michaël *de Altofoſſée*, Berengarius *Tarrago*, a dicto palatio recedere volentes, lecta ſibi primitus de verbo ad verbum forma juramentorum prædictorum, juraverunt & promiſerunt bona fide, ac quilibet ipſorum ſingulariter modo ſupraſcripto juravit & promiſit præmiſſa omnia & ſingula tenere & firmiter obſervare, ac contra ea non venire quovis modo, publice vel occulte.

5. Item, juraverunt & promiſerunt ſolvere & contentare omnes debitores ſuos antequam a Villa-nova recedant, præſentibus ad hoc teſtibus quibus ſupra; deinde vero die prima menſis Maii anno prædicto, coram prænominato domino Guillelmo de Tignonvilla, meque notario publico infraſcripto, perſonaliter conſtituti, dominus Bernardus *Maillot Encomelles*, dominus Matthæus Sancii decanus Cordubenſis, Petrus *Sican*, Dominicus Gatorii, Johannes de Corduba, Raymundus de Villa-franca, Petrus Sagarra, dominus Jacobus de Lomponibus, Johannes *Gallego*, Gondiſſalvus Roderici de Alna, Alfonſus *de Burgues*, Martinus de Biſcaya, magiſter Michaël Geraudi Cirurgicus, Eximinus *de Latreſſas*, Nicolaus Alamanni, Jacobus de Ayuſa, Antonius de Oſta, Simon de Prato, Jacobus de Caſis, Johannes Sancii *de Urran*, Johannes de Soria, a dicto palatio recedere volentes, lecta ſibi primitus de verbo ad verbum forma juramentorum prædictorum, juraverunt & promiſerunt bona fide, ac quilibet ipſorum ſingulariter modo ſupraſcripto juravit & promiſit omnia & ſingula ſupradicta tenere & firmiter obſervare, ac contra ea non venire, publice vel occulte, quovis modo, præſentibus ad hoc teſtibus ſupraſcriptis. Et conſequenter die tertia menſis Maii anno prædicto, dominus Geraldus *Lencol*, Bernardus de Jaqua, Emmanuel de Argento, Antonius de Rupe, frater Andræas *Malle* miles, Bernardus Marini, Antonius *Garcil*, Jacobus *Duart*, Johannes Petri de Orro, Blaſius de Brugi, Martinus *de Aldaz*, Johannes de Maya, Johannes de Ripalda, Arnaldus Afine, Ferdinandus de Sibilia, Antonius de Corduba, Martinus de Alcala, Alfonſus de Cuença, Johannes de Miranda, Johannes Sancii de Coqua, Petrus *de Verniar*, Johannes de S. Auderio, Johannes Serra, Johannes *Caſtellain*, Benedictus de Avilla, omnia præmiſſa juraverunt modo ſupraſcripto tenere & contra ea non venire quovis modo, publice vel occulte, præſentibus ad hoc domini Roberto *Cordelier*, Gondiſſalvo *Forcen*, & Georgio *de Marle*, militibus teſtibus ſupraſcriptis.

6. Item, die quarta menſis Maii anno prædicto, Ægidius Petri, Julianus de Loba, Blaſius de Erla, Simenus *de Sacas*, Garcias de Vera, Petrus *Sancii de Evecons*, Martinus *du Rus*, Johannes *de Alugon*, Johannetus famulus de Saia, Martinus de Lagranho, modo & forma præſcriptis, juramenta prædicta præſtiterunt & juraverunt coram me notario publico & præſentibus teſtibus, videlicet dominis Gondiſſalvo *Forcen*, Georgio *de Marle*, & Roberto *Cordelier* militibus ſuperius nominatis.

7. Item, die duodecima menſis Maii anno prædicto, coram magiſtro Ægidio de Cam-

pis ambaxiatore prædicto, meque notario publico infraſcripto, & præſentibus pro teſtibus dominis Gondiſſalvo *Forcen* & Georgio *de Marle* militibus prædictis, dominus Bertrandus de Acromonte protonotarius, Arnaudus *de Dagueys*, & Didacus de Foria ſecundum formam ſuperius deſignatam juraverunt.

8. Item, die quinta decima menſis Maii anno prædicto, coram domino abbate Montis ſancti Michaëlis in periculo maris, & magiſtro Ægidio de Campis ambaxiatoribus ſupradictis, magiſter Petrus *Roys*, magiſter in medicina, & Petrus Eximini juraverunt omnia ſupradicta ſecundum formam ſupradictam, & ipſis ambaxiatoribus abſentibus, eadem die Arnaudus de Pampilona, Andræas *Roys*, præmiſſa juramenta præſtiterunt coram me notario publico & præſentibus pro teſtibus domino Georgio *de Marle* milite prædicto, & Jordano de Nyomis habitatore Avinionenſi.

9. Item, die vigeſima menſis Maii anno prædicto, coram domino abbate Montis S. Michaëlis, & magiſtro Ægidio de Campis ambaxiatoribus ſæpedictis, meque notario publico infraſcripto, perſonaliter conſtituti, dominus noſter de Proxida, Matthæus de Tarraſſa, Matthias Oliverii, Jacobus *Mouſon*, & Johannes Bernardi, a dicto palatio etiam recedere volentes, modo & forma ſuperius nominatis, juraverunt & promiſerunt præmiſſa omnia obſervare, ac contra ea non venire publice, vel occulte quovis modo, præſentibus pro teſtibus dominis Georgio *de Marle*, & Gondiſſalvo *Forcen*, militibus ſupradictis. Super quibus omnibus & ſingulis ambaxiatores præfati domini regis Franciæ petierunt ſibi fieri per me notarium publicum infraſcriptum, publicum inſtrumentum unum, vel plura. Acta fuerunt hæc Avinionis ante portam palatii apoſtolici prædictam, anno, indictione, menſibus & diebus ſupraſcriptis. Sic ſignatum.

10. Et ego Adam *de Sahurs* clericus Cenomanenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi. Ideo huic præſenti publico inſtrumento propria manu ſcripto, ſignum meum ſolitum appoſui requiſitus & rogatus.

JURAMENTA SERVITORUM *domini Benedicti cum eo remanentium in palatio.*

IN nomine Domini. Amen. Noverint univerſi hoc præſens publicum inſtrumentum inſpecturi, quod anno ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione ſeptima, menſis Maii die quarta, ab electione domini Benedicti ultimo in papam electi anno quinto, cum reverendus pater dominus PETRUS abbas monaſterii Montis ſancti Michaëlis in periculo maris, ordinis ſancti Benedicti, Abrincenſis diœceſis, nobilis vir dominus de Tignonvilla miles, & magiſter Ægidius de Campis ſacræ paginæ profeſſor, ambaxiatores Chriſtianiſſimi principis & domini domini KAROLI Dei gratia Francorum regis illuſtriſſimi, affirmarent & exponerent, quod ſecundum contenta in capitulis reſponſionis præfati domini regis Francorum, factis & compoſitis per eum pro bono unionis eccleſiæ per viam ceſſionis procurandæ, traditiſque ex parte ipſius ambaxiatoribus domini regis Aragonum, & poſtmodum per ipſum dominum Benedictum ſpontanee acceptatis, firmatis & approbatis, perſonæ quæ cum ipſo domino Benedicto & ad ejus ſervitia manebunt, habebant aliqua juramenta præſtare & jurare; idcirco coram ipſis dominis ambaxiatoribus præfati domini regis Francorum, in palatio apoſtolico civitatis Avinionenſis exiſtentibus, & juramenta prædicta audire volentibus, meque notario publico, & præſentibus teſtibus infraſcriptis, perſonaliter conſtituti venerabiles viri Petrus *Garcoys*, Petrus Eximini, magiſter *Sere*, Andræas *de Burſach*, Johannes *Delmers*, Johannes Munionis, Johannes Lupi de Attiença, Simon Salvatoris, Romerius de Pilaribus, Ferdinandus de ſancta Maria, Gondiſſalvus de Victoria, Antonius Gomeſſy, Martinus *de Tahuſt*, Raymundus *de Villarovir*, Alfontius de Manfrella, Johannes de Tortafello, Johannes de Virnieſta, Michaël Martini, Johannes *Deſpagne*, Antonius *Garcye*, Turibius *Garcye*, Martinus de Corduba, Petrus Navarro, Johannes *d'Aguillar*, Johannes de Mora, Dominicus Barohardi, Johannes Ferdinandi, Johannes Martini, Johannes de Vera, Andræas de Meſſida, Bernardus Fortis, Arnaldus Berteloti, Jacobus de Berlis, Antonius Vincentii, Martinus Sancii, Simon *de la Nage*, Philippus de Camonibus, Guillelmus Floniani, Benedictus *Rouſſignol*, Antonius de Utrera, frater Raymundus Galvaneti, Johannes *du Dailla*, Nicolaus Balaguerii, Rodericus Gomeſſii, Stephanus Toletani, Guillelmus *Forcen*, Johannes *de Forung*, Diadacus de Soria, Didacus Navarri, frater Hieronymus *Deceon* ordinis S. Benedicti, Matthæus Vergerii, Antonius de Campis, Michaël Eximini, Diadacus de Oviedo, Boſſolacius Folquerii, Raymundus *Lult*, Alfonſus *Maldonado*, frater Guillelmus de Peyriotis ordinis Prædicatorum, Enecus Orticii, Petrus *de Verah*, Petrus Romani, Guillelmus Coma ipſius domini Benedicti familiares, cum ipſo in palatio prædicto, ut dicebant, remanere volentes, de conſenſu domini Benedicti juraverunt & promiſerunt bona fide, ac quilibet eorum, manibus tactis ſacris ſcripturis, mihi notario publico infraſcripto, tamquam perſonæ publicæ, vice &

nomine illorum quorum intereſt, aut intereſſe poterit, in futurum legitime ſtipulans juravit & promiſit illa quæ ſequuntur.

Primo ſcilicet quod ipſi directe vel indirecte quovis modo non facient, nec procurabunt aliquid per quod unio eccleſiæ valeat impediri, vel retardari, nec via ceſſionis quomodolibet impediri.

2. Item, quod ſi dictus Benedictus aliquid facere vellet, per quod unio eccleſiæ poſſet retardari, vel via ceſſionis quomodolibet impediri, ipſi eidem Benedicto non conſentient, nec ei dabunt conſilium aut favorem.

3. Item, quod dictum Benedictum non permittent a palatio recedere, nec ad hoc ſibi dabunt directe vel indirecte conſilium, auxilium, vel favorem.

4. Item, quod cuſtodibus deputandis, vel deputatis ad cuſtodiam dicti Benedicti familiaribus eorum nullam injuriam, moleſtiam, offenſam, ſive damnum in perſonas vel bona inferent ſeu inferri facient, directe vel indirecte, occulte vel publice, per ſe vel per alios, immo facere volentibus, prout poterunt, reſiſtent & ſe opponent; & ſi non poſſent reſiſtere, ſaltem ad notitiam dictorum cuſtodum & familiarium quam primum poterunt deducent, quodque dictam cuſtodiam nullatenus impedient; immo quoad eam cuſtodibus debite parebunt, præſentibus ad hæc in quadam capella parva dicti palatii juxta cameram conſiſtorii, reverendo patre domino RAYMUNDO abbate monaſterii beatæ Mariæ de Rivipullo ordinis S. Benedicti, Vicenſis dioceſis, nobili circumſpectis viris dominis Geraldo Alamanni de Cervillione milite, & Petro *Zacalin* legum doctore, ambaxiatoribus præfati domini regis Aragoniæ, & domino Johanne de Boſco preſbytero Gerundenſi notario publico cum pluribus aliis teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis. Subſequenter vero die quinta menſis Maii, anno prædicto, coram ipſis domini regis Franciæ ambaxiatoribus, meque notario publico, & præſentibus teſtibus ſupraſcriptis, perſonaliter conſtituti dominus FRANCISCUS epiſcopus Imolenſis, Martinus *Molerit*, Cypreſſus Eraudi, frater Guillelmus Blanqueti ordinis S. Benedicti, Petrus *Conill*, Johannes Ægidii de Alfaro, Jacobus Raymundi, Johannes Fabri, Johannes de Monte-Peſſulano, Ægidius Comeſſii, Franciſcus Matthæi, Petrus Andreæ de Conangla, Petrus Quinada, frater Antonius de Margina ordinis fratrum Minorum, Diadacus Alvari, Bartholomæus Garigoſa, Sancius Dayſa, Andræas Laurentii, ipſius domini Benedicti familiares, & cum ipſo in palatio prædicto, ut dicebant, remanere volentes, lecta ſibi primitus de verbo ad verbum forma juramentorum prædictorum, juraverunt & promiſerunt bona fide, ac quilibet ipſorum ſingulariter modo ſupradicto juravit & promiſit præmiſſa omnia & ſingula tenere & firmiter obſervare, ac contra ea non venire publice vel occulte quovis modo. Deinde vero eiſdem anno, die & loco, coram ipſis ambaxiatoribus præfati domini regis Franciæ, meque notario publico, præſentibus teſtibus infraſcriptis, perſonaliter conſtituti dominus PETRUS abbas S. Johannis de Pinna, dominus Johannes Romani cubicularius, dominus Petrus Soriani notarius publicus, magiſter Franciſcus Bibalta magiſter in medicina, dominus Gondiſſalvus *Forcen* miles, ipſius domini Benedicti familiares, & cum ipſo in palatio prædicto, ut dicebant, remanere volentes, lecta ſibi primitus de verbo ad verbum forma juramentorum prædictorum, juraverunt & promiſerunt bona fide, ac quilibet ipſorum ſingulariter modo ſupraſcripto juravit & promiſit, præmiſſa omnia & ſingula tenere & firmiter obſervare, ac contra ea non venire quovis modo publice vel occulte.

5. Item, eadem die & hora in mei notarii publici & teſtium infraſcriptorum præſentia, in quadam camera palatii prædicti perſonaliter conſtitutus, Eximinus Lupi *de Amben* ipſius domini Benedicti familiaris & cum ipſo in dicto palatio volens, ut dicebat, remanere, lectis ſibi primitus de verbo ad verbum juramentis ſupradictis, ipſa omnia & ſingula juravit & promiſit tenere & firmiter obſervare, ac contra ea non venire quovis modo, præſentibus ad hæc nobilibus ac diſertis viris domino Bernardo de Podio milite Elnenſis dioceſis, Roberto de Campis Rothomagenſi, & Comino *de Lande* notario publico cive Avinionenſi, teſtibus ad præmiſſa vocatis, ſpecialiter & rogatis. Super quibus omnibus & ſingulis ambaxiatores præfati domini regis Franciæ petierunt ſibi fieri per me notarium publicum infraſcriptum publicum inſtrumentum. Acta fuerunt hæc Avinionis, anno, indictione, menſe, diebus & loco, ac præſentibus teſtibus ſupraſcriptis. Sic ſignatum.

Et ego Adam *de Sahurs* clericus Cenomanenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi; ideo huic præſenti publico inſtrumento altera manu ſcripto ſignum meum ſolitum appoſui requiſitus.

QUALITER DOMINUS BENEDICTUS refutavit cuſtodes ſibi datos per regem.

IN nomine Domini amen. Noverint præſens publicum inſtrumentum inſpecturi & audituri, quod anno ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione ſeptima, menſis Maii die quarta, ab electione Domini BENEDICTI ultimo in papam electi, anno quinto, in noſtri notariorum

Anno 1399. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

infraſcriptorum publicorum & teſtium infra A
ſcriptorum præſentia, perſonnaliter conſtituti, reverendus pater dominus PETRUS abbas monaſterii Montis ſancti Michaëlis in periculo maris, ordinis ſancti Benedicti, Abrincenſis dioceſis, ac nobilis & circumſpecti viri domini Guillelmus de Tignonvilla miles, & Ægidius de Campis ſacræ paginæ profeſſor, chriſtianiſſimi principis domini KAROLI regis Francorum illuſtriſſimi ambaxiatores, ex poſuerunt præfato domino BENEDICTO, in palatio apoſtolico civitatis Avinionenſis exiſtenti, quomodo ſecundum capitularesponſionis præfati domini regis Francorum, facta & compoſita per eum pro bono & unione ecB
cleſiæ, traditaque ex parte ipſius ambaxiatoribus regis Aragoniæ. Quæ ſiquidem capitula dominus Benedictus prædictus promiſerat bona fide adimplere. Inter cetera continebatur quod ipſe dominus rex Francorum commiſerat gardiam, ſeu cuſtodiam perſonæ præfati domini Benedicti, gentium ipſius & bonorum, domino archiepiſcopo Narbonenſi, tribus Baronibus ſuis, videlicet ſeneſcallo Bellicadri, dominis de Caſſenatico & de Volta, & etiam domino de Marla, ſeneſcallo Provinciæ, vel eorum tribus aut duobus; nunc autem Deo faciente, negotia de C
quibus cavetur in capitulis antedictis, erant ad talem ſtatum deducta, quod procedendum videbatur ad introductionem cuſtodum in palatio apoſtolico. Et ideo ipſi domini ambaxiatores inter ſe deliberaverant, quod ipſi præfatis dominis archiepiſcopo & ſeneſcallis, qui utiles & convenientes ad cuſtodiam præfati domini Benedicti videbantur, traderent litteras commiſſionis hujuſmodi gardiæ ſive cuſtodiæ quas habebant, & de hoc jam cum ipſis locuti fuerant, & ipſos de hoc requiſiverant, & inde requirebant præfatum dominum BENEDICTUM inſtantius ut
poterant, tamquam ambaxiatores ex parte ip- D
ſius domini regis Francorum, quatenus ipſos archiepiſcopum & ſeneſcallos, ſeu ſaltem duos vel tres de nominatis, ut præfertur, in capitulis antedictis, acceptaret & reciperet pro cuſtodia & gardia prædictis, & introduci permitteret in palatio apoſtolico ad ſecuritatem perſonæ ipſius Benedicti, obedientiæ ſuæ, & negotii unionis eccleſiæ. Ipſe vero dominus BENEDICTUS reſpondit, quod ambaxiatores domini regis Aragonum de Pariſius redeuntes ſibi retulerant, quod quamvis præfati fuiſſent nominati in capitulis ſupraE
dictis & litteris commiſſionis, tamen ipſi ambaxiatores ſciebant eſſe de mente dicti domini regis Francorum, & hoc fuerat eis per aliquos de conſilio dicti domini regis Pariſius declaratum, & etiam in hoc actu duo ex ipſis ambaxiatoribus, videlicet dominus abbas de Rivipullo & dominus Guerardus Alamanni de Cervillione miles hoc affirmaverunt, quod ſi aliquis ſeu aliqui eſſent ſeu viderentur dicto domino Benedicto magis expedientes & grati pro tuitione & cuſtodia perſonæ ſuæ & ſuorum, dum tamen eſſent de regno Franciæ & dicto domino regi bene affidati, ipſe dominus rex libenter in hoc ſibi complaceret, & ideo dictus dominus BENEDICTUS, licet ſuperius nominatos bonas perſonas & notabiles, & aliter ſibi gratas reputaret: non tamen reputat eos potentes ad cuſtodiam & ſecuritatem prædictas, & ad alia quæ neceſſario pro executione capitulorum prædictorum, quoad executionem ſalvæ gardiæ dicti domini regis ſunt agenda; & ideo confiſus de magnificentia & nobilitate domini ducis
Aurelianenſis, quem ad cuſtodiam perſonæ B
ſuæ & ſuorum neceſſarium reputabat, & per cujus medium & induſtriam ſperabat in negotio eccleſiæ multa bona proventura, ipſum pro hujuſmodi cuſtodia & ceteris nomine dicti domini regis exequendis, nominabat & nominavit, nec intendebat aliquem alium pro dicta cuſtodia admittere, nec permittere in palatium introduci: nec videretur honeſtum eidem domino duci eam recipere poſt introductionem dictorum cuſtodum, & in hoc eis ſuccedere; requirendo præfatos dominos ambaxiatores dicti domini regis Francorum, quod data eidem domino Benedicto ſalva gardia ipſius domini regis, proviſo ſibi de ſecuritate perſonæ ſuæ & ſuorum, ac bonorum, ab hac civitate Avinionenſi non recederent, ſed dicti domini ducis adventum, cui jam ſcripſerat, & iterum ad eum mittere & ſcribere intendebat, expectarent. Qui quidem domini ambaxiatores ſibi reſponderunt, quod impletis capitulis reſponſionis regis, prout ad ipſum dominum Benedictum pertinebat, ſibi traderent dictam ſalvam gardiam, & quod ad reliqua facerent quod deberent. De quibus omnibus & ſingulis ſupradictis dicti domini ambaxiatores præfati domini regis Francorum petierunt per nos notarios infraſcriptos ſibi fieri unum, vel plura, inſtrumentum publicum, vel publica inſtrumenta. Acta fuerunt hæc in dicto apoſtolico palatio, in camera nuncupata de Turri, anno indictione, menſe, & die prædictis, præſentibus reverendis patribus dominis Ferdinando Tiraſonenſi, Berengario Gerundenſi presbyteris & Gaufrido *de Boyl* diacono pro cardinalibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſe gerentibus, nec non dominis Petro Foriani canonico Barchinonenſi & Johanne de Boſco presbyteris, notariis publicis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Sic ſignatum.

Et ego Robertus *du Vauvendrin* clericus Rothomagenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut ſupra ſcribitur, agerentur, dicerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus & notario ſubſcripto, præſens fui, eaque ſic fieri vidi &

audivi. Et ideo huic præſenti publico inſtrumento mea propria manu ſcripto, ſignum meum ſolitum appoſui, hic me ſubſcribens requiſitus in teſtimonium præmiſſorum. Sic ſignatum.

Et ego Adam de *Sahurs* clericus, Cenomanenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, qui præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum notario & teſtibus ſupraſcriptis, præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideo præſenti publico inſtrumento ſignum meum ſolitum appoſui requiſitus.

SUBTRACTIO CIVITATIS Leodienſis.

Anno 1399. *Ex bibliotheca regia.*

EN nom de Dieu, amen. Nous li maiſtres jurez conſeaux & toute li univerſité de la citoit, franchiſe & banliew de Liege; ſçavoir faiſons à tous bons chreſtiens, que nous a jourd'hui, à la priere & requeſte de tres haut, tres puiſſant & tres catholique roy le roy de Franche, faite à nous par tres honorables & ſages perſonnes, maiſtre Pierre *Blanchet* conſeiller dudit ſeigneur, & maiſtre des requeſtes de ſon hoſtel, & maiſtre Pierre *Piaot* docteur en theologie, ambaxateurs ſolemnels de celi ſeigneur, aſſemblez en palais epiſcopal à Liege, aveulrez pluſieurs autres ſeigneurs, barons, chevaliers & maiſtres, & conſeillers de y pluſieurs bonnes villes & oppides de païs de Liege & de Looz, entre les autres par nos demandes leſdis ambaſſadeurs, & auſſi venerable perſonne maiſtre Guillaume *de Bruges* conſeiller de haute princeſſe la duceſſe de Braybant, nous deſſent & remonſtront comment par la tres doloreux & damnable ſciſme & diviſion, qui ja par long termine avoit eſteit, & encor eſtoit en notre mere ſainte egliſe, pour la contantion lamentable ſuſcitée du papaut, la chreſtienneté avoit ſouſtenut evidemment & ſouſtenoit tres grand adverſaires, & pluſieurs aennemis ſe multiplioent chacun jour en la dite egliſe, & y avendroient pluſieurs mals & inconvenienches en gran ſcandele de la foid chreſtienne, & en perils des ames; & ſe porveut n'y eſtoit briefment, & enſi que lidits ambaſſateurs deſſent, li roys & pluſieurs tres hauts princes & ſeigneurs avoit de y chu faire, eſteit priiez & requis afin que li tres doloreux ſciſme fuſt extirpeiz de notre mere ſainte egliſe, & union mieſe en icelle, telement que ſans doubte fuſt au ſiecle un ſeul pape & paſteur approuveit par l'univerſelle egliſe & chreſtientot, come ſes predeceſſeurs avoient fait en leurs temps. Pourquoy lidiz catholique roy enſivvant les œvres recommandables de ſes predeceſſeurs, deſirant de tout ſon cuer ſur toute autre chouſe à troveir voies & manieres de venir à l'union devant dite, pour celi cas a fait pluſieurs grandes & notaubles ambaſſantes, enſi que lidis ambaſſateurs nous deſſent, tant devers les contendant du papaut, com devers notre tres excellent & puiſſant ſeigneur & prince le roy des Romains, & autres, & auſſi pluſieurs convocations de grands ſeigneurs du ſang royaut, & de ſon conſeil, avec les prelauz & deputeiz des egliſes, univerſitez & eſtudes de ſon païs, ou la matiere dudit ſciſme, d'une partie & d'autre, avoit eſteit notablement debattuës, & ouvertes les voies à plaiſir de Dieu, de venir à celle union desja tochiée. En quelz conſeaux le roy meymement aviſeit & delibereit ſoy concludi delaiſſier & dey departir d'elle obeiſſanche totale de celi d'Avignon, que tenut avoit pour pape, enſi qu'il & pluſieurs autres ſeigneurs & princes extans de celi obeiſſanche, s'en ſont departis pour le bien & le union d'elle l'egliſe. Et ſembloit au roy enſi que lidis ambaſſateurs ramantirent cheaus qui eſtoient d'elle obeiſſanche de Rome, & afin que on poſiſt avoir un ſeul pape & paſteur approuveit par l'univerſelle egliſe, ſoy devoient d'iceli departir par pluſieurs raiſons, que leſdits ambaſſateurs lors propoſarent, priant à nous & requerant inſtamment de part le roy de Franche & la duchoiſe de Braybant, que a chu pour le commun bien & l'union d'elle egliſe, nous vouſiſſiens condeſcendre. Pourquoy entendu la relation deſdits ambaſſateurs, & leur requeſte, Nous ſur chu aviſeis & deliberez, convoitans le ſalut des ames, le union, dou commun accort avons elut & eliſons de ſuſtraire & oſteir l'obedience total que oynt avons à celi de Rome, & que à li, ni à cely d'Avignon ne ſoit faire aucune obeiſſanche, afin que de venir à plaiſir de Dieu à brief termine alle union ſouvent tochié, pourveu en chu que toutez graſſiez, bulles & impetrations faites juſques alle journeye d'huy à ceaux du payis par celi de Rome demeurent en leur forche & vertut: meſme ſe chu pendant etoit en noſtre mere ſaincte egliſe elut un ſeul paſtre & pape, voir dont les bulles & lettres de dans trois ſemaines prochaines venantes ſeront exhibuées & demonſtrées pardevant le Juge ordinaire de notre tres cher & redouteit ſeigneur l'eleut du ſiege & comté de Looz preſent un notaire de par nous chu deputeit & autrement non; & que caſcun enſi que dit eſt avans gracez uſe de celi ſelon leur forme & dattes com appartient, & que les elections faites deuement des prelauz de la citeit & dioceſe de Liege par ceaus qui faire les doiient admiſez, ratifiez & conſentiez par noſtre dit redouté ſeigneur l'eſlû du Liege, tant celles aſquelles li oppoſiteurs ſoy ſont aſſentis comme autres quelconques, remanent en leur vigheur, & auſſi tous poſſedans benefices par

impetrations ſans graces nommées *diez obitus*, leſquelles nous ne voulons aucunement avoir leur cours, remanent en leurs benefices paiſiblement, & puis toutes ces graces enſi emplies les benefices, dignitez & offices eccleſiaſtiques, qui adonc & apres chu vaqueront, ſoient ordineiz & diſpoſeiz par les prelats, collateurs & patrons á cui cellation ils percevront, tant & ſi longuement que union, & un ſeul paſtre pour le univerſelle egliſe approuveit ſerat en noſtre mere ſainte egliſe; & que plus hativement ladite union puiſt avoir effet, nous voulons que tantôt, & de preſent tous biens & emolumens extant aſdis païs partenant à pape de Rome, à ſes cardinals & autres, qui ne ſeront de cette opinion, ſoient pris, ſaiſis & mis en ſequeſtre pour la defenſion d'icelle egliſe, & de païs ſans deport aucun. Et afin que ce ſoit ferme, couſe, & eſtauble, & en temoignage de chu, nous avons fait apendre à ces preſentes le ſeaul de notre citeit ſour l'an de grace noſtre ſeigneur JESUS CHRIST mille trois cent nonante & nueſle douzies jour du mois de Junet.

Sequitur conſequenter ejuſdem tenoris, ſubſtractio villarum Hoyenſis 16. *Junii, Dionanti* 18. *ejuſdem menſis & Theduini* 19. *etiam Junii.*

RESPONSIO DOMINI BENEDICTI ad ultima capitula regis.

Anno 1399. Extat regia bibliotheca.

IN nomine domini. Amen. Noverint univerſi, quod anno a nativitate ejuſdem milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione ſeptima, die undecima menſis Octobris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini domini noſtri BENEDICTI divina providentia papæ XIII. anno ſexto. Vocatis ad hæc nobis Petro Foriani & Petro de Ponte notariis publicis & teſtibus infraſcriptis, a præfato domino noſtro papa Benedicto in palatio apoſtolico civitatis Avinionenſis perſonaliter reſidente, præſentibus ibidem reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis dominis MARTINO tituli ſancti Laurentii in Lucina, FERDINANDO baſilicæ duodecim apoſtolorum de Urbe, BERENGARIO tituli ſancti Clementis preſbyteris, & GAUFRIDO ſanctæ Mariæ in Aquiro diacono ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, Pampilonenſis, Tiraſonenſis, Gerundenſis, & *de Boyl* vulgariter nuncupatis, conſtitutis perſonaliter reverendo in Chriſto patre domino PETRO abbate monaſterii Montis ſancti Michaëlis in periculo maris, ordinis ſancti Benedicti, Abrincenſis dioceſis, ac nobili & circumſpectis viris dominis Guillelmo de Tignonvilla milite & magiſtro de Campis ſacræ paginæ profeſſore, ſereniſſimi principis domini KAROLI regis Francorum, ac Johanne de Fontanis milite & Petro *Beaublé* utriuſque juris doctore, illuſtriſſimi domini LUDOVICI ducis Aurelianenſis ambaxiatoribus, nec non reverendo in Chriſto patre domino RAYMUNDO abbate monaſterii beatæ Mariæ de Rivipullo, ordinis prædicti, Vicenſis dioceſis, ac nobili & circumſpecto viro Geraldo Alamanni de Cervillione milite ſereniſſimi principis domini MARTINI regis Aragonum ambaxiatoribus, præfatus dominus papa aſſerens, quod per ipſos dominos ambaxiatores prædictorum dominorum regis Franciæ & ducis Aurelianenſis, ex parte ipſorum dominorum regis Franciæ & ducis Aurelianenſis fuerunt ſibi tradita noviter quædam capitula in ſcriptis, ad quæ ipſe ſuas ordinaverit reſponſiones, quas in ſcriptis in quadam papyri cedula, cum inſertione ipſorum capitulorum, idem dominus noſter papa tradidit nobis notariis, quorum capitulorum & reſponſionum tenores inferius deſcribuntur; volens & mandans ſupradictus dominus noſter papa eas legi præfatis dominis ambaxiatoribus, ſibique copiam tradi de illis, ſi eam habere vellent, per nos notarios ſupradictos: proteſtans expreſſe ipſe dominus noſter papa, & poteſtatem ſibi retinens, quod reſponſiones ſuas hujuſmodi poſſet habilitare, corrigere, & ab eis detrahere, ac ipſis addere, facti ſubſtantia non mutata. Quorum quidem capitulorum & dictarum reſponſionum tenores ſequuntur per ordinem in hunc modum.

Iſta ſunt quæ retulerunt in effectu ambaxiatores domini regis Franciæ & domini ducis Aurelianenſis domino BENEDICTO, faciendo reſponſionem ad ea, quæ dominus vicecomes Rodi & Geraldus de Cervillione milites expoſuerunt nomine dicti domini Benedicti domino regi & dominis ducibus Biturïæ, Burgundiæ & Aurelianenſi, tangentia gardiam & ſecuritatem perſonæ dicti domini Benedicti & bonorum ſuorum. Qui quidem dominus BENEDICTUS per præfatos milites requirebat regem, quatenus pro dicta gardia & ſecuritate mitteret ad eum dictum dominum ducem Aurelianenſem, ex certis cauſis & rationibus plenius in litteris dicti domini Benedicti & dictorum militum credentia contentis.

Et primo quod præfatus dominus rex ſignificat eidem domino Benedicto, quod nec ipſe, aut aliquis de ſuo ſanguine vellent quin honeſte tractaretur, nec quod ipſi domino Benedicto fieret aliqua diſplicentia. Et quia memoratus dominus Benedictus confidit & ſperat quod ſi dictus dominus Aurelianenſis haberet gardiam perſonæ dicti domini Benedicti, æmuli ſui aliquid attentare contra ipſius perſonam, ſine bona ratione veriſimiliter magis dubitarent, & præfato domino regi & ejus conſilio, ex certis & juſtis cauſis arduis & neceſſariis ipſum & utilitatem regni ſui concernentibus, non videtur expediens, quod prælibatus dominus dux ſe de præſenti

a ſæpedicto domino rege abſentet ; ideo & eſt ipſis ambaxiatoribus injunctum præſcripto domino Benedicto ea dicere quæ ſequuntur, & ſuper his ſcire ſuam intentionem.

Primo ſi prædictus dominus Benedictus foret contentus, quod ſæpetactus dominus dux ſub manu domini regis convertat certas perſonas notabiles, eidem domino duci fidas & familiares ad eumdem dominum Benedictum aſſociandum, cuſtodiendumque, ut honeſte tractetur, & ne ſibi fiat aliquod gravamen ſive diſplicentia quævis, in palatio apoſtolico, in quo nunc eſt vel alibi, ubi manſio ejus videbitur expediens & honeſta.

SEQUITUR RESPONSIO DOMINI noſtri papæ circa materiam contentam in duobus ſupra proximis capitulis, & in principio ſequentis uſque ad verbum ſperans quod, &c. *etiam ad materiam contentam in capitulo penultimo infra quod incipit*, tertio intentio eſt, &c. *uſque ibi*, quia dictis perſonis, &c.

Idem dominus papa reſpondendo dixit, quo ad illa quæ ipſe illuſtriſſimus rex ſignificabat, quod nec ipſe, nec aliquis de ſuo ſanguine vellent quin ipſe dominus noſter papa honeſte tractaretur, nec ſibi aliqua diſplicentia fiat, unde præfato domino duci Aurelianenſi cuſtodiam perſonæ ſuæ & ſuorum ſub manu regia tenendam commiſerat, quam præfatus dominus dux ob Dei & eccleſiæ ſuæ reverentiam, ut percepit, liberaliter receperat, & aliquos ſibi fidos pro dicta cuſtodia mittere intendebat. Prædictus dominus noſter præmiſſa acceptans, paratus eſt per ipſum dominum Deum mittendos recipere, Deo laudes reddens, & præfato domino regi & ducibus, ſpecialiter domino Aurelianenſi, qui onus præmiſſorum dignatus eſt ſua benignitate recipere, gratias referens, quod hanc humanitatem ſibi offerebant, in qua, prout ſecundum beatum Jeronimum latius habetur in canone, regum conſiſtit officium, ſcilicet liberare minimum Chriſti vicarium, quin imo & alios vi oppreſſos ; ſperans quod per jam dictam cuſtodiam, & ipſe ab inſtantibus oppreſſionibus & periculis liberabitur, & pius & ſtrenuus liberator æternum inde præmium conſequetur.

Sequitur aliud capitulum.

Secundo quod ſi ſupradictus dominus BENEDICTUS contentetur de præmiſſis immediate, dominus rex ſe conſentit quod pro ſecuritate & gardia ipſius domini Benedicti & bonorum ſuorum, dominus dux committat ſub manu dicti regis aliquos de gentibus ſuis notabiles atque fidos, ut præmiſſum eſt ; ſperans quod pro bono unionis eccleſiæ ſuprafcriptus dominus Benedictus velit credere & facere cum effectu quidquid ſibi conſuletur per eumdem dominum ducem Aurelianenſem, ex ordinatione domini regis & deliberatione dictorum dominorum ducum & dicti domini regis ; & ſi iſta & præmiſſa ſponte velit acceptare & facere, ut præfertur, idem dominus dux Aurelianenſis diligentiam faciet pro poſſe veniendi perſonaliter, & citius quam bono modo poterit, ad præſentiam dicti domini Benedicti, ad dicendum & conſulendum modo prætacto ea quæ ſibi videbuntur fienda per ipſum dominum Benedictum, pro bono & acceleratione unionis eccleſiæ. Et quia, prout ſibi alias prædicti ambaxiatores aſſeruerant, ipſi non poterant in eiſdem capitulis aliquid interpretari, declarare, ſeu quomodolibet mutare, vel addere ; ſed tantum juſſa ſibi retulerunt, reſponſionem audituri ſimpliciter, & maxime, ut ab ipſis audiverat, fere omnes erant, non ad præfatum dominum regem Francorum pro nunc, ſed ejus mandato ad partes alias profecturi. Idcirco ſuper illis abſque dilatione aliqua perſonas idoneas mitteret quæ ex parte ſua tam ipſi ſereniſſimo regi, quam dictis dominis ducibus, & præſertim domino duci Aurelianenſi, qui ſuper hoc ſibi ſpeciales nuntios deſtinaverat, taliter fideliter referrent, de quibus ipſi contentarentur, domino annuente.

Sequitur aliud capitulum.

Tertio, intentio eſt domini ducis in caſu præfato committere, ſeu deputare ſub manu regia ſuperius memorata, duas perſonas notabiles & ſibi fidas, ut præinſeritur, cum ſex vel octo perſonis nobilibus ad eum aſſociandum, cuſtodiendumque, & faciendum quod non fiat dicto domino Benedicto violentia ſeu diſplicentia, ut præfertur. Et quia dictis perſonis deputandis neceſſe erit providere de ſtipendiis & expenſis ſecundum ſtatum eorumdem, cum nulli veriſimiliter reperirentur, qui vellent iſtud onus ſuſcipere ſuis ſtipendiis & expenſis. Ideo dictis ambaxiatoribus eſt injunctum quod ſciant ab ipſo domino Benedicto, ſi vellet ſolvere & tradere ſtipendia & expenſas perſonis prædictis ; etiam de hoc ipſum requiſierunt.

Sequitur reſponſio domini noſtri papæ.

Quia contentis in principio ejuſdem capituli jam eſt ſupra reſponſum uſque ad verbum illud, *& quia, &c.* ad contenta vero ab verbis illis uſque ad finem, reſpondit dominus noſter papa, quod non eſt intentio ſua, quod dominus rex ſeu etiam dominus dux Aurelianenſis graventur onere expenſarum iſtorum deputandorum & mittendorum per ipſum dominum ducem, vel etiam iſti deputandi vel mittendi, ut præmittitur, onus ſuſcipiant ſuis ſtipendiis & expenſis, ſed de his mittendi per dictum dominum noſtrum papam

pam loquentur domino duci, & dabitur bonus ordo.

Sequitur aliud capitulum.

Quarto & ultimo dixerunt dicti ambaxiatores præfato domino Benedicto, quod dictus dominus rex per prædicta non intendit aliquid immutare super contentis in capitulis, aut aliquo eorumdem, aliàs per ambaxiatores regis Aragonum ex parte sæpe expressi domini regis eidem domino Benedicto præsentatis, & per ipsum acceptatis & concordatis.

Sequitur domini nostri responsio circa contenta in capitulis.

Ultimo dixit dominus noster prædictus, quod veritas facti sic se habet, quod dum per ambaxiatores regis Aragonum prædicta capitula fuerunt sibi portata, ipsi dixerunt sibi quod licet in scriptura capitulorum hoc expresse non caveretur, tamen per gentes consilii regis ad tractandum cum eis de materia dictorum capitulorum deputatas, fuit eis dictum & assertum, quod dominus noster papa haberet electionem personarum ad custodiam deputatarum, seu etiam deputandarum, dum tamen essent subditæ regis & sibi fidæ, & quod secundum hoc ex causis certis rationabilibus & expedientibus nominavit dominum ducem Aurelianensem, & super hoc scripsit regi ac dominis patruis & præfato duci Aurelianensi germano regis, & nunc dictus dominus rex & dominus dux Aurelianensis fecerunt dici per eosdem suos ambaxiatores & exponi de missione aliquorum deputandorum, ut supra in capitulis continetur. Et his respondens dictus dominus noster acceptavit custodiam dictorum deputandorum & mittendorum per dictum dominum ducem, ut in responsione sua data supra continetur; & præmissis stantibus respondit, quod ipse idem semper voluerat & nunc volebat, nec crederetur cuique asserenti contrarium; immo attendens pericula sibi & suis & etiam ecclesiæ sanctæ Dei verisimiliter imminentia, ipsos nuncios antedictos, quorum aliqui sibi quandoque de ipsis periculis aliqua retulerant, instanter rogabat & requirebat, quatenus pro executione præmissorum traderent sibi salvam-gardiam regis, & ipsam in locis debitis publicando, & alia quæ ad sui & suorum securitatem pertinent, faciendo; nam iste præsto se offerebat, si qua per eum fieri restarent, opere adimplere, juxta prædictorum capitulorum seriem & tenorem, quorum quidem capitulorum & responsionum eisdem capitulis per dictum dominum nostrum papam factarum, cedula tradita nobis dictis notariis, & lectis ipsis responsionibus præfatis dominis ambaxiatoribus dictorum dominorum regis Franciæ & ducis Aurelianensis, per me Petrum Soriani notarium supradictum, memoratus dominus noster papa petiit, & requisivit, & mandavit, de præmissis omnibus & singulis fieri unum & plura, publicum instrumentum & publica instrumenta per nos notarios supra & infra scriptos. Acta fuerunt hæc anno, indictione, mense, pontificatu & loco quibus supra, præsentibus religioso, & venerabilibus ac discretis viris dominis patre Hieronymo *de Ocon* monacho monasterii Sublacensis prædicti ordinis, & Johanne Romani canonico ecclesiæ Barchinonensis, cubiculariis dicti domini nostri papæ, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Sic signatum.

Et ego Petrus Soriani clericus Segobricensis, publicus apostolica auctoritate notarius, suprædictis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur & fierent per dictum dominum nostrum papam, & coram eo una cum prænominatis testibus & infrascripto notario, præsens interfui, & huic instrumento in hanc publicam formam redacto per alium scripto, signum meum consuetum apposui, hic me propria manu subscribendo in fidem & testimonium præmissorum omnium requisitus & rogatus.

Et ego Petrus de Ponte clericus Gerundensis diœcesis, publicus apostolica auctoritate notarius, præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, per dictum dominum nostrum papam & coram eo agerentur & fierent, una cum prænominatis testibus & notario interfui, & huic instrumento in hanc publicam formam redacto, & per alium scripto signum meum solitum apposui, hic me propria manu subscribendo, rogatus & requisitus in fidem & testimonium præmissorum.

QUALITER DOMINUS BENEDICTUS fuit requisitus ut magis declararet suam intentionem circa ultima capitula sibi missa per regem.

IN nomine Domini. Amen. Noverint universi, quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono, indictione octava, mensis Octobris die quarta decima, ab electione domini Benedicti ultimo in papam electi anno sexto, coram domino Benedicto prædicto, in palatio apostolico civitatis Avinionensis existente, vocatis ad hæc me notario publico, & testibus infrascriptis, propter hoc constituti personaliter reverendus pater dominus Petrus abbas monasterii Montis S. Michaëlis in periculo maris, ordinis S. Benedicti, Abrincensis diœcesis, nobilis vir dominus de Tignonvilla miles, ambaxiatores Christianissimi principis & domini Karoli Dei gratia Francorum regis illustrissimi, & dominus Petrus *Beaublé* utriusque juris professor, illustris principis ac domini Ludovici ducis Aurelianensis ambaxiator, cum certis aliis ad dominum Benedi-

Anno 1399. *Ex mss. bibliotheca regia.*

ctum ſupraſcriptum ſuper facto unionis eccleſiæ deſtinati & tranſmiſſi, eidem domino Benedicto expoſuerunt, qualiter in reſponſione prædicti domini Benedicti per eum facta ad certa capitula pro parte ipſius domini regis & ejus fratris domini ducis Aurelianenſis prædicti ſuper facto gardiæ & ſecuritatis perſonæ ipſius domini Benedicti & bonorum ſuorum, per ambaxiatores prædictos eidem nuper præſentata, videbantur aliqua declaranda, ſeu etiam reformanda. Unde aſſeruerunt ambaxiatores memorati, quod ipſi intentionem ipſorum dominorum regis & ducis ſæpedicto domino tradiderant per articulos ſeu capitula in ſcriptis, quodque ſibi nedum articulos ſeu capitula ſupradicta eidem domino Benedicto expoſuerant, ſed etiam petierant ac requiſierant ſcire ſuper illis ſuam intentionem, prout per dominum regem ſupradictum & dominum ducem fuerat illis injunctum. Super quo dominus Benedictus prædictus, ut dicebant, conformiter non reſpondet, immo ipſos ambaxiatores ſuper multis in eiſdem capitulis contentis reliquit incertos, ſicut prius. Quare ſuper illis requirebant dicti ambaxiatores ſcire ipſius domini Benedicti plenam intentionem, quam præfati dominus rex & dominus dux eis mandaverant ſpecialiter ſcire. Ad quod memoratus dominus Benedictus reſpondit, quod ſi circa prædictam ipſius reſponſionem videantur aliqui errores, defectus aut dubia, bene volebat ſuper his habere collationem cum ipſis ambaxiatoribus, & quod habita deliberatione, haberet confici publicum inſtrumentum de præmiſſis, rogans nihilominus inſtanter & requirens dictos ambaxiatores, quatenus ſalvam gardiam dicti domini regis ſibi traderent, ipſam in locis debitis publicando, & alia quæ ad ſui ſecuritatem pertinerent faciendo; & ſi qua per eum de primis capitulis reſtarent facienda, paratus erat opere adimplere. Ipſi autem ambaxiatores prænominati nolentes, nec intendentes, ut dicebant, ſuper contentis in primis capitulis, aut aliquo eorumdem, domini regis Franciæ, nuper traditis ex parte ipſius ambaxiatoribus domini regis Aragoniæ, ac per ipſum dominum Benedictum acceptatis & concordatis, aliquid immutari ſuper requeſta prædicta ipſius domini Benedicti, de ſalvæ-gardiæ regis traditione aut ejus publicatione, reſponderunt juxta tenorem cujuſdam cedulæ in papyro ſcriptæ, & per ambaxiatores prænominatos, una cum magiſtro Ægidio de Campis ſacræ paginæ profeſſore eorum collega tunc abſente, confectæ, mihique notario publico infraſcripto poſtmodum traditæ, ac eidem domino Benedicto exhibitæ & præſentatæ: cujus quidem cedulæ papyri tenor de verbo ad verbum ſequitur in hunc modum.

1. Quantum vero ad requeſtam per dominum Benedictum factam, de ſalvæ-gardiæ regis traditione aut ejuſdem publicatione, &c. ſic pro parte ambaxiatorum regis reſpondetur, quod cum eam juſtificare contendat, eo quod præſto ſe offert, ſi qua per eum fieri de primis capitulis reſtarent, opere adimplere; & dictis ambaxiatoribus multa videntur in ſpeciali evidenter reſtare fienda, ſuper quo tamen loquitur conditionaliter & dubie ex illa particula, *Si qua per eum, &c.* Ideo bona fide in negotio procedentes, ad vitandum intricationes, dubias generalitates, & negotii prolongationes, prædicta notificant domino Benedicto, ut ſuper his & eorum ſingulis ſuam aperiat intentionem, quam neceſſe eſt eis præſtare ſecundum inſtructiones eis datas, antequam valeant ad dictam requeſtam plene reſpondere. Et primo quod acceptet abſolute executores ſalvæ-gardiæ in primis capitulis nominatos ſecundum eorum ſeriem & tenorem, nec per ultima capitula in aliquo eis detrahitur, ſed potius per ea confirmantur, ut in ultimo capitulo eorumdem luculenter apparet. Secundo, quod pure & abſolute purificet omnia alia ipſum tangentia, ſecundum tenorem primorum capitulorum, ſicut etiam ſalva-gardia regis eſt pura & abſoluta, & in purificatione tangentium dominum Benedictum rex principaliter ſe fundat, & ea impleta præſupponit, ut puta, quod acceptet viam ceſſionis, & promittat quod intruſo cedente, mortuo, vel ejecto, ipſe renuntiabit papatui ſine aliqua modificatione in bona forma & & deb:a, ſecundum quod littera ſalvæ-gardiæ, cujus dominus Benedictus habet copiam, continet per expreſſum.

2. Item, quod pure & abſolute promittat, quod ipſe directe vel indirecte non faciet, nec procurabit aliquid, per quod unio eccleſiæ valeat retardari, aut via ceſſionis quomodolibet impediri.

3. Item, quod pure & abſolute promittat, quod ipſe ibi ad conventum, ſeu congregationem, quæ fiet pro unione ſanctæ matris eccleſiæ, veniet, ut in capitulo ſuper hoc confecto plenius continetur.

4. Item, quod abſolute promittat non recedere de palatio in quo nunc eſt, vel alibi, ubi ejus manſio expediens & honorabilis videbitur, ſine conſenſu regum, qui ſibi obediverunt, & ſacri collegii, &c. ſicut in capitulo de hac materia plenius continetur.

5. Item, quod iſta ſpecialiter concedantur ſub inſtrumentis publicis, & cum ſignatione manus propriæ.

6. Item, quod ad ea quæ ſunt facti, ipſi & ſui remaneant ſine armis, & quod reſtringat ſe ad numerum familiarium in capitulis deſignatum, & reſtantes de facto recedant. Super his autem & eorum quolibet plena reſponſione habita, tam rationabiliter & favorabiliter apud dictum dominum Benedictum ſe habebunt dicti ambaxiatores in facto ſalvæ-gardiæ & ſecuritate ſua, quod, Deo an-

nuente, merito habebit contentari.

7. Item, cum ſupradictis requirunt ſpecialiter ſcire intentionem ſuam de inſtrumentis faciendis ad partem; ſuper quibus duobus capitulis, ceſſionis ſcilicet & comparitionis, & quæ alias promiſit expedire, novis auditis dé cuſtodia ſua pro parte domini ducis Aurelianenſis, &c. Qua quidem cedula papyri ipſi domino Benedicto exhibita & præſentata, & per ipſos dominos ambaxiatores dicto & requiſito ſicut eis æquum & juſtum videbatur, quod in inſtrumento reſponſionis domini Benedicti antedictæ tenor cedulæ prædictæ inſereretur, ſæpedictus dominus Benedictus præfatis ambaxiatoribus reſpondit, quod ſuper his oportebat ipſum deliberare, ut ipſis reſpondere valeret. Super quibus omnibus & ſingulis dicti ambaxiatores petierunt per me notarium publicum infraſcriptum ſibi fieri publicum inſtrumentum. Acta fuerunt hæc Avinionis in palatio apoſtolico prædicto, in camera nuncupata de Turri, anno, indictione, menſe & die ſupraſcriptis, præſentibus ad hæc reverendis patribus dominis FERDINANDO Tiraſonenſi, BERENGARIO Gerundenſi preſbyteris, & GAUFRIDO DE BOYL diacono, pro cardinalibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſe gerentibus, necnon reverendo patre domino RAYMUNDO abbate monaſterii beatæ Mariæ de Rivipullo, ordinis S. Benedicti, Vicenſis diœceſis, nobili viro domino Gerardo Alamanni de Cervillione milite, ambaxiatoribus præfati domini regis Aragonum, fratre Johanne Tirelli priore monaſterii beatæ Mariæ de Burgofonte in Valeſio ordinis Cartuſienſis, Sueſſionenſis diœceſis, dominis Johanne Romani & Petro Soriani preſbyteris & canonicis eccleſiæ Barchinonenſis, cum pluribus aliis teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Sic ſignatum.

Et ego Adam *de Sahurs* clericus Cenomanenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi. Ideo huic præſenti publico inſtrumento altera manu fideliter ſcripto me ſubſcripſi, ſignumque meum ſolitum appoſui requiſitus in teſtimonium præmiſſorum.

RELATIO FACTA DOMINIS regibus Caſtellæ & Navarræ, ſuper his quæ facta fuerant in Avinione per ambaxiatores regis.

Anno 1399. *Ex mſ. bibliotheca reg.*

IN nomine Domini. Amen. Noverint univerſi, quod anno ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione octava, menſis Octobris die vigeſima ſeptima, ab electione domini Benedicti ultimò in papam electi anno ſexto, in mei notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum præſentia, perſonaliter conſtituti reverendus in Chriſto pater dominus PETRUS abbas monaſterii Montis ſancti Michaëlis in periculo maris, ordinis ſancti Benedicti, Abrincenſis diœceſis, & venerabilis & circumſpectus vir magiſter Ægidius de Campis ſacræ paginæ profeſſor, Chriſtianiſſimi principis ac domini CAROLI Dei gratia Francorum regis ambaxiatores, ex parte ipſius ad dominos cardinales ſacri collegii, ſuper aliquibus negotiis factum unionis ſanctæ matris eccleſiæ concernentibus, deſtinati & tranſmiſſi; expoſuerunt & narraverunt, qualiter per certas litteras ipſius domini regis nuper eis fuerat intimatum & mandatum, quatenus omnia illa quæ per ipſos in Avinione, tam erga dictos dominos cardinales, quàm erga præfatum dominum Benedictum & aliàs acta fuerunt ſeu proſecuta circa materiam præfatæ unionis, haberent diligenter illuſtriſſimis principibus & dominis H. Caſtellæ & K. Navarræ regibus per certum nuntium notificare & communicare. Ea propter domini ambaxiatores præfati volentes hujuſmodi mandatis regiis, ut decebant, obtemperare cum effectu, exhibuerunt & tradiderunt venerabili viro Petro Alfonſi de ſancto Auderio, clerico Burgenſis diœceſis, filio Johannis Alfonſi, tunc præſenti & recipienti, duos fardellos in tela cerata, in quorum quolibet continebantur illa quæ ſequuntur; videlicet litteræ ſecretæ præfati domini regis Francorum, in pergameno ipſis ambaxiatoribus tranſmiſſæ, & mandatum prædictum continentes. Item, litteræ ſecretæ ipſorum ambaxiatorum in papyro, narrativæ eorum quæ per ipſos facta fuerunt in Avenione cum prædicto domino Benedicto. Item, copia cujuſdam inſtrumenti continentis viam aliàs apertam per ſereniſſimum principem dominum MARTINUM regem Aragoniæ, unà cum copia cedulæ domini Benedicti, miſſæ domino regi Franciæ ſæpedicto per ambaxiatores dicti regis Aragonum. Item, copia collationata inſtrumenti firmationis primorum capitulorum domini regis Franciæ memorati, per ipſum dominum Benedictum acceptorum. Item, copia ultimorum capitulorum ipſius domini regis Franciæ, tangentium dominum ducem Aurelianenſem, & reſponſio domini Benedicti prædicti ad eadem. Item, quædam cedula, in qua continentur illa quæ dominus Benedictus tenetur adimplere per acceptationem primorum capitulorum ſupradictam; ſuper quibus ipſi ambaxiatores in receſſu ſuo ab ipſo domino Benedicto, ipſum requiſiverunt; in quibus quidem litteris & ſcripturis dicebant & aſſerebant domini ambaxiatores memorati totam narrationem & proceſſum ſuæ ambaxiatæ in effectu contineri. Ipſe vero Petrus Alfonſi onus hujuſmodi in ſe recipiens, coram ipſis dominis ambaxiatoribus promiſit bona fide

in manu mei notarii publici infraſcripti legitime ſtipulantis & recipientis corporaliter præſtita, ac etiam tactis ſacris ſcripturis, juravit diligentiam debitam ſe facturum de præſentando & tradendo prædictis dominis regibus Caſtellæ & Navarræ dictos fardellos, videlicet cuilibet ipſorum dominorum regum alterum dictorum fardellorum; recognoſcens dictus Petrus Alfonſi ſe pro ſalario ſuo a præfatis dominis ambaxiatoribus eſſe contentum & bene ſolutum.

Item, reverendus in Chriſto pater dominus ROBERTUS DE NOYERS epiſcopus Elborenſis, tunc præſens juravit ad ſancta Dei evangelia, & per juramentum quod habebat ad dominum regem Francorum prædictum, quod de ipſo Petro Alfonſi & de induſtria ſuæ perſonæ, ac diligentia tantum confidebat in hoc facto, ſicut faceret de propria ipſiuſmet perſona, & inde ſpem firmabat, quod dictus Petrus in hoc debitum ſuum faceret; ſuper quibus ipſi ambaxiatores petierunt inſtrumentum. Acta fuerunt hæc Avinioni in hoſpitio Cervi-volantis, ſito in vico magnæ fuſteriæ, præſentibus ad hoc religioſo & honeſto viro fratre Stephano Limoſini pœnitentiario eccleſiæ Romanæ, ordinis fratrum Prædicatorum, & Roberto de Boſco clerico Ebroïcenſis diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Sic ſignatum.

Et ego Adam *de Sahurs* clericus Cenomanenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi: ideo huic præſenti publico inſtrumento manu aliena fideliter ſcripto, ſignum meum ſolitum appoſui requiſitus & rogatus.

SECUNDA SECURITAS DATA domino Benedicto per dominos cardinales.

Anno 1399. *Ex mſ. bibliotheca reg.*

IN nomine Domini. Amen. Noverint univerſi, quod anno ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, indictione octava, menſis Octobris die ultima, ab electione domini BENEDICTI ultimò in papam electi anno ſexto, reverendiſſimis in Chriſto patribus ac dominis, dominis GUILLELMO tituli ſancti Stephani in Celio monte, L. tituli ſancti Sixti, JOHANNE tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, PETRO tituli ſancti Petri ad vincula, GUILLELMO tituli ſanctæ Ceciliæ presbyteris, & PETRO ſancti Angeli diacono, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus ſacrum collegium facientibus, in domo reverendiſſimi in Chriſto patris domini cardinalis Hiſpaniæ collegialiter congregatis, exiſtentibus etiam ibidem nobilibus & circumſpectis viris dominis Guillelmo de Tignonvilla milite, magiſtro Ægidio de Campis in ſacra pagina profeſſore, Chriſtianiſſimi principis domini KAROLI Dei gratia Francorum regis, Gerardo Alamanni de Cervillione milite, ſereniſſimi principis domini MARTINI eadem gratia regis Aragonum, & Petro *Beaublé* utriuſque juris profeſſore, illuſtris principis domini LUDOVICI ducis Aurelianenſis ambaxiatoribus, ad dictos dominos cardinales pro parte ipſorum principum ſuper facto unionis eccleſiæ deſtinatis & tranſmiſſis, & vocatis ad hoc me notario publico, & teſtibus infraſcriptis; præfati domini cardinales pro reſponſione facienda ad certam requeſtam eis factam, ut dicebant, per dominos ambaxiatores prædictos ſuper ſecuritate dicti domini Benedicti, in palatio apoſtolico civitatis Avinionenſis exiſtentes, eiſdem ambaxiatoribus reſponderunt juxta tenorem cujuſdam cedulæ in papyro ſcriptæ, & ibidem exhibitæ, quam per alterum ipſorum dominorum cardinalium alta & intelligibili voce legi voluerunt & fecerunt; promittentes bona fide iidem domini cardinales collegialiter & ſingulariter mihi notario publico infraſcripto, ut perſonæ publicæ, vice & ad opus ipſius domini Benedicti & omnium quorum intereſt, aut intereſſe poterit in futurum, legitime ſtipulanti & recipienti omnia & ſingula contenta in dicta cedula, rata & firma habere, & firmiter obſervare; cujus quidem cedulæ papyri tenor de verbo ad verbum ſequitur in hunc modum.

Domini cardinales hîc præſentes nomine « ſuo & aliorum dominorum cardinalium abſentium, reſpondendo ad requeſtam factam « per nuntios ſeu ambaxiatores dominorum « regum Franciæ & Aragoniæ, & domini du- « cis Aurelianenſis, ſuper ſecuritate per eos pe- « tita pro domino Benedicto, reſpondent quod « numquam fuerunt, ſunt vel erunt intentio- « nis per viam facti contra ipſum procedere, « vel aliquid attentare; attamen ſatisfaciendo « dictæ requeſtæ, & ad majorem cautelam, « etiam de voluntate civium Avinionenſium « præſentialiter promittunt nihil innovare de « facto contra ipſum & ſuos, & facere ſibi & « eis miniſtrare victualia & alia neceſſaria com- « petenter & honeſte ipſorum ſumtibus & ex- « penſis, quouſque habeatur reſponſio de Fran- « cia ſuper materiis pro quibus huc miſſi fue- « rant ambaxiatores ſupradicti; ipſo tamen do- « mino Benedicto nihil innovante contra dic- « tos dominos cardinales, vel ſuos, aut civi- « tatem Avinionenſem & cives & comitatum « Venayſſini per ſe vel alios quovis modo, ip- « ſo etiam domino Benedicto in palatio in quo « nunc eſt, quia etiam ita expedit, remanen- « te. Quæ quidem cedula, ſicut præmittitur, « ibidem lecta, mihique notario publico infra- « ſcripto tradita, memorati domini cardinales « voluerunt & conſenſerunt, ac domini am- « baxiatores præfati petierunt & requiſiverunt « per me notarium publicum infraſcriptum, «

» ad opus ipſius domini Benedicti fieri & con-
» fici publicum inſtrumentum unum vel plura.
» Acta fuerunt hæc Avinioni anno, indictione,
» menſe, die & loco prædictis, præſentibus ad
» hæc venerabilibus & diſcretis viris magiſtro
» Thoma Coiffurelli in utroque jure licentia-
» to & canonico Aurelianenſi, & Nicolao Ra-
» didini caſtellano S. Columbæ prope Vien-
» nam, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter
» & rogatis.

Poſtmodum vero eiſdem die & anno continuando dictum negotium, ego notarius publicus infraſcriptus, de voluntate & mandato prædictorum dominorum cardinalium, adivi domum habitationis reverendiſſimi in Chriſto patris domini cardinalis Ambianenſis pro habendo conſenſum ipſius ſuper præmiſſis; qui quidem dominus cardinalis lecta ſibi de verbo ad verbum per me notarium publicum in præſentia teſtium infraſcriptorum cedula ſupradicta, præmiſſis omnibus in ea contentis ſuum præbuit conſenſum pariter & aſſenſum, præſentibus pro teſtibus fratre Johanne Mileti baccalario in theologia priore prioratus de Gigniaco, ordinis ſancti Benedicti, Biterrenſis dioceſis. Deinde conſecutive eiſdem die & anno reverendiſſimus in Chriſto pater dominus cardinalis Jeroſolimitanus in domo habitationis ſuæ exiſtens, lecta ſibi de verbo ad verbum per me notarium publicum cedula prædicta, omnibus & ſingulis in ea contentis ſuum præbuit conſenſum, præſentibus pro teſtibus domino Petro Gravaſſii capicerio de Mirabello Pictavienſis dioceſis, & nobili viro Roberto domino *Dougleirs* ſcutifero Lemovicenſis dioceſis. Conſequenterque anno & die preſcriptis, reverendiſſimus in Chriſto pater dominus cardinalis de Veruhio in domo ſua exiſtens, lecta prius & intellecta dicta cedula, omnibus & ſingulis in ea contentis ſponte conſenſit, præſentibus ad hæc pro teſtibus Johanne Michaelis & Johanne Baſſeti clericis Wratiſlavienſis & Claromontenſis dioceſis. Et poſtmodum die & anno prædictis reverendiſſimus in Chriſto pater dominus cardinalis Florentinenſis in domo ſuæ habitationis exiſtens, in præſentia mei notarii publici & teſtium infraſcriptorum ſuper præmiſſis ſuum præbuit conſenſum, intentionem ſuam magis explicite declarando circa particulam dictæ cedulæ, quæ facit mentionem de victualibus & aliis neceſſariis, ipſi Benedicto & ſuis miniſtrandis, ad illum intellectum, ſcilicet quod hæc fiant ipſius Benedicti & ſuorum ſumtibus & expenſis, præſentibus ibidem magiſtro Alberto de Albicio ſacri collegii ſecretario, Petro de Moloro Turonenſis dioceſis, & Diechelino *le Nian* canonico Turienſi. Subſequenti vero die quæ fuit prima Novembris anno prædicto, adivi etiam de prædicto mandato domum habitionis reverendiſſimi in Chriſto patris domini cardinalis Albanenſis, & ipſum in camera ſua exiſtentem requiſivi ex parte dominorum dictorum cardinalium, ut præmiſſis vellet conſentire; qui quidem dominus cardinalis lecta primitus per eum & intellecta dicta cedula, omnibus & ſingulis in ea contentis ſuum ſponte præſtitit conſenſum pariter & aſſenſum, præſentibus ad hæc dominis Johanne *Bryſſecane* Morinenſis dioceſis, Villardino Fliſſardi Ambianenſis preſbyteris, teſtibus ad præmiſſa vocatis ad hoc ſpecialiter & rogatis. Sic ſignatum.

Et ego Adam *de Sahurs* clericus Cenomanenſis dioceſis publica apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſic, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideo huic præſenti publico inſtrumento altera manu ſcripto ſignum meum ſolitum appoſui, requiſitus & rogatus.

QUÆDAM PROPOSITIO per epiſcopum Zamorenſem propoſita coram rege.

Ex mſ. S. Laurentii Leodienſis.

L'Eveſque de Zamorre embaſſeur du roy de Caſtelle, propoſa le ſamedi xv. jour d'Avrilhe, en la preſence du roy, de mes ſeigneurs les ducs de Berry & d'Orleans, les cardinales, & autres prelats etans à Paris en gran multitude de gent, en la ſale bas de S. Paul, & fu ſon commenchement que pource que par maiſtre Jehan Courtecuiſſe en la propoſition que il fit, &c. avoit eſté dit, que pour obvier aux eſclandres & inconveniens qui ſont de preſent, ſembloit expedient, que on fiſt conſeil de toute ceſte obeiſſance, par maniere de ouvrer la matiere, il toucheroit les difficultez, qui pevient venir oudit conſeil. Et premierement meuſt les difficultez qui ſieroient en l'aſſemblée. Secondement les difficultez qui ſieroient en traitter & determiner quelque choſe oudit conſeil. Tiercement les difficultez qui ſieroient à mettre en execution les choſes determinées oudit conſeil.

Quand au premier membre il meuſt dix difficultez. La premiere qui l'appellera. Les obeiſſans diront que non autre que BENEDICT, & allegueront pour eulx ſes droits communs. Les ſouſtraits diront, que non, car ce ſeroit reſtituer obeiſſance. Les autres diront que les cardinauls, & alligeront aulcuns doucteurs pour eulx. Les autres diront que les roys appelleront ledit conſeil, & miſt en exemple le quart conſeil de Symac. Les autres diront que BENEDIC appellera ceulx qui luy obeiſſent, & les cardinaulx ceulx qui ſont ſoubſtraits, les autres qui ne ſe puiet faire ainſi, car ce ſieroit un monſtre.

La ſeconde difficulté en queil lieu ſera fait ledit conſeil. Les obeiſſant diront que

Benedict l'eſlira, & que à luy appartient par les droys commun, & pourra eſlire Perpegnam ou Barſelegem, pource que la ſieroient plus ſeurement. Les cardinaulx contredirent, que la ne ſieroit pas à ſeurté. Les autres dirent que ledict conſeil ſieroit bien en Avignon: les obeiſſant oppoſierent que la citeit eſt entredit, les citoiens ſont excommuniez, & anemis morteuls de Benedict, & que les cardinaulx ont la leurs maiſons & leurs amis. les aultres dirent que le roy de France eſlira le lieu, pource qu'il a plus de provinces que nul aultre, & pourra eſlire Lyon, Thouluze, le roy d'Eſpaigne eſlira Tholet, pource que aultrefois a eſté le conſeil general là tenu & celebré.

La tierce difficulté qui preſidera. Les obeiſſant diront que Benedic par les drois devant alleguez, les autres diront que les cardinaulx, ou qui ſe fera ſains preſident, come de Symac le pape. Les ſouſtraits diront que Benedic ne preſidera pas, car ce ſieroit contre la ſubſtraction. Les autres diront que Benedic preſidera à ceulx qui luy obeiſſent, & les cardinaulx & aultres.

La quarte difficulté, quels gens y ſieront appellez. Les uns diront, que tous generalement clers & lays, & que à tos appartient, les aultres que les prelaulx tant ſeulement.

La quinte, queles gent y auront voys. Les obeiſſans diront que non mie les ſouſtraits, car ils ſont ſchiſmatiques. Les ſubſtraits diront que non mie les obeiſſant, car ils participent en ſchiſme avec Benedict. Les aultres diront que les obeiſſans & ſubſtraits y aront voys.

La ſixieme, ſi les prelats qui ont eſté promus depuis la ſubſtraction y auront voix. Les obeiſſant diront que non. car les prelatures eſtoient reſerveye. Les ſubſtrais diront que juſtement ſe ſont ſubſtrais, & pour ce les reſervations ceſſent, & ſont les promotions retournées à droit commun.

La vii. comment Benedic venra à conſeil, ou bien come priſonnier, & à ce aligera pluſieurs droits, ou en ſa liberté, come Simac ou quart concile.

La viii. quant il ſera au conſeil, ſe on le tenra come priſonnier, ou ſera en ſa franchiſe, & à cauſe de ce s'en pourront enſir grans ſeditions.

La ix. qui le menra au conſeil, ou les ſubſtrats, ou les obeiſſans, ou tos enſembles.

La x. qui ſera garde du conſeil. Diront aucuns que Benedict eſlira le roy d'Arragon, ou le duc d'Orleans: les cardinaulx les ducs de Berri & de Bourgogne. Le roy de Franche y commettra ſon frere ou ſon coneſtable, le roy de Caſtelle y commettra ſon frere Luiſent.

Pour le ſecond membre y propoſa à mouvoir onze difficultez.

La i. ſe on traittera ſe la ſubſtraction a eſté bien faite ou non. Et verront les ſubſtraits movoir la queſtion par purgier leur infaniote, ou les obeiſſans la mouront par ſavoir ſi elle a eſté bien faite ou non, & ſe efforcera chacun à juſtifier ſa partie, & quelque deciſion qu'il y ait, y faut dire que les uns & les aultres ont été ſchiſmatiques.

La ii. difficulté, ſe reſtitution d'obeiſſance ſera faite à Benedic, & il dira que oie. Car il a eſté depouillé, & doit eſtre reſtitué avant toute euvre, & alligera fort droits pour ceſte partie, & que depuis que ſera reſtitué, demandera autant de temps au chois qu'il reponde aux accuſations, come il a eſté depouillé, & a maintes aura temps competent arbitraire. Les autres diront que la reſtitution lui pourra eſtre faite, porce qu'il a accepté la voye de ceſſion, & s'enſuit que depuis le temps qu'il accepta laditte voye de ceſſion juſqu'à la reſtitution, les ſouſtraits auront eſté ſchiſmatiques. Les autres diront que la ſouſtraction ſera confermée, & les obeiſſant venront à l'encontre por leur honour.

La tierce, ſe Benedic ſera accuſé de hereſies ou d'autres crimes, allegera pluſieurs raiſons pour une partie & pour l'autre.

La quarte, qui ſera juge de cette accuſation. Les cardinaulx diront que eulx, par cauſe de ſerment, qu'il a fait: Benedict dira que non, car ils on ſeulement à connoitre s'il devoit accepter la voye de ceſſion ou non, & allegera Benedic qu'il ne pourra ſubmettre par le chapitre *ſi diligenti* de foro compet. Item, qu'ils ſont ſes ennemis.

La quinte, qui jugera le pape, ou le conſeil, & allegera que non, ou le chapitre *nemo* ix. *q.* 3. ou les cardinaulx & ſemble que non. Car ſe ſieroit, ou les cardinaulx qui ont ſouſtrait, ou ceulx qui obeiſſent, & tendront les parties à concluſions contraires.

La ſixieme, quelle ordre de droit on y tendra, car Benedic demandera toutes dilations de droit, & dira qu'il ne doit pas eſtre jugies par clameur, mais par ordre de droit, & par cette partie alligera pluſieurs drois.

La ſeptieme, il la treſpaſſe.

La huitieme, par quels temoins on prouvera contre lui, non pas par teſmoins qui ſerient ſouſtraits, car ils ſont ſes anemis, ni par teſmoins qui lui obeiſſent, car ils ſont ſuſpects à ceaulx qui ſont ſouſtraits.

La neufieſme. En cas qu'il ne ſieroit debout de preſent, ſi on lui donra coadjuteurs, les obeiſſant diront que non. Car il eſt bien diſpoſeiz, &c. Les aultres diront au contraire, afin que il ne puiſt fere quelque choſe mal à point.

La dixieme, s'il ſera conſtraint à renonchier, & diront aucuns que oïs, car à mains eſt il cauſe du grand eſclandre qui eſt en cete obeiſſance, & allegera. Les autres diront

qu'il n'en eſt pas en coulpe, mains ceulx qui ſe ſont ſouſtrais. Item, on doceroit ſe la renonciation fait par conſtraint ſieroit valable ou non.

De l'unzieme difficulté, il n'en voloit pas parleir, c'eſt à ſçavoir de ce que aulcuns demandent que BENEDIC ſe ſubmette generalement au conſeil. Car y ſemble que ceſt requeſte ſoit trop general & captieuſe.

Quant au tierce membre principaut, il meut tant ſeulement trois difficultez. La premiere, ſi le conſeil ſe depart en diviſion quele mal ce ſeroit, & s'il y avoit rien conclut, qui mettra à execution, ou les ſouſtrais ou BENEDIC & les obeiſſans.

La ſeconde difficulté, car nous traictons maintenant de appeller le conſeil ſains les princes.

La tierce difficulté, ſe le conſeil poroit faire ordinance ou conſtitution ſains le conſentement de BENEDIC. Pour leſquels difficultez il concluoit que ſemble que cette voye devroit eſtre rebourre, pourquoy ſupplioit au roy qu'il ſe departat de rien conclure en cette matiere, juſqu'à ce qui fuſt plus à plaint infourmé de la volenté du roy de Caſtelle.

---

[4] *LITTERA (a) REVOCATIONIS ſubſtractionis per regem.*

Anno 1403. *Ex mſ. S. Laurentii Ludienſis.*

CAROLUS Dei gratia Francorum rex, univerſis Chriſti fidelibus, tam præſentibus quam futuris, per præſentes notum facere duximus, quam benigno, quam pio, quamque filiali animo eccleſiæ ſacroſanctæ, heu! nunc ſupra nimium deſolatæ ac laceræ, cauſam cogitamus, ut noſter hic labor animo tam ſincero ſuſcipiatur, quam integra mente depromtus eſt, & non malignis interpretationibus, ut plerumque fieri ſolet, in ſiniſtram partem trahatur. Cum enim nos vehementiſſimo mentis intuitu peſtem hanc ſchiſmaticam in cjus eccleſiæ medio firmis, proh dolor! radicibus hæreſcere cerneremus, juſtiſſimo mœrore acerbiſſimoque dolore vehementer angebamur: ita ut nos ferventiſſima caritate flagrantes, impulſi fuimus ei manus adjutrices pro virili portione ocius præbere, id cautum animo gerentes, teſte Deo, ut funditus ſchiſmate ſublato, pax deſideratiſſima greſſus ad nos celeraret, nec remorati fuimus aut occurrentium difficultatum mole, aut operum aſperitate, aut impenſarum copia. Inter ceteros vero labores convocavimus ſæpe numero prælatos atque clerum totius regni noſtri, arbitrati eorum conſultationibus viam optimam inveniri poſſe, qua memoratam unionem inveniremus. At vero, ut brevitatis gratia multa omittamus, ad ultimum concilium quinquennio fere jam exacto Pariſius celebratum libet accedere, in quo deliberatum eſt faciendam domino noſtro papæ BENEDICTO XIII. ſibi jam exhibitæ obedientiæ ſubſtractionem, veluti practica idonea viæ ceſſionis; ad quod conſtruendum multæ perſuaſiones in medium afferebantur: quæ tametſi tum vacationi conſentaneæ videbantur; nunc tamen rebus circumſtantiiſque variatis, ob id nullius efficaciæ vigoriſque putandæ ſunt, quia ceſſant penitus cauſæ quibus velut radicibus utebantur. Nam prædictus dominus noſter papa BENEDICTUS, prout nobis publicis inſtrumentis & alias legitime apparuit, illam viam ceſſionis longe uberius, quam initio ab eo petita fuiſſet, intruſo videlicet cedente, atque caſibus aliis eccleſiæ unioni profuturis, acceptavit. Qua in re pro parte ſua cauſam ceſſare neceſſe eſt, propter quam ab eo diſceſſum fuerat, nec minus ceſſavit pro parte intruſi, ac eorum qui ſibi adhærent. Nam ille oblatam ſibi ceſſionis viam pertinaci animo recuſavit; hi vero quos exinde ſpes fuerat, ab eo ſeſe quamprimum ſubtractum ire, non modo non ſubtraxerunt, ſed, ut certiſſime novimus, magis atque magis in ſua duricie erroreque obfirmati perſtant, confortantur, atque roborantur; ceſſavitque denique parte regum aliorum atque principum obedientiæ noſtræ, quos aliquando ſperatum eſt nobis non diſſimiliter ad pacem progredi, qui aut nullatenus ſubtraxerunt, aut jam certe reſtituerunt, uti ſereniſſimus princeps frater noſter cariſſimus rex Caſtellæ, atque conſanguineus rex Siciliæ, & quod permaximi faciendum arbitramur, ſacrum collegium cardinalium, quos ea res proxime reſpicit; poſt plurimas cum domino noſtro papa conventiones collocutioneſque, animi libra ponderans accurata diligentia, & viam per eum oblatam ad pacem perquirendam, ferventiſſimum ardorem, diſpoſitionemque gratiſſimam pro faciliori unionis affecutione, reſtituendam cenſuit: Nos quoque ut in reſtitutione conſenſum præbeamus, magna inſtantia, jugi prece, ingenti etiam affectione obſecravit. Audivimus inſuper ſubditos noſtros pene omnes unanimi ſono hujus ſubtractionis finem petere, ut jam matura voce conveniri videatur. Nam conſenſus omnium vox matura dicendus eſt. Idipſum voluerunt, immo conſuluerunt celebriores moderatioreſque viri univerſitatis noſtræ Pariſienſis; conſulunt ceteræ quoque univerſitates regni noſtri, Tholoſana, Aurelianenſis, Montis-Peſſulani, Andegavenſis. Conſulunt litteratiſſimi probiſſimique viri religioſorum ordinum Cluniacenſis, Ciſtercienſis, ceterorumque omnium. His rationibus aliiſque in numero copioſo, quas minime enarrare brevitas non ſinit, pla-

(a) Litteras revocationis ſubſtractionis alias habes cum apud Pitheum inter probationes Libertatum Gallicanæ eccleſiæ, tum in tomo 5. Hiſtoriæ Pariſienſis univerſitatis. Verum quæ hic a nobis exhibentur, longe prolixiores ſunt & ad ſingularia magis deſcendunt, adeo ut neceſſario hic videantur edendæ.

ne conſtat ſubtractionem ſæpedictam dudum pro ſedando ſchiſmate opportuno remedio quæſitam & executioni mandatam, in perniciem potius pacis vertendam, & pergrave nocumentum, ſi longiori tempore perſeveret. Quamobrem nos Deum præ oculis tantummodo habentes, ac eccleſiæ ſuæ maturam reintegrationem, volenteſque conſervare caſtum amorem ac integrum, qui ſemper inter ſedem apoſtolicam & noſtros progenitores Chriſtianiſſimos, inde plus ceteris exaltatos atque ſublimatos, extitit, ſumme obviare incommodis, periculis & ſcandalis, quæ jam caput erigere cernimus, pacare conſcientias fidelis populi nobis ſubditi, ceteriſque regibus ac principibus obedientiæ noſtræ, quo facilius ad unionem univerſalis eccleſiæ invicem uniti pergamus reüniri: ex certa noſtra ſcientia volumus & ordinamus, univerſos ſubditos noſtros, cujuſcumque ſtatus, conditionis, auctoritatiſve, firmiter adhærere & obedire ſupradicto domino noſtro papæ BENEDICTO, & eos qui obedientiam ei ſubtraxerunt, ad obedientiam reduci, ſubtractionem olim factam penitus revocantes, annullantes, & caſſantes, ſubdentes nos, ſicuti decet verum & integrum eccleſiæ ſacroſanctæ filium, obedientiæ prædicti domini noſtri papæ BENEDICTI, forma & modo ac circumſtantiis quibus antehac CLEMENTI ultimo fuit obeditum: volentes omnino noſtros ſubditos pari via proficiſci. Idcirco diſtricte præcipimus, expreſſeque mandamus per præſentes, ſingulis quibuſque regni noſtri accolis, cujuſcumque conditionis exiſtant, ut eadem forma dictas reductiones, reſtitutionem, ac ordinationem firmiter teneant, neque quovis modo rumpere ac infringere temerario conatu præſumant, aut præſentibus litteris contraire, etiamſi per inſtrumenta, aut alias a nobis adverſe contrariæ, noſtræ litteræ proceſſerint, emanaverint, ſeu obtentæ fuerint, quas ex nunc & pro tunc revocamus, annullamus, interimimus, nullum effectum ſortiri volumus. Mandamus inſuper omnibus juſtitiariis, officiariiſque noſtris, ac eorum cuicumque, quoad ſua intererit, ut has præſentes paſſim promulgari ac publicari faciant locis omnibus regni noſtri famoſis aut reputatis, adeo ut nullus noſtrum in hac re propoſitum ignorare poſſit. Quod ut perpetuo conſtans, ſtabile, fixum, firmumque permaneat, ſigillum noſtrum ſecretum præſentibus imprimi juſſimus, quas non minorem ob id effectum conſequi volumus, quam ſi ſigillum noſtrum magnum eis eſſet appenſum. Datum Pariſius, die Lunæ, XXVIII. menſis Maii, anno Domini MCCCCIII.

Et afin que tout le monde ſçache & connoiſſe noſtre vraye conſcience & entention, & enſuivant noſtre tres-chir ſeignour & pere, que Dieu ait l'arme, avons ordenné & determiné le contenu en l'eſcripture chi deſſus eſcript, & nos determinons eſtre vraye obeiſſant à noſtre tres-ſaint pere le pape BENEDIC XIII. & lui rendons vraye obeiſſance, tant en Lengedouel comme en Langedot, & en noſtre Dalphiné, teile comme il avoit avant la ſouſtraction, & comme vraye vicaire de Dieu, & renonchons & annullons ladite ſubſtraction, & promettons en bonne foy en parole de roy de tenir vraye ladite obeiſſanche, de non venir au contraire, ne la revoquer aucunement. En teſmoing de ce nos avons ce eſcrit de noſtre main, & volons que celle foy & obeiſſance ſoit donnée à ces preſentes, comme ſe elle fuſſent ſcellées de noſtre grand ſcel, annullons & renonchons toute choſe que nos avons peu faire encontre ou ferons le temps à venir.

Ceſte eſcripture eſcript de la main du roy at eſté leuë en la preſence dudit ſire en ſa chapelle de ſon hoſtel de S. Poul le XXVIII. jour de may l'an de grace M. CCCC. & III. & aprés la lecture ly roy diſt, qu'il avoit agreable, & le aprevat, & diſt qu'il voloit obeïr au pape BENEDIC, comme ſes predeceſſeurs ont obeïs au ſains peſes és temps paſſeïs, en diſant que ſi le pape vouliſt tenir ce qu'il luy avoit envoyé par VII. inſtrument baillés par meſſeigneurs les cardinals de Peneſtre & de Saluces, & aprés jurat ſor la croye par luy tochié tenir ce qu'il at eſcript, preſent à ce monſeigneur le duc d'Orliens, leſdicts cardinaux, les archeveſques d'Aux & de Tours, les eveſques de Rodez, de Cambray, de Conſeran, de Lodeves, d'Uiſez, d'Ates en Guaſcoigne, de Nantes, de Sarlates, d'Angiere, les abbez de Moyſſac, de la Graſſe, & pluſieurs autres en tres grand nombre.

LITTERA DIRECTA ARCHIEPISCOPIS & eorum ſuffraganeis.

DE PAR LE ROY,

ARcheveſques de Bourges, & vos ſes ſuffragans, nos amez & feauls, nos vous ſignifions que à jourdui environ III. heures aprés un jour, en la preſence de noſtre tres cher & tres amé frere le duc d'Orliens, de nos tres chier & feval amis les cardinals de Peneſtre & de Saluces, & de pluſieurs autres prelas, des meſſages des univerſiteiz des eſtudes d'Orleans, de Thoulouſe, de Montpellier, d'Angiers, & de pluſieurs autres perſonnes d'egliſe & ſeculeirs de noſtre royalme, nos avons reſtitués plenere obeiſſance à noſtre S. pere pape BENEDIC XIII. pour nous, noſtre royame, & tous nos ſubgis. Sçachant que noſtredit ſaint pere eſt bien diſpoſé à toutes voyes, par leſquelles l'en poura avoir union en noſtre mere ſainte egliſe, ſi come il nos eſt apparu par inſtrument publiques, & auſſi en ſommes informes par la relation deſdits cardinaulx & de pluſieurs autres notables

Ex mſ. ſancti Laurentii Leodienſis.

tables perſonnes. Si volons & vos commandons ſur foy & leauté, en quoy vos nous eſteis tenus, que en ce nous enſiwez, ainſi comme faire le deveis. Et publiez & faites publier ſolempnement noſtredit reſtitution par tous vos dioceſes, & obeïſſez & faites obeïr par nos ſubgiez & les voſtres de voſdits dioceſes à noſtre dit ſaint pere, comme à pape & vraye vicaire de noſtre Seignour JESUS-CHRIST, ainſi comme vos & eulx aveis obeïs aus ſains peres ſes predeceſſeurs ou temps paſſeit. Et gardes ſur quanques vous doubtez encourra noſtre indignation, qu'il ny ait faute. Donné à Paris le XXVIII. jour de May.

CHARLES.

A nos ameis & feaulx conſeillers l'archeveſque de Bourges & ſes ſuffragans.

BINIO.

BULLA BENEDICTI PAPÆ XIII. De remiſſione injuriarum, damnorum & offenſarum.

Anno 1404. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

BENEDICTUS, &c. ad futuram rei memoriam. Miſericordi & miſeratori domino, cujus, licet immeriti, vices gerimus, gratum impendere nos arbitramur obſequium, dum in gregem ſuum noſtro commiſſum regimini, maternæ potius pietatis manſuetudinem, quam paterni rigoris judicium exercemus. Sane dilectus filius nobilis vir LUDOVICUS dux Aurelianenſis, cariſſimi in Chriſto filii noſtri CAROLI regis Francorum illuſtris germanus, qui pro certis magnis & arduis negotiis ſtatum & proſecutionem unionis eccleſiæ concernentibus ad noſtram pervenit præſentiam, & inter alia nobis expoſuit, quod quia dudum in regno Franciæ obedientiæ debitæ eccleſiæ Romanæ & ſummo Pontifici, nobiſque in eodem regno eatenus exhibitæ, certis temporibus fuit facta ſubtractio, quæ poſtmodum fuit nobis, agente Domino, reſtituta. Cujus quidem ſubtractionis occaſione, quam plures ex regnicolis ejuſdem regni, multas nobis injurias, offenſas, & damna irrogarant & fecerant, veriſimiliter formidatur, quod contra ipſos regnicolas de præmiſſis culpabiles, vel eorum aliquos, proceſſus apoſtolicos excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, nec non privationis à jam obtentis beneficiis eccleſiaſticis, ac inhabilitationis ad in poſterum obtinenda, & notæ infamiæ ſententias, cenſuras & alias pœnas continentes, jam per nos vel alium vel alios auctoritate apoſtolica fecerimus & promulgaverimus, quodque ad publicationem, denuntiationem, & executionem ſententiarum & pœnarum in eiſdem proceſſibus contentarum contra præfatos ſic culpabiles etiam procedamus. Quarum pro parte regis ejuſdem dux ipſe nobis cum inſtantia ſupplicavit, quatenus dictis regnicolis ſuper præmiſſis culpabilibus, ut præfertur, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus, qui ad noſtram plenam & veram obedientiam ſunt reverſi, & in ea fideliter permanſuri, quicumque & cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis vel conditionis exiſterent, injurias, offenſas & damna nobis occaſione ſubtractionis irrogata & facta remittere, & ſi quos proceſſus contra prædictos ex cauſa dictæ ſubtractionis feceramus, caſſare, tollere, & annullare de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur qui regem prædictum, ac domum & regnum Franciæ peculiariter & ſpecialis brachiis dilectionis amplectimur, ipſius regnicolis magis miſericordiam quam judicium exhibere volentes, ſupplicationem prædicti regis favorabiliter inclinati, inſtantia etiam dicti ducis attenta, prædictis regnicolis, illis ſcilicet, qui ad noſtram veram & plenam obedientiam, ut præmittitur, ſunt reverſi, & in ea per Dei gratiam fideliter & filialiter permanebunt, omnes injurias, offenſas & damna nobis per dictam ſubtractionem irrogata & facta, ex certa ſcientia, ſpeciali gratia & libertate *noſtris remittimus, quittamus, concedimus & donamus, ac etiam relaxamus. Proceſſus inſuper, ſi qui forſan contra eos, ſicut prædictum eſt, reverſos ad noſtram obedientiam, permanſuros in ea, vel eorum aliquos ex cauſa prædictæ ſubtractionis per nos, vel alium, ſeu alios, noſtris auctoritate, nomine, vel mandato, generaliter vel particulariter facti fuerint, quaſvis cenſuras & pœnas in eos eis contentas caſſamus, annullamus, & tollimus, ac haberi volumus penitus pro infectis. Concedentes inſuper quod nullos proceſſus contra eos vel eorum aliquos, in noſtra tamen, ut præfertur, exiſtentes & permanſuros veraci & plenaria obedientia, per nos vel alium ſeu alios ex præmiſſæ ſubtractionis cauſa, ſub quacunque verborum forma vel ſerie in poſterum facimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ remiſſionis, quittationis, conceſſionis, donationis, relaxationis, caſſationis, annullationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Taraſcone Avenionenſis dioceſis VI. idus Januarii pontificatus noſtri anno X.

** f.* liberalitate.

BULLA BENEDICTI PAPÆ XIII. de concilio generali celebrando.

Anno 1404. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

BENEDICTUS, &c. univerſis Chriſti fidelibus ad quos præſentes litteræ pervenerint S. & A. B.

Nuper ſiquidem cum dilectus filius noſter

nobilis vir Ludovicus dux Aurelianensis, carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris germanus, super nonnullis negotiis ecclesiam & unionem tangentibus, ad nostram præsentiam accessisset, inter cetera pro parte dicti regis nobis exposuit, quod pro directione & prosecutione unionis ecclesiæ sanctæ Dei, eidem regi videbatur expediens celebratio concilii generalis; nobis propterea ex parte ipsius regis & sua cum instantia supplicando postulavit, quatenus dignaremur generale concilium secundum formam sacrorum canonum celebrare. Nos autem qui a pluribus citra temporibus, hoc captata opportunitate gerebamus in votis, supplicationem hujusmodi gratam habentes pariter & acceptam, dictique regis motum & zelum commendantes, eidem supplicationi omni promtitudine duximus annuendum. Et quia ad celebrationem hujus concilii, favorem præfati & aliorum fidelium regum & principum nobis & ecclesiæ Dei censuimus & censemus fore multipliciter opportunum; super nonnullis circumstantiis concernentibus ipsum concilium, ipsius regis honori in his & aliis cupientes juxta posse deferre, dicto duci aperuimus latius mentem nostram, paterno eum deprecantes & exhortantes affectu, quatenus apertum sibi nostræ mentis propositum serenitati regis ipsius serioſius vellet per ordinem explicare, ut sic de omnibus necessariis & opportunis tanto negotio habita provisione Deo grata, ecclesiæ utili, & ipsius & aliorum regum fidelium honestati congrua & honori, ad ulteriorem tanti negotii executionem salubrius & commodius divina nobis suffragante clementia procedere valeamus. Datum Tarascone Avenionensis diœcesis, VI. idus Januarii, pontificatus nostri anno X.

BULLA BENEDICTI PAPA XIII.
De non faciendo mentionem de subtractione in concilio generali celebrando.

Anno 1404. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

Benedictus, &c. ad futuram rei memoriam. Regum & principum inclytæ domus Franciæ strenua & magnifica gesta fidelibus prodita monumentis, ac alia grandia laudum eorum præconia merito nos inducunt, ut regem & domum & principes ipsos, nec non etiam totum regnum Franciæ gratiosis prosequamur favoribus, ac ipsorum honori, quantum cum Deo est nobis possibile, consulamus. Cum itaque in dicto regno fuerit nobis obedientia per aliquod tempus subtracta, quæ postmodum fuit nobis, agente Domino, in cujus manu sunt corda regum cunctorumque fidelium restituta. Nos eorum honori, quantum cum Deo possumus, providere paternaliter affectantes, eis de speciali gratia concedimus, quod in concilio, quod in proximis intendimus celebrare vel etiam alibi, nullam quæstionem seu discussionem de prædicta subtractione vel ejus viribus faciemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, &c. Datum Tarascone Avenionensis diœcesis, VI. idus Januarii, pontificatus nostri anno X.

BULLA BENEDICTI PAPÆ XIII.
De dandis bullis super contentis in tractatu cardinalium.

Benedictus, ad futuram rei memoriam. Cum dilectus filius noster nobilis vir Ludovicus dux Aurelianensis, carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris germanus, super nonnullis negotiis ecclesiam & ejus unionem tangentibus, ad nostram præsentiam accessisset, nobis pro parte regis cum instantia supplicavit, quatenus contenta in articulis tractatus concordiæ inter nos & venerabiles fratres nostros cardinales mittere & firmare apud Castrum-Raynardi Avinionensis diœcesis, prædicto regi & regnicolis regni ejus, in quantum ipsos & eorum salutem, statum, favorem, & honorem possent concernere, & nostras super eis litteras apostolicas, cum ipsi & contentas & litteras & hujusmodi habere voluerint, & petierint pro seipsis concedere dignaremur. Nos igitur inclinati hujusmodi supplicationis instantiæ & insuper regi & regnicolis prædictis, qui ad nostram obedientiam, agente domino, sunt reversi, & in ea fideliter permanebunt, in his quæ eorum salutem, statum, honorem, & favorem concernunt, paterna affectione consulere cupientes, dicto duci concessimus, quod regi & regnicolis prædictis, ad nostram, ut præmittitur, reversis obedientiam & permansuris, omnia contenta in prædictis articulis, cum ea pro seipsis habere voluerint & petierint, concedemus, & ad executionem eorum in quantum eos respiciunt favorabiliter procedemus, ipsisque trademus nostras apostolicas litteras in forma debita super eis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei, &c. Datum *ut supra.*

Anno 1404. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

BULLA BENEDICTI PAPÆ XIII.
Qua declarat omnem se viam ad ecclesiæ unionem & schismatis extinctionem opportunam amplecti & prosequi velle.

Benedictus, &c. quamvis nuper dilectis filiis ducibus Johanni Bituricensi, Philippo Burgundiæ patruis, & Ludovico Aurelianensi fratri carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris, ad nos super facto unionis in Dei ecclesia per eumdem

Anno 1404. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

regem ſpecialiter deſtinatis explicaverimus die xx. hujus menſis, & in ſcriptis dederimus intentionem noſtram ſuper viis & modis tenendis & obſervandis ad unionem prædictam procurandam: quas vias credimus eſſe juridicas, honeſtas, utiles, & ſufficientes ad tollendum ſchiſmatis ſcandalum & unionem habendam; adhuc tamen ex ſuper abundanti declaramus mentem noſtram circa præmiſſa & ipſis ducibus in noſtra præſentia conſtitutis dicimus, quod nos dictas vias proſequi intendimus toto poſſe, & alia facere quæ ad hæc fuerint neceſſaria & etiam opportuna, prout nobis incumbit ex debito officii nobis commiſſi; & alias in quantum virtute cujuſdam cedulæ factæ in conclavi tenemur. Et ſic in præmiſſis, Chriſto duce, dabimus operam efficacem laboribus adhibitis continuis & indefeſſis, quod ipſis regi & ducibus ac toti chriſtianitati apparere poterit, quod per nos non ſtabit, prout nec ſtetit, quominus eccleſia Dei unionem conſequatur optatam. Idcirco prædictos regem & duces per viſcera miſericordiæ Jesu Christi, cujus res agitur, hortamur & deprecamur, ut ipſi more progenitorum ſuorum, pro Dei reverentia & animarum ſalute, tanto bono procurando velint diligenter intendere, vias prædictas per nos alias eis explicatas aſſumendo virtuoſe & potenter proſequendo, una nobiſcum, qui in præmiſſis intendimus, divina gratia ſuffragante, exponere nos & noſtra & alia facere, quæ hujuſmodi negotii qualitas & conditio poſtulabunt & requirent. Datum, &c.

A

B

C

BULLA BENEDICTI PAPÆ XIII.

Qua declarat ſe nolle effectum cedulæ in conclavi factæ immutare.

Anno 1404. *Exmſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

Benedictus, &c. Quoniam, ſicut ad noſtrum de novo pervenit auditum, aliqui nobis impingunt, quod in ſecunda reſponſione, quam nuper fecimus dilectis filiis ducibus Johanni Bituricenſi, Philippo Burgundiæ patruis, & Ludovico Aurelianenſi, germano cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli regis Francorum illuſtris, ubi diximus nos ſuper facto unionis eccleſiæ velle facere, prout ex debito commiſſi officii nobis incumbit, & alias in quantum virtute cujuſdam cedulæ factæ in conclavi tenemur, nos voluerimus effectum obligationis ipſius immutare. Ideo ad ſerenandas mentes fidelium, declaramus noſtræ intentionis non fuiſſe, nec eſſe per prædictam cedulam præfatam in conclavi factam, aut ejus effectum ſuſpendere, ſeu conditionem aliquam in ipſa apponere, vel circa eam aliquid immutare; ſed eam ſervare. Per hoc autem non intendimus dictæ cedulæ in aliquo derogare, ſed hanc noſtram declarationem volumus præ-

D

dictæ reſponſioni adjungi. Datum, &c.

EPISTOLA BENEDICTI PAPÆ XIII. ad archiepiſcopum Lugdunenſem.

Suas ad Carolum regem Francorum litteras ei mittit, ad ejus ſuffraganeos per eum deſtinandas.

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo Lugdunenſi S. & A. B. Anno 1405. *Ex mſſ bibliothecæ regiæ.*

Ne de occurrentibus circa univerſalis eccleſiæ negotia devotionem tuam quicquam de nobis cognitis lateat, ſed de his quæ per venerabilem fratrem Petrum epiſcopum ſancti Pontii Thomeriarum, & dilectos filios Petrum Ilerdenſem electum, Antonium abbatem monaſterii S. Facundi ordinis S. Benedicti, Legionenſis diœceſis, & Bertrandum Rodulfi ordinis fratrum Minorum in Romana curia generalem procuratorem, nuntios noſtros, quos dudum ad Urbem miſeramus, ad procurandam, &, quantum in nobis eſt, efficaciter conſequendam eccleſiaſticam unitatem, facta ſunt, ferre veritatem. Copiam litterarum quas cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo regi Francorum illuſtri dirigimus, dictæ nuntiationis proceſſum, & geſtorum ſerioſam veritatem continere, fraternitati tuæ mittimus præſentibus interclusam, fraternitati eidem per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus contentis in dicta copia viſis ad plenum, ejuſdem tenorem cuilibet ſuffraganeorum tuorum per litteras tuas tuo conſignatas ſigillo, abſque tarditatis mora, deſtinare procures, & tamdem ſubditos tibi clerum & populum de veritate taliter informare, quod ad juvandam eccleſiam & nos in tanto neceſſitatis articulo merito inclinentur. Tuque, frater cariſſime, quanto in eccleſia Dei locum obtines celſiorem, tanto ſuper horum negotiorum directione vires tuas efficaces oſtendas taliter, ut pro tam glorioſa exercitatione præmium conſequi merearis æternum. Datum Januæ quinto calendas Julii, pontificatus noſtri anno xi.

E

BULLA BENEDICTI PAPÆ XIII. ad Carolum VI. Francorum regem.

Regi intimat geſta pro unione eccleſiæ per ſuos nuntios apud Bonifacium IX. & Innocentium VII. Romanos pontifices.

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Carolo regi Francorum illuſtri S. & A. B. Anno 1405. *Ex mſſ illuſtriſſimi domini Chauvelin & regio.*

1. Cum nos dudum, cariſſime fili, videlicet de menſe Junii præterito proxime Maſſiliæ reſidentes, venerabilem fratrem Petrum epiſcopum S. Pontii Thomeriarum, & dilectos filios Petrum electum Ilerdenſem, An-

tonium abbatem monaſterii ſancti Facundi ordinis ſancti Benedicti, Legionenſis diœceſis, & Bertrandum Rodulfi ordinis fratrum Minorum procuratorem in Romana curia generalem, de conſilio fratrum noſtrorum cardinalium, aliarumque notabilium perſonarum deſtinaſſemus nuntios noſtros, ad quondam Petrum Thomascellum in ſede apoſtolica intruſum, & ſuos anticardinales, pro procuranda & efficaciter exſequenda pace & unitate debita eccleſiæ ſanctæ Dei, ad quam, ut novit cui nulla eſt inviſibilis creatura, deſideriis ardentibus anhelamus, tam miſſionem eorum, quam geſta per eoſdem in partibus Italiæ, modo & quantum per ipſorum litteras ſucceſſive accepimus, tuæ ſerenitati ſæpe ſcripſimus ſatis late: verum quia nolumus, cum hoc credamus bono unitatis & pacis hujuſmodi expedire, quod te ac alios eccleſiæ Romanæ fideles & devotos quicquam lateat veritatis, ne forte ſi preſſa jaceret, ac ſub labiis perſiſteret intercluſa, in ipſam ſpiritus mendacii audacius debaccharetur; ad tuam & cunctorum Chriſti fidelium notitiam deducimus per præſentes, quod nuntii noſtri præfati, juſſa noſtra in partibus Italiæ per menſes aliquot proſequentes, redierunt ad nos in Nicia, & die xi. menſis Aprilis, nobis & fratribus noſtris collegio cardinalium, aliis præſentibus plurimis, ibidem publice retulerunt, quod ipſi poſt multotiens denegatum & tamdem difficulter obtentum ſalvum conductum, per medium dilectorum filiorum communis Florentiæ ab ipſo Petro de Thomascellis, tunc temporis in ſede apoſtolica intruſo, acceſſerunt ad Urbem, & ipſum Petrum, quem xxii. die menſis Septembris proxime præteriti repererunt in palatio ſancti Petri, ſalutantes eumdem, biretis depoſitis atque aliquantulum capitibus inclinatis, nullâ tamen eidem per eos alterius generis reverentia exhibita, ipſum ex parte noſtra monuerunt, requiſierunt, hortati fuerunt, præſentibus ſuis anticardinalibus ſupradictis novem numero, & cleri ac populi multitudine copioſa, quatenus vellet conſiderare & diligenter attendere innumerabilia & fere inæſtimabilia mala Chriſtianæ fidei detrimenta, evidentia animarum pericula, quæ provenerunt ex iſto tam inveterato ſchiſmate, præter confuſionem totius univerſalis eccleſiæ, quæ propter hanc ſciſſuram velut deluſa ab infidelibus deridetur. Ea propter conſiderantes quæ per dictos noſtros nuntios deducta fuerunt latiſſime ante ipſum, nos monebamus, requirebamus & hortabamur eumdem, ut vellet nobiſcum in tam bono & ſancto propoſito unanimiter concordare, omnemque propriam affectionem & vanam hujus mundi gloriam poſtponendo, tot malis & periculis, quantum in eo eſſet, de celeri & ſufficienti remedio providere, ſimulque nobiſcum in aliquo loco communi utrique parti ſecuro & idoneo convenire, ut ibi, Deo inſpirante, ſublato ſchiſmate, reformaretur eccleſia in ejus antiquo decore, ad laudem & gloriam Redemtoris, ſalutemque cunctarum fidelium animarum; quæ quidem conventio omnium viarum unionis habendæ nedum erat diſpoſitiva & præparativa, ſed etiam incluſiva, & nullius excluſiva præcluſivaque impedimentorum, quæ poſſent ipſius unionis concluſionem debitam & celerem perturbare, prout hæc & alia per prædictos noſtros nuntios ipſi Petro intruſo efficaciter demonſtrata, fundataque fuerunt auctoritatibus & exemplis novi & veteris teſtamenti, utriuſque juris divini pariter & humani.

2. Quo conventionis modo tam ſalubri ad eccleſiæ debitam unionem, die xxix. dicti menſis Septembris, per dictum Petrum intruſum refutato penitus atque publice negato, præfati noſtri nuntii, ut retulerunt ibidem nobis & fratribus noſtris, eumdem Petrum intruſum eodem die geminatis vicibus ex parte noſtra hortati fuerunt, requiſierunt & monuerunt, quatenus vellet nobiſcum, ut præmittitur, convenire, & nedum ſaluti aliarum animarum fidelium, ſed etiam ſuæ propriæ debite providere ad quod nos, ut tenebamur, ex debito noſtri paſtoralis officii & vinculo caritatis benigne monebamus eumdem per viſcera miſericordiæ Jesu-Christi, & quod vellet conſiderare de ſuo ſtatu, modoque ſuæ aſſumtionis & prædeceſſoris ſui, & viam cognoſcere veritatis; ſuper qua re, ſi volebat nobiſcum, ut dictum eſt, convenire, parati eramus ipſum pleniſſime informare taliter, quod ipſemet, Deo inſpirante, manifeſte percipere, quomodo ſuæ propriæ conſcientiæ & eccleſiæ Chriſti, quantum ipſum concernebat, debebat commode providere; & vice verſa, quod nos parati eramus ab eo audire, ſi qua nobis volebat dicere ſuper materia præjacenti: adeo ut nullus noſtrum ante Deum & homines ſe poſſet per ignorantiam excuſare: verum cognita veritate, nos duo proviſuremus, ſicut pro Dei ſervitio foret expediens & neceſſe; quilibetque noſtrum cognoſceret, urgente conſcientia, ſe fore obligatum ad hoc de neceſſitate ſalutis æternæ, quam præfere debebamus tranſitoriis commodis & honoribus hujus vitæ, quod ſi faceremus, uterque noſtrum conſequeretur inextimabile meritum apud Deum, (a) & honeſtam laudem & gloriam apud mundum. Nam cuncti manifeſte viderent, quod, ſicut decet viros catholicos, motu proprio volebamus, ut tenebamur, divinæ voluntati in tanto negotio nos conformare: quodque ſi hoc volebat realiter experiri, procul dubio audiret talia, Spiritu-ſancto id agente, quæ ipſum rationabiliter nedum ad concordiam inducerent, immo concludente ratione & urgente [4]

(a) *al. addit* & homines.

conſcientia neceſſario inclinarent. ſi vero hæſitabat, quod in jure vel in facto difficulter concordaremur.

3. Dicti noſtri nuncii addiderunt, quod nos parati eramus pro parte noſtra poſt conventionem prædictam, & in ea, certas perſonas in certo numero eligere, Deum timentes, bonumque zelum habentes ad eccleſiæ unitatem, & quod ipſe PETRUS intruſus pro parte ſua eligeret totidem, quæ convenientes ſimul cum electis a nobis, juramento prius præſtito per eaſdem de bene & diligenter procedendo in negotio hujuſmodi, ad ſolum Deum & eccleſiam reſpectum habentes, amore, odio & timore ceſſantibus, quibuſcumque auditis & examinatis facti & juris utriuſque partis rationibus, eiſque recta intentione diſcuſſis, declararent quis noſtrum duorum jus haberet in papatu, data ad hoc eis poteſtate, & adhibitis hinc inde proviſionibus in præmiſſis neceſſariis & utilibus, ſeu etiam opportunis ad ipſius negotii debitam & optatam concluſionem, prout ejus qualitas patitur & requirit, ut ſic, fine impoſito ſchiſmati, reduceretur eccleſia ad concupitam a cunctis fidelibus unionem. Et ut ipſum ad tam piam tamque rationabilem oblationis & requiſitionis acceptationem efficacius animarent, noſtræ intentionis propoſitum explicarunt; ſcilicet quod ſicut ſemper fuerat & tunc erat, ut doloroſo ſchiſmati finis debitus imponatur, & optata in Dei eccleſia vera & debita unio habeatur, nullos recuſare labores, nulla pericula evitare, etiamſi expedierit ſtatui ſeu dignitati papali, ac juri indubio quod in eis habemus, cedere, & tamdem mortem corporalem ſubire, ſicut, auxiliante Domino, intendebamus ſuis loco & tempore per effectum operis demonſtrare.

4. Præterea addiderunt, quod licet nos non teneremur ire ad ipſum, ſed potius e converſo; ut tamen nota fieret toti orbi affectio quam habebamus & habemus ad ipſius eccleſiæ unionem, parati eramus cum eo, loco communi, ut prædicitur, convenire, nedum ſito in limitibus obedientiæ utriuſque, ſicut in ſimilibus conventionibus communiter obſervatur; verum infra Italiam, dum tamen utrique parti ſervaretur decus, honor, & æqualis ſecuritas immineret. Requiſierunt eumdem PETRUM prænominati noſtri nuncii, omni colluſione aut fraudulenta pactione ſemota, ſicut ex parte noſtra fuerunt expreſſe proteſtati, quod quia uterque noſtrum mortalis erat, ſciebatque ſe mortis legibus ſubjectum; vellet cum ſuis fratribus ordinare, quod in caſu quo ipſe primo decederet, ipſi ſui fratres ceſſarent ab electione, donec & quouſque diſpoſita & ordinata forent quæ expedientia, immo neceſſaria eſſent, pro vera & perfecta ipſius eccleſiæ unione, cum ipſis hoc ordinantibus, nos parati eramus unà cum fratribus hoc idem conſimiliter ordinare; tamen quod per hoc non intendebamus, ſicut nec intendimus ceſſare a proſecutione unionis eccleſiæ per annum, non per menſem, non per diem, non per horam, nec per punctum unicum ſeu momentum, neque per hoc ſtatum ipſius vel ſuorum intendebamus in aliquo approbare.

5. Quibus omnibus & ſingulis per ſæpedictos noſtros nuntios præfato PETRO cum debitis modeſtia, benevolentia & caritate, dictis, & ex parte noſtra propoſitis, oblatis, ac etiam declaratis, ipſe PETRUS ſuæ ſalutis immemor, reſpondit ſimpliciter negative. Cumque præfati nuntii noſtri iteratis vicibus præmiſſa ipſi PETRO ex parte noſtra proponerent, ac, ut præmittitur, publice intimarent, requirerentque eumdem, quod ſi prædicta ei non placebant, ipſe viam ſeu modum alium aperiret; reſpondit, quod prædictæ viæ per ipſos noſtros nuntios oblatæ ſibi ullatenus non placebant, neque volebat aliquam aliam viam offerre ſeu etiam aperire: addens quod ipſe qui poteſtatem haberet a Deo, nolebat renuntiare. Demum vero fremens & dolens in verba contumelioſa prorumpens, quibus reſponſum extitit per dictos noſtros nuntios, quantum honori expediebat eccleſiæ & noſtro, juſto Dei judicio poſt paululum loquelam perdens, ante duos compleros dies miſerabiliter expiravit.

6. Quo ſublato de medio, præfati noſtri nuntii pro morte ipſius PETRI, plurimis in urbe rumoribus excitatis, mortis pericula formidantes, quæ in eos veriſimiliter imminebant, licentiati recedentes ab Urbe in confidentia ſui ſalvi conductus, quem credebant inviolabiliter obſervari, præſertim cum non potuiſſent ab anticardinalibus, quos ſuper hoc requiri fecerant, ſecuritatem debitam obtinere, in porta ipſius urbis per quemdam caſtellanum caſtri ſancti Angeli capti, unà cum dilecto filio Franciſco de Pavo milite, retentique infra ipſum caſtrum, ubi non tamquam viri, quorum eſt ingreſſus pacificus & egreſſus, ſed velut ſicarii homines, inhumaniter contractati; tamdem vero cupientes pro ſtatu proſpero unitatis eccleſiæ loqui anticardinalibus, qui eodem die erant eorum conclave, ſeu potius latibulum intraturi, præcipue cum viderent ſe non poſſe commode aliter liberari, quinque millium ducatorum ſumma in vinculis retenti, mortis eorum pericula redemerunt: quam quidem ſummam & alia eis illata damna, ille qui moderno tempore in ſede B. Petri ultimo damnabiliter ſe intruſit, de reſtitutione fienda litteris & ambaxiatoribus prædictorum filiorum communis Florentiæ inſtigatus, eiſdem noſtris nunciis reſtituere, ſeu reſtitui facere recuſavit. Qui poſtquam fuerunt a dictis carceribus, ut præmiſſum eſt, liberati, ſicut re-

tulerunt nobis & fratribus noſtris, qui prædicta audiebamus, maximo cum dolore cernentes facta fuiſſe ambaxiatoribus, viris Catholicis, per viros qui ſe gloriantur Chriſti nomine inſignitos, qualia non feciſſent quique inimici nominis crucifixi, die duodecima menſis octobris præteriti, proxime venerunt ad ipſos anticardinales, quos invenerunt in quadam camera juncta eccleſiæ ſancti Petri pariter congregatos, & quos ex parte noſtra requiſierunt, hortati fuerunt, ac etiam monuerunt, quatenus per JESUM CHRISTUM attenderent gravia facinora & irreparabilia damna, quæ ſequebantur ex nefando ſchiſmate, nedum eccleſiæ, ſed toti populo Chriſtiano; ideoque placeret eis dare operam unioni, & ab electione deſinere, ne futura electio, quæ verius intruſio eſt dicenda, ipſum ſchiſma tam horrendum per ulteriora tempora protelaret, præſertim cum ipſi intimarent eiſdem ex parte noſtra, quod nos parati eramus, ut finem ſuſciperet vetus error, omnia & ſingula ſupradicta cum eis proſequi cum effectu, quæ per ipſos noſtros nuntios, ipſis præſentibus, ex parte noſtra præfato PETRO dum vivebat, intimata fuerant & expreſſa; requiſieruntque eoſdem, quod ſi eis illa aut eorum aliqua non placebant, ipſi vellent aperire viam ſeu modum ſalubrem ad unionem tantis temporibus concupitam; quoniam ſi eſſet accommoda, ipſi eam proſequerentur totis viribus ſine mora. Inſuper notificaverunt eiſdem, quod nos ad præmiſſa exequenda, & ad dandam eccleſiæ unitatem, parati eramus, ipſis ab electione ceſſantibus, ad Urbem accedere indilate, ut præfatum deteſtandum ſchiſma, ubi ortum habuerat, ſopiretur.

7. Quibus omnibus per dictos nuncios noſtros expoſitis, ut præfertur, prædicti, qui ſe in Urbe dicebant Romanæ eccleſiæ cardinales, finaliter reſponderunt, quod ipſi pro tunc aliis negotiis occupati, cum nondum deliberaſſent, eis non poterant reſpondere; ſed cum deliberaſſent, nunciique noſtri perveniſſent ad locum ſecurum, ipſi reſponderent eis per nuncium vel per ſcripturam. Aliqui autem ipſorum dixerunt, quod eligendus per eos de proximo ad eorum propoſita reſponderet. Unus vero ex eis loquens, ut aſſeruit, a ſe ipſo, dixit prædictis noſtris nunciis, ut in continenti ex parte noſtra ad ceſſionem tali conditione adjecta, quod neceſſario haberet eligi de novo Italicus natione, licet ab aliquibus anticardinalibus de hoc fuerit reprehenſus. Cum autem præfati noſtri nuncii videntes ſe in Urbe non poſſe morari ulterius commode, præſertim cum attentis dictis, & quæ fiebant per ſupra nominatos anticardinales, cum jam intraſſent eorum conclave, ſeu verius latibulum, propter futuram aſſumtionem novi intruſi, omnem eorum ulteriorem moram cernerent infructuoſam, receſſerunt ab ipſa Urbe, veneruntque plurimis laboribus & periculis fatigati ad caſtrum noſtrum Soriani, ubi reſponſionem dictorum anticardinalium, quam eis ſpoponderant, expectarunt.

8. Qui videntes, cum exſpectaſſent jam per dies ſeptem continuos, quod reſponſum habere non poterant antedictum, audita ipſius COSMATI nova intruſione, & quoniam eorum ſalvus conductus infra decendium expirabat, receſſerunt verſus Florentiam. Ad quam dum perveniſſent, receperunt quamdam litteram ex parte cujuſdam anticardinalis, dicti Aquilegienſis: quæ inter cetera continebat, quod ipſe ex parte domini ſui tunc intruſi noviter, qui talia ſibi mandaverat oraculo vivæ vocis, rogabat dictos dominos noſtros nuncios, quod pro tam bono publico pratticando placeret eis ad Urbem iterum reverti, cum tunc, ut ſcripſit, & ut ejus verbis utamur, non eſſet ambigendum, quin dominus ipſius nobiſcum concordaret, & in bono propoſito conveniret, aſſerendo quod ſi ſalvum conductum, aut alium ductum ſecurum volebant, eis concederetur, juxta eorum beneplacitum voluntatis, nec non ipſe intruſus modernus ſcripſit quamdam brevem litteram dilectis filiis prioribus arcium & vexillifero communis Florentiæ inter cetera continentem, quod, ut præfatis noſtris nunciis ac aliis ad ipſum venire volentibus de ſecuritate plenaria & receptione gratiſſima, quantum daret dominus, provideretur, quolibet occurreret caſu, quo paratum * foret, prout hæc in ipſorum intruſi & anticardinalium litteris latius ſunt expreſſa. Qua littera prædicti & anticardinalium per ipſos noſtros nuncios recepta gratiſſime, attentis nihilhominus ſcriptis per ipſum intruſum ipſis filiis prioribus Florentinis, cum ipſi noſtri nuncii ſcirent deſiderium tanti boni noſtris viſceribus affectantiſſime inſidere, miſerunt protinus ad Urbem duos ex familiaribus noſtris tunc degentibus cum eiſdem, ad obtinendum ſalvum conductum in forma a ſuo prædeceſſore prius habita & obtenta: quem dicto novo intruſo ex faſtu ſui pernicioſi dominii a via ſancti propoſiti, quod a principio ſui damnati aſcenſus oſtendebat multipliciter ſe habere, alienato intrinſecus penitus & mutato; neque per eorum crebras inſtantias, neque per plurificatas litteras, ambaſſiationes, & interventus devotiſſimos plurimorum, & præcipue dilectorum filiorum communis Florentiæ atque rectorum, & nonnullorum principum & civium Romanorum, potuerunt finaliter obtinere: verum memoratus intruſus modernus ſcripſit præfatis filiis prioribus Florentinis nuncios noſtros ſupervacue fore, audire, & ſalvum conductum propterea deſtinare, niſi aliud de novo cognoſceret eos habere, quod rei efficaciter conveniret, quoniam enarrata per

* al. petitum.

dictos noſtros nuncios ante ſuum prædeceſ-
* al. ſpecia-liter. ſorem, ut aſſerebat, nihil ad rem * ſubſtan-cialiter concludebat; ſed ſi circa materiam hujuſmodi aliquid effectivum cognoſceret eos habere, & ſibi antequam accederent intimarent, ipſis & aliis ad eum venire volentibus ſalvum conductum concederet antedictum.

9. Duo inſuper ex ſuis anticardinalibus præfatis noſtris nunciis ſcripſerunt idem per ſuas litteras in effectu: addentes, quod cum intruſus ipſe nonnullos ſibi obedientes ad audiendum eorum conſilia convocaſſet uſque ad feſtum omnium ſanctorum, indubie arbitrabantur quod ante tractatum novum circa iſtam materiam non intraret. Ex quibus omnibus, cum audiremus, fuimus attoniti, & quam plurimum admirati. Quis enim umquam audivit, legit, aut vidit, fili cariſſime, quod ſalvus conductus hominibus pacem nedum temporalem, ſed ſpiritualem etiam & ſalutem quærentibus animarum fuerit denegatus, & quod ea, quæ ſuper tam glorioſo negotio, qualis eſt materia pacis, non denegarentur a quovis barbaro infideli, denegata ſunt ab eo qui ſe dicit Chriſti vicarium, licet falſe? Et quis doctus, ſi ad præmiſſa per ipſos noſtros nuncios ex illa parte noſtra dicta, propoſita, ac etiam declarata diligenter attenderet, non cenſebit quod illa ad rem de qua agitur ſubſtantialiter concludebant. Sed quis umquam vidit vel audivit, quod ab ambaxiatoribus ſalvum conductum quærentibus, petatur per antea quid habent proponere, & quod illud præmittant per nuncium aut ſcriptum, quodque ſibi rem prius commiſſam referant, quam accedant. Sed ad quid, quæſumus, notificaretur, cum ſcribant dicti duo anticardinales, quod ante feſtum omnium ſanctorum tractatum novum indubie non intrabit? & quis contrarietatem & veritatem in præfatis litteris excuſabit? Prius enim ſcriptum fuerat per dictos anticardinales Aquilegienſem & per intruſum modernum, quod placeat noſtris nunciis retroverti, & quod providebitur eis de ſalvo conductu, ſeu alio ductu ſecuro, receptioneque gratiſſima, caſu quolibet, quo petitum foret juxta eorum beneplacitum voluntatis.

10. Poſtea vero cum dicti noſtri nuntii intendunt efficaciter ad oblata, exquiſitis & confictis coloribus dictus ſalvus conductus etiam in forma prius obtenta finaliter denegatur. Eſt ne hoc velle nobiſcum in bono & ſancto propoſito convenire, non obtuliſſe uſque nunc modum, viam, neque formam, quibus tollatur peſtiferum ſchiſma, & dictis noſtris nunciis volentibus ex parte noſtra dare & offerre denegaſſe audientiam penitus & acceſſum? Quæ ſupradictorum ſingula, ſi dictus intruſus novus aut ejus prædeceſſor a nobis per litteras aut nuncios ſuos poſtulaſſet, denegaſſemuſque eamdem ſine erubeſcentia, quemadmodum hi fecerunt, conſide-

A ret tua regia celſitudo, non obſtante quod juſtam cauſam foveamus, nulliuſque mortalium ſubjiciamur imperio voluntatis, quodque linguæ bicipites in noſtram infamiam laboraſſent. Verum tamen unum eſt unde gratias agimus Deo noſtro, quod tum non parcamus noſtræ ſenili ætati, quam conquaſſatam laboribus plurimis duximus uſque Januam, ubi ipſo agente nos & fratres noſtri collegium cardinalium, ac ceteri noſtram curiam ſequentes, recepti fuimus in exultatione cum jubilo, & tractamur jugiter maximo cum honore, non periculis, non expenſis deterriti definimus hinc inde noſtros nuncios deſtinare, eccleſiæ adverſarios requirere & invitare, quantum potuimus & poſſumus, ad pacem & unitatem eccleſiæ antedictam, quod ipſi adverſarii fecere minime uſque modo. Creſcit ad nos multorum devotio, ut aſſidue diſcimus ab experto, ipſeque intruſus in ſua negligentia & contemtu plus ſolito redditur odioſus, cum nullus fidelis præſumere debeat, ipſum velle dare operam unioni, qui ſalvum conductum ſuper tanto bono & periculoſo negotio non erubuerit denegare.

11. Qua de re memorati nuncii attendentes quod ſuper præmiſſis omnem congruentem diligentiam adhibuerant juxta poſſe, ipſiſque dictus intruſus novus in cor pravum converſus, ſalvum conductum denegaverat, atque eos audire ſuper tam glorioſa materia recuſaverat abſolute, ad nos redeuntes ſupradicta ſingula nobis & fratribus noſtris publice, ut præmiſſum eſt, retulere, quæ tibi ex noſtro immediato receſſu de Nicia præpediti, ac aliis ſupervenientibus negotiis in acceſſu protinus uſque nunc nequivimus intimare. Idcirco, cariſſime fili, cum viderimus & audierimus iniqua ſubterfugia, atque de nigrationem expreſſam eorum, quæ ad pacem ſunt eccleſiæ, in perſonam quondam PETRI DE THOMACELLIS, necnon fucos & fictitios colores, quos dicti qui ſe in Urbe gerunt pro cardinalibus, una cum intruſo per eos aſſumto, noviter invenerunt, ut pacem & unitatem fugiant antedictam, ipſoſque requiſierimus & monuerimus ferventi deſiderio aſpirantes ad eccleſiæ ſalubrem unionem forma & modo ſuperius annotatis. Cumque prædictus PETRUS, dum viveret in humanis, nec poſt ejus mortem ſæpedicti ejus fratres, nec per eos intruſus noviter prædictis omnibus vel eorum alicui tam juſtis & neceſſariis populo chriſtiano noluerit condeſcendere, nec viam aliquam aperire, licet ſuper his fuerint ex parte noſtra cum debita & diligenti inſtantia requiſiti, & ſic nec dare operam ad eccleſiæ unionem; proteſtamur & declaramus cunctis fidelibus mentem noſtram, quod nos intendebamus contra dictum PETRUM, ſi ſupervixiſſet, & intendimus contra ſæpedictos, qui ſe in Urbe nominant cardinales, ac contra

intruſum per eos noviter, ſic renitentes ad cor reverti, & ad ſemitas juſtitiæ & pacis dirigere greſſus ſuos in virtute exurgere altiſſimi Dei noſtri, & primo & principaliter providentiam divini conſilii, deinde auxilium cunctorum Chriſti fidelium invocare, tamquam contra pacis eccleſiæ turbatores & impedientes ipſius debitam unionem, de quibus hoc renuentes apud Deum & homines ſe non potuerunt excuſare; quos omnes nos ex nunc hortamur, requirimus, & rogamus per viſcera miſericordiæ JESU CHRISTI, quatenus nos habentes a culpa hujus tam horrendi ſchiſmatis excuſatos, nos qui in dicto propoſito fuimus, prout ſumus etiam de præſenti, cum effectu velint juvare ad executionem debitam præmiſſorum, & unionem debitam reſtaurandam, præſervandamque a tanto periculo eccleſiam ſponſam Chriſti, ejuſque ſe eſſe filios profitantur, & inter ceteros eccleſiæ Romanæ fideliſſimos & devotos te, cariſſime fili, hortamur paternis affectibus & rogamus, ut tanto fortius & ſingularius ſuper horum negotiorum directionem vires tuas oſtendere velis, ut poteris, efficaces, quanto largitor munerum Deus te dignatus eſt inter ejus membra efficere celſiorem. Taliter quod pro tam glorioſa exercitatione, præter laudem hujus ſæculi, præſtet tuæ regiæ majeſtati gloriam perpetuis temporibus immortalem. Datum Januæ v. calendas Julii pontificatus noſtri anno XI.

EPISTOLA JOHANNIS DUCIS Bituricenſis ad Innocentium papam VII.

Hortatur ad viam ceſſionis amplectendam, oratque ſuam regi ſibique intentionem ad eccleſiæ unionem aperiat.

Anno 1405. *Ex mſ. illuſtriſſimi viri domini Chauvelin.*

FAma & nomine nunc viro glorioſo domino COSMATO, quem Romani & alii plures INNOCENTIUM VII. vocant.

1. Homo Dei, ſi pacem quæris eccleſiæ, ſicut velox apud multos fama jam percrebuit, caput languidum, membrorum omnium vehemens dolor, & principatus ſollicitudo ſuſcepti cor meum ſic acerbo compungunt aculeo, quod pene lugendo plangere me compellunt, & ad medicum properare, qui morbo poteſt medelam ſalubrem propinare. Ecce quod apoſtolus ſanctus eccleſiam Dei, quæ in univerſitate fidelium conſiſtit, corpus Chriſti myſticum vocat; & ſicut corpus humanum per membra, hoc corpus Chriſtum diſpoſuiſſe ſcribens ad Corinthios clare denunciat. Sicut enim varietas membrorum per diverſa officia & robur corporis ſervat & pulcritudinem repræſentat; ita varietas perſonarum per diverſa officia diſtributa, & fortitudinem & venuſtatem eccleſiæ Dei manifeſtat. Neque univerſitas alias poſſet ratione ſubſiſtere, niſi eam diverſitatis magnus & differentiæ ordo ſervaret. In hoc quippe corpore ſicut ſacri canones docent, Romanus Pontifex ſub Chriſto caput eſt, cujus oculus ſunt prælati, auditus clerici, odoratus religioſi qui directe cœleſtia magis reſpirant, manus vero principes laici, & pedes populi, qui ſuo laboris artificio totum corpus ſuſtentant; & ſicut in corpore humano non poteſt dicere oculus manui, opera tua non indigeo; nec manus pedibus, non eſtis mihi neceſſarii: ita in corpore eccleſiæ caput eget manibus ne lædatur, & oculi terſione ſi fœdantur, & ne ſit ſchiſma, convenientia requiritur membrorum ad caput; quia quorum caput eſt unum, unus animus eſſe debet.

2. Et rurſum Paulus illorum caput languidum vocat, qui Chriſti ſermonibus non acquieſcunt; ſed per quæſtiones vagantur & pugnas verborum, quia ſenſus hominis in capite eſt, quo langueſcente cetera membra dolent, & corpus morbus invadit, ſi languor fixus in capite non ſanetur. Hæc eccleſia mater fœcunditatis incorrupta, quando multitudinis credentium fuit cor unum & anima una, luce Dei olim diffuſa per totum orbem ſuos radios porrigebat. In ea epiſcopatus unus epiſcoporum numeroſitate concordi per mundum ubique diffuſus, ſicut multi radii ſunt & unum lumen, & rami arboris multi ſunt robur unum tenaci radice fundatum, Galliæ, Britanniæ, Italia, Perſæ, Oriens, India & omnes barbaræ nationes, teſte Hieronymo, unum prædicant Chriſtum, unam ſervant regulam veritatis. Sed olim vetus Oriens, peccatis hominum exigentibus, inter ſe populorum furore colliſus, indeciſam Domini tunicam & ſupertextam minutatim per fruſta diſcerpit, nunc obruta ſulcis frumenta in lolium avenaſque degenerant. Ibi pudor deperiit, honeſtas evanuit, religio cecidit, & velut fracto agmine omnium ſanctarum virtutum turba procul abſceſſit. Quod ſi geſta Arrii, Donati, Novati & Nicolai cardinalis, qui introduxiſſe creditur a multis perfidam ſectam Mahumeti, legantur; bonæ meſſi ſuperſeminata zizania in domo Dei per contentionis ſacerdotalis incendium inveniemus. Fecit hæc inimicus homo, & inde Hieronymus veteres ſcrutans hiſtorias, non invenit eccleſiam Dei ſcidiſſe, & in domo Domini populum ſeduxiſſe, præter eos qui in ſacerdotio poſiti ſunt. Vertimur, inquit, in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum; & quia prioris ſtatus in pejus commutatio eſt capitis diminutio indicant ſedes quatuor patriarchales, quantum eccleſia Romana, quæ aliorum caput eſt, ab aſſueta celſitudinis ſuæ perfectione langueſcat. Et licet non juvet errores, merſa jam puppe, fateri; hæc tamen neglecta & quæ hactenus ſi ſunt omiſſa poſt tergum, reteruntur in memoriam ultionis divinæ, ut nobis

nobis terrorem incutiant. Prudentis enim est præterita recordari, ut præsentia melius valeat disponere & prævidere futura. Sed perdit memoriam labiorum mens terrenis obligata carceribus.

3. Et quia neglecta solent incendia sumere vires, in ecclesia Romana nunc ambitio, vitiorum origo uberius pullulat, & tamquam virosæ propaginis ramos per totum orbem feralium vitiorum portenta dilatat; sic quod jam pridem in capite per schismaticæ hæresis trapezitas repetitis malleis lethalis facta est scissura, & in uno corpore humano elementorum humorumque turbata concordia, infirmitas quæ corpus affligit nascitur. Ita in ecclesia capitis & memborum antiquata discordia corpus resolvitur, & membra fiunt debilia, sic quod penitus a debita sui ministerii exhibitione tepescunt oculi. Oculi enim diversis nubibus obfuscati quasi non vident, dum enim majores sensus terrena studia occupant, vento tentationis impulsus oculos ecclesiæ pulvis cœcat. Et si aliquorum ingenium ad cognitionem veritatis emicat; carnalia tamen opera visum obscurant & aliorum oculorum, qui viam videre non sinuntur, nec veritatem veri luminis penetrare, qui se per arrogantiam justitiæ vel sapientiæ exaltant, ut sic cœcos ducentes omnes cadant in foveam. Utinam velit Deus quod oculi sub nube erroris obducti supernæ illustrationis lumine fiant sereni. Clerici vero qui corporis ecclesiæ auditus sunt, aures habent quamplures, non vero audiunt. O Deus, inquiunt viri justi plures, quid in isto tanto discrimine canonice fieri debuerat, auribus nostris audivimus, & patres nostri annunciaverunt nobis. Christus in evangelio, apostolis certantibus de primatu, legitur dixisse: *Si quis voluerit esse major inter vos, fiat sicut minor.* Et vide temeritatem contendentium. Ad papatum electos contra fas in ecclesia Romana lex canonica jus non habere decrevit, & alium de novo canonice electum in ea præesse ordinavit. Et electionem duorum tunc factam contra fas existimant sancti doctores, quando ex ea in ecclesia Dei oritur grave scandalum, sicut nunc videmus. Et supposito quod unus optimum jus habeat, pro tam gravi vitando scandalo renunciare tenetur; quia ecclesiæ salus sub alio potest esse tuta. Pastori namque & fabri filio successorem quærimus, non Augusto: sed, proh dolor! plures alii in domo Domini pravæ doctrinæ ignem graviter accendunt, & Balaam sequuntur, qui mercedem iniquitatis amavit. Circa quæstiones vagatur & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictiones hominum mente corruptorum, quia veritate privati sunt, eorum alloquio unitas audientium confunditur. Talia enim sic astute proponant, quod infirmitate nunc mentes dicentium auditorum ad veritatis perceptionem venire valentes, ad necessitatem schismatis adducuntur, & simplex populus in utroque divisus corporum congruentia separatur, ad sensum suum incongrua aptant testimonia, nec verentur ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Nihil enim est tam facile, quam plebem indoctam linguæ volubilitate decipere; & ita tenent ecclesiam inter incudem & malleum, & continue sic super dorsum ejus fabricant peccatores. Heu! ecclesia Dei non litigiosis opinionibus figitur, sed divinis, inquit Augustinus, attestationibus comprobatur. Sed scriptum est: causa ruinæ populi sacerdotes mali.

4. Odoratus vero, ut prædicitur, sunt religiosi; naso quippe odores fœtoresque deferimus, & recte per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus & delicta reprobamus. Sed sunt nonnulli, qui dum hebetes æstimari nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus plus quam necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur, & indubitanter hodie calidissimus hostis pro utraque parte multos hypocritas sub habitu religionis disperšit, qui circumeuntes provincias, labiorum strepitu benedicunt Domino, & immunda mente interius unitati contradicunt; & illos qui crassam rusticitatem solum pro sanctitate habent, miserabiliter seducunt. Nolite, inquit Petrus Damiani, quæso, monachi, nolite sub ecclesiasticæ compassionis specie regum aulas irrumpere; nolite aulas principum suggerendo fastidiosa impertinenter propulsare. Experto credite, quod utinam diligenter advertant alii religiosi devoti, quia sancta rusticitas, quantum ex vitæ merito ecclesiam ædificat, tantum nocet, si eam destruentibus non resistat. Manus vero ecclesiæ per istos sic sunt nodis difficilibus alligatæ, quod in quam partem declinent metuunt & obedire trepidant, & non obedire formidant. Ne autem obedientes Deum in suis præceptis deserant, aut rursum non obedientes Deum in electo priore contemnant, vel manus aliquorum in terrenis hodie fortes sunt; sed ad superiora deficiunt. Nam pro temporali gloria usque ad mortem desudare appetunt; sed pro spe perpetua, nec parum quidem in labore subsistunt, superna laboriose quærere tanto magis dissimulant, quanto ea tardius retribui putant: & ille manus ad cœlestia erigere non valet, quem terrenæ usus sollicitudinis curvum tenet. Per discordias principum ecclesia Dei divisionis damna pati non deberet. Avaritia tamen & mens potentiæ avida sensus hebetant & opiniones pervertunt. Sæpe etiam reverentia ordinis manus remissas erigere non permittit. Nemo amplius quippe in ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere

nullus præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.

5. Populi vero qui ſunt pedes, non tenentibus paſtoribus fræna eorum, in delicta laſciviunt, & dilaniandi inſidiatorum dentibus patent, & quo pergere debeant aſpiciunt, ſed per infirmitatem mentis vitæ viam perfectæ non valent tenere quam vident. Ceterum languente ſic capite, membra etiam incaſſum vigent, ſicut in exploratione hoſtium exercitus fruſtra velociter ſequitur, ſi ab ipſo duce itineris erretur. Eia in ſede Petri ſol juſtitiæ oriri conſueverat, & terra fœcunda Dominici ſeminis puritatem centeno fructu referebat. In ea manebat patrum auctoritas incorrupta, in qua nunc conſpicimus caput languidum & cor mœrens, & fere a planta pedis uſque ad verticem non eſt in ea ſanitas. Porro hujus turbationis immanitate ſatrapæ cruenti & ſceleratiſſimi criminis ſui adulteros vincunt, homicidas excedunt, raptores, ſacrilegos, patricidas, atque omnium pene reorum flagitia ſuperant. Idolatria namque gladio punita eſt, ſciſſura vero hiatu terræ, ſepultis actoribus vivis, & ceteris cœleſti igne conſumtis. Quis, inquit Hieronymus, jam dubitat hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt gravius vindicatum? Nunc profecto ſentiunt ſatrapæ mortui, quantum valet honoris tranſacti horrenda ambitio. Nam tales a conſpectu ſuo Deus abjicit, & tortoribus tradit, ut eos tartarus infinite patens abſorbeat, & gehennæ crudelis olla concludat. Sane tanti reatus pondera vitaſſent, ſi Veritatis ſententiam ſollicita cordis aure penſaſſent: *Qui ſcandalizaverit*, inquit, *unum de puſillis iſtis qui in me credunt, melius erat ei ut ligaretur mola aſinaria collo ejus, & projiceretur in profundum maris.* Et neminem Saliberienſis ita ſtupidum credit, qui non malle deberet ſe deleri, quam pro eo tanta fieret turbatio.

6. Hæc ſiquidem & alia devote meditando, dominum Benedictum vino compunctionis ſic reficiunt, quod amplius de primatu ſic ſcandaloſe certare non curat, rogat quæ ad pacem ſunt, & zelo domus Dei accenſus, pro bono pacis in conſpectu noſtro, ut aſſeritur, papatui renuntiare per oratores ſuos prædeceſſori veſtro obtulit ſe paratum. Sed prædeceſſor ille ad modum aſpidis ſurdæ obturavit aures ſuas, & noluit intelligere ut bene ageret. Heu! quam cœcus ineſt vitiis amor, quam frivola mundi gloria, quam rerum fugitivus honor, quam nomen inane. Prælatus qui præeſſe cupit & prodeſſe recuſat, cui non ſufficit orbis, ſufficit exciſo defoſſa marmore terra quinque pedum fabricata domus. Sed veſtra a Deo inſpirata devotio, voto & juramento firmata, jam cum dicto Benedicto ſatis in animi voluntate concordat; ſicque, Chriſto juvante, in domo ſua Chriſti fideles breviter unanimes habitare ſumus diſpoſiti; quia ab illis repellitur error in diverſa trahens, quos ſpiritus effecit unum. Ecce quod jam pro parte aquilo faciem cœli tranquillam reddit, quam per tot annos auſtralis aura turbavit, & ſic emenſo pelago clavum ſtringentes vela ſubmittimus, & duce Chriſto, littus aſpicientes appropinquamus. Nunc ſchiſmaticæ tempeſtatis procella declinat, & portum ſecuriorem naviculæ Petri promittit aura clementior. Ex quo merito Chriſti fideles omnes magna debemus exultatione gaudere, completo quod ſcriptum eſt: Diſcurre, feſtina, excita competitorem tuum. Nihil enim habet fortuna majus, quam ut poſſit, & natura melius, quam ut velit juvare quamplurimos. Immo nulla melior in hominum genere natura, quam eorum qui ſe natos ad homines juvandos & conſervandos arbitrantur. Quidquid poteſt manus tua inſtanter operare, uſu gloriæ permutatur, & dum inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſublevat, ipſa operandi remiſſio contra id quod inchoatum eſt pugnat. Et inde per Salomonem dicitur: *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, ſimilis eſt ſua opera diſſipantis*; quia videlicet, qui cœpta bona diſtricte non exequitur, diſſolutionem negligentiæ manum deſtruentis amplectitur. Cum enim omnes virtutes currunt in ſtadio, ſola, inquit Beda, perſeverantia accipit bravium. Videte quod ea quæ nunc in veſtram gloriam proferuntur, niſi anxio & ſollicito labore ſerventur, in infamiam procul dubio maximi criminis intumeſcent. Et licet devotionis veſtræ ſint verba optima, hucuſque tamen hic non audivimus niſi generalia. Et qui quo deſtinat, inquit Seneca, pervenire vult, unam debet ſequi viam, non vagare per multas. Non enim ire iſtud eſt, ſed errare. Neſcienti quippe quem portum petat, nullus eſt ventus aptus. Sed abjicite remedia quæ periculis ſunt graviora. Nam qui poſt ſanctitatis habitum terrenis actibus ſe inſerit, quaſi colore mutato ante humanos oculos ejus reverentia deſpecta paleſcit. Ideo quidam ambitionis filii aperire non verentur, quod dominus Benedictus & vos in ſede Petri ſimul ſedeatis, & quod ſupermanenti omnes obediant.

7. Hæc, ut videtur multis, non modicam hæreſim ſapiunt. Quæ iſta bonitas duorum perverſæ voluntati parcere & omnes in diſcrimen adducere? Qui talia dicunt, ſine dubio totius eccleſiæ moliuntur interitum. Quare, inquit Hieronymus, proferunt in medio quod Petrus & Paulus cedere noluerunt? Cur poſt mille annos docere nunc nituntur quæ ante neſcivimus? In ea, inquit, fide ſenex moriar, in qua puer natus ſum. Aliquando etiam viæ plures deducuntur in medium, quæ licet perſuaſionibus variis obumbrentur, ad ſcandalum tamen penitus dolendum, omnibus attentis, nullæ ſunt in effectu. Vulnus detegimus, quia operam meditantis expe-

ctamus, & communi morbo communis eſt adhibenda medela. Et qui præcepta Platonis tenent, totùm corpus reipublicæ curant, ne dum aliquas partes ſanant, reliquas deſerant. Tutela enim reipublicæ, inquit Tullius, ad eorum utilitatem qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus eſt commiſſa, gerenda eſt. Sed antiquus hoſtis videns militem Chriſti in procinctu ſancti certaminis poſitum, non aliter ſe poſſe a ſui propoſiti fervore tepeſcere, machinatur uberioris cujuſdam fructus ſuperficie fallaciter obumbrare, ut dum lucrum majus attenditur, bonum quod in præſenti eſt, ad tempus quaſi diſpenſatorie poſtponitur. Sed qui labentis mundi conſuetudinem frequenter expertus eſt, novit & vana ſuggerentium commerita reſpuere, & ſe ab infructuoſi laboris exercitio cuſtodire. Et qui deterioribus promiſſis, inquit Didimus, meliora ſectatur, non ipſe qui Deus eſt, ſed Dei amicus efficitur. Et inde Salomon: *Non te tradas viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.* Æmulamini igitur cariſmata meliora, quia viam ceſſionis excellentiorem fore denuntiant canonicæ ſanctiones, & dum factum notorium conculcatur, luce clarius conſtat. * Quid namque, dicit Gregorius, eſt poteſtas culminis, niſi tempeſtas mentis, in qua cogitationum ſuper procellis navis cordis quatitur, huc illucque inceſſanter impellitur, & per repentinos exceſſus oris & operis, quaſi per obviantia ſaxa frangitur? Ad omnia vos facere paratum timor Dei & fides debet.

* Hic videtur aliquid deeſſe.

8. Sic Abraham placuit Deo, quia nec amittere filium renuit, nec gerere parricidium recuſavit. De Leone IX. legimus, quod pro vitando ſcandalo, plane & ſine ruga papatui renuntiavit, qui poſtmodum reelectus, apud Tullum ſicut ſanctus veneratur & colitur. Et primo idem de B. Clemente ſcriptum. Ut quid, ait Auguſtinus, dubitamus redemtori noſtro ſacrificium iſtud humilitatis offerre? Nonne ipſe de cœlo deſcendit, ut nos membra ejus eſſemus? Et nos ne membra ejus crudeli diviſione lanientur, cur de cathedris deſcendere formidamus? Et ſequitur: Qua fronte promiſſum a Chriſto in alio ſperabit honorem, ſi in hoc ſæculo veſter honor eccleſiæ impedit unitatem. Et quia ſpes eſt in dubiis comes ſemper optima rebus, ſentimus jam diu ſuper prædictis expectantes beatam ſpem bonitatis veſtræ, ſed nihil difficilius quam gaudium differre; unde ſalutationis præmiſſo alloquio, veſtram manſuetudinem deprecamur, quatenus propter Deum, non ſub modio, ſed ſupra candelabrum velitis ſuper prædictis domino meo regi & mihi veſtram ſinceram intentionem litteratorie manifeſtare, ut luceat lux veſtra coram hominibus, & videant opera veſtra bona. Ad hæc autem ſcribenda moneor, ſicut militaris exercitus tubæ & claſſici comportantur, ut eorum clangoribus claſſenſes excitentur excubiæ, ut ſe valeant milites a nocturna hoſtilis impetus incurſione munire; ita nos qui in cœleſtis militiæ ſumus ſacramento jurati, & in tremendo judicio de pace eccleſiæ rationem reddere aſtricti, noſtris vos debemus excitare, ut robuſtos vos omnes atque pervigiles nocturnus inſidiator inveniat, & caſtrorum, pro quibus ſtamus, aditus non irrumpat, præcipue qui de ſtipite regalis domus Franciæ deſcendimus, quorum laudes beatus Gregorius per hæc verba ſcripſiſſe legitur: Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni veſtri profecto culmen excellit; & ſicut magnæ lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit, ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium regna rutilat & coruſcat.

9. Hæc, teſte Deo, ad jactantiam non dico; ſed quia devotionem meorum majorum ad eccleſiam Dei poſſe tenus, Chriſto juvante, cupio imitari. Nam paterna gloria illos facit inglorios, qui patrum veſtigia non ſectantur. Et ſi in hac mea littera non inſerui verba majoris reverentiæ vel honoris, veſtigia B. Gregorii inſequendo, curare non debetis. Noli, inquit, proſperari verbis, ſed moribus, honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Et talia verborum lenocinia fugienda docebat Hieronymus. Sapientiam, inquit, quæras, non verborum folia, & qui numquam ſeneſcit, requieſcat in ſinu tuo. Magiſtrum Jo. Arnaldi in ſacra theologia profeſſorem antiquum præſentium exhibitorem ad vos mitto, ut veſtræ bonitatis reſponſionem ad litteras meas, quantum magis opportune poteritis, procuret, & ſicut materia exigit, etiam importune, cujus perſonam & exhibitionem ſuppliciter vobis recommendamus. Deus omnipotens in his quæ pacis ſunt vos conſtanter perſeverare faciat, & finaliter pacis præmia vobis concedat æterna. Prædictus magiſter contenta in iſta littera, ſi placet, non mutata ſubſtantia, latius declarabit. Scriptum Pariſius, &c.

Sanctæ Romanæ eccleſiæ fidelis & devotus
Jo. quondam regis Francorum filius
dux Bituricenſis & Alverniæ, &c. comes.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. VII.

EPISTOLA INNOCENTII PAPÆ VII, ad Johannem ducem Bituricenſem.

Declarat per ſe non ſtare quin eccleſiæ pax & unio procuretur, falſa eſſe quæ a regis oratoribus relata ſunt aſſerit, ſeque ſemper legitimam amplexaturum viam ad unionem.

INNOCENTIUS, &c. dilecto filio JOHANNI duci Bituricenſi quondam regis Francorum filio, S. & A. B. Anno 1405. *Ex miſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

Quod pacem eccleſiæ totis affectibus quærimus, & in lege Domini ambulare cupimus, non ſolum Deus, qui videt ſecreta cordium,

teſtis eſt, verum etiam legationes noſtræ per varias orbis partes a nobis hujus rei gratia deſtinatæ. Neque enim eſt quiſquam viventium, ut putamus, qui hoc nefarium & deteſtabile ſchiſma per omne tempus magis abominatus ſit, magiſque unitatem & reintegrationem eccleſiæ tota mente cupierit. Hoc nos dum adhuc in minoribus eſſemus ardenter optavimus, & nunc per Dei gratiam in hoc loco conſtituti, eamdem mentem per Dei gratiam ſervamus, & huic teterrimo & peſtilenti morbo ſalutarem medelam afferre properamus; ita quod grata & accepta nobis fuerint ea quæ in epiſtola tua contra hoc peſtiferum & horrendum malum ſcripta legimus, cum membrorum officia totamque corporis myſtici compaginem inter ſe diffidere miſerabiliter deploraſti, & quanta mala ex hac peſte obvenirent multis verbis memoraſti, ut manifeſtum appareret cor tuum humile & contribulatum ſuper calamitate eccleſiæ vehementer compungi. O utinam hæc tanta mala, quæ jam tunc futura cernebantur, corda illorum ſimiliter compunxiſſent, & ad commiſerationem flexiſſent eos, qui auctores hujus diſſidii atque ſeditionis populo Dei ab initio fuerunt: qui ſi Salvatorem mundi Dominum ante oculos habuiſſent, ſi rationem atque bonitatem ſequi voluiſſent, ſacroſancta eccleſia Dei in præſentes calamitates numquam profecto incidiſſet, nec expediret nunc, ut tanta incommoda lugeremus. Etenim ſi unus, ut tua nobilitas ſcribit, etiam jus optimum habens, pro tam gravi ſcandalo vitando juri ſuo renuntiare tenetur; quanto magis illos contra leges feciſſe putandum eſt, qui cum viderent graviſſima ſcandala imminere & oritura eſſe, ad invalidam electionem ab initio ſchiſmatis in civitate Fundorum attentatam, quæ omnia turbatura manifeſtiſſime intelligebant, ambitione ducti convolarunt, & cum ſtando & nihil de jure ſuo remittendo pacem eccleſiæ conſervare poſſent, in alienum jus impetum faciendo, omnia diſcordiis & ſcandalis impleverunt. Et quando iſti homines pro vitando ſcandalo juri ſuo renuntiaſſent, qui nec jus ſuum retinendo quieſcere potuerunt? Tunc igitur debebat domus regalis inſurgere, tunc omnes Galliæ proceres ſe interponere, & ne tantum nefas committeretur prohibere. Hoc pium fuiſſet opus, hoc Deo acceptum. Nam qui non vetat peccare cum poſſit, jubet. Erat tunc facile naſcentem morbum opprimere; & qui ex regia domo erant, ne a majorum virtute degenerarent, putare debuerunt, id ad ſuam curam operamque pertinere. Quare laudanda nunc videtur nobis iſta tuæ mentis affectio, & circa pacem eccleſiæ ſollicitudo. Hæc enim res maxime convenit virtuti majorum tuorum, quos non ſine cauſa beatum Gregorium præclaris laudibus proſecutum arbitramur. Illud tamen diligenter & tibi & ceteris providendum eſt, ne ea pro veris teneatis, quæ a veritate longiſſime ſunt remota. Sæpe enim homines ea quæ numquam facta aut geſta ſunt aſſeverare parati, alios decipere, & in ſuam partem trahere conantur. Quod incommodum ut vitaretur, ſacris legibus diligentiſſime cautum ac proviſum eſt, ne prius quiſquam judicaret, quam utrimque eſſet res audita. Ad hæc ſcribenda non ſine cauſa movemur, ſuſpicando falſa pro veris ad tuam nobilitatem fuiſſe delata ab his, qui bonos potius videri, quam eſſe malunt. Nam quod ſcribis per oratores, qui ad præſentiam felicis recordationis Bonifacii papæ IX. prædeceſſoris noſtri venerunt, de renuntiatione facienda oblatum fuiſſe, id novit Altiſſimus Jesus Christus nullam habere in ſe veritatem. Nihil enim oratores illi umquam obtulerunt, præter unicam conventionis perſonalis viam; quæ tamen conventio ſi fieret, arbitramur omnia bene proceſſura, & quomodocumque expediret finem optatum habitura. Hanc viam cum prædeceſſor noſter adverſa corporis valitudine oppreſſus, ex qua infra paucos dies e vita migravit, adimplere nequiret, rogati dicti oratores, ut aliam viam offerre vellent, nullam omnino obtulerunt; ſed in eadem quam primo abſolute obtulerant, perſeverarunt. Hæc vivente prædeceſſore noſtro facta ſunt. Poſt mortem vero, cum omnium venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. cardinalium, de quorum numero tunc eramus, una eſſet mens, atque unus animi ardor, ad hoc peſtiferum ſchiſma extirpandum, unanimiter, Deo teſte, decreveramus, ſi illi ſufficiens mandatum ad reſignandum aut cedendum haberent, idque facere vellent, ſuperſedere nos in nova pontificis electione, donec, Deo auctore, ſalutaris proviſio ſuper hoc ſchiſmate fieret. Cum igitur hanc mentem præfatum collegium haberet, vocatis dictis oratoribus, inter quos etiam in caſu mortis prædeceſſoris noſtri, ſpecialia quædam ad dictum collegium habere unus eorum affirmabat, intentionem collegii expoſuimus, & ſi facultatem haberent, ut eccleſiam Dei tam dura peſte liberarent, adhortati ſumus. At illi reſponderunt, ſe mandatum ad eam rem non habere, nec id conſonum juri ſuo arbitrari. Itaque cum eos apertiſſime tergiverſantes collegium videret, ne ſub prætextu alienæ malitiæ, ſedes apoſtolica vacationis damnum pateretur, Dei nomine invocato, ad electionem novi pontificis, ſervatis ſolemnitatibus, proceſſit. Hæc ut narramus ita geſta ſunt, nec per noſtros umquam ſtetit, ſed per illos potuit tunc certe res componi, potuit tam horrendum ſcandalum, ſi ipſi voluiſſent, ab eccleſia Dei exſulare, paratæ erant noſtrorum omnium mentes, parati animi, paratæ voluntates; obtulerat ipſe Deus conficiendi idoneam facultatem, quam illi præſentes a nobis requiſiti repudiaverunt.

Hæ ſunt obligationes, hæ ſunt renunciationes, A quas illi forſitan inter inſcios homines magnifice jactant, & a noſtris ſpretas fuiſſe prædicant. Sed nihil tam facile eſt quam falſa prædicatione mentes audientium decipere, præſertim ubi contradictor non ſit, qui poſſit & falſa refellere, & veritatem docere. Sed jam illos relinquamus, & ad epiſtolam tuam redeamus, in qua partim de jure docere, partim ſimpliciter adhortari pergis. Sed exhortationes quidem majoris roboris ſunt quam ea quæ de jure diſceptas. Nam ſi ad veritatem oculos crigere tua nobilitas volet, nec ſeipſam affectione aliqua decipere, non apud noſtros, ſed apud alios invenies temeritate cer- B tantium electionem a principio factam. Nec tamen dicendum eſt, ut aliquorum temeritas ea quæ prius rite facta erant, ad irritum queat reducere. Nimia enim hoc modo erroribus hominum tribueretur licentia, niſi forte ſi pſeudo-prophetæ vel pſeudo-apoſtoli quidam extiterunt, qui populos ſeducerent, ea de cauſa veris prophetis & veris apoſtolis inſtitutum vitæ ſuæ deferendum fuit, ne quid ſcandali inter homines oriretur. Non enim ab apoſtolis & prophetis ſcandalum erat, ſed ab iis qui maligne alienam perſonam induti C populum ſeducebant. Quare ſi jus ſequimur, in eodem perſeverandum eſt. Sed tamen noſtrum conſilium ſemper fuit, ut ea faceremus, quæ & Altiſſimo Domino noſtro Jesu Christo magis placere, & populo ſuo magis prodeſſe putaremus. Semper enim hoc neſarium & abominabile ſcandalum deteſtati ſumus. Semper hanc noſtri ſæculi calamitatem deploravimus, & tot adverſitates in populo Dei videre doluimus. Horum malorum, eos qui cauſa & principium fuerunt, æquiſſimum D erat medicinam afferre : at ſi corda eorum obdurata ſunt, nec ſaltem poſt tot annorum curricula ſe reſpicere volunt, & in viam Domini redire; nos quod reliquum eſt temporibus obſequemur, ſperantes id quod ſcriptum eſt : *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus vero dat gratiam.* Itaque quantum ad nos attinet, univerſi qui Deum & pacem amant, bonam ſpem habere debent. Nam nulla umquam in nobis erit mora, quominus probabilibus & honeſtis modis eccleſia Dei pacem & tranquillitatem recipiat. Hac de cauſa jam ante ad principes atque univerſitates fidelium ora- E tores miſimus, eiſque propoſitum noſtræ mentis palam fecimus, & ut ipſi ad noſtram præſentiam venire aut oratores ſuos mittere vellent poſtulavimus, ut ſuper hac re ſalutaris proviſio fiat. Cupimus enim toto corde videre diem, in qua populus Dei tranquilla pace & unione gaudens, Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus, cantare poſſit. Datum Romæ, &c.

COPIA LITTERÆ DUCIS Bituricenſis miſſæ dominis cardinalibus tempore Innocentii VII.

Exemplum epiſtolæ ab ſe ad Innocentium VII. ſcriptæ mittit eis, hortaturque eccleſiæ unioni ut invigilent, nec procedant ad novi pontificis electionem, ſi contingat Innocentium mori.

Anno 1405. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

1 FRatres in Domino noſtro Jesu Christo, qui ſuis fidelibus dixiſſe legitur : *Vos omnes fratres eſtis*, illi domino cujus præ- B fidentiam accepiſtis, ſuper facto unionis eccleſiæ iterum ſcribimus per hæc verba : Homo de humo, limus de limo, qui de terra es, de terra vivis, & in terram reverteris, miſerere animæ tuæ placens Deo ; & ſicut Apoſtolus docuit, *Attende tibi & univerſo gregi.* Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes. Nam procul dubio mortem languentibus infligis, ſi eam, cum potes, non excludis. Ecce quod fideles Chriſti, ſex luſtris jam fere lapſis, incerto doctrinarum vento dor- C mitaverunt & dormierunt, fluctuantes & vagi, ſic quod alter alteri anathema fuit per contentionis incendium ; & quia in aſſumtionis tuæ primordio percepi eccleſiam Dei voto & juramentis pacis amœnitate componi, credidi quod portans facem & illuminans eccleſiam ipſam, pacem amiſſam quærere, turbatam componere, compertam efficaciter tenere veniſſes, & quod tempus placidum dediſſet nobis Deus, & poſt noctis tenebras floridum lumen, & poſt glaciem & nivem hiemis tranſeuntis, aurea nobis tempora & ſerena ſucceſſiſſent. Et quia nihil difficilius eſt quam differre gaudium, ut facta verbis compenſares, & eccleſiæ Dei pacem dares, cum quanta inſtantia potui, te per meas litteras excitavi. Nunc vero quia nihil umquam gravius quam deſtituta ſpes, torquet quando acies manus eſt & prælium glorioſi certaminis in proſecutione fervet, toto hortatu & pleno impetu ſunt militum vires excitandæ & omnium voces fidelium animandæ, te iterum, quem obdormiſſe ſuſpicor, verbis quibus poſſum evigi- E lo, ut leves in circuitu oculos tuos ut videas, & excitatus ſaltem pacem exquiras, dicens: Numquid qui obdormis non adjicies ut reſurgas ? Hoc enim ſchiſma peſtiferum Dominus evenire permiſit & patitur, manente propriæ voluntatis arbitrio, ut dum corda & mentes noſtras veritatis diſcrimen examinat, probatorum fides integra manifeſta luce clareſcat, ſic probantur fideles, ſic perfidi deteguntur : ſic & ante diem judicii hîc quoque juſtorum atque injuſtorum animæ dividuntur, & a frumento paleæ ſeparantur. Probes autem te ipſum homo, dic mihi ubi

sunt amatores mundi, qui nuper de papatu contendebant, & ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attende diligenter qui fuerunt homines: fuerunt sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & forsan in puncto, quia opera eorum sequuntur illos, ad inferna descenderunt. Hic caro illorum vermibus, illic ignibus anima eorum deputatur, donec rursus infelici collegio colligati, sempiternis involvantur incendiis. Qui eorum socii fuerunt in vitiis, socii erunt in pœnis: una namque pœna implicat, quos vivos amor in crimen ligat. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ divitiæ, magna familia, mala concupiscentia? De tanta lætitia quanta tristitia, post tantam voluptatem tam gravis miseria, de illa exultatione ceciderunt in magnam ruinam & magna tormenta. Quidquid illis accidit, tibi accidere potest, quando veniet dies ultima, quæ subito venit, & forsitan hodie erit. Certum est quod morieris, sed incertum est quando, & quo, vel ubi, quoniam mors ubique te expectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam. * O beata regio paradisi! o beata regio deliciarum, ad quam suspira de valle lacrymarum! ubi sapientia sine ignorantia, ubi memoria sine oblivione, ubi intellectus sine errore, ubi ratio sine obscuritate fulgebit. Beati qui habitant ibi. Nulla erit in futuro discordia, sed cuncta consona, cuncta convenientia, omnium sanctorum erit una concordia. Nullus ibi diaboli metus, nullæ insidiæ dæmonum. Futura vita ubi ipsa civitas, quæ est angelorum sanctorumque omnium. Congregatio enim beata meritis fulgentibus micat, æterna salus exuberat, veritas regnat. Ibi nec fallit quisquam, nec fallitur: unde nullus beatus ejicitur, ubi nullus miser admittitur.

* *supple* expectabis.

2. Et quia quod sine dilatione per juramentum accelerari debuerat, jam procrastinatur in annos, Christi fideles multi contra te non modicum murmurant. Si pax, dicunt, semper per istum prædicata, cum animi voluntate concordaret, & virtus devotionis in intimis istius hominis esset, omnis strepitus pravæ suggestionis abesset, & non iret sic per ambages. Et si is qui murmurat, secundum animam mortuus est, ille qui est in causa non vivit, immo reus est mortis illius & suæ. Nam gladium dat unde ambo moriuntur. Et non solum murmurant, sed vos ambos contendentes viri conscientiosi, maxime litterati, valde increpant. Ubi est, quæso, dicunt, quod Apostolus dicit: *Omnibus per omnia placeo; non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salventur. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et iterum: *Factus sum infirmus ut infirmos lucrarer.* Et alibi nos ammonet Apostolus, ut invicem nosmetipsos sustinea-

A B C D E

mus, nec ab unitate quam Deus constituit, recedamus. *Sustinentes*, inquit, *invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et Salvator in evangelio apostolis certantibus de primatu dixisse legitur: *Reges dominantur, vos autem non sic; sed qui voluerit esse major, fiat sicut minor.* Et de talibus scribitur: Qui desiderat primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo. Et Augustinus: Quando persona quæritur, & salus ecclesiæ sub alio potest esse tuta; tunc fugere debet prælatus. Ut quid dubitamus Redemtori nostro sacrificium illud humilitatis offerre? Nonne ipse de cœlo descendit, ut nos membra ejus essemus? Et nos, ne membra crudeli divisione lamententur, cur de cathedris descendere formidamus? Nonne fuerunt, inquit, episcopi, qui olim fecerunt schismata? Si populi non dividerentur, erubescerent utique ipsi in divisionibus suis, & ad compagem remearent. Sed dividuntur duces, dividuntur & plebes, ut cœci cœcos ducant, & omnes cadant in foveam. Quantus arrogantiæ tumor, quanta humilitatis oblivio, contra veritatem sacræ scripturæ, sacros canones, & doctrinam sanctorum doctorum, contra votum & juramentum, sic damnabiliter ecclesiam tenere in schismate... divitias siquidem & honores sollicitudo inseparabiliter comitantur. Mundi pompa & favor populi fumus est & aura subito evanescens. Quæ si plerumque placeant, pœnitudinem inducunt; & si delectent ad modicum, productiori spatio displicebunt.

3. Ille, inquit Isidorus, hæreticus est, qui rectam fidem tenere se simulat, sed traditiones patrum superbe contemnit, & per hoc ecclesiam dividit. Tales procul dubio contra sacramenta unitatem offendunt, & damnatam in hæresim dilabuntur. Hanc, inquit Cyprianus, unitatem qui non tenet, legem Dei non tenet, Patris & Filii fidem, vitam non tenet & salutem. Qui nec fraternam caritatem, neque ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat, amisit. Ideo Leo IV. luculentius & magna voce pronuntiare non timuit, quod qui sic canones contemnere convincitur, nec fidem catholicam, nec sancta quatuor evangelia efficaciter tenere probatur. Contumacia etiam talis in papa hæresis est. Nam peccatum ariolandi est non obedire, & scelus idololatriæ non acquiescere. Ille contra, quod est vehemens præsumtio, si schisma vel hæresim abjuret, & postea relabitur, sine quacumque audientia puniendus est tamquam hæreticus. Electores vero utriusque partis, quando electio præsidentis eorum facienda imminebat, quemlibet electum ad prosequendum unionem ecclesiæ sine dilatione, sine machinatione, etiam per viam cessionis voto & juramento solemniter astrinxerunt; qui vehementer suspicabantur, quod schisma fovendo, in prose-

cutione unionis, ſicut prædeceſſores, negligenter dormirent. Per hoc dicunt clerici plures, quod verum eſt dicere, quod vos ambo nunc contendentes, ſchiſma ſolemniter abjuraſtis.

4. Quid autem de ſolemniter abjurantibus & relapſis fieri debeat, tu ipſe perpende. Sapienti legem loquor, ſed ſæpe dum quoſdam major ſcientia erigit, a ceterorum ſocietate disjungit, & quaſi quo plus ſapiunt, eo a concordiæ virtute diſcipiſcunt. Sed hi, inquit Gregorius, audiant quid per ſemetipſum Veritas dicat: Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. Sal quippe ſine pace, virtutis non eſt donum, ſed damnationis argumentum. Quo enim melius ſapit, eo deterius delinquit, & idcirco inexcuſabiliter merebitur ſupplicium, quia prudenter, ſi voluiſſet, potuit vitare peccatum. Iſta & longe majora nunc ubique inter ſtudioſos currunt, quod medicorum eſt promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducantur in judicium eccleſiæ, diſtricte examinabuntur. Felices, inquit Salvianus, erunt artes, quando de illis ſoli artifices judicabunt. Noli tamen, rogo, ſacerdos Dei, propter hæc verba mea irritari. Nam amici non ſunt, qui blandimentis adulantibus palpant, ſed qui conſilio fortiori redarguunt. Errorem enim cum manſuetudine & fræno rationis compeſce, quæſo, & potius ad auxilium, quam ad convicium meditare. Sed ſi ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos inſurgere deriſionis odia formidamus; jam non lucra Dei, ſed noſtra quærimus. Monſtrat enim Seneca cujus penuria laborant magna faſtigia, & quia omnia poſſidentibus deſit unus, ſcilicet qui verum dicat. Ecce menſurabiles poſiti ſunt dies tui, ut ſcias quid deſit tibi. Et homo vanitati ſimilis factus eſt, nam dies ejus ſicut umbra prætereunt; & inter abuſiones hujus ſæculi ſola major eſt ſenis obſtinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret adventum. Quid ſtolidius fieri poteſt, ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendit, quando totius corporis habitus ſenectute confractus ad interitum properat? oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies pallore mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit, flatus non ſuaviter olet. Hæc omnia ruituram jamque domum corporis cito pronunciant. Quid ſupereſt, dum hujus vitæ defectus appropinquat, niſi cogitare quomodo aditus futuræ proſperitatis acquiras? Juvenibus etiam incertus eſt vitæ terminus. Senioribus vero cunctis maturior ex hac luce receſſus. Et inde Cyprianus plus omnibus religioni operam dare ſenibus convenit, quos præſentis ſæculi florida ætas tranſacta deſerit.

5. Eia ergo, miles Chriſti, da pacem eccleſiæ in diebus tuis, quia quando vita finietur neſcis: quæ cum finita fuerit, judex reſtat, miniſter, & carcer. Sed ſi in pace conſenſeris, pro judice invenies patrem, pro miniſtro angelum te extollentem in ſinu Abrahæ, & pro carcere paradiſum. Vereor autem ne te ſeducant ſermones adulatorum. Iſti ſunt qui in hypocriſi te ſalutant, habentes in labiis oſculum, jaculum in corde, & in occulta detractione venenum. Sedechiæ regi dictum eſt: *Viri pacifici te ſeduxerunt, & qui te glorificant in errorem ducunt.* Utinam caput tuum oleum peccatoris non impinguet. Clamat & dicit Dominus. *Noli audire ſermones pheudoprophetarum, quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Sunt enim*, dicit Eccleſiaſtes, *qui ſe nequiter humiliant, interiora eorum plena ſunt dolo.* Illorum, inquit Lactantius, eſt proprium fingere & mentiri, qui opes quærunt, & lucra deſiderant. Ecce prædicta ſequuntur, non hominem ad beneficia petenda properant. Non curant quo fine res terminetur. Sed quia diligunt munera, ſequuntur retributiones. Si tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris. Nude nuda loquor, non detego verenda, ſed inverecunda confuto. Nec decet gravem virum & ſemel ſupra petram robuſtam ſolida ſtabilitate fundatum, ab eo quod non ſine librata & ponderata ratione voto & juramento promiſſum eſt, non dicam aura levi, ſed nec vento aut turbine commoveri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus velut quibuſdam ventorum incurſantium flatibus frequenter ageretur, & a bono propoſito, quadam levitatis reprehenſione muretur, Paulus in anteriora extentus, eorum quæ retro ſunt oblitus fuerat, quia temporalia deſpiciens, quæ ſola ſunt æterna quærebat. Ea ergo quæ retro ſunt oblitus, ad anteriora te extendens, palmam ſupernæ vocationis acquire. Ab æmulo, ut opinor, inter nos tibi imponitur, quod cum tuis fratribus ſuper juramento de proſequendo unionem eccleſiæ per viam ceſſionis, ſicut luce clarius eſt expedire, recenter diſpenſaſti. O fruſtrandæ fraternitatis irriſio! Non eſſet hæc diſpenſatio, ſed damnabiliſſima, non ſine macula hæreſis, diſſipatio. Non fuit enim, etiam Petro data poteſtas ad deſtructionem eccleſiæ, ſed ad ædificationem. Nec cum ſedis privilegio licentiam peccandi recepit, ſed neceſſitatem bene faciendi. Hoc vere credere non poſſum, quia hæc eſt via, quam excellentiorem nominat apoſtolus ſanctus. Sicut enim ſine via nullus venit quo tendit: ita ſine caritate, ex qua procedit dicta via, non ambulare hodie poſſunt homines, ſed errare. Sed hoc eſt opus diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis bonum nomen infamet, ut qui concupiſcentiæ luce clareſcunt, alienis id eſt minoribus ſordidentur. Tota igitur mentis intentione ita lucrum animarum Deo facere feſtinato, ut digna te merces ante conſpectum

ejus in die retributionis inveniat. Nam adhuc de bonitate vestra non desperamus omnino, immo quod huc usque facere distulisti, consilio jam habito maturiori, perficies expectamus. Tale bonum est bonum pacis, & in rebus creatis nihil gratiosius solet audiri, nihil delectabilius concupisci, & nihil utilius possideri. Spiritus enim humanus numquam vivificat ecclesiæ membra, nisi fuerint in pace unita. Rogo igitur supplicter & devote, quatenus propter reverentiam Dei, me super prædictis & aliis quæ ad pacem sunt ecclesiæ per nuntios tuos aut litteras dare de bona intentione tua, aut sine alicujus mo- B ræ dispendio certificare velis. Nam pacem ecclesiæ inquirere & prosequi toto posse sum sincero corde paratus. Amator est enim salutis propriæ, qui vitat alienæ mortis incursum; & ipse providus, qui sollicitus est cladibus ceterorum; & Robertum tibi notum præsentium portitorem breviter expedire. Deus omnipotens ad pacem ecclesiæ te feliciter disponat, dispositum dirigat, & finaliter tribuat gloriam sempiternam.

6. Tenorem ergo hujus incompositæ litteræ, quæsumus sollicita cordis aure pensate, & ad vos ipsos introrsum recurrite; & si Deum C vere amatis, exquirite. Nec sibi quisquam credat animum bonum sufficere sine operis attestatione. Veniet profecto dies illa, in qua pastor pastorum apparebit, & uniuscujusque facta in publicum deducet. Si votum & juramentum super prosecutione unionis ecclesiæ per vos, qui hoc egistis, sic solemniter emissum in statera non dolosa, sed de scripturis sanctis appendatis, quantum horum transgressio ponderet clare percipietis. Os enim quod mentitur occidit animam, & quantum sanctius est quod juratur, tanto gravior est pœna perjurii. Si tamquam cardina- D les pars corporis hujus hominis estis, sicut in constitutione antiqua doctores notant, & ad latus ejus coadjutoris officium exercetis, facientes procul dubio culpam habebitis si quod potestis negligitis emendare. veritas quæ per vos non defensatur opprimitur, error cui non resistitur approbatur. Illum enim qui inter vos præsidet, ex debito officii arguendo, obsecrando, & increpando reducere tenemini, & ut faciat quod debet, opportune & importune instare, & Paulum qui Petro in fa- E cie restitit utiliter imitari. Quæ, inquit Hieronymus, est illa bonitas, unipartes & omnes in discrimen adducere. Hodie quippe qui sic paucis parcunt, univers æ ecclesiæ moliuntur interitum. Istis & aliis in parte nostra mature digestis, sit, Deo juvante, ut inde disposuimus, quod pro bono unionis est ad viam cessionis & erit omnino paratus, si consimiliter inter vos præsidens ad viam istam suum, sicut tenetur, velit præbere assensum. Ad hoc ergo incessanter omnes unanimiter laboremus, ut de labyrintho hujus schisma- A tis valeamus salubriter exire. Et si ante conclusionem optatam, nihil tamen de concurrentibus obmittendo, contingeret vestrum ab hac luce migrare, nolite cum participatione noverca justitiæ ad electionem procedere, sed per tempus conveniens cum discretione matre virtutum expectate. Nam si ita contingeret, per renunciationem nostri & electionem communem indubitanter haberemus pacem ecclesiæ. Et si vice versa nostrum mori contingeret, indubitanter nostrum collegium consimiliter expectaret. Rogamus igitur vos quatenus ob reverentiam B Dei, ad ista quantum efficacius poteritis laborare non obmittatis, & quid super prædictis intenditis, nobis scribere per præsentium portitorem, vel alias per nuncium significare. Nullum enim omnipotenti Deo tale sacrificium sicut zelus bonus pro salute animarum, & illo teste qui nihil ignorat in his quæ ad pacem sunt ecclesiæ, sumus & erimus cum sinceritate cordis laborare parati, & omnipotentem Deum precamur, ut sicut sua gratia vos creavit, ita laborando in hac causa in omnibus sua protectione vos custodiat. Scriptum Parisius, &c.

Sanctæ Romanæ ecclesiæ fidelis & devolus JOHANNES quondam regis Francorum filius, dux Bituricensis, &c.

PRIMA PROPOSITIO (a) PATRIARCHÆ facta XXII. *præsentibus dominis rege Navarræ, ducibus Bituriæ, Burgundiæ, Aurelianensi, Borbonii, comite Maternensi, & multitudine prælatorum & cleri copiosa.* [a]

1. HOc pertinet ad reges sæculi christianos, ut suis temporibus pacatam esse velint matrem suam ecclesiam, unde specialiter nati sunt in cap. *quando* XXIV. q. Unde ad omnes reges & alios principes sæculi pertinet extirpare schisma, ad hoc habent potestatem, quia propter hoc est eis datus gladius, ad hoc obligantur, nec debent ab hoc quacumque occasione vel causa retrahi, in cap. *principes*, & c. *non vos* XXIII. q. Hoc specialiter fecerunt retroactis temporibus reges Francorum, specialiter Pipinus, Carolus-Magnus, & multi alii, qui multa schismata sedarunt, & multos summos pontifices expulsos de sede restituerunt, utpote Sergium, Benedictum IX. Alexandrum, & plures alios. Quandoque etiam vacationi sedis occurrerunt & fecerunt ibi providere de pastore, quod alias erat multum difficile, ut PHILIPPUS LONGUS post mortem CLEMENTIS V. Quandoque papam errantem reduxerunt ad viam veritatis, ut JOHANNEM XXII. cui in fide erranti rex misit certos magistros in theologia & certos do- *Ex ms. S. Laurentii Leodiensis.*

(a) Simonis *de Cramaud* scilicet Alexandrini patriarchæ qui fuit etiam episcopus Pictavensis, administrator Carcassonensis, ac postea archiepiscopus Remensis ac cardinalis.

ctores

ctores, & reductus eſt ad veritatem aliquorum errorum quos tenebat. In initio autem præſentis ſchiſmatis nunc, proh dolor! vigentis, rex (a) KAROLUS ſummam fecit diligentiam, ut apparuit in declaratione ſua, & aliis quæ fecit pro cardinalibus, qui erant ultra montes. Deinde dominus rex modernus ante mortem domini CLEMENTIS, videns quod ſchiſma nimis durabat, voluit quod videretur via, per quam poſſet ſedari, & fuerunt ordinati certi tam de univerſitate, quam de conſilio ſuo, & reperierunt certas vias, & ſpecialiter viam ceſſionis, & ordinavit quod dictus dominus CLEMENS ſummaretur, qui tamen fuit morte præventus. Sed quare non reſtituit vi ſuum papam, ſicut fecit alios? Dico quod hoc non poteſt fieri, quia ſchiſma eſt magis coloratum & magis radicatum, & habet magnam adhæſionem. Exinde dominus BENEDICTUS aſſumtus, qui exiſtens cardinalis, fuit hic legatus ſuper facto ſchiſmatis, qui ut probus & valens vir ſe habuit, & viam ceſſionis multum laudavit, & multum eam dixit. Aſſumtus denique miſit hic nuncios ſuos ad regem, videlicet dominum Avenionenſem & PETRUM BLAVI, nunc cardinalem S. Angeli, rogando regem, ut vellet deliberare vias ſuper unione eccleſiæ, & mittere ſibi certas perſonas, cum quibus poſſet ſecure deliberare viam & modum proſequendi unionem. Quo audito, rex mandavit hic prælatos, qui deliberaverunt viam ceſſionis. Deinde miſit ibi dominus rex duces, qui multum humiliter rogaverunt eum de via ceſſionis, & habuerunt multos tractatus cum eo, & finaliter noluit condeſcendere, quamquam ad hoc teneretur tam propter brevitatem viæ, quia brevior & ſecurior, quam virtute juramenti per eum præſtiti, ut apparet ex cedula conclavis, ex qua oportet eum dicere perjurum. Aut enim eſt clarum, quod juramentum eſt licitum & eſt obſervandum, aut eſt dubium, & in dubio eſt etiam ſervandum juxta nº. 3. c. *Venerabilem* de electione &c. Sed opponetur mihi quod juramentum non liget eum, nuncque mutavit ſtatum. Dico quod hoc non ſolvit eum a juramento, ut patet de juramento facto per canonicum factum epiſcopum, &c. 8. q. 3. in ſumma.

2. Item, opponetur mihi quia via ceſſionis nunc non eſt in ordine ſuo. Dico quod ſtatim facta per cardinales condicio juramenti eſt primificata, & ita eſt in ordine ſuo, & ita juramentum ligat eum, & ſic cum ſit perjurus, non debet ſibi obediri, cum tale juramentum vergat in deſtructionem univerſalis eccleſiæ. Nota quod Innocentius, qui fuit papa in 3. quæſt. in fine de ſententia excom. de declaratione dominorum cardinalium conſtat per inſtrumentum, licet non fuerit ſigillatum, quia papa impedivit, & etiam de requiſitione facta in præſentia dominorum ducum, conſtat per inſtrumentum ſignatum per magiſtrum Gonterum ſecretarium regium, & etiam ſuper hanc viam ſummaverunt papam alii principes, ſcilicet Hiſpaniæ, Aragoniæ, & Navarræ, & etiam Angliæ, qui eſt de obedientia intruſi, qui plaudit viæ ceſſionis, ut patet per inſtructiones nuntiorum ſuorum hic miſſorum. Hanc etiam voluerunt communitates & civitates Italiæ, ſcilicet Janua, Florentia, Padua & aliæ, & ſuper hoc rex laboravit, quia miſit me, & quoſdam alios ad reges Caſtellæ, Aragoniæ, & Navarræ; dominum Belvacenſem quondam & quoſdam alios ad reges Romanorum, Ungariæ & duces Alamaniæ; & deinde ego fui iterato ad regem Romanorum, & finaliter intendit ſummari utrumque ſuper via ceſſionis, & rex Caſtellæ in via ſubtractionis, ut patet per litteras ſuas hic miſſas ad regem. Iſta eſt ergo cauſa, quare rex vocavit vos, ſcilicet an via ceſſionis debeat pratticari per modum ſubtractionis, vel qualiter, & quamquam rex de ſe poſſet hoc facere, ipſe vult habere deliberationem vobiſcum, & pro Deo eſtote diligentes, quia in caſu negligentiæ rex ordinabit, ut ſibi videbitur. Inhibetur tamen vobis ex parte regis & dominorum, quod nullus audeat diſceptare ſuper via ceſſionis diſceptive, alias per ipſum electa. Rex mandabit, quando & quod ſi videbitur, & conſultabit ſuper materia. Deinde ſurrexit quidam Hiſpanus & rogavit hic omnes præſentes, quod vellent conſulere regi, ut eſſet unanimis in via ſubtractionis cum rege Caſtellæ domino ſuo. Cedula conclavis, declaratio & requiſitio cardinalium, inſtructio ambaſſiatorum regis Angliæ, & littera regis Caſtellæ fuit lecta in præſentia concilii. Motivis ſequentibus perſuadetur ſubtractionem fore fiendam. Pro quo eſt primo ſic præſupponendum, quod de neceſſitate ſalutis eſt habere unionem eccleſiæ, & tenere unum verum vicarium Chriſti in eccleſia *Veſtram ſanctam*, in c. *nulli fas* 19. d. ratio quia cum ea quæ ſunt juridictionis dependeant a papa c. *In illis* 80. d. illi qui obediunt intruſo, cum non poſſit abſolvere nec ligare, & ita etiam diſpenſare, in c. *Audiamus* 24. q. non ſunt ſine periculo damnationis: ex quo ulterius ſequitur quod ad principes ſæculares pertinet procurare unionem & ſchiſma extirpare in c. *Principes* 23. q. vel c. *Ubi non legiſtis* 96. d. in no. ſub pœna peccati mortalis obligantur c. *Relegentes*, in c. *Ibi utimur*, &c. tunc ſicut principes habent poteſtatem uniendi eccleſiam, eis injungitur ſub pœna peccati mortalis erga hanc poteſtatem faciendi omnia quæ ſunt neceſſaria ad illud in l. 2. ff. de jure omnium judicum. Alias juriſdictio eſſet deriſoria, & nihil valeret l. 1. in principio ff. Si quis juriſdicenti non obtemperaverit l. 3. c. *Poſt originem* ff. de origine juris, & obliga-

(a) Carolus V. cui anno 1380. ſucceſſit Carolus VI. qui tum regnabat.

rentur ad peccatum ſive culpam, quod non A eſt dicendum. Ultra, quilibet de neceſſitate ſalutis tenetur procurare unionem, & amovere omnia quæ nutriunt ſchiſma. Ergo multo magis principio. Cuilibet ad conſervationem unitatis eccleſiæ datus eſt gladius c. *quando* 23. q. &c. & ſic patet fundata poteſtas principum.

3. Sed quod per medium ſubtractionis debet procedere ad unionem eccleſiæ, & quod propterea poſſit & omnino debuit ſubtrahi obedientia prima, & ſic ſecunda, eſt præſupponendus tenor cedulæ conclavis per papam juratæ arbitramentis dominorum cardinalium ſuper ea, & requiſitio ſubſecuta, requiſitio regum totius iſtius obedientiæ, & Angliæ reſponſiones, & legationes principum factæ: ex quibus eſt notorium, quod ipſe verbo & opere reſutat viam ceſſionis & impedit. Ubi aliquis perjurus eſt publice, pertinaciter, & incorrigibiliter, non eſt ſibi obediendum c. *Sacerdotes*, &c. Sed certum eſt quod papa eſt notorie perjurus, quia juravit viam ceſſionis. Ergo non debet ſibi obediri.

4. Item, ubi aliquis eſt ſuſpectus de fautoria ſchiſmatis, non debet ſibi obediri. Papa eſt ſuſpectus de fautoria ſchiſmatis, immo publicus fautor. Ergo, &c. c. *Alienus* 24. q. 1. Quod ſit fautor patet, quia refutat viam ceſſionis, quæ eſt unica ad viam unionis, præſertim ex quo eſt concluſa per obedientiam ſuam, cui ſe tenetur conformare c. *Omnibus conſideratis* 24. q. 1. alias ſchiſma. Et poteſt proinde recedi ab eo ac ſi eſſet hæreticus manifeſtus c. *Non aſſeramus* 24. q. 1. c. *Sicut quævis* cum gloſſa 96. d. Item ubi duo eliguntur, quorum electio eſt nulla, vel ſaltem dubia, uterque debet expelli c. *Si duo forte* 79. d. præſertim ubi gereretur ſcandalum c. *ſi cum* gloſſa 63. d. Ergo etiam ſine jure papa tenetur cedere, alias de facto poteſt expelli ſecundum hoc dictum S. Auguſtini in libro de doctrina chriſtiana, ubi dicit, quod ubi duo contendunt de pontificatu & ambo ſunt duræ cervicis, & neuter vult ſe ſubdere rationi, uterque debet expelli. Item, ubi ſunt plures domini intermedii, ſi medius eſt infidelis ſuperiori, inferiores debent obedire ſuperiori, & non medio infideli; ſed certum eſt quod papa degenerans eſt infidelis domino ſuo Chriſto, cui juravit. Ergo debemus obedire Chriſto, qui eſt caput & ſponſus eccleſiæ militantis, juxta no. in c. *Ne Romani* extra de elec. in Cle. non vero vicario ſuo papæ ſibi infideli & degeneranti. Item, papa videns concluſionem principum ſtatus eccleſiæ, non cedendo ſcandalizat eccleſiam, ergo ad ſedandum ſcandalum ipſe tenetur cedere, præſertim cum hoc ſit ſcandalum puſillo, & non cedendo publice & pertinaciter, peccat c. *Niſi cum*, &c. Principes cum bono zelo & favore fidei ad hanc viam ceſſionis ſe determinaverunt; & ſic eſt ſcandalum puſillorum, & ſic ſcandalizat obedientiam ſuam, cui ſe tenetur conformare in omnibus conſideratis 23. q. 1. Et ſic cum ſit in peccato pertinaciter & ſcandaloſe, poteſt ab eo recedi, in c. *Si propria* cum gloſſa 40. d.

5. Item, ubi prælatus eſt malus vel diſcolus, faciendo contra ſubſtantialia & eſſentialia ſui officii, non eſt ſibi obediendum, quia magis tenemur obedire eccleſiæ, quam prælato 1. ff. *de relig. & ſumtibus funeris.* Cum papa teneat eccleſiam in ſchiſmate & culpa ſua, non debet ſibi obediri, quia in malis præceptis non eſſet ſibi obtemperandum, juxta B notata per Innocentium in c. *In acquiſitione ſi* extra de ſen.

6. Item, ubi papa eſt ſuſpectus de hæreſi, poteſt ab eo recedi in c. *Anaſtaſius* 19. d. Ergo multo fortius ubi eſt notorium, ut in caſu noſtro, quia notorium eſt quod papa eſt perjurus, & colluſit cum intruſo, & impedit ceſſionem verbo & facto, mittendo ad intruſum, ad regem Alamanniæ & alios principes, ſic per conſequens unionem, &c.

7. Item, ubi princeps deſtruit, dilacerat & diſſipat ſtatum reipublicæ notorie, debet C interdici adminiſtratio tamquam prodigo, immo ipſam perdit ipſo jure juxta not. in l. *is cui* ff. *de teſtamentis.* Faciunt notata per Innocentium in c. *Si extra de ſuper neglexit*, in c. *Si quis autem* Inſtitu. de ſuſpectis tutoribus, in c. *Si quis presbyterorum* de rebus eccleſiæ non alienandis. Papa tenendo eccleſiam in ſchiſmate deſtruit univerſalem ſtatum eccleſiæ. Ergo ſic privatus eſt adminiſtratione.

8. Item, principes tenentur ſervare eccleſiam ſui territorii in ſua primitiva libertate, & cavere quod non opprimatur, præſertim D a papa qui non habet ſuperiorem; & ad hæc teneretur rex de jure communi, & ratione juramenti præfati in coronatione ſua, & ita papæ occupanti collationes, procurationes, &c. non eſt obediendum. Faciunt notata per Innocentium c. inquiſitioni ab eo. Non obſtat ſi dicatur: Ipſe in his in quibus poteſt judicari; a ſolo concilio judicatur, & non ab alio: quod dico quoniam ubi notorium eſt notorietate actus permanentis, non requiritur ſententia ſive declaratio cap. *Quanto* & ibi not. per Innocentium de tranſlatione epiſcopi, vel c. *Ex parte* de verborum ſignif. facit c. E *Acacio* 24. q. 1. &c. quia ſententia & manifeſtata æquiparantur. In l. emptorie ff. de actionibus empti. Nunc notorium eſt papam perjurum, & per conſequens fautorem ſchiſmatis, quia juramentum erat factum in favorem unionis, & ſic per perjurium fovet ſchiſma, & per conſequens hæreticus, quia inveteratum ſchiſma, &c. Item, ipſe hic non judicatur, ſed abigitur, ut ſe corrigat, ut fuit factum de Anaſtaſio II. & de pluribus aliis. Immo quo ad ſcientiam, non poteſt ſtari in ejus obedientia, quia eſſet ipſum fovere in malitia ſua & peccato. Nam obſtat ſi dicatur

quod cardinales non arbitrati ſunt rite, quia parte non vocata, in præſentia ſua deliberarunt hanc viam; nec recte, quia propoſuerunt viam ceſſionis, quod facere non debuerunt, &c.

Hic in mſ. intermedius locus eſt vacuus: unde conjicio ſequentia eſſe alterius, forte domini S. Pontii.

1. Primo dicit quia de neceſſitate ſalutis debemus habere unionem & papam unicum, ut in c. *Nulli fas*, & c. *Unam ſanctam*, & c. *Audivimus*. Ergo videte in quali periculo ſunt illi, qui obediunt intruſo, propter abſolutiones & diſpenſationes, quia ea quæ ſunt juriſdictionis dependent a papa. Item, quod dominus noſter papa eſt vicarius Chriſti, & pari modo Romani prætendunt & credunt, quod eorum intruſus ſit vicarius Chriſti: quare conveniens eſt quod ipſos reducamus ad unitatem. Facit 7. q. 1. *Novatianus* 24. q. 1.

2. Item, error populi in hoc eſt maxime, qui error eſt ſufficiens cauſa ſubtractionis. Quia magnum ſcandalum non poteſt ceſſare ſine alio ſcandalo, quia regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & fides Chriſti ſive lex noſtra debilior eſt propter ſchiſma, ut in c. *Si ea*. Et legitur quod lex Machometi incœpit propter duos contendentes. Item, diviſio Græcorum propter papam, qui ab eis plus exigere volebat, quam debebat vel neceſſarium erat. Et dicit S. Hieronymus quod tempus fuit, quod omnes a modo erant & fuerunt Chriſtiani, ut in c. *Legimus*. Item, quod cardinales in conclavi fecerunt unam cedulam, & juraverunt ad ſancta Dei evangelia ſervare in ea contenta. Continetur, &c. Item, quia dominus noſter papa ſolemniter fuit requiſitus per reges Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Navarræ, ut contenta in cedula adimpleret, & ceſſioni ſe offeret. Quid dominus noſter reſpondit? Dedit viam conventionis, quæ non valet, potiſſime quia non exprimitur ſuper quo debet fieri conventio.

3. Item, dicit patriarcha, quod papa recuſavit viam ceſſionis, dicendo quod non eſt juridica, & aliàs fuit reprobata. Item, quod dominis noſtris regalibus exiſtentibus in Avenione, rogaverunt cardinales & totum collegium, ut dominum noſtrum requirerent, quatenus viam ceſſionis acceptare dignaretur, qui fuit requiſitus per priorem collegii; ſed tamen renuit. Item, quod domini regales requiſierunt cardinales, quod in cedula darent viam, per quam eis videbatur, quod ad unionem eſſet procedendum: qui reſponderunt, quod via ceſſionis eſt bona, & ſancta, & ſufficiens, & decens. Item, quod cedulam conclavis oſtenderent, fuerunt requiſiti domini cardinales; ſed dominus noſter inhibuit quod nullam. Item, ipſe fecit proteſtationem, quod ſi contingeret ipſum facere aliquid, per quod videretur viam ceſſionis approbare, quod illud habet pro non facto.

4. Item, reſpondit ad hoc quod aſſeritur, quod illi qui conſulunt viam ceſſionis, vel etiam ſubſtractionis faciendæ, ſunt perjuri; quod prælati ſunt primo obligati ſic multum Deo, cujus modo cauſa agitur, quod ipſe facit cap. *Ego enim* de jurejurando: quare primo eſt obediendum regi, qui cauſam Dei agit. quod ipſi & quod illi qui conſulunt viam ceſſionis, benefaciunt; ſed aliàs poſſent dici fautores ſchiſmatis, &c.

5. Item, dicit patriarcha quod dolenter recitat, quod ſit ſchiſma in eccleſia Dei, & quod bona remedia aliàs data in ſedatione ſchiſmatis, debent apponi. Et dicit quod debet recipi remedium, quod fuit tempore Honorii, quo fuit ordinatum, quod ambo condecenter deponerentur. in cap. *Si duo* 79. d. & ponit intellectum Hug. & gloſſa decreti poſitis in cap. *Si.* 63. d.

6. Item, quod ambæ partes contendentium ſunt duri & fortes, ambo debent deponi, ſecundum Auguſtinum de Doctrina Chriſtiana. Item, in ſimili habemus, quod perplexitas actum vitiat, ut L. *Sunt duo Titii.* de re jud. & L. *Si fuerint duo.*

7. Item, fatetur quod papa CLEMENS habebat jus in papatu, ſed quando videtur duritia intruſi, papa debet & tenetur condeſcendere ad viam ceſſionis; aliàs habet locum cap. *Nulli fas.* & maxime in caſu præſenti, & per conſequens debet fieri ſubſtractio.

8. Item, papa refutavit viam ceſſionis, & per conſequens tale jus quod habuit, perdidit. Facit cap. *Si petere* Spo & c. *Indigne* XII. q. ultima. Item, qui obediret papæ, timendum eſſet de pœnis poſitis in cap. *Minore domini.* Poſtmodum facit patriarcha proteſtationes ſuas, & dicit, quod diligit honorem domini BENEDICTI, & gaviſus fuit quod fuit ad papatum aſſumtus, & conſiderans quod per ipſum haberemus unionem in eccleſia, etiam proceſſit, prout aliàs proprio ore ſibi dicit, & mirabatur de domino CLEMENTE, qui tamen viam Univerſitatis abhorrebat, quia ipſe ſi fuiſſet papa, & haberet mille papatus, cederet libenter.

9. Item, reſpondit patriarcha concluſionibus poſitis per dominum ſancti Pontii, videlicet quod dominus noſter papa negando viam ceſſionis, facit contra ſtatum univerſalis eccleſiæ, & per conſequens non debet ei obediri. Probatur, quia dicit S. Gregorius, quod ille eſt deſtructor qui facit res ſcandali, & eſt magiſter erroris & non veritatis. Papa eſt hujus generis. Item, dicit quod Petrus Bertrandi movet unam quæſtionem, in qua quærit ſi papa vellet alienare majorem patriarchatum eccleſiæ, an eſſet ei obediendum? & determinat quod non. ut in cap. *Non liceat* 12. q. 6. & dicit Apoſtolus 2. Cor. ut dicit

etiam Paulus 2. q. 6. Paulus Petrum reprehendit, dicit & facit cap. *An Balaam heri* pro parte adversa allegat. Item Jo. no. Hostiensis t. *Inquisitionis* dicit, quod dubium est an animo sit perjurus vel non. In dubio debet servari juramentum, videlicet utrum papa debeat acceptare cessionem vigore cedulæ conclavis. Si non acceptet, est perjurus, ut est animal, quia concludit, quod via cessionis oblata est justa, & per principes & cardinales servari debet. Item, ad hoc quod alii dicunt, quod non est tempus quod fiat substractio &c. respondetur quod rex servavit solemnitatem; & si peccavit, habet locum in ipsum, ut notat glossa in cap. *Si papa* in tit. *Si proposuit* in fun. so. lecte. videlicet impium videatur totum contrarium.

10. Item, dicit quod casus intermedius in cap. *Auferatur* 24. q. 1. & accitat de tempore Anastasii in cap. *Anastasius* 19. d.

11. Item, dicit patriarcha quod non petitur ut cedat, nisi quod offerat se cessurum, in casu quod intrusus cedere voluerit, & interim obediatur ei.

12. Item, aliqua ratione papa tenetur cedere propter scandalum vitandum, ut in cap. *Cum pridem.* pro quo vitando scandalo *de renunciatione.* & dicit Innocentius, quod papa potest compellere, licet debeat sibi in alio compensare, quia dico quod cardinales non potuerunt & debuerunt meliorem viam proponere, cum ista sit melior, immo solam hanc debuerit proponere Benedictus. Ultra papa juravit omnes vias rationabiles. Ergo istam. Ergo cardinales potuerunt istam eligere. Ultra quia ista verba, *etiam usque ad cessionem*, sic fuerunt apposita ad declarationem ac additionem, ad augmentum habetur dictum, ut aliquid adderet ultra jus commune, non propter, ut patet secundum Gregorium, propter....ultra contrarium, non discussio. Aliis viis tenetur statim ad cessionem, quia sine juramento post discussionem aliarum viarum teneretur.

13. Item, tale juramentum debet intelligi secundum mentem cardinalium, &c.

COPIA LITTERÆ PER DOMINOS cardinales de parte Gregorii missæ domino Benedicto.

Gregorio renunciare papatui parato, hortantur Benedictum, ut dandæ ecclesiæ paci cum effectu laboret.

Anno 1406. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin & monasterii sancti Laurentii Leodiensis.*

MIseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales cum desiderio R. in Christo domino PETRO DE LUNA, quem nonnulli in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum.

Qui cælestia simul & terrena ex throno suæ ineffabilis potentiæ moderatur, misertus calamitatum Christiani populi, quem suo sacratissimo redemit sanguine, viam aperuit & paravit, ut oculos piæ ac salutaris considerationis & provisionis possitis erga salutem dicti populi, tantis hactenus ex lugubri schismate miseriis lacessiti, ut debetis quidem, aperire. Nam sanctissimus dominus noster, dominus GREGORIUS papa XII. prout ex serie litterarum ejusdem vobis directarum, quarum copiam intercluſam præsentibus destinamus, juxta vota & conventiones in conclavi intra collegium nostrum, de quo erat, ante assumtionem suam concorditer emissa ac celebrata, & post assumtionem suam per eum confirmata & propria manu subscripta, prout patet serioſius in publicis documentis, & vobis liquere poterit pro pace ac salute christianæ religionis, quamvis clarissimum jus & verissimum habeat, offert se paratum cedere juri suo & papatui modo & forma in prædictis litteris denotatis, & ad omnem viam rationabilem, per quam dictum tollatur schisma, & unio in Christianorum ecclesia desiderabilis subsequatur, nec eligere, nec assumere aliquem cardinalem, nisi prout in ipsis litteris contentum est. Quare vos tota cordium nostrorum affectione requirimus, & per misericordiam Domini nostri JESU CHRISTI precamur ab intimis, quatenus jam tamdem pio compatientes affectu tantis calamitatibus & populo, hujusmodi placeat salutaris considerationis & piæ provisionis affectus extendere, & ad remotionem dicti schismatis, ex quo tam promta vobis & sancta dispositione ejusdem Domini nostri occasio est oblata, effectualiter pervenire. Venit enim tempus acceptabile, ac salutis dies, in quo si assertæ plerumque & oblatæ ac promissa etiam, ut vovimus & jurata operum ab effectu volueritis comprobare, patebit aditus ad rem gerendam, & salutaris dicto populo conclusio desiderabilis unionis, divina favente clementia, cujus res agitur, procul dubio subsequetur; ad quod, novit scrutator almus cordium, suprema desideria nostra tendunt. Christus omnipotens indirecta dirigens, & convertens aspera in vias planas, mentem vestram & omni Christianorum aspersione roris sui cælestis luminis ita vivificet ac illustret, ut corda Christianorum tantis afflicta incommodis, refici valeant dulcedine tanti boni. Datum Romæ in palatio apostolico XI. die assumtionis præfati domini nostri, X. vero Decembris MCCCCVI.

COPIA LITTERÆ PER DOMINOS cardinales de parte Gregorii, dominis cardinalibus ex parte Benedicti directæ.

Ejusdem argumenti.

MIseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales cum desiderio R. universis & singulis pro cardinalibus PETRI DE LUNA, quem nonnulli in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis unionis affectum.

Qui cœlestia simul & terrena ex throno suæ ineffabilis potentiæ moderatur, &c. *ut in præcedenti usque* Quare vos tota cordium nostrorum affectione requirimus, & per misericordiam Domini nostri JESU CHRISTI precamur ab intimis, quatenus jam tamdem pio compatientes affectu tantis calamitatibus & populo, hujusmodi placeat considerationis & piæ provisionis affectus extendere, & cum præfato Petro adversario dicti domini nostri, vestroque domino.... Exposcit enim necessitas, ac publicæ utilitatis ratio persuadet, jam de somno surgere, tota cordium affectione & effectiva exsecutione opem & operam divinitati & humanitati acceptissimas ac profuturas modis omnibus adhibere circa remotionem dicti schismatis, ex quo tam promta sibi & vobis ex sancta dispositione ejusdem Domini nostri occasio est oblata, & de hoc effectualiter pervenire. Venit enim tempus acceptabile, &c. *ut supra usque ad finem.*

Responsio cardinalium Benedicti ad præcedentem extat apud Theodericum de Niem *in Nemoris unionis via, tract.* 1. *cap.* 6.

LITTERA

Missa per dominos cardinales imperatori post electionem Gregorii.

De electione Gregorii papæ XII.

anno 1406. *Ex mss. illustrissimi domini Chaucelin.*

SEreniſſimo principi domino RUPERTO regi Romanorum illustri, miseratione divina S. R. E. cardinales, salutem in Domino sempiternam.

Tenentes indubie serenitatem vestram tota cordis affectione desiderabiliter affectare, ut miserabile Christi fidelibus ac pestiferum schisma tollatur de medio, & in sacrosancta ecclesia subsequatur desiderabilis unionis integritas, quæ post obitum ac solemnes exsequias felicis recordationis domini INNOCENTII papæ VII. ab hujus vitæ mortalitate subtracti, die vero VI. Novembris proxime præteriti, per nos circa præmissa ac electionem summi & futuri pontificis, ejusdem INNOCENTII successoris celebrata fuerunt, quamvis SS. dominus noster, dominus GREGORIUS ea notificet; nihilominus sub compendio decrevimus intimare. Defuncto siquidem eodem INNOCENTIO, celebratis de more exsequiis, ac illius corpore in basilica principis apostolorum de Urbe depositio, implorata Spiritus-sancti gratia, conclavi in palatio apostolico mox omnes intravimus, & ante omnia de divinæ pietatis misericordi omnipotentia confidentes, & exoptantes innumeris calamitatibus & pressuris Christianitatis tam lacrymabiliter ex diuturno dicti schismatis morbo afflictæ, quantum in nobis esset, finem imponere, unanimiter & concorditer nonnulla vovimus, alias obligando & jurando promisimus, & maxime si quis nostrum assumtus esset ad apicem summi apostolatus, pro integratione unitatis Christianorum, renunciaret effectualiter juri suo & papatui pure, libere & simpliciter, si & quando assumti adversarius qui est, & qui pro tempore esset, consimiliter renuntiaret & cederet prærensis juri suo & papatui, sive decederet, dummodo illi qui apud dictum adversarium pro cardinalibus se gerunt, effectualiter vellent cum collegio nostro sic convenire & concordare, quod ex hoc collegio & ipso sequatur juste canonica electio unici summi Romani pontificis, ac etiam promitteret simpliciter, ut præfertur, quod pendente tractatu unionis hujusmodi effectualiter & realiter ex utraque parte, non crearet nec faceret aliquem cardinalem, nisi causa coæquandi numeri sui collegii cum numero illorum gerentium se pro cardinalibus adversarii supradicti, nisi ex defectu steterit adversæ partis, quod unionis præfatæ conclusio infra annum & tres menses a die suæ inthronisationis computandos non fuerit subsecuta: quo casu eidem licerer cardinales eligere & creare, prout pro statu sanctæ matris ecclesiæ eidem videbitur convenire, prout de præmissis & aliis conventis latius patet in publicis documentis, manu cujuslibet nostrum etiam subscriptis, ad majorem valitudinem præmissorum. Quibus solemniter celebratis, post solemnes futuri pontificis electionis tractatus, illo divinitus inspirante, qui cuncta perpetua ratione gubernat, vota nostra in reverendissimum in Christo patrem & dominum, ex nostro collegio, dominum ANGELUM tituli S. Marci presbyterum cardinalem, confratremque nostrum, ad culmen dignitatis apostolicæ, post divinæ gratiæ munera, universis ejus exigentibus meritis, nec immerito ascensurum, nemine discrepante, direximus, ipsumque confratrem nostrum die ultima Novembris in dominum nostrum elegimus atque patrem. Tandem post reluctationem & condescentionem ad vota nostra eligentem se G. XII. appellari; quem cum adoravissemus, inthronizavimus, & mox coronationis insigniis decoravimus, juxta morem. Qui post inthronizationem

ipſam, omnia & ſingula per nos & ipſum tunc fratrem noſtrum conventa & firmata confirmavit & denuo vovit, promiſit conſimiliter, & juravit, propriaque manu ſubſcripſit inde confecta publica documenta, prout in ipſis latiſſime continetur. Quæ ideo præfatæ ſerenitati veſtræ intimare decrevimus, ut iis cognitis, de pace & unitate præfatæ eccleſiæ bonam ſpem poſſitis ſuſcipere, & de promotione hujuſmodi collætari. Nam profecto confidimus tempus adveniſſe acceptabile, in quo anxia Chriſtianorum vota complebuntur. In ceteris autem rebus, quæ ad eamdem ſerenitatem veſtram ac veſtros attinent, nos offerimus ſemper pronos. Datum Romæ in palatio apoſtolico die XI. aſſumtionis præfati domini noſtri, X. vero die Decembris anno MCCCCVI.

LITTERA DOMINI AQUILEGIENSIS directa dominis cardinalibus Avenionenſibus.

Eos invitat ad eccleſiæ unionem.

Anno 1406. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

REverendi domini, ſanctam matrem eccleſiam, a cunctis Chriſti fidelibus venerandam, quam Chriſtus Dei Filius, pro ſalute humani generis de cœli excelſo ſolio ſinuque Dei Patris, cujus conſubſtantialis exiſtit, ad infimum mundi ſolum deſcendens, & electæ Virginis utero, ſancti Spiritus cooperatione, conceptus, veſteque carnis indutus humanæ, clauſaque demum maternæ porta virginitatis egreſſus, cunctis viſibilem ſe oſtendens, certandam, ſalubribus homines inſtitutis informans, viamque ipſis perfectæ doctrinæ demonſtrans, poſt ſacræ converſationis exempla & evangelicæ inſtitutionis eloquia, ſubiens ſupplicia ſanctæ crucis, mortem paſſus, ut pœnali vitæ præſentis fine, pœnam mortis perpetuæ, quam poſteritas protoplaſti ipſius introierat tranſgreſſione, finiret, & de amaro ſuæ mortis calice, temporalis hauriret vitæ dulcedinem, ſempiterne ſe hoſtiam exhibens, * illud ſuæ ſalutis, hoſte proſtrato, de opprobrio ſervitutis eripiens, ad gloriam libertatis ſupernæ ſibi patriæ oſtium reſerando: ſed demum reſurgens a mortuis, cœlumque aſcendens, non ſine magna ſui ſanctiſſimi effuſione cruoris, unitam in terris reliquit, ut in unitate viveremus, in illa tanti tetri ſchiſmatis ictibus lethiferis ſauciatam, & in tot forte animarum periculo ſic reſperſam, quis non fleat? Eſt-ne tanta abhominatio per prælatos eccleſiæ, in quorum gubernatione perſiſtit, tanto tempore toleranda? An ſemper erimus tantorum facinorum, quæ aſſidue committuntur in populo adverſus Deum, cauſante ſchiſmate, auditores, immo oditores, fautores, quin etiam & factores? Numquamne remedium adhibebimus, quod ipſa Dei eccleſia uniatur? Quid agimus, boni viri? quem rebus exitum, quem præſenti naufragio finem? Cernimus portum, non tenemus. An mediis tempeſtatibus obruemur? Æquoreis ſenis cimba tantis impar eſt fluctibus; nimis carbaſa ventus implevit, & carina graviſſimo feſte * deprimitur, remos agunt inexperti clavi, aut rector artis nauticæ præcepta deſpiciens, terrenam oram amat, quod navigantibus ingens ſolet eſſe periculum; idem & ſereno nimium fidit, demens, & ſtellas vagas intuens, ... Archon fidam puppibus ducem ſpernit. Hæc inter humo madidus atque gravis, & ſoporifero rore perfuſus, jam muſſitat, jam dormitat, jam ſomno præceps, atque ut ſolus ruit, jam naufragantium murmur, audiuntur ſparſa jam pelago fluctuanti armamenta, & niſi Deus omnipotens ſuam nobis porrigat ſalutiferam manum, valde timendum eſt, ne, urgente æſtu, inter piratas & ſcopulos pereamus. Hoc ingens periculum, quod Deus avertat, nonne eſt ab omnibus, qui Chriſti fidem adorant, cum amaritudine continue deplorandum? Certe, dum hæc omnia in mente revoluto, & quanta mala quantaque ſcandala ex dicto ſchiſmate producuntur, aſpicio, illud ſæpiſſime & amare fleo, illud opto de Dei eccleſia removeri, & quantum fuiſſet in me, Deus novit, fuiſſet a diu veriſſime jam remotum; nec minus credo in veſtra voluntate diſpoſitum: ſed, temporum faciente nequitia, hucuſque tantum bonum non valuit adimpleri. Non propterea a tali cogitatu receſſi: ſed ſpem ſemper habens in eo, qui juſta deprecantes exaudit, quod meas in hoc aſſiduas preces admitteret, non ceſſavi, nec ceſſabo ad Dominum proclamare, quoniam, quamvis fluentibus Petri navicula tempeſtatum turbinibus & procellarum fluctibus agitetur, ſpero tamen in eo, cui venti obediunt atque mare, qui procellam convertit in auram, quod tempeſtas & procellæ hujuſmodi ipſam ſubmergere non valebunt, neque ſubmergent: quia reſidens in ea Dominus tandem clamoribus excitatus, dum fugat ſpiritus inſufflantes, & mari ventiſque imperat, dabit portum reddita ſecuritate, tranquillum. Nam clementis Dei inæſtimabilis clementia, quæ non deſpicit ſperantes in ſe, de cœlo proſpiciens, & nolens ipſam ſanctam eccleſiam, tanto pretio tantoque * pro utilitate conſtructam, mergere in profundum, ad clamantes aures ſuæ pietatis adhibuit, & miſerata deſiderio noſtro diſpoſuit annuere. Pridem quippe, ſuperveniente obitu felicis recordationis INNOCENTII divina providentia papæ VII. qui, ſicut Domino placuit, debitum naturæ perſolvit, ad electionem alterius ſummi pontificis intendentes, una cum aliis reverendiſſimis patribus & dominis meis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus conclave ingredientes, quamvis mihi viſum fuiſſet quod electio ulterius tardaretur, ut ad unio-

*f. illam.

*f. falce.

* Hic eſt aliquis hiatus.

nem hujuſmodi facilior eſſet acceſſus, nihilominus, quia aliis dominis meis, eiſque dominis cardinalibus, ad remotionem dicti ſchiſmatis ferventiſſime etiam aſpirantibus, viſum fuit pro meliori, ut ad electionem procederetur eamdem. Nos ad electionem procedentes divina nobis ſuffragante gratia aſpiravit: ipſa enim nobis divina gratia aſſiſtente, reverendiſſimum patrem & dominum dominum Angelum, tituli S. Marci preſbyterum cardinalem, Conſtantinopolitanum nuncupatum, virum utique probatæ converſationis, probabiliſque & ſanctiſſimæ vitæ, laudabilis innocentiæ, ætate ſenem, honeſtate decorum, probitate perſpicuum, ſcientia præditum & moribus ornatum, ac unionis eccleſiæ ferventiſſimum zelatorem, Angelum, inquam, Dei nuncium, ad uniendam illam divinitus deſtinatum, in verum Romanum pontificem canonice elegimus, qui GREGORIUS XII. eſt vocatus. Hic eſt vere, qui tamquam alius Jeremias arcana ſedis apoſtolicæ in mentis arcano concipiens, eloquentiæ lepore ſuadentis illuſtratur. Hic ſanguine Bartholomæum, claritate nobilitatis excedit; hic Andream nobilium morum lenitate præcellit, & Paulo electionis & ſcientiæ vaſculo in claritate eccleſiaſtici dogmatis æquipollet. Hic eſt de cujus electione omnes exultant Chriſticolæ nationes, quoniam firmiſſimis eſt cautelis pollicitus ad remotionem tetri ſchiſmatis per omnem mundum intendere, uſque ad ceſſionem etiam inclusive, ſi is, quem ſequimini, pro unione eccleſiæ cedere ſimiliter ſit paratus, prout hæc omnia, poſt creationem ejuſdem, documentis publicis & opportunis ſolemnitatibus roboravit. Ecce, reverendiſſimi domini, lumen ineffabile, cujus ſplendor quaſi ſtella matutina prærutilans, & e cœlo proveniens, mundum incœpit undique illuſtrare, nobiſque viam aperuit, per quam ad uniendum eccleſiam omnes poſſumus introire. Surgite igitur in nomine Domini, & viam quam vobis oſtendit Dominus introite, ſequentes eum in cujus manu ſunt omnia, & qui poteſt exponere de omnibus prout vult, quippe vos vocat ſua voce benigna ad unionem eccleſiæ ſanctæ ſuæ, dicentes eidem: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Hoc enim eſt tempus nobis divinitus ordinatum, & Deo nobis miſerante, proficuum, in quo videbimus membra ſponſæ Chriſti a ſuo corpore vivido ſeparata, per remotionem dicti ſchiſmatis, eidem corpori couniri; in quo videbimus varias gentium nationes ſub ejuſdem obſervantia fidei, in unum acceptabilem populum congregatas, in domo ſancta Domini habitare. Expergiſcamini igitur, & venite, vos ad unionem dictæ eccleſiæ totis mentibus exponentes, quia his vocibus vos patris appellat affectus, matris invocat amplexus, & reditum veſtrum univerſalis religio individuæ veritatis expectat. Illud præterea eſt etiam attendendum, quod ſi proponetis adverſus tanti mali perniciem, celebrem reconciliationis procurare medelam, ſi ad hunc inæſtimabilis boni proventum vos venire contigerit, univerſalis per vos gratulabitur eccleſia, in his qui extiterant ab ejus inſeparabili unitate diviſi, eductam eſſe enormem vetuſti ſchiſmatis cicatricem; per id creſcet fides, religio augebitur, minuentur hæreſes, fœcundæ pacis læta pulchritudo ſubcreſcet, multaque, quibus genus atteritur & luget humanum, malorum incommoda curabuntur; in cœlo quoque feſtivum creſcet gaudium angelorum, & nos in terris angelicis utemur canticis, una voce dicentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Datum Romæ die decima quinta Decembris, decima quarta indictione, anno Domini MCCCCVI.

LITTERA MISSA DOMINIS cardinalibus de parte Benedicti per dominum Gregorium poſt ejus coronationem.

Ut extirpando ſchiſmati laborent.

GREGORIUS, &c. univerſis, qui in hoc miſerabili ſchiſmate PETRO DE LUNA, qui ſe Benedictum XIII. appellat, tamquam cardinales adhærent, pacem & unitatem affectione. Anno 1406. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chanvelin.*

Ut vobis & omnibus pateat, erga extirpationem peſtiferi, lugubris & inveterati ſchiſmatis in populo Chriſtiano, & reintegrationem deſiderabilis unionis in Chriſtianorum eccleſia, immutabilis & ardentiſſimæ noſtræ intentionis propoſitum, quæ pridem ante coronationis ſolemnia Petro de Luna adverſario noſtro, domino veſtro, quem nonnulli in dicto ſchiſmate Benedictum XIII. nominant, providimus intimare, & vobis per alias noſtras litteras reſerata, nunc poſt coronationem noſtram repetenda decrevimus per præſentes, a quorum obſervatione & executione plenaria, quantum in nobis fuerit, actiones noſtras nullatenus ſubtrahemus. Tenor litterarum præfato adverſario noſtro directarum, ſequitur & eſt talis, Gregorius &c. *Extant apud Raynaldum & Theodericum de Niem.* Obſecramus itaque vos, atque obteſtamur per viſcera miſericordiæ JESU CHRISTI, quatenus in Deum oculos erigentes, & ad calamitatem ob ipſum ſchiſma afflictæ Chriſtianitatis piis affectibus inſpicientes, velitis exſurgere, omnemque conatum cum eodem veſtro domino, ac reliquos quis hoc tangit negotium, excitare, ut tam deſiderabile cunctis Chriſticolis bonum unionis hujuſmodi ſubſequatur. Datum Romæ apud S. Petrum XI. calendas Januarii anno I. &c.

BULLA MISSA REGI FRANCIÆ per dominum Gregorium.

Suam ei significat creationem, declaratque ad procurandam ecclesiæ unionem se paratum esse papatui cedere & omnem aliam viam rationabilem amplecti.

Anno 1406. *Ex mss. illustrissimi viri domini Chauvelin.*

GREGORIUS, &c. carissimo in Christo filio CAROLO regi Francorum illustri, S. & A B.

Ad te & ad regnum tuum famosissimum, fili carissime, exigentibus progenitorum tuorum meritis gloriosis, & amplitudine nominis Christiani tui regni, etiam dum essemus in minoribus, interno animus noster inclinabatur affectu, &, ut credimus, inspirante Altissimo, ut si per aliam viam non possit sacrosancta ecclesia mater tua, te ac regnum tuum lucrifacere, usque ad renuntiationem nostri juris deveniretur, pro salute tanti regni & reunione populi Romani; ad quam nos modo infrascripto firmavimus, ut videbit. Tu ergo & regnum tuum ad Deum oculos elevate, in quo videbitis nos obligari ad veritatem cunctis præferendam. Sane felicis recordationis INNOCENTIO papa VII. prædecessore nostro VIII. idus Novembris ab hujus sæculi mortalitate sublato, cum post exequias, ut moris est, celebratas, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, de quorum numero tunc eramus, invocata sancti Spiritus gratia, in palatio apostolico apud S. Petrum pro electione futuri Romani pontificis conclave intravissent, multis ac variis tractatibus per plures dies habitis, in nos tunc tituli S. Marci presbyterum cardinalem unanimiter oculos direxerunt, nos in Romanum pontificem concorditer eligentes. Nos vero quamquam pro imbecillitate nostra tantum onus subire formidabamus, tamen in eo qui mirabilia facit, spe concepta, submisimus humeros, non de nostra virtute, sed de summi Dei, cujus procul dubio res agitur, benignitate confisi. Cura igitur pastoralis officii non pro nobis; sed pro Dei honore & publicæ utilitatis commodo susceptа, ad illud ante omnia convertimus animum, ut cum effectu hanc pestiferam exitialem scissuram, quæ per tot jam annorum curricula populum Christianum pervasit, ad reintegrationem & unitatem reducamus. Super quo tantam gratiam speramus nobis ex alto præstari, ut jam nobis suaserimus, *brevi temporis spatio hoc quod cupimus ad effectum perducere.* Atque ut omnibus notum sit animi nostri propositum, decrevimus, non juri nostro, quod verissimum est, tollere omnem affectum & effectum tam juris quam facti, quantum nobis rationabiliter esse poterit, quo impediri valeat gratissima Christianorum unio, ne tantis calamitatibus subjiciatur sacrosancta ecclesia: sed quo validiora & firmiora & certiora sunt jura nostra, & quanto magis de illis nullatenus dubitamus, tanto laudabilius ducimus esse pro pace Christianorum illa deponere. Non enim semper juri inhærendum est. Sæpe utilitatis & temporis habenda est ratio. Ita quod omni contentione deposita, ad adversarium nostrum jam scripsimus, ipsum ad pacem & unionem benigne invitantes, atque offerentes nos paratos ad juris nostri cessationem, & ad papatus renuntiationem efficaciter per nos faciendam, si & quando ipse adversarius noster vel successor ejus quicumque hoc idem faciat, renuntiet scilicet prætensis juri & papatui suo, vel decedat, dummodo illi qui apud dictum adversarium pro cardinalibus se gerunt, sic convenire & concordare cum prædictis nostris fratribus, velint cum effectu, ut exinde canonica unici summi Romani pontificis sequatur electio; necnon offerimus omnem aliam viam rationabilem per quam schisma tollatur, & unionis sequatur integritas. Quam oblationem, ut strictiori vinculo fieret, juravimus, vovimus & promisimus ante electionem nostram eodem vinculo efficaciter adimplendam, cum singulis ex fratribus nostris antedictis, in casu quo aliquis nostrum ad apicem summi apostolatus esset assumtus. Post nostram assumtionem ad ipsum, ad firmiorem constantiam denuo jurantes, vovентes, promittentes, atque ratificantes: oratores etiam nostros celeriter missuri sumus, qui de loco idoneo & condecenti cum eisdem disponant ad hujusmodi unionem faciendam. Te igitur per glorioſissimum sanguinem Domini nostri JESU CHRISTI obtestamur, atque obsecramus, ut sine mora exsurgens, omnem diligentiam atque omnem conatum tuum sic interponas, ut tam pium, tam salubre, tam expectatum, tam denique universo populo Christiano gratum atque acceptum opus cum effectu adimpleas. Tenor vero litterarum quas ad dictum adversarium nostrum transmisimus, &c.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII. ad G. archiepiscopum Magdeburgensem & ejus suffraganeos.

Ejusdem argumenti.

Anno 1406. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

GREGORIUS, &c. venerabilibus fratribus G. archiepiscopo Magdeburgensi ac universis suffraganeis ecclesiæ Magdeburgensis, S. & A. B.

Confidimus in Domino nostro JESU CHRISTO, cujus potestati subjecta sunt omnia, quod per suam ineffabilem pietatem nostris temporibus finem dabit turbini quo ecclesiam suam incursu pestiferi schismatis etiam diu permisit multipliciter agitari. Cum enim pro....., & universorum Christi fidelium

lium mater, ſacroſancta videlicet eccleſia etiam ſponſa noſtra, ex tam diuturna ſchiſmatis labe pene proſtrata, adeo ut ſummi Piſcatoris navicula lamentabiliter pene nutare videretur, eſſetque obſcuratum aurum pluribus annis, & mutatus color optimus, nec eam conſolatus quiſquam foret ex omnibus caris ejus, ac luſtris fere ſex peractis, eccleſia ipſa eſſet in tantùm languore infecta, quod in ea ſpecies videri nequiret, neque decor, diſperſis undique ſanctuarii lapidibus omnium platearum; ſicque concuſſum exiſteret ejus ædificium, quod niſi Deus ex alto proſpiceret, nihil aliud expectaretur, quam ruina cunctis fidelibus non immerito formidanda. Nos qui felicis recordationis INNOCENTIO papa VII. prædeceſſore noſtro, ſicut Altiſſimo placuit, de terrenis ad cœleſtem patriam, ut pie creditur, evocato, fuimus, divina favente clementia, ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumti, cupientes a regno Dei, militante videlicet eccleſia, quantum in nobis eſſet, ſcandala ſubmovere, ac pro ea holocauſta offerre Domino ſuavitatis in odorem, eidemque eccleſiæ prodeſſe potius quam præeſſe; ac conſpicientes Chriſtianæ religionis infamiam, & gravia fidelium detrimenta, moleſtias, ac pericula, quæ ex hujuſmodi deteſtabili ſchiſmate in divinæ majeſtatis offenſam tunc emerſerant, & in futurum, niſi ſuper hac celeriter & utiliter provideretur, veriſimiliter poſſent emergere, nec piam proviſionem ſuper hoc alias factam, pro hujuſmodi tollendo ſchiſmate effectum aliquem produxiſſe; ſub ejus confidentia, qui ſperantes in ſe non deſerit, ad fortia manum miſimus, & ad gravia coaptavimus humeros imbecilles, & quod poſſibilitas noſtra non obtinet, in eo nos poſſe confidimus, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum. Verum totius populi Chriſtiani pondus impoſitum nobis novimus, compatientes anguſtiis & preſſuris, eo inter alias curas angimur gravius, quo profundius mergamur in eiſdem. Quamobrem, ſicut etiam antipapæ & ejus prætenſo collegio duximus intimandum, pro certo ſcire vos volumus & habere, quod quamvis de jure noſtro, quod veriſſimum eſt, nullatenus dubitemus; tamen ut de ferventi zelo, quem ad unionem ſic quaſſatæ ac pene, ut ita dixerimus, concuſſæ domus Domini, habere dinoſcimur, vos & cunctos alios Chriſticolas reddamus in hac parte certiores, omnino diſpoſiti ſumus ad omnem viam rationabilem attendere, per quam hujuſmodi unio in Dei eccleſia utilius, celerius, ac ſalubrius valeat provenire. Nam ſi noſter in hac parte adverſarius cedere velit, aut interim forſan diſceſſerit, ſuique prætenſi cardinales una cum venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. cardinalibus, adæquato numero partis utriuſque, in loco ad hoc partibus ipſis magis congruo voluerint convenire pro electione novi paſtoris, & nihil in his omnibus de neceſſariis aut utilibus contingentibus omittendo: quæ omnia hodie in conſiſtorio publico per nos propterea celebrato, coram prædictis fratribus noſtris ac prælatorum & magnatum, aliorumque fidelium multitudine copioſa, juravimus, vovimus, & promiſimus firmiter obſervare. Vos igitur, fratres, & quemlibet veſtrum hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ubi, & quando, & apud quoſcumque videritis expedire, præſentes litteras ſolemniter publicantes, ſic efficaciter, prout ſcietis & poteritis, apponatis partes veſtras, quod exinde optati fructus in eccleſia Dei, ſublato nefando ſchiſmate hujuſmodi, noſtra ſollicitatione mediante, Deo propitio, valeat celerius provenire, voſque propterea apud Deum & homines valeatis merito commendari. Datum Romæ apud S. Petrum XI. cal. Januarii, pontificatus noſtri anno primo.

Vet. ſcript. & mon. ampl. Collect. Tom. VII.

BULLA GREGORII PAPÆ XII. ad univerſos Chriſti fideles.

Ut tollatur ſchiſma declarat ardentius ſe nihil avere quam ut pontificatum ſponte deponat.

GREGORIUS epiſcopus, &c. univerſis Chriſti fidelibus ſalutem & deſideratæ unionis effectum. Anno 1406. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chanvelin.*

Quam fuerit ſemper in omni republica omnique hominum multitudine pernitioſa ſeditio, & ratio per ſe quemque propria, & multa inſuper ceterarum exempla nationum nos facile edocent; in populo vero chriſtiano, cui & fidei auctor & nominis Chriſtus pacem teſtamento reliquit, hæreditariamque ſuis fidelibus eſſe voluit, quot quantorumque ſit cauſa malorum, præter ſuperiorum temporum longam memoriam xxx. jam fere annis quibus hoc peſtiferum ſchiſma invaluit, accepta detrimenta ſatis abundeque declarant; quippe ex hujuſmodi pernicioſi mali radice neglecta eſt utrimque ſacro ſancta religio, cultus divinorum abjectus, ſacrorum culcata eſt omnis auctoritas, & clericalis ordinis, ut mores corrupti, ſic ſolitus eſt honor & reverentia diminui: ita quod fides in pectoribus hominum non ſolum tepuit, ſed jam alte gelata eſt, ſpes æternorum ſtudio terrenorum depulſa dudum evanuit, caritaſque tam Dei quam proximi pene prorſus extincta eſt: unde & multa inter ſe chriſtianorum jam bella ſunt nata, & qui foris ſunt multoquam antea per hoc tempus chriſtiano nomini inſolentius & vehementius inſultarunt: quarum rerum cum alios damna moverent, alios pudor ignominiaque confunderent, omnes vero ſummo pacis unitatiſque deſiderio tenerentur, multa ſæpe varieque pro ingeniis divina favente clementia providerint,

inter fratres noſtros S. R. E. cardinales, ex quorum numero tunc eramus, quædam efficacius convenerunt, per quæ ſi idem erit animus iis qui ſunt in parte adverſa conſtituti, tolli hoc ſchiſma cito facileque ſperamus, quæ nos & in hoc publico conſiſtorio divulgari, & prælatis principibuſque ac univerſitatibus populorum innoteſcere ſumma cura ſtuduimus, illiſque potiſſimum intimari, quos in ſanctæ catholicæque eccleſiæ adduci cupimus unitatem. Earum conventionum caput erat & ſumma, ut quiſquis foret ad ſummum pontificatum aſſumptus, is teneretur pro integratione ſanctæ matris eccleſiæ, cedente vel decedente eo, qui ſibi ex adverſo locum hunc vindicat, ſummo pontificatu ſe abdicare. Quas quidem conventiones etſi ſciremus malis quidem animis ſcandala eſſe, & occaſionem gravius peccandi, bonis vero non neceſſaria vincula; nos tamen, qui nec bonos nos uſquequaque negamus, nec profitemur omnino malos, in idem cum ceteris ſponte convenimus, ſcientes & bonos non debere refugere ad id multipliciter obligari, ad quod ſe ſemel intelligunt obligatos. Nam recta ratione dictante, & non bonos vel metu infamiæ vel aliis exterioribus vinculis adduci in id poſſe, ad quod interioris dictamen non ſufficeret rationis: ita quod cum ceteris vovimus, ſubſcripſimus, & juris-jurandi adhibuimus religionem, ut conventa fidelitate implerentur. Quorum cum ad nos pertineat executio, qui ſumus in hunc locum non noſtris meritis, ſed divina diſponente gratia vocati, non veremur ne id ſponte facturi videamur, ad quod primo ſcilicet ſponte devenimus, & in quod denuo ſponte conſenſimus, cum admiſimus electionem; quodque tertio poſt aſſumtionem noſtram, non modo ſponte approbavimus, verum etiam ex integro votum emittentes, novi inſuper vinculo juramenti & propriæ ſubſcriptionis auctoritate munivimus. Itaque de gratia Dei confiſi, noſtramque intentionem certi profitemur, nos id quod vovimus, quantum conventorum ratio poſtulabit, non tam ſponte, quam etiam cupide, & ſine ulla tergiverſatione facturos. Nam etſi ceſſionis via inconvenientia quædam habeat, quibus nulla poteſt conſuli ratione, tamen longe majus omni debet inconveniens judicari, ſi diutius ſchiſma perduret, quod hac ſola via eradicari poſſe jam creditur, quemadmodum gravibus & inveteraris malis non ſolent prodeſſe niſi extrema remedia. Quamobrem etſi juſtiſſimam foveamus cauſam, & clariſſimo aptiſſimoque jure utamur; tamen & juri noſtro & cauſæ noſtræ cedere ſumus parati, arbitrantes eſſe hoc boni paſtoris hominiſque chriſtiani, ſive ut auferenti pallium demus & tunicam, ſive cum relictis etiam ceteris ovibus unam quæ aberraverat, ſequamur, ut in ovile revocemus. Quod ſi in gloriæ laudiſque ſtudio aliquid tribuendum eſt, quia utrimque ducimur, quoniam homines ſumus, nihil nos moveri negare non poſſumus, multo nobis glorioſius arbitramur, ſummum pontificatum hujus rei cauſa deponere quam tenere. Multo profecto laudabilius numquam habuiſſe, quam vel una die cupide ambitioneque tenuiſſe. Quem quidem ſi ea mente ſuſcepiſſe, ut deponeretur laudabile eſt, multo certe erit laudabilius, cum ratio temporis exiget, depoſuiſſe ſuſceptum. Sed ſit illi laus & gloria noſtra, qui eſt in ſe credentium vera ſalus, cujus adjuti gratia, & ſpe præmiorum adducti, gradum hunc quem timide conſcendimus, non modo facile, ſed libenter etiam ſumus dimiſſuri, ut eccleſiæ Dei tandem pax & unitas deſiderata ſequatur, præ cujus deſiderio omnis hora nobis tarda videtur, omnis jamdudum mora moleſta eſt; tantumque abſumus ut pigeat nos id voviſſe, unde coacti facere forſitan videamur, ut id etiam vinculum, quod ſponte tunc ſubivimus, nunc magnopere nos delectet, neque eo ſoluti eſſe vellemus. Timentes ne forte dum alias vias juſtiores probabilioreſque impenſo ſtudio quereremus, hanc quæ compendioſiſſima eſt vel negligeremus omnino quod non eſt animus, eaque eſt fiducia nobis in domino, vel quæ veriſimile eſt pluſquam ætatis noſtræ vel mali ipſius curandi ratio deſiderat, differemus. Itaque tanto nobis pulcrius ſalubriuſque fore judicamus, aſtrictos id nos facere, quod vel ſoluti libenter eſſemus tandemque omnino facturi; quanto turpius cuique eſt, atque in animam ſuam damnabilius obligatum quam liberum ab honeſtæ rei præſtatione deficere. Cum itaque per omnium ferme dignitatum eccleſiaſticarum gradus in hunc locum evecti ſumus, nihil tamen in tota vita obtigiſſe nobis excellentius judicamus, quam quod digni ſumus habiti, quibus ſummus pontificatus ita crederetur, ut omnium eſſet fides, reddendum eſſe a nobis in tempore hoc totum depoſitum, pro quo plerique forſitan fidem fallere non dubitarent. Nam etſi artiſſimæ ſunt harum conventionum leges, adverſus tamen eum, qui ſupra leges poteſtatem habet, vis legum obtuſa eſt. Quamobrem habemus magnas fratribus noſtris gratias, hujus tam præclari de nobis judicii, quod cum multos alios ſcirent ad adminiſtrandum ſummum pontificatum idoneos, ad eam tamen quæ difficillima omnium videbatur adminiſtrationem, nos potiſſimum delegerunt. Deo autem ſummas agimus gratias, quod qua mente, quo propoſito dignitatem hanc admiſimus, ea in nobis confirmantur in dies, ſentimuſque nos quotidie promtiores ad faciendum omnia, quibus pax chriſtianis & unitas reddatur eccleſiæ. Nam & hinc quoque nos bona ſpes habet, tum de nobis ipſis, tum de his rebus celeriter conficiendis, quod magis in dies

placet nobis hæc noſtra conditio, quæ cum aliis forſitan dura ex his legibus videatur, nobis certe ſummæ apparet libertatis, cum non jam nobis opus ſit quærere quibus artibus papatum teneamus, ſed quomodo eum honeſtius utiliuſque dimittamus. Neque enim, gratias Deo, ulla nos vel pœnitentia retrahit, vel ambitio forte ſollicitat. Ergo ſummo pontificatu ſic utimur, quaſi eum protinus dimiſſuri; ſic regimus tamquam diſtricto judici rationem non poſt longum reddituri. Ad alterum enim voto & juris jurandi religione tenemur. Alterius vero ætas noſtræ nos admonet, quæ cum jam longe provecta ſit, nihil debemus aliud ſperare, quam exitum, & meminerimus apud vitæ & mortis auctorem, reddendam a nobis omnium rationem. Itaque quid melius nobis evenire potuit, quam ut tanti meriti in hac brevi vitæ parte quæ reſtat daretur nobis occaſio? quid nobis honorabilius, quam ut ſummus pontificatus ita committeretur nobis, ut eum crederemur ad conſtitutum tempus fideliter reſtituturi? Quid denique jocundius, quam in nobis eſſe tantam facultatem reintegrandæ eccleſiæ, uniendique populi Chriſtiani, pro quo cedere alias dignitate, vel etiam, ſi opus ſit, vita in ſingulas horas ſingulaque momenta nos paratos offeremus? Eia igitur exſurgite, fideles Chriſtiani, ubicumque terrarum conſtituti, & hoc noſtrum propoſitum piis adjuvate precibus, divinas aures votis pulſate ſupplicibus, ut huic tanto malo finem tandem adhibeat, tollat ſchiſma, unitatem tandem advocet, pacem reddat eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ut omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, quorum cauſa nunc agitur, gratiam hic habere mereamini, & in futuro ſempiternam gloriam eo ipſo præſtante qui vivit & regnat per infinita ſæcula benedictus amen. Datum Romæ, &c.

A ſtolatum, proh dolor! non deductum effectualiter, continentes: quarum tenore intellecto per ſingula, ac jocunditatis & exultationis in Domino materia multa, quæ nobis non indigne ſuccrevit aſſumta, illi gratias agimus, de cujus caritatis irriguo quarumlibet gratiarum cariſmata derivantur, qui corda veſtra ſic muneris ſui ſplendore illuſtrare dignatus eſt, ſicut veſtræ pollicitationis indicia protęſtantur, quod nobiſcum in affectu unionis proſequendæ & obtinendæ deliberaſtis concurrere. Ad hoc enim ſemper noſter aſpiravit affectus, ad hoc deſideria noſtra tendunt, ad hoc nos promtos offerimus, B ut optata a cunctis fidelibus unio in Dei eccleſia ſubſequatur. Et ut domino Angelo vobiſque ac cunctis Chriſti fidelibus intentionis noſtræ propoſitum clarius innoteſcat, deliberatione præhabita cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus dicto Angelo litteras noſtras dirigimus in hæc verba: Benedictus, &c. *ut ſupra.* Unde vos requirimus & hortamur per viſcera miſericordiæ Jesu Christi, quatenus in hujuſmodi propoſito firmiter perſiſtentes, quæ de labiis veſtris proceſſerunt, in irrita non veniant; ſed opem ferentes ad actum ſic velitis partes veſtras apC ponere efficaces, nihilque, prout ſpopondiſtis, de contingentibus omittendo, quod per optatum unionis negotium ulterioris dilationis detrimenta non ſentiat, ſed Deo præſtante, cujus cauſa tractatur; ad finem deſideratum valeat breviter & feliciter pervenire. Nam quantum ad nos ſpectare dignoſcitur, ad ejus accelerationem volumus & optamus omni diligentia procedere, cum nobis poſt æternam ſalutem nihil fuerit vel ſit deſiderabilius in hac vita. Datum Maſſiliæ apud S. Victorem 11. calendas Februarii pontificatus noſtri anno XIII.

D

RESPONSIO DOMINI BENEDICTI

ad litteram dominorum cardinalium de parte Gregorii ſcriptam poſt ejuſdem Gregorii electionem.

Ut perſiſtant in propoſito unionis eccleſiæ procurandæ.

Anno 1407. *Ex mſſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin*

BENEDICTUS, &c. univerſis, qui in hoc pernicioſo ſchiſmate Angelo Corrario, qui ſe Gregorium appellat, tamquam cardinales adhærent, pacis & veræ unionis affE ectum pariter & effectum.

Nuper videlicet XI. die menſis Januarii dicti Angeli veſtraſque recepimus litteras, vota, juramenta, promiſſaque & conventa ac concepta per vos circa tractatum unionis eccleſiæ ſanctæ Dei, per nos hactenus multifarie multiſque modis & viis tentatum, ſed ad finem nobis & cunctis Chriſti fidelibus præ-

LITTERA DOMINI BENEDICTI

directa regi Francorum.

Mittit ei exemplum litterarum, quas a Gregorio XII. acceperat, & earum quas illi reſcripſit: hortatur ut unioni eccleſiæ operam velit dare.

CAriſſimo in Chriſto filio Carolo regi Franciæ illuſtri ſalutem, &c. Anno 1407. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

Quanto, fili cariſſime, excellentiam tuam ad bonum unionis eccleſiæ ſanctæ Dei novimus ſincero zelo fervere, tanto jocundius ea, quæ circa hanc conſequendam unionem in noſtris affectibus pia conſideratione dulceſcunt, devotioni tuæ cum gaudio intimamus. Nuper ſiquidem, die videlicet decima quinta hujus menſis Januarii, litteras Angeli Corrario, qui ſe facit Gregorium nominari, recepimus; continentiæ ſubſequentis: Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Petro de Lu-

na, &c. Quarum, perlecto tenore, nos, ut illibatæ intentionis noſtræ propoſitum, noſtris pro ſemper præcordiis inſiſtens, nunc opportunitate ſe offerente propitia, tibi & cunctis Chriſti fidelibus evidentius pateſiat, deliberatione præhabita cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus, eidem Angelo litteras noſtras reſponſivas direximus in hæc verba. BENEDICTUS epiſcopus, &c. Unde ſerenitatem tuam paternis exhortationibus deprecamur, quatenus nobis filiali devotione congaudens, in proſecutione tanti negotii, more progenitorum tuorum memorandæ recordationis, quorum geſta magnifica univerſus orbis extollit, ſic velis, ſublatis quibuſcumque impedimentis, nobis favores tuos & auxilia præſtare, ut hujuſmodi unionis negotium facilius & celerius ad optatum finem perducere valeamus, tibique pro tantæ Clementiæ pio opere ultra humanæ laudis præconium, præmium æternæ retributionis accreſcat.

Datum Maſſiliæ apud S. Victorem II. cal. Februarii pontificatus noſtri anno XIII.

EPISTOLA BENEDICTI PAPÆ XIII. ad Ludovicum ducem Aurelianenſem.

Ipſi mittit quas a Gregorio XII. acceperat pro eccleſiæ unione litteras & eas quas ipſi reſcripſerat, ejuſque ad tantum negotium opem implorat.

Anno 1407. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

BENEDICTUS, &c. Dilecto filio nobili viro LUDOVICO duci Aurelianenſi ſalutem, &c.

Exigit tuæ nobilitatis magnitudo, & paternæ dilectionis affectus, quo te proſequimur, expetit, ut illa quæ in mente noſtra circa bonum eccleſiæ unionis pia conſideratione dulceſcunt, nobilitati tuæ gaudioſis affectibus reſeremus; hinc eſt quod nuper die videlicet XV. hujus menſis Januarii litteras Angeli Corrarii, qui ſe facit Gregorium nominari, recepimus continentiæ ſubſequentis, &c. *Ut in principio*, quarum tenore perlecto, ut magnitudini tuæ cunctiſque fidelibus intentionis noſtræ propoſitum, noſtris ſemper præcordiis inſiſtens, tibi jam cum apud nos eſſes aperte reſeratum, nunc opportunitate ſe offerente propitia clarius innoteſcat, declaratione præhabita cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, dicto ANGELO litteras noſtras reſponſivas direximus: BENEDICTUS, &c. Unde nobilitatem eamdem intimis deprecamur affectibus, quatenus de tanto bono nobiſcum aſſumta lætitia congaudens, apud cariſſimum in Chriſto filium noſtrum CAROLUM regem Francorum illuſtrem, procures & per te ipſum nobis opem ad tanti proſecutionem negotii, & amotis impedimentis quibuſcumque, opportunos favores impendas, ut exinde ultra humanæ laudis præconium, præmium tibi divinæ retributionis acquiras. Datum Maſſiliæ, &c.

SEQUITUR RESPONSIVA ſacri collegii ad Gregorii cardinales.

Anno 1407. *Ex mſ. ſancti Laurentii Leodienſis.*

MIſeratione divina epiſcopi, preſbyteri & diaconi S. R. E. cardinales, univerſis & ſingulis pro cardinalibus ANGELI CORRARII, quem nonnulli in hoc miſerabili ſchiſmate G. nominant, ſe gerentibus, ſpiritum cogitandi quæ ſunt unitatis & pacis, & illa propitius exſequendi.

Vobis notum facimus per præſentes, quod receptis litteris veſtris XIV. die menſis Januarii per Robertum heremitam, & pariter litteris dicti ANGELI, quem vos GREGORIUM nominatis, lectiſque & intellectis ipſarum tenoribus, fuimus ultra quam dicere valemus, in Domino conſolati, firmam ſpem concipientes in eo, & in ejus miſericordia confidentes, quod ipſe eccleſiæ ſuæ compatiens, & populi Chriſtiani miſertus, corda veſtra tetigit, ea claritate ſui luminis illuſtrando; & propterea ſanctiſſimus dominus noſter, dominus BENEDICTUS divina providentia papa XIII. & nos, ut Dei gratiam & cauſam, ineffabile donum longo & ferventi deſiderio expectatum, recepiſſe non videremur in vanum, ſibi & nomini ſuo, qui facit mirabilia magna ſolus, laudes & gratias agimus, & agere non ceſſamus, quantum poteſt debilis & caduca mortalis infirmitas. Hoc enim quod tamdiu procuravimus, & fuimus tam diuturno tempore proſecuti, nunc per vos oblatum non renuimus, immo junctis amplectimur manibus, & cum omni humili & devota gratiarum actione recipimus & lætiſſimi acceptamus, vos certificantes, quod dominus noſter præfatus habita matura & frequenti deliberatione nobiſcum per ſuas apoſtolicas litteras, quarum tenorem hîc inſeri fecimus, dicto ANGELO, quem dominum veſtrum nominatis, cum omni caritate plene, gratanter, & pro unione eccleſiæ ſecurius & celerius conſequenda, multum judicio noſtro effective reſpondet. Nos etiam eidem reſcribimus, prout per litterarum noſtrarum copias hîc intercluſas poteritis apertius intueri, & in proſecutione tam divini & laudabilis operis unanimi voluntate, ut veſtræ litteræ proteſtantur, concurrimus. Si veſtræ caritati placet, date ad id, quantum erit vobis poſſibile, operam efficacem, quia idem dominus noſter & nos verſa vice ad nihil aliud vacamus & vacare intendimus toto conamine & ſummis præcordiis, quam quod quantocius in unum conveniamus locum, ut quod, Paraclito inſpirante, pura mente concepimus, impleamus operibus. Nam ſecundum veſtrum maximum oratorem, plu-

ris est considerate agere, quam considerare prudenter. Amputemus igitur pro Dei misericordia omnem moram, quæ in magnis negotiis summi solet esse periculi, & malos consuevit producere exitus. Spiritus-sanctus vos constanter perseverare faciat in opere cœpto. Amen. Tenor autem litterarum apostolicarum prædictarum talis est: BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei, Angelo dicto Corrario, &c. *Totum ut in editis. Sequitur* Datum Massiliæ, &c.

LITTERA CREDENTIALIS.

Anno 1407. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

MIseratione divina episcopi, presbyteri, diaconi, S. R. E. cardinales, cum desiderio reverendo in Christo domino PETRO DE LUNA, quem nonnulli in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum pro extirpatione inveterati & horrendi schismatis.

Sanctissimus dominus noster, dominus GREGORIUS papa XII. reverendos in Christo patres dominos ANTONIUM ejus nepotem Motonensem, ac GUILLELMUM Tudertinum episcopos, thesaurarios ac referendarios, & dilectum in Christo ANTONIUM DE PUTRIO utriusque juris doctorem Bononiensem, nuncios suos, ad reverentiam vestram & nonnullos alios ad præsens dirigit, ejus intentionem aliàs vestræ reverentiæ per suas nostrasque litteras super extirpatione hujus schismatis intimatam serioſe relaturos, quorum relatibus etiam ex parte nostra reverentia vestra adhibere velit credentiæ plenam fidem. Datum Romæ XXVI. Februarii, pontificatus præfati domini anno I.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII. ad Carolum Francorum regem.

Petit ab eo ſalvum conductum pro nuntiis, quos ad Benedictum pro eccleſiæ unione direxerat.

Anno 1407. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

GREGORIUS, &c. cariſſimo in Christo filio CAROLO regi Francorum illustri salutem & apostolicam benedictionem.

Intendentes quantum cum Deo possumus, prout per alias nostras litteras serenitati tuæ intimasse meminimus, hoc inveteratum & lugubre schisma de medio tollere, venerabiles fratres ANTONIUM nepotem Motonensem, GUILLELMUM Tudertinum episcopos, thesaurarios ac referendarios, & dilectum filium ANTONIUM DE BUTRIO utriusque juris doctorem, nuncios nostros, pro celeri consummatione negotii missos primo ad PETRUM quem nonnulli in præfato schismate Benedictum XIII. nominant, & illos qui pro suis cardinalibus se gerunt, ac deinde ad serenitatem tuam & nonnullos prælatos, principes & universitates, hujus rei causa in præsentiarum destinare providimus. Et quia forsitan *posset contingere eosdem vel alios nostros* nuncios dirigendos ad ipsum PETRUM, longiorem quam vellemus, residentiam peracturos, eamdem serenitatem tuam, quam remotionis hujusmodi schismatis, sicut ex litteris ejusdem percepimus, arbitramur indubie zelatricem, paternis affectibus exhortamur in Domino, quatenus placeat ambaxiatores & nuncios ad ipsum Petrum & alios de quibus expedire videbitur, destinare, audituros quæ proponentur utrimque, ac daturos pro viribus operam, ut tam votiva concluſio, inspirante Altissimo, cujus res agitur, ac interventu tui regalis studii, pro salute Christiani populi subsequatur. Et nihilominus pro prædictis & aliis quibuscumque *nostris nunciis*, eorum comitiva equitum & peditum, salvis valisiis, navigiis, rebus, & bonis omnibus, tam per mare quam per terram, regalem tuæ ejusdem serenitatis salvum conductum pro accessu, residentia, & reditu, quoties libuerit, ac unius anni spatio duraturum, & in forma pleniſſima per latorem præsentium destinare. Datum apud sanctum Petrum tertio calendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

EPISTOLA CAROLI VI. Francorum regis ad cardinales Benedicti XIII.

Gratulatur eis de bono ad unionem eccleſiæ propoſito, mittitque eis litterarum, quas ea de re ad Benedictum ſcribit, exemplum.

Anno 1407. *Ex mſ. ſancti Laurentii Leodienſis.*

CHARLES par la grace de Dieu roy de Franche, à nos tres chiers & especiauls amis les cardinauls du saint college de Rome, salut & entiere dilection avec perseveranche continuelle sans interruption à l'œuvre commancée de l'union & paix d'elle egliſe & chreſtienté.

Tres chiers & especiaulx amis, nos avons receu les lettres que naguaires nos avez envoyez, esquelles astoient encloſes celles que celuy qui naguaires avoit esté esleut en pape à Rome, & ceulx qui se dient estre son college, vos avoyent escriptes, & des responses que faites leurs avez, lesquels avons veuës & fait voir à grande & bonne deliberation, & auſſi celles que nostre tres saint pere le pape nos a escriptes, esquelles sont inserées celle que celuy de Rome luy a envoyés avec la reſponse qu'il luy a faite. auquel noſtre saint pere escrivons & faisons reſponse en la maniere qui senſuit: Tres saint pere, « nos avons rechut vos lettres, qui novellement nos aveis envoyez par maniere de bulle, esquelles astoient inserées de mot à mot « celle que celuy qui se dit dierainement esluz « en pape à Rome, vos a escript, lesquelles «

» en peu de temps paravant nos en avoit au-
» tant envoyés, & auſſi nos avoient eſcript
» ceulx qui ſe dient ſon college. Et avons veu
» à tres grant plaiſanche & delectation de cuer
» les choſes contenues eſdites lettres ou bulles,
» par leſquelles appert que vos & voſtre dite
» partie eſteis condeſcendus & auſſi les colle-
» ges d'un coſteit & d'aultre, qui ſur chu nos
» ont parheillement eſcript à ceſt ſaint voie &
» ceſſion du papat, laquelle pot mettre pays
» & union en noſtre mere ſaint egliſe, & en
» oſteir & extirpeir de tout che tres deteſtable
» & horrible ſchiſme, qui ſi longuement y at
» dureis en grande eſclandre des Chreſtiens,
» nos & tos ceulx de noſtre ſang & lignages
» & le clergerie de noſtre royalme avons ſi
» longement & fermement deſiré, & à ſi gran-
» de diligenche, paynes, labures & deſpens re-
» quize, demendée & porſuye par deverſe vo-
» ſtre ſainteteit, comme par devers ceulx del-
» le aultre partie, ainſy que bien ſçaveis; de
» laquelle choſe en verité, tres ſaint Pere, nous
» avons eu & avons greigneur joye & exulta-
» tion en noſtre couraige, que par lettres ne
» poriens exprimeir; & incontinent avons eſ-
» cript à voſtre ditte partie adverſe & à ſon dit
» college, comme nos eſcripvons à vos & au
» voſtre par ces preſentes en ſubſtance, en
» loüant & recommandant à Dieu tant come
» plus povons le tres bon & ſaint propouſe deſ-
» ſuſdit, lequel, ainſy que nous tenons certe-
» nement, procede de l'inſpiration de Dieu;
» & exhortant & requerrant vos & eulx de
» tot notre affection, que ſains dilations ſuper-
» flues & perdition de temps, ceſſaint toutes
» altercations, diſceptations & ambiguitez de
» paroles ou eſcriptures, ou frauduleuſes ca-
» villations ou diffidences, qui entre vos pour-
» roient entrevenir, & eſtre cauſe & occaſion
» de rompre ou delayer le bien de ceſte paix
» de toute chreſtienté, ainſi diſpenſe de prou-
» chin, come par la grace de Dieu nous la
» voyons preſentement, vous procedes en-
» ſemble d'une bonne plaine & ſincere foy &
» equité l'accompliſſement & perfection de la
» ditte paix par la ditte voye de ceſſion; &
» comment nous penſons brievement envoyer
» pardevers vos & eulx & ailleurs en aultre
» partie de la chreſtienté, ou meſtier ſera, nos
» ſolemnes meſſaiges o tout inſtructions & po-
» voir ſuffiſans pour pourſuir de par nos & l'e-
» gliſe de noſtre royalme ceſte beſongne à la
» fin & par la voye deſſus ditte. Et pource, tres
» ſaint Pere, que en vos dittes bulles ſont au-
» cunes paroles, par leſquelles pouroit ſem-
» bler à pluſieurs que vos vories encore entrer
» en la voye de juſtice & de diſcuſſion des droits
« vrays ou pretendus des parties, & tenir
» le temps ſans aucuns advis, ordonnances ou
» aultres matieres que l'en poiret dire eſtre
» preambules & requiſes neceſſairement à l'aſ-
» ſemblée de vous deux & de vos dites colle-
» ges, dont le principal porroit eſtre grande-

A ment retardé & eſpoir du tout empeſchié, «
que Dieu ne veille. Nos vos ſupplions de tout «
noſtre cuer & affection, & requerons par la «
piteuſe miſericorde de noſtre Sauveur Jesus «
Christ, & l'effuſion de ſon pretieux ſang, par «
la redemtion de l'umain lignage, que ceſſant «
du tout, & arier miſes toutes aultres voyes «
& telles difficultés ou eſlonges que l'on por- «
roit ſur ce pretender, vos procedes & vos ren- «
des ſi prompt par œuvre de fait à mettre à «
exſecution ladite voye de ceſſion, que tout «
le monde coigneuſe par évidence manifeſte, «
B la vraye & ſainte humilité & bonne volenté «
que vos aveis & deveis avoir à mettre payx «
& union en ſainte egliſe, & en la chreſtienté, «
à votre temps & au noſtre, ſans gueire plus de «
delays. Car ſi l'oportunité qui ad ce par la gra- «
ce de Dieu s'ouffre de preſent ſi convenable co- «
me nous le veons, ſe paſſe ſans effet fructueux, «
que Dieu ne vueille, le ſchiſme deſſus dit ſera «
taillé, & en adventure d'eſtre plus dure & «
enraciné que oncques mays, & s'en porroit «
enſuir innumerables inconveniens à l'egliſe «
& à toutes gens d'egliſe, generalement plus «
C que nous ne ſaurions exprimer. Et quant à «
nous, ſoyés certains, que nous employrons à «
ceſte ſainte œuvre, & y ferons diligemment «
& cordiaument tout le bien & avancement «
que nos porrons, & obvierons à tous les em- «
pſchement, retardement ou delays, que nos «
y porrons veoir ne cognoiſtre, quaconque «
ſe vueille efforcier de les y mettre. Tres ſaint «
Pere, les aultres choſes qui trop ſeroient lon- «
gues à eſcripre ſaureis plus à plain par noſ- «
dits meſſaiges, qui brevement partiront, ſi «
Dieu plaiſt, por aller devers vos premiere- «
ment, & apres devers l'aultre partie. Et quant «
D les meſſaiges de ceulx aultre partie, qui de- «
voient venir par devers voſtre ſainteteit, co- «
me eſcript nous aveis, y auront eſteit, nos «
le devroins bien ſçavoir, s'il vos plaiſoit, & «
nos vos ſupplions ſe aucune bonne acunte- «
ment aveis pris avec eulx, enſemble toutes «
aultres nouvelles qui entre deux ſurvien- «
dront en la matere. Tres ſaint Pere, nos vos «
prions au ſaint Eſprit, qu'il vos ayt en ſa ſain- «
te garde, & vos doint bonne vie & longe au «
gouvernement & pacifiement de ſainte egli- «
ſe. Donné à Paris, &c. «

Et porceque en nos dittes lettres & reſpon-
E ſe poyes clerement veoir & cognoiſtre au
long tout noſtre entention en ladite matie-
re, nos paſſons de plus longuement vos eſ-
crire ſur ce quant à preſent, & juſqu'à ce que
nos meſſaiges, dont mention eſt fait en nos
dittes lettres, yront par devers noſtre dit ſaint
Pere & vous, qui ſera briefment, ſe Dieu
plait, ou que aultres nouvelles oyrons eſpe-
cialement des meſſaiges dudit de Rome, qui
devoient arriveir brifvement devers noſtre
dit ſaint Pere, dont mult deſirons d'oyer aul-
tre certainité, & quel apointement aura eſté
preſent avec eulx. Si vos prions, tres chere

& ſpeciale amis, que ſur ce & aultre choſe qui ſurvendrons en ceſte ſainte & haulte matere, vous vueillez continuellement & diligemment certifier, afin d'y eſtre touſiours plus aviſeis, pour y faire de noſtre part ſelon que de tout noſtre cueur deſirons tout le bien & avanchement que nous pourrons, & à ce ne nos vueillies falir. Et quant à la cauſe de vos dites lettres faiſant mention de non s'offrir cependant faut par deça aulcunes nouvelleteis, noſdis meſſaiges vos y feront reſponſe plus plainement, que bonnement le pouriens faire par lettre, teille que par raiſon en devereis y eſtre contens. Donné à Paris le premier jour de Marche.

LITTERA FACIENS MENTIONEM de ordinatione regia & eccleſiæ Gallicanæ ſuper collatione beneficiorum, cujus executio prorogatur.

Anno 1407. *Ex mſ. S. Laurentii Leodienſis.*

CHARLES par la grace de Dieu roy de France, à tous ceulx qui ces Lettres verront, ſalut.

Avecques raiſon naturelle les anciennes eſcriptures nos enſeignant qu'il n'eſt mie ſeulement expedient, mais eſt choſe mult neceſſaire, que ce que aulcunes fois eſt ordené por la prudence de ceulx qui governent les policies, ſuppoſé que telles ordinances ſoient faites par gran & meure deliberation ſelon la diſpoſition des temps, qui lors convient ſoit ſouventesfois en autres formes. Car ſelon la ſentence des anciens, il loyt au ſaige de mirer ſon conſeil & la deliberation qu'il a prinſe en aucunes beſoignes, ou delayer l'execution d'icelle, ſelon ce que le temps le requiert, & ſoy ordonner, conduire & diſpoſer ſelon la qualité d'iceulx. Et porce combien qu'en l'an MCCCC & VI. deren paſſeit, nos en enſiwant les manires de nos prédeceſſeurs roys de France, conſiderant la gran aufflictiion que par l'eſpauze de près de XXX. ans a ſouſtenu noſtre mere ſainte egliſe, por occaſion de ce dolereux & deteſtable ſchiſme, qui par ledit temps y a eſteit & encore eſt; & deſirant de tout noſtre cure icelui ſchiſme eſtre oſté & extirpé; conſiderant auſſi que nonobſtant les grans & diligentes pourſuites, que por extirpeir & faire ceſſeir le ſchiſme deſſuſdit, avions & avons faites, depuis qu'il pleut à Dieu que nos eumes le gouvernement de noſtre royaume juſques alors, en envoyant pour ce par pluſieurs fois nos meſſages ſolemnes, tant devers noſtre ſaint pere le pape & ſon ſaint college, & devers ſon adverſaire de Rome, & ceulx qui de par lui ſe dient cardinaulx, comme devers pluſieurs roys, princeps & aultres ſeigneurs & communiteiz de neſcience & concevoyez aucune concluſion fructifieuſe ne s'en eſtoit encores enſuite; & por la grande & tres-ſinguliere affection que tosjours avons euë & avons de mineir à bonne fin ceſte pourſuite, euſſent eſté aſſemblez par noſtre ordinance & mandement en ceſte noſtre ville de Paris les prelats, c'eſt-à-ſçavoir les archiveſques, eveſques & abbez de noſtredit royame & de noſtre Daulphiné de Vienne, noſtre chir & amé fils l'univerſité de l'eſtude de noſtre ditte ville, & pluſieurs aultres univerſitez des eſtudes aveucques pluſieurs aultres grans clercs & notables perſonnes, tant des engliſe de nos royame & Daulphiné deſſuſdit, comme aultres, que adviſeir & delibereir par quele manire noſtre ditte mere ſainte egliſe poroit plus briefvement eſtre reduite à union, en laquelle congregation & aſſemblée, où furent moult ſovent noſtre tres-chir & amé ainſné fils le duc de Guienne, & nos tres-chir & tres-amez couſins & oncles le roy de Sicile & les ducs de Berry, de Bourgoigne, & de Bourbonnois, & pluſieurs aultres de noſtre ſang & lignage, eût eſté déliberé entre aultres choſes pour ce que à l'exhortation deſdits prelauls & univerſitez lors aſſemblées, comme dit eſt, en la ſale de noſtre palais à Paris, aſſiſe ſur la riviere de Seine, noſtre Procureur general adjoint avecques eulx, furent dittes & propoſées par noſtre advocat aucunes, & regardant la conſervation des droits, franchiſes & libertez deſdites engliſes de noſtre royame & Daulphiné, & des perſones d'icelles, & concluons que ſur ce fut pourveu de remede convenable, que leſdits prelauts, univerſitez & aultres perſonnes aviſaſſent quele remede y ſieroit bon à mettre, & qu'ils orent aviſé & deliberé & conclus enſemble, que quant les engliſes cathedraulx, collegiaulx, & conventuaulx, comme aultres benefices electifs, tant reguliers comme ſeculiers vacqueront, il fût pourvû de lors en avant, ſi comme les ſtatuts des conciles generales & les decrets des ſaints peres le veulent, par election des chapitres, convens & colleges, de perſonnes idonées & convenables; aux aultres benefices, par preſentations, collation & inſtitution de ceulx à qui de droit commun, privilege ou coutumes il appartient, ceſſans & rejettes du tout & nonobſtant queleſconques reſervations generales & eſpeciaulx, prohibitions & defenſes quelxconques, graces & expectations faites & à faire, & octroyées ou à octroyer par le pape ou par ſon autorité, par interpoſition de droit ou aultrement; & que ladite egliſe de noſtre royame & Daulphiné deſſuſdits, & les perſonnes d'icelle demeurent en leur liberteis & franchiſes, ſelon les conſtitutions deſdits conciles generaulx & la diſpoſition du droit commun, juſqu'ad ce que par concile general canoniquement chelebré aultre choſe fuſt ſur ce ordonnée, à l'ordonnance duquel conſeil ils ſe ſoubmettoient; leſquels deliberations & concluſion ainſi prinſe entr'eux & à nous rapporteis, ils nous ſupplie-

rent moult inſtamment que nos les voſiſſions avoir agreables & confirmeir, & en icelles les conſerver & maintenir, & oſteir tous empeſchemens qui ſeroient faites à contraire. A laquelle ſupplication, euë premierement ſur icelle grant & meure deliberation avec pluſieurs princeps de noſtredit ſang & notables perſonnes, tant deſdits prelauts comme de noſtredit conſeil, nous condeſcendimes lors por certaines cauſes & conſiderations, qui ad ce nous meuvent, plus à plain contenuës en certaines nos lettres ſur ce faites, données le XVIII. jours de Fevrier oudit an MCCCCVI. deren paſſé; leſquels toutevoyes tant pour ce que ou temps deſſuſdit nous vindrent novelles, que noſtre ſaint pere & ſondit adverſaire ſe diſpoſoient à mettre union en noſtredite mere ſainte egliſe, comme pour ce oyes leſdites novelles, nos ordonnâmes certaine grande ambaſſade eſtre envoyée tant de par nos, comme de par leſdits prelaus & univerſité devers noſtre ſaint pere & ſon adverſaire deſſuſdit, pour les exhorter à ladite union, nos ne voulſimes mies lors eſtre publiées, ne miſes à execution, afin que par ce noſtredit ſaint pere & ſondit adverſaire ne fuſſent en aucune maniere irrités, & auſſi que par ce ne veniſt empeſchement en fait deſſuſdit, mains por ce & pour aultres cauſes qui ad ce nous meuvent, voulſiſmes ladite execution d'icelle eſtre differée. Et depuis à la requeſte de noſtreditte fille, qui fort nous preſſoit de avoir nos lettres deſſuſdittes, elles furent miſes par noſtre ordinance és mains de noſtre amé & feal chevalier, conſeiller & chambellan JOHAN DE MONTAGU vidame de Lannoys, & grant maiſtre de noſtre oſteil, lequel par noſtre vouloir & commandement promit à noſtredite fille l'univerſité, que dedans le premier dimanche de careſme lors enſuivant, qui eſt ce jourd'huy, ainſi comme en nos aultres lettres ſur ce faites eſt contenu, il bailroit icelles lettres à noſtredite fille pour les faire publier, & eſtre executées ſelon leur forme & teneur, de par laquelle noſtre fille audit jourduy nos a eſté molt inſtamment requis, que nous lui vueillons faire bailler les lettres deſſuſdites; mains conſideré que ſi comme nous avons eſté & ſommes pleinement & deuëment informés, tant par pluſieurs lettres adjettans à nous & à noſdits cuſins & oncles, tant de par noſtredit ſaint pere & ſon ſaint college, & auſſi de pluſieurs cardinaulx, particulierement & ſemblablement de par noſdits meſſaiges, qui encore ſont de par-delà pour cette cauſe, & auſſi de par noſtre amé & feail conſeiller, chevalier & chamblan JOHAN LE MEINGRE dit BOUCICAUT, mareſchal de France, & gouverneur de par nos de nos cité & ſeignorie de Gennes, comme par la relation de pluſieurs notables perſonnes venans de par-delà, noſtredit ſaint pere eſt en tres-bonne diſpoſition & fait mult grant diligenche par toutes voyes & manires adviſées par ſondit ſaint college, & ad ce convenable & neceſſaire de mettre union en ſainte egliſe, & meſment par la voye de ceſſion, & que ſemblablement ſondit adverſaire eſt aſſez ad ce diſpoſé, comme l'on dit, & que ledit ſaint college & pluſieurs deſdits cardinaulx, noſdits meſſaiges, & auſſi ledit marichal & gouverneur nos exhortent à moult grand inſtance par les eſcritures & meſſaiges, que acunes novellité ne ſoit faite par-deçà contre noſtredit ſaint pere l'egliſe de Rome, car ce ſeroit por empeſcheir ou rompre le fait de ladite union, & ſieroit en avanture qu'il ne ſe peuſt en brief reparer. Sçavoir faiſons, que ces choſes conſiderées, & euë ſur ce tres-grande & meure deliberation en noſtre conſeil pour ce par pluſieurs aſſemblé & tenu, ouquel ont eſté ainſné fils le duc de Guyenne, & noſdits couſins, & oncles, le roy de Sicile, & les ducs de Berry, & de Bourgoigne, & avec eulx noſtre tres-cher & tres-amé fils le duc de Bretaigne, pluſieurs aultres de noſtredit conſeil, & auſſi pluſieurs prelauts, chevaliers & autres perſonnes ſaiges & notables de noſtredit conſeil, avons deliberé & ordenné, ordenons & deliberons par ces preſentes, pour le plus expedient & pour le bien & avenement de ladite union de noſtredite mere ſainte egliſe, & pour pluſieurs aultres cauſes raiſonnables, qui ad ce nous meuvent, que combien que noſdites lettres ayent eſté baillées à noſtredite fille, ſelon l'octroy qui leur en avoit eſté fait; néaumoins la publication & execution d'icelles ſoit ſuſpenduë, & icelle par la deliberation deſſuſdite ſuſpendons de noſtre certaine ſcience & auctorité royale par ces preſentes, juſqu'à la fête de l'aſcenſion prochain venant, & defendons à tous nos juſticiers & officiers, tant de noſtredit royame, comme de noſtredit Dalphiné, ſur quanque ils ſe povent meffaire envers nous, que ſuppoſé que pendant ledit terme de l'aſcenſion, ils ou aucuns d'eulx fuſſent requis de par noſtredite fille ou aucuns des ſuppoſts d'icelle, ou aultre quelxconques, de publier ou de faire publier leſdites lettres, ou les choſes contenuës en icelles, ils ne obtemperent en aulcune maniere, & ſemblablement & ſur ſemblables peines deffendons à tous prelauts, gens d'egliſe, & ſeculiers, & aultres nos ſubgiez de noſtre royame & Dalphiné deſſuſdit, de quelque préeminence ou auctorité qu'ils fuſſent, que ſuppoſé que noſtredite fille ou aucuns deſdits ſuppoſts d'icelle ou d'aultres ſe efforçaſſent de publier ou faire publier nos lettres deſſuſdites pendant le temps deſſuſdit.... forcloent toute audience, ne ne les oyent en ce en aucune maniere. Et oultre par la deliberation deſſuſdite, volons & nos plaiſt, que durant ledit temps juſqu'à ladite feſte de l'aſcenſion, noſtredit ſaint pere puiſſe pourvoir aux egliſes

ſes & benefices d'iceulx nos royame & Daulphiné, quelxques ils ſoyent, qui ont vacqué juſqu'à ores, & vacqueront durant ledit temps, ainſi comme il lui plaira, comme il a accouſtumé, nonobſtant noſdites aultres lettres & leſdites deliberations & concluſions prinſes par leſdits prelauts & aultres perſonnes oudit conſeil, & par nos confermées & ratifiées, comme deſſus eſt dit, & toutes les aultres choſes contenuës en icelles nos lettres, leſquelles nos avons & voulons & determinons avoir por exprimées en ces preſentes, & leſquelles nos ne voulons avoir ne ſortir aucun effet juſqu'au temps deſſuſdit. Si donnons en mandement & enjoignons expreſſement par ces meſmes preſentes à vous amés & feaulx gens tenant noſtre preſent parlement, que icelles nos preſentes lettres facent publier en noſtre cour de noſtredit parlement incontinent que elles leur ſeront preſentées; & ſemblablement mandons & envoyons comme deſſus à prevoſt de Paris, & à tous nos aultres juſticiers & officiers de noſtredit royame & Daulphiné, ou à leurs litenans, & à chacun d'eulx, que nos preſentes lettres deſſuſdites facent lire & publier ſolemnement par tous leurs lieux accoûtumez à faire cris en leur juridictions, & tous ceulx qu'ils trouveront non obéir à nos volontez & ordenance & deliberation deſſuſdites, ils puniſſent, c'eſt-à-ſçavoir les prelaux & gens d'egliſe, quelxque ils ſoient, par prinſe & explectement de leur temporel & aultrement, comme à nous deſobeiſſans, ains comme à cas appartiendra, & les autres ſi rigureuſement & tellement que ce ſoit exemple à tous aultres. En teſmoinc de ce, nous avons fait mettre à ces lettres noſtre ſeel. Donné à Paris le IV. jour de Mars, l'an de grace MCCCC & ſept & le XXVIII. de noſtre regne.

A agitur, ſuperilluſtrante divina gratia, pervenire, intentionemque noſtram immutabilem per noſtras repetitas litteras patefactam, iterato per venerabiles fratres ANTONIUM Motonenſem nepotem, GUILLELMUM Tudertinum epiſcopos referendarios ac theſaurarios, & dilectum filium ANTONIUM DE BUTRIO V. J. doctorem Bononienſem, nuncios noſtros ad tuam & nonnullorum præſentiam pridie deſtinatos, reſerare providimus, ut tantum & tam deſiderabile cunctis fidelibus bonum unionis hujuſmodi ſequi poſſit in eccleſia Dei, ad quod ſuprema noſtra deſideria tendunt, B ac ipſis noſtris nunciis ad rem gerendam, exequendamque ſuper loco condecenti & idoneo, & tempore conventionis, numeroque ab utraque parte ad locum ipſum ducendorum declarandi & concordandi conceſſimus & rurſum tenore præſentium concedimus facultatem, ut omni mora, quæ maximis in negotiis ſemper conſuevit eſſe diſcrimini, ſublata de medio, Divinitate propitia, ſequi poſſet bonum inæſtimabilis unitatis hujuſmodi in eccleſia ſupradicta: nec curamus ad ea quæ in litteris tuis poſſent eſſe diſceptationis reſpondere pro voluntate noſtra firmiſſima, propter quam nullam ſecundum Deum C viam recuſamus. Sed te per aſperſionem ſanguinis Salvatoris omnium JESU CHRISTI obſecramus & etiam obteſtamur, ut in Deum oculos tuæ mentis, ac ad veritatem, omni terrena affectione ſepoſita, erigens, ſibi mundam offeras conſcientiam, ut ſaltem piis nobiſcum ad peragendum tam acceptiſſimum bonum pacis & unionis hujuſmodi concurras affectibus & effectibus, ut tandem gregi Dominico tantis & tam flebilibus perturbato D temporibus reſurgat atque proveniat pax & quies. Datum Romæ apud S. Petrum, idus Martii, pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII. ad Petrum de Luna.

Mittit ad eum ſuos nuncios ad conveniendum cum eo de modo unionis eccleſiæ, ad quam eum hortatur.

Anno 1406. *Ex mſ. illuſtriſſimi viri domini Chauvelin.*

GREGORIUS, &c. Petro de Luna, quem nonnulli ſibi in hoc miſerabili ſchiſmate adhærentes, Benedictum XIII. nominant, E pacem & conſolationem unionis cordialiter affectare.

Litteras tuas grata mente ſuſcepimus, & quæ continebantur in illis, ac expoſita per oratores tuos ad noſtram præſentiam noviſſime deſtinatos intelleximus diligentia ſingulari, ſperantes fructum ſalutiferæ & deſiderabilis unionis, quam ſemper optavimus, etiam dum minori fungebamur officio, & poſt aſſumtionem noſtram ad apicem ſummi apoſtolatus, ſupremis affectibus ſemper quæſivimus & quærimus in Dei eccleſia, cujus res

EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII. ad cardinales Petri de Luna.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1407. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

GREGORIUS, &c. univerſis qui in hoc miſerabili ſchiſmate PETRO DE LUNA, qui ſe Benedictum nominat, tamquam cardinales adhærent, pacem & unionis conſolationem.

Nuper litteras PETRI DE LUNA, qui ſe nominat Benedictum, voſque appellatis veſtrum dominum, ac litteras circa remotionem diuturni ac peſtiferi ſchiſmatis in primordio noſtræ aſſumtionis ad apicem apoſtolatus, ad noſtras & poſtea deſtinatas reſponſivas cordiali affectione percepimus, quarum continentiam & expreſſa per oratores & nuncios dicti domini veſtri circa rem hujuſmodi denotantes, eidem veſtro domino duximus circa præmiſſorum continentiam, in hæc verba, ne res protrahatur in longius,

respondendum, GREGORIUS, &c. *ut supra proxime*. Obsecramus igitur vos & obtestamur per viscera misericordiæ omnium Redemtoris, ut in Altissimum vestræ mentis oculos, & ad veritatem, omni temporali affectione in diversa mortales plerumque trahente postposita, purificatis mentibus erigentes, omnipotenti mundam conscientiam offeratis, & circa votivam expeditionem omnium præmissorum juxta spem nobis per vestras nunc oblatam placeat, & velitis intentis affectibus & effectibus operari, ut tam desiderabile cunctis fidelibus bonum unionis, circa quod omnis nostra semper invigilavit & vergit intentio, sequi possit in ecclesia sancta Dei; a cujus conclusione certissimi sitis actiones nostras nullis temporibus subtrahemus. Datum ut supra.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII. ad Carolum Francorum regem.

Se perseverare in voluntate tollendi schismatis.

Anno 1407. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

GREGORIUS, &c. carissimo in Christo filio CAROLO regi Francorum illustri, S. & A. B.

Litteras tuæ serenitatis responsivas ad nostras paterna jocundaque mente nuper accepimus, quarum devoto tenori sic præsentibus respondemus: In spe omnipotentis Dei vivimus, quod voluntatem unionis Christianorum optatæ, & remotionis schismatis, quam ipse nobis donavit, sua miseratione conservabit, quantum celerius & efficacius effectum, prout in nobis erit, effecturam, quam litteris, ore sæpius, ac nostris nunciis manifestam facimus: cujus fervore, quanto celerius potuimus, nuncios ipsos transmisimus, cum potestate concordandi de loco & tempore conveniendi, & congruis circumstantiis, sic quod confidimus nullos nos divertere malignos impetus, immo omnes unionis amatores uberiori confovere lætitia hactenus habita, pro quo auctori Deo alacres reddimus gratias. Restat ut omnes qui possunt provideant, ne malæ artes interveniant, & pura mente honor quæratur divinus, cui totum debemus quod sub nostra potestate redigitur. Hic nempe honor debitæ unionis & pacis est finis, qui debite impletur, si veritati & caritati ceditur, ad quem finem nos venire delectat. Datum Romæ apud S. Petrum, III. idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

COPIA LITTERÆ

directæ per Ricium Rossensem episcopum ad curiam Romanam super via cessionis electa ad unionem ecclesiæ sanctæ Dei.

Anno 1407. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

QUia intelleximus nuper, quod dominus noster & antipapa, de communi eorum consensu, per viam cessionis ex perfectione intendunt unitati & pacificationi ecclesiarum, propter quod merito sunt laudandi; concedat tamen Deus, ne per astutias Gallici surripiant papatum ab Italia, in destructionem etiam sanctuarii in Urbe, prout hactenus noscitur factum fuisse. Sed si contingat quod hujusmodi cessiones ex aliqua causa impediantur, honestum immo expediens erit, quod statim dominus noster convocet concilium generale, quia ad eum spectat, ut patet XVII. dist. c. 1. §. *Huic etiam*, & 11. q. VII. *Nosti in conspectu*; & juxta chronica Martini, in quibus legitur de Symmacho papa spoliato, cujus titulus fortius fuit per Laurentium suum adversarium impugnatus de hæresi, quam titulus Urbani propter metum: qui tamen convocavit concilium, cui de jure præsidebat. Ex quo sequitur, quod antipapa & rex Franciæ cum adhærentibus tenentur venire vocati ad hujus concilium; & si non venirent, essent contumaces, & tota potestas ecclesiæ reveniret apud concilium antedictum, & tenerent quidquid ibi fieret de jure, & in primo edicto citatio ad ipsum concilium, & fierent comminationes ipsi regi Franciæ de sua privatione, nisi desisteret a sua defensione pertinaci, & de exponendo regnum suum spoliis Christi fidelium, & de assignando regnum suum regi Angliæ ad fortificandum titulum suum ex abunde in eodem. Plus quam verisimile est, quod nec ipse rex Franciæ, nec sua adhærentia expectabunt tam acerbos ictus, eo quod hæc & eis majora potest facere concilii generalis auctoritas, nec suas pertinacias possunt defendere, prout faciunt Græci, quia illi quasi in extremitatibus Christianitatis, isti vero in corde & medio Christianorum existunt, nec erit multum difficile totum clerum ad hujusmodi concilium convocare, quia quamplura fuere concilia, in quibus etiam agebatur de statu ecclesiæ, ut de hæresibus diversis reprimendis, ut in libro conciliorum, celebrata citra numerum c. immo LX. episcoporum. Hic tamen non agitur, nisi de jure duarum mortalium personarum. Et licet in ipso concilio dominus noster suspenso petitorio, posset petere restitutionem, eo quod papa spoliatus sive privatus debeat restitui, ut dicitur locis superius allegatis, & secundum archidiaconum in dicto §. *Si tamen*, expedit, quod dispensative utrumque simul terminetur, prout ibi legitur & no. Nec obstat XXIII. dist. c. *In nomine Domini*, & LXXX. dist.

c. *Si quis pecuniam*, & in q. 1. *Patet*, quia loquuntur de illo qui temeritate propria, vel pecunia, vel tumultu populi absque aliqua electione per cardinales facta, notorie se intrusit, nec aliter possunt intelligi propter prædictum §. & Archid. in dicto §. *Si qui*, dicit expresse, quod papa spoliatus debet ante omnia restitui, sicut alius. Nec obstat c. *Si duo* LXXX. dist. quia loquitur quando a cardinalibus duo fuerunt electi, & neuter habuit duas partes, & sic nullitas fuit votorum, ut in nota in Glossam. Secus tamen est in facto nostro, &c. Hæc enim via tuta esset pro conservatione sanctuariorum in Urbe, quæ laïcis sunt quasi signum fidei nostræ, ac etiam pro conservatione totius patrimonii beati Petri. In via autem cessionis prædictæ, licet de sui natura sit meritoria, eo quod procedit ex radice perfectionis, quia tamen in substitutione futuri pontificis multæ possunt esse deceptiones, præsertim per eos, qui anhelant ut papatus locetur inter eos, extra locum proprium ad hoc deputatum. De istis & quampluribus aliis hanc materiam concernentibus, dimisimus in recessu nostro de curia in manibus sanctæ memoriæ domini Bonifacii & dominorum cardinalium unum Sextum de sex foliis, & præsertim domini mei cardinalis Neapolitani adhuc viventis cum allegationibus in jure, prout in numero tunc concurrebant sub correctione sociorum & majorum meorum cardinalium. Insuper si de consensu omnium cardinalium vel duarum partium fuit cardinalis S. Petri positus in cathedra ad adorandum, &c. tunc meo videre dominus URBANUS fuit bene electus, etiamsi fuisset metus ab extra sufficiens & qui caderet in constantem; quia metus non impedit nec rescindit, nisi metum passus sequitur ipsum metum, ut notatur per Jo. Mo. quod metus causa c. 1. & per illam positionem in cathedra, ipsi cardinales credebant potius displicuisse Romanis metum inferentibus, quam placuisse, eo quod non posuerunt URBANUM qui fuit electus in cathedra, sed alium. Et licet ipsi Romani clamarunt: *Volumus Romanum vel Italicum*; tamen credebant cardinales displicuisse ipsis Romanis per electionem hujus Italici, & forte propter odium antiquum inter Romanos & Neapolitanos. Quod si credidissent cardinales placuisse Romanis per electionem, citius ipsum verum electum quam alium posuissent in cathedra ad adorandum, & sic non sequebantur metum. Ex quibus sequitur meo videre cum subtili prosecutione, quod per hoc solum proprietas papatus & titulus Urbani sufficienter absque aliis esset probatus, etiam circumscriptis nonnullis ipsius metus purgationibus, quæ sequebantur, &c. Et sic dominus noster non potest timere de sententia ipsius concilii, & maxime propter numerum episcoporum de sua obedientia, &c. Hæc enim scribimus vobis in supradictum, in quem istam materiam publicare dominis meis cardinalibus, & si videatur etiam in sermonibus coram papa & cardinalibus discretioni vestræ relinquimus, quam conservet episcopus sanctus feliciter ut optamus. Londoniis anno Domini MCCCCVII.

COPIA GESTORUM IN MASSILIA per dominum Benedictum & suum collegium, & ambassiatores domini Gregorii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen. Ad futuram rei memoriam per hoc præsens publicum instrumentum cunctis id visuris & audituris pateat evidenter, quod cum pro extirpatione diuturni ac pestiferi schismatis in ecclesia Dei vigentis, & assecutione sanctissimæ unionis a cunctis Christi fidelibus præoptatæ, dominus ANGELUS Corrario, qui ab adhærentibus sibi in hoc pernicioso schismate GREGORIUS nuncupatur, in Urbe residens, & suum prætensum collegium, illorum videlicet qui apud partem suam cardinales appellantur, egregios viros ANTONIUM nepotem, qui pro Motonensi, & GUILLELMUM, qui pro Tudertinensi episcopis se gerunt, nec non nobilem ANTONIUM DE BUTRIO utriusque juris doctorem, nuncios & oratores suos ad SS. in Christo patrem & dominum nostrum, dominum BENEDICTUM divina providentia papam XIII. in Massilia pro nunc residentem, & sacrum collegium reverendissimorum in Christo patrum dominorum S. R. E. cardinalium destinassent, pro concordando de loco condecenti & idoneo, & tempore conventionis per utramque partem faciendæ, & de numero personarum a quolibet partium prædictarum ad locum ipsum ducendarum, & aliis quæ circa ea fuerunt necessaria; præfatisque suis nunciis & oratoribus ad hoc mandatum & potestatem concessissent per suas litteras more suo bullatas & sigillatas, quarum tenores de verbo ad verbum inferius sunt inserti, & gratia S. Spiritus per ante de loco, tempore & aliis præmissis, nec non & circumstantiis nonnullis ad rem conficiendam pertinentibus, jam inter præfatos dominum nostrum papam & suum collegium infrascriptorum dominorum cardinalium, & nuncios & oratores præfatos esset laudabiliter concordatum, conventum, promissum & conclusum, & propterea forent nonnulla formata & in scriptis redacta capitula, hujusmodi concordiam concernentia, quorum tenor etiam de verbo ad verbum inferius est insertus. Tamdem die XXI. mensis Aprilis, anno a nativitate Domini MCCCCVII. indictione XIV. pontificatus domini nostri papæ anno XIII. in loco infrascripto congregatis, dicto domino nostro papa

Anno 1407. *Ex mss. sancti Laurentii Leodiensis & Chanvelinano.*

& reverendiſſimis in Chriſto patribus dominis GUIDONE Peneſtrinenſi, NICOLAO Albanenſi, Jo. Hoſtienſi, Jo. Sabinenſi, PETRO Tuſculanenſi, & BERENGARIO Portuenſi epiſcopis, P. tituli ſanctæ Suſannæ, GUILLELMO tituli ſanctæ Ceciliæ, & PETRO tituli ſanctæ Praxedis preſbyteris, nec non AMEDEO ſanctæ Mariæ novæ, LUDOVICO ſancti Adriani, & ANTONIO ſanctæ Mariæ in via lata diaconis cardinalibus, & dictis nunciis & oratoribus, ac nobis notariis & teſtibus infraſcriptis, prætacta & infra inſerta capitula ibidem exhibita fuerunt, lecta & publicata, per quorum lectionem & publicationem præfatus dominus noſter papa & ſuum collegium prædictorum dominorum cardinalium, ad perfectionem ſacratiſſimæ unionis, juxta oblata per ipſum dominum noſtrum papam dicto domino ANGELO, & ſibi ac per orbem ſcripta per litteras ſuas ſub bulla data Maſſiliæ apud ſanctum Victorem II. calendas Februarii, pontificatus ſui anno XIII. in quibus idem dominus noſter papa perſtitit, perſiſtit & perſiſtere, domino concedente, intendit, & ea cupit, ac affirmavit integre adimplere, pure, libere & ſimpliciter, & ex certa ſcientia, ſponte prædicta & infra inſerta capitula, ac omnia & ſingula in eis contenta conceſſerunt, firmaverunt & approbarunt, ac promiſerunt nobis notariis infra ſcriptis, tamquam publicis perſonis, vice & nomine omnium illorum, qui in hoc negotio tanguntur, & quorum intereſt & intereſſe poterit, legitime ſtipulantibus & recipientibus ipſa capitula & omnia in eis contenta, prout ad quemlibet prædictorum ſpectat, & ſpectare poterit, ſeu ſpectabit, in futurum tenere, obſervare & complere, & non contra facere, nec contra venire. Et ſubſequenter præfati domini nuncii & oratores nominibus & pro parte dicti ANGELI & ſui prætenſi collegii, ex mandato & poteſtate eis traditis per præfatas & infra inſertas litteras, ut præfertur, ad perfectionem ſacratiſſimæ unionis, juxta votum, promiſſionem & juramentum atque ſcripta dicto domino noſtro papæ & per orbem per præfatum dominum ANGELUM, in quibus ipſe perſtitit, perſiſtit, & perſiſtere, domino concedente, intendit, & ea cupit, ut affirmarunt, integre adimplere, pure, libere & ſimpliciter, ex certa ſcientia, ſponte prædicta capitula & omnia & ſingula in eis contenta conceſſerunt, firmaverunt & approbarunt, & promiſerunt nobis notariis infraſcriptis, tamquam perſonis publicis, vice & nomine omnium illorum, qui in hoc negotio tanguntur, & quorum intereſt vel intereſſe poterit, legitime ſtipulantibus & recipientibus ipſa capitula & omnia in eis contenta, prout ad quemlibet prædictorum ſpectat, & ſpectare poterit, ſeu ſpectabit, in futurum tenere, obſervare, & adimplere, & non contra facere, nec contra venire. Et inſuper dicti nuncii & oratores, nominibus & poteſtatibus quibus ſupra, convenerunt & promiſerunt ſolemniter ſtipulatione præmiſſa, ut eſt dictum, ſe curaturos ac facturos cum effectu, quod præfatus dominus ANGELUS & ſuum prætenſum collegium aſſertorum pro parte ſua cardinalium infra menſem Julii proxime ſecuturum, acta & geſta ſupradicta & infraſcripta per eos in præſenti inſtrumento contenta, cum ſuis clericis univerſis concedent, firmabunt, promittentque tenere, & obſervare, & complere, & non contra facere, nec contra venire, & de his dabunt in forma plena publicum & authenticum documentum; de quibus omnibus & ſingulis ſupradictis & infraſcriptis, tam præfatus dominus noſter papa & ſuum ſacrum collegium, quam dicti nuncii & oratores requiſierunt fieri & expediri unum, duo, vel plura, publicum vel publica inſtrumenta per nos notarios infraſcriptos. Tenor vero litterarum dicti domini ANGELI & ſui prætenſi collegii, talis eſt:

« GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei; « venerabilibus fratribus ANTONIO Motonenſi, « GUILLELMO Tudertino epiſcopis, referenda- « riis ac theſaurariis, & dilecto filio ANTONIO « DE BUTRIO utriuſque juris doctori Bononien- « ſi, noſtris & apoſtolicæ ſedis nunciis, ſalutem « & apoſtolicam benedictionem. Cum pro ex- « tirpatione diuturni ac peſtiferi ſchiſmatis, & « conſecutione deſiderabilis unionis in Dei ec- « cleſia ad PETRUM DE LUNA, quem nonnulli « ſibi in præfato ſchiſmate adhærentes, BENE- « DICTUM XIII. nominant, & ad quoſdam a- « lios, in nuncios noſtros vos præſentialiter de- « ſtinemus, nos volentes ut de intentione no- « ſtra ac poteſtate vobis tradita docere poſſitis, « ſi & quando vobis expedire videbitur, has « litteras fieri fecimus, per quas diſcretioni ve- « ſtræ de loco idoneo & condecenti, ac tem- « pore conventionis per nos & ipſum Petrum « faciendæ, ac de numero ab utraque parte « ad locum ipſum ducendorum, cum dicto Pe- « tro concordandi, & quæ circa ea neceſſa- « ria fuerint in præmiſſis; idque faciemus, au- « ctore Domino, uſque ad ſatisfactionem con- « dignam inviolabiliter obſervari. Datum Ro- « mæ apud ſanctum Petrum III. calendas Mar- « tii, pontificatus noſtri anno primo. «

« MISERATIONE divina epiſcopi, preſbyteri, « ac diaconi S. R. E. cardinales cum deſiderio, « reverendo in Chriſto domino PETRO DE « LUNA, quem nonnulli in hoc miſerabili « ſchiſmate BENEDICTUM XIII. appellant, pa- « cis & unionis affectum. Pro extirpatione in- « veterati ac horrendi ſchiſmatis SS. dominus « noſter, dominus GREGORIUS papa XII. reve- « rendos in Chriſto patres dominos ANTONIUM « ejus nepotem Motonenſem, & WILLELMUM « Tudertinum epiſcopos, theſaurarios ac refe- « rendarios, & dilectum nobis in Chriſto AN- « TONIUM DE BUTRIO utriuſque juris doctorem «

» Bononiensem, nuncios suos ad reverentiam
» vestram ac nonnullos alios ad præsens diri-
» git, ejus intentionem aliàs vestræ reverentiæ
» per suas nostrasque litteras super extirpatio-
» ne hujusmodi schismatis intimatas serioſiſſi-
» me relaturos, quorum relatibus etiam parte
» nostra reverentia vestra adhibere velit cre-
» dentiæ plenam fidem. Datum Romæ XXVI.
» Februarii, pontificatus præfati domini nostri
» anno primo. Capitulorum vero series sequi-
tur in hæc verba: In primis quod ambo &c. *ut in tomo 2. Anecdotorum nostrorum* p. 1314.

Acta fuerunt hæc Massiliæ apud monasterium sancti Victoris in camera paramenti residentiæ præfati domini Benedicti, anno, indictione, mense, die & pontificatu prædictis, præsentibus dominis Francisco Narbonensi camerario, Petro Tholosano referendario, Theobaldo Bisuntino, Jo. Viennensi archiepiscopis, Ludovico Dertusensi, Petro Ilerdensi, Bertrando Vaurensi, & cubiculario dicti domini nostri papæ, Raymundo Petragoricensi, Jo. Vivariensi, Paulo Lucensi, & Francisco Niciensi episcopis, ac Johanne Montis Aragonum, Hieronymo sancti Johannis de Pinna, Oscensis diœcesis, Aymerico sancti Saturnini Tholosani, & Henrico S. Andreæ, monasteriorum abbatibus, nec non honorabilibus & egregiis viris dominis, dominis fratre Raymundo de Lescura milite ordinis hospitalis S. Johannis Jerosolymitani, præceptore Cypri, Francisco Daranda ordinis Cartusiensis donato, Dominico Rani priore Cæsarauguſtano, decretorum doctore, Lazaro Martini decano Oscensi, sacræ paginæ professore, Stephano Chamberti sacrista Carpentoratensi, ecclesiarum jurisperitis, Ludovico de Valterra legum doctore, ac Brancasio Baufale * marescallo præfati domini nostri papæ, & Hugone domino de Albespino militibus, cum pluribus aliis notabilibus ac utriusque juris peritis viris testibus, nec non nobis Petro Eximini de Pilaribus, præposito Ilerdensi, Guillelmo Carbonella sacrista Barchinonensi, & Petro de Ponte decano Castri-novi de Arrio, S. Pauli diœcesis, apostolicæ cameræ clericis, & Ægidio Juvenis Remensis, Nicolao de Clemangis Bajocensis, ecclesiarum cantoribus, ac Petro Soriani archidiacono Penicensi in ecclesia Barchinonensi, præfati domini nostri secretariis, ac Juliano de Loba Tirasonensis, Gerardo Petri de Eschenensi * Laudunensis ecclesiarum canonicis, & Antonio de Campis Dertusensis diœcesis, publicis apostolica auctoritate notariis, pro parte domini nostri papæ & sui collegii præfatorum ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Pro parte vero dictorum dominorum nunciorum seu oratorum dicti domini Angeli & sui prætensi collegii, fuerunt præsentes venerabiles & honorabiles viri Mathæus de Strata, notarius assertæ cameræ, & Georgius de Pala scriptores abbreviatores litterarum dicti domini Angeli, Blasius de Catinis pro presbytero S. Senorii de Venetiis, Johannes de Wersmim pro canonico sancti Victoris Dulmensis, Monasterienſis diœcesis ecclesiarum se gerentes, & Baptista de Testis de Bononia pro notariis, & Guido de Busco magister in artibus & bacalarius in decretis, clericus capellæ, Johannes de Magnavis de Bononia presbyter, & Rodgerus de *Diick* litterarum dicti domini Angeli scriptor, ac Nicolaus de Faganea, plebanus plebis sancti Stephani in Camelico, Aquilegiensis diœcesis, & Hugo Johannis, clericus Argentinensis, pro testibus per præfatos nuncios & oratores, & pro parte & nominibus quibus supra, ad præmissa vocati specialiter & requisiti, pariter & rogati.

Ego Petrus Eximini de Pilaribus, bacalarius in decretis, præpositus ecclesiæ Ilerdensis, cameræ apostolicæ clericus, publicus apostolica auctoritate notarius, præmissis omnibus & singulis, dum, ut supra scripta sunt, agerentur & fierent, unà cum notariis subscriptis præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi. Ideo huic præsenti publico instrumento manu aliena fideliter scripto, signum meum solitum apposui, me hîc manu propria subscribendo signavi rogatus & requisitus in testimonium præmissorum.

* al. Bonfile.

* al. Eſchetei.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII. communi & consilio Ancianorum civitatis Saonæ.

Gratias agit de oblata sibi suoque collegio securitate.

Anno 1407. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

Gregorius, &c. dilectis filiis communi & consilio Ancianorum civitatis Saonæ S. & A. B.

Venerunt nuper ad præsentiam nostram dilecti filii oratores vestri, qui laudabilis & sineræ vestræ intentionis propositum circa extirpationem lugubris ac pestiferi schismatis, & consecutionem desiderabilis unionis in Dei ecclesia, & oblationes vestra ex parte ampliſſimas erga securitatem nostram & venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium & aliorum, & erga alia emergentia in præmissis nobis expresserunt diligentia singulari, ex quibus propositum ipsum filiale duximus in Altissimo condignis laudum præconiis extollendum, acceptantes paternis & gratis affectibus oblationes hujusmodi, tam liberaliter quam filialiter per vos factas, quibus uti intendimus in cujusvis ingruentis necessitatis articulo, confidentia singulari, offerentes nos ad illa dispositos per quæ & publicis & privatis vestris negotiis possit vestræ dilectionis integritas incrementis salutaribus confoveri: Exhortantes eamdem nihilominus, quatenus circa ordinationem & dispositionem gerendarum rerum, quantum ad

vos poterit attinere, erga acceſſum noſtrum & ipſorum fratrum & aliorum ad civitatem veſtram Saonenſem, & reſidentiam in illa, ſtudio ſingularis diligentiæ velitis, ut de veſtra intentione confidiraus, providere, ac exequi quæ hujuſmodi materia poſtulabit, ut exinde veſtræ devotionis ardorem poſſimus in largitore bonorum omnium non immerito commendare. Datum Romæ apud S. Petrum, idibus Junii, pontificatus noſtri anno 1.

COPIA (a) LITTERÆ directæ domino de Thureyo per dominum noſtrum papam Benedictum XIII.

Ut Niceam ad eum accedat.

Anno 1407. *Ex mſ. S. Laurent. Leodienſis & illuſtriſſ. dom. Chauvelin.*

BENEDICTUS, &c. Dilecte fili, poſtquam nuper de receſſu noſtro, nec non propter peſtem de hac villa tibi ſcripſimus per expreſſum, duas ab ANGELO CORRARIO ejuſdem tenoris recepimus litteras, quarum copiam continet cedula præſentibus interclusa, in quibus conjicere poteris qua via in factis eccleſiæ Angelus ipſe procedat. * Nos autem deliberatione prahabita, cum illis quos hic habere potuimus, Angelo prædicto reſcripſimus, prout etiam in fine dictæ cedulæ videbis plenius contineri. Nec propterea a concordatis recedere intendimus; ſed in aſſumpto propoſito perſiſtentes, verſus Niciam in nomine Domini, prout ſcripſimus, dirigimus greſſus noſtros, ut debitum ad quod obligamur Deo & eccleſiæ perſolventes, fraudibus poſſibilibus occurramus, quo convinci poſſent, ſi nobis ſub ſpe ſuæ reverſionis accedere negligentibus, ille cum ſuis in prefixis loco & tempore compareret. Quamobrem circumſpectionem tuam requirimus & hortamur, quatenus te circa præmiſſa taliter diſponas, quod per totum menſem præſentem Niciæ, prout apunctuatum extitit, perſonaliter ſis nobiſcum, ut ab inde ad executionem eorum quæ concordata ſunt, favente domino, procedere valeamus. Datum Maſſiliæ apud S. Victorem die 1. Auguſti, ſub ſigneto noſtro ſecreto.

* *al.* incedit.

Præterea ad ea quæ ſcripſiſti ſuper adventu ambaſſiatorum dicti Angeli venientium de Pariſius, quid ulterius ſcribere debeamus non videmus, niſi quod eis copiam litterarum magiſtri eorum oſtendas, ut videa: t qualiter concordata & fitmata negotia diſponantur. Et inſuper eos moneas, ſicut tibi videbitur, ut dominum ſuum inducant, ad exequendum ea quæ firmata ſunt, quantum ad ejus partem ſpectat, & de eis quæ ſuccedent, cum eis quæſumus continuo nobis reſcribas. Datum, ut ſupra. P. SARIANI.

(a) Hanc Benedicti epiſtolam deſcripſimus ex mſ. codice S. Laurentii Leodienſis, in quo extat poſt ejuſdem Benedicti aliam epiſtolam, alias à nobis editam tom. 2. Anecdot. pag. 1386. & duas Gregorii, quarum prima extat ididem pag. 1387. altera apud Rainaldum ad annum 1407. n. 8. & alteram ejuſdem Benedicti epiſtolam quæ habetur, tom. 2. Anecd. pag. 1380.

EPISTOLA BENEDICTI XIII. ad Johannem ducem Bituricenſem.

Scribit dominus B. principibus diligentiam per eum factam in facto unionis habendæ.

Anno 1407. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

BENEDICTUS, &c. dilecto filio nobili viro JOHANNI duci Bituricenſi, ſalutem, &c.

Etſi tua, fili dilecte, & plurimorum aliorum chriſtianæ fidei profeſſorum mens ſolida perſuadet, quod ad fucatam relationum verſutiam non movetur, nec blandis ſermonibus ſupplantatur: quia tamen ſunt quandoque in plebe nonnulli, qui facili credulitati animos applicantes, plerumque ex veritatis errore ſiniſtra perſuaſione devicti, in devium prolabuntur; diſſimulandam rem non credimus, neque tacendam, quominus circa occurendam his diebus in factis eccleſiæ unitatis veritatem geſtorum planis ſermonibus ſinceriſque affectibus explicemus; ne hoſtis antiquus, qui ſæpe in angelum lucis ſe transfigurat, aliud cordibus fidelium imprimat, quam veritas patiatur.

1. Cum ergo ad eradicandum ſchiſma peſtiferum, a magnis citra temporibus in Dei eccleſia proh dolor exortum, profugandumque de medio chriſtiani populi ſeneſcentis erroris pervicaciam, ac procurandam, Deo auctore, eccleſiaſticam unitatem, etiam dum minor nos ſtatus haberet, ſed præcipue poſtquam nobis indignis ab Alto impoſitum extitit onus apoſtolicæ ſervitutis, tanto accuratius ardentiuſque, quanto rem ipſam ad nos principalius ſpectare cognoſcimus, omnem diligentiam nobis poſſibilem, Deo & compatientia teſtibus, adhibuerimus, vias & modos exquirendo multiplices, quibus melius poſſet, fructuoſa operatione intercedente, tam exitiale malum de medio chriſtianitatis radicitus exſtirpari.

2. Poſt varios tandem tentatoſque labores, incaſſum, malitia operante, deductos, apud duos in ſede apoſtolica intruſos, ipſiuſque ac Urbis nefarios detentores, PERRINUM DE TOMACELLIS videlicet, & COSMATUM DE CELINONA, quibus aperuimus vias rationabiles & honeſtas & ab ipſis aperiendas, quas nos obtulimus recepturos, prout fere cunctis fidelibus credimus fore notum. Noſtris in hac parte deſideriis ab eiſdem intruſis data repulſa, ad optatam concluſionem nequivimus pervenire. Sed Deus judex juſtus eorum demerita ex alto proſpiciens, eos de terra ſubita & improviſa morte ſubtraxit. Quibus de medio ſic ſublatis & ſubtractis, hi qui apud partem illam pro cardinalibus ſe gerunt, ANGELUM CORRARIO, qui ſe facit a ſibi adhærentibus Gregorium nominari, in ſuum dominum, prædictorum Perrini & Coſmati ſucceſſorem illicitum ſurrogaverunt. Qui ſtatim nobis per ſuas, & multis catholicis principibus litteras

indicavit, se votis & juramentis astrictum pro danda pace in Dei ecclesia, & propterea velle convenire nobiscum, ad promissa vota in actu effectualiter deducenda. Nos autem credentes indubie, virum istum secundum cor nostrum, veris, ad salutarem rem peragendam, caritatis se vinculis astrinxisse; ipsum, ad tam pii *operis consummationem*, dignum extimavimus habere consortem, & tamquam totius duplicitatis expertem, inextimabilis boni nobiscum fieri participem. Unde sibi directis nostris apicibus, sub data Massiliæ apud S. Victorem secundo cal. Februarii pontificatus nostri anno XIII. quæ pro vera pace in Dei ecclesia adhibenda expedire conspeximus, semotis ambiguitatibus, duximus offerenda, & sibi ac multis christianis principibus intimare. Et quia, ut dictus ANGELUS scripserat, consilii sui non erat, ut ejus verbo utamur, tempus terere, & apud nos pro tanti boni prosecutione moras graves sustinere non poterat; dictusque Angelus suos ad nos, pro concordando de loco ad conventionem opportuno, & aliis necessariis ad rem conficiendam, spoponderat nuntios destinare, quos nos libenter videremus, & caritative tractaremus, scriptis nostris adjecimus. Deinde, nobis cum nostra curia Massiliæ degentibus, Angelus ipse ANTONIUM nepotem suum, qui pro Motonensi, & GUILLELMUM qui pro Tudertinensi episcopis se gerebant, ac ANTHONIUM DE BUTRIO utriusque juris doctorem Bononiensem, quos tamquam sibi caros & industrios ad hanc rem, ut dixit, explendam, elegerat nuncios suos, ad concordandum de loco conventionis & numero ab utraque parte ad locum ducendorum, & ad declarandum & gerendum ea quæ circa hæc oportuna forent, plena & libera facultate suffultos, ad nostram præsentiam post dies aliquos destinavit, qui ultima die Junii applicuere Massiliam, & habitis inter nos & venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales ex una, & nuncios prædictos nomine dicti Angeli & præfati sui prætensi collegii, ex altera partibus, colloquiis variis & tractatibus, factisque discutionibus & collationibus de diversis locis & circumstantiis ad rem perficiendum necessariis, de articulisque omnibus opportunis, prout talis & tanti negotii qualitas exigebat, tandem ab utraque parte extitit concordatum, locusque Saonæ, propter qualitates in ipso loco huic actui magis accommodas concurrentes, præmissis aliorum locorum discussionibus concorditer deliberate, & consulto est electus unanimiterque receptus, in quo nos & nostrum collegium, ac ipse Angelus & suum prætensum collegium, pro unione hujusmodi exequenda, ac, dante Domino, obtinenda, in festo S. Michaelis, vel si dictus Angelus certo casu in hujusmodi termino interesse non posset, in celebritate Omnium sanctorum tunc futuris, nunc vero proximе lapsis, convenire personaliter deberemus; & exinde confecta fuerunt hinc inde in forma authentica quamplurima publica documenta, multorum notariorum subscriptionibus celebrata, quæ postea fuerunt per ipsum Angelum Corrarium verbo & scripto multiplici approbata, de quorum tenore per singula, cum jam fere cunctis per orbem constet fidelibus, longam texere narrationem superfluum videretur.

3. Sed jam venientes ad factum; nos ad consecutionem unionis hujusmodi totis præcordiis anhelantes, sperantesque in illo, cujus res agitur, ad ea quæ agenda restabant, juxta concordiam habitam Massiliæ, ut præfertur, cunctis, prout tanti negotii arduitas exigebat, non sine magnis laboribus & expensis, expeditis, dispositis & completis, quæ ante conventionem agenda contractus celebrati necessitas postulabat, ne aliquid negligentiæ in Dei negotio nobis posset ascribi, quæ præfatus Angelus decreto in tempore, sicut expresse ex forma initæ concordiæ tenebatur, an vellet in primo vel in secundo termino comparere: nos tamen volentes singula quæ inter nos & ipsum Angelum concordata & promissa fuerant, quantum ad nos pertinebat, realiter executioni mandare, cum *prædictorum fratrum nostrorum* venerabili cætu, in primo termino, imo ante terminum festi S. Michaelis præfati, juxta conventa prædicta, Saonam pervenimus, dicto Angelo cum suo prætenso collegio aut aliquo ex eis, qui jam in cunctis, quæ ante conventionem per eos agenda vi contractus, ut præmittitur, incumbebant, defecerunt & minime comparendum censuerunt: de quo fuimus vehementi admiratione gravati. Nec mirum, cum pax quam confidenter Christianam attendebamus, culpa dicti Angeli dilationum sentiat detrimenta.

4. Nos autem adhuc credentes, quod Angelus ipse, licet in præmissis primo termino defecisset, adhuc in secundo termino compareret; & quod in primo termino neglexerat, saltem in secundo suppleret, ipsum per unum mensem, quamquam adhoc nulla nos alia necessitas nisi animarum zelus arctaret, duximus expectandum: in quo termino, videlicet Omnium sanctorum proxime lapso, prædicti Angelus & suum prætensum collegium, si æquitati initi contractus, prout promiserant, adhærere volebat, comparere poterant & debebant, nec comparere curarunt, nec adimplere aliquid de præmissis, quamquam medio tempore, cum omni mansuetudine & caritate, ac instantia singulari, ipsum Angelum litteris ac frequenti nuntiorum nostrorum instantia monuerimus, ne deficeret in promissis. Ipse vero ad alia argumenta se convertens primo, deinde quorumdam oratorum suorum relatibus, conatus est suam apertam contumaciam atque buf-

fariam facatis coloribus excusare, & ab itineris veraci nec dum finiti prosecutione cessando, ibi incidit in deficiendi periculum, ubi progrediendi deposuit appetitum, dum post lapsum utriusque termini constanter affirmat, se ad observationem concordatorum hujusmodi non teneri, ut interim scripturarum suarum inhærens ornatui, & arte ludens rhetorica, mentesque simplicium curiosa & exquisita verborum novitate demulcens, ipsorum animos detineat in suspenso, ne si, quam fugit, veritatis amica simplicitas scriptis inhæserit, dissolutis suarum nubeculis fictionum, veritatis radius cunctis fidelibus innotescat. Nos autem ipsius veritatis simplicitate contenti, ejusdem Angeli prætensarum excusationum figmenta, quæ nobis per suas litteras & nuncios intimavit, simul cum nostrarum declarationum & responsionum brevi epilegio, mandavimus præsentibus intercludi, ut ex earum evidenti tenore diffugentium unionem palliata duplicitas, & ad eam efficaciter prosequentium puritatis sinceritas possit facile comprehendi. Præmissa ideo sic nobilitati tuæ disponimus per singula reservare, ne aliter credendum sit æmulorum siniſtris a veritate sermonibus. Et ne qui de populo Christiano tuæ devotioni subjecto, confictis informationibus seducantur; & quia dulcius munera divinæ gratiæ perveniunt, quotiens sine magnis sudoribus acquiruntur, post tantos labores pro parte nostra susceptos, post expensarum sarcinam, post tot graves contractus, post multa non facile numeranda discrimina, a tam sancti operis non intendimus prosecutione cessare: sed considerantes, quod minus bonum plerumque videri solet pax continuata per otium, quam reddita per laborem, propositum gerimus & habemus in votis, quantum ipse promisit, a quo postulamur dirigi gressus nostros, ad executionem hujusmodi divini operis fortius & ferventius laborare. Hortamur ergo te, fili dilecte, quatenus negotia ecclesiæ atque nostra susscipias in caritatis visceribus recommissa taliter, ut exinde ultra humanum laudis præconium, æternum tibi præmium compares apud Deum, in quo te optamus bene valere. Datum Saonæ (a) pontificatus nostri anno XIII.

(a) Dixit superius indictum fuisse terminum Angelo Corrario festum diem S. *Michaelis vel omnium sanctorum, proxime lapsum:* ergo scripta est post festum omnium sanctorum.

EPISTOLA GREGORII XII. ad Petrum de Luna.

Deprecatur ut locum Saonæ ad conveniendum assignatum velit mutare.

Anno 1407. *Exmſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

GREGORIUS, &c. PETRO DE LUNA, quem nonnulli in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum.

Scripsimus tibi nuper Viterbii existentes: sed quia ex certis conjecturis dubitamus litteras nostras ad te delatas non fuisse, eas per præsentes iterari fecimus sub eadem forma quæ talis tunc fuit. Recepimus litteras tuas ejusdem tenoris, & ultimam hodie, quibus intelligimus, te non apprehendisse veras & legitimas causas pro mutatione loci Saonæ, breviter in litteris nostris expositas: quarum distincta notitia, si tuæ claruisset menti, tantum bene de te extimamus, quod illas benigne acceptasses, & nobiscum conveniſſes in commutatione loci præfati, ut decet virum prudentem, & in Deo suos motus dirigentem. Nos quidem ex his & aliis manifestis, ex debito commovemur, rectissimæ rationi innitentes ad dicti loci mutationem. Quare per passionem Domini nostri te astringimus, ut velis caritative circumspicere, & te de singulis plenissime informare, ut tua circumspectio nobiscum valeat providere, ne dum in loco Saonæ pax ecclesiæ quæritur, gravis divisio relinquatur, & fidelium populorum sub dominio ecclesiæ degentium, gravi sub exterminio conditio exponatur. Et tanta est molestia de eodem loco apud partem nostram, & majores ac tales informationes, ut anxie dubitemus ibi non posse compleri intentionem integræ & pacificæ unionis ut dictum...se offerunt, quæ prædicto loco obviant. Et si sub pondere rationis recte avertis, videbis ex carentia galearum & aliis temporalibus defectibus penitus involuntariis, ingentem nobis adhæsisse difficultatem nos conferendi ad locum Saonæ, quæ sola non nos retardaret, & nobis prævalidam honestatis securitatem subtractam contra intentionem contractus. Cum igitur finis necessitatem imponat his, quæ sunt ad finem, & proportionata debeant esse media, quæ ducunt in finem: imprudentiæ est inniti medio turbativo finis: difficultates vero & perplexitates quæ conferunt ad finem, non sunt deserendæ sed implendæ, quales non fugimus: sed omne arduum conferens sequimur, & gratia Omnipotentis, sub rectissima positi affectione causas invalidas & prætensas non adjicimus: sed quas caritas diligenter susscipit. Fraterna igitur caritas pie te moveat, & congruis mediis ad finem concorditer gemamus optatum. Datum Viterbii VIII. calendas Septembris pontificatus nostri anno primo.

EPISTOLA GREGORII XII. ad Januæ gubernatorem.

Instat pro mutatione loci Saonæ, & obsides offert germanum suum & unum ex natis ejus.

Anno 1407. *Exmſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

GREGORIUS, &c. dilecto filio nobili viro Johanni *Le Mengre*, dicto *Bouciquault*, gubernatori

gubernatori Januæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Erecta tua nobilitas & quicumque Chriſticola perpetuæ beatitudinis ſperet præmia, ſi pro his, quæ ad pacem univerſalem cunctorum Chriſti fidelium matris, dominæ & magiſtræ dignoſcuntur exiſtere, integritate puriſſima expoſuerit ſe & ſua tam fideli quam æquanimi caritate. Ad cujus quidem pacis propoſitum, cum omnis noſtra intentio promtiſſima ſemper extiterit, ac ſtudiis ardentibus & propenſioribus prona & pervigil aſſidue vergat; & nobilitatem tuam, & reliquos ad tanti & tam ſalutaris proſecutionem negotii ab intimis noſtris excitamus præcordiis, oblationes ejuſdem nobilitatis in hac re & quibuſvis aliis opportunitatibus collaudantes, illis utemur, cum ſe caſus ingeſſerit. Et exoptantes toto cordis affectu horrendum ſchiſma de medio ſummoveri, petivimus jam pridem, ut in tuæ nobilitatis notitiam certiſſimi ſumus debuit perveniſſe, ob defectum galearum fidarum, cum quibus ad civitatem Saonæ, pro exſtirpatione ipſius peſtiferi ſchiſmatis, mens fuerat accedere, cum nulla præberetur occaſio ipſas conſequendi; pro quibus habendis ſcilicet, incaſſum tam nos quam venerabiles fratres noſtri S. R. E. cardinales ſtudia ſupremæ diligentiæ poſuimus; ut earum loco ac pro ſecuritate noſtra & noſtrorum, obſides tam Januenſium quam Saonenſium civium nobis & nonnulla alia aſſignarentur & fierent, quæ, & majora tui parte & per oratores regios, & per alios ſæpius nobis oblata fuere, prout in reſponſione noſtra Romæ apud S. Petrum oratoribus & nunciis Petri de Luna, quem nonnulli in hoc pernicioſo ſchiſmate Benedictum XIII. nominant, facta liquent; quæ effectu, quod non putabamus, caruerunt. Unde in admirationem & ſtuporem non mediocriter adducti ſumus, maxime cum honeſta, æqua & rationabilia fuerint poſtulata. Ac videntes rem ipſam petitam, honeſtati, æquitati & rationi congruentem fine fruſtratam ſuo, in tam ſalutaris ac divini proſecutione negotii mens condolet atque ſtupet; & præſertim attenta ſuperexcellentia tam ſublimis excellentiſque materiæ Deo & mortalibus exoptandæ, quod communitati locus Saonæ, ex rationabilibus cauſis, recte intuentibus evidentiſſime gravis & non idoneus exordialiter, ob defectum galearum hujuſmodi, & ſuſpicionem injectam potentatui plurimorum, non fuerit in locum alium idoneum & utrique parti accommodum, ut inſtantiſſime exquiri fecimus, rationabiliter commutatus; quod pro communi Chriſtianorum ſalute fieri ab intimis noſtris præcordiis affectuoſiſſime cupientes, ut poſſet negotium mutationis loci commodius, ratione propinquitatis, & celerius pertractari, ſumma cum vigilantia procuravimus ſine effectu habere terram & fortalitia Petræ-ſanctæ, obla-

A tis de ſanguine noſtro dilectis filiis nobilibus viris PHILIPPO CORRARIO germano noſtro, & uno ex natis ejus, pro obſidibus, & arce noſtræ civitatis Caſtellanæ, cum validis promiſſionibus & cautelis, ne deperiret unionis deſiderabilis aſſequendæ in Dei eccleſia tantum bonum, erga cujus conſecutionem nec vacillantem aut mutatam fidem mentis noſtræ vel voluntatis propoſitum uſquam invenies: ſed nos indeficienti affectione diſpoſitos abſque ruga vel ſcirpi nodo; recta enim & ad verum tendentia finem proſequimur, [ac] ſedulo illa ſemper inquirere & inquiſita

B proſequi & complere, quæ tam ſalutaris materia & in tanto rerum pondere, prout tenemur & expedit, flagitabit; nec quiſpiam ab hac ſancta diſpoſitione, certiſſima ſit tua nobilitas & mens, nos alienos umquam inveniet aut immutatos, quidquid aliquorum loquacitas aut protulit vel proferre in contrarium connitatur. Sic ad rem ipſam affecti ſumus in quacumque loci mutatione, ſi, ut ſperamus, emergat omnis utriuſque partis gerendarum rerum difficultas metuſque ſubripientur de medio, & aderit pacem ipſam

C amantibus, optatæ ſalutis dies. Et ut hoc contingat, noſtram non fugit notitiam, eadem tua nobilitas poteſt, debetque equidem quamplurimum operari; ad quod eamdem totis affectibus excitamus, exinde ſempiternæ vitæ præmia ultra indelebilis nominis gloriam habituram. Unum tamen ſilentii taciturnitate pertranſire non poſſumus, in quo ex affectu unionis anxiamur immenſe, ut bonum ipſum protrahatur, propter non mutationem præfati loci, quæ ſi idonea & utrique parti accommoda fieret, impedientia finem ſublata eſſent, & ſequeretur ipſum unionis bonum in populo Chriſtiano. Da-

D tum Senis III. idus Octobris, pontificatus noſtri anno primo.

GREGORII XII. LITTERÆ ad Jacobum de Torſo, Johannem abbatem de Pratalia, & Franciſcum Juſtinianum nuncios ſuos.

Ut Benedicto rationes exponant quibus ad mutandum Saonæ locum movetur.

E GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Jacobo de Torſo Utinenſi notario, JOHANNI abbati monaſterii S. Mariæ de Pratalia Paduenſis diœceſis, nobili viro Franciſco Juſtiniani domicello Veneto ac hoſpitii noſtri magiſtro, noſtris & apoſtolicæ ſedis nunciis, S. & A. B.

Anno 1407. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

Cum circa proſecutionem tractatus exſtirpationis horrendi ſchiſmatis, & conſecutionem Chriſtiano in populo deſiderabilis unionis omnis noſtra vergat intentio, & propterea ad PETRUM DE LUNA, qui ab eidem adhærentibus Benedictus XIII. nominatur, &

nonnullos alios, in nuncios noſtros vos dirigamus præſentialiter; nos volentes ut rationes & cauſas quæ mentem noſtram ab acceſſu ad civitatem Saonenſem merito retraxerunt & retrahunt; ſuaſerunt & ſuadent, & inducunt rationabiliter ad mutationem dicti loci, ut eo clarius ipſi Petro & aliis poſſitis exprimere, quo ſerioſius illarum continentiam in ſcriptis & per noſtras litteras redactam & intueri & docere poteritis, earumdem tenorem præſentibus duximus adnotandum, ſecundum quem mandamus & volumus vos procedere, & exprimere tam dicto Petro, quam aliis, ad quem vel ad quos vos vel aliquem deinde hujus rei cauſa declinare contigerit, hujuſmodi rationes & cauſas, juxta infraſcriptorum capitulorum exigentiam & tenorem. Volentes nihilominus, quod ſibi, ubi, quando, & quotiens vobis pro conſervatione noſtrorum honoris, nominis, ſtatus, veritatis, atque juſtitiæ videbitur convenire, expoſitis rationibus & cauſis ſupradictis, declarare & etiam proteſtari noſtro nomine in præſentia dicti Petri, & aliorum quorumlibet, per nos non ſtetiſſe, nec ſtare, quominus circa exſtirpationem dicti ſchiſmatis & conſecutionem deſiderabilis unionis prædictæ, effectualiter procedatur, & diſpoſitos circa illa ſemper intendere, quæ per prædictæ unionis effectus ſequi poſſit tam celeriter quam votive, cui ſemper parati & efficaces fuerimus, ſumus, & eſſe, Deo auxiliante, intendamus, ad obſervationem voti, promiſſionis & juramenti noſtrorum, factorum, approbatorum & publicatorum, & quæcumque alia in præmiſſis, & circa ea agere & exſequi valeatis, prout pro ſtatu & honore hujuſmodi proſpexeritis expedire; ſuper quibus vobis plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Tenor vero dictorum capitulorum ſequitur, & eſt talis videlicet: Capitula ad Petrum de Luna, quem ſibi adhærentes Benedictum XIII. nominant.

Primo fiat exhortatio ad eum, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1407. *n.* 20. Datum Senis XI. calendas Novembris, pontificatus noſtri anno primo.

RESPONSIO

Facta per dominum Benedictum ſuper mutatione, directa univerſis.

Anno 1407. *Ex miſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

BENEDICTUS, &c. Cum nuper, nobis Maſſiliæ reſidentibus, pro exterminatione nefandi & inveterati ſchiſmatis, ac unione in Dei eccleſia feliciter reducenda, inter nos & venerabiles fratres noſtros S. R. E. cardinales ex una, & certos ANGELI CORRARII, qui ſe fecit Gregorium nominari, oratores & nuncios, habentes ad hoc plenam poteſtatem ac ſpeciale mandatum, partibus ex altera; fuit hæc Saonæ civitas velut habilis, idonea ac utrique parti ſecura, pro conventione mutua, per nos & dominum Angelum facienda in feſto Michaëlis tunc inſtantis, vel ſi ipſe, certo caſu, non poſſet in dicto termino intereſſe, in ſolemnitate Omnium Sanctorum proxime præterita, certis adhibitis cautelis, promiſſionibus honeſtatis, & ſecuritatibus partem utramque ac bonum ſperatæ unionis concernentibus, conventis, ac mutuo conſenſu ad concordiam deductis, & ex poſt per ipſum ANGELUM CORRARIUM, verbo, ſcripto aut facto multiplici approbatis; & licet noſtri ex parte fuerint adimpleta & inviolabiliter obſervata, & in præſenti Saonæ civitate, in primo & in ſecundo terminis perſonaliter cum fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus præſentibus, in qua & de præſenti etiam reſidemus, non ſine magnis laboribus & expenſis; ipſeque ANGELUS CORRARIO, neſcimus quo ductus ſpiritu, in dictis terminis venire nobiſcum recuſaverit; & licet ex poſt certos ejus nuncios ad nos deſtinaverit, qui diverſas ſatis notorie cauſas impertinentes ſuæ abſentiæ proponentes, petierunt locum mutare, & obtulerunt ut alium locum acceptaremus ſub utriuſque dominio ponendum, vel quod nos unum locum, & Angelus ipſe alium locum eligeremus in civitate propinqua, ſeu quod ſub alicujus dominio, ſumta hinc inde confidentia, locum mutuo aſſenſu eligeremus, & ſpecificando primam & tertiam vias per litteram, loca & dominia nominaverunt & obtulerunt in Italia, & in dicti Angeli obedientia & poteſtate exiſtentia, nullum locum ſeu dominium noſtræ obedientiæ nominando. Circa autem ſecundam viam, inter cetera loca nominarunt Portum-Veneris, vel Sarzanam pro nobis, & locum de Petra-ſancta pro ipſo Angelo obtulerunt. Cumque ab ipſis nunciis petierimus, ſi ad præmiſſa concordanda & firmanda aliqua eſſent ſufficienti poteſtate muniti, nobis obtulerunt & exhibuerunt certum ipſius Angeli Corratii mandatum, quo cavetur, ut declinata hac civitate Saonæ, ſuper commutatione loci & locorum in Italiæ partibus de ſua obedientia habilis, idonei, & ſecuri aut accommodi; ſecurorum, habilium & accommodorum parti utrique poſſent convenire & concordare nobiſcum, & gratum haberet quidquid per dictos ſuos nuncios in præmiſſis factum foret, abſque alia promiſſione de obſervando quæ concordata forent, aut fidei aut juramenti interpoſitione. Tenor autem dicti mandati & forma talis eſt.

GREGORIUS, &c. dilectis filiis Jacobo de Torſo Mutinenſi notario, JOHANNI abbati monaſterii beatæ Mariæ de Pratalia Paduanæ diœceſis, ac nobilo viro Franciſco Juſtiniano domicello Venero ac hoſpitii noſtri magiſtro, noſtris & apoſtolicæ ſedis nuntiis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Attendentes quod media quæ ad finem ali-

quem ordinantur, conferenda veniunt ad finem ipſius, & illis non conferentibus, ſed impedientibus potius, prout in humanorum eventibus plerumque ſolet accidere, ratione mutanda cenſeri debent; & conſiderantes quod pro exſtirpatione inveterati ſchiſmatis & peſtiferi, locus Saonæ civitatis, pro conventione noſtra & Petri de Luna, quem ſibi adhærentes in eodem ſchiſmate Benedictum XIII. nominant, & aliorum de noſtra ſuaque poteſtate Maſſiliæ, & dilectis filiis commiſſariis noſtris ex una, & dicto Petro de Luna ex alia partibus electus aſſeritur, ex multis modis ad eumdem finem non conferentibus, & ex multis aliis rationabilibus cauſis redditur incongruus, & inhabilis, & plurifariam ſuſpectus, prout per nuncios & litteras noſtri parte ſæpe & ſæpius tam ipſi Petro, quam complicibus nonnullis ejuſdem, & quamplurimis aliis explicatum fuit, & propterea per nos, iiſdem & nonnullis aliis ſuadentibus cauſis, declinatus extiterit, & ab intimis noſtris prælordiis ſemper optaverimus & optemus ſchiſma ipſum exſtirpari, ac unionem emergere, & de veſtræ diſcretionis fidelitate, probitate, ac gerendarum rerum experientia ſumſerimus & ſumamus in Altiſſimo fiduciam ſpecialem: diſcretioni veſtræ, non noſtro nomine, iterato, ubi, quando, quotiens expedire noveritis, declinandi locum ipſum civitatis Saonæ, & commutationem loci vel locorum in Italiæ partibus de obedientia noſtra habilis, *idonei*, ſecuri & accommodi; ſecurorum, habilium & accommodorum utrique parti petendi, & cum eodem Petro vel ejus commiſſariis uno vel pluribus, ad id ab eo ſpecialiter conſtitutis, de ac ſuper hujuſmodi commutatione loci vel locorum, conveniendi & concordandi, ac omnia & ſingula quæ in præmiſſis, & circa ea vel eorum aliquod utilia vel opportuna fuerint gerendi & faciendi plenam ac liberam tenore præſentium concedimus facultatem; gratum & ratum habituri, quidquid per vos factum fuerit in præmiſſis, id quod faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem congruam inviolabiliter obſervari. Datum Senis xv. cal. Novembris, pontificatus noſtri anno primo.

Nos vero attendentes præmiſſi mandati inſufficientiam, tam ratione locorum in ſua obedientia conſiſtentium, quam inæqualitate: ac etiam imparitatem quæ ex forma dicti procuratorii, ſi acceptaretur, evidenter ſequeretur, etiam propter qualitates locis eligendis adjectas; ac etiam quia de tempore præfigendo, in quo pluraliter loco vel locis concordandis convenire debemus, nulla mentio habetur, necnon propter repugnantiam mandati dicti Angeli, ad oblata, & ex aliis cauſis quæ ex tenore dicti mandati apparent & apparere poſſunt evidenter, quod ſuper datis & oblatis, ſeu eorum altero cordare non poteramus ſecure cum dictis nuntiis, nec firmiter, cum ipſi ſufficientem poteſtatem non haberent, ut præfertur. Perpendentes etiam in præmiſſis aliquid poſſe latere, cum omnem locum obedientiæ noſtræ ipſe Angelus Corrario, ex tenore dicti mandati declinet & excludat; & timentes quod, ſi cum dictis nunciis poteſtatem ſufficientem non habentibus concluderemus, nobis illud poſſet, prout & alias cum habentibus ſufficiens mandatum, cum magnis laboribus & expenſis per dilationes inutiles ducti ſumus, cum dictis ſuis nunciis tute & ſecure concludere nequivimus. Interim ne hoc ſanctum negotium, cujus conſummationi deſiderium mentis noſtræ intimis inhæret continue, in ſuas ſeu notorias altercationes infructuoſe ulterius deducatur in longum, deliberatione habita cum fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus, de ipſorum conſilio de præſenti nos ſolemnes nuncios deſtinavimus ad ipſum Angelum Corrarium, cum plena poteſtate & ſpeciali mandato concordandi & firmandi noſtra ex parte, & fratrum noſtrorum prædictorum, quod nos & fratres noſtri prædicti, in confinibus utriuſque obedientiæ perſonaliter accedemus, ſcilicet ad Portum-Veneris, per ipſos nuncios prædicti Angeli pro nobis nominatum, ſi ipſe Angelus ad locum Petræ-ſanctæ infra tempus breve cum dictis noſtris nunciis concordandum, ſe venturum obligaverit, ut ſui nuncii verbo in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia publice obtulerunt. Et eſt autem noſtra firma intentio & propoſitum irrevocabile, quod poſtquam firmata prædicta fuerint per dictos noſtros nuncios, & Angelum Corrarium antedictum, infra menſem ad dictum Portum-Veneris, vel alium terminum brevem, de quo concordatum fuerit, perſonaliter cum noſtris fratribus accedemus, facturi, auxiliante Altiſſimo, quantum nobis poſſibile fuerit, ut unio in Dei eccleſia feliciter ſubſequatur.

Si autem dictus Angelus Corrario prædicta firmare noluerit, vel poſtquam firmaverit, ad dictum locum Petræ-ſanctæ venire recuſaverit; in eo caſu & caſibus obligationem, qua efficaciter tenetur, in hac civitate Saonæ nobiſcum, lapſu dictorum terminorum non obſtante, convenire, eidem remittere nullatenus intendimus, nec ipſum Angelum ab alia quovis modo liberare. Et hæc dicimus & offerimus ac proteſtamur in præſentia nunciorum dicti Angeli Corrario exiſtentium coram nobis, & de hoc petimus fieri publicum inſtrumentum. Datum Saonæ iv. idus Novembris, pontificatus noſtri anno xiv.

COPIA LITTERÆ per Gregorium intrusum Benedicto missæ.

Queritur de oratoribus regis Franciæ.

[a] Anno 1407. Ex mss illustrissimi domini Chauvelin

GREGORIUS, &c. (a) PETRO DE LUNA quem nonnulli Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum. Dudum siquidem cogitavimus, & nobis opportunum satis videbatur, ut aliquid ad te scriberemus, pro aperienda atque tuenda veritate, quam quidem improbi nuper oratores Gallici in tenebras tendunt, & artificiosam atque mirabilem mendaciorum ac fictionum seriem prædicant. Quamquam enim elegerimus detrahentium verba atque improborum latrationes patienti animo atque silentio supportare, cum responsionibus detractorum ætas nostra minime conterenda sit; nunc, ut promisimus, nobis expediens visum est, quorumdam malignorum maledicta refellere, ne forte te etiam plurimosque alios longinquos, atque non ita conscios veritatis, fallidicorum asseveratio a via veritatis abduceret, & per opiniones fallaces errare persuaderet; tantoque magis certamen præsens nobis licere videtur, quanto non pro privata re, sed pro publica ac totam Christianitatis religionem tangente, veritatem in lucem producere, quam qui oderint, maledicti. [b] (b) Pridie antequam oratores regis Francorum ad Urbem veniissent, fama fuit ad Urbem venturos regios oratores ex omni Gallia electos, eosque communis rumor pacem atque unionem afferentes, idque Dominus noster firmiter seminabat: sed longe nostra nos fefellit opinio. Principio igitur cum hi nuntii in Urbem venere, se profitebantur attulisse viam stirpandi schismatis; quorum adventus Dominus noster omni mansuetudine excepit cum bona spe celeris (unionis) & pacis. Sed ecce homines seditiosos, scelestos, depravationem mentis mellitis verbis more diabolico simulantes, primum dominum nostrum ad unionem hortantur, ad id dicunt se legatos esse, & quæcumque rei oportunitas pro hujusmodi expeditione exiget, id effecturos promittunt, facultatem amplissimam exhibitam eis a principe suo Francorum rege ostendunt. Deinde maledicti atque pernitiosi scandala tentant & seditiones, divisionem atque schisma inter dominum nostrum & dominos cardinales experiuntur, Romanum populum & dominum exhortantur, & omnes penitus proditionum artes, quarum... nigri sunt, in animo versant; quodque ausi sunt dicere in conspectu dominorum cardinalium, opportunum esse hunc dominum nostrum, & Avinionensem, & ambos, in ignem projicere. Bestiales nuncii recte totum oppositum ejus rei quæsivere, pro qua ab eorum principe legati fuerant. Quotiens dominus noster eos benigne affatus est, dicens: tractemus hanc rei materiam caritative atque mature: sed ipsi quorum omnis seditio, omnis arrogantia, omne malorum genus mentes invaserat, omnem penitus caritatis viam aspernati sunt, appellarunt dominum ut eorum galeas ascenderet; quæ res si per eos mansuete tractata extitisset, faciliter effectum sortita foret. Sed esto, quod dominus noluerit eorum galeas ascendere, quid ad hoc? an non æquum est, ut in conventionis loco liber sit, & non in potestate partis adversæ? an non justum videtur, ut ubi de pari causa contenditur, æqua sit partis utriusque conditio? Nam si in conventionis loco sit pars adversa potentior, & ibi dominus noster cogi possit, maximum crede periculum imminet, ne dum unioni intenditur, scandalum deterius oriatur, majusque schisma. Nam si oratores Gallici superius nominati, in jurisdictione domini nostri ausi sunt velle in eum seditionibus machinari, quid putandum est eos effecturos, si dominus noster in eorum manibus se confideret? Ob hoc igitur dominus noster quasdam additiones seu nova capitula publicavit, in quibus nil aliud petitur, nisi securitas domini nostri in conventionis loco. Et quicquid sanctius postulari potest, quam tam grande atque sanctum opus non aliena violentia, sed voluntate propria, atque electione proficere, ne detractorum atque improborum nequitia dominum nostrum accusset, quod dilationes aut occasiones quærat, non perficere quod promisit, cum ipse omnibus viis & modis, quibus res ipsa commodius atque celerius expediri possit intendat, cujus sanctimoniam atque sinceritatem, favente Deo, felix monstrabit eventus. Ab Urbe discessit, Senis est, ad locum conventionis properat, per extraneas terras omnino vagus & profugus; quod quamquam majestati & senectuti suæ minime conveniens sit, eum tamen compellit ardens ad unionem appetitus. Hæc cum ita se habeant, tibi scribere curavimus, ut veritas tibi appareat, quæ si aliquando a quibusdam pessimis atque pernitiosis hominibus opprimitur; diu tamen latere non potest. Vale. Scriptum Senis decima Septembris. Dominus noster quam plurimum optat præsentiam domini ducis Bituricensis, sperans quod hæc unio per manus suas optime tractaretur.

(a) Hujus epistolæ initium nomine Gregorii scriptum est, reliquum nomine suorum cardinalium.

(b) Hic loqui incipiunt, ut videtur, Gregorii cardinales.

LITTERA CONTINENS colluſiones promiſſas & juratas inter duos contendentes de papatu.

Anno 1407. Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.

REverendiſſime pater, omni recommendatione præmiſſa, noveritis me per cer-

tos dies remansisse in urbe Romana, post re- A
cessum illius, qui GREGORIUS nominatur, & a nonnullis, meo judicio fide dignis, quamplurima audivisse, quæ concernunt statum unionis ecclesiæ, quorum narratio longa esset & tædiosa: sed elegi ex multis quasdam apparentias, quas V. P. referare fore arbitratus sum.

Prima est, quod contendentes de papatu sunt confœderati per promissum & juramentum, tractare materiam unionis per se & suos, & non per consilium principum, aut aliorum de suo consilio non existentium.

Secunda est, quod ipsi Benedictus & G. tenent, quod ad ipsos, & non ad alios præcise, spectat procurare & tractare unionem ecclesiæ, & nullomodo ad alios, nisi in quantum fuerint per ipsos requisiti; in quo casu tunc tenerentur eis subvenire, & aliunde nullo modo se intromittere. B

Tertia, quamvis ipsi contendentes convenerint & concordaverint de loco & tempore, & de circumstantiis per juramentum aut promissum: tamen possunt locum mutare, terminum prorogare, juxta eorum voluntatem; & oppositum tenere & dicere, est ecclesiæ contradicere & pacem impedire.

Quarta, talem locum volunt haberé in C
conventione, a quo, si non fuerint concordes, possint libere recedere, remanente etiam schismate ut est; quia majus est periculum ipsos cogere, quam ecclesiam sic remanere, ut ipsi & eorum fautores asserunt.

Quinta, in conventione aliquas vias tractare intendunt ante renuntiationem, quas reputant juridicas; quia & inter vias quas tractant & tractare intendunt, tres notantur; scilicet, reductionis, compromissi & successionis; & ultima, ut fertur, est domino B. valde placabilis, videlicet, ut qui supervixerit, maneat papa, & unusquisque alterum D
constituat suum vicarium, habilitando & approbando quicquid alius fecerit.

Ex quibus contendentes & eorum fautores, diligentiam quam fecerit rex & universitas Parisiensis, reputant potius impedimentum pacis ecclesiæ, quam juramentum & suffragium.

Ista P. vestra R. ex multis auditis alicui & vestræ providæ providentiæ indilate fore revelanda cogitavi; quia ista scire nocere non potest, immo prodesse. Caritas Christi vos dirigat feliciter & longæve in agendis amen.

Scriptum Romæ die XIII. Augusti.

EPISTOLA CAROLI VI. REGIS Francorum ad Benedictum XIII.

Rex Francorum scribit domino B. quod nisi infra certum tempus det pacem ecclesiæ, erit neutralis.

ANostre tres saint pere le pape BENOIST XIII. de son nom CHARLES, &c. vostre devot fils en JESUS CHRIST, vray chief & fondement de nostre mere sainte eglise, piteusement & miserablement a ce temps divisée, amour & reverence, & briefment obtenir en ycelle union & pais ferme. Anno 1407. *Ex ms. illustrissimi domini Chanvelin.*

Tres saint pere, pour le tres grant fervent & continue desir, que nous avons de veoir en noz jors paix & union en nostre dite mere sainte eglise, lequel de jour en jour croist & abunde de plus en plus en nostre cueur, jaçoit que cy en arrieres avons fait, pour venir à ladite union, toutes diligences à nous possibles, & envoyé pour ce non mie seullement par devers vous, tant telles & si solemnes legations & ambaxiates, comme bien en estes recors: mais aussi par devers vostre adversaire à Rome, & par devers plusieurs roys & princes & autres seigneurs, & communitez notables de l'une & de l'autre des obeissances; lesquelles diligences trop longues seroient, & nest mestier de vous escrire, car elles sont notoires, & les savez asses. Et ce nonobstant n'avons encore aucune congnoiscence, que ladite matiere soit disposée, ne si approchée comme elle peut & deust estre, se chescun eust fait diligence telle, qu'il estoit tenu de faire. Nous considerans, & pour ce doutans forment, & non sen cause, que se ce tres mauvais & detestable scisme, que si longement a duré en l'eglise, ne prent fin & bien brief; il sera en voie de soy plus enraciner, en grant desolation de la chretienté & consolation des anemis de la foy, & que l'une des principauxs cause, entre plusieurs autres, que si longement le fait durer, & qui le continue, est pour les pourfis, plaisirs temporels & honneurs que vous & vostre dit adversaire & les autres contendens vos predecesseurs y avés eus, par l'obeissance prestée & donnée à vous & aus aultres, nous qui plus longement ne povons ne ne devons, sauf nostre honneur & nostre conscience, veoir l'eglise & le peuple chrestien en tant qu'il nous touche, en telle & si miserable affliction, ne dissimuler les dilations faites & eslognes, que nous avons veu trouver par plusieurs, en la dite matiere; avons par tres grant & meure deliberation de pleusieurs de nostre sang & lignage, prelas, barons, & aultres saiges & preudhomes de nostre royaume, ayant Dieu devant les yeulx, ont conclu & determiné, & par la teneur de ces presentes vous signifions, que ou cas que dedens E

le jour de la feſte de l'aſcenſion noſtre Seigneur prochain venant, n'avons union en noſtre dite mere ſainte egliſe, un ſeul vray & ſans doubte pape & paſteur de l'egliſe univerſalle; nous, le clergé & aultres gens de noſtre dit royaume, & auſſi noſtre Daiphiné de Vienne, ſerons neutres & ne ferons, preſterons, ne donnerons, ne ſouffrirons par aucuns de nos ſubjez eſtre donné de lors en avant aucune obeiſſance à vous ne à aultre, qui tiengne ou occupe le dit eſtat, juſques à ce quil y ait un ſeul vray pape & paſteur de l'egliſe univerſelle, comme dit eſt, & auſſi l'entendons faire ſignifier & ſcavoir par nos autres lettres patentes à voſtre dit adverſaire & à ſon college, & à pluſeurs roys, princes, prelas, barons, & communitez de l'une & de l'autre des dittes obeiſſances.

Donné à Paris le XII. jour de Jenvier l'an de grace M CCCC. & ſept. Et de noſtre regne XXVIII.

TENOR CEDULÆ

præſentatæ dominis cardinalibus de parte Gregorii paulo poſt eorum receſſum de Luca, pro parte ambaſſiatorum regis Franciæ.

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

1 REverendiſſimi patres & domini præſtantiſſimi, qui in parte quæ obedit hujus ſchiſmatis tempore domino ANGELO CORRARIO, qui in ſua obedientia Gregorius nominatur, vocamini cardinales, nos SIMON patriarcha Alexandrinus, PETRUS epiſcopus Meldenſis, & P. *Plau* magiſter in theologia, R. de Queſnoio in decretis, & alii ambaxiatores regis Francorum & eccleſiæ Gallicanæ, ac univerſitatis Pariſienſis, ad inquirendam & proſequendam pacem eccleſiæ, ad prædictum Gregorium & vos ſimul ac ſeparatim miſſi, ad veſtram reducimus memoriam, quomodo ſolemniſſime voviſtis & juraſtis contenta in inſtrumento publico inter vos concordato poſt mortem illius, qui inter vos INNOCENTIUS vocabatur, quando per vos agebatur de electione ſucceſſoris veſtri: in quo inſtrumento per totum mundum publicato, continetur expreſſe, quod pendente tractatu unionis, qui adhuc durat & durabit, iſte GREGORIUS non creabit, nec faciet aliquem cardinalem, niſi ex defectu ſteterit adverſæ partis, quod unionis præfatæ concluſio non fuerit ſubſecuta.

2. Continetur etiam in inſtrumento prædicto, quod vos etiam voviſtis & juraſtis, quod inchoare mediabitis, nihil de contingentibus neceſſariis vel opportunis quomodolibet vel utilibus omittendo; ſed omnia & ſingula tunc pro bono unionis deliberata, & in inſtrumento contenta attendere, obſervare ac exſequi, & effectualiter adimplere. Nunc autem iſtis non obſtantibus, ex multorum fide dignorum relatu ſumus ſufficienter informati, quod prædictus GREGORIUS ad creationem aliquorum cardinalium vult contra votum & juramentum ſuum ſic ſolemniter factum, procedere, & conatur per terrores & impreſſiones ſatis notorias ſuper hoc veſtrum conſenſum exigere. Et quia clare conſtat vobis & nobis, quod creatio cardinalium prædicta, ſi fieret, eſſet unionis & pacis eccleſiæ turbativa & impeditiva.

3. Conſtat inſuper ſatis vobis dominis, quod per prædictum dominum Gregorium clare ſtat, quominus tractatus pacis eccleſiæ ſequatur, utpote qui ad locum Piſarum, per ipſum pluribus vicibus repetitis oblatum, venire vel differt vel potius recuſat, nec ad alia loca ſibi oblata pro conventione venire voluit. Sed locum Saonæ per ſuos oratores & veſtros, ad hoc ſufficientem poteſtatem habentes, concordatum, & per ipſum acceptatum, ſine cauſa rationabili in termino præfixo venire recuſavit, & procuratorem ad renunciandum mittere, quamvis hoc facere promiſiſſet, ſicut per inſtrumenta ſuper hoc confecta luculenter apparet.

4. Item, vovit & juravit effectualiter renunciare juri ſuo & papatui, ſi & quando dominus Benedictus renunciabit & cedet, qui, ut palam & manifeſte coram omnibus ad hoc faciendum ſe per ſuos oratores obtulit, & dummodo cardinales noſtri effectualiter vellent, ſicut nunc parati ſunt, vobiſcum convenire & concordare, ſic quod ex veſtro collegio & ipſis ſequatur electio unici Romani pontificis, prout in inſtrumento publico, & per totum mundum publicato latius continetur. Ex quo evidenter apparet, quod de ſua perſonali conventione pro actu renunciationis exſequendo non fuit actum neque concordatum; ſed renunciationem prædictam poteſt & debet facere per alium in conventione utriuſque collegii, ut inde procedatur ad electionem unius indubitati Romani pontificis; quod tamen per nos in præſentia veſtra requiſitus facere recuſavit.

5. Et quia, patres reverendiſſimi, in quantum vos contenta in prædicto inſtrumento concernunt, per votum & juramentum eſtis eccleſiæ, quæ univerſitate fidelium conſiſtit, aſtricti & obligati contenta in prædicto inſtrumento efficaciter adimplere, & per conſequens regi noſtro & eccleſiæ Gallicanæ; nos ambaxiatores Chriſtianiſſimi regis Francorum & eccleſiæ Gallicanæ ſupranominati, cum quanta poſſumus humili inſtantia vos requirimus, quatenus cum prædicto domino Gregorio ſic efficaciter laborare velitis, quod nullo modo ad creationem cardinalium procedat, & ſi conſilio veſtro obtemperare noluerit, etiam, ut prædicitur, vos requirimus, quatenus ſicut Paulus Petro feciſſe legitur, ſibi in facie reſiſtatis.

6. Proteſtamur tamen inſuper, quod ſi creationi prædictorum cardinalium veſtrum

consensum præbere contigerit, quod absit, de impugnando canonice creationem prædictam, tamquam pacis ecclesiæ turbativam & impeditivam, contra votum & juramentum per terrores & impressionem notorios factam, non solum nobis, sed vobis. Nam prædictus Gregorius in prosecutione pacis & unionis ecclesiæ Christianissimum regem nostrum & ecclesiam Gallicanam, qui nos miserunt, damnabiliter impediendo, expresse prohibuit, & in scriptis, quod vos domini nobiscum loqui non auderetis.

7. Protestamur etiam, quod per prædicta prædicto domino G. vel alteri cuicumque injuriari non intendimus, sed pro bono ecclesiæ universalis, veritatem dicere compellimur; quia, teste Augustino, qui veritatem celat, iram Dei super se provocat, & qui magis timet hominem quam Deum.

8. Protestamur etiam, quia libentius in vestra præsentia prædicta prædixissemus & alia, sed obstante prohibitione dicti domini Gregorii, ne cum ignominia aliqua repulsam habere valeamus, ad vestram præsentiam venire non audemus, sed cedulam præsentem per duos nostros notarios ad finem debitum disposuimus vobis facere præsentari.

CEDULA PRÆSENTATA

Oratoribus Benedicti in civitate Luca existentibus per oratores regis Franciæ & universitatis Parisiensis.

REverendissimi patres & domini Rothomagensis & Tarraconensis archiepiscopi, & vos venerabilis pater generalis ordinis fratrum Prædicatorum, & alii oratores domini nostri papæ Benedicti XIII. nunc in civitate Lucana existentes; nos SIMON patriarcha Alexandrinus, AMELIUS archiepiscopus Turonensis, PETRUS episcopus Meldensis, & Petrus *Plau* magister in theologia, & Johannes Franciscí magister in artibus & licentiatus in decretis, nuncii regis & ecclesiæ Gallicanæ jam pridem missi ad dominum BENEDICTUM papam & ANGELUM CORRARIO de papatu secum contendentem, ad prosecutionem unionis sanctæ matris ecclesiæ, & pacem ejusdem habendam per viam mutuæ renunciationis, ad quam ambo contendentes sunt specialiter & expresse per votum & juramentum solemniter factum astricti, servando fines mandati regii & ecclesiæ Gallicanæ, qui nos miserunt, significamus in personas vestras prædicto domino papæ Benedicto & dominis cardinalibus sui sacri collegii, quorum etiam estis de præsenti nuncii, ea quæ sequuntur.

1. Et primo, quod conventio personalis dictorum duorum dominorum pro renunciatione facienda, non est necessaria, nec fuit dictum, quod ipsi personaliter deberent esse in renunciatione; quando ad eam fuerunt, *ut prædicitur, sic solemniter astricti, sicut* apparet per instrumenta super hoc clarissime confecta.

2. Item, quod per hoc apparet evidenter, quod prædictus dominus Benedictus sub velamen conventionis personalis, & loci vel locorum pro eadem conventione faciendâ, difficultatibus, unionem & pacem ecclesiæ differre vel quomodolibet impedire non potest, nec debet.

3. Item, quod hoc non obstante, nos omnibus viis & modis, quibus potuimus, ut ejus voluntati, quantum sine læsione causæ Dei possemus, satisfaceremus, laboravimus ut prædictus Angelus conveniret cum eo ad prædictam renunciationem faciendam & pacem ecclesiæ dandam, in loco seu locis eidem domino Benedicto gratis & acceptis; sed Angelus Corrario prædictus nec per nos nec per alios ad hoc potuit induci.

4. Item, quod postquam iste dominus papa Benedictus affectat conventionem personalem, quamvis non necessariam, ut prædicitur, ad renunciationem faciendam, & pacem ecclesiæ dandam, videtur regi & ecclesiæ Gallicanæ, qui nos miserunt, quod prædictus dominus papa Benedictus potest & debet cum juramentis & securitatibus & obsidibus, quæ pro parte domini Lucani offeruntur, & pro parte Florentinorum haberi posset, venire secure Lucam vel Pisas, & in uno istorum locorum convenire cum prædicto Angelo, qui paratus est hic in Luca vel civitate Pisana, ad pacem, ut prædicitur, dandam ecclesiæ personalem, convenire, &c.

5. Item, quod post dilationes & subterfugia multa clare videmus, quod iste tractatus unionis, propter culpam & deffectum ipsius & adversarii sui, ut clare patet per prædicta, est omnino dispositus ad rupturam, cum quanta possumus humilitate, regis nomine & ecclesiæ Gallicanæ, eidem domino supplicamus, ipsum nihilominus in personas vestras, quantum efficacius possumus, & dominos sui sacri collegii requirendo, quatenus pro bono pacis ecclesiæ placeat sibi ad civitatem Lucanam vel Pisanam unà cum dicto suo collegio accedere, mediantibus securitatibus de quibus supra fit mentio, quas nos nomine regis & ecclesiæ Gallicanæ, quæ est minor pars obedientiæ dicti domini Benedicti, sufficientes reputamus, ibique per mutuam renunciationem pacem ecclesiæ Christi fidelibus dare; & insuper in casu quo dictus dominus Angelus in dictis locis per eum oblatis convenire nollet, seu in dicta conventione quacumque occasione aliquod impedimentum seu morosa dilatio interveniret, supplicamus & requirimus, prout supra, quod dictus dominus papa Benedictus absque conventione ejus personali, per alium

ad hoc ſufficientem poteſtatem habentem, A prædicto domino Angelo ceſſionem offerat, & dicto modo cedat de facto, ut ceſſantibus quibuſcumque fruſtratoriis dilationibus & difficultatibus ſuperfluis, eccleſiæ Dei pax habeatur, alias de intimando ſibi & dominis cardinalibus ſuis ſuper hoc deliberata per regem & eccleſiam Gallicanam coram notariis hîc præſentibus ſolemniter proteſtamur. Actum & datum in Luca xvi. aprilis.

EPISTOLA CARDINALIUM ad Benedictum XIII.

Mittunt ei nuncium ad eum excitandum ad B eccleſiæ pacem & unionem.

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

SAnctiſſime pater & clementiſſime domine, ſupplici & humili recommendatione præmiſſa. Ut nota ſint omnia veſtræ B. quæ in noſtro loco Liburnii inter nos & reverendiſſimos patres, qui pro parte alia cardinales nominantur, quos optime diſpoſitos invenimus ad unitatem eccleſiæ proſequendam, & quantum cum Deo fieri poterit obtinendam, pro extirpatione ſchiſmatis, & unione in Dei eccleſia feliciter reducenda, ac eradicandis erroribus jam apparentibus in aperto, ſedationeque multorum ſcandalorum occurrentium, quorum augmentum veriſimiliter formidamus, niſi celeriter occurratur: deſtinamus ad S. V. latorem præſentium, de præmiſſis tractatibus & de pertinentibus verbo & ſcripto plenarie informatum, eidem beatitudini fideliter & devotiſſime ſupplicantes quantum humilius poſſumus, ut eumdem dignetur V. S. benigne audire & benignius exaudire; hiſque quæ inter nos tractata ſunt & unanimiter concordata, Deo grata, juſtitiæ & rationi conformia, & de veſtra voluntate ut plurimum proſecuta, noſtriſque ſupplicibus, immo verius totius populi Chriſtiani deſideriis annuendo, opem, auctoritatem & conſenſum præſtare dignemini, & in executione nullo modo deficere; ac per ipſum latorem, ſicut expedire tantæ neceſſitati eccleſiæ ſponſæ veſtræ, S. V. dederit, & pie annuere, & gratioſe ac celeriter reſpondere.

S. V. Altiſſimus dirigere dignetur ad bonum unionis eccleſiæ, & unionem in ea reducendam.

Scriptum Liburnii Piſanæ diœceſis, &c.

SEQUUNTUR EA QUÆ FUERUNT E *aviſata per dominos cardinales utriuſque collegii qui in Liburno convenerunt ſuper facto unionis procurandæ.*

Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.

PRimo cum evidenter conſtet de continuata pertinacia ac indiſpoſitione domini Gregorii ad omnem viam unionis habendæ, quod ulterius non eſt de neceſſitate requirendus, quia ſi requireretur, per dilationes vel per verbalem reſponſionem, quam non haberet in mente, impediret remedia, quæ ſunt excogitata pro unione habenda.

2. Item, attenta indiſpoſitione utriuſque contendentis de papatu & receſſu, eſt aviſatum pro utili unione habenda, quod eccleſia debet congregari per collegia cardinalium, ita quod quodlibet collegium convocet prælatos ſuæ partis, quia in tali cauſa juxta communes opiniones, eccleſia congregata eſt judex.

3. Item, quod congregentur iſta concilia per cardinales ad feſtum Purificationis B. Mariæ proxime futurum, & in uno loco, ſi poſſibile fuerit, convocentur ambæ partes, alias in duobus locis propinquis adeo ut facilius poſſit haberi acceſſus de uno ad alium.

4. Item, quod convocentur archiepiſcopi, epiſcopi, abbates & capitula eccleſiarum cathedralium ac univerſitates ſtudiorum.

5. Item, videtur aliquibus quod ſint vocanda capita quatuor ordinum mendicantium, Cœleſtinorum & Carthuſienſium.

6. Item, quod prædicta incontinenter regibus & principibus (nuncientur) & requirantur de auxilio, & quod mittant ſolemnes C ſuos deputatos, & quod faciant quantum in eis fuerit, quod prælati & alii vocati veniant ad concilium; & quod dent ſecuritates in terris ſuis, omnibus venientibus ad dictum concilium, & quod non patiantur eos impediri per contendentes de papatu ſeu alterum ipſorum.

7. Item, quod dum vocabuntur prælati & prædicta intimabuntur principibus, & quodlibet collegium prædicta intimet ſuo papæ, & requirat, quod in loco & termino interſit, & quod vocationi quantum in eo fuerit, opem ferat, cum intimatione quod concilium D ſeu eccleſia congregata diſponet de extirpatione ſchiſmatis & unione habenda, ipſius abſentia non obſtante; & dum vocabitur, in littera vocationis offerentur ſibi debitæ ſecuritates & libertates in veniendo, ſtando & redeundo.

8. Item, eſt intentio quod quælibet pars in concilio diſponat ſuum papam ad viam ceſſionis juratam, &c. & ſi diſponi non poſſit, vel ſit contumax, abjiciatur per concilium ſeu eccleſiam congregatam, tamquam ſchiſmaticus notorius, criminoſus de enormibus criminibus, incorrigibilis, eccleſiam ſcandaliſans, & ut hæreticus.

9. Item, poſt renunciationem amborum, ſi ad hoc induci poſſunt, vel poſt abjectionem, amborum cardinales utriuſque collegii, æquato & pari numero hinc inde convenientes in unum, & facientes unum collegium, ad electionem procedant unici paſtoris.

10. Item, eſt intentio quod licet a principio concilia teneantur diviſim, tamen poſt quam deliberaverint, conveniant in uno lo-

co

co ſimul in vinculo caritatis & pacis, & communicent quæ deliberaverint, & ex poſt fiat electio, ut ſuperius eſt dictum.

11. Item, modus tenendi concilium in qualibet parte videtur eſſe talis, quod unus cardinalis proponet mala ſchiſmatis ipſius diuturnitate, & quæ ſunt jurata & promiſſa per contendentes de via ceſſionis approbata ab omnibus fidelibus, & ſi poteſt haberi pax, & in caſu abſentiæ vel contradictionis petatur conſilium a vocatis prælatis & aliis ſuper illorum dejectione, ſecundum Deum & diſpoſitiones canonum & alias obſervata in Romana eccleſia.

12. Item, quod ex poſt cardinales qui cenſebuntur eſſe ibi pro Romana eccleſia, requirent vota & conſilia ſingulorum prælatorum & aliorum vocatorum, & in ſcriptis redigantur eorum dicta, & ultimo cardinales dicant opiniones ſuas & vota ſua, & omnia iſta fiant, & dicantur ſine contradictione vocum, & quiete ac libere, taliter quod appareat, quod non voluntarie, ſed ſpiritu ſancto dictante omnia fiant.

13. Item, quod habitis vocibus & opinionibus, unus cardinalium nomine totius concilii hujuſmodi & eccleſiæ congregatæ pronunciet, declaret, vel ſtatuat quæ fuerunt per totum concilium deliberata, ſeu per majorem partem ipſius, quia ſic fiebat olim in conciliis ſanctorum patrum, in quibus dicebatur communiter *ſtatuit ſancta Synodus* vel *ſanctum concilium*, &c.

14. Item quod in eodem concilio fiat & ordinetur quod omnes qui fuerint vocati, etiam ſæculares promittant ſervare quæ fuerint decreta & ordinata in concilio, & quod contradictores rebelles, etiam ſi fuerit ejectus a papatu, compeſcantur auctoritate concilii, per ſæculares etiam alias poteſtates.

15. Item, circa præmiſſa videntur præmittenda aliqua dubia quæ poſſunt occurrere, ad hoc ut eis reſpondeatur & ſatis fiat ſi fuerint.

16. Primo quia forſan dicetur ab aliquibus, quod cardinales non potuerunt vocare concilium, ſed potius quilibet qui gerit ſe pro papa, in parte ſua, & hoc videtur habere colorem per §. *Huic etiam* XVIII. di.

17. Item, poſſet fieri aliud dubium ſi papa in concilio peteret ſe reſtitui propter ſubtractiones & neutralitates ſibi factas. Talis petitio videretur habere colorem per §. *Item Symmachus* 11. q. VII.

18. Item, poſſet moveri dubium, ſi papa compareret in concilio & peteret ſubtractos vel neutrales repelli a concilio, tamquam vocem non habentes, videtur hæc petitio etiam habere colorem per dictum §. *Hinc etiam* XVII. di.

19. Item, poſſet fieri dubium, quod licet papa legatur ejectus fuiſſe propter hæreſim a papatu, non tamen propter negligentiam ſchiſmatis; quia licet ſchiſma quandoque tranſeat in hæreſim, non tamen reperitur jure cautum de negligentia ſchiſmatis extirpandi.

20. Item, ſi dicatur quod papa ſit notorie pervicax & fractor voti & ſandalizans eccleſiam, ac incorrigibilis, & ſic poſſit abjici juxta gloſ. cap. *Si papa* XL. di. Illa gloſſa ſimpliciter poſita non eſt vera, & reprehenditur a nonnullis.

21. Item, videtur per modum aviſamenti, quod ſi contingat ante congregationem concilii, alterum de contendentibus decedere, illa pars cujus papa decederet, non procederet ad novam electionem, ſed expectetur concilium & ejus deliberatio.

22. Item, ſi ambo contendentes moriantur iſto intermedio tempore, quanto citius fieri poteſt coliegia conveniant ad deliberandum quid eo caſu erit faciendum.

COPIA LITTERÆ

quam dominus cardinalis Leodienſis miſit domino Lucanenſi, ſtatim poſt receſſum ipſius domini cardinalis a civitate Lucanenſi.

Rogat ut ipſius per ditionem ſui libere tranſeant.

MAgnifice domine & amice cariſſime, ſincera ſalutatione præmiſſa, propter non incurrere voti & juramenti tranſgreſſionem, & ut Deum non offendamus, ipſius tranſgrediendo mandata, & ut veniendo contra conſcientiam a jure & ſcripturis ſanctis debite informatam, non ædificemus ad gehennam, unionemque deſideratiſſimam pro modulo noſtro in libertate proſequamur: propter etiam periculum perſonæ evitandum, & ut provideamus honori, & infamiam evitemus, juſto metu ducti a civitate veſtra nos abſentavimus. Ea propter familiam noſtram & ſuppellectilem noſtram, ut libere exire valeant, & per territorium veſtrum tranſire, magnificentiæ veſtræ recommendamus, rogantes ut eis ſeu in eis ullam violentiam fieri non permittatis, ſemperque nobis confidenter imponere velitis quæque grata, eadem pro viribus impleturis. Regratiamur inſuper eidem magnificentiæ veſtræ ſuper eo quod a vobis pluries bene tractati fuimus atque magnifice. feliciter & votive valeatis. Datum Vener. XI. Maii.

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

EPISTOLA JANUENSIUM

ſacratiſſimæ regiæ majeſtati Francorum.

Laudant ejus pro eccleſiæ unione zelum, cui pro poſſe adhæſuros ſe promittunt.

GLorioſiſſime regum & excellentiſſime domine noſter, magnificos & venerabiles ſacratiſſimæ majeſtatis veſtræ legatos, re-

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

gumque ſereniſſimorum Angliæ & Caſtellæ ſumma animorum congratulatione, quanta decet reverentia ac cura ſuſcepimus, & quidquid majeſtatis ejuſdem grato mandato ſub credentiæ litteris præfatorum regum parte, diſerto fati ſunt nobis eloquio, intelleximus diligenter: quod ut breviloquio recitemus, duo concluſive vidimus & collegimus continere. Primo namque ſicut Romam ſedandi gratia, immo evellendi penitus infelicis pudendique ſchiſmatis ſanctæ matris eccleſiæ deſtinantur, viam nobis patefacientes renunciationis amborum, novæque poſtmodum creationis alicujus in verum unicum indubitatumque ſummum pontificem, cui unanimiter omnes chriſticolæ faveant, electum, atque diutino & maturo libratam utrimque ſapientum examine & decretam, ut pote compendioſam & ſalubrem, & quaſi unicam, viis ceteris non probatis veluti aut prolixis, aut incognitis, aut ſcandalum parituris. Secundo namque quod tanto tamque pio operi atque laudabili, quantum valemus, favoris & auxilii conferamus. Super quibus ſumme lætati, ſacratiſſimæ majeſtati veſtræ, ſicuti præfatis legatis unica voca depromſimus, humiliter reſpondemus, quod nihil potuit noſtris animis gratius nunciari, nulliuſque harmoniæ concentus noſtras aures dulcius nec immerito demulcere. Quid enim, piiſſime princeps, vult feralis iſta diſcretio, niſi ridiculum totius Chriſtiani nominis, atque, niſi ſtatim ſuccurratur, exitium fidei orthodoxæ? Unde autem catholicis ſtrages & bella & multiplices undique paſſiones? Unde crucis hoſtibus magnæ victoriæ, a quibus majores natu unicæ matris ſanctæ benedictione protecti innumerabiles deportavere triumphos? In promtu enim cauſa eſt, ſchiſma unitatiſque remotio ab eccleſia ſancta Dei. Eia igitur, clementiſſime princeps, hanc curam domini inſtinctu ſuſceptam proſequamur. Hunc tantæ gloriæ titulum in omne ævum permanſurum majeſtas veſtra ſuſcipiat, nec ſumtus aut labores aut quicquam aliud majeſtatem ipſam a propoſito ſancto dimoveat. Non enim leviter magna parantur. Quid enim majus, quid dignius in quo eadem ſanctiſſima majeſtas invigilet, quam hoc opus in quo divina res agitur & humana? Hoc enim alma fides lacrymis aſperſa depoſcit, hoc jura volunt, hoc eſt omnium ſummum votum, hoc denique eſt quo nihil gratius, nihil acceptius fiat omnifico largitori. Quo circa etiam ſi quid ardoris regali decreto fervor devotus noſter valet adjicere, humiles orationes noſtras internæ mentis affectu porrigimus, laudantes plurimum viam ceſſionis aſſertæ, tamquam ſolam & optimam, inſidiarumque laqueis tutam, atque omni impedimento vacantem. Ceterum ſi non digne pro ardua qualitate negotii, at quantum valet fidelis noſtra devotio, majeſtati præfatæ ad gratiarum aſſurgit humillimas actiones, quod tam felicis, tamque ſancti glorioſique operis, tamque altæ materiæ ad verum erga paternitatem noſtram dilectionis indicium, benigne dignata eſt, nos humiles ſubditos ejus facere expertes, ſuper quo ac aliis quibuſcumque quidquid Januenſis poteſt veſtra communitas auxilii & favoris impendere, ſicut jam ipſius legatis obtulimus, iterum eidem majeſtati ſacratiſſimæ prona offerimus mente. Eidem humiliter ſupplicantes, quatenus communitatem ipſam ſuam & nos recommiſſos clementer habendo dignetur in ſua gratia continere.

EPISTOLA BENEDICTI PAPÆ XIII. ad Gregorium VI.

Benedictus ſcribit Gregorio intruſo accuſando ejus contumaciam, quia non venit Saonam, & narrando de negatione ſalvi conductus nuntiis ſuis.

Anno 1408. *Ex mſſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

BENEDICTUS, &c. Angelo Corrario, qui in hoc pernitioſo ſchiſmate ſe facit nominari GREGORIUS, pacis & unionis affectum pariter & effectum.

Si te veritatem profiteri non pigeat, præſertim cum ſit notorium, clare non poteris ea quæ nobis tuis litteris intimando, etiam divulgaſti per orbem, ut ex utriuſque ceſſione pax daretur eccleſiæ, ac quod ſcriptis tuis per nos ad hanc ceſſionis viam offerendo dato reſponſo, & de conventione in civitate Saonæ pro executione oblatorum, hinc inde ſecuta concordia, convenire in ſtatutis terminis renuiſti, & quibuſdam interpoſitis per te excuſationibus frivolis, poſt dilationes varias ad te datas, poſt adventum noſtrum ad hunc locum, Chriſti caritas & fervor compaſſionis animarum bona fide ſimpliciter incedentes, non abſque noſtri & noſtrorum fatigatione & gravi perſonarum jactura, nos per plurium menſium intervalla, cum Chriſtianorum ſcandalo, detinuiſti cauteloſe per verba, &, quod referimus diſplicenter, denegatis multis, etiam nonnullis per te oblatis, quæ ad executionem concordatorum, ad unionem proficiendam erant quam plurimum utilia & opportuna, & de ulteriori tecum tractatu ſuper hujuſmodi unione proſequenda omnem ſpem tollendo, nuncios noſtros, prorogationem eiſdem ſalvi conductus & audientiam denegando, a tua præſentia vacuos remiſiſti. Hæc autem libenter ſilentio tranſiremus, niſi tua contumacia reciperet ex noſtra taciturnitate fomentum. Poſtquam autem apud te paſſa eſt frequens hæc noſtra inſtantia repulſam, propter quædam in nonnullis partibus, quibuſdam inſtigantibus, innovata, abſque perſonali noſtro & noſtrorum periculo in his partibus moram trahere non

valentes, cum apud te, ut clare cernitur, proficere non poſſemus, nolentes Deum tentare, imminente periculo, ad aliquem locum, ubi nos cum noſtro collegio nos valeamus hoc turbationis tempore reponere in ſecuro, de fratrum noſtrorum conſilio eorumque inſtantia pulſati, decrevimus declinare. Sed ne videamur, ſicut nec intendimus, quacumque adverſitate intercedente, hujuſmodi proſecutionem unionis dimittere ſic neglectam, de dictorum fratrum conſilio deliberaveramus nuncios noſtros plena poteſtate ſuffultos, qui ſi velles ad cor reverti, poſſent ad effectum oblatorum proficere efficaciter in agendis, hinc dimittere. Impedientibus tamen ambaxiatoribus chariſſimi in Chriſto filii noſtri CAROLI regis Francorum illuſtris, in his partibus moram trahentibus, ſalvus conductus dictis nunciis neceſſarius obtineri non potuit. Quid autem ſuper hac re ſimus ulterius Deo auxiliante facturi, intendimus breviter univerſis Chriſti fidelibus intimare. Tu vero o homo, ſi ſcintilla compaſſionis animarum in te viget, quæ ſecundum Deum pro bono unionis agenda reſtant, conſidera, & ad ea quæ obligaris ex debito, pro Dei miſericordia te diſponas, reſecatis carnalibus deſideriis, quæ contra animas militare non ceſſant. Nos enim ad oblata per nos ſemper promtos reperies, præteritos defectus & contumaciam tuos, ſi bene egeris, in memoria non tenentes. Deum enim invocamus in judicem, & geſtorum notorietatem in teſtem, quod per nos non ſtetit, ſtat, aut ſtabit, quin vera unio in Dei eccleſia celeriter habeatur. Datum apud Portum-Veneris Januenſis diœceſis, Idus Junii * pontificatus noſtri anno XIII.

*ſ. Julii.

BENEDICTI XIII. LITTERÆ, Quibus concilium ad Perpinianum indicit in feſto Omnium-ſanctorum celebrandum.

Anno 1408. Ex mſ. ſancti Laurentii Leodienſis, & illuſtriſſimi domini Chauvelin.

BENEDICTUS, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo... & epiſcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpoſitis, & ceteris eccleſiarum prælatis exemtis & non exemtis per . . . . . provinciam conſtitutis S. & A. B.

1. Cœleſtis altitudo conſilii, firmam retinens in ſua diſpoſitione cenſuram, ſacroſanctam Romanam eccleſiam, ad cujus regimen ſumus, licet inſufficientes, aſſumti, ſupra petram fidei ſoliditate fundavit, illud ei tribuens in apoſtolicæ confeſſionis fortitudine fundamentum, ut nec procella turbinis, nec prævalere poſſit adverſus eam ſpiritus tempeſtatis. Unde ipſa univerſalis mater eccleſia ſacroſancta uſque ad conſummationem ſæculi manentem ſecum retinet Salvatorem; ideo juxta canticum Salomonis, quem dilexit amplectitur, ut pro nulla rerum varietate vel temporum, ab unitate ſuæ fidei, pietatis, & veritatis propoſiti ſeparetur. Licet enim per mundanæ malignitatis curſum in varia diſcrimina inciderit, & perſecutiones innumeras pertulerit ac labores, numquam tamen eam gratia divina deſeruit, quominus robur ejus in qualibet tentatione proficeret, & inde ſpei ſuæ gaudium obineret, unde recepit fidei fundamentum. In hac enim fidei ſoliditate firmati, nos apoſtolorum principis ſucceſſores, Chriſti, licet inſufficientibus meritis, ſuſcepimus vicariam, in ipſo Domino JESU CHRISTO figentes ancoram ſpei noſtræ, ut licet propter intruſionem nonnullorum, qui inconſutilem Dominicæ veſtis unitatem ſcindere ſatagentes, eccleſiam ipſam variis turbationibus & perſecutionum turbinibus vexaverunt, nos dolore triſtitiaque afflixerint: ſperamus tamen indubie, quod ſtatum ejuſdem eccleſiæ in unitate ſpiritus & pacis vinculo conſervabit ipſe qui non ſolum eam verborum expreſſione, ſed & ſui pretioſi ſanguinis effuſione fundavit, ut poſt veſpertinos fletus, gemitus & lamenta, quos emittere cogunt mala & diſcrimina, quæ execrandi ſchiſmatis, proh dolor! importuna duratio in Chriſtiano populo introduxit, quæ libet flere potius quam narrare, lætitia matutina ſuccedat; ipſaque eccleſia velut columba pulcherrima ipſius lætificata gemitibus, ſine ruga prorſus & macula candoris ſui pulchritudinem retineat illibata.

2. Dudum ſiquidem cum poſt noſtræ aſſumtionis primordia, ad procurandum ſciſſæ Dominicæ veſtis reintegrationem, & ſeneſcentis ſchiſmatis eradicandam, Deo auctore, perniciem, anxios labores noſtræ ſollicitudinis ſubiiſſet inſtantia, frequens nos turbatio impetiit, & difficultatum undique ingruentium tempeſtas involvit, & tandem inter varios & periculoſos eventus nos reperimus interceptos, & multos per annos notorio impedimento detenti, non potuimus in actum procedere, quem fervido pro bono Chriſtianitatis gerebamus in pectore. Cum autem placuit illi qui ſolo ſermone * reſtaurat univerſa, ut ſolutis vinculis detentionis noſtræ, in libertatem clauſos limites aperiret, ad repetendam inchoati laboris ſarcinam oculos direximus noſtræ mentis, & de fratrum noſtrorum conſilio ad PERRINUM DE THOMACELLIS in apoſtolica ſede intruſum, ſolemnes nuncios duximus deſtinandos: qui dicti Perrini præſentiam adeuntes, nonnullas vias ad unitatem eccleſiæ breviter conſequendam utiles & accommodas eidem Perrino in præſentia ſuorum anticardinalium, & multorum aliorum, noſtra pro parte publice obtulerunt, ipſum pro parte noſtra iteratis vicibus requirentes, quatenus alteram de dictis viis acceptaret, aut aperiret aliquam, ſi quam vellet, qui paratos nos offerebant viam rationabilem, ſi offerretur, acceptare, per quam vera unio in Dei eccleſia haberetur, pro qua

*al. nutu.

breviter & canonice consequenda, statui papali cedere & mortem etiam corporalem subire, si expediret, nostræ intentionis esse proposuerunt expresse. Qui quidem Perrinus aliquam ex viis oblatis acceptare, aut aliam aperire penitus recusavit, omnemque viam pacis abjiciens, dictis nunciis nunciavit * ut a præsentia sua & curia recederent sine mora. Quo infra biduum post dictæ negationis tam ferale responsum miserabiliter vita functo, & nostris nunciis sub salvo conductu captis, & demum certa pecuniæ quantitate redemtis, quidam COSMATUS DE SOLMONA in ipsius intrusionis vitium per anticardinales dicti Perrini superstites subrogatus, male adeptam præsidentiam retinere gestiens, quamquam per dictos nuncios nostros litteris & internunciis multis vicibus requisitus, nec salvumconductum concedere, nec eos ad suam præsentiam venire permisit: quin immo etiam cum ob hanc causam ad has partes Italicas nos transtulissemus, ut commodius possemus de hujusmodi desiderata secum unione tractare, licet ante suam intrusionem se daturum operam, ut felix hujus rei exitus haberetur, cum aliis anticardinalibus voto & juramento se astrinxisset, nihilominus nobiscum tractare renuit, & dilationibus interpositis, hanc Dei causam duxit per varias illusiones penitus in neglectum. Et tandem dicto ultionis mucrone perculsus, a die suæ intrusionis vix exacto biennio, clausit miserabiliter dies suos.

* *al.* mandavit.

3 Quo defuncto, præfati anticardinales satis celeriter processerunt ad intrudendum ANGELUM dictum Corrario, qui se facit GREGORIUM appellari, qui postea nobis & fratribus nostris S. R. E. cardinalibus tunc Massiliæ degentibus per suas litteras indicavit, se votis & juramento astrictum ad dandam pacem in Dei ecclesia per viam cessionis, & ad illam se totis affectibus aspirare, eam nobis offerendo. Quibus per nos summo cum gaudio perceptis, ex istis principiis credentes indubie virum istum secundum cor nostrum, veris caritatis affectibus ad tam pii operis consummationem velle procedere cum effectu, directis sibi nostris apicibus, datis Massiliæ apud S. Victorem II. calendas Februarii, pontificatus nostri anno XIII. viam mutuæ cessionis pure, libere & simpliciter fiendæ obtulimus. Pro quorum celeri executione, cum nunciis dicti ANGELI plena ad hoc potestate suffultis, concordatum extitit & conventum, ut nos cum nostro, & ANGELUS cum suo prætenso collegiis certis terminis præfixis ad personam conveniremus in civitate Saonæ, ubi nos etiam terminos ipsos præveniendo cum dicto collegio nostro personaliter affuimus.

4 Idem autem ANGELUS dicta pacta & promissa observare contemnens, nec in primo termino, nec in secundo comparere curavit; sed post ultimum terminum lapsum, per suos ambassiatores quibusdam frivolis rationibus declinando Saonam, & ad alia diffugia se convertens, nos inter cetera requisivit, ut pro bono unionis ad hunc locum Portus-Veneris versus Urbem situm in confinibus territorii Januensis, a Saona per nonaginta milliaria distantem nos transferre vellemus, offerens se ad locum de Petra-sancta Lucanæ diœcesis eo casu venturum, ut ex vicinitate locorum facilior ad exsecutionem agendorum pateret facultas. Et licet opinio de ipso prius concepta nos aliàs, prout manifeste cernitur, fefellisset, tamen ne tantum bonum imperfectum remaneret, dictæ requisitioni annuentes, etiam ante terminum concordatum cum dicto nostro collegio venimus ad hunc locum. Dictus autem ANGELUS ad locum de Petra-sancta per suos oratores, ut præfertur, oblatum, penitus venire recusavit.

5 Post diversas nunciorum nostrorum instantias, tribus mensibus interim fere lapsis, se ad Lucanam contulit civitatem. Cujus adventu percepto, statim nostros solemnes nuncios ad ipsum ANGELUM de dictorum fratrum nostrorum consilio cum plena potestate destinavimus iterato, qui juxta eis commissa, publice ex parte nostra requisierunt eumdem, quatenus ad unionem ecclesiæ per viam mutuæ cessionis, prout hinc inde oblatum fuerat, diligenter & sollicite vellet intendere: exhortantes eumdem, ut de his quæ pro promissorum consummatione, & unionis conclusione necessario agenda erant, cum ipsis nunciis concordare, eorumque executionem accelerare placeret: offerentes nos ad præmissorum executionem, pro unione assequenda, pure, libere, efficaciter, & semotis frustratoriis dilationibus, processuros. Quibus nunciis idem ANGELUS concluśive respondit, se solum de loco, in quo ambo personaliter conveniremus velle tractare, & quod de aliis necessariis ad unionem perficiendam tractare in dicto loco & non alibi proponebat. Et licet dicti nuncii nostri multis rationibus responderent * prætactum per eos ordinem fore utiliorem & breviorem, quodque illis concordatis de loco executionis præmissorum, possent facilius & securius postea concordare: videntes tamen dictum ANGELUM in præmissa responsione firmatum, ad tractatum primitus de loco conventionis supradicto, ut idem ANGELUS volebat, condescenderunt.

* *al.* persuaderent.

6 Super qua materia dicti nuncii nostri ultra loca Januæ, Saonæ, & alia nonnulla aliàs oblata, quædam civitati Lucanæ propinqua, secura & habilia obtulerunt, cum illis securitatibus, de quibus Massiliæ inter partes pactum fuerat & conventum, aliis necessariis & opportunis superadditis, si expediret. Obtulerunt insuper limites obedientiæ nostræ, ut ipsius ANGELI, inter hunc locum Portus-Veneris & civitatem Lucanam constitutos, in quibus tamen limitibus dictus ANGELUS

meliora & ſecuriora loca habere dinoſcitur. Quæ oblatio etiam per ſæculares quantumcumque diſcordes de pace tractantes, vix aut numquam conſuevit refutari; quæ omnia dictus ANGELUS frivole declinavit.

7 Demum vero oratores Venetorum hæc videntes, ſuo & plurium aliorum regum, principum, & communitatum, nunciorum nomine, pro eadem conventione quædam loca habilia & idonea nominarunt in obedientia dicti ANGELI, & ſub dominio domini Lucani conſiſtentia, & nuncii noſtri liberaliter acceptarunt; ſed etiam illa idem ANGELUS refutavit, quamquam ut patet per inſtrumentum publicum, ad omnem locum idoneum infra Italiam in ſua obedientia conſtitutum ſe venturum alias obtuliſſet. Cumque videremus dictum ANGELUM a rationis tramite deviantem, ne cauſa Dei ulterioris dilationis incommoda pateretur, oblationi dicti ANGELI per ſuos oratores factæ noviſſime, per quam ſe venturum Piſas a Luca per decem milliaria diſtantem obtulerat, ſi nos Liburnum per LX. ab hoc loco remotum veniremus, duximus annuendum, ut exinde, conſiderata vicinitate locorum, quæ per nos & ipſum pro executione viæ ceſſionis hinc inde oblatæ, & proſecutione unionis concordanda erant, concordarentur, & tandem feliciter complerentur. Sed dictus ANGELUS, quamvis per noſtros nuncios ſuos anticardinales & dictos oratores fuiſſet ſæpe & ſæpius requiſitus, quod juxta oblata per eum ad Piſanam veniret civitatem, quam nuncii Florentinorum ad hoc poteſtatem habentes offerebant, venire finaliter recuſavit, & omni ſpe tractandi ulterius de hac materia ſublata, dataque repulſa, noſtros nuncios ulteriori ſalvo-conductu, cujus terminus penitus inſtabat, denegato, a ſua obedientia repulit, vacuoſque remiſit, prout de præmiſſis omnibus & ſingulis conſtat per publica & authentica documenta; & tandem ſuis anticardinalibus ne cum ipſis nunciis noſtris & regis Franciæ ambaſſiatoribus loquerentur, & ne ſe invicem congregarent, nec civitatem Lucanam ſine ipſius licentia ſpeciali exirent, ſub magnis pœnis prohibendo interdixit, & ſatis cito ad nonnullorum anticardinalium creationem, nonobſtantibus propriis voto & juramento, proceſſit. Anticardinales vero præmiſſa conſiderantes, & ipſum ANGELUM ad bonum unionis ex præmiſſis & aliis indiſpoſitum attendentes, ab eo receſſerunt, ſeque ad præfatam civitatem Piſanam tranſtulerunt.

8 Verum, quod referre piget & exprimimus cum dolore, conſiderantes quod humani generis inimico, pacis æmulo procurante, a dicto Angelo obtinere nequivimus ſuper materia unionis alium effectum. Et propter nonnulla etiam contra perſonam noſtram, ſtatum & honorem ſedis apoſtolicæ atque noſtrum, ut fide dignis relatibus accepimus, innovata & attentata, hic deinceps abſque perſonali periculo noſtro & noſtrorum moram trahere non valemus, nolentes Deum tentare, imminente periculo; de venerabilium fratrum noſtrorum cardinalium conſilio & eorum frequenti inſtantia pulſati, deliberavimus recedere, & nos cum collegio noſtro hoc turbationis tempore reponere in ſecuro. Sed ne videremur, ſicuti nec intendimus quacumque adverſitate intercedente, hujuſmodi proſecutionem unionis dimittere ſic neglectam, de dicto fratrum noſtrorum conſilio deliberavimus nuncios noſtros plena poteſtate ſuffultos hic dimittere, qui tam cum dicto ANGELO, ſi vellet ad cor reverti, quam cum ſuis prætenſis cardinalibus poſſent ad effectum oblatorum procedere efficaciter in agendis. Quia tamen impedientibus ambaſſiatoribus cariſſimi in Chriſto filii noſtri regis Francorum illuſtris, in his partibus moram trahentibus, ſalvus conductus dictis nunciis noſtris neceſſarius obtineri non potuit, licet non credamus hoc de dicti regis voluntate & conſcientia proceſſiſſe, eoſdem nuncios dimittere nequivimus ob prædictæ ſecuritatis defectum.

9 Præmiſſis itaque in animo ſæpius recenſitis, ad tanta diſcrimina relevanda dirigentes aciem noſtræ mentis, levamus oculos noſtros ad Deum, unde provenire nobis auxilium & humiliter petimus & devote ſperamus. Et quia in his adhibere remedium licet ad nos ex officii debito pertineat, intereſt tamen generaliter fidelium omnium nos cum eiſdem fratribus noſtris aliiſque viris prudentibus frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigit, de ipſorum fratrum conſilio, generale concilium, ſicut imitatione digna ſanctorum patrum conſuetudo laudabilis longævæ obſervationis nos inſtruit, juxta ſacrorum canonum inſtituta celebrandum in loco Perpiniani Elnenſis diœceſis, decrevimus convocandum, ut in eo tam circa præmiſſa & ea quæ exſtirpationem præſentis ſchiſmatis & unionis acceleracionem concernunt, quam circa alia quæ ſalutem reſpiciunt animarum & eccleſiæ ſtatum pacificum & tranquillum, illa, Deo auctore, inveniatur proviſio, per quam, eradicato ſchiſmate, roborata fide, ſedatis diſcordiis, pace firmata, ac ejuſdem ſanctæ matris eccleſiæ ac Chriſtianæ religionis ſtatu debite reparato, tollat ſciſſuras, nobiſque remedia aperiat, idem ipſe qui novit, & facultatem tribuat ſicut poteſt, quod in præmiſſis juxta intenſum animi noſtri deſiderium ſibi miniſtrare poſſumus ad ſui nominis laudem & gloriam ſempiternam, & in præſenti ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem populi Chriſtiani. Verum licet proſecutio tanti propoſiti majori tempore indigeret, tamen ex quibuſdam urgen-

tibus cauſis, præſertim acceleratione præfatæ unionis, conceptum terminum perſtringentes, ut brevius feliciuſque negotium hujuſmodi, auctore Domino, optatum ſortiatur effectum, feſtum Omnium Sanctorum proxime futurum ad id duximus deputandum.

10. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcopi, epiſcopi, & dilecti filii electi, & abbates exemti & non exemti, quos etiam in vim præſtiti juramenti requirimus, & ceteri eccleſiarum prælati, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis ac tanti negotii qualitas exigit, diſpoſitis & paratis, ſic medio tempore vos accingatis ad iter, quod in hujuſmodi decreto termino, quem vobis & aliis peremtorie aſſignamus, in præfato loco Perpiniani, vos noſtro conſpectui perſonaliter præſententis, ad ea quæ in dicto concilio tractanda occurrent, ſolers & operoſum ſtudium impenſuri. Capitula vero eccleſiarum omnium tam cathedralium quam aliarum & conventus monaſteriorum, quibus per vos archiepiſcopum & epiſcopos cum omni celeritate volumus id mandari, ad idem concilium viros idoneos pro ſe mittant, quibus ad omnia, quæ in dicto concilio ſtatuentur, fient & ordinabuntur ac fuerint opportuna, concedant plenariam poteſtatem, de qua ſufficienter conſtet per publica & authentica documenta, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis ſeu indulgentiis quibuſvis perſonis, ordini, dignitati, ſeu collegio, ſub quacumque verborum forma vel expreſſione ab apoſtolica ſede conceſſis, per quæ poſſit effectus hujuſmodi mandati noſtri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Circa perſonarum vero & evectionum numerum tali moderamine obſervato, ut nullus pompoſus aut inanis gloriæ quæſitor, ſed quilibet ſic veræ humilitatis cultor appareat, quod eccleſiæ ſibi commiſſæ nequaquam oneroſus exiſtat. Non eſt tamen noſtræ intentionis per hæc ab iis quæ per nos ſuper ceſſione & unione dicto ANGELO per litteras noſtras oblata ſunt recedere, aut illa quovis modo ſuſpendere ſeu prorogare: quin immo illa intendimus interim & continue efficaciter, quantum in nobis fuerit, proſequi & exequi toto poſſe. Datum apud Portum-Veneris Januenſis diœceſis, XVII. calendas Julii, pontificatus noſtri anno XIV.

EPISTOLA CARDINALIUM Gregorii XII. ad Carolum regem Francorum.

Duobus de papatu contendentibus, vias pacis recuſantibus, concilium generale cum cardinalibus alterius obedientiæ celebrandum proponunt, pro quo regis favorem aliorumque principum deprecantur.

Ex mſſ. S. Laurentii Leodienſis, & illuſtr. dom. Chauvelin.

CHriſtianiſſimo principi ac ſereniſſimo domino, domino KAROLO Dei gratia Francorum regi, toti veſtri miſeratione divina epiſcopi, preſbyteri & diaconi, S. R. E. cardinales, in loco veſtro de Lyburno ſub veſtra regia protectione exiſtentes, recommendationem debitam & devotam, & in his quæ ad pacem ſunt Jeruſalem, regiam opem ferre.

Tranſire ſilentio aut tacere officio admodum nolumus, immo nequaquam poſſumus aut debemus, ne nos ipſi, quorum quotidiana inſtantia, teſte Apoſtolo, eſt & eſſe debet ſollicitudo omnium eccleſiarum, qui etiam jure levitico ſummi Sacerdotis coadjutores exiſtimus deputati, tam patentis erroris, cui univerſale damnum & præcipitium totius reipublicæ ſubjacet, non tantum ſimulatores conniventes, quantum ſocii participes videamur. Quoniam ut ipſa res per ſe notoria eſt, & a continuis malis in pejus ſemper excreſcentibus manifeſta, quantum eccleſia Dei a primordio hujus nefandiſſimi ſchiſmatis uſque in hos dies, cum ingenti animarum interitu, proh dolor! ſit attrita, oſtendit ruinæ immenſurabilis quantitas, docet excidium, reſtantis partis informitas, & deficientis, immo ruentis jam fidei magnitudo; ut non ſit dare in hoc ſacro myſtico corpore particulam, quam ab imo uſque ad verticem hic livor edax, hæc peſtis horrenda non carpſerit. Traxit nos, fatemur, Chriſtianiſſime principum, in cujus ſacratiſſimo conſpectu tam volentes, quam neceſſarii verba diffundimus, zelus domus Dei, cui vota noſtra ſacravimus; caritas innoxii populi, cui ſollicitudines noſtras iſta hora in tam eminenti caſu præſertim debemus, [non (a) abſque incommodis & periculis partes Italicas tranſalpinare, terras adire extraneas, & nos infra limites alterius obedientiæ, in tam diſcriminoſo tempore collocare: putantes aliquando divino fieri auxilio, non obſtantibus jam multorum defeſſis ætatibus, quibus quidam forſitan indulſiſſent, in bona patientia & continuatione certaminis, hanc unitatem noſtris deſideriis adæquare. Sed quia nos eos, hoc ipſi reſpiciunt, libenter pro more relinquimus. Nam de hoc non quærimus laudem,

[a]

(a) Anſulis incluſa deſiderantur in cod. Chauveliniano; ſed poſt hæc verba *præſertim debemus*, ſic legit: *Conſtat, ſereniſſime princeps, quod hi domini qui hodie de papatu contendunt, &c.*

ſed intentum; non ſamam, ſed effectum. Patet namque ſatis ex rerum experientia, quantum per nos actum ſit, ut ad finem hujus extirpandi diſſidii de campo orthodoxæ fidei obnixis remediis veniremus. Conſtat proinde *toti fere orbi terrarum*, poſthabitis negotiorum ſingulorum progreſſibus, poſt varios diverſoſque labores,] quod hi domini, qui hodie de papatu contendunt, quamquam alterutrum ad convicinos terminos perveneriſ, concordare de dando pacem eccleſiæ per viam ceſſionis, quæ tamquam expedientior ceteris antecellit animarum cladibus viſa eſt, nunc ex defectu loci, qui nullatenus, cum per procuratorem & alias fieri ceſſio valeat, neceſſarius viſus fuit; nunc ex aliis occaſionibus pro cauſis, utinam abſque mutua colluſione inter eos, nequeunt. Conſtat inſuper, quod ex quo contendentes ipſi, tractatu pacis & unionis omnino dimiſſo, a locis in quibus de præſenti fuerant, aliorſum ad loca valde diſtantia ſe transferunt, finis ad quem tendebamus de manibus penitus evaneſcit; & ſic materia ipſa, qua nulla ſanctior eſt, per ſummam rerum deſperationem eo fortior incaleſcit, quo propius ad culmen victoriæ poſita, deducta eſt perverſo ingenio in deriſum. (*a*) unde veriſimillimum videtur, quod per hoc ipſum ſchiſma roboretur, quin immo in perpetuitatem irrepat, tamquam uſus qui plerumque convertitur in naturam. Quamobrem ex debito conſcientiarum remorſi, dirigentes ad tam exitiabile vulnus noſtræ compaſſionis intuitum, deliberavimus, ſumma rerum opportunitate ſuadente, immo & neceſſitate nos cogente, quemadmodum qui levioribus non proderint, manus ad fortiora mittere, & cum reverendiſſimis patribus dominis alterius collegii convenire. quorum opinionibus atque votis unà cum noſtris plene concurrentibus, tamquam novo uno ſpiritu inſpiratis, ipſi nobiſcum & nos ſecum pro ultimo remedio ſecurim ad radicem poſuimus, generale videlicet concilium per ſuam obedientiam quilibet convocantes, ut infra feſtum Annunciationis in civitate Piſana, veluti loco aliàs per præfatos contendentes tamquam accommodo acceptato, ad retrudendum hanc monſtriferam belluam in antrum mortiferum, per amborum contendentium ceſſionem, & in caſu contradictionis, diffugii, vel contumaciæ, per debitam & canonicam ordinationem eccleſiæ congregatæ, prout per exemplar litterarum convocationis prælatorum, nec non litterarum, quas ſpecialiter domino noſtro papæ ſcribimus, præſentibus intercluſum, ſi placet, videbitis contineri. Ad nos enim & eos, ſtantibus rebus prout ſunt, hujuſmodi convocationem non eſt dubium pertinere, maxime cum finis & conſideratio hujus ſacri concilii, ut ſcilicet ibidem ambo renuncient, cum intentione horum dominorum contendentium non concordet. Nunc autem, princeps ſacratiſſime, cum ad dirigendam hujuſmodi exſecutionis congeriem, ſumme expediat, cunctorum bonorum virorum, & ſignanter principum terræ juvamen atque prælidium pro bono negotii invocare; licet res ipſa ſancta per ſe cunctos invitet, ad ſerenitatem tamen veſtram peculiari quadam ſpe & ſingulariori conſideratione confugimus, tamquam ad illum, qui imitando continue clariſſima progenitorum veſtrorum exempla, quibus cetera noſtri ſæculi cedunt, & quorum conſiliis & potentiis ſchiſmata multa fuerunt quadam laurea, immo ſpeciali privilegio confutata, cum hoc totum maxime a veſtra ſerenitate dependeat, dignemini huic honeſtiſſimo operi, ſicut firmiter credimus, non deeſſe, ſed humeris veſtris ad fortiora potentibus, hoc ipſum fomentis regalibus adjuvare, & ad locum præfatum, ubi dicto tempore, Dei gratia favente, erimus, regales nuncios, qui nobis in hoc vice regia ſalutare conſilium tribuant, deſtinare. Etiam ſimiliter dignemini efficere, ſignanter cum regibus Caſtellæ, Arragoniæ, Siciliæ, Navarræ, Scotiæ, (*b*) Bohemiæ, & Hungariæ, ac aliis principibus ſanguine aut alias confœderatione excellentiæ veſtræ conjunctis, quatenus ſolemniter ibi mittant, nec non prælatos ſuos & alios convocandos, quibus etiam extenſe ſcribimus, omnino venire diſponant, ut diſpoſitio veſtra tanto cunctis ſit gratior ac etiam fœcundior, quanto regalis conſilii ac prælatorum fuerit provida & ſalubri deliberatione concepta. Dignantes inſuper prælatos regni veſtri, quibus ſcribimus, & ad eos ob hanc cauſam deſtinamus, de veſtra innata caritate, qua ad finem tanti negotii ſerenitas ipſa a tenera ætate pia devotione flagravit, regalibus mandatis reſtringere, quod præfatis loco & tempore debeant infallibiliter convenire, ut cauſa tam pia & ad finem proclivis reperiat, divinis faventibus auſpiciis, quod requirit. Ceterum, amantiſſime princeps, attendat veſtra regalis providentia vigilanter, ac etiam provideat, præfatoſque reges & principes reddat cautos, ne per iſtos, qui monſtrum in Dei eccleſia nutrire

[a]

[b]

(*a*) *In codice illuſtriſſimi domini Chauvelin ſequentia hic adduntur*: Conſiderate namque, princeps amantiſſime, quod dum fracto penitus & omiſſo unionis tractatu, ambo contendentes volentes taliter ſe ab invicem per longiſſima terrarum ſpatia ſeparare, dominus BENEDICTUS publicavit in ſuo receſſu a Portu-Veneris, in loco Perpiniani cum iliis ſuæ obedientiæ in proximo feſto Omnium-ſanctorum concilium celebrare. Alter vero vocatus GREGORIUS ſimiliter in ſuo receſſu de Luca, ſub ſua bulla in proximo feſto Pentecoſtes in patriarchatu Aquilegienſi ſe idem facturum mandavit. Quis credat vero poſſibile, quod per concilium Perpiniani, ubi nulli aderunt, niſi pauci affectionem inordinatam domini Benedicti ſequentes, pax utriuſque obedientiæ in univerſali eccleſia tribuatur? Idemque fore cenſendum de concilio dom. Gregorii prælibati. Nonne hæc clariſſime demonſtrant, præfatos contendentes ad nihil aliud intendere, niſi ut per hoc ipſum roboretur ſchiſma, quin immo in perpetuitatem irrepat? Quamobrem ex debito, &c.

(*b*) Codex Chauvelinianus omiſſo *Bohemiæ & Hungariæ*, addit *atque Cypri*.

non verentur, & taliter Petri cathedram ambiunt [a] (a) impudenter, nec non & eis adhærentes, non quæ Christi, sed quæ sua sunt quærentes, huic sancto operi tamquam Deo grato impedimenta præbeantur, nunc falsis dogmatibus, nunc mendosis prædicationibus, nunc iniquis & injustis processibus, & [b] (b) constitutionibus temerariis, sine fratrum consilio, cum præcipitatione virtutum noverca editis. Credimus enim, quod de facto obices multiplices, quantum poterunt, interponent. Nos tamen de Deo & demum vestro regali præsidio confisi, omnibus his spretis, ad concepta intrepide procedemus; nec propter hoc tacebimus, aut etiam quiescemus, donec egrediatur ut splendor justus ejus. Scriptum Liburnii Pisanensis diœcesis, &c.

EPISTOLA CARDINALIUM ad Carolum regem Navarræ.

Ejusdem argumenti.

Anno 1408. *Ex mss. S. Laurentii Leodiensis, & illustrissimi dom. Chamvelin.*

SEreniſſimo principi & domino, domino KAROLO Dei gratia regi Navarræ, miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi, S. R.E. cardinales salutem in eo per quem reges regnant, & ecclesiæ desolatæ spiritum compassionis impendere.

Certi sumus, princeps excellentissime, vestram devotionem non latere, progressum his diebus duorum contendentium de papatu, neque ignorare quibus ostentationibus quibus, palliationibus, quibusve operibus, ad quem exitum causa unionis ecclesiæ sanctæ Dei, ab eisdem contendentibus finaliter sit perducta: immo quod non sine dolore revolvimus, nisi de remedio citissimo occurratur, prope in exitium coartata. Nos autem, quorum quotidiana instantia, teste apostolo, est & esse debet sollicitudo omnium ecclesiarum, velut illi qui jure levitico summi sacerdotis coadjutores existimus deputati; quorum maxime in hac rerum vertigine & supremo animarum periculo inter est potissime, contendentibus nedum tepescentibus, immo hoc pestiferum schisma causantibus, rebus tam gravibus obviare. Considerantes quod ex quo ipsi contendentes, sub ludibriosa occasione difficultates locorum, facto penitus & omisso unionis tractatu, voluerunt se taliter ab invicem per longissima terrarum spatia separare. Dominus BENEDICTUS in suo recessu a Portu-Veneris publicavit se in loco Parpiniani, in proximo festo Omnium sanctorum, ad schisma fortius confirmandum, ut multis videtur, suum concilium celebrare. Alter vero vocatus GREGORIUS, similiter in suo recessu de Luca, in proximo festo Pentecosten in provincia Aquilegiensi se idem facturum mandavit, quamvis nedum ipsi, sed omnes clarissime deprehendant, quod per concilium Perpiniani est impossibile, quod pax utriusque obedientiæ in universali ecclesia tribuatur. Idemque censendum de concilio GREGORII prælibati. Quibus nos cognoscentes manifeste, quod secundum progressum contendentium prædictorum finis ipse ad quem tendimus, de manibus penitus evanescit, & materia ipsa qua nulla sanctior, per summam rerum desperationem eo fortius incalescet, * quo propius ad culmen victoriæ posita deducta est perverso ingenio in derisum. Quamobrem, princeps sereniſſime, ex debito conscientiarum nostrarum remorsi, dirigentes ad tam exitiabile vulnus nostræ compassionis intuitum, deliberamus summa rerum opportunitate suadente, immo & necessitate cogente, manus ad fortiora injicere, & cum reverendissimis patribus domini alterius collegii convenire. Quorum opinionibus atque votis una cum nostris concurrentibus, in unum tamquam ex uno spiritu inspiratis, ipsi nobiscum & nos secum pro ultimo remedio securim ad radicem posuimus, generale videlicet concilium per suam obedientiam quilibet ad eumdem locum eumdemque terminum convocantes, videlicet XXV. die Martii proxime futuri in civitate Pisana, ad retrudendam hanc monstruosam belluam in antrum morferum per amborum contendentium cessionem; & in casu contradictionis, diffugii, aut contumaciæ, per debitam & per canonicam ordinationem ecclesiæ congregatæ, prout per copiam quam vobis mittimus litterarum convocationis prælatorum, nec non per litteras, quas specialiter domino BENEDICTO scribimus, si placet, videbitis contineri. Nunc autem, princeps optime, cum ad dirigendam hujusmodi executionis congeriem summe expediat, regum terræ juvamen atque præsidium pro tam sacro negotio invocare, licet res ipsa sancta per se cunctos invitet; qui reges, teste B. Isidoro, debent cognoscere se de hoc debere reddere rationem, propter ecclesiam quam Christo tuendam suscipiunt, vestram serenitatem, de qua specialiter confidimus, requirimus & hortamur per viscera misericordiæ domini JESU CHRISTI, dignemini huic sanctissimo operi non deesse, sed hoc ipsum fomentis regalibus adjuvare, & ad locum præfatum, ubi dicto tempore, favente divina gratia, erimus, regales nuncios, qui nobis in hoc vice regia salutare consilium & auxilium tribuant, destinare velitis. Insuper prælatos regni vestri, quibus scribimus, regalibus mandatis restringere, quod præfatis loco & tempore debeant infallibiliter convenire, ut dispositio nostra tanto cunctis sit gratior ac etiam fœcundior, quanto regalis consilii ac etiam prælatorum fuerit provida & salubri deliberatione concepta. Ceterum, amantissime princeps, attendat vestra regalis

* *al.* evanescet.

(a) *al.* detinent in divisione manifeste.
(b) *al.* aut aliàs quovis quæsito colore.

lis providentia vigilanter, ac etiam provideat, ne per istos qui monstrum in Dei ecclesia nutrire non verentur, & taliter Petri cathedram in divisione detinent manifeste, nec non & eis adhærentes, non quæ Christi, sed quæ sua sunt quærentes, huic sancto operi tamquam Deo grato impedimenta præbeantur, nunc falsis dogmatibus, nunc mendosis prædicationibus, nunc iniquis & injustis & nullis processibus, aut alias quovis quæsito colore. Credimus enim quod de facto obices multiplices, quantum poterunt, interponent: nos tamen de Deo & vestro regali præsidio confisi, omnibus eis spretis, ad concepta intrepide procedemus, nec propter hoc tacebimus, aut quiescemus, donec egrediatur ut splendor justus ejus. Datum in loco Liburni Pisanensis diœcesis sub nostrorum trium priorum sigillis die XIII. Julii anno domini M CCCC VIII.

EPISTOLA CARDINALIUM regi Castellæ & Legionis.

Ejusdem argumenti.

Ex mss. sancti Laurentii Leodiensis & Chauveliniano.

SEreniſſimo principi & domino, domino (*a*) Jo Dei gratia regi Castellæ & Legionis, miseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales, salutem in eo per quem reges regnant & unanimes in domo domini ambulare. (*b*)

Hæc est domus domini, princeps inclytissime, cujus decorem cum propheta divi principes, vestri avus & genitor, tam pie, tam catolice dilexerunt. Hæc est domus domini, pro cujus integritate, ne per geminos sponsos monstruosa in duobus capitibus macularetur infamia fideliter dimicarunt. Hæc est unica, quæ teste Hieronymo, claves accepit, & extra quam non est salus, & pro tanto præmisimus, princeps excellentissime. Certi enim sumus devotionem vestram, &c. *ut supra.*

EPISTOLA CARDINALIUM reginæ Castellæ.

Ejusdem argumenti.

Ex mss. ejsd.

SEreniſſimæ principiſſæ & dominæ, dominæ CATHARINÆ Dei gratia Castellæ & Legionis reginæ, miseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales, salutem in eo cui servire regnare est.

Considerantes devotionis & pietatis constantiam, quam inclytæ recordationis progenitores vestri, ac etiam sereniſſimi principis domini Johannis Dei gratia Castellæ & Legionis regis illustrissimi nati vestri, circa Deum, fidem catholicam, & ecclesiam omni tempore habuisse noscuntur; ad vos & ipsum recurrentes, pro reparatione ac succursu communis matris nostræ, sanctæ universalis ecclesiæ, lustris sex jam peractis in tam lamentabili ruina prostratæ, nunc eidem inclytissimo nato vestro scribimus per has litteras nostras subsequentis tenoris: *sereniſſimo principi*, &c. assumta ergo de vestra erga Deum devotione fiducia, celsitudinem vestram rogamus, requirimus & hortamur in domino JESU CHRISTO, quatenus nunc intueri dignemini quod tempus advenit, in quo filio glorioſæ Virginis serviatis pro his quæ vobis ipse tribuit, videlicet per inclytum natum vestrum, ac etiam progenitorum vestrorum excitata exemplo, sponsæ Christi in hoc articulo studeatis consilium & auxilium impertiri. Ita quod JESUS CHRISTUS qui pro redemtione vestra proprium sanguinem fundere & in crucis patibulo mortem subire dignatus est, qui hoc tempore vos disposuit experiri... vobis post temporalis palatii gloriam æternæ vitæ dignetur ob hoc indulgere coronam. Datum, &c. *ut supra.*

(*a*) Johanni hujus nominis II. qui anno 1406. Henrico III. regi Castellæ & Legionis succeſſit.

(*b*) Ejusdem tenoris est epistola directa Martino Aragonum regi in codice illustrissimi domini Chauvelin.

EPISTOLA CARDINALIUM infanti Castellæ.

Ejusdem argumenti.

ILlustri principi domino F. infanti Castellæ, &c. miseratione divina, &c. salutem & ecclesiæ sponsæ Christi sacro-sanctæ matri nostræ, proh dolor! taliter fluctuanti succursum celerem impendere. *Ex mss. ejsd.*

Recolentes piam devotionem, qua pia regia & excellentissima domus Castellæ, a qua vestram trahitis originem, sacro-sanctam ecclesiam beneficiis foverit, variisque obsequiis extiterit prosecuta, merito confidimus, quod in tam gravi necessitate eam nullatenus derelinquet. Ideo sereniſſimo principi, & domino, domino Johanni Dei gratia Castellæ & Legionis regi nepoti vestro, cum grandi fiducia duximus præsentialiter* scribendum sub tenore sequenti *Sereniſſimo principi*, &c. Cum itaque princeps, inclytissime, videatis ex præmissis tantam ecclesiæ imminere ruinam, paratamque pacem, si regalis potentia modo debito, ut petimus, manus suas effectualiter interponat; vestram excellentiam, quam Deus tot viribus insignivit, tantumque ei potentiam contulit, in hac parte requirimus & hortamur per viscera misericordiæ JESU CHRISTI, & vos ad hoc opus sacratissimum non deesse, sed totaliter assistere, quod ecclesia merito gaudeat talem filium habuisse. Datum.

* *al.* principaliter.

EPISTOLA CARDINALIUM domino duci Bituricensi.

ILluſtriſſimo principi & domino, domino J. regis Francorum filio duci Bituricenſi & Alverniæ, comitique Pictaviæ miſeratione divina, &c. ſalutem in eo cui ſervire regnare eſt, & diſperſiones Iſraelis congregare.

Scandaloſa eccleſiæ diſperſio, princeps inclyte, ac horrendum inter chriſtianos diſſidium his diebus ſatis innotuit evidenter, quantum malignatus eſt inimicus in ſancto. Certi enim ſumus devotionem veſtram non latere, &c.

Ejuſdem ſunt tenoris epiſtolæ ſcriptæ ad Ludovicum ducem Borbonii, & illuſtri principi domino Roberto filio quondam regis Scotiæ, duci Albaniæ, cum epiſtola ad regem Navarræ in codice Chauveliniano.

PRIMA AVISAMENTA

dominorum cardinalium ſuper extirpatione ſchiſmatis & congregatione concilii generalis.

Anno 1408. *Ex mſ. ſancti Laurentii Leodienſis.*

SEquuntur ea quæ fuerunt aviſata per dominos cardinales utriuſque collegii, qui in Liburno convenerunt ſuper facto unionis procurandæ.

1. Primo, cum evidenter conſtet de contumacia & pertinacia ac indiſpoſitione domini GREGORII ad omnem viam unionis habendæ, & quod ulterius non eſt de neceſſitate requirendus, quia ſi requireretur, per dilationes vel per verbalem reſponſionem, quam non haberet in mente, impediret remedia quæ ſunt excogitata pro unione habenda.

2. Item, attenta indiſpoſitione utriuſque contendentis de papatu, & receſſu, eſt aviſatum pro utili unione habenda, quod eccleſia debet congregari per collegia cardinalium, ita quod quodlibet collegium convocet prælatos ſuæ partis; quia in tali caſu juxta communes opiniones, eccleſia congregata eſt judex.

3. Item, quod congregentur iſta concilia ad feſtum Purificationis B. Mariæ proxime futurum, & in loco, ſi poſſibile fuerit, convocentur ambæ partes, alias in duobus locis propinquis, adeo ut facilius poſſit haberi acceſſus de uno ad alium.

4. Item, quod convocentur archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, & capitula eccleſiarum cathedralium, ac univerſitates ſtudiorum.

5. Item, videtur aliquibus, quod ſint vocanda capita quatuor ordinum mendicantium, Celeſtinorum & Carthuſienſium.

6. Item, quod prædicta intimentur regibus & principibus, & requirantur de auxiliis, & quod mittant ſolemnes ſuos deputatos, & quod faciant, quantum in eis fuerit, quod prælati & alii vocati veniant ad concilium, & quod dent ſecuritates in terris ſuis omnibus venientibus ad dictum concilium, & quod non patiantur eos impediri per contendentes de papatu, ſeu alterum ipſorum.

7. Item, quod dum vocabuntur prælati, & prædicta intimabuntur principibus, quod quodlibet collegium prædictum intimet ſuo papæ & requirat, quod in loco & termino interſit, & quod vocationi, quantum in eo fuerit, opem ferat cum intimatione; quod ſi non venerit, concilium ſeu eccleſia congregata diſponet de extirpatione ſchiſmatis & unione habenda, ipſius abſentia non obſtante; & dum vocabitur, in littera vocationis offerentur ſibi debitæ ſecuritates & libertates in veniendo, ſtando & redeundo.

8. Item, eſt intentio quod quælibet pars in concilio diſponat ſuum papam ad viam ceſſionis juratam &c. & ſi diſponi non poſſit, vel ſit contumax, abjiciatur per concilium ſeu eccleſiam congregatam tamquam ſchiſmaticus notorius, criminoſus de enormibus criminibus, incorrigibilis, eccleſiam ſcandalizans, & hæreticus.

9. Item, quod poſt renunciationem amborum, vel, ſi ad hoc induci non poſſunt, abjectionem amborum, cardinales utriuſque collegii, æquato in pari numero hinc inde convenientes in unum, & facientes unum collegium, ad electionem procedant unici paſtoris.

10. Item, eſt intentio, quod licet a principio concilia teneantur diviſim, tamen poſtquam deliberaverint, conveniant in uno loco ſimul in vinculo caritatis & pacis, & communicent quæ deliberaverint, & ex poſt fiat electio, ut ſuperius eſt dictum.

11. Item, modus tenendi concilium in qualibet parte videtur eſſe talis, quod unus cardinalium proponet mala ſchiſmatis, ipſius diuturnitatem, & quæ ſunt jurata & promiſſa per contendentes de via ceſſionis approbata ab omnibus fidelibus. Et ſi poteſt haberi, pax eſt: in caſu abſentiæ vel contradictionis petatur concilium, & vocatis prælatis & aliis ſuper illorum dejectione, & quod eis videtur faciendum ſuper facto illorum, ſecundum Deum & diſpoſitiones canonum, & alias obſervata in Romana eccleſia.

12. Item, ex poſt cardinales qui cenſebuntur eſſe ibi pro Romana eccleſia, requirent vota & conſilia ſingulorum prælatorum & aliorum vocatorum eccleſiæ; in ſcriptis redigantur eorum dicta, & ultimo cardinales dicant opiniones ſuas & vota ſua, & omnia iſta fiant & dicantur ſine contradictione vocum, & quiete ac libere; taliter quod appareat, quod non voluntarie, ſed Spiritu ſancto dictante, omnia fiant.

13. Item, quod habitis vocibus & opi-

nionibus, unus cardinalium nomine totius concilii, ſynodi & eccleſiæ congregatæ, pronunciet, declaret, vel ſtatuat quæ fuerint per totum concilium deliberata ſeu per majorem partem ipſius, quia ſic fiebat olim in conciliis SS. Patrum, in quibus dicebatur communiter: *Statuit S. ſynodus, vel S. concilium.*

14. Item, quod in eodem concilio fiat & ordinetur, quod omnes qui fuerint vocati, etiam ſæculares, promittant ſervare quæ fuerunt decreta & ordinata in concilio, & quod contradictores & rebelles, etiam ſi papa fuerit ejectus a papatu, compeſcantur auctoritate concilii per ſæculares & ceteras poteſtates.

15. Item, circa præmiſſa videntur prævidenda aliqua dubia quæ poſſunt occurrere, ad hoc ut eis reſpondeatur & ſatisfiat, ſi fierent.

16. Primo quia forſan dicetur ab aliquibus, quod cardinales non potuerunt vocare concilium, ſed potius quilibet qui gerit ſe pro papa in parte ſua, & hoc videtur habere colorem per v. *Huic etiam* 17. d.

17. Item, poſſet fieri aliud dubium, ſi papa in concilio peteret ſe reſtitui propter ſubſtractiones & neutralitates ſibi factas, talis petitio videretur habere colorem per v. item *Symmachus* 2. q. 7.

18. Item, poſſet moveri dubium, ſi papa compareret in concilio, & peteret ſubſtractos vel neutrales repelli a concilio, tamquam vocem non habentes, videtur hæc petitio etiam habere colorem per dictum v. *Huic etiam* 17. d.

19. Item, poſſet fieri dubium, quod licet papa legatur ejectus fuiſſe propter hæreſim a papatu, non tamen propter negligentiam ſchiſmatis, quia licet ſchiſma quandoque tranſeat in hæreſim, non tamen reperitur nunc, ſed tantum de negligentia ſchiſmatis extirpandi.

20. Item, ſi dicatur quod papa ſit notorie perjurus, & fractor voti, & ſcandalizans eccleſiam, ac incorrigibilis, & ſi poſſit abjici, juxta gloſſ. cap. *Si papa* 40. d. illa gloſſa ſimpliciter poſita non eſt vera, & reprehenditur a nonnullis.

21. Item, videtur per modum aviſamenti, quod ſi contingat ante congregationem concilii alterum de contendentibus decedere, illa pars cujus papa decedet, non procedet ad novam electionem, ſed expectetur concilium & ejus deliberatio.

22. Item, ſi ambo contendentes moriantur iſto intermedio tempore, quantocius fieri poteſt, collegia conveniant ad deliberandum quid eo caſu ſit faciendum.

CARDINALIUM

Utriuſque obedientiæ votum & juramentum præſtitum Liburnii aliquibus menſibus ante concilium Piſanum.

Anno 1408. *Ex mſſ. S. Laurentii Leodienſis, & illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

Miſeratione divina nos epiſcopi, preſbyteri & diaconi, S. R. E. cardinales utriuſque collegii, manibus noſtris propriis infraſcripti, in loco Liburnii commorantes, diœceſis Piſanæ, nomine noſtro & aliorum reverendiſſimorum in Chriſto patrum dominorum cardinalium utriuſque collegii abſentium, nobis adhærere volentium in hac parte, nec non generoſus & potens miles dominus NICOLAUS DE ROBERTIS de Tripoli procurator & procuratorio nomine reverendiſſimorum in Chriſto patrum & dominorum, dominorum PETRI baſilicæ XII. apoſtolorum preſbyteri vulgariter dicti Mediolanenſis, & BALTASARIS ſancti Euſtachii diaconi, divina miſeratione S. R. E. cardinalium, a quibus ad infraſcripta plenariam poteſtatem habet, de qua poteſtate conſtat manu Johannis de Baccaglaciis de Bononia publici notarii. Attendentes proinde & conſiderantes attente, quantum exiſtat neceſſaria extirpatio hujus peſtilentis ſchiſmatis, diuturnitate temporis ultra quam expediret fidei & animarum ſaluti nocivis maxime attenta * diſpoſitione notoria utriuſque de papatu contendentium, ob quam neceſſario oportuit nos ab eis corporaliter abſentare, & cogitare de validioribus remediis, quibus, ipſorum non obſtantibus voluntariis diſſentionibus & ſubterfugiis manifeſtis, unitatis vinculum in Dei eccleſia reformetur; ob quod ſequentes ſanctorum Patrum veſtigia & exempla, per quæ extitit aliàs eccleſia ſalubriter & virtuoſe in pacis vinculo reformata, multiplicium diſruptis errorum laqueis, & ſchiſmatum tendiculis venenoſis compreſſis, mutuo, unanimi & concordi conſenſu, ac matura deliberatione inter nos habita, providimus neceſſarium exiſtere, ut per utriuſque partis generale concilium, & per eccleſiam ad noſtrorum, in utriuſque contendentium defectum notoriamque deſidiam, vocationem, operante gratia ſancti Spiritus congregatam, provideatur tanto exceſſui, immo verius manifeſto errori, gregem dominicum inhumaniter laceranti, ſi de papatu contendentes per viam mutuæ ceſſionis, ab ipſis jurato voto & variis promiſſionibus roboratæ, pacem eccleſiæ non dederint, ab ipſo concilio vel alias cum effectu, ut in noſtris litteris, quas ad duos contendentes prædictos de papatu, & ad prælatos, reges & principes & alios fideles utriuſque obedientiæ præſentialiter deſtinamus, plenius eſt inſertum. Et quia in virtuoſis operibus non initium, pugnaque, ſed optatus finis & obtenta coronat victoria, ad

* *al.* indiſpoſitione.

quam per perſeverantiæ conſtantiam pervenitur, quæ tanto eſt in conſpectu Altiſſimi acceptior, quanto eſt validioribus vinculis roborata. Ea propter licet inter nos, operante gratia Altiſſimi, exiſtat firma conſtantia & immutabile propoſitum, ut quæ deliberata ſunt, & in prædictis noſtris litteris deſcripta, ſuum per omnia, in quantum in nobis fuerit, ſortiantur effectum; tamen ad certitudinem præſentium & proviſionem futurorum, & ut variationi, quod abſit, in tam neceſſario Dei negotio locus eſſe non poſſit, promittimus ad invicem unus alteri in communi & in particulari, immo verius Chriſto, cujus res agitur, & cujus corpus ſic enormiter laceratur, B. Mariæ Virgini ejus matri, beatis apoſtolis Petro & Paulo, quorum ſedes & ſanguine proprio fundata eccleſia vileſcit indecoris ambitionibus, eccleſiæ & omnibus Chriſti fidelibus fide plenaria, juramento & voto irrevocabili firmamus, quod viam mutuæ ceſſionis amborum de papatu contendentium, vel alterius alio mortuo, vel canonice ejecto, proſequemur eccleſiæ unionem & damnoſi ſchiſmatis extirpationem, & alias in ipſorum ſeu alterius contumaciam, ſeu contradictionem per deliberationem concilii generalis & eccleſiæ congregandæ procurabimus, attentis præmiſſis juratis & voto firmatis per ipſos duos de papatu contendentes, & nos provideri taliter, quod per canonicam electionem a nobis ambobus collegiis in unum convenientibus faciendam, provideatur eccleſiæ de unico vero & indubitato paſtore, nec a præmiſſis recedemus ſeu variabimus, immo potius præmiſſa diligenter proſequemur, quouſque perfecta unio habeatur, errore ſchiſmatis extirpato. Promittimus etiam ſolemniter ad invicem, quod ipſis contendentibus de papatu, vel eorum alteri corporaliter non adhærebimus, manente in ipſis vel ipſorum altero indiſpoſitione quæ eſt, niſi aliqui hoc facerent de noſtrarum * partium conſilio & aſſenſu, & tunc operam dantes ad ipſorum reductionem debitam & ſecuram obſervantiam eorum quæ promiſerunt, voto & juramento firmaverunt, vel ad ipſos diſponendum ſeu ipſorum alterum intendimus honorifice tractare. Adjicientes quod per talem tractatum & conventionem ineundam cum eodem, vel inter ſe ipſos præſentes, non poſſit concludi vel deliberari aliquid per majorem partem, nec etiam per omnes, in præjudicium ſeu diminutionem honoris, dignitatum, officiorum, beneficiorum, & ſtatuum quorumcumque vel cujuſcumque, quæ hodie habent & detinent nunc, vel detinebant ante calendas Maii proxime præteriti, omnium & ſingulorum dictorum dominorum, ſic invicem colligatorum & unitorum tam præſentium quam abſentium.

* *al.* noſtrorum præſentium ad invicem.

2 Pari promiſſione etiam ad invicem promittimus, quod ſi hoc pendente negotio & ejus proſecutione, alter dictorum contendentium diem ſuum clauderet extremum, illi noſtrûm qui illi adhæſerunt, ad electionem alterius nullatenus procedent, donec per eccleſiam de ſuperſtite fuerit ordinatum, vel ſuperſtes renunciaret ſponte. Quod ſi utrumque mori contigerit, ad electionem alterius nullatenus procedemus, niſi primo communicato inter nos conſilio, & de communi & concordi aſſenſu omnium noſtrûm vel duarum partium; in quo caſu etiam abſentes ex nobis requiri debeant, ſi infra decem dies nobiſcum commode poſſint convenire, vel per deliberationem concilii & eccleſiæ congregatæ aliud circa electionem per nos communiter faciendam, videretur utiliter faciendum.

3 Promittimus etiam ad invicem, quod ſi dicti domini cardinales ipſos contendentes ſequentes, ipſis contendentibus defunctis ſeu ipſorum altero, alium ſeu alios eligerent, vel ipſi contendentes cardinales crearent, vel etiam creaverint; cum talia forent & cenſerentur ad perpetuationem ſchiſmatis, & manifeſtiſſimam illius fautoriam, illis nullatenus adhærebimus, nec pro pontifice ſeu pontificibus aut cardinalibus habebimus ullomodo, ſed adverſus tales exceſſus procurabimus per eccleſiam provideri. Et quod in præmiſſis omnibus & ſingulis dabimus ad invicem nobis ipſis in communi & particulari unus alteri auxilium, conſilium, & juvamen, bona fide, mutua & ſincera caritate, fideliter ſine dilatione & palliatione quacumque, præcipue contra quoſcumque qui impedimenta præſtare vellent in præmiſſis, vel nos in communi vel in particulari perturbare, lædere, ſeu perſequi verbo vel facto.

4 Eſt autem noſtra intentio, quod ſi pendente proſecutione præmiſſorum caſus aliqui inexcogitati occurrerent, quibus eſſet aliter occurrendum & providendum pro utilitate eccleſiæ & unione habenda, quod hoc facere valeamus, communicato ad invicem conſilio, de communi & concordi omnium noſtrum conſenſu. Acta fuerunt hæc in loco prædicto Liburnii Piſanenſis diœceſis & noſtris manibus ſubſcripta, & ſigillis noſtrorum cardinalium pendentibus roborata, ſub anno a nativitate domini M CCCC VIII. indictione I. & die penultima menſis Junii, præſentibus reverendis in Chriſto patribus dominis Simone patriarcha Alexandrino adminiſtratore eccleſiæ Carcaſſonenſis, & Petro epiſcopo Meldenſi, ac venerabilibus viris magiſtris Petro *Plau* in ſacra pagina profeſſore, Johanne Petri magiſtro in artibus & medicina, & religioſo viro fratre Luca de Reate monacho monaſterii Farfenſis, Leodienſis, Cabilonenſis & Sabinenſis diœceſis, teſtibus ad præmiſſa omnia & ſingula vocatis ſpecialiter & rogatis.

Ego Guido epiſcopus Peneſtrenſis S. R. E. cardinalis prædictis omnibus interfui, & conſenſi, ut in præſenti inſtrumento continetur, & in teſtimonium præmiſſorum præſentem ſubſcriptionem manu propria feci, & ſigillum apponi mandavi.

Ego Antonius epiſcopus Peneſtrenſis S. R. E. cardinalis Aquilegienſis prædictis omnibus interfui & conſenſi, ut in præſenti inſtrumento continetur, & in teſtimonium præmiſſorum præſentem ſubſcriptionem manu propria feci, & meum ſigillum apponi mandavi.

Ego Nicolaus epiſcopus Albanenſis S. R. E. cardinalis, prædictis omnibus interfui, ut in præſenti inſtrumento continetur, & in teſtimonium præmiſſorum præſentem ſubcriptionem manu propria feci, & meum ſigillum apponi mandavi.

Ego Conradus tituli S. Chryſogoni preſbyter cardinalis, dictus Melitenſis, prædictis omnibus interfui & conſenſi, ut in præſenti inſtrumento continetur, & in teſtimonium præmiſſorum præſentem ſubſcriptionem feci & ſigillum meum apponi mandavi.

Ego Petrus epiſcopus Tuſculanus S. R. E. cardinalis prædictis omnibus interfui & conſenſi, & ut in præſenti inſtrumento continetur, & in teſtimonium præmiſſorum præſentem ſubſcriptionem feci manu propria & ſigillum meum apponi mandavi.

Ego Franciscus tituli SS. quatuor Coronatorum preſbyter cardinalis, dictus Burdegalenſis, prædictis omnibus interfui & aſſenſum præbui, ut in præſenti inſtrumento continetur, in quorum teſtimonium me propria manu ſubſcripſi, & meum ſigillum apponi mandavi.

Ego Petrus de Tureyo tituli S. Suſannæ preſbyter S. R. E. cardinalis prædictis omnibus interfui & aſſenſum præbui, ut in præſenti inſtrumento continetur, & in teſtimonium præmiſſorum me manu propria ſubſcripſi, & meum ſigillum apponi mandavi.

Ego Jordanus tituli S. Martini in montibus preſbyter S. R. E. cardinalis, dictus de Urſinis, prædictis omnibus interfui & aſſenſum præbui, ut in præſenti inſtrumento continetur, in quorum teſtimonium me propria manu ſubſcripſi, & ſigillum apponi mandavi.

Ego Amedæus S. Mariæ novæ S. R. E. diaconus cardinalis, de Saluciis vulgariter nuncupatus, prædictis omnibus interfui & aſſenſum præbui; in quorum teſtimonium me manu propria ſubſcripſi, & ſigillum apponi mandavi.

Ego Rainaldus S. Viti in Macello S. R. E. diaconus cardinalis, de Branchaciis nuncupatus, prædictis omnibus interfui, & aſſenſum præbui; in quorum teſtimonium me propria manu ſubſcripſi, & ſigillum apponi mandavi.

Ego Petrus Blavi S. Angeli S. R. E. diaconus cardinalis prædictis omnibus interfui, & aſſenſum præbui, & in teſtimonium præmiſſorum, me manu propria ſubſcripſi, & ſigillum proprium apponi mandavi.

Ex Oddo S. Georgii ad velum aureum S. R. E. diaconus cardinalis, de Columna nuncupatus, prædictis omnibus interfui & aſſenſum præbui, & in teſtimonium præmiſſorum me propria manu ſubſcripſi, & ſigillum apponi mandavi.

Ego Petrus S. Angeli S. R. E. diaconus cardinalis, prædictis omnibus interfui & aſſenſum præbui, & in teſtimonium præmiſſorum me propria manu ſubſcripſi, & ſigillum apponi mandavi.

Et ego Guillelmus Souleti preſbyter Malleacenſis diœceſis oriundus, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, prædictorum reverendiſſimorum in Chriſto patrum & dominorum, & generoſi militis domini Nicolai procuratoris prædicti, in loco prædicto Liburnii congregationi, promiſſionibus, juramentis & votis, ac omnibus aliis & ſingulis præmiſſis dum ſicut præmittitur per dictos dominos cardinales & procuratorem agerentur, dicerentur, promitterentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus & aliis notariis hic ſubſcriptis, præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi, & in notam recepi cum ipſis notariis, meque ſubſcripſi, & hoc præſens publicum inſtrumentum ex præmiſſis confectum alterius manu idonea fideliter ſcriptum, aliis negotiis præpeditus, ſigno meo ſolito ſignavi requiſitus, in teſtimonium præmiſſorum, & hæc verba in fine ſcripta videlicet, *unus alteri conſilium, auxilium & juvamen bona fide, mutua & ſincera caritate, fideliter, ſine dilatione & palliatione quacumque, præcipue adverſus quoſcumque qui impedimenta præſtare vellent in præmiſſis, vel vos in communi vel particulari*, remitti & legi debent in quinta linea ab inferiori numerando, ut ſignatum eſt, & omiſſa fuerunt ibi ſcribi, non vitio, ſed errore.

Ego Angelus quondam S. Thomæ Mononi de civitate Reatina, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate ac cameræ apoſtolicæ notarius, litterarumque apoſtolicarum ſcriptor & abbreviator, prædictorumque reverendiſſimorum in Chriſto patrum & dominorum dominorum cardinalium & generoſi militis domini Nicolai procuratoris prædicti, in loco prædicto Liburnii congregationi, promiſſionibus, juramentis, ac votis, ac omnibus aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut præmittitur, per dictos dominos cardinales & procuratorem agerentur, dicerentur, & promitterentur, & fierent, una cum prænominatis teſtibus & aliis notariis hic ſupra & infra ſcriptis præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi, & in notam recepi cum ipſis notariis, meque ſubſcripſi, & hoc præ-

ſens publicum inſtrumentum ex præmiſſis confectum alterius manu idonea fideliter ſcriptum, aliis negotiis præpeditus, ſigno meo ſolito ſignavi requiſitus, in teſtimonium præmiſſorum. Et verba in fine ſcripta, &c. ut in præcedenti ſubſcriptione continetur, &c.

Et ego Jacobus de *Bienbant* clericus de Inſula, Tornacenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, prædictorum reverendiſſimorum in Chriſto patrum & dominorum & generoſi militis, &c. *ut in præcedenti.*

Ego Johannes Bourriellieti dictus Franciſci preſbyter Eduenſis diœceſis, magiſter in artibus, & licentiatus in decretis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, Chriſtianiſſimique Francorum regis & illuſtris Ludovici Aquitaniæ ducis ejus primogeniti ſecretarius, prædictorum reverendiſſimorum dominorum, dominorum cardinalium & generoſi militis, &c. *ut ſupra.*

ADHÆSIO ALIORUM CARDINALIUM ad prædictum votum & juramentum.

Ex mſſ. S. Laurentii Leodienſis, & illuſtriſſimi dom. Chauvelin.

Miſeratione divina nos Angelus tituli S. Potentianæ, dictus Laudenſis, Petrus tituli XII. apoſtolorum dictus Mediolanenſis, Johannes S. Crucis in Jeruſalem dictus Ravennatenſis preſbyteri, & Balthazar S. Euſtachii diaconus dictus Bononienſis S. R. E. cardinales, manibus noſtris propriis infraſcripti, exiſtentes in eccleſia majori Piſana collegialiter cum reverendiſſimis in Chriſto patribus aliis dominis cardinalibus utriuſque collegii Piſis commorantibus; attendentes proinde & conſiderantes, ut novit fere populus univerſus, ærumnas graves omnibus deflendas chriſticolis, lamentabilemque ſciſſuram, quibus Dei eccleſia opprimitur, ob nimiam ambitionem retinendi principatum eccleſiæ. Duobus enim ſuper eo ambitione certantibus*, orti ſunt errores mortiferi, & corda diffidentia inter eos, quos in vera fide Chriſti caritas propagavit. Etiam inſurrexere inter populos Chriſtianos fremitus guerrarum, in gentes rancores, & odia, quos ipſa eccleſia debet ſopire. Secutæ ſunt nedum etiam exheredationes, immo etiam multorum, proh dolor! ſtrages, multæque proditiones animarum. Sane pridie penultima menſis Junii, anno infraſcripto, in loco Liburnii, Piſanenſis diœceſis, reverendiſſimi in Chriſto patres & domini, domini epiſcopi, preſbyteri & diaconi cardinales utriuſque collegii, ibi collegialiter exiſtentes, mutuo & unanimi aſſenſu, gratia ſpiritus ſancti inſpirati, convenerunt ad invicem, concordarunt, & promiſerunt, fide plenaria, juramento & voto irrevocabili firmaverunt, attenta indiſpoſitione notoria dictorum duorum contendentium de papatu, ſuper unione ſanctæ matris eccleſiæ providere, prout & quem admodum in quibuſdam litteris infraſcriptis ſeu inſtrumentis publicis eorumdem dominorum cardinalium manibus propriis ſubſcriptis & ſigillis ſigillatis, & coram nobis de verbo ad verbum perlectis, plene & ſerioſe continetur. Quarum litterarum ſeu inſtrumentorum tenor ſequitur ſub his verbis: *Miſeratione Divina*, &c. Quibus omnibus & ſingulis contentis in dictis litteri snobis ſic de verbo ad verbum perlectis, ac matura deliberatione conſideratis, videnteſque ſanctas opiniones & affectiones eorumdem dominorum cardinalium, eiſdem adhærentes, & eas proſequi omnimode volentes, ipſa omnia & ſingula contenta in dictis litteris, ut ſupra ſcribuntur, promittimus Deo, B. Mariæ Virgini ejus matri, B. Petro & Paulo, quorum ſanguine fundata eccleſia damnatis ambitionibus vileſcit, eccleſiæ, omnibus ſanctis, & Chriſti fidelibus plena fide, juramento & voto irrevocabili confirmamus proſequi, tenere, & inviolabiliter obſervare abſque aliqua interruptione, nihil addito, nihil remoto, prout in dictis litteris & inſtrumentis ſerioſe & in præſenti inſtrumento de verbo ad verbum continetur, ſalvo tamen quod in ultimo capitulo dictarum litterarum ſeu inſtrumentorum, quod ſic incipit: *Eſt autem noſtra intentio*, &c. omnes & ſinguli domini cardinales præfati & nos cum ipſis voluimus & volumus, quod in fine illius capituli poſt illa verba: *Ac concordi omnium noſtrum aſſenſu*, ponatur, *Vel duarum partium omnium noſtrum*; quam etiam additionem ratam & gratam habemus, & eam bona fide promittimus obſervare. De quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, nos dicti cardinales ſuprascripti & quilibet noſtrum, requiſivimus & voluimus per notarios infraſcriptos unum vel plura, publicum ſeu publica confici originalia inſtrumenta. In quorum omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras, ſeu præſens publicum inſtrumentum, manibus noſtris propriis ſubſcriptas, alias ſubſcriptum, ſigillorum noſtrorum mandavimus appenſionibus muniri. Acta ſunt hæc in eccleſia majori Piſana prædicta, ſub anno a nativitate domini M CCCC VIII. die trigeſima menſis Auguſti, indictione I. præſentibus reverendis patribus dominis Petro Meldenſi, Branda Placentino epiſcopis, Johanne abbate S. Juſtinæ de Padua, dominis Nicolao de Robertis de Tripoli milite, & Roberto de Queſneyo decretorum doctore canonico Rotomagenſi, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Deinde ego Henricus eadem miſeratione epiſcopus Tuſculanus, dictus Neapolitanus, præfatæ ſacroſanctæ R. E. cardinalis, in ſacriſtia eccleſiæ B. Martini Piſanenſis, ubi dicti domini cardinales erant collegialiter congregati, videlicet die veneris quarta decima

* *al.* tractantibus.

menſis Septembris, anno ſupradicto, dictis litteris ſeu inſtrumentis originalibus, de quibus ſuperius eſt facta mentio, per me viſis, & coram me de verbo ad verbum in mei præſentia perlectis, attentis ſanctis propoſitis, affectionibus & voluntatibus aliorum dominorum cardinalium prædictorum, volens eorum ſequi intentionem, voluntatem & diſpoſitionem, ac totis viribus corde & animo proſequi; ex mea pura & libera voluntate, juravi, vovi & promiſi ſolemniter omnia & ſingula contenta in eiſdem litteris ſeu inſtrumentis, proſequi, tenere, & inviolabiliter obſervare, prout & quemadmodum ipſi domini cardinales ſingulariter promiſerunt, & in dictis litteris ſeu inſtrumentis ſerioſe continetur: ratam etiam & gratam habens additionem prædictam ubi legitur *vel duarum partium omnium noſtrum.* De quibus etiam omnibus & ſingulis volui, ut præfertur, fieri unum vel plura inſtrumenta per notarios infra ſcriptos, & hic me propia manu ſubſcripſi & ſigillum meum apponi feci in teſtimonium præmiſſorum. Actum loco, die, anno, & indictione prædictis, præſentibus prænominatis dominis PETRO epiſcopo Meldenſi, & Roberto * de Queſneio doctore, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

*al. Huberto.

Ego HENRICUS epiſcopus Tuſculanus S. R. E. cardinali dictus Neapolitanus, prædictis omnibus & ſingulis interfui & aſſenſum præbui, promiſi, juravi, & in teſtimonium præmiſſorum me propria manu ſubſcripſi & ſigillum meum apponi feci.

Ego ANGELUS tituli S. Potentianæ preſbyter cardinalis, Laudenſis nuncupatus, omnibus ſupra ſcriptis & ſingulis interfui, conſenſum præſtiti, promiſi & juravi ac vovi, & in præmiſſorum teſtimonium me propria manu ſubſcripſi, & meum ſigillum apponi feci.

Et ego Guillelmus Souleti preſbyter Malleacenſis diœceſis oriundus, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, prædictorum reverendiſſimorum in Chriſto patrum & dominorum, dominorum cardinalium in civitate Piſana, locis prædictis, congregationi, promiſſionibus, juramentis, & votis ac omnibus & ſingulis aliis præmiſſis, dum ſic, ut præmittitur, per dictos dominos cardinales agerentur, dicerentur, promitterentur & fierent, una cum infraſcriptis teſtibus & aliis notariis præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi, & in notam recepi cum ipſis notariis, meque ſubſcripſi, & hoc præſens publicum inſtrumentum ex præmiſſis confectum, alterius manu idonea fideliter ſcriptum, aliis negotiis præpeditus ſigno meo ſolito ſignavi requiſitus & rogatus, & verba in fine ſcripta, videlicet *dominorum cardinalium utriuſque collegii abſentium nobis adhærere volentium in hac parte; nec non generoſus & potens miles dominus Nicolaus de Robertis de Tripoli procurator, & procuratorio nomine reverendiſſimorum in Chriſto patrum* remitti & legi debent in xxv. linea ab inferiori parte numerando, ut ſignatum eſt, & omiſſa non fuerunt ibi ſcribere vitio, ſed errore.

Et ego Gaſpar quondam Theoderici *Schulbempflug* de *Baſſinhexin* clericus Warmienſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, &c.

Et ego Jacobus de *Brenbant* * clericus de Inſula Tornacenſis diœceſis, publicus apoſtolica, &c.

*al. de Bribant.

ADHÆSIO LANDULFI cardinalis S. Nicolai, in carcere Tulliano.

MIſeratione divina ego LANDULPHUS tituli S. Nicolai in carcere Tulliano dictus Barrenſis, ſacroſanctæ R. E. diaconus cardinalis, in ſacriſtia baſilicæ B. Martini Piſanenſis, ubi reverendiſſimi in Chriſto patres & domini epiſcopi, preſbyteri & diaconi cardinales utriuſque collegii erant collegialiter congregati, videlicet die quinta menſis Octobris, anno a nativitate Domini MCCCCVIII. litteris ſeu inſtrumentis originalibus, quarum ſeu quorum copiis præſentes ſunt annexæ, per me viſis & de verbo ad verbum coram me perlectis, attendens & conſiderans ſanctum propoſitum ſanctaſque affectiones & voluntates dominorum cardinalium, volens toto affectu & animo eorum ſequi intentionem, voluntatem & diſpoſitionem, & eiſdem dominis cardinalibus adhærere, ex mea pura & libera voluntate juravi, vovi, & promiſi ſolemniter omnia & ſingula contenta in eiſdem litteris ſeu inſtrumento proſequi, tenere & inviolabiliter obſervare, prout & quemadmodum ipſi domini cardinales ſingulariter promiſerunt, juraverunt & voverunt, & in eiſdem litteris ſeu inſtrumentis ſerioſe continetur. De quibus omnibus & ſingulis præmiſſis ego LANDULPHUS cardinalis, requiſivi & volui per notarios infraſcriptos unum vel plura, publicum vel publica confici originalia inſtrumenta. In quorum omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras ſeu præſens publicum inſtrumentum, manu propria ſubſcriptas, alias ſubſcriptum, ſigilli mei mandavi appenſione muniri. Acta fuerunt hæc anno, die, menſe, & loco prædictis, indictione I. præſentibus reverendis in Chriſto patribus P. Meldenſi, JACOBO Laudenſi epiſcopis, & S. Angelo de Viterbio ſecretario domini cardinalis Aquilegienſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Ego LANDULPHUS S. Nicolai in carcere Tulliano, S. R. E. diaconus cardinalis Barrenſis, prædictis omnibus & ſingulis interfui, & aſſenſum præbui, promiſi, juravi & vovi, in teſtimonium præmiſſorum me propria manu ſubſcripſi, & ſigillum meum appoſui.

Et ego Guillelmus Souleti preſbyter Malleacenſis diœceſis oriundus, publicus apo-

ſtolica & imperiali auctoritate notarius, prædictorum reverendiſſimorum in Chriſto patrum & dominorum dominorum cardinalium in civitate Piſanenſi loco prædicto, congregationi, promiſſionibus, juramentis & votis, ac omnibus aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut præmittitur, per dictum dominum cardinalem agerentur, dicerentur, promitterentur, & fierent una cum prænominatis teſtibus & aliis notariis infraſcriptis, præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi, & in notam recepi cum ipſis notariis, meque hic ſubſcripſi, & præſens publicum inſtrumentum ex præmiſſis confectum, alterius manu idonea fideliter ſcriptum, aliis negotiis præpeditus, ſigno meo ſolito ſignavi requiſitus & rogatus.

Et ego Vevantius quondam Raynaldi de confratribus de Sarvano Cameracenſis diœceſis, publicus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius in loco civitatis Piſarum, &c.

Et ego Jacobus *de Brenbant* * clericus de Inſula, Tornacenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, &c. *al. Brebant.

teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Sequuntur in codice illuſtriſſimi domini Chauvelin litteræ neutralitatis factæ per dominos cardinales alterius partis, tunc ſcilicet domino Gregorio adhærentes, quales editæ ſunt in Spicilegii tom. 6. pag. 192. in cujus fine hæc in mſ. codice leguntur : Originali ſupradicto ſigilla ſua imprimi fecerunt, Aquilegienſis, Melitenſis, de Brancachiis cardinales.

ADHÆSIO CARDINALIS OSTIENSIS.

MIſeratione divina ego JOHANNES Oſtienſis epiſcopus, ſacroſanctæ R. E. cardinalis, in ſacriſtia S. Martini Piſarum, ubi reverendiſſimi in Chriſto patres domini epiſcopi, preſbyteri & diaconi cardinales utriuſque collegii erant collegialiter congregati, videlicet die XI. menſis Octobris, anno a nativitate Domini MCCCCVIII. litteris ſeu inſtrumentis originalibus, quarum ſeu quorum copiis præſentes ſunt annexæ, per me viſis & de verbo ad verbum coram me perlectis, attendens & conſiderans ſanctum propoſitum ſanctaſque affectiones & voluntates dictorum dominorum cardinalium, volens toto affectu & animo eorum ſequi intentionem, voluntatem & diſpoſitionem, & eiſdem dominis cardinalibus adhærere, ex mea pura & libera voluntate juravi, vovi & promiſi ſolemniter omnia & ſingula quæ in eiſdem litteris ſeu inſtrumentis ſerioſe continentur. De quibus omnibus & ſingulis prædictis ego JOHANNES cardinalis requiſivi & volui per notarios infraſcriptos, unum vel plura, publicum vel publica confici originalia inſtrumenta. In quorum omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras ſeu præſens inſtrumentum manu propria ſubſcriptas, alias ſubſcriptum, ſigilli mei mandavi appenſione muniri. Acta fuerunt hæc anno, die, menſe, & loco prædictis, indictione prima, præſentibus reverendo in Chriſto patre domino PETRO epiſcopo Meldenſi, & domino Roberto de Queſneyo decretorum doctore & canonico Rothomagenſi,

EPISTOLA ANTONII DE LUCA ſecretarii apoſtolici, ad cardinalem Mediolanenſem.

Dolet quod a pontifice Gregorio defecerit.

Anno 1408. *Ex mſ. S. Laurent. Leodienſis & illuſtriſſ. dom. Chauvelin.*

REverendiſſimo in Chriſto patri domino excellentiſſimo domino P. miſeratione divina tituli XII. apoſtolorum preſbytero cardinali Mediolanenſi domino meo honorandiſſimo.

1. Quid facis, reverende pater, in hoc novo diſſidio? quare vis eſſe partium? Res enim tota, ut video, ad meras partes adducta eſt, nec ea partium ſtudia magis nominanda ſunt in aliqua perturbata republica, quando plebs diſcedit a patribus, quam quæ ſunt hodie in eccleſia Dei miſera & afflicta, cum patres de ſacro collegio irati ab obedientia ſummi pontificis diſceſſerunt. Hæccine eſt unio, quam ſperabam, quam noſtris temporibus videre ſuper omnia cupiebam? Ad hanc unam rem, pater C. in Tuſciam ventum eſt, & urbs Roma digna poſſeſſio & ſedes eccleſiæ, veſtro nudata conſilio relicta, & in prædam vicini regis expoſita, non ut vetus ſchiſma tolleretur, ſed ut novum veteri adjungeretur? Eſt hoc quod agitabatur in conclavi, quod in electione maxime quærebatis? propter quod ſummam conſultationem in re omnium certe maxima hæſitabatis, ut ad priores miſerias nova calamitas adhiberetur? Eſt hic ille tam expectatus & deſideratus ab omnibus altiſſimarum cogitationum & conſiliorum veſtrorum finis, ut foret eccleſia non ſolum præda infantibus luporum, ſed & novum ludibrium oculis Chriſtianorum? O dedecus! ô dolorem! ô præſentis ætatis infamiam ſempiternam, cum per annos prope XXX. ſchiſma in eccleſia & univerſa Chriſtianitate ſuperbia & ambitione ſuſcitatum, peſtibus eiſdem nutriretur, & jam longo calamitatis uſu, ac etiam ipſa deſperatione concordiæ, homines hoc ita inveterato malo conſueviſſent, ut vix ſua mala ſentirent. Subito ſpes unionis oſtenſa & fama ubique vulgata, cum abierit in nihilum, animos fidelium dolore acerbo exulceravit. Intelligunt enim ſe eſſe deluſos, & cum ſe jam portum tenere exiſtimarent, neſcio qua procella in contrarium rapiente, longius retroveĉti, & in mediis fluctibus iterum jactati, periculum majus & certius naufragium timent:

ment: quorum culpa? Deus novit; ego enim non sum, qui velim auctorem tanti sceleris quempiam dicere. Sed quicumque sit, si quidem habet sanitatis parum, illi potest sua felicitas esse jocunda? Quid enim dulce videri potest, quamvis sine controversia quicquid appetierit obtineat, publica humani generis execrationis notatio? humani dico generis: nam & hi qui nobiscum in reliquis de religione non sentiunt, hac una in re judicium hunc iidem actores tam sceleratæ discordiæ non odire non possunt. Qui si ita etiam fortunatus est, ut cum nequitia sua lateat, & sic oculos hominum dolis & arte perstrinxit, ut non sit tantæ reus culpæ notatus, habet unde publicas hominum in suumque caput nominatim extractiones effugiat; non habet unde conscientiam suam non pertimescat, ut ultionem divini judicii non formidet.

2. Vos vero qui de summa dignitate contenditis, de quorum duorum manibus pendet pax & salus ecclesiæ; si est in vobis crimen, ut jam est publico sermone vulgatum, quod ego non nego, nec affero, quid tanta ambitione estis inflati, quid tanta temporalis potentiæ cupiditate tenemini? quid tantum efficaciæ in cordibus vestris habent sanguis & caro mortalis, ut propter tam commune bonum, propter quietem & pacem populi Christiani descendere de fastigio vestro non possitis, cum ne loquar de sanctis viris, qui propter caritatem & fidem omnia durissima tolerare voluerunt; de gentibus sunt inventi, qui mori propter salutem publicam non recusaverunt? Vos tergiversantes, ut dicitur, alter alterum accusatis; hic illum insimulat insidiarum, ille ab hoc fingi causam hanc palam affert, ut quod sponte sua fugit, aliquo honesto velamine declinare videatur: mali utique suasores in aure pessima consilia instillare dicuntur. Itaque eo jam deducta res est, ut uterque vestrum non solum improbatus ab universis; sed etiam sit desertus a suis. Et cum esset prius unum schisma, duæ partes, vestris remediis effectum est, ut tria sint schismata, partes quinque.

3. Tu vero, pater, ut ad te oratio mea revertatur, in quas harum jurabis, & tuum subscribi nomen patieris? dico an summo pontifici, an dissentienti collegio obtemperabis? Si pontificem deseris, videris reus inobedientiæ & majestatis, si tuum & omnium gentium dominum Christi vicarium non sequaris, si fratres tuos relinquis, videris a summo procurandæ unionis dissentire [proposito.] Nescio quid apud te decretum sit. Unum hoc scio, ad quam accesseris partem, auctoritatis plurimum & honestatis feres, eaque in opinione multorum sanctior esse putabitur, quam probasse videberis tua præsentia atque judicio; nec in Romana republica majoris fuit tanto momenti pro justificatione civilis, qui fuit tanti, ut deorum judicio opponeretur, quam tu es hodie in hac ad extremum laborantis Romanæ ecclesiæ novitate. Multi enim magni & excellentes viri te unum observant, ex his quæ feceris consilium susceptur. Quare nunc tibi est omnis excutienda profunditas sapientiæ, omnisque illa maturitas amplectenda, quibus semper solitus es magnis in rebus & gravibus considerare & consulere. Crede mihi, observaris, ut dixi; & quo accesseris, multi ibunt, qui opinantur per vestigia tua errare non posse.

4. Est certe in omni re magna deliberatio difficilis; sed eo difficilior, cum non solum pro te uno deliberas, sed pro multis, quos ignoras, qui judicium tuum secuturi sunt. Fuit enim mea sententia parum prudens, qui papæ consului, ut cum adeundi eum causa litteras salvi conductus postulasses, ipse eas tibi denegaret. Nam si verum est, verisimile est litteras cardinali a summo pontifice dari non solere: non erat tamen in rebus tam novis attendenda priorum temporum consuetudo. Quocumque enim modo adiisses, opinionem magnam justitiæ suæ fecisses, & maxima pars hominum illos vocandos putavisset, qui ab eo recessissent, quem tu adire post eorum discessum valuisses. Potuisset etiam multa tecum salubriter sub unione communi & fratrum reconciliatione tractare; sed habuit forte aliam in consilio rationem, cujus ego sum nescius.

5. Sed si illius actor consilii minus, quam summi pontificis statui condecebat, prospexit; tu non minus diligenter, quæ dignitati tuæ conveniant, considerabis; cumque omnis consultatio ante omnia finem spectet, & quid hic habeat utilitatis, quid honestatis inspiciat, non dubito te jam finem tui progressus sapientissime providisse, eamque in sententiam inclinaturum, quam tibi honestam & mundo utilem fore cognoveris. Verum nonnulli sumus, qui quamvis non mediocri cupiditate teneamur hæc omnia intelligendi; quia tamen non sumus ita prudentes & acuti ingenio, & plerumque etiam non eo ducit ratio, sed affectu impellimur, vobiscum tanti negotii successum conjectura comprehendere, & consilio diffinire non possum. Magna nobis & inextricabilis videtur hæc novitas. Nam cum necesse sit unum verum esse pastorem, & unum legitimum esse collegium, quid fiet cum pastorem suum collegium utrumque reliquerit? Dicet aliquis, unientur & vocabunt generale concilium, & ambo velut hæretici deponentur. Via primum hæc per se est laboriosa & difficilis, & multa insuper nascentur impedimenta, multi fautores partium electi præmio fient. Interim illis privatis atque depositis, qui ab ipsis defecerunt collegia nova conficient, & erit mira quædam in universa Christianitate confusio. Sed una nos spes in tantis malis consolatur, quod quocumque res cadat, pejore loco stare non potest, & in

extremis fortaſſe miſerebitur peccatorum Deus, & eccleſiam ſuam, qua laborante mundus affligitur, omnino perire non ſinet. Vincentiæ, VII. Julii.

Paternitatis tuæ devotiſſimus ANTONIUS DE LUCA ſecretarius apoſtolicus.

RESPONSIO AD PRÆCEDENTEM.

1. QUæris in exordio tuæ epiſtolæ, Antoni fili cariſſime, *Quid facies, reverendiſſime pater, in hoc novo diſſidio? quarum vis eſſe partium?* Huic tuæ inquiſitioni reſpondetur: Quod juſtum eſt proſequar. Nam qui juſtum ſequitur, partem non capit in cauſa, eo quod juſtitia communis eſt virtus; affectiones deſerit contendentium, qui præcepta juſtitiæ profitetur, & ſi pars litigiis imitatur juſtitiam, non ideo partem capit quicumque parti habenti juſtitiam ſeipſum conciliat. Dicemuſne Chriſti diſcipulos adverſus gentiles partiales fuiſſe, cum eorum idololatriam fugiendam deteſtandamque doctrinis prædicabant ſalutaribus, cum nitebantur ab eorum extirpare pectoribus occulta atque manifeſta piacula, in eorumque ſerere mentibus virtutum plantaria? Nulla permittit ratio, ut quis alicui dicatur partibilitate contrarius, cujus remedia procurat ſalutis. Dicemus inſuper partialem alicujus principem politiæ, quod perverſis pro facinoribus confert ſupplicia, qui & bonis, ſuadente juſtitia, ſua donat munera largitatis? Abſit hoc a rectorum judicio, ut ibi dicatur partialitas, ubi juris æquitas intercedit. Dicemus tandem contra ægrotum partialem exiſtere medicum, qui omni ſuæ artis induſtria a morbi paſſionibus liberare ſtudet infirmum? Non eſt partialis in medicina magiſter, qui proportiones humorum nititur rationabiliter adæquare, immo potius mandata juſtitiæ ſequitur, dum æqualitatis proponit jura ſervare. Jure igitur divino, morali ſimul ac naturali hæc firma & indubitata concluditur veritas, quod juſtitia poteſt eſſe participatio cum aliquo contra aliquem, vitio partialitatis remoto. Viam igitur juſtitiæ ſine partialitate libenter ingredior, non aſpiciendo qualiter partes egerint in præſenti diſſidio contendentes. Et ita, Deum invoco, meum ſemper fuit propoſitum, ac ante & poſt noviter generatum diſſidium juſtitiam amplecti, ejuſque ſemitas imitari deſiderans. Quod juſtum eſt igitur proſequar, dilectiſſime fili. Sed dicis: quod eſt illud juſtum quod imitari deſideras? Libera voce cunctis profiteor Chriſtianis inveteratum ac peſtiferum ab eccleſia Dei tollere ſchiſma, quod impræſentiarum periculoſius ac fortius eccleſiæ unionem aggreditur. Si non ſuffragiis virorum illuſtrium occurratur, creſcunt impiorum dentes, *non paſcentes* Chriſti eccleſiam, ſed mordaciter lacerantes, contra quorum perfidam rabiem gladii ancipites temporaliter ſunt & ſpiritualiter acuendi, ut ſic fulgente ſapientia ac civili potentia eorum impietatibus reſiſtatur. Gladium tenet hoſtis, ut Dei eccleſiam perimat, & Chriſti utriuſque ſexus fideles impiorum latratus hominum formidabunt. Non eſt timenda carnalis affectio, quæ ſtatum eccleſiæ nititur ſuffocare. Crede mihi, vinculum carnis ac ſanguinis maximum ſchiſmatis eſt fomentum.

2. Hujus igitur ſcindenda eſt aut disjungenda congeries. Audi edictum regis tui: *Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici ejus.* Et ideo Petrus primus eccleſiæ paſtor, meruit a Chriſto dici beatus, quia caro & ſanguis fidei myſteria ſibi minime revelarunt. Non eſt igitur in facto eccleſiæ cum carnaliter ſentientibus pacis quærendum conſortium, ſed potius diſſidium procurandum, ut deſtructis impietatum colligationibus, deſiderata diu cunctis fidelibus eccleſiæ unitas revertatur. Videturne tibi parva res eccleſiaſticæ dignitatis integritas? Magna, inquam, ac de bonorum numero maximorum. Non enim corporeæ delectationis adoptionem appetit, neque utile fortiorum, ſed quod deformatum eſt, reverti deſiderat ad pulchritudinem honeſtatis. Quod autem honeſtum eſt, procul dubio aliud quam juſtum eſſe non poteſt. Hac igitur ſupputatione, una concluditur ratione, nedum juſtum, ſed juſtiſſimum fore præſens a Chriſti eccleſia peſtiferum tollere ſchiſma.

3. Cum igitur ab hac intentione recedit, a juſti ſine dubio ratione recedit, inter partes de papatu videlicet contendentes, ac cardinales utriuſque collegii, modo unicam catervam, nec differentiæ ſomno dignoſcitur. Illi promiſerunt, juraverunt, pariter & voverunt, ac in iſtam ſcilicet convenerunt ſententiam a Dei eccleſia miſerabile tollere ſchiſma, quod facere, rei evidentia declarante, minime voluerunt. Nam unus in Aquilone thronum firmavit proprium, alius in medio ſitam conſtituit manſionem, ac per hoc ambo deferentes radios Orientis, Solem juſtitiæ perdiderunt. Item videlicet utriuſque collegii cardinales in ſitu medio permanentes, univerſo nunciant orbi ſchiſma peſtiferum a fidelium pectoribus exſtirpandum. O generis humani redemtor & miſerator pie JESU, qua miſericordia catervam cardinalium per opportunum diſſidium a ſuis infirmis capitibus ſegregaſti, accedente unionis beneficio inter cardines, & in capitibus ſchiſmatis maleficio remanente? Hoc, inquam, noviter natum diſſidium, quod tu times, alta ſi mente conſideras, finem adducet ſchiſmatis, & diu deſideratam a grege fidelium eccleſiaſticam unionem, quod non caſu accidit aut eventu fortuito, ut arbitratur vulgus forſitan imperi-

tum; ſed divinæ providentiæ dignativa miſericordia extitit introductum. Quæ igitur, quæſo, partium regnum Dei ejuſque juſtitiam imitatur? nonne quæ totis præcordiis verbo ac opere eccleſiæ flagitat unionem? Jure igitur concluditur clarius, partem cardinalium quæ juſtitiam ſequitur, debere Chriſtianum quemlibet viriliter imitari. Hanc igitur viam obnixam juſtitiæ imitari, prævia matura deliberatione, diſpoſui. Hanc viam, fili cariſſime, tibi cunctiſque fidelibus imitandam & amplectendam tota mea cognitione ac affectione ſuadeo, cujus imitatores beatum patribus promiſſum præmium finaliter conſequentur. Hujus vitæ terminum, antequam a corpore ſpiritus exeat, nos intueri faciat æternum ſummi Patris Verbum, pro noſtra ſalute temporaliter humanatum. Vale, ac noſtri more Ambroſii tu nos dilige, quia nos te diligimus. Datum Bononiæ, &c.

EPISTOLA SCRIPTA regi Romanorum per cardinalem Mediolanenſem.

Hortatur ad ſubtrahendam obedientiam utrique contendentium.

Anno 1408. *Exmſ. illuſtriſſimi domini Ghaunelin.*

SEreniſſime & invictiſſime princeps, ac glorioſiſſime domine honorandiſſime, poſt affectuoſam & devotam ſalutem. Ex adventu religioſi viri fratris Mauricii lectoris ordinis Minorum, qui cum litteris veſtræ ſereniſſimæ Majeſtatis tam ſacro collegio reverendiſſimorum dominorum S. R. E. cardinalium, quam & reverendiſſimo domino cardinali ſancti Euſtachii legato apoſtolico directus ad has partes nuper applicuit, gaudium ſuſcepimus ſingulare, & eo uberiori gaudio præcordia noſtra impleta ſunt, dum ipſarum litterarum tenore percepimus, regiam majeſtatem cauſam catholicæ fidei ſanctæque matris eccleſiæ unicæ Chriſti ſponſæ, quam viriliter fuiſſe amplexam, ut nunc tamdem duorum de papatu contendentium ambitione repreſſa, turba gregis dominici dudum ſparſa & lacera, throno veſtri culminis ferente præſidium, ad unicum reducatur ovile. Quid enim glorioſius regiæ majeſtati poteſt obtingere, quam Redemtoris noſtri cauſam ſimul & univerſæ Chriſtianitatis communem ſalutem chriſtianiſſime promovere? ad quod eo fortius animamur ejuſdem majeſtatis auxilio propulſare, quo ſacræ dignitatis eminentia, potentia, & conſtantiſſima ſemper devotione erga ſanctam matrem eccleſiam ſuper ceteros orbis principes obtinet principatum. Nunc, invictiſſime princeps, oblata eſt occaſio longis hactenus ſæculis non audita, qua veſtræ majeſtatis culmen in terris gloriam incomparabilem reportabit. Et quia culpandos modos utriuſque de papatu contendentium jam totus ferme orbis audivit, non videtur expediens præſenti ſcripto repetere, quod & ipſa rei indignitas deteſtatur. Promiſerunt, juraverunt, & Deo voverunt unionem eccleſiæ, quam nihilominus, quamdiu potuerunt, in arcano pectoris perſecuti, nunc ſuis detectis fraudibus aperte fugiunt & abhorrent. Quo factum eſt, ut ſancta mater eccleſia ſalubribus ſibi provideri remediis, primum a throno veſtræ celſitudinis, deinde ab aliis Catholicis regibus & principibus obteſtetur: ad id namque ſumme neceſſaria eſt temporalis adjectio poteſtatis, ut utrique ubique locorum obedientia ſubtrahatur, ut dum caritative ſuum debitum renuunt adimplere, temporalis poteſtatis remedio compellantur. Quare veſtram majeſtatem affectuoſiſſime deprecamur, ut tamquam Chriſtianiſſimus princeps eccleſiæ matris ſuæ pias preces exaudiat, incœpta feliciter felicius mediet, & proceſſu continuo uſque in finem feliciſſime proſequatur; & ſicut ſumme neceſſarium eſſe noſcitur, velit prælibata majeſtas in regnis ſuis dictam obedientiam ulterius denegare. Nam hoc debet quicumque fidelis exequi juxta poſſe, ut peccati mortalis notam effugiat, & ne fautori ſchiſmatis adhærendo, qui dudum conditionem in electione præmiſſam & ſpecialiter adjectam renuit adimplere, ſchiſmatis morbum nutrit, & prorogat, unà ſecum hæreſim ſapere videantur. Nos autem in omnibus, quæ regiæ dignitatis veſtræ decus & gloriam concernunt, ad illa ac alia quælibet majeſtati veſtræ gratuita diſpoſiti ſemper erimus & parati. Recommendantes nos continuo throno veſtræ celſitudinis, quam Altiſſimus votivis ſucceſſibus feliciter dignetur. Datum Bononiæ.

EPISTOLA SCRIPTA ad quemdam conſiliarium Bohemiæ regis.

Ut pro eccleſiæ unione ſuam apud regem interponat operam.

Anno 1408. *Exmſ. illuſtriſſimi domini Ghaunelin.*

MAgnifice domine, amice noſter cariſſime, memores caritatis & gratiſſimæ dudum ſocietatis veſtræ, dum eodem itinere viatoris officio fungeremur, quotiens de magnificentiæ veſtræ ſtatu nova jocunda percepimus, plurimum conſolamur, & eo uberius gauderemus interdum notas aliquas veſtræ ſalutis nuncias intueri. Dum enim ex relatu religioſi viri fratris Mauricii lectoris ordinis Minorum, qui cum litteris ſereniſſimi domini Romanorum regis collegio reverendiſſimorum dominorum noſtrorum, dominorum cardinalium directus, nuper ad has partes applicuit, de ſalute ſtatus veſtri percepimus, fuimus non mediocriter conſolati, Deum ſuppliciter exorantes, ut longæve

& feliciter vos in ſalubritate protegat & conſervet. Cum autem ex litteris prælibati ſereniſſimi domini regis lætanter viderimus ſanctum majeſtatis ſuæ propoſitum intendendi viriliter ad extirpationem horrendi ſchiſmatis, & accelerationem unionis ſanctæ matris eccleſiæ; ſperantes indubie veſtræ magnificæ caritatis affectum, ex zelo catholicæ fidei & ſincera devotione, quam erga ſanctam eccleſiam geritis, & habetis ad tanti boni conſummationem, devotis præcordiis aſpirare, veſtram magnificentiam, quantum poſſumus, obnixe deprecamur, ut in tanti boni proceſſu, quo nihil in terris univerſæ Chriſtianitati ſalubrius eſt futurum, velitis prælibati ſereniſſimi principis affectum & propoſitum eo ferventius in dies animare, ut incœpta per ipſum feliciter, Deo dante, cujus res agitur, potenter dirigat, & uſque ad conſummationem tam ſanctam & tam utilem proſequatur; in quo veſtra caritas opus Deo acceptum, Chriſtianitati proficuum, veſtro nomini glorioſum efficiet, & nobis pariter ſingulariſſime complacebit, paratis continue ad quæque conformia votis veſtris. Datum Bononiæ, &c.

EPISTOLA SCRIPTA

Regi Angliæ per dominum Mediolanenſem.

Hortatur ad ſubtractionem obedientiæ utrique contendentium.

Anno 1408. *Ex inſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

SEreniſſime princeps & excellentiſſime domine, amice noſter honorandiſſime, magnam diu fiduciam reſtituendæ pacis & unionis eccleſiæ, quæ jam per triginta annos afflicta & lacera Chriſti clamat auxilium, promiſſiones, juramenta & vota per dominum GREGORIUM Deo exhibita, devotioni noſtræ nunc uſque præbuerunt. Vidit veſtra ſerenitas bullas ſuper hoc jam ferme toto orbe diffuſas. Speravit univerſæ Chriſtianitatis affectio, quod duo de papatu invicem contendentes, ſicut mundo promiſerant, perſonaliter convenirent, & inde pacem & unitatem redderent tantis temporibus, proh dolor! exulantem. Sed quod dolenter referimus, quam contrarios produxit effectus ambitio temporalis, cujus miſeranda calamitate detenti, divini judicii metu contemto, ſanctam eccleſiam, ſuis jam diu fluctuantem erroribus, non curant dirigere; quin immo in exterminium & confuſionem irreparabilem deducere moliuntur. Dum enim unionis tractatum, quod diſſimulate fingebant, agere videntur, pridem dominus GREGORIUS ad cardinalatus gradum quatuor evocavit, cujus gratia detecto ſuæ ambitionis affectu, qui non attento quanta ſequeretur ex hoc in eccleſia Dei confuſio, momentaneis rebus dumtaxat innititur, illico reverendiſſimi domini cardinales, utpote fidei firmæ columnæ, non valentes ulterius ſine magno conſcientiæ ſtimulo, hujus peſtiferi ſchiſmatis perſeverantiam ſuſtinere, eo in Lucana civitate dimiſſo, Piſas perſonaliter acceſſerunt, & habito poſtmodum cum dominis cardinalibus ultramontanis iteratis vicibus maturo colloquio, ſuper his quæ ad obtinendum celeriter mutuæ unionis affectum attinere videbantur, tamdiu in Dei nomine duo collegia hactenus diviſa & ſparſa, in unicum, ſolidum & ſincerum feliciter redierunt, intendentes cum tanta caritate & unanimitate procedere, quod jam tamdem ſperari poteſt præfatæ unionis exſilium brevi temporis ſpatio revocari. Et quia veſtra ſerenitas luce clarius potuit experiri culpandos modos utriuſque miſerabiliter contendentium, quorum alter pertinaciæ ſtudium induit, alter in Catalonia profugus transfretavit. Videre etiam poteſt veſtra ſerenitas, quod præfati domini cardinales ſanctæ Dei eccleſiæ totiuſque Chriſtianitatis palantis in tenebris, viam veritatis amplexi ſunt, majeſtatem veſtram ut poſſumus deprecamur, ut ſuorum clariſſimorum progenitorum veſtigia, more regio exſequendo, attentoque non parvo regiæ majeſtatis honore, quæ chriſtianiſſima ſemper fuit, eccleſiam provexit, & magnifice defenſavit, velit hac vice potenter exſurgere, & pro fide catholica unà cum præfatis reverendiſſimis dominis cardinalibus, aliiſque Catholicis regibus & principibus viriliter laborare, ne duorum cœca cupiditate ſummi vicariatus officium diutius laceretur. Ad hoc ſumme neceſſaria eſt temporalis adjectio poteſtatis, ut utrique ubique locorum obedientia ſubtrahatur, & ſic dum caritative ſuum debitum renuit adimplere, temporalis poteſtatis remedio compellantur. Et ut veſtra ſerenitas aliorum principum & dominorum intentionem percipiat, copias litterarum ſereniſſimorum principum dominorum Franciæ & Siciliæ regum illuſtrium, dominorum Cilræ & Goriciæ comitum, univerſitatis Pariſienſis, aliorumque, nuperrime ſuper hoc editarum per egregios & ſapientes viros, veſtræ majeſtati principaliter deſtinamus, rogantes eamdem, quantum poſſumus, ut præmiſſam veritatis viam pro ſua ſuorumque ſalute celeriter velit amplecti, & in regno veſtro dictam obedientiam ulterius denegare. Nam hoc debet quicumque fidelis exſequi juxta poſſe &c. *ut in ſecunda præcedenti, uſque* ſapere videantur *incluſive*. Altiſſimus veſtram majeſtatem conſervet & dirigat continue cum fidelibus incrementis. Bononiæ.

EPISTOLA SCRIPTA

archiepiſcopo Cantuarienſi per dominum Mediolanenſem.

Ejuſdem argumenti.

REverende pater & amice noſter cariſſime. Scribimus principaliter ſereniſſimo principi & excellentiſſimo domino amico noſtro cariſſimo, domino regi Angliæ, ſuper negotiis unionis ſanctæ matris eccleſiæ, prout veſtra paternitas ex tenore litterarum noſtrarum præſentibus intercluſo clare & diffuſe poterit intueri. Et ideo non videtur expediens, ut præſentialiter cum P. V. ſermonem ulterius extendamus, niſi quod hactenus diſturbiis in quibus ſancta mater eccleſia unica Dei ſponſa duorum invicem contendentium opere detinetur, velitis hac vice unà cum aliis Catholicis prælatis & dominis, ad ferendum ſibi ſubſidium, ferventer aſſurgere, & viam amplecti veritatis, ut jam tamdem veſtro & aliorum Chriſti fidelium opere, Dominici gregis turba dudum ſparſa & lacera in unicum reducatur ovile. Altiſſimus P. V. conſervare dignetur feliciter & in agendis dirigere juxta vota.

EPISTOLA BENEDICTI XIII.

ad Petrum cardinalem S. Suſannæ.

Mandat ut accedat ad indictum Perpiniani concilium.

Ex mſ. ſancti Laurentii Leodienſis, & illuſtriſſimi domini Chauvelin.

BENEDICTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio P. tituli ſanctæ Suſannæ preſbytero cardinali S. & A. B.

Nuper tempore noſtri receſſus de Portu-Veneris, ſicut ad tuam deveniſſe notitiam non ambigimus, de fratrum noſtrorum conſilio, generale concilium apud Perpinianum Elnenſis diœceſis, in feſto Omnium-ſanctorum proxime futuro celebrandum duximus auctoritate apoſtolica convocandum, noſtras ſuper hoc archiepiſcopis, epiſcopis, electis, & aliis eccleſiarum prælatis, ceteriſque qui ad concilium evocari conſueverunt, litteras in forma debita noſtra ſub bulla dirigendo. Et licet conſuetudo non habeat, quod venerabiles fratres noſtri cardinales ad concilium per litteras evocentur, cum a latere ſummi pontificis, cujus honorabilia ſunt membra, elongari non debeant, ſed quod ei aſſiſtant experientia doceat & neceſſitas id expoſcat. Tamen quia tua & aliorum fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium aſſiſtentia in tanto negotio carere nolumus nec debemus, pro tanto circumſpectioni tuæ per apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus omni excuſatione ſepoſita, terminum etiam præveniendo præfatum, ut tecum & aliis fratribus noſtris de agendis in dicto concilio deliberare poſſimus, te noſtro conſpectui in dicto loco Perpiniani ſtudeas præſentare, in hoc taliter te habendo, quod cum honore eccleſiæ ad bonum unionis proſpere cuncta ſuccedant, gratumque Deo & nobis occurrat quod egeris in præmiſſis. Datum apud Cocumliberum Elnenſis diœceſis idibus julii, pontificatus noſtri anno XIV.

Jo. Pinchon.

Sub eodem tenore ſcribit NICOLAO Albanenſi epiſcopo in codice Chauveliniano.

LITTERA AD DOM. BENEDICTUM

per quatuor cardinales.

SAnctiſſime ac clementiſſime domine, ſupplici & humili recommendatione præmiſſa. Etſi uſque in præſens veritatem eorum, quæ per nos & alios cardinales pro nunc ab iſto loco abſentes, proſecuta & geſta fuere cum dominis in parte alia cardinalibus nominatis, pro ſchiſmatis extirpatione & unitate in Dei eccleſia reducenda, veſtræ ſanctitati non inſinuaverimus, ſupplicamus in admirationem ſeu in interpretationem aliam non deduci, cum tantum Dei negotium involutiones & intricationes multiplices habuerit, quæ brevi tempore abjici non potuerunt ſeu repelli. In hac tamen materia reperimus præfatos dominos in alia parte dominos cardinales nominatos, unanimes in omni virtuoſa actione conſtantes, proſequentes ſolum quæ habent divina mandata & canonicæ ſanctiones; in quo ſic eis aſſiſtit Spiritus-ſancti gratia, ut major pars prælatorum, regum, & principum, & notabilium communitatum ſuæ partis & obedientiæ cum eis conveniat & concordet. Ex quo Gregorius nominatus eſt nedum appellatus, immo a ſervitoribus laïcis pro majori parte derelictus, ſic quod videtur quæ pacis ſunt quærere & ceſſionem offerre. Ex quo veriſimiliter ſperamus de pace eccleſiæ, niſi per partem noſtram proſecutio hujuſmodi ſanctæ viæ tam veriſimiliter præparatæ quomodolibet impediatur, quod abſit, & minime credimus, cum de voluntate ſanctitatis veſtræ dictam proſecutionem aſſumſimus. Alia particularia per nos geſta & tractata, & etiam quæ in futurum facienda videntur, curabimus, Deo auxiliante, ſanctitati veſtræ infra breves dies per ſolemnes perſonas inſinuare; & credimus quod erunt talia, quæ ſanctitati veſtræ grata erunt & accepta, ac omni populo chriſtiano, & etiam tunc explicari faciemus noſtram & abſentium intentionem ſuper materia concilii quod intenditis in feſto Omnium-ſanctorum in loco Perpiniani

Anno 1408. Ex mſ. illuſtriſſimi viri domini Chauvelin.

tenere, & utrum tale particulare concilium in ultimis quasi terræ finibus, & multum a parte adversa distantibus celebraturum, possit ad unitatem dandam ecclesiæ pertinere, dubitatur a multis. Sanctitatem vestram conservet Altissimus feliciter & longæve cum effectu optatæ unionis. Scriptum Pisis.

Vestri humiles oratores. G. Penestrinensis, N. Albanensis, P. Tusculanensis, P. S. Angeli cardinales

SALVUS CONDUCTUS FLORENTINORUM limitatus.

Anno 1408. *Ex mf. S. Laurentii Leodiensis.*

NOs priores artium & vexilliser justitiæ populi & communitatis Florentiæ tenore præsentium damus & concedimus liberam & plenam licentiam atque salvum-conductum universis & singulis in Christo patribus reverendissimis, & dominis dominis episcopis, presbyteris, & diaconis cardinalibus, & collegio cardinalium, quod collegium apud quosdam Gallicum nuncupatur, veniendi ad quæcumque loca, sive illa sint civitates, castra, villæ, ecclesiæ, vel monasteria sita intra fines nostræ jurisdictionis semel, & pluries, & totiens quotiens voluerint, separatim, & conjunctim, & ibidem standi indeque discedendi, atque ad ea redeundi, cum omni eorum comitiva, famulis, equis, mulis, jumentis, arnensibus, ac rebus omnibus libere, licite, secure, non obstantibus quibuscumque rationibus vel causis aut impedimentis, quæ dici vel excogitari aliquo modo possint, ita quod præsens licentia aut salvus-conductus plenissimam obtineat securitatem, & omni prorsus dubitatione & cavillatione careat: mandantes insuper omnibus & singulis rectoribus & officialibus nostris, sub quibuscumque nominibus & vocabulis, subditis atque gentibus armorum, quatenus dictis reverendissimis dominis cardinalibus & cuilibet ipsorum cum omni eorum comitativa sociis, famulis, equis, jumentis, navigiis, arnensibus ac rebus omnibus in eundo, accedendo, standо, transeundo, discedendo, & redeundo dent & præstent accessum, transitum & iter liberum atque securum, sine aliquo impedimento, molestia, vel novitate in personis vel bonis ipsorum vel alicujus eorum modo aliquo inferenda, & sine ulla solutione pedagii, oneris vel gabellæ; & quod prædicta omnia observent & observari faciant pure, libere, & bona fide, omni exceptione & cavillatione remotis. Cum his tamen salvis & exceptis, quod præfati reverendissimi domini cardinales non possint sine nostra licentia ad civitates Florentiæ & Pisarum venire, & in eis moram ducere. Volumus tamen quod possint & eis liceat conjunctim & divisim per dictam civitatem Pisarum transitum facere, & in ipsa die uno aut duobus & non ultra stare: aliam insuper justis rationibus & causis limitationem addentes quod nequeat ipsorum collegium cum collegio aliorum reverendissimorum in Christo patrum & dominorum se convenire in locis ditioni subjectis; sed in eorum stet electione separatim & aliter quam collegialiter se convenire cum præfato collegio Romano si voluerint: quam eorum conventionem nolumus quod a quoquam in nostris finibus impediri possit, in tantum quod præsens securitas ad aliquos cives vel subditos nostros, qui in eorum comitiva essent pro aliquibus condemnationibus aut bannis pecuniariis aut personatibus nullatenus extendatur. Datum Florentiæ die xxi. Julii, indictione prima, MCCCCVIII.

Facta est collatio cum originali.

COPIA LITTERARUM

directarum principibus per dominos cardinales de parte Gregorii.

Subtracta Gregorio obedientia, orant ut ad concilium Pisanum oratores suos suæque ditionis prælatos mittant.

MIseratione divina, &c. illustri & excellenti domino domino, salutem in Domino sempiternam, & paratum promtumque animum ad sacratissimæ ecclesiæ unitatis effectum habere, & pro ea firmiter & efficaciter operari. Anno 1408. *Ex mf. illustrissimi domi Chauvilla.*

Principum, ducum, marchionum, aliorumque dominorum & magistratuum quorumcumque, dignitatibus & officiis quibuscumque pollentium proprium est judicium & justitiam facere, & de manu calumniantium vi oppressos eripere, & a civitate pro viribus injurias propulsare, quibus juxta beati Petri sententiam, tamquam a Deo missis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum obediendum est. Ut igitur in eos qui utrimque injurias inferunt missi sublimatique sunt, quanto majore & justissima indignatione pro Christi immaculata sponsa, a qua in Spiritu regenerati ejusque lacte educati, & grandævi in fide firmati, apertis paradisi foribus, vitam qua primi homines sorde peccati privabantur, consequi merentur æternam, contra illos infimæ pravæque conditionis homines tenentur exsurgere, qui corpus Christi mysticum, hoc est Dei ecclesiam & tunicam Domini inconsutilem dividunt, qui Christi vineam exterminant, & consultant ut nefandissimis momentaneorum terum ambitionibus pravisque cupiditatibus suis satisfacere valeant, omni pudore & Dei metu sublato, non curantes Dominici gregis animas secum in æternam perditionem conducere, & cunctorum Christi fidelium pacem & quietem

turbare. Sane noviſtis, non ambigimus, cum toti ſit Chriſtianorum orbi notiſſimum, quot Petri navicula continuis fluctibus agitata, per XXX. annorum curricula, & quantas paſſa fuit tempeſtates, ad extremum fere deducta naufragium, quæ ejus flebili omiſſa hiſtoria, nimium fidelibus cognita, ut ad unitatem dignitatemque priſtinas tandem reduceretur, & pax deſideratiſſima in Chriſtiano populo pullularet, ſanctæ memoriæ domino INNOCENTIO papa VII. ſublato de medio, dominus GREGORIUS ut ipſius eccleſiæ unionem efficeret, per puræ & ſimplicis renuntiationis & ceſſionis viam ante & poſt ejus aſſumtionem votam, juratam, plurieſque promiſſam, domino PETRO DE LUNA parte ex altera Benedicto nominato, qui ſe ſimiliter obligaverat, cedente vel decedente, in publico inſtrumento, ſcripturis & ſolemnibus, & eorum bullis & noſtris litteris ſparſis per orbem luce clarius eſt, quod ad apicem fuit ſummi apoſtolatus aſſumtus. Et qualiter ambo de papatu contendentes, Deo vota ſua reddiderint, juramenta ſervaverint, & præmiſſa adimpleverint, veſtram caritatem latere non credimus, cum jam omnibus poſſit eſſe notiſſimum & rei exitus demonſtravit. Nam per tractus inanes, frivolaſque & ſuperfluas diſceptationes, altercationes, & varietates anno & menſibus conſumtis, hucuſque populum Chriſtianum illudendo, colludendoque invicem, denique occaſionibus captatis inanibus, a præfatæ unionis, ut præfertur, promiſſæ, juratæ & votæ tractatibus, tam impudenter quam turpiter diſceſſerunt, Chriſti grege mercenariorum more inter lupos expoſito, & de unione ipſa totaliter deſperato. Ac nos, quibus poſt papam ſalutis populi Chriſtiani major zelus & onus incumbit, videntes nobis ab eodem GREGORIO ſuis injuſtis & turpibus mandatis ora obſerari, ne de unione ipſa ulterius verbum faceremus, in vitas libertatemque noſtras evidentius imminere pericula, ut conſcientiarum noſtrarum exonerationi & præfatæ unioni, de qua poterat alias totaliter deſperari, conſuleremus, ab eo non ad unionem ipſam, ſed ad ſchiſma fovendum, bonaque eccleſiæ diſſipandum, ſuoſque contra Deum & juſtitiam promovendum & ſublimandum intendente, momentanearum rerum cupiditate pravaque ambitione tracto, cœleſtium & æternorum penitus oblito, & ſupradictam ceſſionis viam a ſe tamquam juſtam ſanctamque totiens acceptatam & promiſſam, diabolicam palam aſſerente, & declinante tamquam a nutrice ſchiſmatis antiquati, quod de jure hæreſim ſapere minime dubitatur, cum deliberatione, ut pluribus ſcriptionibus jam ſumus teſtati, diſceſſimus. Noſque cum reverendiſſimis dominis dominis de collegio partis alterius junximus & univimus, pro pace & unitate danda populo Chriſtiano, viamque congregationis concilii generalis utriuſque obedientiæ ad civitatem Piſarum, diemque XXV. proximi menſis Martii celebertimum feſto Annunciationis glorioſæ Virginis Mariæ, a qua cunctorum ſalus & redemtio inchoavit, unde, Deo favente, cujus res agitur, omni terrore & ſchiſmate evulſo, unio in ipſa eccleſia ſubſequetur, elegimus ſecundum ſacrorum canonum inſtituta & eccleſiæ laudabilem conſuetudinem in talibus obſervatam; quæ omnia latius litterarum, quas ad obedientiæ noſtræ prælatos, eos ad concilium ipſum convocantes dirigimus, tenoribus, & oratorum noſtrorum abunde de cunctis expedientibus inſtructorum vivis relatibus luculentius poterit excellentia veſtra percipere. Expergiſcimini igitur, quoniam tempus eſt jam a ſomno ſurgere, & nobiſcum una exſurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Erigite eccleſiam matrem veſtram, & nobilitatem ſpiritus vindicate, nobiſque in hac Dei cauſa aſſiſtite & favete, oratoreſque veſtros ſolemnes mittite, & prælatos dominii veſtri quos ducimus convocandos ad veniendum inducite, ac, ſi opus eſſet, quod minime remur, ut tenemini, modis debitis aſtringatis, ut tempore debito in eodem concilio legitime & inſtructi veniant, ad tam pium & ſanctiſſimum opus feliciter conſummandum, quæ per aſperſionem pretioſiſſimi ſanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI, ut a tot modo liberetur anguſtiis, ſancta mater eccleſia nobiſcum una a vobis inſtantiſſimis precibus poſtulat & requirit, ſicuti omnino caritatem veſtram pure & libere facturam ſperamus. Nam ad ipſum concilium venientes aut ei faventes dominus Gregorius tamquam inimicus homo continuo tentare non deſinit, coloribus, fictionibus & mendaciis ſolitis, ubique diſſeminare zizania in eccleſiaſticæ unitatis diſturbium, ut ipſam eccleſiam ita laceratam & oppreſſam valeat retinere. Suis non poteſt afficere ſententiis vel mutare, cum per ſolemnia concilia collegiorum, magiſtrorum ſacræ theologiæ, juriſque canonici & civilis, concluſum & determinatum exiſtat, ipſis contendentibus de papatu tamquam antiquati ſchiſmatis nutritoribus obediendum non eſſe, ſed eis omnem obedientiam ſubtrahendam, & de eorum ſententiis ſeu cenſuris & aliis non curandum, vel de juribus ſedi apoſtolicæ reſpondendum, ut in noſtris litteris, quas per orbem dirigimus plenius continetur. Deus omnipotens excellentiam veſtram diu & feliciin ſtatu infinita ſua benignitate conſervet. Datum in caſtro ſeu loco Liburnii Piſanenſis diœceſis.

COPIA LITTERARUM directarum ad universitates studiorum per dominos cardinales de parte Gregorii.

MIseratione divina, &c. Quamvis sacrosancta mater ecclesia omni tempore viris litteratis & scientiarum floribus insignitis permaxime noscitur indigere, præsertim tamen his turbationum temporibus, quibus vacillat fides, dominatur avaritia, exquiritur ambitio, affectatur carnalitas, spernitur votum, jurisjurandi intemerata religio violatur, contemnitur caritas, excitantur mortifera odia, extollitur dominandi libido, conculcatur humilitas, unitas & concordia respuitur, scissura & horrenda divisio præoptatur, promovetur ignorantia, refutatur scientia, quæritur irrogari injuria, damnatur justitia, stolidorum ministrorum & juvenum consiliis regitur orbis, virorum litteratorum & senum salubris doctrina penitus confutatur, creditur fabulis & noxiis perversorum plus quam sacris evangeliis & expositionibus sanctorum doctorum, mendaciis & hypocrisiis frequenter insistitur, per quod venenose & fraudulenter veritas obumbratur, omnibusque excogitabilibus mundi vitiis inseruntur, ut orthodoxa mater ecclesia sine qualibet ruga aut macula a Domino sublimata, ipsorum nefariis ausibus deturpetur; ex quibus electus Christi populus pretiosissimo suo sanguine summa caritate redemtus, a via veritatis seducitur, hæresibus involvitur, horrendis criminibus implicatur, scissuris & divisionibus dire affligitur, cædibus & bellis cruentis subjicitur, fame, pestilentiis & omnium pœnarum genere multifarie trucidatur. His enim crebrescentibus malis per singulos, viri scientiarum virtute pollentes talentum sibi a Deo traditum non debent in terra fodere, nec lucernam ardentem sub modio abscondere, sed supra candelabrum, ut omnibus qui in domo Domini sunt luceat, collocare, arguendo, increpando, obsecrando in omni patientia & doctrina, murum firmissimum suis doctrinis & saluberrimis exemplis & informationibus in domo Dei se opponendo conscendentibus ex adverso. Sane novistis, non ambigimus, &c. *ut in præcedenti usque ibi.* Expergiscimini igitur, quoniam jam tempus est a somno surgere, & vobiscum una exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Erigite ecclesiam matrem vestram, & quasi in extrema necessitate nunc positam adjuvate, nobisque in hac Dei causa vestris consiliis & doctrinis apud universum populum Christianum succurrite, verbisque & opere assistite & favete. Alios quoque de valentioribus magistris & doctoribus universitatis vestræ scientia præpollentes, Deumque timentes ad concilium ipsum, per nos, ut præmittitur, convocatum, quorum consiliis uti valeamus, transmittite; inducendo reges, prælatos & principes, quos similiter per nostras litteras convocamus, ut mittant, veniant tempore & loco prædictis ad præfatum concilium nostrum, pro tam pio & sanctissimo opere consummando, quæ per aspersionem pretiosissimi, &c. *usque in finem, ut in præcedenti.*

LITTERA AD REGINAM FRANCIÆ.

Ecclesiæ per duorum contendentium de papatu collusionem exponunt pericula, indictumque generale concilium significant, ac suum regisque favorem implorant.

SEreniſſimæ principiſſæ dominæ dominæ ISABELLÆ Dei gratia Francorum reginæ, miſeratione divina epiſcopi, preſbyteri & diaconi S. R. E. cardinales, ſalutem & in regno temporali regni cœleſtis memoriam & amorem. Anno 1401. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Claravelin.*

Alma mater eccleſia hujus cœleſtis regni janua in ſuis afflictionibus, proh dolor! quas ſuſtinet ob duorum ambitionem de papatu contendentium, a vobis ſua filia cariſſima ſuccurſum & medelam poſtulat & requirit. Afflictæ igitur matris veſtræ clamor, quæſumus, introeat aures veſtras. Calamitates enim ejus multiplicatæ ſunt ſuper numerum, quas citra infamiæ notam nullatenus diſſimulare debetis. Inſtant, videtis, tempora periculoſa, ut videlicet inconſutilis tunica Chriſti ſcindatur, rumpatur rete Petri, & catholicæ unitatis ſoliditas diſſolvatur. Hæc ſentimus gravia, ſed graviora timemus. Si enim inimici manifeſti communis matris noſtræ veluti Sarraceni, gentiles aut Judæi maledixiſſent, ſuſtinuiſſet utique; ſed hi duo, qui erant eccleſiæ domeſtici commenſales, de quorum dilectione confidentius præſumebat, & ad quos dirigendos effuderat curam ſuam, facti ſunt hoſtes ejus in capite. Hæ ſunt cruces, ſereniſſima regina, quibus mater veſtra eccleſia ſacroſancta affligitur. Hæ ſunt anguſtiæ quas deplorat. Iſti namque ſunt duo ſenes, quos refert Danielis hiſtoria, qui populum regere videbantur, qui ſpecioſam Suſannam, id eſt eccleſiam occupare volentes, everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum Dei. Credimus nempe veſtram regiam celſitudinem non latere progreſſum his diebus duorum contendentium de papatu, quibus aſſentionibus, quibus palliationibus, quibuſve operibus, & ad quem exitum cauſa ſacratiſſimæ unionis per ipſos finaliter ſit producta, immo, niſi de remedio citiſſimo occurratur, prope in exilium coarctata. Hinc conſiderantes quod ex quo ipſi contendentes, fracto penitus & omiſſo unionis

nis tractatu, se totaliter ab invicem per longissima terrarum spatia separarunt; finis ipse ad quem tendimus, de manibus penitus evanescit, & materia ipsa, qua nulla sanctior, per summam rerum desperationem eo fortius incalescet, quo propius ad culmen victoriæ posita, deducta est perverso ingenio in derisum. Unde ex debito nostrarum conscientiarum remorsi, dirigentes ad tam exitiabile vulnus nostræ compassionis intuitum, deliberavimus, summa rerum opportunitate suadente, immo necessitate cogente, manus ad fortia mittere, & cum reverendissimis patribus dominis alterius collegii convenire, quorum opinionibus atque votis una cum nostro concurrentibus in unum, tamquam ex uno spiritu inspiratis, ipsi nobiscum & nos secum, pro ultimo remedio securim ad radicem posuimus, generale videlicet concilium per suam obedientiam quilibet ad eumdem locum eumdemque diem convocantes, scilicet XXV. die Martii proximi futuri in civitate Pisana, ad retrudendum hanc monstruosam belluam in antrum mortiferum per amborum contendentium cessionem, & in casu contradictionis, diffugii, aut contumaciæ, per debitam & canonicam ordinationem ecclesiæ congregatæ. Et super his omnibus ad Christianissimum principem dominum regem virum vestrum more solito & debito recurrentes, per nostras litteras eidem scribimus ad plenum, quas, ne afficiamus tædio aures vestras, hic minime repetimus, credentes quod illæ communicabuntur vestræ excellentissimæ majestati. Quamobrem vestram excellentiam requirimus, & per viscera misericordiæ JESU CHRISTI obsecramus, quatenus vestram sollicitudinem super his apud eumdem dominum regem interponere dignemini, & per vestros faciatis interponi, excitata exemplo illius gloriosæ reginæ Hester, quæ regem virum suum, licet gentilem, ad conservationem ac etiam exaltationem ecclesiæ quæ erat illius temporis, prudentissime animavit; considerans quod illud malum in regem etiam redundabat. Per hæc enim, serenissima regina, ut credimus, toti regno maxima tranquillitas imponetur, vestraque devotio, post hujus vitæ temporalis decursum in illo regno cœlesti æternum præmium accipiet. Scriptum, &c.

LITTERÆ AD PRIMOGENITUM regis Franciæ.

Ejusdem argumenti.

Anno 1408. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

ILlustrissimo & excellentissimo principi & domino, domino LUDOVICO regis Francorum primogenito, duci Aquitaniæ, & Delphino Viennensi, miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. cardinales, salutem in eo qui in benedictionibus dulcedinis vos prævenit, & offerre ecclesiæ matri vestræ primitias fructus novi.

Hæc est vestra mater, princeps inclytissime, quæ vos jam natum iræ filium per fidem vitam & salutem conferendo regeneravit in Christo. Hæc est mater vestra, quam lex omnibus diebus vitæ vestræ imperat honorare, quæ in suis angustiis suisque miseriis vos acclamat; in quibus jam tempore peracto lustrorum sex, propter duos contra proprium juramentum de papatu invicem contendentes taliter est prostrata. Etenim, princeps inclytissime, quod dolenter referimus, omnibus satis notum horum duorum contendentium progressus, quibus assentationibus, quibus palliationibus, &c. *ut in præcedenti usque ad illa verba* canonicam ordinationem ecclesiæ congregatæ *inclusive*. Super quibus omnibus more solito ad Christianissimum principem genitorem vestrum recurrimus, & per litteras nostras eidem scribimus ad plenum. Quamobrem vestram excellentiam requirimus, & per viscera misericordiæ Domini nostri JESU CHRISTI obsecramus, quatenus vestram sollicitudinem super his interponere dignemini apud eumdem dominum regem ejusque consilium, & per vestros faciatis interponi taliter, quod post terrenum principatum in æterno vobis gloriam immarcessibilem præparetis. Scriptum, &c.

HÆC AFFIXA SUNT VALVIS ECCLESIÆ Pisanæ, ambobus collegiis unitis, mortuis cardinali Florentino, (a) *& cardinali Leodiensi.* (b) [a] [b]

Anno 1408. *Ex mss. illustrissimi dom. Chauvelin.*

1. COgunt nos assidue silentes vestrarum dilectionum instantiæ, patres conspicui & amici omnium veneratione dignissimi, ut novitates hujus patriæ, in qua Deo meliorique auspicatu ducibus translati sumus, observato rerum gestarum ordine, ad vestrarum caritatum, leviorum verborum cum recitatione & planiori loquendi modo, quam venustas artis expostulat, propter nuncii importunitatem, qui abire festinat, notitiam deducemus. Noverint igitur dominationes vestræ, quod nuper mense Julii, dum astrigeras per vias regionem vivorum longis & fatigabilibus, eo quod hæc via difficilis est & ardua, gressibus peteremus, peractoque hoc itinere, quod successive fueramus ingressi, simul in foribus portarum ambo tamen immenso gaudio pervenimus, junximusque nos mutuo, ut una pariter tanti Dei præsentiam adiremus, & cœli empirei introeuntes palatium, palatii deinde penetralia ad pedes sedentis super thronum præsentati, scabellum

(a) Angelo Acciaiolo episcopo Florentino ~~facri~~ collegii decano & S. R. E. cancellario. Obiit Pisis pridie idus Junii 1408.

(b) Johanne ægidii præposito Leodiensi, qui mense Julio Pisis fatum nactus est.

illius ſumma cum veneratione cœpimus ado-
rare. Erat enim hora fere tertiarum, tum
ipſe Summus pontifex, major ſacerdos in æ-
ternum ſecundum ordinem Melchiſedech,
cui datum eſt in cœlo & in terra a Patre me-
rum & mixtum imperium, convocato ge-
nerali ſuo conſiſtorio, indutus pontificalibus,
& rubra veſte tincta de Boſram præſidebat,
ſedebantque XII. ſæculi judices ſacri mundi
cardines, inter quos & Paulus ſedem, quam
Chriſto reconciliatus meruerat, poſſidebat;
poſt quorum ſedilia ſtabant quatuor patres
reverendiſſimi magiſtri palatii, quorum cla-
ritudine totum quod ubique ſituabatur reſ-
plenduit, ſcilicet venerabiles quatuor mundi
illuſtratores, doctoralibus laureis decorati.
Poſt hos ſtabant & procuratores certorum
ordinum Benedictus, Bernardus & ceteri viri
monaſtici diverſarum regulatum profeſſo-
res. Stabant & in gyro quatuor ſeniores pro-
ceres ſine venalibus linguis, ſine cupiditate
lucri illiciti, procurationis & poſtulatio-
nis officium exercendo, multo noſtris diſpa-
res advocatis; inter quos unus & auctoritate
maturior, cui etiam fuit facultas latior elo-
quendi. O bone Deus! quanta cum majeſtate
verborum & geſtuum orſus ab alto, melliflui
oris ſui eloquio ſic intonavit.

2. Beatiſſime Pater, ſic enim perſonam Fi-
lii alloquens, more noſtri conſiſtorii loque-
batur, Rex regum, terrarum cœlique ſum-
ma poteſtas, lugubre & inauditum cunctis
ſæculis facinoroſum factum S. V. proponitur,
pro parte fidelis veſtræ univerſitatis gentis
Chriſtianorum, quæ degens in terris dicitur, ſic
quod cum de anno a creatione mundi 5190.
adhuc dira ſub ſervitute improbi hoſtis mi-
ſeri detinebantur, S. V. eis gratiam faciens
ſpecialem, æthereo de thalamo, ut eos pri-
ſtinam in libertatem vocaret, deſcendit in
terram, ubi etiam vos, ſanctiſſime Domine,
natus homo cum hominibus converſatus
fuiſtis, & ſex luſtris doctor eorum factus, qui
libenter vera ſuſcipiunt, tam plebem Judaï-
cam, quam idolatras gentium turmas viam
docuiſtis veritatis, tandemque ut ab ævo ſem-
piterno ſtatueratis, eam gentem genuſque
humanum totum novo redemtionis genere
in brachio miræ fortitudinis liberaſtis, nec
vulgari aut vili tale pretio commercium hu-
jus rei paratum eſt. Veſtra enim carne, quæ
lacerata eſt, multis probris deturpata, in cru-
ce moritura oblata, & undante ſanguine fu-
ſo, extitit comparata. Hanc igitur gentem
libertate, ut præfertur, donatam, irrevoca-
bili veſtra lege in unitate fidei fundaſtis. Di-
ctum enim a vobis legimus: *Eſtote unum, quia ego & Pater meus unum ſumus.* A qua uni-
tate ne ſparſi ſe in partes dividerent, unicum,
non duos ſummi paſtoralis officii ſucceſſores
in cœlum aſcendens reliquiſtis; ob cujus e-
tiam unitatis indicium hæc gens ſortita voca-
bulum, non binomine, ſed monomine a ſe
& aliis nationibus Populus Chriſtianus ap-
pellatur. Sic etiam hinc reverenda veterum
auctoritas, ſic tenuit longa per ordinem illa
ſequens poſteritas, ſic etiam aliquantulum
ætas recentior, non auſus ſum dicere illorum
parentum, ſed avorum obſervavit. Ita eſt
igitur, Pater ſancte, de jure communi. Ita
eſt de veſtræ majeſtatis ſpeciali privilegio,
in quo eſt jus veſtrum tamquam principis
ſummi & unitas monarchiæ prærogativa
non ſucceſſoribus deſignata, utique eſt in-
cluſa. Ita ſimiliter eſt de conſuetudine, cu-
jus initii memoria non exiſtit. Et quamvis
aliquando ambitionis impatiens impietas
hanc ſeditione ſua interrupit obſervantiam,
numquam tamen contra eam ſuo rigore in
annis præſcriptio potuit prævalere; quæ ſi e-
tiam prævaluiſſet, in nullo tamen obſervan-
tium aut eorum ſucceſſorum conatus melio-
rem produxiſſet in partem, cum actus qui
fuerit in peccatis conditionis tam auctores
quam eorum heredem confundunt potius
quam emendant.

3. Hanc igitur, beatiſſime Pater, unita-
tem quorumdam in terris ambitione, avari-
tia & ſuperbia jam dudum, videlicet anno
veſtræ Incarnationis MCCCLXXVIII. ſciſſam a
ſummo uſque deorſum in duas partes ingen-
tes, quanto cum ſcindentium animarum pe-
riculo ſententiæ condemnationis jam in ca-
pita illorum latæ teſtantur. Quidam duo no-
viſſimi, quorum unus ſe GREGORIUM nomi-
nat, homo vertiginis morbo laborans, mul-
torum malorum patronus ſtolidus, alter lu-
pus rapax & fera inſatiabilis, qui BENEDIC-
TUM XIII. ſe appellat, ſciſſuram illam con-
tinuant. Horum condemnatorum in vitium
ſuccedentes ambo viri ſine conſcientia, ſine
verecundia, ſine miſericordia; in quibus nul-
la fides, nulla devotio; in quibus etiam ani-
mæ denudatæ virtutibus, extinctis caritatum
fervoribus, odiorum diſſentionumque frigo-
ribus riguerunt. Ecce etiam unum quod ad-
mirationem auget, uterque eorum exſan-
guis, uterque annoſitate conſtrictus, uter-
que morti contiguus, & utrique jam ſolum
ſupereſt ſepulcrum. Hi etiam duo ſe putantes
ſimiles Altiſſimo, in Aquilone duas partes
dignitatis animo numquam inde deſcenden-
di, poſuerunt, in quibus ſedentes, vel ut ipſi
ſuperbe dicunt, præcidentes hunc populum
veſtrum, ad diviſiones aſſuefaciunt: quilibet
unam partem ſecum trahens, fovent incœp-
tum ſcelus ſchiſmatis, illud nutriendo, illud
continuando non aliter quam opus laudabi-
liter inchoatum. In hoc enim illorum omnis
verſatur intentio, omne pervigil ſtudium, &
varii conatus. fatigationibus ornati, hinc
nocturnarum conventionum conſilia, hinc
tractatus ſubdoli, hinc mutuæ conſpirationes,
hinc crebro novitates conflatæ mendaciis,
hinc inſuper per mundi ignota climata con-
ſiliarii & placidi aſſentatores largiſtuis pro-

missionibus attractabantur, & ne proscripta peste ad portum salutis deduci queat, etiam novi de antiquitate vulneris sicarii conquiruntur, quorum jam abundans pluralitas palatium illius errorii occupans, in numerosum gregem crevit collegii. Parcite pro nunc, parcite cœlicolæ, exaggerandus est in durioribus hic sermo meus. Materia enim quæ sequitur talis existit, cui satyra digna merito impendenda.

4. In quo quidem collegio primus est Antonius Corrarii, nunc suus camerarius, olim cellulas mutitans, lupus cucullatus, qui postquam egressus, abjecta pelle veteri, dentes pastoris famelici in miserorum omnium corpore docet crudeliter desævire, caularum etiam custos creatus, pignora illi devoranda præmonstrat, sicque de eo qui se papam asserit, fecit ut voluit pastorem poliphemum. Hic etiam sectarum damnatarum conservator est, & cum quibus suas sacrilegas excitet ineptias, supremus Fratricellorum patriarcha. Secundum locum occupat quidam puer Gabriel, scelerum satis docilis ab eo, contra quem principaliter præponitur in mediato gradu, de recta linea in libro generationis descendens, jure scriptis cardinalatus sibi vindicat dignitatem. Tertius frater Johannes Dominici, qui claustra sanctimonialium frequentando, super nova prole fœcundans, multas S. V. dedicatas virgines effecit matres filiorum lactantes, & arte suæ prædicationis vitam cœlibem & castimoniam pro lege uxoria docuit commutare; congestoque suæ turpitudinis lucro, divitias contra suæ professionis regulam proprietarius possidens, ab illo egregio summo pontifice auro compensatum pileum rubeum habere meruit. Nescio si poterit retinere pro mercede. Urinale clisten & gladium portans succedit quartus in ordine vultu & moribus joculator, & ore dicatulus, prothonotarius Utinensis, qui suæ sedi tutus sterquilinio sordescens, omnium honestorum nares olentis suæ infamiæ putredine inficit & molestat, duabus clarus artibus, physica scilicet & carnifica, hinc physicus, inde notarius homicida; multos namque funestis scriptis sustulit de medio. Sed ultra hæc, ut quidam Aquilegiensis sedis primas ense hostium moriendo caderet, procuravit. Tudertinus quintus homo seipsum nescions, agrestis, & officium suum ad quod quondam assumtus fuerat impertinens, potius nummos & beneficia cogitat, quam articulos fidei, aut symbolum Athanasii. De Neapolitageo nunc supersedeo, quia non video quam viam ipse sequitur: nam inter justum & iniquum in medio ambulans, neutram partem audens contingere, miserrime claudicat, vespertilionis adinstar fabulæ, & ut Salustius quidem auctor ait, levissime transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habens. Sic etiam in duabus naturis contrariis unum se cupit esse suppositum, contra legem hypostaticam hermafrodita monstruosus.

5. Sequuntur patres inferioris stantiæ, inter quos quidam ventrosus Paulus de Juvenaciis, qui in ventris ergastulo crebra ingurgitatione capones incarcerat & gallinas, & mane jam lucis orto sidere primum in divinis actibus suspirans, devote accipit, acceptosque exhaurit calices salutares, inde impinguatus, incrassatus, dilatatus. Sunt & huic suæ castitatis testimonia uxores quamplurimæ, filii, & nepotes. Inde Ferentinus promtus in partes contrarias, prius simulatus reprehensor errorii perutilis, & quam temerarius, nunc suæ mutabilitatis inconstantia, modo id laudat quod modicum ante sua voce dilucide detestatus est. Qualis semper fuerit animo, hominibus futuris & præsentibus propalavit. Hujus immediatus & contiguus socius quidem indignus agitatæ linguæ referendarius, simili præstigiatoriæ artis circulatione ludum exercens, pari passu sui consortis bene sequitur vestigia. Inde etiam abbas de Prataillia, qui quia bene multiplicavit sanctæ unionis negotium, in assistentem assumtus, sinistris illius spectabilis antifati lacertis locatus est ad partem. Post hunc graditur Victor homo fictus a planta pedis usque ad verticem, qui ut sanctior suo pallore appareat, ad fucum quædam novo artificio sic committit industriosus hypocrita, & succum croceum tetrarum herbarum, quo se omni mane perungit, exprimit intincturus. Hunc sequitur Paulus Lelli, verus Lello, canus canis, qui nuper certorum versuum rudem struem inaniter latrando composuit, quam velut stipulam irarum suarum face incendens, quemdam benemeritum correctorem erroris, invectionum suarum flammis conatus est exurere. Stat & minax cerberus dicti errorii rapæ janitor, Rutgherus Balhorii, qui semper latrat, gannit, mugit, grunnit, aut ululat mordentium adinstar bestiarum, cujus fauces semper hiantes nequaquam clauduntur, nisi ingentis auri copiis & munusculis pretiosis. Hic est ille, inquam, * Balhordus, cui hodie serviunt erraticæ claves ecclesiæ, adeo quod numquam, nisi eo jubente, paradisum claudunt aut referant: cui strenue, ut ipse dicit, militat ensis cæsaris, & duplex monarchiæ principatus ab ipso eorum reginis profuse capiunt documenta. O ridiculum! jam enim solus, cui creditur, magister est in Israel, summus interpres legum & canonum, dicitque sine socio quid juris in materia fidei amborum testamentorum Dei potens, veteris videlicet & novi. Ipse est omnium gerendorum maximus arbiter, cujus ex sententia in hac tempestate omnes pendent leges & prophetæ; qui etiam nunc antiquo adhæret Augusto, nunc novo; nunc Wenceslao, nunc Ruperto; nunc neutri, sed rapæ exorio hosti utriusque imperii, quasi

* Bartholdus.

arans in bove & in aſino, contra doctrinam Ariſtotelis nititur in eodem demonſtrationis genere articulum demonſtrare. Huic officio junctus eſt Petrus de Bruxellis, de Pariſienſi villa veniens, ex vico Scraminum, xv. peralentos & quatuor anteriores modos ſyllogiſmorum primæ figuræ in ſcarcello ſuo ſecum apportavit, non minus doctus, quam olim Amphitrionis comes Geta ſophiſmatibus onuſtatus, dum repatriat ab Athenis. Poſt hunc quidem quinque capitum Petrus Paulus, qui multarum ſcientiarum gloriatur titulis, aut omnino divinus aut omnino doctor indoctus. Eſt & quidam gibboſus Matthæus de Strata notarius, geſtans multa inſtrumenta plena verborum crudiculis, obmiſſas veritates & nugas appoſitas continentia; & ut ponam aliquos de gradu infimo, eſt & ibi Angelectus Romanus, homo vulgaris ſenſu & pluricapitis, qui merito ſibi *Kirchhof* beneficia... collegium & officia Corteſanorum privatorum.

6. Sequitur nunc ordo ſacer nepotum ſæcularium, inter quos primum locum obtinet ſtrenuus ille PAULUS CORRARII, ſuperbiæ faſtu nihil differens a principe, protector terrarum eccleſiæ ſpectabilis, cujus in brachio ſita eſt ſalus illius providi pontificis. Hic novit melius dejectus in terram ſe ſui volutare equi ſub pedibus, quam in adverſantem dirigere militem. Frater hujus Franciſcus inclytus de ſua ſtrenuitatis audacia nequaquam ſperare poterit linguam, hiſtoriæ ſeriem, aut memoriam annalis recitandæ. Marcus furore turbidus, indignatione ſua timidus, minotaurum, aut cornutam chimeram ſeſe animo ferens, latrocinando prælatorum bona occupat, ſi pondus militaris loricæ ſufferre poterit, prædo indubitatus efficietur in poſterum. Ultimus Franciſcus Agnus Dei cognominatus, verus bubulcus de Valle-Joſaphat, incircumciſus ruſticus, clavam nodoſam geſtans in manibus, plagas minatur & verbera. Succedit eliminanda & exſtirpanda ſtolida multitudo hypocritarum & Fratricellorum, vulgus ſine nomine, conſpirationis ſuæ, qua ruina fidei petitur, conſtitutum optimi patris errorii ſub ducatu, læte tumultuans, incrementum in quotidiana accreſcentia capit, & novo exultat principe.

7. Ecce igitur, Pater beatiſſime, turma quæ illum erroneum ſequitur. Ecce conſiliarios circumſpectione laudabiles. Ecce illius collegium, poſſum dicere, tale quale Sardanapallo effeminato Aſſyriorum regi legimus aſtitiſſe. Ipſe autem, ut ceteros dignitate, ſic morum ſuorum turpitudine & vitæ purificatæ utique antecedit, & a prima ineunte ætate ſuperſtitionibus perverſis circumvolutus, ut fama communis eſt, ſemel de hæreſi convictus, latæ ſententiæ pœnas, niſi corrigendæ vitæ pœnitentiam aſſumſiſſet, nequaquam poterat evaſiſſe. Item fama eſt etiam, eo exiſtente patriarcha, ſæpe collegiſſe plures Fratricellos, qui coram eo in modum choreæ ſalientes, neſcio quid ſuæ ignotum religionis myſterium præcedentes, ipſum inter carmina quæ canebant, nomine ſuo crebre vocitabant: Angele, Angele geminantes. At ille alta ſede compoſitus membris, ſenſu illapſus in extaſim, ut quondam Apoſtolus, ſe raptum mendoſo apparatu figurabat, quem illi læto clamore inſequentes, Rapitur, Rapitur, immo raptus eſt Angelus ſaltando proclamabant. Hæc quamvis ſemiocculta ſint, tamen comperta pro veriſſimis habeo, etiam falſius illum & fictitius Petri cathedram ſuo dehoneſtaſſe aſſenſu. Item hic poſt aſſumtum officium, nihil niſi privationibus & tranſlationibus optimorum quorumlibet inſtitit, omniaque quæ alicujus offenſionis, deſolationiſve, aut demolationis, ſeu deſtructionis aliquam ſpem præ ſe ferunt, mira cum voluptate ſemper exercuit & exercet. O quot noctes duxit inſomnes, ut modos inveniret, quibus bona eccleſiæ poſſet dare aut perdere! Quot hodie agit vigilias, ut reliquiæ illorum bonorum, ſi quæ ſunt, ſine ſpe recuperationis amittantur? & quaſi ſuo ſucceſſori mandans, agit ex induſtria, ut ad illum de his quæ pro conſervatione ſpiritualium addita ſunt præſidiis, nihil valeat pervenire. Nec minori cura aut ſtudio fatigatus eſt, antequam efficeret ut omnia ſpiritualia pro ludibrio, pro vilipendio haberentur; pro quo efficiendo tot ſine ratione commutationes, tot ſine cauſa privationum, tot ſine ordine excommunicationum ſunt ab eo ſententiæ fulminatæ, totiens etiam pontificalis mucro luxurians, injuſteque vires ſuæ violentiæ examinans, non ut debuit, ſed ut libuit, ſævitias ſuas exercuit in capita ſubditorum, totiens etiam reſumta ſemel & iterum ſpreta cenſura, ita ut omnino illa nulla ſit relicta effigies læſionis.

8. Nunc, Pater ſancte, minora recitata ſunt; quæ jam ſequuntur ſui ſcandali malo præponderant, piarum mentium conſcientias ſuo errore adeo vulnerantes, ut ſimul doctos & indoctos mira perturbatione confundant. Inclina ergo aurem tuam mihi, Domine. Attendite, patres conſcripti ceteri. Audite cœli quæ nunc loquar. Hic qui ſe ſummum audet nominare pontificem, heu! perjurus effectus, graviorum minorumque morum ſolemne violavit jusjurandi ſacramentum. Idem qui ſe Petri ſucceſſorem fore contendit, dum vota & promiſſiones æquo contemtu calcat, ſe probat eſſe & demonſtrat lapidem offenſionis & petram ſcandali. Nam ſuo hoc magnæ auctoritatis perjurio, per orbem omnes gentes perjurare docuit, & ſua fallacia ſimilium fallaciarum fabricandi tradidit documenta. Nam quod a prælatis agitur, factum a ſubditis trahitur in exemplum. Eloquarne an ſileam? Hic homo viam

ceſſionis quam canones approbant, quam ipſammet laudatam prius acceptaverat, quam tamquam unici hujus morbi medicam, fratrum ſuorum S. R. E. cardinalium concio amplexa eſt, auſus eſt polluto ore tamquam viam diabolicam, viam periculoſam, viam iniquiſſimam publica ſua in audientia damnare. Ecce etiam quomodo devotionem ſubſannat, & de cultu orationum truſatur, & ſancta jejunia & peregrinationes & eleemoſynas illudit, cum ipſe indicit populis jejunare & peregrinari, ut Deus placatus donet unionem, quam ipſe odit non minus quam hoſtem capitalem, pro qua etiam impedienda a cacodæmonibus, ab incantatoribus & ſortilegis auxilia implorat & expoſcit. Prima ætas numquam vidit ſimilia, noſtra jam exſecratur & deplorat, futura debitis irarum & reprehenſionum munimentis proſequetur. His etiam ſcelerum notis labefactatus, quæ coinquinatis manibus tangi prohibentur, ſacris ceremoniis auſu ſacrilego ſe immiſcet, & homo ſcandaloſus & notorius criminoſus divina tractat, immo potius prophanat, & quod ſummo horrore exprimo, miſſarum ſolemnia etiam coram populo, de cujus interitu cogitat, benedicit.

9. Quapropter, pater beatiſſime, eadem gens attrita, & jam triginta annis lacerata dicti ſchiſmatis diſturbio, ad ſanctitatis veſtræ pedes humiliter provoluta, ſibi contra dictorum pertinaciter agentium duritiem competentibus remediis ſupplicat provideri, & quoad hoc officium veſtrum nobiliter implorando, ut quandoque veſtra eccleſia, quam tam pretioſiſſimo pretio in unitate, ut præmiſſum eſt, fidei fundaſti, liberata funeſtiſſimæ peſtis a malo, ad ſanitatem ſalutiferæ unionis perducat. Ad cujus rei promtiorem expeditionem, hos duos reverendiſſimos patres & dominos, dominos A. Oſtienſem epiſcopum, & Jo. Leodienſem diaconum, ſanctæ veſtræ eccleſiæ diaconum, cardinales ambaſſiata ſolemni ad pedes ſanctitatis veſtræ tranſmiſit, tamquam veſtri officii inſtigatores, quibus rogat, uti eorum verbis veluti propriis dictis fidem dignemini credulam adhibere. Sed jam ad propoſitionem meam revertar. Nam per Gregorium ſi longiora hæc peſtis prorogetur in tempora, actum erit de ſtatu illorum temporum, omneſque ſimul perirent. quos ne pereant, vis ſanguine proprio mercatu, & numquam in tanta quaſſatio, cujus impulſu veſtro ſacro in palatio vel viſu vel auditu perceptа eſt. Jam inde ſancti apoſtoli metu trepidant, dum ſedes ſuas in terris ſuo conſecratas cruore roſeo, ad manus prophanas ſacrilegorum veriſſime perſpiciunt eſſe venturas. Video & titubatione pallere martyres, qui pro noſtra fide igne læſi, ferro cæſi, pertulerunt plurima, cum nunc illam præcedentibus ſignis cernunt inire lineam eclipticam, amiſſuram ſui luminis claritatem. Simili metu video doctores concuti, qui tam ſæpe ſaucibus hæreticorum ſuis fructiferis laboribus fidem eruerunt, eam conſpicientes hypocritaram & Fratricellarum præſtigiis adulteratam, nulloque aut difficili conſilii remedio, vel eorum traditis doctrinis poſſe de manibus prædictorum extrahere. Inde pia etiam lamentatione ingemiſcunt, nec confeſſorum, ſanctarum viduarum aut virginum mentes a pavore tutæ ſunt, cum deſiderant fidem, ſpem & caritatem, & alias virtutes ſanctiſſimas, quarum fuerunt exemplares imagines ſuæ vitæ ſpeculo, nunc fictionum & ſimulationum obumbrari caligine. Quid ultra proponendo, quod numquam retroactis temporibus tam peregrina mœſtitia hæc loca lætitiæ plena ſuis gemitibus introivit? quia ego generaliter conſpicio omnes hos patres ſimul compunctione condolentes, cum aperte percipiunt plantationem veſtram illam dominicam tanta duorum colluſione prophanari.

10. O Pater optime, Rector potens, & Dominator clementiſſime, jam miſeras reſpice terras, cerne tuam Romam, quæ facta velut vidua, ſparſa canitie, amicta amaritudine, ſedens Aleph aleph ingeminat. En tua Italia, en tua Germania, en tua Anglia, en Galliæ trina diviſio, ſuis gravatæ matris Romæ lacrymis aguntur æquo participio: nec vanus aut ſimulatus dolor, immo cauſa ſui doloris ſuperior vix æquis lamentis poteſt a quoquam deplorari. Non enim latet S. V. quod inter omnes plagas laceras, quibus fides orthodoxa, per quam S. V. in terris a mortalibus devota pietate colitur, nunc exortorum, nunc eorum qui proprii & amici dicuntur dolorum ingentium flagellis afficitur, illa non minima eſt, immo maxima, quam ſua violentia infert ſchiſmatica manus, quæ ibi ſe in ictibus ſuis continuat, ubi cum per longa curricula crudelitate ſua non langueſcit, errores varios ſuſcitat, hæreſes damnabiles procreat, & auctores ſuos de articulis ſanæ fidei inſane ſentire inſtruit & informat. Nam licet ſchiſma in initio ab hæreſi colore & facie differat; dum tamen vergit in ſenium, hæreſis ſpeciem induit & naturam. Quid autem in eccleſia veſtra hæreſi perniciosius, quid lethalius? nam quidquid hæreſis plaga incutit, immedicabile vulnus eſt, ipſiuſque ſupergreſſio irreparabilis eſt jactura, maxime ſi caput aggreſſa, illud occupat, non dubium inferiora membra faciliter invaſura. Hæc eſt enim illa contagioſa lepra, quam ſacra de Spiritu veſtro procedens ſcriptura, ſua auctoritate, immo veſtra eliminandam fore quam cito præcipit. quam eodem Spiritu per ora ſanctorum patrum divinitus promulgati ſacri canones, pœnis cumulatis diſtringunt, quam etiam legum digniſſimæ ſanctiones, non minorem ducentes auctoritatis originem ferro proſe-

locus corruptus.

quuntur & igne, quæ ubi largiori graditur licentia, omnia ſecum rapit, omnia more mundantis diluvii necat, & in præcipitium exutos mentibus homines propter truncata cadavera in pelagus damnationis ſecum trahit.

11. Cum igitur, pater beatiſſime, hi duo videlicet BENEDICTUS & errorius illo pertinacior, manus ſuas in hanc plagam inferendam jam extenderunt, ut puta illi qui annoſum & inveteratum ſchiſma nutriunt, qui etiam dum regnandi cupiditate rapiuntur, de perpetuatione illius, quod ultimo non feciſſent, inſerto conſilium & conſternationem miſerorum receperunt, in quo adeo pertinaciter perſiſtentes eſſe conſpiciuntur, ut juxta cujuſdam doctoris ſententiam, potiores ſint mori quam corrigi. ſicque ut ſtabiliantur throni eorum, de ſubverſione ſtabilimenti eccleſiæ in dies ſine manumiſſione diſponunt. ſicque ut ſtabiliantur ſive infamia chriſtianæ religionis totam maſſam percuſſerunt. Quapropter ex parte dictæ petimus ut ſuccurrant genti humillimæ, quatenus ſanctitas veſtra eam & eas quas movet & movere intendit contra dictos duos malefactores & homines malorum conditionum, venerabili & circumſpecto viro veſtri palatii auditori committere dignetur; qui ſi narrata vera eſſe conſpexerit, ad æternam damnationem, illorum damnatione poſtpoſita, procedat, illoſque ineptos fore pronunciet, qua ſolum electi fruuntur, veſtra beatifica viſione, pronunciet quod & pro exſecutione maleficiorum Belzebuth ligatis manibus & pedibus de diſcumbentium conſortio ejecti in exteriores tenebras detrudantur. Et quia guerras, diſſentiones, ſimultates diligunt, relegentur in perpetuum exſilium in ſilvas deſertas, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, ut ſint in altercationibus dæmonum, qui hominibus tranquillitatem poſcentibus, cum potuiſſent, donare renuerunt. Item, quod S. V. mander dicto auditori, ut etiam eam gentem interim & ante omnia ad quaſi poſſeſſionem, in qua etiam veſtra devotione & corporali introductione ſemper ante hæc tempora fuerunt, reſtituat & reponat. Rem juſtam, Pater ſancte, petunt, pacem repetunt, quam eis datam a vobis recolunt in loco ubi dicitis, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Jure igitur petunt quod eorum tam juſtæ donationis titulo ceſſit dominio. Injuſtum igitur eſſet, ut loquar cum veſtra gratia, cum poſſitis illam reſtituere, petentibus denegare. Item, quod ad ſtatim inhibeat, ne dicti duo agentes de quacumque juriſdictione aut adminiſtratione temporalium aut ſpiritualium ſe aliqualiter intromittant, eis etiam quolibet alienationis genere interdicto, & hoc ſub pœnis in jure expreſſis, & aliis multis arbitrariis, quas ipſo facto incurrant, juxta neceſſitatis indigentiam & facti imminentis opportunitatem, & cum poteſtate citandi illos duos perſonaliter, & per edictum in locis vicinis, quia ille tyrannus errorius non poteſt tute adiri, ut putà ille qui eos qui jura ſua proſequuntur, ſeu qui jura ſua appellationum remediis tutantur, incarcerat & injuſte caſtigat. Et ſi placeat, & ut placeat ex parte illorum pro quibus proponitur, rogo, ſic peremtorie ad feſtum Omnium-ſanctorum proximum inſtans, alias vero omnino perſonaliter & legitime, non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque. Sic fine facto advocatus ille quievit.

12. Statim quidem alius pater, utique honorandus vir, nomine procurator fiſcalis, quia audiverat quod de jure principis luculenter dictum fuerat, narrata & petita per dominum advocatum fieri inſtanter, inſtantius, inſtantiſſime exoravit. quæ omnia juxta petitionis ordinem a judice judicante fuerunt conceſſa & ſignata; ſuper quibus omnibus conceſſis idem procurator a ſcribis & protonotariis ſedis apoſtolicæ, quorum unus Lucas, alter Marcus vocabantur, ſibi fieri petiit publicum inſtrumentum.

13. Surrexit demum ſummus ille & æternus Pontifex, & in cameram paramenti, ſequentibus cardinalibus, ſe recepit. Reliqui vero patres glorioſi INNOCENTIUS Oſtienſis, GUILLELMUS & reliqui cauſarum auditores nos comiter receptos ſuis procurandos & blandis collocutionibus per aliquod temporis ſpatium detinuerunt. Venit etiam ad nos quondam Tudertinæ eccleſiæ præſul GUILLELMUS vir optimus. Hic factus notarius palatii, mira noſtro adventu exhilaratus lætitia, poſt longas reſponſiones interrogationeſque hinc inde habitas, nobis tractis ſecretiorem in partem, quæ ipſe dum cœlum aſcenderet, caſu ductus ſuper aſtra, in viam viderat, enarravit ſequenti ordine ſumens initium ſic cœpit: Cum nuper in civitate Piſarum vita mortali excederem, dubito an fortuna an fatis ſic ducentibus, viam incidi qua ducuntur mortiferi Acherontis ad antrum, & ecce dæmonum animarumque obrutarum miſeris prævalidæ legiones adventabant, ſtatim, ut Maro ait, mihi riguere comæ & vox faucibus adhæſit. Hæſi & ego totus, intraxiſſemque pedem, niſi a quodam mihi admodum noto, qui aderat, detentus fuiſſem. Et ecce quadrigam imminentis ſaturæ conſpicio, in qua videlicet flammas ignea cathedra in alto quaſi pendens rutilabat. . . . .

. . . . . .

capiti vero ſedis titulus legebatur inſculptus: Errorius hypocrita, pater patrum hæreticorum omnium. Erat etiam hæc cathedra locata quatuor ſuper draconum flammantium tergoribus, quorum in eſcam, ut ab eo qui mecum ſtabat edoctus, dicti deſtinati ſunt quatuor carpidinales, Antonius videlicet,

Gabriel, eorum quidam Empidonæ medicus, & frater monachus Dominici. Stabant etiam duo miniſtri hinc & inde ipſius cathedræ ad latera : circa, pontificis indumenta geſtantes, unus videlicet Raguſinus mitram plumbo gravem, alter de Viterbia divinitus ſandalia nigra de pice tenacia. Jacebant & ibi coram caſula taurorum de corio, cujus fœtorem horrens non exprimo, & ſtolæ depictæ tabulæ in modum catenarum præapta ligamina, & ne ſingula reticeam, jacebat & ibi iniqua plenitudo tempeſtatis, deſignabatur de materia tonitrui & fulminis compoſita quædam myſticæ ſignificationis res ad inſtar pallii ſancti Petri. Auriga ſeu vector quadrigæ octo ante ſe agitabat frenatos cæſares, primitivæ eccleſiæ perſecutores, qui currum trahentes, nimia fatigatione laſſati, ilia multiplice pulſabant anhelitu, crebro ſpirantes fumum nebuloſum ; inter quos inſigniores primi Nero & Julianus Apoſtata, deinde Decius, Domicianus, poſt hos Diocletianus cum Maximiano ſocio, demum Valerianus & Gaius Gallicula. Sed & ruebant per campos ſceleratæ, nullo autem ſervato ordine, phalanges. O.o. quanta monſtruoſa rerum ibi fuit facies ! monſtrum inſedentes ingenti boatu & blaterationis ſuſurratione deſcriptum currum antecedebant, quilibet a ſingulari vultu, a rebus quæ partu genuit natura ſiniſtre formam & ſpeciem mutans, recepturi illum cujus erat cathedra ; eorum videlicet principes expectabant, habentes ſinguli vexillas in manibus armorum ut in ſpatio deſignatæ ſunt impreſſione depictas. Hæc multitudo hæreticorum turmæ fuerunt, inter quos primus fuit Arrius, quem ſequebatur Macedonius, & illum Manichæus, quem Jovinianus, deinde Eutiches, ſic Neſtorius, ſic Sabellianus, ſic Elundianus, ſic & alii quam plures vocati ſuis nominibus. Illic etiam Paterini, Cathari, Speraniſtæ, Jeſnani, Apoſtolici Anglici, Priſcianiſtæ, Ebionitæ, Acephalitæ, Begardi, & Lollardi, Prædicatrices Baginæ, de montibus exiſtentes Montani, & lata multitudo, quorum aliqui Patris ab aliarum perſonarum eſſentia diverſificabant ſubſtantiam, aliqui Filium corpus induiſſe phantaſticum phantaſiabantur, ſomniatores improbi, & phantaſmata maledicta aliqui vendentes perſonas alias Spiritui-ſancto, quem Deum eſſe negabant, de perfectione numero ſubducebant. Aliqui ignari ſimiles arithmeticis, multiplicationis errantes in calculo, determinabant, quaternarium fabricabant ; ſed illorum errores adjecti & commenſurati erroribus erorii, eſſe parvi & modici comprobantur, qui datus in ſenſum reprobum, nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum-ſanctum, nec Trinitatem, nec unitatem, ſed neque Deum credit aliquem eſſe in rerum natura, & quicquid ſacra pagina docet, paganicum putat, & ſimile aliquid fabulis barbarorum aut vanis ſomniis Pharaonis. Et a fundamento fidei incipiens, quod ab unitate ſumſit exordium, jam contra ipſam unitatem diffinitam tulit ſententiam, & illi perpetuum imponere ſilentium totis viribus machinatur. Similiter etiam & per ſingulas partes transfigens, lapides ſanctuarii Dei diſpergit, civitatis munitæ muros perrumpit, & turrim militantis eccleſiæ in terram projicere jam incœpit, adeoque furor ſuus ſupergreſſus eſt, ut omnem ſtatum eccleſiaſticum contritum & redactum in pulverem, conetur in propriæ ruinæ cineres ſepelire.

14. Currum autem ſupradictum ſequebantur Urbanus VI. & Clemens VII. qui habebant æqualia cervorum quilibet duo cornua in frontibus. Eadem etiam eis erat extenſa & monſtruoſa moles corporis, quorum in ſuperficiebus horrendas ſetas per omnia pariles habuere. Habebant & caudas incompoſitas ambo veluti aſini de poſterioribus dependentes : quorum etiam roſtra narium erant non aliter diſpoſita, quam elephantum proboſcides, aprorum minaces dentes. Heu, heu ! infelices facti quadrupedes incedebant ſufferrati, & a multitudine quæ ad videndum circumcirca confluebant, demonſtrabantur digitis deriſivis, ſicque ad uſum reſervantur hodie & per cuncta ſæculorum ſæcula ſpectaculi gentibus miſerandi. Quorum ſtatim poſt veſtigia ibant Pelagiani, qui liberum arbitrium divinæ gratiæ anteponunt, dicentes ſufficere voluntatem ſine opere ad implenda juſſa divina : quam opinionem per omnia nimium veneratur Errorius. Ultimo ibant Waldenſium cohortes, qui neſcio quam perfectionem ſomniantes, ſe illa adepta credebant hac in vita quaſcumque difformitates actuum committendo, immunes fore a peccatis, & ſic impeccabiles fieri. Hujus autem mundi tot difformia imprudenter contendebant hi novi duces foventes opinionem ſuam, cum ingenti tumultuatione præſtolabantur adventum. Sic etiam ibant alii poſt alios : omnium tamen ſola & unica erat intentio ducem futurum Errorium hypocritam, patrem patrum hæreticorum omnium, cum corpore & anima concomitari uſque ad intrinſecas clauſuras infernorum. Quibus ego Willelmus Tudertinus auditis & viſis, loca infauſta deſerui, meliorem viam reperi, hunc in locum, ut cernitis, angelo ducente, introivi. Sic ipſe quievit, & petita licentia abiit, de noſtro adventu, ut ipſe dicebat, nimium conſolatus. Altero autem die iterum vocati per nuncios magnos, Dei ad conſpectum iterum acceſſimus, receptique ad ſecretiorem cameram, ubi reſidebat inter majores ſuæ curiæ, veneranda ſuperis lumina fuimus intuiti, & quod plus fuit, labiorum noſtrorum oſculis dextram tetigimus, mundi Redemtorem collaudantem etiam vocem Verbi, quod cuncta creavit, in j.....

noſtra audivimus perorantem. O amici noſtri, inquit, duos veſtros cohæredes intuemini, congaudete congaudentibus, congratulamini eis, congratulamini, quia omnino noſtro in conſortio ſunt manſuri. Hi ſunt viri fortes in prælio, qui hoſtis noſtri Errorii calumniam frivola multa conantem, quantum vires dabant, ſua reſiſtentia repudiarunt, qui nec minis illius ceſſerunt nec blanditiis, qui numquam manus ſemel miſſas ad aratrum, operis ſcilicet unionis, retraxerunt, ut retro reſpicerent, nec umquam illud deſeruerunt in tempore opportuno. Quare vos duos, fratres & amici noſtri, has coronas jocunditatis & lætitiæ, quas repromiſimus vigilantibus & ambulantibus in viis noſtris, accipite, & introite in conſpectu noſtro in exultatione, introite in gaudium Domini veſtri. Videte hac in aula ſacri pueri matris incendia, quæ variantur per diverſa opera ac multiplices gratias. Ite nunc cœli cives in templo noſtri palatii. Ite per ſydera. Venite felices, quibus omnis fortuna proacta eſt, in vobis omnino manſura eſt vita æterna & indefinens, quia cunctos beatos beat nunc fruitio Deitatis, amen. Sancti omnes vobis optant longanimitatem, magnarum rerum veſtrarum proceſſibus conſtantiam, & pro ſalutatione æternum vale; & illud Virgilianum ſemper habere præ oculis: *Tu ne cede malis, ſed eo audacior ito, quo te, non ut ipſe dicit, fortuna, ſed Deus vocat.* Et illud Lucani: *Succeſſus vigere veſtros inſtare ſemel illi* quo vobis hodie militat mundus & æther. Datum in conſpectu Altiſſimi, qui nec loco nec tempore menſuratur, ante cujus oculos mille anni tamquam dies heſterna quæ præteriit.

15. Tertia die vidimus ibi INNOCENTIUM VII. pauperem nimis & pannoſa veſte ſemicontectum, cui plurima canicies inculta jacebat. Virgiliani Catonis ad morem, Heu! heu! qualis erat, quantum mutatus ab illo Innocentio, quem nuper in mundo viventem quaſi divinum ſæpe fuimus venerati. Lurida enim erat facie miſerabili, & per omnia talis qualis ab Apuleio deſcribitur Socrates, e peregrinatione repertus. Virgam etiam citatoriam geſtabat in manibus, uno pede claudus, ille in palatio factus curſor more epulonis, cortheſanorum menſas viſitabat & tabernas, ita in cœlo habitans, ut extra illud ſua melior foret conditio. Qui poſtquam nos aſpexit, præ pudore avertit faciem, & a tergo reſpiciens, alta voce, Hunc ſtatum patior exclamavit, eo quod duorum cardinalium creator fui, videlicet Angeli Corrarii & Tudertini, quos creaſſe me pœnitet, mundus odit, cœlum damnat, & tota rerum natura execratur. Sic ille illacrymans, ut latere poterat, ſecretiora in loca ſe recepit. Quarta vero die ab hac ſcriptura & ab omni opere quievimus, juſſu illius, qui eſt bonorum laborum omnium vera quies. Sigillis pro nunc non utimur, quia bona fides hac in patria exuberat, omnemque defectum Michaëlis archangeli præſentium latoris ſupplebit auctoritas veneranda.

QUARKEMBOLDUS pauperum vicecancellarius.

EPISTOLA P. R. M. V.

doctorum, ut ſuſpicor, Pariſienſium, ad Petrum Meldenſem epiſcopum regis Francorum ad eccleſiæ reintegrationem procurandam legatum.

Prolixiorem epiſtolam nomine eccleſiæ dirigendam Benedicto & Gregorio mittunt, eam ut emendet, ſi videbitur.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri Domini JESU CHRISTI. Amen. Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

1. Patri & domino per omnia reverendo domino PETRO Meldenſi epiſcopo, ſereniſſimi regis Francorum ad ſanctæ matris eccleſiæ reintegrationem procurandam ſolemniſſimo ambaxiatori deputato, gaudium, ſalutem & pacem in eo qui diſcipulis ſuis dona caritatis infudit, & ab incœptis non diſcedere, uſquequo de filiis diſperſis in unitate gaudeat, ipſa matre eccleſia Dei ſponſa luſtris ſex de tempore moderno jam peractis, ob crudelem ambitionem filiorum hominum ſchiſmatica labe ſuborta dum fraudator pacis qui pro deſi.. no.. novit, fraudulenter in mundo ſeminavit zizaniam, ſicque fere omnes Chriſtiani ab unitate, proh dolor! ſegregati ſunt huc & illuc. Nos veſtri humiles & devoti ſicut placuit majeſtati divinæ ſic remanentes abſque ſummo pontifice . . . . . ex poſt fuit quæſtio damnabilis unde mala quaſi inæſtimabilia proceſſerunt, uſque nunc viximus in CHRISTO JESU Domino noſtro futurorum bonorum auctore, glorioſo pontifice, vero capite, & ſponſo eccleſiæ, præcepta ejus licet peccatores, ut minus male potuimus, obſervantes. Nunc vero attentis his quæ nuper divulgata fuere per mundum, ad pacem Chriſti fidelium & concordiam bonam præparatoria in Domino ſperabamus firmiter quod ſub unico paſtore congregaremur univerſi, & quod pax generalis corda omnium tranquillaret. Et ecce cauſantibus malitiis hominum turbatio major, quia prout dolentes & anxii nuper audivimus, ho . . . . . diſcuſſione agendorum accurrens, ſic in puſillanimes rei . . . . . quod a tractatu receſſum eſt tanti boni ac ſacratiſſimæ unionis . . . . . tunc omnino ſublata. Verum pater & domine reverende, nobis . . . . . ab imo pectoris ingemiſcentibus nova quidam attulit . . . . . aliam tribuens ad congruum remedium tantæ rei male . . . . . actitate, ſcilicet quod domini

utriuſque

utriuſque obedientiæ quorum dominationes . . . . . obfuſcati pro tanto bono convenire, ut promiſerant, noluerint . . . . . per gratiam Dei collegium unum unius propoſiti univerſ . . . . . negotium eccleſiæ viriliter deducendum, & quod laborant . . . . . inceſſanter. Quod quidem a Spiritu ſancto revera . . . . . aperta eſt via concilii generalis per eos congrega . . . . . per quam facilius ac tutius valde poterimus . . . . . deſideratum gaudium pervenire. Proinde gratias . . . . . clementiæ quas poſſumus, non quas debemus humiliter . . . . . vera conſtantia & caritate divina firmati nunc . . . . . a ſancto opere jam inchoato diſcedant. Hoc enim facere po . . . . . tenentur ipſi glorioſi domini ſic uniti, poſtquam ſui c . . . . . conſulti ut bene agant intelligere nolunt aut numquam eru . . . . . de tempore noſtro. Damnabile enim eſſet & inexpiabile nimis . . . . . duos complices mundus ſtaret in errore, & nequitiæ amborum i . . . . . protraherentur. Et quia veſtræ P. affectus plurimum . . . ordiale . . . . . per fide dignos intelleximus pro hujuſmodi cauſa continue laboravit, ſemper intentus ac ſollicitus, quod res ipſa deducatur ad effectum, eidem paternitati mittimus ſcripta ſequentia, moti zelo fervidæ caritatis, non audacia præſumtiva, ut reſecatis, additis, mutatiſve quæ veſtræ reverentiæ ac circumſpectioni, cum maturo conſilio uniacius, utilius & melius videbuntur, copiam eorum dignemini cum veſtris caritativis litteris ambobus dominis celeriter deſtinare . . . . e corde compuncti malis inſtantibus ac periculis obviantes redire . . . . . nt ad tramitem concilii ac propoſiti ſanioris. Multum nempe afferet . . . . . peragendo, ſi per ſe aut per procuratores cum ſufficienti mandato adeſſe vellent in futuro generali concilio, ea quæ promiſerunt ſolemniter impleturi. Sicque per hoc medium placarentur omnia, & infinita mala vitarentur. Quod ſi non profint ipſa ſcripta ob illorum duritiam, tamen obeſſe non poterunt, Domino concedente, qui paternitatem veſtram nobis caram dirigere, regere & protegere dignetur ad ſui laudem & gloriam, votivum cauſæ . . . complementum veſtrique ſalutem cum honoris & gratiæ felicibus incrementis. Amen. . . . . communi deliberatione . . . . . oppreſſo eorum qui durante . . . . . undi nequitia neutri . . . . . de papatu adhæſerunt, ... colatu degentes per eamdem P. reverendam bene moti

Sodales quatuor { P. & R. / M. & V. } veſtri oratores.

. . . . . alis ad ambos dominos qui ſe dicunt fore papas, ut . . . . . qualiter ordo apponatur ut fiat pax eccleſiæ catholicæ . . . . . illos tripliciter inducens, videlicet objurgative . . . . . ul in primis ſigillatim circa medium ac . . . . . ſecundo blande commonendo eos cum terroribus . . . . . bis & poſtmodum obſecrando & exhortando illos . . . . . .

2. Summi paſtoris Jesu Christi ſponſa mater eccleſia duobus preſbyteris ſenibus Petro & Angelo, alias per multos Benedicto & Gregorio nominatis, vane concertantibus, quis amborum mei dilecti vices gerens, caput omnium debeat eſſe in terris, ſpiritum ſanioris conſilii, ad ea quæ pacis tranquillæ ſunt, & unionis fidelium ſub paſtore unico totis viribus procuranda riteque peragenda.

3. Poſt deſolationis antiquæ reparationem mirificam, in ſacro ſanguine piiſſimi agni ſine macula, Filii Dei benedicti, qui veteris piaculi ſolvens noxam, deſuper abundanti gratia me ſibi in ſponſam myſtice copulavit; poſt fidei orthodoxæ plantationem glorioſam in Dominico agro per ſanctos apoſtolos & ſucceſſores eorum, ceteroſque patres reverendiſſimos, qui, virtute Dei cooperante, mundum illuminarunt doctrinis, meritis & exemplis; quid per eos inimicos & æmulos huic ſacræ fidei plurimum invidentes, fere cunctis nationibus orbis ex adverſo contigerit, quid poſtmodum in Græcia aliiſque regionibus circumvicinis totius Orientis, pro malo regimine illorum qui fidem ipſam aſtruere, ampliare, extollere & nutrire debebant, miſerabiliter acciderit; quid vero per multos annos poſt, invaleſcente humana ferocitate, in urbe Romana frequenter advenerit, ubi tot ſchiſmata in detrimentum fidei compacta fuere, demumque ibi domino Gregorio XI. vocato ad gloriam, uti placuit ſuo creatori, quid in eadem urbe, nedum per filios impios doloroſe contigerit, immo, quod moleſtius fero, & per nonnullos eorum qui baſes & columnæ domus Dei fuerant conſtituti, quique non ibi tantummodo, ſed etiam ubique terrarum facti ſunt mihi in opprobrium, trahentes funiculos vanitatis hinc inde cum impiis deſideriis ſuis, inturgenteſque aſtutiis, iniquitatibus & malitiis adinventis, necnon plebem Dei, quantum in eis eſt, ſuis malis exemplis deſtruentes. Noviſſime autem quid in Dei offenſam & grave ſcandalum omnium, vos duo preſbyteri ſenes diebus in veſtris feceritis, conſternata mente, lugubri facie, vultuque immutato cum amaritudine cordis rememorans, triſtis, gemens & anxia, pene doloribus afflicta ſuccumberem, ni confiſa piiſſimæ veritatis alloquio, dum oravit ad Patrem, ne fides intra me deficeret, militando hic in via miſericorditer ſublevarer.

4. Ad vos igitur duos ſenes, quos dolen-

ter inſpicio donis & gratiis divinis plus ceteris abuti, in religionis Chriſtianæ vilipendium & opprobrium ſempiternum ſtatus veſtri, mala & damna quæ perpetrantur occaſione amborum, & cordium veſtrorum malitias nequaquam ultra diſſimulans, perurget ſtimulus caritatis in hæc verba prorumpere, dicens cum propheta: *Filii hominum uſque quo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Plaſmator hominis Deus æternus, pie condolens humanis miſeriis, filium proprium ſub velamine carnis dedit hominibus, ut faciens mirabiliter utraque unum, eos qui diſperſi erant congregaret, ſalutem quoque operaretur illis ut bonus paſtor, dirigendo ſcilicet eos benigniter in viam ſalutis & pacis, cum nimium oberrarent; paſcendo eos multipliciter gratiarum ac virtutum odoribus, cum efficacia operis ſanaque doctrina, cum diutius eſurirent; necnon protegendo illos miſericorditer, ne per incuriam evagantes, prædonis antiqui faucibus exponerentur lacerandi, cum a paradiſi deliciis perante longius exularent. Hæc quidem ſunt pietatis officia bonique paſtoris. Nunc vero, filii hominum, quid uſurpatis attendite, quid facitis videte, & de futuris penſate. Stabat olim grex Dominicus in unum, ſub unico paſtore dirigebatur, fovebatur, protegebatur. Invaleſcente autem quorumdam Romanorum nequitia, ſtatim maligno ſpiritu ſeminante zizaniam, grex ipſe tripartitus eſt abuſive, cum duorum veſtrorum prædeceſſorum unus hinc, alter illuc, quantum poſſibile fuit; de grege vero, qui debet eſſe unicus, uniuſque paſtoris, ſubſtraxerunt oviculas fraudulenter, non ut paſcerent illas, ſed mactarent, lanam inde recepturi, parte quadam ſine talium paſtorum regimine, uti Deo placuit, remanente. Quod hæc contraria ſint evidenter operibus Chriſti, nullus ſanæ mentis ignorat. Aggregat nempe bonus paſtor gregem ſuum, illi autem diſperſerunt, dirigendo oves, quantum in eis erat, in viam perditionis & erroris. Sed non erat vox hujuſmodi paſtorum audienda, qui raptores & mercenarii jugulare ſatagebant, non fovere; demumque perdere, non autem defenſare: horum prædeceſſorum veſtrorum inhærentes veſtigiis, cathedras etiam vobis erigere, in eiſdemque ſedere non abhorruiſtis, cum animi benivolentia corpori etiam grata & ſapida veri paſtoris officium lethaliter uſurpando. Et nihilominus cauſam eorum ſponte ſuſcepiſtis in vos, cum intentione bona, quod ſub uno paſtore gregem ipſum, prout neceſſe eſt, colligeretis in unum, ſicut expreſſo interveniente juramento promiſiſtis, & deinde ratificaſtis.

5. Quid autem feceritis ambo ſuper his teſtis eſt vobis conſcientia larga, & Deus ſcrutator animorum teſtis eſt, qui ab alto proſpiciens actus veſtros, & quomodo in lege ſua ambulaſtis, ut pius & miſericors, diſtulit ſententiam, mitigavit furorem, ac peccata veſtra diſſimulans, expectat emendam. Quid inſuper concluſeritis in fine, ut verbis utar Daviticis, ambo ſenes declinaſtis, proh pudor! a via recta, ſancta & electa, per vos conceſſa & approbata, ſimul inutiles facti eſtis, dum ex vobis non eſt qui velit facere tantum bonum, ſicut foret fideles unire in unum. Sed quod damnabilius eſt, rejecto Dei timore, vultis eos poſt dies veſtros in turbatione ac diſperſione manere, non curantes quomodocumque tunc agitentur negotia, dum tamen habeatis medio tempore fructum ventris & gloriam terrenorum. Propterea corrupti & abhominabiles facti, in ſtudiis & malis aſtutiis veſtris proceſſiſtis doloſe ad negotia filiorum bene peragenda, nunc quoque vos habetis execrabilius, cauſam Dei tam doloroſam tamque piam pro rebus tranſitoriis obmittendo. Et bene fauces veſtræ dolo & amaritudine plenæ ſunt, exuberantes mendaciis & colluſionibus, dum pacis viam aperientes, noluiſtis pacem diebus veſtris agnoſcere, nec dare populo Chriſtiano cum poſſetis. Per vos namque duos ſtat, immo per alterum veſtri, ſicut infra dicetur, quominus diviſio Chriſti fidelium ceſſet.

6. Unde hæc vobis, filii hominum lutei, miſerrimi, carnalia ſapientes, quæ Dei ſunt negligentes? Uſquequo gravi corde? Uſquequo depreſſi & aggravati nequitiis & malignitatibus, cum pro mundi gloria ſic Deum offenditis, proximum læditis, voſmet inhonoratis, famam propriam negligitis, ſtatum generis & patriæ vilipenditis, crudeliores effecti ceterorum paſtorum officium velle ſuſcipere, & contraria his quæ tali incumbunt officio perpetrare. Eſt-ne hoc defraudare, eſt-ne hoc uſurpare? Judicet inter gregem diſperſum & vos, qui paſtores hujus vos eſſe fingitis, Paſtor bonus & judex juſtus. Si ejus vicarii ſimul ambo creditis eſſe, cum ambo ſedeatis hinc inde peſtilenter incathedrati, ipſi vos ſeducitis cum adhærentibus vobis in tali opinione damnata. Certe unicum inſtituit loco ſui glorioſus Dominus ſoli Petro dicens, cum ad Patrem vellet aſcendere, *Paſce oves meas*. Dum autem quiſque ex vobis ſe tenet indubie fore ſummum pontificem in parte ſua, quam manifeſtus & intolerabilis error ſit iſte ad perdendas animas, ſi amplius traditionibus veſtris inſerviatur confidenter in hoc & ſibi provideant cuncti: nam ex inſtitutione divina, ſicut Deus unus, fides una, & baptiſma unum eſt; ita gregis Dominici paſtor non poteſt eſſe niſi unus, ſedes una, & collegium unum. Quis ergo ſit paſtor de præſenti, quis erit ille in futurum, pro vero neſcitur. Bene tamen ſcitur abſque dubio, quod ambo ſimul non eſtis ille. Sigillatim etiam bene ſcitur, quod neuter eſt ille, qui ſi unus veſtrum papa foret, officium hujuſmodi vi-

cariatus deberet citius velle dimittere, quam Dei ſponſam, quæ individua eſt, ſic velle manere in ſciſſura; compatiens & lacrymabiliter, ut mater infanti ſuo fecit præſente Salomone, quæ noluit diviſionem parvuli, & ideo finaliter adjudicatus eſt ſibi. Ut autem probationes & alia judicia omittamus de præſenti, hoc etiam manifeſte probatur ex aſſertione & teſtimonio utriuſque, ſcilicet unius ad alterum dicentis: Ego ſum ille, quod eſſe non poteſt, quia dum unus hoc dicit, negat alium hoc eſſe, & econtra. Adhuc quis, ſi foret unicus & indubitatus, nolletque ponere animam ſuam pro ovibus ſuis, non vere B paſtor, ſed mercenarius depravans gregem eſſet merito cenſendus: quanto magis vos duo impudice tenentes quod non licet, repudiantes quoque deſerere, quod veſtrum non eſt, & hoc pro bono pacis Chriſtianorum, quo melius haberi non poteſt, debetis mercenarii & fraudatores animarum recte judicari. Filii hominum, bene eſtis gloriam mundi ſectantes, deſideria carnis adamantes, de gregis autem diſperſione, ut apparet, minime curantes, dum tamen percipiatis exinde fomenta pro magnitudinibus & deliciis veſtris; quod etiam habeatis de bonis crucifixi, quæ ex ſudore & labore multorum proveniunt omni die per manus collectorum in abundantia, unde poſſitis carni & ſanguini, multiſque flagitioſis hominibus ſubvenire, quæ quidem omnipotenti Deo oblata & in eleemoſyna data potius debentur ſanctis & piis uſibus applicari.

7. O paſtor bone, Domine JESU, mi protector & auxiliator, quales paſtores in mundo ſic diu toleraſti! bene vident ambo quod errant, & multi erraverunt propter illos. Manifeſte etiam apparet, quod volunt adhuc in errore manere ſolum pro gloria vana, quod D eſt de pejori, dum errata corrigere poſtponunt: ſuperaddentes quoque novos errores, in malitiis & vanitatibus ſuis gloriantur: quin immo potentes in iniquitate, vel te Deum non eſſe credunt, aut nimis præſumunt de miſericordia tua, cum ſeveritatem extremi judicii perimpendere non abhorrent. Non eget, Domine, populus tuus hujuſmodi paſtoris ſolatio, non ſunt tales amplius ſuſtinendi, qui lege tua & orthodoxorum patrum conſtitutionibus abutentes, quæ tibi Deo grata ſunt & animarum ſaluti expedientia, vanis concluſionibus reſtringunt, quæ vero placabilia aut delectabilia ſibi fuerunt, E laxando ampliant, & ampliando ſuper illis diſpenſant quantum volunt & poſſunt ad laudem & gloriam eorum, ad exultationem generis & patriæ, ad oſtenſionem magnitudinis & potentiæ male & inique de nonnullis judicantes, ut philacteriis bene dilatatis fimbriiſque magnificatis, quilibet eorum per omnes valeat acclamari flexis genibus, Pater ſanctiſſime, ruentes ad oſcula pedum beatorum. Et

A ita ſufficit eis vivere, ſufficit eis gloriari quamdiu poſſunt, & tranſire per bona temporalia, de reſiduo non curantes.

8. Ecce filii hominum, ecce gloriam mundi, ecce vanitatem quarumlibet vanitatum & ignominiam amborum, ecce veſtrum officium paſtorale, quod viliter aſſumſiſtis & vobis uſurpaſtis, ac deteſtabilius exercetis in damnum multorum & grave periculum animarum. Cum enim ob diſperſionem hujuſmodi, cauſante ſolum iniquitate & ambitione nonnullorum tam prælatorum quam etiam clericorum aliorum de grege Dominico ſic deſolato, ſic turbato, quidam uni, quidam alteri, quidam nulli, ſicut jam dictum eſt, adhæreant, proceſſus veſtros componitis, ſeu factos de novo confirmatis hinc inde; alter in alterius partem fulminando ſententias cum ſpiritualibus & temporalibus pœnis. Expertes rationis, ambo etiam hoc facitis in illos, qui neutri voluerunt adhærere: ita quod nullus evadere poteſt, quoad vos & crudelem opinionem veſtrorum, quominus ligatus ſit & involutus ſententiis veſtris, & per conſequens in periculo damnationis æternæ. Ecce, filii hominum, quale eſt officium veſtrum, quod omnibus eſt damnoſum. Avertat hoc Dei benignitas a populo ſuo, quem redemit ſanguine proprio multum care, quod propter vos & cauſam veſtram nefariam, Deo & hominibus exoſam, in tali ſit labyrintho derelictus. Audeo nempe dicere & teſtificari coram Deo & CHRISTO JESU Domino meo, quod de hujuſmodi proceſſibus filii non habent in aliquo parere cunctis bene adviſatis, nec etiam de quibuſcumque aliis ſententiis aut concluſionibus juridicis: dum tamen non fuerint in dolo vel malitia pertinaces & firmati. Quia merito paſſionis Dominicæ non obſtantibus his per fidem rectam atque firmam cum ſanctis operibus & meritoriis ſalvari poterunt omnes hinc inde, ſolita pietate ac bonitate talis & tanti redemtoris.

9. *Filii hominum uſquequo gravi corde?* Uſquequo duplici animo, uſquequo mala voluntate? Quare non compatimini diviſioni huic miſerabili? quare non occurritis perditioni filiorum quam dicitis illos incurrere? quare non obviatis periculis & calamitatibus eorum? En attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicuti dolor meus. Inſpicite lacrymas, conſiderate languorem, ſubvenientes in proximo doloribus anxiæ matris. Etenim plus quam triginta annis deſolata, ſine terreno gubernatore permanſi, apud magnates querelando, ejulando, plorando, gemendo pro diviſione filiorum, nec inveni conſolatorem præter Dominum & ſponſum meum, cui ſit laus, honor & gloria ſempiterna.

10. Heu me! filii hominum, heu miſerrimi ceterorum, ut quid diligitis vanitatem? ut quid pro tranſitorio & caduco faſtu ſæculi, ita ſenſus veſtri exorbitant a lege di-

vina, a ſacris inſtitutionibus patrum, a ſemita juſtitiæ & via recta? O quam male diligitis vanitatem, bona æterna perdendo! O quam male diligitis ſæcularia, populum Dei ſcandalizando! O quam male diligitis carnalia, ſalutem animarum veſtrarum poſtponendo! Quiſquis veſtrum inſequitur appetitum ſuum vanum, juſtitiam ejus aſſerens fore bonam & ſanctam in hac odibili cauſa veſtra, pro qua de longe certatis ad invicem, detinendo pecora gregis, judiciorum Dei rectorum minime recordantes; quiſquis divertit ſe ab itinere plano vitæ ſalutaris, carnis & ſanguinis illecebram damnabiliter inſequendo; quiſquis innititur prudentiæ ſuæ, quæ magis in hac parte dementia, vanitas & vilitas eſt cenſenda, rem autem publicam vult manere ſic in turbine deſolatam; immo quilibet, ut mœſtis oculis video, ſæculi hujus vanitati ſic adhæret, quærendo quæ ſua ſunt, & etiam quæ ſua non ſunt, ut vivat in gloria vana de tempore ſuo, quod de ſchiſmate pene irradicabili, ut tollatur, immo etſi perpetuetur, nullo modo curat.

11. Sunt-ne hæc geſta Romanorum pontificum, quorum ſedem unicam duo ſimul occupatis? & inſuper, quod ludibrius eſt nefaſque ſolum audire, cathedras ambo ac etiam thiaras, contra Dei voluntatem & legis ordinem, vobis impudenter feciſtis, de veſtro jure nequiſſimo confidentes; cathedras dico peſtilentiæ thiaraſque vanitatis & errorum, quibus utimini, nec erubeſcitis aliquomodo vos eſſe papam hinc inde, quilibet in ſede quam erexit, fallaciter mentientes; propterea ſi non advertitis ambo, manet ſententia Dei, ut reddat unicuique ſecundum opera ſua.

12. Nonne Paſtor bonus, generis humani Salvator & Redemtor, hic in via degens expreſſe docuit filios pacem & caritatem habere invicem, ac repetitis vicibus hoc peculiariter mandavit, cum aliàs non poſſit homo ſalvari? Quare ergo labem tantæ diviſionis non aboletis cum poſſitis? Quare ſchiſma jam inveteratum, pluſquam tricenarium inveterati dierum malorum ſinitis ultra vigere? Ut quid ſenes ita diligitis vanitatem, Chriſti vias gerere pariter ſimulantes? Ut quid Dei legem irritatis, & pro ſola gloria veſtra nominis Chriſtiani gloriam ſic vilipenditis? Grave utique eſt cor amborum, & omni impierate depreſſum, cum retroactis temporibus mundiali honore non ita reſplendentes, ut nunc, oſtendebatis vos inter ceteros mortales zelum permaximum habere ſingulariter ad diſperſionem hanc terminandam, quod ſcilicet fieret unum ovile & unus paſtor. Sed ſtatim monſtruoſo cathedrarum honore ſublimati, aut verius peſſimati, dum earum ſenſiſtis flagrantiam, ſanctum evanuit propoſitum; cumque deguſtaſtis modicum, immutatum eſt amborum deſiderium, carne & ſanguine, proh pudor! revelante.

13. O misera cupiditas, execrabilis vanitas & canities deteſtanda! quomodo ſic Dei laudem, proximi vitam, perſonæ famam, generis honorem, patriæ commendationem, omnium congratulationem, animæ propriæ ſalutem, & quod lamentabilius eſt, bonum commune fidelium reſpuitis, negligitis, & poſtponitis omnino? Heu quam ferrea mens! quanta dementia amborum, & inauditum crudelitatis genus! Nam etſi vitæ ſalutaris viam ſequi non poteſtis mole carnis & ſanguinis prægravati, pro republica ſaltem debent corda veſtra aliqualiter emolliri, & pro bono juſtitiæ crudelitas pietati cedere teneretur. Mirum certe eſt deflendumque nimium, quod talis vanitas excœcavit ambos ita repente, qui tales ac tanti reputati fuiſtis aliàs apud bonos & graves. Quando enim per machinationes & figmenta varia ſtare conamini pro veſtris deliciis in uſurpatæ dignitatis faſtigio, ad quam indigni eſtis meritis judicandi, famam negligitis propriam, ſicut jam dictum eſt, ad infima ruituri. Tanto enim vitio præſumtionis, uſurpationis ac crudelitatis veſtrum quis plus irretitur, ſcilicet ſedem Petri occupando; quanto plus refugit ea per quæ ad unitatem fidelium citius, placabilius & tutius pervenitur, ſine quibus hi qui vobis adhæſerunt, hinc inde cavilloſe decepti, pacificari non poſſunt ullomodo, attento quam maxime longi temporis curſu, quo duravit hæc diviſio mala; neque lucidius poteſtis vos manifeſtare non eſſe paſtores, immo verius gregis diſſipatores & mercenarii, quando non corpus & animam, uti bonus paſtor pro grege ſuo fecit; ſed jam ipſum honorem, quo ſic abutimini, relinquere ſpontanei differtis in ſalutem omnium, quem dimiſſuri eſtis forſan cras etiam inviti cum dolore. Quid acceptius Deo vel majus holocauſtum offerre poſſetis in hoc mundo, quam dare ſibi gloriam, non vobis, pacemque filiis adoptivis, qui propter cauſam veſtram tot annis in diviſione fuerunt, plane ſcilicet dimittendo id pro quo diſceptatis ad invicem, quod ſine morte gehennali ſimul tenere non poteſtis.

14. Infidelissimi hominum gravi corde quod male diligitis vanitatem adhuc non contenti, apprehenditis eam, & ruentes in fœdos amplexus ejus; dumque vos inſpicitis bene male incathedratos, velit Deus, nolit & totus mundus, tenere præſumitis de individuo ſaltem quilibet bolum ſuum in obedientia ſua, cum aliud facere nequeat, & pro ſe totum habere, ſceleratiores effecti ac deteriores ipſis militibus præſidis qui Jesum crucifixerunt. Hi nempe, licet maligni, tunicam ejus inconſutilem noluerunt ſcindere, grande myſterium præſignantes. Si Deus autem hanc veſtram nequitiam ulterius diſſimulet, ad finem quod bolum ipſum pro vo-

bis retinere poſſitis, & abinde non evelli, quæritis mendacium, quæritis diffugia, ſimulationes, cavillationes, concluſiones varias & reprobas, ſuffragante vobis falſo miniſterio quorumdam adulatorum, perverſorum, iniquorum, legis defraudatorum, aliorumque malignantium hominum, qui vobis aſſiſtunt ut capiant, & ſi pereatis non curant. O quam male didiciſtis litteras, quæ dum aliorum mentes illuminent, vos modico fumo vanitatis excœcarunt! cur ſuper his mentis oculos non aperitis? cur talia & ſimilia non cogitatis? quærere mendacium propheta hîc manifeſte improperat atque damnat: quanto gravius eſt ergo malitiis atque fictionibus uti, & in conſpectu omnium ſic evidenter mentiri, prout & feciſtis. O prudentes ſeniores mundi hujus, utique viri fallaces, perjuri, voti promiſſique fractores, quæ Dei ſunt non recte ſapientes! Quomodo ſic vana diligentes quæritis mendacium? Quomodo ſic pater mendacii vos in reprobum ſenſum induxit, ut in conſpectu Dei, qui veritas eſt cuncta proſpiciens, mentiri audeatis? Quomodo vos a caritate vera, quæ Deus eſt, ſeparavit? Quærit nempe caritas quæ ſunt Jesu Christi, vos autem pro gloria vana colenda ſic quæritis & componitis mendacia, ut illa quæ veſtra ſunt nequaquam omittentes, etiam quæ veſtra non ſunt uſurpetis, ſicut jam dictum eſt ſupra. O! ſi juxta vocem propheticam Deus perdere velit omnes qui loquuntur mendacium, quomodo erit vobis, quos non ſolum delectat id ex ore & opere proferre, immo corde meditari, de facto quærere & operari mala cum mendaciis non abhorretis aliquomodo? Quæritis ſemper fallere, quæritis animas defraudare, & cum novis erroribus protelare malitias, ſi ultra vos ſuſtineat iſte mundus, nec verecundamini ſic patenter in operibus manuum veſtrarum deprehendi peccatores.

15. O mi Petre de Luna, qui per aliquos Benedictus, & per multos nominaris maledictus, unde hoc tibi? Ab ineunte enim ætate dies tui laude communi & fama magna radiarunt. Unde hoc tibi nunc ſeneſcenti, cum lucidius virtutes & opera meritoria deberent in te quaſi luna plena clareſcere, & in aula Dei rutilare, ut quivis poſſit inibi recipere lumen? Unde hoc tibi, quod ſic in fine dierum tuorum miſerabiliter deficis, & vanitatibus obfuſcaris, turpiter maculans famam tuam? Tu promiſiſti frequenter dare pacem hominibus, ut teneris. Nunc vero pacem fugis, pacemque recuſas, pandens quam intentionem habuiſti. Recogita quid pro pace habenda feceris & dixeris pluribus in locis, nunc ſecrete, nunc palam, antequam aſcenderes cathedram vanitatis quam tibi erexiſti. Quid etiam poſtmodum feceris præpondera in animo, & intuere diligenter veram lucem, perambulans ſemitas bonæ juſtitiæ & æquitatis. Non vere figis ſpem tuam in Domino, Petre, nec bene firmas ſupra firmam Petram, excuſans te vanis concluſionibus, & pallians dedecus tuum aſtutiis tuis fraudulentis; ſed magis exemplo Judæorum cum Jesum comprehendere vellent, tu gladio temporali, hoc eſt machinis & armis ſine rubore procedis, qui de cælo petere debueras auxilium in agendis. Cur non attendis quid Paſtor bonus & pius tunc futuro vicario ſuo Petro, dum amputaſſet auriculam Malchi, dixerit increpando, quod ſcilicet gladium reponeret in locum ſuum, per hoc volens innuere, quod non ſic pervenitur ad cælos. Nonne tu es ille, qui cum aſcenderes ad honorem quem appetebas, reſutationem & lacrymas fingens, aiebas promotoribus tuis ſic: Heu me, domini mei, quid facitis? Heu me! vos profecto deſtruitis eccleſiam ſanctam Dei, & nihilominus indignans jactaſti te poſtmodum, in tribulationibus & miſeriis conſtitutus ob tui culpam, quod ſi quandocumque fumus aſcenderet caput tuum, me Chriſti ſponſam unicam in tali ſtatu reponeres, quod de centum annis poſſem vix reſtaurari, minus bene ſentiens, quæ, qualis & quanta ſum ego. Multa quoque ignominioſa alia & deſpicabilia dicere non erubuiſti, qui doctor es litteras ſciens, litteriſque abutens in mei honoris vilipendium ac contemtum: quæ quidem in te bene retorta, denigrant multipliciter famam tuam. Super his & quibuſcumque aliis, Petre, volo te ſcire, quia non ego per te, neque pro te, ſed magis tu per me, ni reſipiſcas, deſtrueris. Attende ulterius, Petre, quid feceris Deo ſæpe volens accedere cum duplici corde in pluribus factis tuis, habendo ſcilicet unum in labiis, & aliud in mente, ſicut non ignoras. Finaliter vero, dum in Portu-Veneris eſſes, quod tergerſari non poteſt, geſtando mel in ore & fel in corde, pacem tractabas ſimulanter per tuos in Lucana civitate cum adverſario, guerramque moliebaris ex adverſo. Cave igitur ne deterius tibi fiat, & in medio ſeniorum confundaris. Semper eſt enim Deus omnipotens judex, juſtus, omnia videns.

16. Tu autem, Angele mi Corrario, qui a paucis Gregorius, & a multis Errorius appellaris, vide & conſidera quid agis, recordare primordia tua, & ſi non recte quomodo tu ambulaſti coram hominibus, uſquequo latere non potuit ulterius vilis conditio tua: tu jam pene habens unum pedem in fovea, ſi mater omni tali veterano demum talem parere dignetur, ſic dies & actus tuos bis delirando terminare. O miſer ſenex! quomodo ſic a te caritatem abdicaſti? recordare noviſſima tua, & deſine peccare. Recordare vilem exceſſum trium prædeceſſorum tuorum ab hac vita; conſidera aliquantulum ſuper hoc quieſcens agere inantea perverſe,

& fac bene quamdiu cinis igniculum fovet. A Tu olim præbere conſueveras pabulum vitæ æternæ male ſanis, doctrina pollens, vita, moribus & exemplo : nunc vero tui Creatoris oblitus, in periculum damnationis tuæ viſibiliter inſanis, cum deberent in te virtutes ac bona meritoria potius augmentari. Quid tibi & aliis, Angele? quid agis aut quid intendis? es-ne tu ille ſathan vel angelus ſuus, qui, teſte Apoſtolo, ſæpe in lucis angelum ſe transformat, dum apparuiſti hominibus juſtus, bonus, ſanctus, pius, & angelus Dei, parans cunctis gaudium inæſtimabile, aperiendo ſcilicet viam ac producendo B materiam ſufficientem ad habendam generalem unionem, & pacificationem Chriſtianorum tam ardenti deſiderio concupitam? Et nihilominus adverſarium tuum per dulces litteras ad hoc induxiſti, quod forte non intendebas, ſperans, ſi hoc ille recuſaſſet, bravium ſolus capere ſoluſque reportare triumphum cum honore papali. Qualis autem nunc ſis, & qualis extitiſti opera tua nefaria luce clarius produnt. De his tamen flagitioſis operibus tuis non decet ulterius denigrare papyrum, ob vilem conditionem perſonæ tuæ ſceleratæ & inanitatem vitiorum quæ omne aliud malum excedunt. Sicque, merito dum C honorem appetebas, quaſi inverecundus & effrons, honorem perdidiſti, eundo poſt viles concupiſcentias tuas. Heu! quis umquam talem fore talem credidiſſet? Numquam fuit tibi ſimilis hypocrita, ſicuti es, quia dum antea bonus Angelus appareres hominibus, te videns incathedratum, annulis adornatum & decoratum infula pontificali, conſcidiſti ſaccum tuum putridum, manifeſtans qualis eras, & inſuper te totum dediſti lætitiæ vanæ, deſideriis carnalibus, & gloria mundi fulcitus, etiam viris hypocritis & amatoribus hujus ſæculi, ut ſimiles applaudant ſuo ſimili abſque rubore quocumque, & donec fex tua ſit penitus exinanita, bibant & ipſi peccatores tibi damnabiliter aſſiſtentes.

17. Quid ultra, filii hominum, uſquequo gravi corde? De renuntiando juri prætenſo amborum, ut congregari poſſent fideles in unum cum pace tranquilla, ſponte ambo juraſtis, ambo promiſiſtis, ambo concordaſtis, ſpem gaudii novi atque deſideratiſſimi, hoc eſt unionis filiorum, ambo pariter nuntiaſtis cum litteris veſtris patentibus hinc inde per E orbem. Unde exultaverunt nationes & regna, ubi colitur fides Chriſti. Et ob hoc ſpecialiter juvenes & virgines, ſenes cum junioribus pariter nomen Domini collaudabunt, tanti boni gratiam præſtolantes. Non tamen commota ſunt propter hoc viſcera ſuper eos quorum vos prætenditis eſſe patres, nec quis ex vobis parat ſe adhuc facere bonum, ut votivam concluſionem reciperem in Domino filiis adunatis, quæ tot annis langui ob diſperſionem hanc peſtiferam & damnandam.

18. Cur ſic inæſtimabile caritatis bonum fugitis, ſenes inſenſati, quod patentibus auribus, ſummiſque deſideriis expectabant cuncti in Domino Jesu Christo ſponſo meo unico, vivere cupientes ſub unico vicario ſuo, ut expedit ad ſalutem? Sed longe in primis velle ſimulabatis unionem & pacem, acclamantes ubique pax, pax; de prope vero exeuntes ad unam diætam, quaſi per ſex menſes convenire noluiſtis, immo de pace non curantes & inimici veritatis locum aptum vobis benivolenter reperire nequiviſtis, volenteſque in fine concluſiſtis & non erit pax, tranquillum ſtatum viatorum nequiter poſtponendo. Neſcio qua fronte ab initiato propoſito unionis ſanctiſſimæ verſus Orientem unus & verſus Occidentem alius diſcedere potuiſtis, niſi quia pacis æmulus hoc ſuggerens, facit ut calidius poteſt, ne caritas apud homines vigeat in terris per vinculum unitatis & pacis, qui male ſuperbiens inter angelos, non dignatus eſt illam tenere in cœlis. Nec advertitis ad hoc miſerabiles ſenes, apud voſmet ipſos dolo & malitia redundantes, ſed ſtulti effecti apud Deum, vituperoſe incidiſtis ambo in laqueum, quem minus bene prævideratis. Sic itaque per vos, & quantum in vobis eſt, ſpes hujuſmodi caritatis pro nunc eſt ſublata. Provideant circa hoc unanimiter illi qui debent & poſſunt, obviando rigide malignitatibus veſtris in timore Dei, poſtquam ſic imprudenter egiſtis. De negligentia tamen quorumdam non ſufficio admirari, & non ſine cauſa rationabili, quomodo ſic tardarunt in hoc quod eſt neceſſarium ad ſalutem de congruis remediis citius providere; etiam qualiter hi qui vobis adhæſerunt, tamdiu vos ſuſtinere potuerunt & nominare paſtores; qui niſi mentiar, debetis melius dici D raptores, mercenarii, gregis diſſipatores & antichriſti formati, quamvis pagina ſacra teſtetur unum eſſe venturum. Vos de directo contrarii eſtis operibus Chriſti diſperſionem fovendo, pacemque fugiendo, ſicut opera veſtra declarant, & de aliquibus dictum eſt ſupra. De quibuſdam aliis vero non eſt dicendum per ſingula de præſenti, tam gratia honeſtatis quam etiam brevitatis: quia fidelium aures nimis adhuc ſunt repletæ de malitiis, cautelis, mendaciis, iniquitatibus, malis aſtutiis & ambitionibus veſtris. Ne tamen de colluſionibus factis ad invicem per vos omnino taceamus ſaltem in genere, en viderunt oculi noſtri facta hominum immutari, novaque miranda nec minus horrenda, hoc eſt rejuveneſcere duos ſenes preſbyteros, ſimulque ludere more parvulorum, ſed latebroſe, per iniquos & falſos relatores, convenientes in unum ſigillatim, vobiſcum juxta nequitiam utriuſque & aliud multis pectoralibus nuntiantes, qui vix intelligere potuerunt circa hanc materiam ſe fuiſſe deluſos. Senum tamen & juvenum diverſus eſt ludus, quia veſter no-

civus reipublicæ, ac ludificans est omnes gentes; infantium autem jocundus est ac lætificans circumastantes.

19. Nec dicat unus vestrum, quod sit defectus alterius si pax non fiat; quia sine dubio poterat is dare operam efficacem ad habendam illam, etiam altero invito, immo & confuso, ut infra dicetur; posset que adhuc glorioſius ac virtuoſius quam per ante feciſſet, dum tamen bona voluntas appareret. Postquam enim convenire noluistis in aliquo loco, impleturi concordata, poterat & debebat unus alteri offerre cessionem, fiendam certa die per eum statim in loco ubi erat, cum solemnitate debita, vel etiam inibi de facto hoc agere, aut per sufficientem procuratorem ubilibet, quia tunc superstes ex vi promissorum & contentorum in litteris super hoc factis, tenebatur hoc facere pari modo; aliàs autem compulsus & impulsus poterat juste confundi, & veluti schismaticus ac fraudator unitatis & pacis merito condemnari.

20. Ad impugnanda vero seu refellenda ea quæ pro zelo fidei & unionis cunctorum superius deducta sunt, nullatenus occurrere præsumant vestri confabulatores hypocritæ, seu carnales amici flentes & ejulantes. Qui per ænigmata sophistice dicentes malum bonum & bonum malum, concludere non verentur, quod tales patres, sicut vos mendaciter fore dicunt, ad apostolicam dignitatem assumti, minime debetis humanis legibus subjacere, juramenta quoque per vos facta, etiam præstita Deo, non ligant vos aliquomodo.

21. Sic itaque juxta appetitus vestros noxios, abominabiles & corruptos, ut appareant & vobis complaceant quæ saluberrima sunt Deo & hominibus grata, quantum valent excogitare, deprimunt, in tantum, quod ob hoc sanguis humanus sæpius est effusus, quæ autem execrabilia & detestabilia sunt in odium boni relaxant interdum, ac sacra patrum eloquia ad intentum vestrum retorquentes, animas, quantum in eis est, ad tartarea loca deducunt. Tales certe & quicumque alii hujus opinionis damnaticæ concludunt, minus bene syllogisantes in tam ardua materia & dolorosa, salva omnium pace. Nam pro aggregando populum Dei in unum, considerato quod non possunt ita bene conscientiæ hominum quietari mentesque serenari, etiam absque promissione aliqua sive juramento expresso tenemini sub pœna mortis gehennalis, facere illa pure & simpliciter, quæ per vestras litteras dudum toti mundo significastis, nec ante Dei conspectum in districtu magni judicii vos defendere seu excusare poterunt syllogismis seu vanis argumentationibus suis iidem obsequiales vestri. Parum etiam juvabunt vos claves inutiles, quas vobis fabricastis summi pontificatus honorem amplexando. Quanto districtius ergo obligamini ea facere cum juramento præstito & voto solemni, quod feciſtis male suasi, quod recusastis illa pro tanto bono complere.

22. Dicite mihi, quæso, filii hominum, quale gaudium omnibus, qualis honor vobis in terra, quale meritum in cœlis foret, quando per vos cessaret divisio, per vos unirentur fideles, per vos tanta clades aboleretur a mundo? O quanta gloria, sed non vana! O quanta veneratio! O quanta præmia cælestia & terrestria vobis essent! O quantis magnificentiis, quantis honoribus, quam dignis laudibus vestrum genus & patria dotarentur in sæculo! Ad hoc certe currere deberetis simul ambo. Quin immo etiam præcurrere, propter Deum & honorem nominis Christiani, ad tantum bonum per vos feliciter consummandum: ita quod alter alterum nequaquam expectaret, bravium cælicolarum exinde recepturi. Sed ad hoc dicunt ipsi adulatores & hypocritæ, vobis & aliis crudeles inimici: Heu! quid facere vultis? ut quid talia excogitastis? unde hæc vobis suggesta sunt? Nefas enim immo & diabolicum esset talia facere, & per hujusmodi viam procedere, aut illam praticare tamquam reprobam & damnatam. Et nihilominus esset causa mali exempli in futurum, & per consequens mortale peccatum. Nonne satis feciſtis? nonne satis laborastis, faciendo quod in vobis erat? Quid ultra facere debetis in hac causa, quando per vos non stet quominus non fuerit consummata? O quales doctores! ô quales ecclesiastici viri! ô quales hypocritæ! maligni, seductores & antifraziani. De his profecto quæ dicunt vobis, contrarium est; verum si cum timore Dei plane velint concludere in præassumto, cum dicunt satis feciſtis, subjungant etiam, quod nimis feciſtis, dum nova scandala suscitastis, mala malis accumulando, & nihil boni feciſtis. Sic itaque erit illorum argumentatio vera. Quæ enim licite devoviſtis, jurastis & promisiſtis, si non adimplere velitis absque ulteriori diffugio, contra vos provocatis Dei justitiam, & simulantes vitare peccatum, telo multiplici vestras animas jaculatis, incidentes in gravioris peccati laqueum, quale fuerit umquam per hominem perpetratum a magno tempore citra, & ipsi peccatores non evadent.

23. Quocirca, filii hominum, qui multa didiciſtis, legiſtis & vidiſtis, ad terminandam hujus vestræ disceptationis causam, recte sapientes, attendite quod aura mundialis vos de cetero non inficiat. Sane intelligentes gustate, quam bonum sit & quam jocundum habitare fratres in unum, & videte longævi doloris tactum, noviſſima providentes. Expergiscimini dormitantes, qui stratu deliciarum vitæ hujus nimium quieviſtis. Exuite

veterem hominem, preſbyteri ſenes, & diſcite melius agere, quam hucuſque feceritis, novum induentes in ſenectute bona, qui ſecundum Deum creatus eſt, ut veſtri oculi videre mereantur ſalutare ſuum, quod jam paravit Spiritus almus ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſraël. Attendite legem filii, & audite piam matrem; humiliate vos ſub potenti manu Dei, fraudem, ſimulationem, & dolum omnino deponite, blandimentis noxiis vitæ hujus efficaciter reſiſtendo. Pius enim & miſericors eſt Deus meus, præſtabilis ſuper malitiis veſtris, multuſque ad ignoſcendum. Non certe vult perdere quemquam: ſed omnes vult ſalvos fieri, dum tamen pravos actus omnino corrigere, dies quoque ſuos noverint in bono conſummare. *Parate* igitur *viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*, inquit Iſaïas, *quia omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur, eruntque prava in directa, & aſpera in vias planas.* Et quia jam nequeunt fideles veſtram cervicem duriſſimam, nec hujus cauſæ monſtruoſæ debatum amplius ſuſtinere; immo ſub uno Chriſti vicario petunt omnes in pace reüniri, conſiderantes quod ex vobis non eſt qui deſolationi huic vere compatiatur, quamvis ſit perpetuationi proxima, ſi tolleretur diutius, videntes inſuper quod pax generalis melius haberi non poteſt, quam per generale concilium prælatorum & aliorum, ad quos de jure vel conſuetudine ſpectat. Quod quidem veſtrum aliquis, ut videtur, congregare non poteſt bono modo, attenta diviſione trifaria de qua ſupra. Ob hoc veſtri collaterales, qui tot annis ſemper fuere contrarii, ad ſedandam quoque peſtem hanc valde negligentes & remiſſi, nunc impellente eos gratia Spiritus-ſancti convenerunt in unum. Et jam fœderati, unici, cupientes omnino de remediis congruis & utilibus providere, totis viribus ſe diſponunt, ut tenentur & poſſunt, una cum ceteris ad quos ſpectat unanimiter procedere cum timore Dei, & indeſinenter laborare, & taliter quod, miſerante ſua benigna clementia, tenebris effugatis, lux vera fulgeat omnibus, vanitas quoque & ambitio locum præbeant caritati. Idcirco feſtinate vos ambo, ſi timetis Deum, filii deſideratiſſimi, venite bono corde properantes ad civitatem Piſanam, ubi pro reformatione morum, & exterminatione diviſionis horrendæ, hoc proximo feſto Annuntiationis Dominicæ decretum eſt magnum & generale concilium aggregari: ut ſicut Deus omnipotens, qui parietes duos ſummo lapide angulari Christo Jesu Filio ſuo miſericorditer copulavit, dans illum mihi in ſponſum inæſtimabili caritate ſua, tunc initiavit humanæ ſalutis exordium in utero virginali, ſic ibi dignetur ſpecialis dono gratiæ ad ea quæ aſpiramus ſua magnalia demonſtrare, quæ ſibi grata fuerint bene peragere, & in omni bono concilium hujuſmodi terminare, ita quod reſecatis vitiis & virtutibus augmentatis, gaudere valeat ſemper in Domino populus Chriſtianus. Ad eam dico civitatem, quæ humilis & plana eſt devotiſſime greſſus veſtros dirigite, ſubmittentes colla jugo Chriſti, ſicut mites & humiles corde, & facite hanc miſericordiam plebi, ejus pacem volenti, pacemque oranti. Quia ſi promta devotione & cum manſuetudine vota & promiſſa veſtra compleveritis, a Domino conſecuturi eſtis miſericordiam, eritiſque revera beati, demumque in æthereis manſionibus terram poſſidebitis cum omnibus ſanctis ejus; in ea quidem civitate, quæ nunc pacifica eſt & tranquilla, ſi pacem bonam dederitis hominibus, quod vere poteſtis, ut præmiſſum eſt, ſi bene vultis, beatificaturi eſtis, ut veri pacifici, & per conſequens, teſte Matthæo, vocabimini filii Dei, qui filii hominum fuiſtis ſæpe nominati. In eadem quoque Piſana civitate, quam a ſordibus illius emundat flumen irriguum, ſi non a modo gravi corde, duplicive corrupto: ſed cum benedictione & timore Domini ſinceraque voluntate proceſſeritis in agendis, conformantes vos teſtimoniis Christi Jesu, ut ſimplici & mundo corde perambuletis vias rectas: vere beati eritis hic & in via, dehincque feliciter migraturi ad patriam, Deum videbitis in gloria perenniter congaudentes.

24. Verum quia prætendentes ambo quiſque penes ſe non habere ſuperiorem, neque judicem in terris, qui poſſit & valeat de hujuſmodi cauſa veſtra cognoſcere, pro Dei omnipotentis reverentia & amore, ut tantum malum in brevi tollatur e medio, vanitatem ac ſæcularia deſideria penitus abnegantes, cuſtodite rectum judicium, & facite de vobis juſtitiam bonam in azymis ſinceritatis & veritatis. Sic enim eritis beati, dijudicando voſmetipſos in prætenſis juribus veſtris quæ nullatenus poſſunt ſtare; nec judicabimini, teſte Paulo, ſed magis, prout & ipſi eſurientes & facientes juſtitiam, annuente Domino, gaudebitis & vos gaudio magno, ſempiternis deliciis ſaturati.

25. Agite præterea dulciſſimi, agite viriliter, in agendis aſſumere non pudeat vos legis diſciplinam & audire ſapientem. Quod ſi a modo non ſitis incredibiles timoris Domini, & ne acceſſeritis ad illum duplici corde, ne inſuper fueritis hypocritæ in conſpectu hominum, & non ſcandalizemini in labiis veſtris. Attendite in illis ne forte cadatis, & adducatis animabus veſtris inhonorationem, & revelet Deus abſcondita veſtra, & in medio plebis elidat vos, quoniam acceſſiſtis maligne ad Dominum. In his perſpicaciter adviſate, filii hominum cariſſimi, ex interioribus medullarum, & confortentur corda veſtra ſemper in Domino, qui licet

turpitudinem

turpitudinem amborum hucusque sustinuerit patienter, correctionem & emendam satis expectans, nunc tamen exulceratos, dono gratiæ, non dedignatur vocare vos in admirabile lumen suum. Quare sine amatoribus hujus sæculi in hac causa pia justo judicate judicio, formidantes illam vobis infligi sententiam, quam sub Danielis æquo libramine duo senes presbyteri in Susannæ concupiscentiam turpiter exardentes, justo Dei judicio pertulere. Quamvis enim per triginta annos & amplius quasi in opprobrium omni nationi, plurimum afflicta, agitata, & concussa per vos quam maxime & multos alios fuerim, hoc solum mihi reputans ad coronam, spei meæ anchoram singulariter figi in Domino Jesu Christo unico sponso meo dilectissimo, quem semper amo, in quem firmissime credo, & ad pacem quam incessanter anhelo, ipse me de manibus vestris concupiscibilibus & quibusvis aliis mihi adversantibus potenter eripiet & illibatam conservabit, usquequo dum ipse rex magnus, terribilis & excelsus cum potestate magna venerit in gloria & majestate sua, & Deo Patri regnum tradiderit, pura & immaculata sorori meæ triumphanti jungar in cœlis ad beatitudinem sempiternam : vobis autem non diligentibus eum, neque timentibus, ni resipiscatis in brevi, dolor paratus est & confusio sine fine. Videte igitur, amantissimi, quomodo prudentes ut serpentes & simplices ut columbæ per omnia caute ambuletis, callidissimi hostis versutias cum discretione pervigili retundentes. Nam vehementer execrans abhominationes vestras Dominus meus & Deus meus, nequaquam vult eas dissimulare ulterius, nec habere sibi duos vicarios simul aut papas in terris; aliàs autem indignationem ejusdem omnipotentis Dei & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quam aliis sæpe temerariis ausibus comminati fuistis, vestrum quilibet se noverit incursurum.

26. Demum obsecro vos, dilectissimi, & exhortor in Domino meo Jesu Christo per viscera misericordiæ suæ, & per caritatem illam inexplicabilem & infinitam, quam habuit & semper habet ad filios adoptivos, dum pro reparatione mei, crucis in ligno mori dignatus est, suam ponens animam ut pastor bonus : ac etiam per adventum majestatis & gloriæ suæ; & per merita suæ caræ genitricis Virginis gloriosæ dominæ S. Mariæ, omniumque beatorum, ne de cetero, veluti carnales aut pusillanimes quæratis mendacium, nec dilationem aliquam pro vanitatibus sæculi retinendis; sed via regia incedentes, coadunate dispersos caritatis in vinculis, unitatis & pacis, quia tunc amicabiliter justitia & pax sociabuntur in osculo sancto & læta facie obviabunt sibi invicem misericordia & veritas quæ Deus est, cum Patre & Spiritu-sancto vivens & regnans & imperans in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERÆ UTRIUSQUE COLLEGII cardinalium, quibus Petrus tituli XII. *apostolorum cardinalis Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti administrator creatur.*

Anno 1408. *Ex mss. S. Laurentii Leodiensis.*

Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. utriusque collegii cardinales per Dei gratiam jam uniti, reverendissimo in Christo patri & domino domino P. miseratione divina XII. apostolorum S. R. E. presbytero cardinali apostolicæ sedis legato, salutem.

Summo unanimiter cordis cupientes desiderio sanctæ Romanæ ecclesiæ jam quampluribus tam in spiritualibus quam temporalibus subjectæ periculis, quantum in nobis fuerit, statui providere, ac considerantes quod ipsa ecclesia in provincia Marchiæ Anconitanæ, necnon in ducatu Spoletensi ad eamdem ecclesiam pleno jure pertinentibus, propter alienationes & occupationes nonnullarum civitatum, terrarum, castrorum, & aliorum bonorum provinciarum & ducatus eorumdem multipliciter in suo statu destituta sit, & oculatim, nisi de remedio provideatur opportuno, funditus destituetur; quodque per vestræ circumspectionis industriam & studium fructuosum hujusmodi civitates, terræ, castra, & bona, gratia vobis assistente divina, facilius recuperari, & manuteneri, ac regi possunt & defendi. Nos, ad quos id ad præsens pertinere dinoscitur, animadvertentes quod pro nunc super hoc utilius provideri nequeat, matura super hoc deliberatione præhabita, vos omni forma & jure quibus melius & efficacius possumus & debemus, nomine dictæ ecclesiæ ad recuperandum per vos vel alium seu alios, civitates, terras, castra & bona supradicta, eaque pro statu, honore, & utilitate ejusdem ecclesiæ manutenere dum regendum & etiam defendendum, necnon conventiones, compositiones & pacta quæcumque, de quibus vobis videbitur, cum eorumdem civitatum, terrarum, castrorum & bonorum detentoribus & occupatoribus, seu alias de jure vel de facto, aut alias quocumque colore seu titulo possidentibus ineundum & faciendum, ipsisque detentoribus & occupatoribus & possidentibus, si expedierit, hujusmodi civitates, terras, castra & bona, seu eorum aliqua in vicariatu in forma consueta concedendum, & eos ad servitia ecclesiæ prædictæ cum aliis armorum gentibus pro eadem ecclesia militantibus conducendum, ac etiam ad absolvendum omnes & singulos detentores, occupatores, & possidentes hujusmodi ab omnibus & singulis pœnis, bannis, & aliis condemnationibus tam temporalibus quam perpetuis quibuscumque in eos auctoritate sedis apostolicæ vel ejus officia-

lium quacumque ratione vel causa latis, eosque, si necesse fuerit, ad statum, ac dignitates, honores, jura, & privilegia præsentia, etiamsi eorum absolutio, restitutio, & integratio hujusmodi Romano pontifici dumtaxat reservata fuerit, restituendum, reintegrandum tenore præsentium constituimus, ordinamus & etiam deputamus, plenam & liberam vobis ad hoc ac omnia & singula alia, quæ circa ea dictæ ecclesiæ necessaria, utilia, vel alias quomodolibet opportuna fuerint, potestatem & licentiam tribuendo, promittentes tam sub dictæ ecclesiæ, quam cujuslibet nostrum hypotheca & obligatione bonorum prædicta omnia & singula, & quæ, ut præfertur, circa ea per vos vel alium seu alios vestri nomine facta fuerint, firmiter & inviolabiliter observare, & facere, quantum in nobis fuerit, observari; & quod quamquam nos, Altissimo concedente, conclave pro proximo futuro summo pontifice eligendo intraverimus, ante omnia quilibet nostrum jurabit, vovebit, & promittet, quod ille qui ex nobis ad summi apostolatus apicem assumtus fuerit, ea omnia & singula approbabit, ratificabit, ac auctoritate apostolica in forma meliori confirmabit, vel per primum summum pontificem, si forsan non ex nobis, sed extra collegium nostrum aliquis assumtus fuerit, procurabimus eadem auctoritate confirmari, nec umquam consentiemus, quod per aliquem Romanum pontificem revocentur aut annihilentur quoquo modo. Die XXIX. Augusti, indictione prima, MCCCCVIII.

REQUESTÆ UNIVERSITATIS Parisiensis, adversus Petrum de Luna.

Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.

ANno 1408. *Universitas Parisiensis suas dedit conclusiones adversus Petrum de Luna, quas refert Odoricus Raynaldus in annalibus ad hunc annum num.* 40. *Iisdem conclusionibus in mss. Chauveliniano subjiciuntur sequentes requestæ.*

REQUESTÆ.

PRIMA REQUESTA. Quod laceretur & frangatur prædicta littera admodum bullæ confecta tamquam injuriosa, seditiosa, fraudulenta, & regiæ majestatis offensiva, cum protestatione ad majora procedendi fidem tangentia, & explicandi prædicta coram quibus oportebit loco & tempore.

SECUNDA REQUESTA. Fiat informatio circa istam litteram, capiantur & detineantur omnes suggestores, fautores, receptatores pro puniendo, corrigendo secundum casum, de quorum numero plures sunt in isto regno, quos universitas nominabit tempore & loco.

TERTIA REQUESTA. Nullam litteram recipiat rex in futurum a dicto Petro.

QUARTA REQUESTA. Quod præcipiatur Universitati filiæ suæ, ut veritatem prædicet in isto facto per totum regnum.

QUINTA REQUESTA. Revocetur episcopus S. Flori a legatione & detineatur. Insuper detineantur magister Petrus de Cantella, Sancius Lupi, & decanus S. Germani Autissiodorensis, & puniantur juxta demerita.

LITTERA ad regem Hungariæ.

Desperata per contendentes de papatu ecclesiæ unione, concilium se generale Pisas indixisse significant, pro quo favorem regium implorant, rogantque ut regni sui prælatos ad illud mittat.

SEreniſſimo principi & domino, domino SIGISMUNDO Dei gratia Ungariæ regi, &c. miseratione divina episcopi, presbyteri, diaconi S. R. E. cardinales salutem, & ad ea quæ unitatem fidelium & pacem ecclesiæ concernunt, regiam opem ferre. *Anno 1408. Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

Quantis dudum exulcerata doloribus, quantis fuerit lacessita & conquassata flagitiis sacrosancta Dei ecclesia, mater fidelium, unica Christi sponsa, deploranda vulnerum acerbitas, quibus læsa vexatur & premitur, universo jam orbi manifestissime demonstravit: quorum culpa vel verius sævitia tantæ pestis occasio creverit, & extensis perniciosis radicibus dietim eo fortius & periculosius confirmetur, cum jam orbis noverit, vestra serenitas non ignorat. Ex quibus apud serenitatem vestram non longa scripturarum pagina principaliter opus esse censemus. Cum enim, illustrissime princeps, sancta mater ecclesia jam triginta annorum spatio lacera & afflicta per manus duorum nunc certatim contendentium de papatu, qui promissionibus, juramentis & votis astricti, in eamdem sententiam pari concurrere videbantur affectu, pacis & unitatis statum debitum assequi videretur, maxime cum eorum multiplicitate litteræ tantæ sinceritatis nunciæ diversorum principum, comitatuum & populorum oculos satigassent; heu! quod dolenter referimus, tantum potuit cæca & misera temporalis ambitio, ut omni fidei religione supernique judicis metu positis in neglectum, tractatus prosequendæ unionis ecclesiæ per utrumque contendentium in ludibrium versus sit, ecclesia fluctuans certiori naufragio exposita, & oves dominicæ, sine duce, sine auxilio, in luporum faucibus linquerentur. Quis umquam eorum actus tam scelestos, tam improbos credidisset, cum eorum vita præcedens tam exemplarem conscientiam & sanctimoniam prodidisset? Quis ulterius eis credet, qui fidem non tenuerunt hominibus, & votum Deo exhibitum tam perperam violarunt? Quid tamdem expectare po-

teſt eccleſia, niſi continuum diſſidium & ruinam in moribus, cum tam peſtilens tamque horribile monſtrum deleatur e terris? Quo fit ut eadem mater eccleſia, patefactis vulneribus, filiorum imploret auxilium, pulſet & excitet corda fidelium, & cunctorum quos fidei zelus & fervor catholicæ religionis accendit, præſidium obteſtetur. Primum ad ſerenitatem veſtram confugiens, ut matri deſolatæ porrigatis dexteram, ac nutricem proſtratam erigendo, quantum in vobis fuerit, & ab improborum impreſſionibus liberetis, exemplo prædeceſſorum veſtræ regiæ majeſtatis, qui nullis umquam laboribus, impenſis, aut periculis, nedum indefeſſis ſtudiis, ad eam protegendam & ampliandam quomodolibet pepercerunt. Nos autem eamdem tantis obnoxiam calamitatibus intuentes, & plane experti nullum ulterius reſtare remedium, quo poſſet eadem eccleſia per manus ipſorum pacis & unitatis pulcritudinem obtinere, dictis contendentibus in reprobum ſenſum datis, cum annum & ultra in procurando loco conventionis utriuſque, & difficultatibus inextricabilibus conſumſiſſent, tamdem nullo in orbe loco eorum affectibus ſatisfaciente reperto, & ceſſionis via tam ſolemniter promiſſa & jurata effectualiter per eos, proh dolor! reprobata, ut promiſſiones, juramenta & vota noſtra, ſicut tenemur, viriliter impleremus, dimiſſis utrimque capitibus de papatu certantibus, ſanctam & legitimam in Dei nomine quæſivimus unitatem, & de duobus collegiis hactenus diviſis & ſparſis, in unicum collegium cum ſinceritate & caritate regreſſi, hanc Dei cauſam, eo adminiſtrante, ſumus amplexi, depoſitis totis ſenſibus, ſtudiis, ac viribus noſtris, eam uſque ad conſecutionem unionis tam ſanctæ tamque deſiderabilis promovere, & ut ſalubrius neceſſitati eccleſiæ ejuſque futuro ſtatui valeat irrefragabiliter provideri, generale concilium univerſalis eccleſiæ per ſpeciales litteras evocamus, ut nobiſcum in feſto Annunciationis glorioſæ Virginis MARIÆ proxime futuro in hac Piſana civitate conveniat. Sperantes nunc tamdem tanta nobis unitatis ſinceritate & commoditate deſuper præparata, veſtraque majeſtate nobis & eccleſiæ matri ſuæ præſtante præſidium, exaltationem Catholicæ fidei, ſalutem animarum Chriſti fidelium, & regii culminis veſtri laudem & gloriam perpetuam obtinere. Quis igitur nunc temporis non aperiet eidem eccleſiæ viſcera caritatis? quis non provocabitur ex intimis? quis non accendetur ad iram, ut a tam infeſtæ tyrannidis ſervitio libereſur? Abſit enim ut a tam ſalutari noſtri Redemtoris obſequio quiſquis ſe retrahat. Abſit ut relinquat arma rubigini. Abſit ut animum neget victoriæ, cum non deſit victoribus corona per gratiam & meritum in præſenti, & per gloriæ præmium in futuro. Quare veſtram regiam majeſtatem, in cujus fortitudine dexteræ plurimum ſalus pendet eccleſiæ, totis præcordiis obſecramus, ut ferventem zelum, quem ad unitatem & ſtatum gentis eccleſiæ veſtrorum exemplo majorum, qui primum regii diadematis decus & debitum reputarunt eccleſiam defenſare, dignetur feliciter proſequi, & clypeum defenſionis ejuſdem potenter arripere, ad ipſum generale concilium ſolemniter legationem, ut tantum decet principem, in tempore tranſmittendo, quo poſſit ipſa mater eccleſia, veſtræ majeſtatis aſſiſtente præſidio, tam feliciter informari, & ſuper inde prælatos regni veſtri, ad quos hujuſmodi vocationis litteræ diriguntur, regiis ſuaſionibus exhortari, quando etiam ubi opus exiſteret, ne quis a tanto bono ſe retrahat, modis debitis coërcere, ut ad hujuſmodi ſacræ convocationis præſentiam ſtudeant feſtinare. Nos enim ſanctum veſtræ majeſtatis affectum & effectum celerem in tabulis memoriæ, vita ſuperſtite, retinere diſpoſiti, quæcumque regii culminis veſtri decus & exaltationem concernunt, libenter offerimus promtis & ſinceris animis promovere. Super quibus omnibus reverendum in Chriſto patrem dominum archiepiſcopum Solacanienſem, de intentione noſtra pleniſſime informatum, ad ejuſdem ſerenitatis præſentiam deſtinamus, cujus relatibus tamquam noſtris placeat indubiam dare fidem. Datum Piſis die VIII. Septembris anno, &c.

LITTERA

ad imperatorem Romeorum.

Orant ut oratores ſuos ad concilium Piſenſe mittat.

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

SEreniſſimo principi & domino, domino MANUELI PALÆOLOGO Romeorum imperatori & decertatori, miſeratione divina epiſcopi, preſbyteri & diaconi S. R. E. cardinales ſalutem, & ad ea quæ ad pacem ſunt Jeruſalem unanimiter aſpirare.

Quam grata ſit ſummo Creatori noſtro unitas, multis & variis ipſius operibus, atque ſacræ ſcripturæ exemplis & auctoritatibus edocemur, præcipue dum ipſa unitas ſit ab homine primo, omnes per propagationem proceſſerunt. Sicque etiam in ipſius naſcentis eccleſiæ exordio videmus, in cujus inſtitutione ad commendandam unitatem, uni Petro Redemtor noſter commiſit eccleſiam, licet omnibus apoſtolis parem dederit poteſtatem. quæ quidem unitas eccleſiæ in multorum filiorum ſuorum per dilectionem conventione, in ſacramentorum Chriſti communione, in membrorum ad caput conjunctione conſiſtit: extra quam gratiam Dei habere non poſſumus, quæ propriè eſt donum

catholicæ unitatis; nec remiſſionem peccatorum, nec vitam ſpiritualem; ita ut ſacramentorum perceptio nihil profit, miraculorum operatio nulla ſit, ipſa etiam martyrii ſuſceptio ſit inutilis, & peccatorum remiſſio haberi non poſſit; unde non multitudinem, ſed unitatem..... Unde Chriſtiani ſcindentes unitatem eccleſiæ, infideles merito reputantur, & paganis æquales, qui veluti ſchiſmatici eccleſiam Dei lacerant, & inde ſciſſam Dei tunicam per fruſta diſcerpunt. Quibus quam graves a Deo pœnæ inflictæ & inſtitutæ ſint, in novo & veteri oſtenditur teſtamento, & ſanctorum patrum multiplicibus inſtruuntur inſtitutis. Hæc itaque, ſereniſſime domine, diligentius recenſentes, & attendentes quanta perfidia, quantoque ſcelere contendentium de papatu jam longiſſimo ſpatio eccleſia ſponſa Chriſti mater noſtra diviſa permanſerit, & quantum in eis eſt etiam in poſterum permanerēt, niſi per nos & alios fideles prævia gratia & inſpiratione ſuperna de optimo provideretur remedio: Nos utriuſque collegii cardinales, quorum quotidiana inſtantia, teſte Apoſtolo, eſſe debet, & eſt ſollicitudo omnium eccleſiarum, qui etiam jure levitico ſummi ſacerdotis coadjutores exiſtimus, ne tam patentis erroris, cui univerſale damnum & præcipitium totius reipublicæ ſubjacet, non tantum ſimulatores conniventes, ſed etiam ſocii & participes videamur, in unum nos univimus unitatis propoſitum, abjecta & poſtpoſita utriuſque contendentium ambitione improba & damnata, per viam juridicam & legitimam dare pacem eccleſiæ, videlicet per convocationem generalis concilii, in quo viſis & cognitis promiſſionibus, juramentis & votis tam ſolemnibus totiens repetitis utriuſque ipſorum, ſtatuatur quod debitum fuerit, & pax reddatur eccleſiæ, & unitas revireſcat ad Dei laudem, orthodoxæ fidei augmentum, & honorem nominis Chriſtiani: quam quidem convocationem concilii fieri ordinamus in civitate Piſana in die Annunciationis beatæ glorioſæ Virginis MARIÆ; ad quem terminum & locum per litteras & oratores noſtros univerſaliter requiri facimus patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, alioſque prælatos eccleſiæ ubilibet conſtitutos, ut veniant, nec non reges & principes dominos & communitates, ut ſolemnes ambaxiatores mittant, ſicut in noſtris litteris hujuſmodi convocationis plenius continetur, quarum copiam tradi fecimus reverendo in Chriſto patri archiepiſcopo Solacanienſi exhibitori præſentium, per quem progreſſus negotiorum, quæ hactenus occurrerunt, noſtrumque propoſitum ſerenitati veſtræ latius referuntur, quam cum ſciamus ſummo deſiderio concupiſcere pacem eccleſiæ & concordiam populi Chriſtiani, ſicut celſitudinem veſtram decet, rogamus & obſecramus, ut, ſi fieri poſſit, ſolemnes oratores ſerenitas veſtra tranſmittat, qui dictis loco & termino adſint, & quæ agenda ſunt videant: quos quidem acceptiſſimos habebimus & libenter videbimus, offerentes nos ad ea quæ ſtatus & honoris veſtri amplitudinem concernunt. Datum Piſis, *ut ſupra.*

EPISTOLA NUNCIORUM regis Franciæ ad regem Hungariæ.

Quanta contendentes de papatu pro impedienda eccleſiæ unione fecerint enarrant, hortanturque ad obedientiæ ſubtractionem, & ad mittendos regni ſui prælatos ad concilium Piſanum.

RECOLIMUS, illuſtriſſime princeps, alias nos noſtroſque collegas litteras ſereniſſimi principis & domini noſtri regis Francorum univerſis principibus & Chriſti fidelibus directas, veſtræ ſerenitati miſiſſe; per quas idem dominus rex majeſtatem veſtram & omnes alios Chriſticolas ad viam ſubtractionis obedientiæ, quam ipſe de maturo ſapientum conſilio elegerat, pia exhortatione conabatur inducere. Nos quoque pro ejuſdem rei effectu, majeſtati veſtræ pro parte præfati domini regis & noſtra conſcripſimus, addentes noſtris litteris, cum admiratione non modica, quomodo quidam veſtri oratores in civitate Senenſi, in qua tunc GREGORIUS reſidebat, nonnulla aſſerebant contra honorem ejuſdem domini noſtri regis, immo potius contra veritatem & ſanctiſſimam unionem, quam oppugnare aut directe aut indirecte, neſcimus quid aliud quam hæreſim ſapiat. Quamquam autem ad præmiſſa neque dictus dominus noſter rex, neque nos, qui ſui parte in Italiæ regione pro bono pacis & ſchiſmatis ſedatione, ad hoc ſumus ultimi, reſponſum efficax habuerimus; tamen quia nuper audivimus majeſtati veſtræ nonnulla fuiſſe ſuggeſta mendacia, utpote de Gregorii juſtitia, injuſtitia autem dominorum cardinalium, opportunum eſſe & ad nos ſpectare putavimus, hujus rei veritatem breviter veſtræ ſerenitati conſcribere, nec putet veſtra ſerenitas, nos adeo unionem diligere, ut pro ea velimus a veritate recedere, & ea aliis affirmare quæ vera non ſunt. Sic enim hodie res ſeſe habent, ut unio eccleſiæ nullis mendaciis, ſed ſola veritate pro ſui defenſione indigeat. Perſeverat GREGORIUS in ſuo perverſo propoſito, & ad ſchiſma perpetuandum intendens, quam uſque in illud tempus celavit hypocriſim ſuæ perverſæ mentis, injuſtitiam publice declaravit, omnes unionis tractatus abrupit, nobis ſalvum-conductum negavit, tamdem contra ſua juramenta & vota, volens certos unionis inimicos creare, cum in hoc ſibi ſanctiſſime diſſentientes do-

Anno 1408. *Exmſ. illuſtriſſimi domini Chavelin.*

minos cardinales aut captivare, aut trucidare non potuerit, quoniam magnificus dominus Lucanus P. tantum facinus non permisit, eisdem cardinalibus sub formidabilibus pœnis mandavit, ut amplius non convenirent nobiscum, neque ipsi ad invicem convenirent, neque sine sua licentia civitatem Lucanam exirent; quod quid aliud fuerit, quam de unione nolle verbum fieri, serenitas vestra dijudicet. Volens autem suum primum implere propositum, præfatis dominis cardinalibus non tantum non consentientibus, sed neque præsentibus, quatuor hypocritas & unionis oppugnatores, in cardinales, si hoc nomine appellari merentur, turpissime prophanavit. Sperantes autem præfati domini cardinales, cum id præsentes non possent, in eorum absentia ipsius induratum mollire propositum, ad civitatem Pisanam se contulerunt, quam ipse Gregorius & Benedictus pro eorum conventione sæpius approbarant, & per plures eorum oratores, demum per reverendissimum patrem dominum cardinalem Burdegalensem supplicari fecerunt, ut dignaretur animum flectere, & pacem ecclesiæ dare, ut voverat & juramento firmaverat. Postquam vero eorum supplicationes & preces hominem marmoreum flectere nequiverunt, eidem de multorum tam utriusque juris, quam sacræ paginæ doctorum, maturo consilio obedientiam subtraxerunt, Liburnum accesserunt, & ibi se cum dominis cardinalibus alterius collegii tanta caritate junxerunt, ut ex duobus collegiis unum per Spiritus-sancti gratiam sit conflatum, & obtenta tamdem a Florentinis civitate Pisana, huc se invicem contulerunt, viamque convocationis concilii generalis in eadem civitate Pisana, loco utrique parti congruentissimo & maxime idoneo, in festo Annunciationis dominicæ de proximo mense Martii celebrandi, de maturo consilio elegerunt. Quam quidem viam saluberrimam Gregorius & Benedictus de papatu contendentes, in suarum animarum præjudicium, & totius mundi discrimen, disturbare nitentes, eorum particularia concilia, immo conciliabula potius indixerunt; alter, videlicet Benedictus, in regno Aragoniæ in loco Perpiniani, in festo Omnium-sanctorum præterito; alter, scilicet Gregorius, in exarchatu Ravennarum, aut in provincia Aquilegiensi, in festo Pentecostes futuro. Tamdem Benedictus de Portu-Veneris, in quo erat, ad Perpinianum se contulit; Gregorius vero Senas accessit, ut dici possit, unus ad occidentem, alter ad orientem se contulit. Senis (a) vero morante Gregorio, qui etiam ibidem aliquos, quos suæ voluntati ad suum defendendum errorem conformes putavit, prætensos cardinales elegit. Præfati domini collegii Italici volentes experiri, si possent ullomodo ejus mollire duritiem, reverendissimos patres dominos Aquilegiensem & Mediolanensem S. R. E. cardinales ad eumdem miserunt, quos ut aspis surda nulliomodo audire voluit. Ipsi tamen cum renitentem movere & adhortari non possent, affixis patentibus litteris in valvis cujusdam Senensis ecclesiæ, per quas dictum collegium Italicum eumdem Gregorium requisivit, ut in præfato statuto termino ad idem veniret generale concilium celebrandum in civitate Pisana, Pisas ad alios dominos rediverunt. Ipse autem Gregorius Ariminum (b) tamdem se contulit, in quo nunc est, ad impedimentum unionis faciens quidquid potest. Habetis, serenissime princeps, post ambaxiatorum vestrorum reditum, totius rei gestæ summatim verissimam seriem. Nunc advertite, quæsumus, quæ justitia Gregorii esse possit, & quæ dominorum cardinalium injustitia; si unionem petere, & pro ea efficaciter laborare injustitia est, confitebuntur cardinales causam favere injustam: si vero unionem fugere & schisma perpetuare justitia est, confitebimur plane Gregorium habere justitiam. Certe, sereniſſime rex, si isti duo de papatu misere contendentes ullum in se habent justitiæ fomitem, non ab invicem distantissima loca pro conciliis elegissent, non ipsi ab invicem sese tanta regionum distantia separassent, sed aut stantes propinqui in uno loco convenissent, aut libere, ut voverunt, papatui renunciassent, aut ad id procuratores constituissent legitimos, aut cum ambobus collegiis de generali concilio convenissent, cum eorum concilia generalia & utramque obedientiam comprehendentia esse non possint. Nam nec ad concilium Benedicti, illi qui sunt de obedientia Gregorii accedent, nec e contra. Quare, serenissime princeps, avertat se vestra serenitas a linguis mendacibus, veritatem inspiciat, & in fervorem unionis ardescat, concurrat in obedientiæ subtractione cum domino nostro rege, qui, ut vera fateri volumus, de majoribus vestris attinentibus est, præfatis dominis cardinalibus utriusque collegii nunc unici vestros dignemini præstare favores, & ad dictum generale concilium Pisis celebrandum vestri regni prælatos transmittere, & ad idem faciendum vestros adhærentes inducere, ut sic tamdem unionem desideratissimam mundus videat. Scriptum, &c.

[a] (a) Lucæ adhuc morabatur Gregorius IV. idus Julii, quo litteras dedit ad universos fideles ad purgandum se de perjurii crimine: at vero die 25. ejusdem mensis jam versabatur Senis, ibidemque per tres menses commoratus est.

[b] (b) Ariminum mense Novembri contulisse se videtur. Nam Senis erat adhuc 6. cal. Novembris, quo die litteras ad Lucam cardinalem dedit.

BULLA BENEDICTI PAPÆ XIII.

Qua Parisiensem Universitatem ac regis in Italiam oratores citat ad comparendum coram se, & respondendum de sibi objectis.

Anno 1408. *Ex mſ illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

BENEDICTUS, &c. ad futuram rei memoriam. Inter curas innumerabiles, quibus ex debito paſtoralis officii jugiter angimur, illa nimirum nos angit, ut adverſus illos qui vineam Domini Sabaoth demoliri tamquam vulpeculæ ſub exſecrandis factionibus ſatagunt, prout ſecundum Deum commode poſſumus, procedamus. Sane hodie cum ſit publicum conſiſtorium, præſentibus venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus in palatio apoſtolico, in quo tam prælatorum quam in ſacra pagina magiſtrorum, ac utriuſque juris doctorum inſignium, & aliorum quamplurium ſolemnium virorum tam ſæcularium quam regularium multitudo aderat copioſa, dilectus filius magiſter Ferdinandus *Bonet* procurator noſter fiſcalis propoſuit coram nobis, quod univerſitas Studii Pariſienſis, ſi ſic eam liceat appellare; SIMEON CRAMAUS, qui pro patriarcha Alexandrino & adminiſtratore eccleſiæ Carcaſſonenſis ſe gerit; VITALIS DE CASTRO MAURONO intruſus in eccleſia Toloſana; P. Frenelli, qui pro epiſcopo Meldenſi ſe gerit; P. *Plou*, Arnulfus de Fonte, Jo. Garſiæ fratrum ordinis Minorum profeſſor, Johannes Parvi, qui pro magiſtris in ſacra theologia ſe gerunt, Johannes Guioti miniſter Mathurinorum, Stephanus Mortanni, Gaufridus de Peruſio *Converte*, & Johannes Franciſci aliàs *Chauſefourrée*, contra fidem catholicam & apoſtolicæ ſedis ac Romanæ eccleſiæ poteſtatem & claves, diverſos errores aſſerere, & perſonam noſtram, qui eidem eccleſiæ licet immeriti præſidemus, variis criminibus, inique, perperam & falſo diffamare nituntur, ac diverſa impedimenta adverſus unionem eccleſiæ, cum tot noſtris & dictæ Romanæ eccleſiæ cardinalium ac ceterorum nos ſequentium laboribus, expenſis, & periculis procuratam, [faciunt] nunc clam, nunc palam, appellationes etiam interponunt ſeu interponi faciunt, & nonnulla alia enormia in divinæ majeſtatis offenſam, ſedis apoſtolicæ contemtum & pernicioſum exemplum, ac plurimorum ſcandalum committunt ac perpetrare & committere non verentur; quodque nonnulla ex præmiſſis adeo ſunt notoria, quod probatione non indigent, nec aliqua poſſunt tergiverſatione celari; & alia ſunt talia quæ de facili poſſunt comprobari. Nos igitur non volentes neque valentes, ſana conſcientia, & ſine manifeſta Dei offenſa, tam horrenda crimina & execranda facinora conniventibus oculis pertranſire, licet ſuper præmiſſis aliter poſſemus ſecundum rigorem juris procedere, volumus rigorem ipſum manſuetudine temperare. Idcirco de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio, ſuperius nominatos auctoritate apoſtolica præſentium tenore citamus, quatenus ipſi infra LX. dierum ſpatium a data præſentium computandorum, quorum XX. pro primo, & XX. pro ſecundo, & reliquos XX. pro tertio ultimo & peremtorio terminis aſſignamus, Univerſitas Studii prædicti, Simon, Vitalis, Petrus, P. *Plou*, Arnulfus, Jo. Garſiæ, Jo. Parvi, Jo. Guioti, miniſter Mathurinorum, Stephanus Mortani, Gaufridus de Peruſio *Converte* & Jo. Franciſci, coram nobis vel commiſſario deputato vel deputando a nobis ſuper prædictis omnibus, univerſitas eadem prætenſa per ſufficientem ſyndicum & alii ſupradicti ſe perſonaliter præſentent, reſponſuri de fide, de qua vehementer ſuſpecti habentur; necnon ad procedendum ſuper præmiſſis omnibus & aliis quæ adverſus eos proponentur, continuandumque ac procedi videndum in notariis ſuo modo, & in his quæ judicialem requirunt indaginem, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, uſque ad definitivam ſententiam incluſive, cum omnibus antecedentibus, concomitantibus & conſequentibus. Qui ſi veniunt, nos eiſdem exhiberi faciemus juſtitiæ complementum. Sin autem, eorum contumacia ſeu abſentia non obſtante, procedemus ſeu procedi faciemus ad declarationem & inflictionem pœnarum tam a jure communi, quam a conſtitutionibus, proceſſibus, & ordinationibus a nobis & aliis Romanis pontificibus prædeceſſoribus noſtris impoſitarum, & ad omnia prædicta & alia, prout juſtitia ſuadebit. Ut autem citatio hujuſmodi ad eorum notitiam deducatur, cartas ſive membranas citationem hujuſmodi continentes, in valvis caſtri villæ Perpiniani Elnenſis diœceſis, ubi ad præſens cum noſtra curia reſidemus, & in eccleſia S. Johannis, quæ principalis in eadem eſt, affigi præcipimus, quæ vocationem ipſam ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut prædicti omnes & ſinguli, quos proceſſus ipſi contingent, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos hujuſmodi citatio non pervenerit, & quod ignoraverint eamdem, cum non ſit veriſimile, quod ad ipſos [poſſit] remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Prædictum enim modum citandi eligendum decrevimus, cum ad citandorum eorumdem præſentiam, propter viarum pericula & alia diſcrimina varia, tutus minime pateat acceſſus; volentes & auctoritate prædicta & de poteſtatis plenitudine decernentes, ut perinde proceſſus citationum hujuſmodi eoſdem arctet, ac ſi eiſdem inſinuatus perſonaliter & ſolemniter extitiſſet, quacumque conſtitutione etiam in corpore juris clauſa per præ-

decessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ citationis, assignationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis, &c. Datum Perpiniani Elnensis diœcesis, XII. calendas Novembris, pontificatus nostri anno XV.

EPISTOLA CARDINALIS Mediolanensis, domino duci Mediolanensi.

Hortatur ad subtractionem obedientiæ Gregorio faciendam.

Anno 1408. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

ILlustris princeps, & excelse domine, amice noster carissime, post salutem. Quoniam illius res agitur, qui pro salute generis humani non renuit pretiosum sanguinem suum in ara crucis effundere, ut illud de tenebrarum ergastulo redimeret & revocaret ad lucem, merito debet humana quælibet creatura causam sui Redemtoris ferventer amplecti, & eo ferventius, eo animosius rem tam sanctam, tam piam, tam desiderabilem promovere, quo potiori beneficiorum dono præventa, creatori suo arctius obligatur. Quantum autem inter ceteros principes catholicos & fideles illustris excellentia vestra summo rerum opifici teneatur, qui illam populis dominam & gubernatricem instituit, illam fama & honoribus sublimavit, docet collata vobis dignitatis auctoritas, & exuberans cœlestis gratiæ largitudo, qua fusultus olim inclytæ memoriæ dominus genitor vester Christianissimus semper & celeberrimus in terris viguit, & ab hac luce vocatus ad cœlestem patriam orthodoxæ fidei nostræ cultor devotissimus convolavit. Cum itaque non parvum excellentiæ vestræ debitum erga sanctam Dei ecclesiam, vestram cunctorumque matrem fidelium revolvatur, in quo simul & animæ salus pendet; Nos quamquam a præfato vestro celeberrimo genitore, vestræ gubernationis officium cum ingenti commissum fiducia tenerrime amplectentes, non minus ferventer ex debito pastoralis officii, nec minori debito legationis apostolicæ sollicitudini nostræ commissæ paternis affectibus anxiamur, ut animæ vestræ salubriter consulamus, & in his quæ tanto conveniunt debito, vestra studia, vestram diligentiam excitemus. Vidit Vidit excellentia vestra per bullas domini GREGORII, qui se XII. papam nominat, quibus promissionibus, juramentis & votis, seipsum astrinxerit, ad dandam unitatem & pacem ecclesiæ, quæ tanto jam tempore duorum hominum ambitione damnabili vulnerata, teterrimo morbo afficitur. Intelligere etiam potuistis quam fictis gressibus ad unionis tractatum accedens, tempus diu frustra consumserit, tantis locorum & rerum difficultatibus interjectis, ut tandem nullo in Italia loco invento, qui frivolis conditionibus suis sufficeret, cum novos & inextricabiliores quotidie modos adjiceret, occasionem invenerit pravum mentis affectum, qui diu latuerat, exsequendi, & a tam sancto tractatu sedandi schismatis, ad quod electus est, proh dolor! recedendi. Et cum ejus corrupta conscientia diutius occultari non posset, quatuor, quos affectionum suarum fautores noverat, contra promissiones, juramenta, & vota sua, creaverit in cardinales ejusdem ecclesiæ, ut in ea validioris morbi pestem induceret, & dominandi cupidinem liberius adimpleret. Quis enim credere potuisset tantam hujus hominis improbitatem, cujus tam exemplaris & sancta videbatur vita præcedens? Quis ei credet ulterius, qui fidem etiam hostibus servandam non tenuit, & votum Deo exhibitum violavit? Quis tandem diffidiorum & malorum finis a Christi fidelibus poterit expectari, qui cum salutarem portum jam crederent invenisse, nova sensere vulnera, nova & certiora pericula duplicari, nisi Deus misericors causam suam ex alto respiciens novum & mirandum diffidium induxisset? quo factum est, ut domini utriusque collegii cardinales, velut firmæ fidei columnæ, non videntes ullum ulterius restare remedium, quo posset per manus contendentium de papatu ecclesiæ unitas obtineri, dimissis utrimque capitibus, in felicem & sinceram redierunt unitatem, dispositi nihil intentatum omittere, nullo periculo, nulloque labore prosterni, ut ad tam necessarium bonum, Deo præstante, perveniant. Nos autem ad has partes pro tanto bono salutis omnium Christi fidelium, conscientia vigente, perventi, ne Christi causam in tanto fluctuantem diffidio, & parata, proh dolor! animarum pericula conniventibus oculis transiremus, cum quatuor jam mensibus omnem possibilem operam dedissemus, litteris & nuntiis iteratis sæpius, quo possemus a dicto domino GREGORIO, causa suam adeundi præsentiam, salvum obtinere conductum, ut coram Deo foret secum [conferendo] exonerata conscientia nostra, & si ullis humanis vel divinis rationibus flecti posset, nostrum debitum faceremus, hujusmodi salvo conductu aperte denegato, cum nobis ulterius proficiendi secum spes nulla linqueretur, ad reverendissimos dominos confratres nostros sacri collegii cardinales in hoc sancto unionis proposito confirmatos accessimus, una cum eis debitum nostrum Altissimo reddituri. Et iterum non attenta negatione salvi conductus hujusmodi, ne dicti aditus via per modum aliquem intentata remaneret, in protectione Altissimi confidentes, & solo magnificæ communitatis Senensium salvo conductu susceptо, una cum reverendissimo domino cardinali Aqui-

legiensi, personaliter Senas accessimus, & ibi habitis magnificis dominis, prioribus, civitatibus intercessoribus, & mediatoribus apud eumdem Gregorium, ut nos pro pace ecclesiæ venientes, & eam caritative sequentes, pro quibus adimplendis juramentis & votis tam solemnibus se astrinxit, in tam necessaria Christi causa vellet audire. Quamquam præfati domini priores iteratis vicibus ad hoc obtinendum octo dierum spatio ferventer institerint, nihilominus ille durius obsurdescens, & ad multiplicandum schisma pestiferum totaliter in reprobum sensum datus, cum ante nostrum introitum, novem bestias, [a] ut ipse nominat, cardinales (a) creasset, vel verius profanasset, non erubuit pacis nuncios non audire, & se nunc toti mundo evidenter ostendere pacis adversarium, & Christianæ concordiæ destructorem. Quid deterius ad novam prophanationem aspirat, intendens alios, ut nominat, cardinales assumere, quibus jam pollicitatio facta est. Ex quibus nos omni spe vacui, quod hic obscuratissimus hominum ab affectione misera carnis & sanguinis retrahatur, convocatis civibus ex melioribus & notabilioribus civitatis, protestationes fecimus opportunas, & demum litteram citatoriam ex parte utriusque collegii, qua requiritur idem Gregorius, ut personaliter in concilio generali Pisis celebrando compareat, solemniter præsentari fecimus secundum canonicas sanctiones. Et his peractis, a dicta Senensi civitate recessimus. Cum igitur ex dictorum contendentium ambitione miserrima tantus in universa Christianitate morbus irrepserit, ut jam unicuique sit de salute propria celeriter cogitandum; nos vestram ac subditorum vestrorum salutem, ex incumbenti nobis debito, paterna diligentia complectentes, in visceribus caritatis vos duximus advisandos, quod quicumque dictis de papatu contendentibus aut eorum alteri obedientiam quomodocumque præstiterit, vel favorem, quamdiu a talis obedientiæ vel favoris exhibitione non cesset, in peccati mortalis macula detinetur, quia notorio schismatis nutritori, quales isti contendentes deprehensi sunt, adhærendo, nutritioni schismatis adjicitur incentivum. Et ideo debent quicumque fideles a talium obedientia pernitiosa recedere, ne unà secum in præcipitium hæresis deducantur. Vos igitur, illustris fili carissime, per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi, per sacræ fidei nostræ mysteria, quæ tot sanctorum patrum fuso cruore firmata, duorum veneno mortalium, in totius Christiani generis opprobrium vulneratur, per ipsam salutem vestram de qua agitur, obsecramus, ut ab ipsius domini Gregorii omnimoda obedientia recedentes, velitis eam in toto territorio vestro subtrahere, mandareque, quod nulla de cetero participatio vel assistentia cum eo per vestros subditos habeatur, omnesque subditi vestri curiam suam sequentes, ea dimissa, confestim ad lares proprios revertantur. Ex quibus nullus ecclesiasticus nullum debitum apostolicæ cameræ sibi aut suis adhærentibus transmittatur, sed apud excellentiam vestram fideliter reducatur & conservetur, futuro summo & indubitato Romano pontifici postmodum assignandum. Sic etenim vestræ ac vestrorum saluti salubriter consuletis, & erga sanctam ecclesiam matrem vestram, tanto divisam tempore, distractam & laceram, filialis devotionis obsequium impendetis; ut jam tandem superatis languoribus, vestro & aliorum fidelium suffulta præsidio, in pristinam redeat dignitatem. Nunc igitur dum tempus urget exsurgite, & tam pro vestro, quam universali commodo viriliter laborate, ut paratum fidelibus æternum præmium, in terris famam perpetuam vindicetis. Datum Florentiæ, &c.

(a) Gregorius ab antiquis cardinalibus desertus, ut suum papatum assereret, novos creavit cardinales novem die 14. Octobris 1408. quos recenset Ciaconius.

EPISTOLA PETRI DE CANDIA cardinalis Mediolanensis, ad A. cardinalem Penestrinum.

Gratulatur ei quod propter justitiam sit persecutionem passus, narrat quid & ipse vicissim a Gregorio patiatur, suadetque ut pro subtractione obedientiæ ad Florentinos mittantur oratores.

Anno 1408. *Ex ms. illustrissimi domini Chanvelin.*

Reverendissimo in Christo patri ac domino, domino A. episcopo Penestrino, S. R. E. dignissimo cardinali Aquilegiensi, patri ac domino meo singularissimo.

Reverendissime in Christo pater ac domine, domine mi singularissime, humili semper recommendatione præmissa. Susceptas nuper cum omni reverentia dominationis vestræ litteras Pisis datas xv. instantis mensis, non sine mentis amaritudine fateor perlegisse, dum vestrorum fratris & nepotum captio & detentio primo aspectu extitit patefacta, nec immerito dolore devotio mea paternæ turbationis mucrone compuncta est. Quis enim secundum humanitatem devotus filius benignissimi patris & domini sui non torqueatur adversis? Habuit & dominatio vestra more humano dignam dolendi materiam ex tam infestæ novitatis auditu, causa legitima non accepta. Sed dum ultra progrediens & litterarum continentia totam examinis causæ cognitionem acciperem, quod scilicet non eorum culpa, sed innocentiæ certitudine comitati, propter sanctam unionis causam, quam eadem dominatio pro Christo complexa est, indignæ persecutionis vulnera patiuntur, concepti doloris acerbitas non mediocriter est linita. Ad hæc sanctum

ctum veſtræ mentis propoſitum in hoc Dei negotio conſtantius roboratum, non parvum contulit ſolaminis reſpiramen, dum vidi quod pro viſitatione multiplici, quam Deus hoc anno in perſonis & facultatibus erga dominationem veſtram exercuit, conſtantem & fortem animum conſervavit, illum eo validius roborare dignatus, quo ſecundum humanitatem habuit infeſta moleſtia intima penetrare. Deo itaque gratias ago, qui tantum cauſæ ſuæ pugilem non reliquit. Et ſi quid apud dominationem veſtram velit ſupplex meæ devotionis oratio, cum omni qua poſſum inſtantia audeo ſupplicare, ut in hoc ſancto ſolidata propoſito, magnanimitate ſolita, nullis terrenis eventibus terreatur, & pro Chriſto militans humanæ perſecutionis jacula non formidet. Quid enim Deo perfectius? quid fidelium animabus utilius, quam orthodoxæ fidei noſtræ defenſio, pro qua tot ſancti patres martyrio coronari voluerunt? Quod pietatis & miſericordiæ genus eſt dignius, quam oves Dominicas duorum ambitione diviſas, laceras & vagantes ad unicum ovile verique ac unici paſtoris notitiam revocare? Ut autem quæcumque perſonam meam tangunt velut devotus filius patri ac domino meo notificem; quamquam viſitatio mea veſtræ nuper digna nequeat comparatione cenſeri; cum ego in facultatibus, veſtra autem dominatio in perſonis & facultatibus patiatur, cum eadem reverentia ſignifico, quod GREGORIUS nuper ad requiſitionem, ut ſenſi, domini & ducis Mediolanenſis, dum Ar. preſbyterum majoris eccleſiæ Mediolanenſis de facto in archiepiſcopum nunciavit. Quo non contentus, omnibus aliis commendis, quas poſſidebam, de facto me privavit: ita quod hodie dicere poſſim, nullum in eccleſia Dei beneficium poſſidere, de quo gratias Altiſſimo refero, qui propter ſuſceptam hanc juſtiſſimam unionis cauſam dignatus eſt me contumelia & perſecutione dignum efficere, nec tamen, eo teſte, mens mea conſtans & fervida frangi poterit aut proſterni, ſed continue ferventius animabor, omne temporale commodum pro Chriſto libentiſſime contemturus; demum quia dominationis veſtræ litteræ ſubjungebant, ut ſuper mittenda præſentialiter ad communitatem iſtam ambaxiata, ſubtractionem obedientiæ a dicto GREGORIO pro viribus curatura, meum dominationi veſtræ judicium aperirem. Ecce quod reverendiſſimis dominis meis pariter & reverentiæ veſtræ ſcripſi, iterum replicabo, quod videlicet nedum utile, ſed neceſſarium mihi videtur, quod ad præſens cum omni ſollicitudine laboretis; quia nunc tempus viſitationis noſtræ pervenit, nunc invenietis materiam diſpoſitiſſimam & paratam. Clamant omnes in Dei cauſa jam roborati, ut quid tempus diutius teritur? quid expectatur? quid differtur ulterius? Quod ſi pro tam ſalubri cauſa duo ex reverendiſſimis meis cardinalibus, unus videlicet Ultramontanus, alter Italicus ſimul acceſſerint, credo quod fructum optimum reportabunt. Sed quod interim cum omni ſollicitudine procuretur, ut magnificus Januæ gubernator ſuam ambaſſiatam hac de cauſa deſtinet feſtinanter, dum habemus priores propitios, & bonorum civium animos invenimus noſtris voluntatibus inclinatos. Tollite itaque moras, quia tempus ipſum dilationes refugit & abhorret. Valeat dominatio veſtra feliciter, quam Altiſſimus juxta vota conſervare dignetur. Datum Florentiæ.

Ejuſdem reverendiſſimæ paternitatis ac dominationis humilis & devotus ſervitor P. cardinalis Mediolanenſis.

EPISTOLA EJUSDEM
ut videtur, ad eumdem.

Ut quam citius Florentinis mittantur pro ſubtractione a cardinalibus oratores.

REverendiſſime in Chriſto pater ac domine, domine mi ſingulariſſime, debita recommendatione præmiſſa. Poſtquam dominationi veſtræ per alias litteras ſcripſi, occurrit quod vir venerabilis dominus BAR. de Montegoncio pro parte reverendiſſimi domini mei domini de S. Euſtachio ad veſtram & aliorum dominorum meorum præſentiam deſtinatur, rogaturus cum effectu, quod duo ex dominationibus veſtris, omni expectatione ſeclusa, dignentur ad hanc accedere civitatem, ut obedientiæ ſubtractio, nunc quo tempus eſt, omnino concludatur. Nam, ut verum fatear, niſi res foret adeo diſpoſita, ut facillimum credam, duobus ex vobis huc venientibus, omnia feliciter obtineri, jam ab hac civitate profectus eſſem verſus Bononiam, ad reverendiſſimum dominum meum, dominum de S. Euſtachio prælibatum, acceſſum meum ad ſui præſentiam poſtulantem. Sed venerunt ad me cives hanc Dei cauſam proſequentes, præſentiam meam hic neceſſariam, tali pendente tractatu, & nullo alio pro veſtris dominationibus exiſtente, omnes unanimiter concludentes, & ex meo receſſu dubitantes, ne fervens & accenſa multorum intentio refrigeſcat. Quibus attentis, talem adventum diſpoſui præſtolari. Et ſi dominatio veſtra dignetur onus huc veniendi ſuſcipere, & reverendiſſimum dominum meum dominum de Thureio pro dominis meis Ultramontanis pariter ſecum habere, id ad meam & multorum gratiam ſingularem & incomparabilem utilitatem accedet. Spero namque quod vobis, ut prædixi, ſimul venientibus, ante meum ab hinc receſſum, omnia, Deo duce, feliciter concludentur. Feſtinate itaque pro Deo, dum tempus expoſtulat. Ego interim perſonam circum-

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi viri domini Chanvelin.*

ſpectam & fidam, videlicet nobilem virum JOHANNEM DE BRUGERA, filium in Chriſto cariſſimum, Venetias deſtinavi, pro ſuſcipienda vera informatione ſuper his, pro quibus pridie ad veſtram & aliorum dominorum meorum præſentiam ſpecialiter deſtinavi. Miſi etiam ad præfatum reverendiſſimum dominum noſtrum de S. Euſtachio nuncium proprium, ut per ipſum cauſam expectationis meæ in hac civitate pro tanti boni concluſione cognoſcat, quam felicem concedere dignetur Altiſſimus, & dominationem veſtram ad vota conſervare. Datum Florentiæ.

APPELLATIO B. DE MONTICULO litterarum ſacræ pœnitentiariæ ſcriptoris & correctoris, a ſententia Gregoriana.

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

VEllem pro communi ſalute mihi cauſas appellationis aut omnino non eſſe, ſicque a te pro juſtitia non oportuiſſe diſcedere, aut injuſtas eſſe, & me magis jure privatum abs te quam injuria. Vellem potius in eum me exiguum hominem incidiſſe errorem, qui meæ privationis cauſa fuiſſet legitima, quam te tantum monarcham ejus eſſe ſententiæ, ut ſponſa Chriſti in tanto non ſolum perſeverans diſſidio, ſed inſuper omnes qui ejus unitatem quærunt, tuis tamquam ſacrilegos damnes ſententiis. Ego enim me hujuſmodi eſſe naturæ cognoſco, ut aut caveam ne digna ſupplicio perpetiar, aut monitus ab errato deſiſtam. Tua autem cervix ea eſt, ut tibi una erroris plurimorum ſit cauſa, nec umquam velis non tantum amicis conſiliis monitus, verum etiam apertis contumeliis laceſſitus errata corrigere. Nec vero crede me hujuſmodi privationis dolore perculſum hæc in te verba conjicere; cum me neque ego, qui mihi conſcius ſum innocentiæ meæ, privatum putem; neque hi, qui veſtem Chriſti diſſciſſam, te repugnante, reſarcire nituntur, plus me quam ſeipſos privatum volent. Sed propter duo id facio, primum ut veritatem non taceam, alterum quod exprimo procedit, ut juſtitiam meæ appellationis oſtendam. Adhibe igitur aures, Gregori, & in teipſo conſidera numquid eorum quæ dicam mentiar. Si refellis, adhibebo in teſtes meæ veritatis reverendiſſimos patres, qui te infeliciter elegerunt, quos ſi ſuſpectos alleges, tamquam tibi contrarios, an etiam tuam ſcripturam allegabis ſuſpectam. Innumerabilia mihi teſtimonia meæ veritatis, quocumque me verto, aſſunt. Summatim igitur res omnes, quæ ad hanc rem pertinent, aduſque hunc diem geſtas explicare tentabo. Antea quam de te electio facta eſſet, cum ceteris patribus in conclavi voviſti, & jurejurando firmaſti ſciſſam unire eccleſiam, & ſi te ad ſummum gradum contigiſſet aſcendere, renuntiare pro tanto bono papatui. Ad id verum non dico? relege quod ſcripſiſti, ſi forte te memoria lapſum eſſe invenias, te non ſolum ANGELUM, ſed GREGORIUM etiam ſubſcripſiſſe, quatuordecim ſuper hoc publica documenta, & in eis contenta voto & juramento firmaſſe. Jam hoc planum eſt, negari non poteſt. Nonne etiam poſt aſſumtum diadema, in publico conſiſtorio, multis diverſarum nationum orbis terrarum præſentibus, adhærentibus, & præ gaudio lacrymantibus, in conclavi geſta, vota & jurata, firma & rata habuiſti, & tertio publice roboraſti jurejurando & voto? Nonne palam dixiſti, te non vanitatis, ſed caritatis via velle incedere? Nonne hæc continentes litteras univerſo orbi miſiſti? An id memoria excidit? Si forte præteriit, in mentem revoco: ſi meminiſti, cur ab illa caritatis via declinas, per quam Salvator noſter gradiens, pro illa ſponſa, quam tu dimidiam facis, voluit in cruce pendere? Non pudet te ejus eſſe vicarium, cujus greſſus non tantum non ſecteris, ſed ejus etiam ſis inimicus operibus? Ille pacem teſtamento reliquit apoſtolis, tu ſchiſma non modo non aufers, ſed auges. Ille dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; tu ut in hoc mundo regnes, non ſine infinitorum pene hominum ſcandalo inveteratam peſtiferamque nutris diſcordiam, nec advertis quot quantorumque malorum ſis mater. Nam vix unum reperies, qui eccleſiaſticos ordines revereatur, ut decet; qui cenſuras eccleſiaſticas reformidet, qui non potius prædonibus confidat quam clericis. Jam tu & tuus ille rivalis Maledictus, cum vere non poſſim dicere Benedictus, cum quo tu & ipſe tecum tam aperte colluditis, ut omnes jam manifeſte veſtras mutuas artes intelligant, facti eſtis vulgi fabula. An ego falſa prædico? Non fuit colluſio cum tanto, ſed ficto fervore civitatem acceptaſſes Saonæ, ad quam ille tecurus ſe contulit, ſciens te tandem ſedem illam allegaturum ſuſpectam? Tu Senas profectus es, non ut illico, ut debes, Saonæ accederes; ſed ut ſimulatis timoribus ſuſpectam faceres. Tandem illius ad te, & tuis ad illum miſſis legatis, de loci mutatione tractatum eſt, concluſum vero minime. Ille ut ſe concordiæ amatorem prætenderet, ad Portum-Veneris mari ſeſe tute locum, ut idem prætenderes, contulit. Quot ibi, quantorum regum, quantarumque civitatum legati fuerint, qui inter vos duos de altero loco eligendo tractarent? Quid aliud egerunt tandem, quam ut vacui de unione deſperantes redirent ad propria? O impudentes! ô ſceleſtos! ô ſacrilegos homines! duos, inquam, homines impudentes, ſceleſtos & ſacrilegos. Num non impudentia eſt, nunc affirmare, nunc negare; nunc velle, nunc nolle? Num ſcelus non eſt, a pace abhorrere, ſchiſma fovere, & tot mundi principes atque populos in dubio tenere? An non ſacrilegi eſtis, qui tunicam Chriſti individuam feciſtis dividuam?

qui civitates & oppida remanere in ſervitute permittitis? immo ut ſic inſervabiliter regnare poſſitis, in ſervitutem datis, qui omnium turbinum Chriſtianitatis eſtis occaſio. Si te, GREGORI, non pudeat tuam tribum, quam majorum tuorum inſignes decoraverunt virtutes, tua maculare ſuperbia, at pudere te debuit clariſſimam tuam patriam mari terraque famoſiſſimam, potentiſſimam, omnibus denique omni virtute ſplendentibus opulentam, tuis inficere maculis. O pulcherrima civitas Venetorum, huncne filium peperiſti, qui te non modo non illuſtriorem fidei obſervantia faceret, ſed fidem fallendo aliquid tuæ claritati detraheret? Quam felix mater fuiſſes, ſi per hunc tuum filium fuiſſet odioſiſſimum ſchiſma ſublatum. Sed tu tantæ matris degener filius, cur ejus matris nunc imploras ſubſidia, quam innocentem ſempiterna fœdas infamia? Crediſne eam contra commune bonum totius reipublicæ Chriſtianæ tibi inhibituram favores, quam manifeſte tuis deformas ſceleribus? Credis tuos concives contra juſtitiam, qua duce tam pulcrum quam amplum, tam ſtabile compoſuere dominium, pro te arma ſuſcepturos? Ea enim modeſtia vigent, ut nullis eos poſſis pollicitationibus flectere; ea ſapientia, ut tuam injuſtitiam aperte conſpiciant; eo denique animi robore, ut per honeſta nullis eorum periculis parcant. Sperare igitur debes potius eos te in hac cauſa deſerere, immo etiam te tuoſque ſequaces cum ſummis eorum periculis & impenſis perſequi, quam communi bono reſiſtere. An vero ipſam tuam quoque patriam unionem volentem dices ſuſpectam nimium? Nam omnes pacificos ſuſpectos, omnes ſchiſmaticos fideles habet. Allegaſti ſuſpectum ſereniſſimum Francorum regem, regem Chriſtianiſſimum, non ut quicquam de tali principe juſte potueris ſuſpicari; ſed ne te Saonam conferres, ne unionem faceres, ne pacem mundo redderes, ne ſchiſma funeſtum tolleres. Quas umquam ulli homini etiam pagano clariſſima domus Franciæ ſtruxit inſidias? Quod vero contra infideles numquam molita eſt, in te moliretur Chriſtianum, & gloriæ papali pro mundi ſalute renuntiaret papæ! Quis per inſidias aut violentiam unionem fieri poſſe putavit? Pax enim voluntaria eſſe debet non rapta; inſidiæ parantur fugacibus, violentia infertur rebellibus. Tu vero, ſi ſponte Saonam accedebas renunciaturus papatui, quas inſidias, quam vim poteras formidare? Allegaſti ſuſpectum Chriſtianiſſimum populum Florentinum, quod in civitate Piſana reverendiſſimos patres, quos tibi in creatione novorum tuorum prætenſorum cardinalium diſſentientes, in civitate Lucana aut crudeliter trucidaſſes, aut miſerabilius vinculis coarctaſſes, niſi tuo furori, niſi domini Lucani erga ſacroſanctam eccleſiam providentia & humanitas reſtitiſſet, cum debito honore recepit. Eumne populum ingrate ſuſpectum dicis, qui te per ejus loca tranſeuntem totiens tantis cumulavit honoribus? Florentinane civitas dici ſuſpecta meretur, quia pacem deſiderat, quia pacem quærens, & tuam ſævitiam fugiens, ſacratiſſimum recepit collegium? Non infamia eſt urbi clariſſimæ iſta tua ſuſpicio, ſed gloria. Nam ſi ſuſpecta non fuiſſet, exiſtimaretur ab optimis tuæ particeps fuiſſe verſutiæ. Præſtat clariſſimæ civitati falſo ſuſpectam dici, quam fuiſſe his patribus & Romanæ eccleſiæ matri ſuæ inhumanam atque crudelem. At tibi non humanitas iſta aut pietas fuiſſe videtur, qui ſubverſo rerum ordine humanos inhumanos, pios impios, virtutem vitium vocas. Voluiſſes hos patres non modo non receptos fuiſſe, verum aut inde fugatos exilium toto orbe terrarum pati, aut tuæ crudelitati de bono opere lapidandos torquendoſque remitti. Felix Florentia, ſi termines ut cœpiſti, quanta floribus gloria, ſi tuis favoribus, conſiliis atque auxiliis ſacroſancta redintegretur eccleſia. Tu enim quæ civitatem Piſanam locum ſanctiſſimæ unioni opportuniſſimum ſacro dediſti collegio, in qua ſancta ſynodus celebretur, & tandem unici verique paſtoris electio? Quot triumphos ducens, quibus laudibus per regum, principum, populorumque ora celebratur. Tu enim non locum tantum unioni dediſſe; ſed ipſam etiam unionem perfeciſſe cenſeberis. Tu civitatem Piſanam non collegio tantum, ſed toti mundo dediſti. Expecta igitur tibi a toto mundo accumulatiſſimas & haberi & referri gratias. Progredere ut cœpiſti, ſtudiis, favoribus, impenſis, quibus omnibus plurimum vales. Erige jam pene merſam gubernatoris negligentia Petri naviculam. Effice ut tuo in portu ſui remiges miſerabiliter ſciſſam pacis catena conjungant, & conjunctæ ſolidatæque de unico gubernatore provideant. Nec vero metue ullam Gregorianæ ſuſpicionis infamiam. Infamis eſſes, ſi te aut hujus ſuſpicionis metus, aut Gregorii ſive blanditiæ ſive minæ feciſſent a ſacro collegio alienam. Quicumque enim, Gregori, tibi amici ſunt, hoſtes eſſe unionis neceſſe eſt. Quod pulchre declarat creatio Lucæ facta amicorum tuorum & prætenſorum quatuor cardinalium, qui quam perdite pacem eccleſiæ impediverint, non tantum omnis mundus & Romana curia teſtis eſt, ſed etiam pro mercede tanti ſceleris abs te honor exhibitus. Tu enim eos tantum ad gradus honoris, non dicam dedecoris, promoves, quos tuæ neſariæ voluntati conformes exiſtimas. Eos autem qui abhorrent a ſchiſmate, paci indulgent, tuis inanibus privationibus inſectaris. Videſne quanta ſit iſta tua infamia? Crediſne eos privatos eſſe, qui eccleſiam Dei tuis fallaciis motam totis erigere moliuntur conatibus? Sed quam accepta mundo erit iſta privatio? Quos autem privaſti? profecto bonæ

memoriæ dominos A. epiſcopum Oſtienſem, & J. SS. Coſmæ & Damiani diaconum S.R.E. cardinales, qui cum ſuis præclariſſimis virtutibus, cum unionis pro qua deceſſerunt affectione, cum maxime illuſtri fama privationis injuſtæ, & in præſenti ſæculo celebres ſemper erunt, & in alio cum electis Dei gloriæ corona ſplendebunt. Privaſti inſuper reverendiſſimos patres dominos A. epiſcopum Peneſtrinenſem & P. Baſilicæ XII. apoſtolorum preſbyterum ejuſdem Romanæ eccleſiæ cardinales, illum non minus animi viribus, quam majorum nobilitate illuſtrem; hunc ſummum theologum ſummumque philoſophum, utrumque virtutibus omnibus relucentem; utrumque tuis moribus adverſantem, quos ad te Senas, ſi forte reſipiſceres, ſi forte mentem meliorem haberes, pro pacis bono profectos non modo audire noluiſti; verum etiam cunctis curialibus ne ad eos accederent inhibuiſti. Privaſti reverendiſſimum patrem dominum B. S. Euſtachii diaconum cardinalem, tui venenoſi pectoris antidotum, qui ingenti animo roboratus, maximiſque virtutibus præditus, ſtricto enſe tuæ repugnat infamiæ. Hic plane tuos jamdiu cognovit mores, & tuas tortuoſas ſemitas quas ante vidit, Romanæ eccleſiæ providentiſſime caret. Neque enim eſt paſſus urbem Boniam tua tuorumque nepotum ora ſubire rapacia. Privaſti ceteros reverendiſſimos patres in civitate Piſana, immo Florentiæ, unionis baſilicam pulcherrime fabricantes, quæ candidiſſimis & non facile ruituris in dies mirabiliter ſurget marmoribus. Architecti iidem ſunt patres miniſtri. Ceterum reges, principes, populi, qui materiam veluti calcem & lapides, baſilicæ conſtruendæ ſeſe exhibent. Non tu, perverſe, in hac miſſam cantabis baſilica, ſed futurus unicus Romanus Pontifex, qui eam intus & extra teget auro puriſſimo; nec ullus locus auro vacabit, niſi qui tuorum clariſſimorum geſtorum continebit memoriam. Erunt enim omnia tua geſta tetris picta coloribus. In medio Lucifer aſpectu horrido, luminibus igneis ore patulo, dentibus ſanguineis, toto denique corpore fœdo. Te vero ejus ore meritas pœnas alias luentem, ſtantem XIIII. circum ſtabunt dæmonia, quot inſtrumenta publica ſubſcripſiſti nigris manibus, totidem patula inſtrumenta, in quibus ſcripta ſunt juramenta & vota, in te autem dira voce clamabunt: Quid agis, perjure, quid agis, votifrage pontifex? Ad quorum vocem ceter acircumſtantia dæmonia reboabunt. Hæ tibi poſt mortem, quæ proxima eſt (neque enim, ut aſtra indicant, proximum aut attinget aut præteribit decembrem, celebrabuntur exequiæ. Has habebis inferias. Hic erit perpetuus tuæ memoriæ tumulus. Indulge igitur privationibus crebris, perſequere eos qui unionem volunt. Diſgrega Chriſti gregem, ſi non ſatis diſgregatus tibi eſſe videtur, hæc exiguo tempore fac ut libet. Conſule caros nepotes, quos poſſis tibi fautores allicere, in quos beneficia privatorum & officia in præmium perverſorum conſiliorum conferas. Ne dubita. Nam multos volentes & inſuper gratias agentes invenies. Numquam tuæ voluntati deerit ille tuus Berthoff. Numquam Petrus de Montello, numquam Nicolaus de Benevento, numquam Franciſcus de Madio, viri utique optime de te meriti. Numquam alii plures, quos nunc non prodo, non ut eos verear, ſed ut ſi emendare voluerint, ob hanc ſcriptionem, eorumque manifeſtationem, de venia non deſperent; quod ex me ipſo judico, qui tuo quondam errori favi; demum melius informatus mentem mutavi. Præfatos autem quatuor ex parte conſcripſi, quos credo una tecum in profundum malorum merſos, & in ſenſum reprobum datos. Quod ſi certo non ſit, & peccaſſe pæniteat, ipſis ceteriſque, qui melius ſentire velint, locus eſt veniæ, redeant, & in gregem bonorum ſe conferant, unionem cupiant, & pro ea etiam mori deſiderent, & utinam teque, Gregori, pæniteat, & mentem mutes, atque te his patribus aggreges. Tunc enim diceris Gregorius, quod nomen a gregando dictum eſt, & quod hactenus tuis moribus contrarium fuit. Nam cur Lucam acceſſiſti? Cur Senas retro petiviſti? Cur nunc Ariminum petis? Si pacem cum hoſte deſideras, non longe abis. Sed quid ego hæc inutilia verba fundo? putemne te qui pacis ſis hoſtis pacem quærere? Rectius igitur accommodatiuſque tibi Diſgregorius a diſgregando nomen aſſumſiſſes. Diſgregaſti enim a te pacem fugiens omnes pacificos, ſcandaloſos & ſchiſmaticos elegiſti. Me quoque ad pacificos profectum, cum eis conſtruendæ ſacræ baſilicæ intereſſe volentem, iniqua tua damnaſti ſententia, damnatumque privaſti officio. O meam præclaram damnationem! O illuſtrem privationem! cur me damnaſti? an quia unionem eccleſiæ volo? Cur me privaſti? an quia ad hos præſules clariſſimos unitiſſimi utriuſque partis collegii, qui templum pacis ſacratiſſimum ſtatuunt, humilis miniſter acceſſi? Quid aliud mihi ſcelus adnectas? quid damnatione aut privatione ſit dignum, niſi forte quod tibi quondam favi? Pœnitet faviſſe contra veritatem. Sed viſne tibi verum dicam, & horum quæ ſcripſiſti ſcriptoris particulam corrigam? Rogatis *favi*. Rogatus in tuum favorem ſcripſi, mente ſemper alienus fui, quidquid ſcripſi, quid aliud quam ironia fuit? Peccaſſe autem confiteor, qui pro te etiam contra mentem amici rogantis cauſa ſcripſi, ſed id quoque peccatum delevit pœnitentia. Ab hac igitur tua nequiſſima abſurdiſſimaque prætenſarum damnationum & privationis ſententia, ad omnipotentem

Deum & unigenitum Filium ejus dominum nostrum JESUM CHRISTUM, cujus tu, cum ejus mandata contemnas, in inferno, nisi propositum mutes, justo judicio cruciaberis; & ad sacratissimam synodum futuram, cujus justam, si tu vixeris, formidabis sententiam; ac ad futurum verum unicum & indubitatum Romanum pontificem, ad te ipsum quoque, si resipiscas umquam, & mentem mutes & non Disgregorius sis, sed Gregorius esse incipias, provoco & appello, petens apostolos instanter, instantius, & instantissime. Datum Pisis apud sacrosanctam basilicam unionis, calendis Novembris anno MCCCC VIII.

EPISTOLA CARDINALIS Mediolanensis, domino Hermolao Bragadino, civi Venetiarum.

Explicat qua ratione recens creatos cardinales appellaverit bestias.

SPectabilis & egregie fili in Christo, amice noster carissime, litteras vestras Venetiis datas XXVII. mensis Octobris, secunda præsentis mensis per manus Secundani mercatoris accepimus; qui cum a vobis mandatum diceret habuisse, ut litteras illas non alteri, sed nobis in manibus assignaret, voluntatem vestram fideliter adimplevit. Dum igitur earum continentiam legeremus, hanc in affectu sententiam percepimus contineri, videlicet quod quarumdam nostrarum copia litterarum illustri principi duci Mediolanensi nuperrime transmissarum, ad illam inclytam pervenerat civitatem; & quoniam inter alia referebat, qualiter dominus GREGORIUS ante nostrum in Senas introitum, per diem dumtaxat novem bestias, ut ipse nominat, in sanctæ matris ecclesiæ cardinales assumserat: ex hoc nonnulli dictæ civitatis nobiles scandalizati sunt, & conquesti dicentes: affines nostri non bestiæ, sed homines, & bene nati noscuntur. Cur ergo eos bestiarum nomine, nostris in litteris vocabamus? Ad quod illorum pace dixerimus, non videntur intelligere consuetudinem scripturarum, quæ quandoque per similitudinem, quandoque secundum proprietatem nominibus ponuntur. Dicitur enim Christus mundi salvator quandoque Leo, quandoque lapis angularis, & cetera hujusmodi nomina, quæ ut B. Augustinus refert, magis vera dicuntur per similitudinem, & non secundum proprietatem. Quatuor etiam evangelistæ per Ezechielem animalium imaginibus describuntur. In cujus prima visione ita contexitur, & in medio similitudo quatuor animalium: Et hic vultus eorum facies hominis, facies leonis, facies vituli, & facies aquilæ. Johannes etiam in Apocalypsi, *animal*, inquit, *primum simile leoni, secundum simile vitulo, tertium simile homini, & quartum simile aquilæ volanti.* Has etenim imagines quatuor evangelistis sacri doctores adaptant, ut facies hominis Mathæo, facies leonis Marco, facies vituli Lucæ, & aquilæ facies Johanni; & hoc secundum similitudines varias, quas de Christo suis in codicibus expressérunt. Non enim Marcus secundum naturam leo, nec bos Lucas, nec Johannes aquila; sed secundum similitudinem, prout superius est expressum. Ita & nomen bestiæ in sacris codicibus quandoque secundum naturæ proprietatem, quandoque secundum quamdam similitudinem invenitur, quemadmodum in Genesi legimus, *Dixit quoque Deus producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas.* Et infra inquit Jacobo, *Fera pessima comedit eum. Bestia devoravit Joseph.* Sicque in aliis scripturæ locis variis secundum naturæ proprietatem bestia nuncupatur. In prophetis autem hoc nomen secundum similitudinem sumitur, & maxime in Apocalypsi Johannis, quæ in sacra scriptura ultimæ locum obtinet prophetiæ, ubi de bestiis proponitur & declaratur, quarum una de mari, & altera de terra describitur ascendisse, per quas ab ecclesiasticis doctoribus persecutiones ecclesiæ designantur. Tria namque persecutorum genera diversis temporibus etiam passa est. Primum fuit Judæorum, secundum paganorum, tertium vero hæreticorum, qui quanto majores persecutores fuere, tanto sunt majores bestiæ nuncupandi. Non credat igitur vestra prudentia, nos adeo ignaros, ut assumtos ad prætensum cardinalatum bestias dixerimus, secundum naturæ proprietatem, sed secundum similitudinem, eo quod eorum assumtio non tollit schisma pestiferum, sed potius auget & incendit, & ita hujusmodi assumtio inimica dignoscitur ecclesiæ sanctissimæ unioni. Bestia quasi vestia, mutata A. in E. quæ dici debet vastia a vastando; & ita secundum hanc similitudinem isti assumti sunt, non ad prosequendum ecclesiæ unionem, sed ad ipsum potius devastandam. Credite nobis, Hermolae carissime, sobolis hæc successio non finem quærit imponere schismati, sed ipsam reddere nititur immortale. Hæc igitur fuit intentio, non ut naturam ab eis hominis tolleremus, neque generis civilis nobilitatem; sed ut effectum vitii promeremus unionis ecclesiasticæ destructivum. Et o utinam eos vocare potuissemus agnos vel oves, in quibus per similitudinem notatur non superbiæ fastus, non elationis ambitio, sed humilitatis dignissima virtus, unionis ecclesiasticæ firmum fundamentum, quod Christus est, qui in evangelio loquitur. *Discite a me quia mitis sum & humilis corde.* Et sequitur pacis & concordiæ vinculum. *Et invenietis requiem animabus vestris.* Tunc eos felices dixissemus, si talem prætensam dignitatem nullatenus ac-

ceptaſſent. Sed quia viam acceperunt continuandi ſchiſmatis, eos non agnos, non oves, non felices; ſed beſtias merito nuncupamus. O miſera humanæ conditionis ambitio, ut propter honoris ambitionem & facultatis caducam mercedem fidei relinquatur integritas, fidei poſtponatur ſacra religio, fidei, quantum in eis eſt, permittatur diviſio. In tanta temporis brevitate Deus per ſui miſericordiam eorum illuminet intellectus, inflammet affectus ſuæ caritatis incendio, ut ad eccleſiaſticam perveniant unionem cum aliis ipſam deſiderantibus & operibus indefeſſis proſequentibus toto corporis & mentis affectu. Tandem Deum oramus, noſter dulcis Hermolae, ut mentem veſtram in affectione eccleſiaſticæ ſtabiliat unitatis. Datum Florentiæ, &c.

SEQUUNTUR NOMINA EORUM qui ex parte provinciarum fuerunt electi pro concilio generali die VI. Novembris in præſentia domini cancellarii Franciæ.

PRO REMENSI PROVINCIA.

Epiſcopi.

Anno 1408. *Ex mſ. ſancti Laurentii Leodienſis.*

Belvacenſis.
Laudunenſis.
Tornacenſis.
Atrebatenſis.

Abbates doctores.

Sancti Eligii Noviomenſis.
Sancti Criſpini.

Priores conventuales.

De Criſpeyo.
De Abbatis-villa.

Omnes notabiles graduati.

Magiſter Johannes *Mauramie* pro eccleſia Remenſi.

Magiſter Petrus *Gauchon* pro eccleſia Catalaunenſi.

Decanus S. Audomari pro eccleſia Morinenſi.

Magiſter Johannes *Chairecon* pro eccleſia Cameracenſi.

Et ducet quilibet epiſcopus ſecum, ſi voluerit, unum vel duos canonicos de eccleſia ſua, & ſuas lucrabuntur cotidianas diſtributiones legatione durante.

PROVINCIA ROTHOMAGENSIS.

Epiſcopi doctores.

Lexovienſis.
Ebroicenſis.
Conſtantienſis.

Abbates doctores.

Montis ſancti Michaelis.
De Gemmetico.
Sancti Petri ſupra Divam.

Doctores.

Decanus eccleſiæ Rothomagenſis, & magiſter Robertus de Queſneyo.

Magiſter Iſambardus Martelli theſaurarius ſacræ Capellæ palatii Pariſienſis.

Magiſter Urſinus *de Flavande.*

Licentiati in utroque jure.

Magiſter Adam de Bandribos.
Magiſter Henricus de Calvo-monte.
Magiſter Guillelmus *Deſpuis.*

PROVINCIA SENONENSIS.

Archiepiſcopus Senonenſis.

Epiſcopi.

Nivernenſis.
Trecenſis.
Meldenſis.

Abbates doctores.

Sanctæ Genovefæ Pariſienſis.
Tironienſis.
Sancti Benedicti ſupra Ligerim.
Sancti Maximini Aurelianenſis.

Doctores in theologia & jure.

Provincialis Franciæ ordinis Minorum.
Magiſter Johannes *Cortecuiſſe.*
Johannes Luqueti.
Guido de Albiaco.
Radulfus de Albiaco & de Matiſcone.

PROVINCIA LUGDUNENSIS.

Archiepiſcopus Lugdunenſis cum duobus notabilibus graduatis.

Epiſcopi quilibet cum uno graduato.

Eduenſis.
Cabilonenſis.

Matiſconenſis ſi non vadat, mittet notabilem graduatum.

Abbates doctores in theologia & jure.

Virgiliacenſis.
Moliſmenſis.
Sancti Sequani.
Monaſterii S. Johannis de Reomo.
De Caſtellione.

Petrus de Monceiaco decanus Lugdunenſis, licentiatus in decretis.

H. *de Savoiſi* decanus Lingonenſis & licenciatus in utroque.

Johannes Guioti doctor in jure, canonicus Eduenſis.

Hugo Fabri licentiatus in decretis, canonicus Cabilonenſis.

Gaufridus de S. Amore cantor Matiſconenſis, licentiatus in utroque.

Provincialis Burgundiæ ordinis Minorum.

PRO PROVINCIA AUXITANA.

Episcopi.

Basatensis.
Tarbiensis.
Convenarum.
Lectorensis.

Abbas Chimorræ.
Præpositus S. Justini in ecclesia Auxitana.

PRO PROVINCIA VIENNENSI.

Archiepiscopus Viennensis.
Quinque notabiles viri secum.

PROVINCIA TURONENSIS.

Archiepiscopus Turonensis.

Episcopi.

Dolensis.
Redonensis vel Nannetensis.
Macloviensis.
Trecorensis.

Abbates.

De Nucariis.
Sancti Sergii.
Sancti Albini.

Radulphus de Parucia.
Decanus Cenomanensis.
J. de Tegula.
Alanus de Vico.
Thomas *Giron*.
Andræas Cotini.
Dictus *Maugendre*.
Provincialis Turonensis ordinis fratrum Minorum.

PROVINCIA BITURICENSIS.

Archiepiscopus Bituricensis.
Unus de ejus ecclesia.
Episcopus Albiensis.
Unus de ejus ecclesia, scilicet magister Jo. de Lacu.
Episcopus Ruthenensis.
Michael de Albis.
Episcopus Lemovicensis.
Magister Gaufridus de Perucia.
Episcopus Tutelensis.
Præpositus de Bello-monte.
Episcopus Caturcensis.
Abbas de Burgo-Dei.
Abbas *de Conches*.
Abbas S. Augustini.
Abbas de Casa-Dei.
Dominus Petrus *Poulen*.

PROVINCIA BURDEGALENSIS.

Episcopi.

Xantonensis.
Agennensis.
Lucionensis.
Abbas S. Maxentii.
Decanus Pictavensis.

PROVINCIA THOLOSANA.

Archiepiscopus Tholosanus.

Episcopi.

Mirapicensis.
Lombariensis.
Appamiarum.
Rivensis.

Electus Vaurensis.
Duo doctores.
Et duo doctores pro universitate Tholosana.

PROVINCIA NARBONENSIS.

Archiepiscopus Narbonensis.

Episcopi.

Carcassonensis.
Uticensis.
Nemausensis.
Lodovensis.
Aniciensis, licet non sit de provincia.

Abbates.

Sancti Ægidii.
Crassensis.
Anianæ.

Johannes Fayditi vel Jo. de Borno.
Fumanus Thomassii vel Petrus Astreboni.
Prior de Verima.
Dominus Guillelmus Benedicti vel sacrista Carcassonensis.
Gaufridus de Pompadorio.

EPISTOLA MICHAELIS STENONIS ducis Venetiarum ad cardinales.

Missum a rege Hungariæ Guillelmum de Prata ad reconciliandos cum papa cardinales scribit, nec posse interim eorum litteris responderi.

Anno 1408. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

REverendissimis in Christo patribus dominis episcopis, presbyteris & diaconis permissione divina sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus.

Reverendissimi patres, recepimus, & diligenter intelleximus litteras vestras datas Pisis XXVIII. mensis Octobris proxime elapsi, continentes ut nobis placeat mandare officialibus & subditis nostris, ut in omnibus terris & locis nostris reverenter tractentur & honorentur duo reverendissimi cardinales nominati in vestris litteris, quos destinatis ad diversas mundi partes pro bono unionis ecclesiæ sanctæ Dei. Ad quas respondemus, quod his diebus proxime elapsis fuit ad præsentiam nostram egregius ac spectabilis dominus GUILLERMUS DE PRATA comes de Porciliis, orator sereniissimi domini SIGISMUNDI illustris regis Hungariæ, significans nobis quod ad curiam proficiscitur, procuraturus nomine dicti regis reconciliationem vestrarum reve-

rendarum paternitatum cum ſummo pontifice, & reducere utramque partem ad unum concilium congregandum. Rogavit ut nobis placeret mandare noſtro oratori ibidem exiſtenti dicta de cauſa, quod ſit ſecum ad quærendum & procurandum prædicta, aſſerens quod de brevi acceſſuri ſunt etiam oratores partium H. Bohemiæ & Alemanniæ. Qui oratori regio reſpondimus nos eſſe contentos complacere requiſitioni regiæ, & ſic præcepimus obſervari per oratorem noſtrum prædictum. Et præterea nobis non videtur, quod cum honore noſtro poſſimus pro præſenti dare reſponſum requiſitioni contentæ in dictis veſtris litteris, donec informati erimus de his quæ ſequentur per acceſſum dicti oratoris domini regis Hungariæ ad partes prædictas. Datum in noſtro ducali palatio die IX. menſis Novembris indictione II. MCCCCVIII.

MICHAEL STENO Dei gratia dux Venetiarum.

EPISTOLA HENRICI ANGLORUM REGIS

ad Rupertum imperatorem.

Hortatur ut cardinalibus concilium celebrare volentibus faveat.

Anno 1408. Ex *mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

EXcellentiſſimo & ſereniſſimo principi RUPERTO Dei gratia Romanorum regi ſemper auguſto, fratri noſtro cariſſimo, HENRICUS eadem gratia rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, ſalutem & fraternæ dilectionis continuæ claritatem.

Excellentiſſime princeps, fraterque cariſſime, poſt plurima nova nobis diverſimode nunciata de geſtis & factis domini GREGORII papæ XII. nec non & illius qui ſecum de papatu contendit, ac utriuſque collegii nuper in unam & eamdem mentis conſonantiam ſuper tollendo ſchiſmate concurrentis, ut dicitur; tamdem ex litteris reverendiſſimorum in Chriſto patrum dominorum S. R. E. cardinalium, & relatu reverendiſſimi in Chriſto patris domini F. cardinalis Burdegalenſis amici noſtri merito prædilecti, coram nobis ac dilecto filio noſtro primogenito principe Walliæ, nec non prælatis & proceribus regni noſtri quampluribus conſtituti, percepimus bonam & ſanctam intentionem, quam fidem cardinales ſemper hactenus habuerunt, prout ſe habere in præſentiarum oſtendunt, ad unionem eccleſiæ Dei, cujus occaſione dicuntur varia pertuliſſe gravamina, ſuis non parcendo laboribus nec expenſis; quodque prætextu continuationis prædicti ſchiſmatis contra votum & juramentum per ipſum dominum GREGORIUM, dum erat in minoribus conſtitutus, de cedendo papatui ſolemniter præſtitum, & poſt aſſumtionem ad apoſtolatus apicem per ſuæ manus ſubſcriptionem publice renovatum ac etiam confirmatum; jam dicti cardinales, de unanimi ipſorum aſſenſu, omnem ſubtraxerunt obedientiam eb eodem, ac pro generali concilio apud Piſas in feſto Annunciationis proxime jam futuro celebrando diſponunt, ad dictum ſchiſma penitus extirpandum, nullam aliam viam, per quam ad unionem eccleſiæ perveniri valeat, magis accommodam reputantes. Nos igitur ad prædicti domini cardinalis & litterarum prædictarum inſtantiam excitati, & conſcientia ducti, de conſenſu ſtatuum prædictorum, eidem domino ſummo pontifici litteras noſtras, juxta ſeriem copiæ per latorem præſentium ſerenitati veſtræ, ſi libeat, exhibendæ, tranſmittimus, plene confiſi, quod cum eccleſia & imperium mutuis in Deo ſuffragiis fulcire ſe debeant, ipſa veſtra ſerenitas ad viam illam inclinari dignabitur, a nobis ardentius affectatam, quæ ſanctæ matris eccleſiæ propenſius inducere valeat unitatem; quodque prælatos & principes ſui ſacri imperii ditioni ſubjectos, ac ceteros excellentiæ veſtræ benivolos & amicos efficaciter excitare curabit, ut intentioni veſtræ circa præmiſſa, quam credimus eſſe adeo placabilem, abſque difficultatis obſtaculo ſe conforment, ad gloriam & laudem illius, qui ut pacem emeret, ſanguinem ſuum fudit. Datum, *ut ſupra.*

EPISTOLA CARDINALIUM utriuſque collegii ad Carolum Francorum regem.

Ut ad futuram Alemanniæ dietam ſuos mittat oratores, qui unionis eccleſiæ negotium promoveant.

Anno 1408. Ex *mſ. illuſtr. dom. Chauvelin.*

SEreniſſimo ac chriſtianiſſimo principi & excellentiſſimo domino domino CAROLO Dei gratia regi Francorum veſtri miſeratione divina epiſcopi, preſbyteri, & diaconi utriuſque collegii, ſacroſanctæ R. E. cardinales, eadem gratia jam ad unionem uniti, ipſi eccleſiæ dudum laceratæ & feſſæ, ac reſurgere inchoantis, pro ejus unitatis decore, ut hactenus ſemper egiſtis, manus regias porrigere adjutrices.

Quæcumque hactenus egimus, ordinavimuſque relatibus & ſcriptionibus noſtris & oratorum veſtrorum hic exiſtentium, clare celſitudo veſtra percepit. Reverendiſſimus in Chriſto pater dominus L. S. R. E. cardinalis Barenſis, de cujus acceſſu hujuſmodi per nos deliberato, abunde Chriſtianiſſimæ caritati veſtræ ſcripſimus, hic de quinta menſis inſtantis diſcedens, verſus partes Alemanniæ ad illuſtriſſimum principem dominum RUPERTUM in novum Romanorum regem electum profectus eſt, & ad dominos Colonienſem, Moguntinum, & Trevirenſem archiepiſcopos, ſacri imperii electores, nec non alios principes

principes tam eccleſiaſticos, quam ſæculares Poſt cujus diſceſſum nuperrime percipimus eumdem dominum electum die XXI. proxime decurſi menſis Octobris, *in Nuremberg* nonnullorum prælatorum & dominorum temporalium conventionem particularem tenuiſſe, in qua quia interfuerunt præfati domini electores, & major pars aliorum ſpiritualium & ſæcularium dominorum, nulla inde concluſione ſeu terminatione ſumta, res integra reſervata eſt dilataque uſque ad diem dominicam poſt Epiphaniam immediate ſequentem, in qua die univerſaliter omnes Alemanniæ domini ſpirituales & temporales convenire debent, & inibi quid agendum ſit pro tota Alemannia, ultimam & totalem terminationem capere. Et quia in eventu terminationis hujuſmodi, Chriſtianiſſime princeps, negotium ſanctiſſimæ unionis eccleſiæ præcipue pendere putavimus, cum Alemannia tamquam magna Chriſtianorum pars in ſe videatur, in hac Dei cauſa non modicum habere momenti... Et licet ſperemus pro juſtitia & veritate terminationem ipſam emanaturam, tamen, ut ita ſine dubitatione ſequatur, ad videndum, agendum totis conatibus arbitramur. Quamobrem ſerenitatem veſtram totis precordiis exoramus, ut oratores veſtros ſolemnes ſufficientes & practicos ad ipſos dominum electum & electores placeat deſtinare, qui veſtræ celſitudinis nomine dictæ conventioni interſint, præfatam ſanctiſſimam unionis cauſam pro optato exitu promoventes, pro qua tanta charitate, ſollicitudine & tot ſumtibus laboratis, omnibuſque dominis partium illarum veſtris amicis ſcribere, ut cauſa & materia ipſa requirunt. Nuliam enim opportuniorem legationem iſta mitti poſſe putamus, & quæ majorem fructum ſit Dei gratia allatura: & pro aliqua inſtructione mittendorum, mittimus domino Patriarchæ nonnulla quæ in facto conſiſtunt. Agite igitur, illuſtriſſime princeps, & quæ maxima hac tempeſtate pro reintegratione ſanctæ matris eccleſiæ, clariſſimorum majorum Chriſtianiſſimæ domus veſtræ perinclyta inſidentes veſtigia, peregiſtis, & eſtis, Deo propitio peracturi; hoc tam neceſſarium, quod tantopere quæſumus, ſicut indubia ſpe tenemus efficere celſitudo veſtra dignetur: quam ipſe Deus omnipotens feliciter augeat & conſervet ſemper promtiſſimis animis ad illius placita & grata paratum. Datum Piſis.

EPISTOLA EORUMDEM ad reginam Francorum.

Ejuſdem argumenti.

SEreniſſimæ principiſſæ dominæ, dominæ ISABELLÆ Dei gratia Francorum reginæ, miſeratione divina, &c.

Scribimus Chriſtianiſſimo principi & excellentiſſimo domino, domino CAROLO regi Francorum, ut veſtra reginalis ſerenitas per intercluſam copiam poterit intueri. Totis igitur affectibus veſtram celſitudinem exoramus, ut circa oratorum miſſionem, quam uti neceſſariam tanta cum inſtantia poſtulamus, placeat apud eumdem dominum regem efficaciter, ſicuti penitus ſperamus, interponere partes veſtras, veſtræque ſublimitatis parte optime ſcribere tam principibus, prælatis, & dominis Alemanniæ vobiſcum conſanguinitate conjunctis, quam aliis quibus expedire videbitur, pro effectu ſacratiſſimæ unionis eccleſiæ ſanctæ Dei, ut dignis præconiis extollatur Chriſtianiſſima domus Franciæ, auctrix unitatis, ad decus eccleſiæ reſtitutum & pacem populo Chriſtiano. omnipotens Deus ſublimitatem veſtram feliciter augere & conſervare dignetur. Datum, *ut ſupra.*

COPIA LITTERÆ miſſæ dominis cardinalibus a rege Arragonum.

Miſſurus ſuos ad Perpiniani concilium procuratores, excuſat ſe a mittendis ad Concilium Piſanum.

REverendi in Chriſto patres & amici cariſſimi, magno cum gaudio, lætaque fronte litteram veſtram recepimus, continentem multa, in quibus pro unione ſanctæ matris eccleſiæ noviter proceſſiſtis, nos attente rogantes, quatenus pro intereſſendo generali concilio, quod in civitate Piſana XXV. die Martii proxime venturi celebrare intenditis, noſtros procuratores dignaremur infallibiliter deſtinare. Recepimus, inquam, aliam litteram per illuſtriſſimum CAROLUM regem Franciæ ad veſtri requiſitionem & inſtantiam nobis miſſam, ſuper materia præjacenti: quibus ſub compendio reſpondemus, quod ſanctiſſimus in Chriſto pater dominus BENEDICTUS divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſitatis eccleſiæ ſummus pontifex, nos, ut ſibi noſtros procuratores mitteremus conſeſtim pro intereſſendo generali concilio, quod celebraturus eſt in brevi in villa Perpiniani ſuper facto unionis jam dictæ, noſtram celſitudinem eſt hortatus, & ſic obtulimus nos facturos, & peragemus de facto, Domino annuente. Ulterius ad dictum illuſtriſſimum regem Franciæ ſuper prædictis noſtros ambaxiatores in brevi mittemus, de noſtra intentione pleniſſime informatos, cum quo ſperamus, diſponente Domino, concordare. Quibus ſufficienter & bene ad ſervitium Dei & eccleſiæ honorem diſpoſitis, ad paternitates veſtras noſtros ambaſiatores mittemus, qui noſtri pro parte, ſic erga prædicta negotia ſe habebunt, quod ipſæ paternitates veſtræ debebunt de nobis rationabiliter contentari, & offerimus nos pa-

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

ratos ad cuncta vestros honores concernentia, & vestris affectibus placitura. Datum Barchinonæ sub nostro sigillo secreto XIV. die Novembris, anno a nativitate domini M CCCC VIII.

Reverendissimis in Christo patribus dominis S. R. E. sacro cardinalium collegio amicis nostris carissimis.

EPISTOLA WENCESLAI REGIS Romanorum ad cardinales.

Declarat missurum se regni sui prælatos & oratores ad concilium Pisanum, modo excipiantur tamquam veri regis Romanorum oratores.

Anno 1408. *Ex mss. illustrissimi domini Chauvelin.*

REverendissimi patres, amici carissimi, quanta cordis affectione, quanto animi aviditate unionis sanctæ matris ecclesiæ reintegrationem, hactenus aliquandiu præstolatum, zelare noscimini, testis est experientia, quæ per se loquitur; testis est & sola scriptorum ac nunciorum vestrorum crebra per vos nobis ceterisque mundi principibus & fidelibus super hoc transmissorum replicatio, quæ vos coram majestate nostra ejusdem unionis protestatur utique utiles promotores. Vos enim, ut ex tenore hujusmodi scriptorum vestrorum didicimus, in resecandis tam pernicioſis pestiferi schismatis contagiis, veluti fideles medicos absque intermissione temporis sollicitos, & in reducendis in sanctæ unitatis corpore imbecilitate languentibus membris, pristinæ sanitati, vos redditis quam plurimum operosos. Super quo sinceritatem vestram tanto altius commendamus, quanto vos per hoc non propria commoda, quin verius Christi fidelium jam cernimus lucra quærere animarum. ne autem sollicitudinis nostræ, quam ad unitatem & statum ecclesiæ semper ultro gerimus, diligentia paternitatum vestrarum notitiæ sit forsitan incognita, seu aliquatenus peregrina: ecce scire placeat, quod receptis pridem ab honorabili Jeronymo de *Sydenberg* doctore decretorum sacri palatii auditore, devoto nostro dilecto, vestris tam litteris quam relatibus curiosis, confestim illustres terrarum nostrarum Sleſiæ principes, consanguineos nostros, ceterosque regni Bohemiæ episcopos & prælatos ad nos accersivimus, cum eisdem de unione sanctæ matris ecclesiæ salutifera consilia inituri. Freti itaque eorum mature digestis consiliis, prout ipsorum scripta dilucidant, juxta suasionum vestrarum hortamenta, ad generale concilium per vos super festo annunciationis gloriosæ virginis MARIÆ in civitate Pisana proxime venturo celebrari indictum, solemnes ambasciatores de sanguine nostro decernimus transmittendos.* Nos enim paternitates vestras in hoc fausto proposito juxta desiderii vestri vota, tamquam Romanorum & Bohemiæ rex, omni nostra obedientia & potentia reciproce assistere volumus sine dolo, pro ut super his honorabilis magister JOANNES cardinalis de *Reyusciam* familiaris, devotus, fidelis, dilectus paternitates vestras latius informabit: cui in referendis hujusmodi fidem nostro nomine velitis credulam adhibere, singularem nobis in eo complacentiam ostensuri. Datum Wratislaviæ die XXIV. Novembris regnorum nostrorum anno Bohemiæ XLVI. Romanorum vero XXXIII.

WENCESLAUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus & Bohemiæ rex.

Ad mandatum domini regis Jacobinus cancellarius Pragensis.

*Nota. ista clausula intrabit litteram præcedentem ad signum.**

Ita tamen quod eminentissimæ paternitates vestræ celsitudinem nostram sub patentibus litteris, sigillis omnium dominorum cardinalium de congregatione vestra circa eas appensis, ante omnia assecurare debeant solida firmitate, quod eosdem ambaxiatores nostros ad concilium generale prædictum venientes decenter suscipietis, caritative pertractabitis, ac ipsis tamquam veri & justi Romanorum (a) & Bohemiæ regis ambaxiatoribus locum deputabitis, nec non cum consilio & scientia ipsorum singula tam sanctæ Romanæ ecclesiæ, quam nostra & imperii sacri negotia fideliter tractabitis, tractataque concludetis. Nos enim, &c. [4]

SEQUUNTUR VIII. CONCLUSIONES,

quarum dogmatisatio utilis videtur pro exterminatione moderni schismatis.

Ex mss. S. Laurentii Leodiensis.

1 VEri cardinales in electione papæ vices gerunt universalis ecclesiæ Christianæ. Patet quia per talem electionem constituitur papa verus vicarius JESU CHRISTI, & caput corporis ejus mystici, quod est ecclesia: sed hoc non potest facere nisi Christus, vel ipsummet corpus mysticum, aut habentes in hoc potestatem ipsius seu auctoritatem.

2 Veri cardinales hujusmodi ecclesiæ vices gerunt non solum in papæ electione, sed etiam in iis quæ circa eam rite & legitime fiunt pro ecclesiæ unione. Patet quia electio papæ finaliter ordinatur ad unionem ecclesiæ. Nam ideo eligitur unus papa, ut in eo tamquam primo capite, sub Christo sit ecclesiæ unio. Et ideo propter unionem ecclesiasticam est electio papæ, & non e contra.

3 Veri cardinales adjicientes in electione papæ juramentum seu votum de cedendo

(a) Hanc adjecit Wenceslaus clausulam, quia ab imperio fuerat deturbatus, Ruperto ejus in locum subrogato.

in casu præsenti, scilicet pro tollendo tam diuturno & obstinato schismate, & pro danda pace & ecclesiæ unione, hoc rite & legitime faciunt, non suo proprio aut privato nomine, sed auctoritate & nomine totius ecclesiæ. Et ideo qui tali juramento & voto ligantur, toti ecclesiæ obligantur, a qua obligatione sine totius ecclesiæ consensu non absolvuntur. Patet satis ex præmissis: quæ omnia possent faciliter non solum divino & humano jure, sed etiam naturali, seu ratione morali fundari.

Ex his tribus propositionibus inferuntur aliæ propositiones subsequentes. B

4 Quicumque tenent dominum Angelum, vocatum GREGORIUM, esse papam, & ejus prætensum collegium esse veros cardinales, habent consequenter tenere propositiones ante dictas de eis verificari, & ideo habent concedere dictum GREGORIUM per juramentum & votum factum, toti universali ecclesiæ & suos prætensos cardinales pariter teneri, ut, quantum in eis est, ipsum faciant hoc juramentum & votum efficaciter adimplere, aliàs ab universali ecclesia reputandi sunt perjuri & fractores voti.

5 Talis prævaricatio juramenti & voti C tam solemniter & in tam favorabili materia facti, non solum est gravissimum mortale peccatum, quin immo si esset pertinax, reputandi forent non solum schismatici, sed etiam hæretici, aut de hæresi vehementer suspecti.

6 Prætensi cardinales ex obligatione juramenti & voti, & alias ex auctoritate juris divini & humani, si probabiliter videant dictum GREGORIUM, prout hactenus fecisse videtur, frivolis excusationibus & periculosis delationibus dicti sui juramenti & voti im- D pletionem subterfugere, debent & tenentur post debitam monitionem, se ab eo & ejus obedientia & communicatione subtrahere, & contra ipsum tamquam notorie schismaticum, & vehementer de hæresi suspectum, ac perturbatorem & illusorem totius politiæ Christianæ, procedere, & ad id faciendum alios fideles, & præcipue prælatos & principes inducere & monere; alioquin non poterunt excusari a fautoria schismatis vel hæreticæ pravitatis.

7 Adhærentes dicto GREGORIO tamquam papæ, & præcipue majores prælati & prin- E cipes post debitam informationem, a cardinalibus, vel alias sufficienter instructi de prædicta malitia ipsius GREGORII, tenentur se ab ejus obedientia subtrahere sub pœna fautoriæ prædictæ.

8 Doctores studiorum generalium, & præcipue theologi & juristæ, ac etiam prædicatores ad populum, debent & tenentur de præmissis fideles instruere, & in hoc commendandum est studium Bononiense, a quo A nuper emanavit determinatio conformis ad præmissa.

ALIÆ CONCLUSIONES per Studium Bononiense.

Ex mſ. S. Laurent. Leodiensis & illustriss. dom. Chauvelin.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Primo prolata debita protestatione, quod si aliquid dixerimus, quod absit, devians a traditionibus ecclesiæ, pro non dicto habeatur, ac ex nunc illud ex omni sui parte revocamus. Ad quæsita per reverendissimum patrem dominum nostrum legatum (a) ponimus conclusiones per universitatem venerabilium patrum & nostrorum a sacra theologia legitime approbatas. [a]

1. Schisma antiquatum licet a principio sit schisma, ejus tamen per durationem & obstinationem in fine transit in hæresim, 24. q. 1. c. *Non affirmamus*, eadem causa & q. 3. *Inter schisma*, & quod ibi notatur.

2. Stante schismate antiquato, per quod scandalizatur ecclesia sancta, verus etiam apostolicus, voto & juramento astrictus ad certam viam pro tollendo schismate electam, pro eo quia alias de tollendo eo desperatur, ubi non agit realiter & cum effectu quod in se est, & ad quod est astrictus, si se non corrigat, nutritor est schismatis, quod consequenter descendit in hæresim, quia quantum in se est, contra debitum caritatis, voti ac juramenti, absque omni compassione nutrit populum & infantes excrescentes ad duo capita & duas ecclesias, ad quod nota in juribus prædallegatis 7. q. 1. *Novatianus* cum glossa seq. 24. q. 1. in summa & c. *Dicimus* in glo. 2. non obstat quod glossæ illæ excipiunt papam, quia intelligi debent quando duo contendunt probabiliter de papatu recenti dubitantes, nec alter vel uterque adstrictus est ad certam viam in schismate tollendo exsequendam. Ubi autem uterque astrictus est, maxime ex causa, quia alias operante temporis malitia & desidia, non speratur unio de schismate, præsertim tam longo temporis tractu antiquato, si non dant pacem populo Christi, incurrunt ambo, quod dictum est, si rebelles existant & incorrigibiles.

3. Etiam a vero apostolico nutriente incorrigibiliter & notorie schisma maxime antiquatum, per quod scandalizatur ecclesia, ad quod tollendum astrictus est voto & juramento, tamquam ab hæretico recedere possunt & debent subjecti, & obedientiam subtrahere, si ex eorum obedientia palpabiliter vident nutrientem schisma, in schisma foveri & manuteneri, quia quantum in eis est, participant in crimine ejus & favent, & cum eo descendunt ad profundum malorum tanto gravius, quanto intelligentiores sunt, sapientiores & potentiores. Et hoc agere possunt

(a) Balthazarem cardinalem tituli S. Eustachii.

nonobſtantibus juramentis, fidelitatibus, homagiis, aut quibuſcumque aliis obligationibus, quæ non aſtringunt ad peccatum, aut peccantem in peccato nutriendum vel juvandum, 15. q. 6. *Nos ſanctorum*, & c. *Nutritus* juxta declarationem Innocentii de doc. veritatis. Pars prima probatur 19. d. *Anaſtaſius*, & c. *Nulli* 79. d. *Si quis pecuniam*, 24. q. 1. *Schiſma* 2. q. 7. *Sacerdotes*, & quod ibi notatur.

4. Data negligentia cardinalium, ad quos ſpectat in congregando concilium contra papam etiam verum, contra votum & juramentum notorie & incorrigibiliter nutrientem ſchiſma, de quo ſupra; quorumlibet ſubditorum intereſt, & maxime conciliorum provincialium & principum, ne, cum papa nutriat ſchiſma induratum, maxime præcedente ſuſpicione de non danda pace, quæ concluditur ex geſtis præteritorum pontificum, ex recordatione & retractatione de accedendo Saonam, alia non facta præparatione reali, ad ſchiſma tollendum poſſunt humiliter exquirere papam etiam verum, ut ſchiſma tollat via jurata, & quam jurando & fovendo juſtam cenſuit. Et ſi pro viribus & realiter & cum effectu, non verbaliter tantum, non imperat * modum & viam ad implendum quod vovit & juravit, eo ſic debite requiſito, concluditur nutritor ſchiſmatis indurati & incorrigibilis, & conſequenter zelator hæreſis & diviſionis eccleſiæ ſanctæ, quæ unita debet eſſe in unico paſtore. Poteſt enim quilibet ſubditus ſuperiorem requirere & monere ad debitum implendum, & in mora & incorrigibilitate conſtituere de ſupplenda negligentia prælati, c. 1. de accuſa. *Veniens*, & quod ibi notatur. Et hoc in peccato, de quo poteſt accuſari, ut dicit gloſſa 40. d. *Si papa*, & ibi & in quo ſubditus tacendo cum eo peccato involvitur, ad quod 2. q. 7. *Paulus Petrum*, cum capitulis ſequentibus. (*a*)

* *al.* præparat.

[*a*]

Ex his infertur ad quæsitum.

Quod etiam verus papa a quolibet provinciali concilio prælatorum principalium provinciæ & clericorum qui intereſſe voluerint, convocatis ad hoc ſæcularibus principibus & dominis temporalibus provinciæ, ac principalibus viris notabilibus de populis qui intereſſe voluerint, requiſitus, ut det unionem per viam electam & juratam; ſi hoc non acceptet, & ſtatim cum poteſt non verbaliter, ſed realiter impleat cum effectu, nec aliam juſtam cauſam & neceſſario concludentem alleget, quare hoc non agit, vel viam non det aliam expeditam, per quam votum & juramentum impleat; requiſitus ſecundo a cardinalibus, ut faciat debitum ſuum, provincialia quæcumque concilia poſſunt & debent ſubtrahere obedientiam tamquam a nutritore ſchiſmatis & hæreſis, & incorrigibili, non obſtantibus quibuſcumque obligationibus, fidelitatibus, aut juramentis, quibus papæ aſtringuntur, ſint vel non de temporali juriſdictione eccleſiæ. Et hoc ne nutrientibus ſchiſma tam periculoſe antiquatum, in contemtum Dei, vilipendium ſponſæ Chriſti, & periculo animarum populi Chriſtiani, cum eis in profundum malorum demergatur.

A B C D E

(*a*) In cod. Chauveliniano hic additur quod ſequitur: *Quidquid ſit de excuſationibus papæ in eundo Savonam, licet notorium ſit juramentum, & fama vigeat contra eum, ac vigens ſuſpicio, ut prædeceſſoris ſui vias ſequens dilatet cauſam, nec accedere velit ad implendum quod promiſit, ſicut tenet communis opinio; ex non acceſſu ad Savonam; ex tali tamen non acceſſu non convincitur incorrigibilis, cum poſſit moram purgare. Unde ad clare convincendum notia requiritur requiſitio, & cum effectu realiter non verbaliter tantum det præparatoria quæ poteſt dare, & quantum eſt in ſe impleat quod promiſit.*

Ex his infertur secundo.

Quod ſuppoſita tanta antiquitate tam pernicioſi ſchiſmatis, & quod ambo, quia aliter deſperabatur de ſublatione ſchiſmatis, ſe obligaverunt ad certam viam voto & juramento, vel promiſſione, eis non implentibus juramenta, & incorrigibilibus manentibus, ſubditi, præſertim ſi vident ex obedientia ſchiſma magis indurari, peccant mortaliter, & tamquam nutritores ſchiſmatis & participantes in crimine, atque juvantes ſunt participes peccatorum & malorum quæ ex tam diro ſchiſmate ſequuntur, & animarum quæ damnantur.

Quod omnia dicta in papam procedunt in eo qui ſe gerit pro papa in Avenione, & tanto fortius, quanto pars ſua fuit quæ ſchiſma fecit, & quia minorem habet obedientiam, & partem noſtram ſpoliavit obedientia illa, & quia magis ingerendo ſe pro papa, magis * inclinatus eſt ad ſchiſma nutriendum, contra promiſſionem etiam ab eo antiquius factam, (*b*) proteſtando inſuper quod per ſupraſcripta nullum jus quæratur, nec quæſitum intelligatur illi qui ſe Benedictum nuncupat.

* *al.* inveteratus eſt, &

[*b*]

Mcccvii. die xx. Decembris, nos frater Antonius de Vignacro de Bononia ſacri ordinis fratrum eremitarum S. Auguſtini, decanus reverendorum magiſtrorum collegii facultatis theologiæ, convocato, ut moris eſt, per Videllum noſtrum collegio theologorum, in quo intererant duæ partes & ultra collegii prænominati, de voluntate unanimi omnium, tamen proteſtantibus qui in principio ponuntur, prædictas propoſitiones approbavimus, & putamus atque putavimus fore veras, ſemper in omnibus ſubjicientes nos correctioni eccleſiæ ſanctæ Dei.

In Dei nomine. Amen. Viſis litteris, & exacta diligentia examinatis omnibus & ſingulis ſupradictis concluſionibus per honorabiles & eximios decretorum doctores ſacri

(*b*) Quæ ſequuntur deſunt in codice Chauveliniano, in quo conſequenter hæc leguntur:

Hæc omnia dicimus ſubjiciendo correctioni eccleſiæ ſanctæ, ſi & in quantum approbentur per collegia utriuſque juris, & per reverendiſſimos patres de univerſitate theologorum, quibus corrigenda & emendanda ſubmittimus.

collegii juris canonici civitatis Bononienſis, collegium ſupradictum repræſentantes, ad hæc antea legitime vocatos per bidellum dicti collegii, de mandato mei Chilini *de Argille*, tunc prioris ſupradicti collegii, omnes ſupradictas concluſiones, matura deliberatione inter prædictos habita, unanimiter & concorditer approbarunt & firmaverunt, ipſas veras putantes, ſalva tamen proteſtatione, quæ in principio dictarum concluſionum ponitur, ſubjicientes ſe ſemper in omnibus correctioni eccleſiæ ſanctæ Dei. Et ita ego Chilinus *de Argille* prior dicti collegii, de mandato dictorum dominorum doctorum dicti collegii, & in nomine dicti collegii, ſigillavi ſub anno Domini noſtri JESU CHRISTI MCCCC. VIII. die XXII. menſis Decembris quintæ decimæ indictionis.

Ego Nicolaus Arpinelli olim Nicolai de Rolta, publicus imperiali & communis Bononienſis auctoritate notarius Bononienſis, prædicto mandato per dominos doctores dicti collegii juris canonici, dicto domino Chilino de ſe ut ſupra ſcribendo dictis capitulis, ſubſcriptioni factæ per dictum dominum Chilinum priorem prædictum, & ſigillationi prædicti ſigilli dicti collegii, ut notarius dictorum dominorum doctorum dicti collegii interfui, & de mandato dictorum dominorum doctorum dicti collegii in teſtimonium præmiſſorum propria manu me ſubſcripſi.

In Chriſti nomine. Amen. Anno MCCCCVIII. die I. menſis Januarii convocato collegio doctorum juris civilis & congregato in eccleſia S. Pancratii, in qua juraverunt duæ partes & ultra dicti collegii, viſis & examinatis concluſionibus ſupraſcriptis, ac etiam attentis & ponderatis approbationibus factis in eiſdem per venerabiles magiſtros ſacræ theologiæ, & ſucceſſive per egregios doctores decretorum & ipſorum collegium, præfati doctores juris civilis unanimiter approbarunt dictas concluſiones, cum proteſtationibus in primo præmiſſis & repetitis, & nunc etiam ſe ſubjicientes determinationi eccleſiæ ſanctæ. Et ideo de eorum mandato & voluntate, ut prior dicti collegii, ſigillum conſuetum appoſui, & me hic propria manu ſubſcripſi, Ego Gaſpar de Rufinis legum doctor. Et ſimiliter mandaverunt notario dicti collegii, ut ſe in teſtimonium ſubſcriberet.

Et ego Philippus Angelini olim Philippi de Marſiliis, publicus imperiali & communis Bononienſis auctoritate notarius Bononienſis, & nunc notarius dicti collegii, in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum publice me ſubſcripſi.

LITTERA UNIVERSITATIS Pariſienſis, ad cardinales utriuſque collegii.

Hortatur ad perſeverandum in bono propoſito dandi eccleſiæ pacem.

Anno 1409. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

SAtis datum fuerat mortalibus, patres metuendiſſimi, ſi tales ſemper geſtaſſent animos rectores orbis, quales nunc geritis. Satis datum foret populo Chriſtiano, ſi votis veſtris ambitioſa mens contendentium & infauſta morem aliquem geſſiſſet. Sed in aborſum res vertitur. Nam omnibus pacem quærentibus, ſchiſmaticæ mentes moliuntur impedimenta. Eunt tamen quo furialis impetus calamitates. In eos tamen dolor graviſſimus redundabit. Et vos, ô veriſſimi pugiles Chriſtianæ pacis, qui & in falſis fratribus, & in regnantibus hypocritis, & in ingluvie ſchiſmatica plus quam ſcylleam rabiem eſtis experti, fortunam quam Deus dederit lætiſſimam habebitis, quia Chriſtum noſtrum ſecuti, eccleſiaſticæ perſecutionis videmini magnum diſcurſum omni diſcrimine plenum egiſſe, in eo perſeveratis, quo fortis & excelſus animus amplitudinis virtutis finem reperit glorioſiſſimum. Quid reſtat, niſi ut vobis dicamus: Donate & vos metas rebus ſervate ſecundis. Nam ſive hac, ſive alia via, ut ſpes eſt, dabit Deus finem veſtris laboribus. Itaque quo veritas trahit, quo caritas impellit, accedamus. Quidquid reliquum ſeu fortunæ ſubeſt, ferendo ſuperandum eſt. Ipſa quoque divina conſolatio a fidelibus in omnibus experta malis præſto erit, ſupplens illico quæ ferre non poteſt humana debilitas. Hoc tantum hortamur, ut in hoc extremo labore perſeverantes, non exiſtimetis hoc regnum aliquo caſu defuturum, quia principes noſtri, atque Gallorum populus, omnes denique regnicolæ ceteris rebus eccleſiæ pacis procurationem præpoſuerunt. Unum tamen inter cetera minatur periculum, in quo vos commonitos volumus, ut neutri contendentium obedientiam præſtetis, neque permittatis eorum aliquem auctoritate prætenſa concilium ingredi convocatum. Cetera quæ pro bono cauſæ Dei, exploſis humanæ perditionis fraudibus, agenda cenſemus, explicabunt reverendiſſimis paternitatibus veſtris Guillelmus *Boſratier* utriuſque juris doctor, conſiliarius, & magiſter requeſtarum hoſpitii domini noſtri regis, & Hugo *Cholet* miles cambellanus ejuſdem domini noſtri, quibus velitis in dicendis pro parte noſtra indubiam fidem adhibere. Dirigat mentes veſtras divinus Spiritus ad hoc munus deificum univerſæ Chriſtianitati ferendum. Scriptum Pariſius, &c.

Veſtri Rector & Univerſitas Studii Pariſienſis.

EPISTOLA CAROLI REGIS Francorum, ad Florentinos.

Commendat eis patres Piſis congregatos & congregandos.

CAROLUS, &c. magnificis & potentibus prioribus artium ac vexillifero juſtitiæ & populi communis Florentiæ amicis noſtris cariſſimis, ſalutem & circa eccleſiæ unionem in omnibus opem ferre.

Magnifici & potentes amici cariſſimi, auditis relatu plurimorum curialitatibus atque favoribus multiplicibus collegii, inducimur vobis grates rependere valde multas, ſed præcipue quod alias totis niſibus, ut ſubjungitur, pro conſecutione unionis eccleſiæ plurimum elaboratis. Quocirca, amici cariſſimi, vos precamur enixe, quatenus cum perſeverantia & continuatione hujus ſancti veſtri propoſiti in rejectione iſtorum peſſime meritorum, contendentium de papatu, ac obedientiæ neutralitate, ut bina vice hactenus eſtis pollicti, nobiſcum veſtra communitas, & nos, ſi uſquam aut umquam quipiam noſtrorum prædeceſſorum fuerint cum veſtris prædeceſſoribus amicitiæ benevolentia conjuncti, magis ac magis noſtræ eſt intentionis iſto reſpectu in poſterum ejuſdem veſtræ communitatis amatores ſemper fore. Ceterum, amici cariſſimi, ſuper victualium adminiſtratione pro pretio competenti moderatoque ipſis cardinalibus & aliis qui Piſas accedent facienda, animadverſuros vos eſſe precamur, & debite proviſuros, ut poteſtis, ſed maxime & maxime de ſecuritate perſonarum, cum, ut veſtræ circumſpectiones non ignorant, ex urbe mala peracta, ſchiſma, quod, proh dolor! in Dei nunc viget eccleſia, oborſum ſit. Datum, &c.

EPISTOLA DOMINI BARENSIS ad dominos cardinales.

De ſucceſſibus ſuis in Alemannia.

Sub finem 1408. aut initio 1409. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

1. REverendiſſimi patres & domini & benefactores mei, poſt debitam & humilem recommendationem. A Tridento, quantum ad uſque tunc occurrerat memini me ſatis plene veſtris reverentiis ſcripſiſſe. Abinde autem nihil erat quod nuncium ad id notificandum exigeret ſpecialem, quoniam etſi per omnes civitates & oppida, mira cum veneratione, ſolemnibus proceſſionum, & occurſuum magiſtratuum & populorum apparatibus, fuerim ſemper receptus; bonum fuiſſet ad lætitiam mentium veſtrarum in Domino id ſignificaſſe; ſed quia non exigens diſtuli ad hucuſque, longum foret ſingula enarrare, quæ devotiſſimi magnates & populi Alamanni circa adventum meum ſtudioſe facere niſi ſunt. Aliqua tamen perſtringam compendio, ut ex paucis dominationes veſtræ reliqua contemplentur. Unum quippe ex meis aliquando capiendi hoſpitia & præparandi neceſſaria præmittebam, qui cum in præparatione hujuſmodi adventum meum & cauſas enarraret, continuo univerſus loci tam clerus quam populus pia devotione in Domino exultabat. Clerus autem ad proceſſionem, & primates ad occurſuum ſolemnia ſe parabant; cetera vero quæque plebs, quæ vere eſt in cunctis oppidis numeroſa, extra portam avide confluebat, quaſi divinum hominem, nuncium pacis cœlo demiſſum viſuros ſe arbitrarentur. Namque etſi dignitas cardinalatus propter raritatem in his partibus ſumma cum veneratione habeatur, augebat tamen eam, immo facit principaliter cauſa ſanctiſſimæ unionis Dei, quam procurare pro parte reverendiſſimarum veſtrarum dominationum ad partes has ſciebant me eſſe profectum. Propterea nec ubi populis tuta quies, ubique inter magnates diſcordiæ, ubique ſollicitudo timoris ſeu calamitas preſſionum: ita ut non ſolum propter fidei articulum, quem videntur accuratiſſime annotare; verum etiam quia ex eccleſiæ unione quietem populis ipſis reddi, injurias tolli, fidelibus pacem reſtitui atque quietem. Igitur verbum pacificæ unionis libenter audiunt, effectum autem concupiſcunt. Neminem hucuſque reperi, qui ſtatim cum cauſam ſanctam veſtram, immo fidelium omnium, intellexerit, illam non laudaverit, adhæſeritque eidem, adverſam ut perfidioſam inimicamque ſaluti fidelium deteſtando. Quanta vero cura ſit, ut tamquam nuncius & procurator pacis ego ſine offenſione vel impedimento mandatum iter efficerem, & ſi vultus, ſi verba modoſque eorum intueri oculis non poſſitis, animis ſaltem ex hoc uno intelligere, ſupplico, dominationes veſtræ dignentur. Unaquæque ſiquidem terra me cum omni comitiva mea aduſque terram aliam militibus eorum atque nobilibus, armigeris ſociantibus, cautiſſime ſecurum ponere procuravit. Quid ultra? inter horridos montes & gentes feras in ipſo introitu Sueviæ duo barones inter ſe guerras mortiferas diffidebant, ſtatim cum illos tranſitus mei conſcios feci, unus ad mei ſecuritatem familiares ſuos miſit armatos, alius venit & quidem ferocior in occurſu, eam devotionem cum omni reverentia exhibens, ut ipſe miratus cognoverim ſanctum huic procurationi præire Spiritum, qui prava in directa dirigeret, & aſpera in vias planas. Namque non vos aut ego, ſed Deus facit hæc omnia. Ceterum ſi ſingula ſic ut geſta ſunt, percurrere ſeriatim voluero, opus ſe extenderet in nimis longum, quamquam præſens lingua vix poſſem exprimere.

2. Percurram igitur, importantiora legens ex plurimis. Prima mihi poſt Tridentum ci-

vitas Brixinenſis occurrit, ubi quamquam ubique cum proceſſionibus fuerim & populi concurſu receptus, ibi tamen ampliori honore, quo intelligentiores viros ibidem contigit reperiſſe. Pallio enim & eſculentorum potulentorumque muneribus receptus, ſolemniter in eadem progreſſus ſum, communibus dimiſſis aliis, quantum ſciebant poterantque devotionis, agentibus, ad oppidum Sprutenſe, in quo illuſtris duciſſa Auſtriæ novi electi regis Romanorum filia morabatur: quæ cum meum præſenſiſſet adventum, primum certos milites ac nobiles ad me obviam miſit, deinde ſub duobus ſucceſſivis palliis me ingredi ordinavit, excuſans ſe, quod niſi gravis utero foret, exiiſſet ipſa etiam in occurſum. Verumtamen eam in clauſtro ante portam eccleſiæ cum ſolemni comitiva reperi devotam reverentemque, ut rationabiliter annotaſſem. Prætereo hic plurima ceterorum oppidanorum circa devotionem ipſam relatu digniſſima, & cetera notabiliora percurro. Priori die ſecus lacum ad caſtrum quod *Haſbrug* in Teutonico nuncupatur, hora quaſi ſecunda noctis perveneram, verumtamen unum ex meis ad Conſtantienſem civitatem, quæ ex parte alia lacus ſita eſt, duxeram præmittendum, per quem notum ibidem feceram adventum meum.

3. Mane vero quod ſucceſſit, & ecce navis a Conſtantia ſolemniter præparata, quam cum electioribus comitivæ meæ ingreſſus ſum, ceteris cum equis in navibus aliis tranſportatis. Cum vero Conſtantiæ propinquarem, exiverunt magiſtri civium in ſcaphis, deinde primates cum reverentiis ſe obviam offerentes, ſicque ad portam civitatis delatus, ibi clerum totum cum utriuſque ſexus populo congregatum inveni, ſub pallioque receptus cum devotione populi & confluentia, non ſine preſſura proceſſi ad eccleſiam cathedralem. Inde ſervato more, ad locum manſionis ſociatus mirifice declinavi.

4. Poſtero autem die miſſam ſolemnem per omnes religiones & eccleſias nunciatam, feci me præſente in ipſa majori eccleſia celebrari, in qua duos egregios habui prædicatores, unum ſocium meum cariſſimum dominum epiſcopum Laudenſem, qui in latino ad clerum proponens, occurentis epiſtolæ cœleſtis oratoris *Semel fecit ſe offerendo dominus* JESUS ad Hebreos VII. quam mirum in modum ad ſententiam faciendæ unionis eccleſiæ, improbationiſque GREGORII & BENEDICTI, operumque eorum decrete & rationabiliter reduxit. Alius Alamannus vulgari lingua eloquenter de eiſdem, ſicut mihi fide digne relatum extitit, prædicavit. deinde ad prandium quoſdam abbates, canonicos, & primates habens quam plures, ſanctam cauſam veſtram intelligi illis dedi, priores & gardianos religioſorum ordinum advocavi atquemagiſtros, quibus litteras generalium ſuorum oſtendens, quotidie prædicare veſtræ veritatem juſtitiæ induxi: ac ſic per diem totam ibidem moram trahens, ædificaſſe credo ſtructuram bonam in juſtitiæ veſtræ templo.

5 Mane autem ſuccedente, navis mihi, univerſitate diſponente, parata eſt, quam ingreſſus, equis per terram euntibus ad oppidum Scafhuſenſe, inde ad Baſilienſem civitatem perveni. Ibi facta ſunt mihi majora prioribus ad honorem. Namque quantus militum nobilium, quantuſque populi cum ſolemni clero concurſus fuerit cum pallio, quæve viſitatio eorum ad hoſpitii mei locum, quantave omnium geſtorum ſolemnitas non facile ſcripſerim. Sed ſuccedente die, populo ad majorem eccleſiam convocato, ſolemni ritu miſſam celebrari feci, in qua idem ſocius meus cariſſimus dominus Laudenſis epiſcopus, proponens *Ecce mitto angelum meum*, commiſſi mihi miniſterii a reverentiis veſtris illi æternæ redemtionis ſanctiſſimæ comparavit juſtam cauſam veſtram, per omnes partes explicans & alterius perfidam pravitatem. Similiter & alius in Teutonico prædicator. deinde in prandio magiſtros & conſules civium primateſque habui cum eccleſiaſticis plurimis illos curans verbo veſtræ reficere veritatis. Similiter & ordinum priores ac præſidentes informatos feci, omneſque viſi ſunt animis ſancto veſtro propoſito inhærere, perverſitatem de papatu contendentium deteſtantes.

6 Hic cum animo recenſerem, quod a Tridento, immo ab ipſis Italiæ finibus ulterioribus ad civitatem hanc Baſilienſem per XX. jam dies & ultra continua itineratione, per illuſtris ducis Auſtriæ territoria, interjectis admodum paucis aliis, pervenerim, accepiſſemque nonnullas terras habere ulterius, eſſeque ejus potentatum magnum, nec ab hinc ultra V. aut VI. milliaria Teutonicorum ſeorſum diſtare, cogitaremque ad cauſam veſtræ juſtitiæ plurimum pertinere, ſi ipſius ſublimitatem de ipſius cauſæ meritis informarem: Decrevi a directo itinere aliquantiſper divertere, & ad illum perſonaliter me conferre. Vix prius cum conſiliariis meis iſta decreveram, & ecce nuncius cum litteris reverendiſſimi in Chriſto patris & domini, domini mei B. ſancti Euſtachii legati Bononienſis, complementi ſancti hujus propoſiti procuratoris vigilis & laudabilis in æternum, per quas me idem dominus adviſatum reddebat, GREGORIUM impedimentum tranſitus Alamannorum ad veſtrum concilium procurare, ſuumque conciliabulum celebrare, provide fore cum illuſtri domino duce præfato remedium adhibendum. Confirmavit me igitur in ipſius propoſito tam veneranda monitio, ſapiens & curioſa domini mei prædicti, ipſiuſque mandatis obtemperans, a Baſilea conſilio magiſtrorum civium & optimatum per navim recedens, ad oppidum perveni, quod

in ſchiſmate adhæſerat BENEDICTO. Cum vero oppidani jam me venientem ſentirent, nullo ſub honore me recipere procurabant. Verum cum pro pace & unitate eccleſiæ me intellexerunt venientem, pallio confeſtim parato, cum clero & proceſſione, atque exultatione totius populi me ſolemniter receperunt. Inde acceſſum meum præfato illuſtri domino notum feci, qui apud notabile oppidum ſuum, Friburgum nomine, diſtans per tria Teutonicorum millaria, manebat. Redeuntes ab illo nuncii ſalvum conductum ejus reportarunt, etiam non petitum, quodque me libenti videret animo, de acceſſu tamen facerem pro meæ libito voluntatis. Paulo poſt duo, ejus conſiliarius miles & ſecretarius, ad me venerunt oratores, qui illum nocte ex ingruentibus cauſis equitaturum aſſeverabant, petentes etiam verbis, quæ ipſe idem, ut infra inſeretur, litteris poſtulavit. Continuo illis cauſam mei adventus expoſui, & dicto domino etiam per litteras meas ſcripſi, rogando, ut tantis rebus, quantis cum eo forem tractaturus, ceteras aliquantis per poſtponeret, & meum expectare dignaretur adventum. Qui nocte litteris meis receptis, ſine mora quoſdam milites alioſque armigeros ad me miſit, quorum comitiva ſecutus, ſerenitatem ſuam adirem.

7 Jam meridie venientibus illis confeſtim iter arripui. Et quia tria Teutonica milliaria quindecim ſunt latina, in tanta brevitate dierum, mulis ſalmigeris equitum celeritatem impedientibus, dies ceſſerat jam in noctem, quando ad duo latina milliaria a Friburgo oppido occurrentem cum magno Baronum, militum & armigerorum comitatu inveni, & poſt dignos applauſus, facibus innumeris noctis tenebris ſuperatis, ad eccleſiam, præcedente clero, proceſſionaliter primum, deinde ad ordinatum hoſpitium me reduxi, & inter ſic faciendum miram modeſtiam dicti domini annotavi. Namque nox erat & pluvia, & cum eccleſiam eſſem ingreſſus, in ea faciens cerimonias conſuetas, foris ipſe remanſit ſub dio expectans, ad hoſpitium cum imbrium patientia me reducens. Reddito autem terris ſole, pro reverendo in Chriſto domino epiſcopo Brixinienſi, qui de primis eſt conſiliariis ejus, miſi. Quo de ſingulis, quantum opus fuit, per ſeriem informato, cauſam veſtram intelligere & eidem viſus eſt animo adhærere. Poſt prandium autem ipſe illuſtris dominus ad hoſpitium ipſum perſonaliter cum conſiliariis ſuis advenit, quocum magna de omnibus reverentiarum veſtrarum geſtis & Gregorii locutio mihi fuit, poſtque multas ſuaſiones pluraque ſeparatim cum conſiliariis hinc inde facta conſilia, concluſio tandem iſta, quod intendit per omnia ſacro veſtro collegio circa unionem eccleſiæ inhærere, & ad concilium mittere, & futuro ſummo eligendo pontifici credere & parere. Ipſe quoque petitionem mihi fecit fieri ſecundum ſeriem copiatam, ut in inſtrumento inſertam. Quam ſiquidem petitionem ſuo ſigillatam ſigillo, & ſubſcriptam a ſecretario ſuo recepi, atque teneo ad cautelam. Ceterum ea recepta & accurate conſiderata, cum reverendis in Chriſto patribus ſociis & conſiliariis meis, plene cum omnibus dependentibus & connexis diſcuſſi eamdem. Et attento quod eſt incredibilis potentiæ, domini novi electi Romanorum regis gener, & magnum ceteris principibus & populis Alamanniæ exemplum, deliberavi concludere cum eodem ſecundum inſtrumenti publici ſeriem, præſentibus retro ſcriptam,

8 Sequenti ſiquidem mane illum ad principalem eccleſiam oppidi populoſi, cum ſolemni apparatu celebrandæ miſſæ multitudiniſque concurſu, ante miſſæ incohationem, eodem domino duce coram me humiliter genuflexo & petente, ut ſupra, aſtantibus multis baronibus, militibus & nobilibus, clero & populo inſpicientibus, juramento prius præſtito, & prædicto promiſſionibus factis, extitit abſoiutus, ſtetitque in miſſa ſemper capite diſcooperto; & miſſa finita, me ad hoſpitium uſque reduxit. litteras etiam ſuas fieri fecit damnationibus veſtris, pro ut in intercluſa copia poteritis annotare, quas conſervo ſimiliter, & alias ſubditis, quarum unam mitto inter præſentes, cum habeam duplicatas, ut alia ad ſubditos deſtinetur.

9 Altera autem die magna cum comitiva ad *Briſachen* oppidum, quod eſt etiam ſuum, perſonaliter me conduxit: & inde mane poſtero cum equitum & peditum comitiva, uſque in Columbrienſe territorium, ubi nonnullos oppidanos procuratione dicti domini reperi in occurſum. Inde a me quanta cum humilitate & reverentia receſſerit, colligite deprecor ex prægeſtis. Proceſſi itaque ad imperiale oppidum illud, ubi ante portas in morem ſolemnem clerum, magiſtros oppidanorum, & populi magnam partem inveni. Quatuor ex primatibus pallium deferentibus, ſicut etiam ex omnibus locis ſuperioribus extitit obſervatum, receptus ſum & mirifice honoratus.

10 Succedente die ad oppidum *Sclileghe* ſociatus optime a Columbrienſibus, ad uſque tuimentum *Sclilche*, ubi alii nobiles ejuſdem oppidi præaviſati a Columbrienſibus occurrerant: a quibus receptus, ad oppidum ipſum, quod etiam imperiale eſt, proceſſi in vigilia feſti dominicæ nativitatis. Illorum quoque oppidanorum quam reverens ſit devotio, ex ſolo hoc actu poſſunt dominationes veſtræ colligere. Erant eo die immenſo frigore in glaciem aſtrictæ aquæ, & nubes deſuper ſolo aquilone compreſſæ, nivem minutiſſimam raramque diſtillabant, ita quod omnium membra pene rigebant. Cum per oppidum

ab

ab ecclesia ad hospitium ducere, contingeretque ut fluvium per ipsum oppidum defluentem transvadarem, cum pons esset inequitabilis, opus foret, duo milites quatuorque nobiles mulam regentes, deferentesque pallium, a me instanter moniti & rogati, ut per pontem transirent, nullo pacto voluerunt devotum ministerium linquere, sed per aquam ad femoralia usque attingentem, non sine compassione animi mei, licet in domino collætarer de tanta affectione ecclesiæ uniendæ & reverentia ejus, cum gaudio transmearunt.

11 Porro festo die sequenti solemni in missa & apud ecclesiam principalem, coram omni populo per eloquentem unum fratrem ordinis Eremitarum totam causam vestram cum detestatione perfidiæ & obstinationis alterius feci clarissime prædicari, habuique quosdam de primatibus mecum in prandio, merita causæ vestræ, immo fidelium omnium per fideles & idoneos interpretes aperiendo.

12 Ab inde quamprimum altera lux reddita terris fuit, præmissis ad Argentinam domino episcopo Laudensi, & domino Roberto, & domino Johanne de Bononia doctoribus, ac magistro Johanne *Creit*, quoniam ante præmiseram solum dominum Johannem de Bononia, qui ad me in dicto oppido sero redierat, dicens Argentinenses in exhibitione honoris, maxime clerus, propter sententias Gregorii hæsitare, comitatus ab oppidanis ipsis, & in oppido Argentinensis territorii, quod a civitate per milliaria Teutonica tria distabat, sum etiam honorifice, sicut prius, pro qualitate oppidi hospitatus. Non enim alius civitati propinquior idoneus erat locus.

13 Summo autem mane postero inde discedens circa meridiem, ad Argentinensem civitatem perveni, & prope portam in quodam monasterio, præparationis causa declinavi. Continuo duo, quos præmiseram, ad me venerunt, afferentes in civitate diversas esse sententias, processiones cardinalibus facere non consueviſſe, rem omnem super hoc tractatu in incerto pendere, donec provinciale sit concilium celebratum, quod uti scitis in Francofordia in octava Epiphaniæ debet solemniter celebrari, & similia, quæ mentem meam & eorum qui mecum sunt commoverunt, nec rationes multiplices per illos quos præmiseram allatas & concludentissimas, nisi taciturnitate, ad effectum aliquem admittebant, quamquam discrepationes in clero & populo plurimæ fuerunt & diversæ. Advenientibus tamen Cordesanis, & notis civibus aliquibus præcedentibus, salvus & disposita comitiva mea in ordinem, in civitatem processi, in qua numerosum populum per magnam stratam undique confluentem inveni, & majorem etiam visitavi. Inde ad hospitium meum me contuli præparatum. Et ecce magister Scabinorum & omnes magistratus ad me cum multitudine militum & nobilium advenerunt, excusationes, quod debitum non fecerant allegantes. Puto quia viderunt res & statum vestros non abjectos, uti illis fuerat fortasse relatum. Sunt enim mecum equites numero centum; quibus, Spiritus-Sancti gratia ministrante, respondi sanctum vestrum propositum & accessus mei ministerium reserando; ita ut statim conversi fuerint in assensum, deinde ab ipsis fui piscibus & esculentis & potulentis donatus; quos ad prandium invitavi in diem sequentem benivole acceptantes. Post hos & ecce ecclesiæ majoris capitulum, quos, ut expedire visum extitit, reprehendens, & merita vestræ sanctissimæ causæ illis aperiens, reduxi, ut illos pudere confiterentur; quamquam idem capitulum sese plurimum, quod per eos non steterit, excusaret; & in vero reperi per eos non stetisse; sed per alia capitula aliarum solemnium ecclesiarum, in quibus erat præpositus unus senior, cujus mentem sathan ingressus fuerit, omnia bene disponenda perturbans. Tandem idem ecclesiæ majoris capitulum emendationi neglectorum & non factorum se submisit, & concluſum fuit, quod missam solemnem in ipsa ecclesia facerem celebrari sequenti mane, quo dies fuit Veneris Innocentium, quodque ad hospitium processionaliter solemni more venirent, inde me ad ecclesiam perducturi.

14 Ipsis deinde recedentibus sub conclusione hujusmodi antedicta, ceteri de aliis capitulis advenerunt, & senex ille: quibus verbum faciens de justitia causæ vestræ, prout ipse Spiritus dedit, cum rationabili cordis reprehensione, factis per eos quibusdam rationibus & plene etiam confutatis, nequam ille spiritus de corde senis in verbo veritatis ejectus est, & omnes erubescere, singuli culpam recognoscere incœperunt, supplicantes veniam, & cum emendare velint, possint cum majoris ecclesiæ capitulo interesse.

15 Et factum est quod sequenti mane omnes religiones, omnia ecclesiarum capitula, clerusque numerosus processionaliter ad hospitium se contulerunt. Venerunt etiam magistri scabinorum, & omnes magistratus convenerunt, multi barones, milites, & nobiles, & numerosa populi multitudo, & me exeuntem sub pallio receperunt, quod milites quatuor deferebant, quorum nepos domini archiepiscopi Colonienſis unus erat, tres tandem milites tenebant. Unus præibat etiam cum capello, ceteri magnates & primas præibant. Quantus utriusque sexus populus per stratas & fenestras manens, ad ecclesiamque procedens, commodiorem locum tempusque scribendi exigeret. Quantus in mirabili illa ecclesia apparatus fuerit, ex aliis dominationes vestræ concipiant. Missa autem solemnissime inchoata, atque procedente in ritum,

dominus epiſcopus Laudenſis ſub propoſitione decantati evangelii *Fuit homo miſſus a Deo*, quantum dici poſſet, de veſtro ſancto propoſito & veſtris juſtiſſimis operibus prædicavit. Provincialis miniſter ordinis Minorum, qui ſinceri cordis & ferventis voluntatis eſt in cauſa veſtra, immo Dei, in Teutonico etiam pleniſſime prædicavit. Finita miſſa majore, dictis capitulis, & aliis, ſicque ordinibus religioſorum præcedentibus, ad hoſpitium me retuli; iiſdem magiſtratibus, baronibus, militibus, ac nobilibus ſociatus, cum quibus caritative in eo hoſpitio, videlicet cum principalibus pranſus fui. Quid tandem mihi ad honorem amplius fieri potuiſſet? Et quidem exiſtimo non levem rem hanc eſſe in ſtatera diſponendorum in concilio ipſo. Namque civitas potens eſt, & de primis Alamanniæ univerſæ. In his omnibus vicarius generalis domini Argentinenſis epiſcopi fuit, ipſiuſque domini epiſcopi recepi litteras tenoris videlicet ſubſequentis.

14 *Reverendiſſimo in Chriſto patri & domino domino L. cardinali Barenſi, domino meo ſingulariſſimo W.* (*a*) *epiſcopus Argentinenſis ad paternitatis veſtræ reverendæ mandata paratus, recommendatione præmiſſa. Reverendiſſime pater & domine mi ſingulariſſime, de adventu veſtræ reverendiſſimæ paternitatis ad civitatem Argentinenſem, intellexi, de quo multipliciter fui & ſum gaviſus, & toto cordis deſiderio affectavi veſtram benignam & reverendam paternitatem viſitare: ſed propter inopinatas cauſas ad præſens occurentes, & inſultus inimicorum partium mearum, non poſſem commode, nec valeo recedere de oppido* Zalome, in quo ſum pro cuſtodia aliorum locorum. Idcirco quantum poſſum & valeo deprecor affectuoſe, quatenus paternitas veſtra reverendiſſima ad præſens me dignetur habere excuſatum, quod perſonaliter non veni, prout affectabam. Si tamen omnino paternitas veſtra reverendiſſima mihi præcipiat, omnibus prætermiſſis, non obmittam ad R. P. properare, quam, &c.*

* *f.* Savernæ.

15 Qualia uſque in hanc horam geſta ſunt, puto me pro parte notabiliora expoſuiſſe; cetera quæ imminent non attingam: ſentiens apud Coloniam a Theodorico *Nyem* relata, qui meas ſubinde receperat litteras, cum quibus à Piſis & domino Colonienſi ſcripſeram acceſſum meum. Venerabilis vir dominus abbas S. Juſtinæ Paduanæ, ſtatim verſus me, ad informandum de ſingulis, quæ ipſe repperit regreſſus eſt, quem apud Argentinam inveni: biduo ante prævenerat me expectans, cujus informatione & aviſationibus uſus ſum. Eſt enim providus & fidelis, & merito ponendus inter caros. Eo referente, percepi & aliis etiam fide dignis, quod octava Januarii dominus archiepiſcopus Moguntinus concilium ſuum facit, in quod quid in provinciali apud *Francoford* ſentire debeat, providebit. In illo itaque intereſſe, niſi alia melior ratio me moverit, diſpono. Non enim parva res erit ad juſtitiæ veſtræ certitudinem, ſi ibidem pro vobis fuerit ſtatutum. Propterea cras hinc, Deo auxiliante recedam, ſocium meum abbatem reducens, & cum apud Spiram fuero, quid ſuper progreſſu ulteriori facturus fuero, rebus ibidem melius cognitis, conſilio adhibito, deliberabo, eo inſpirante, qui numquam deſtituet cauſam ſanctam ſuam. Namque rex Romanorum proximior eſt ad civitatem Spirenſem, quam dominus Maguntinus. Non enim in Francofordia, uti ſentio, eſt ad præſens, ſed apud *Hildelberg*. Ideo providendum.

15 Litteras dominationum veſtrarum hic etiam recepi, apud Piſas xxiii. Novembris datas, cum copiis intercluſis, quas reverenter perlegens, & accurate conſiderans, juſſiones veſtras & aviſamenta curabo, quantum de ſuperna gratia dabitur adimplere. Novit dominus, noverunt & hi qui ſunt horum laborum participes mecum, ex quo a pedibus reverentiarum veſtrarum, maxime poſtquam Alamanniæ fines attigi, nullum temporis momentum infructuoſum permiſi decurrere circa mandati itineris & commiſſorum exſecutionem, ſicque curabo in futurum. Scribo magnificis & excellentibus dominis Florentinis in generali & ſub compendio nova hæc. Vos autem ſi videbitur ea poteritis ſerioſius reſerare. Datum Argentinæ.

(*a*) Willelmus comes Dieſtenſis.

LITTERA DUCIS AUSTRIÆ ad cardinales.

Promittit ſe eis ſuos ad concilium oratores miſſurum ac ditionis ſuæ prælatos ut ad illud veniant hortaturum.

Anno 1408. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chanvelin.*

REverendiſſimi in Chriſto patres & domini, domini cardines eccleſiæ Dei veriſſimi, FREDERICUS Dei gratia dux Auſtriæ, &c. poſt devotam recommendationem in domino & reverentiam debitam in eodem. Dudum ſiquidem cum promiſſiones, juramenta & vota de papatu contendentium eorumdemque litteras de ceſſione facienda ob cauſam tollendi ſchiſmatis, & unitatem in Dei eccleſia reducendam, conſideraremus, exultavimus in Domino, gratias illi agentes, qui ſuper anguſtiis fidelium ſuorum miſertus, temporis plenitudinem venire fecit, quo tam exitiale malum de medio ipſorum fidelium tolleretur. Poſtquam vero intuitu pacis, ſuper fundum carnalium affectionum zizania ſeminante, cognovimus non teneri in promiſſorum, juramentorum, votorumque, ac Chriſticolis ſignificatorum obſervationem, & proinde corpus eccleſiæ in difformitate bicipiti ſub tanta Chriſtianorum perverſitate teneri, corde compuncti ſumus, quaſi Altiſſimus adhuc ſuper humana deme-

rita virgam ultionis extendere non ceſſaſſet. Verum nova lux ſpei pacis in domino deinde illuxit, quando in templo fidei Chriſtianæ cardines ad tollendam ſciſſuram, ſancto inſpirati flamine, in caritatis vinculo convenerunt, ſicut fama prævium. Deinde adveniente pro parte veſtra reverendiſſimo in Chriſto patre & domino, domino L. S. Romanæ eccleſiæ cardinali Barenſi digniſſimo, apertius fuit nobis facta veſtri catholici propoſiti circa uniendam Romanam eccleſiam juſtitia nota. Ipſum itaque omni devotione & reverentia debita, nomine veſtro, & tanti boni cauſa, pro Romana eccleſia venientem recipientes, ab eodem ſpeciales gratias cupivimus, quas ejus benignitate nomine veſtræ unitatis, ſummam gubernationem ipſius eccleſiæ effectualiter continentes, obtinuimus, prout ipſe idem veſtris reverentiis referabit. Porro nos ita publicum bonum, ita Chriſtianæ fidei allicit firmamentum, quod in hoc ſancto propoſito eccleſiæ uniendæ, & reverentias veſtras ſequi, atque juſtitiæ veſtræ favere in omnibus poſſibilibus noſtris intendimus pleno animo & ſincero corde, quantum de jure poſſumus & tenemur, noſtroſque etiam procuratores ad generale concilium per vos indictum Piſas, tantummodo ſi legitime impediti non fuerimus, tranſmittemus, ſingulos in noſtra ditione prælatos atque communitates conſiſtentes, ad veniendum mittendumque ad id concilium veſtrum ſuo tempore effectualiter hortaturi, & quantum permittet modeſtia inducemus, reverentias veſtras ad continuationem tam ſancti & mundo neceſſarii veſtri circa uniendam eccleſiam propoſiti, uſque ad perfectionem ejus incluſive, dante Domino, devote & humiliter in Domino exhortando. Datum in oppido noſtro Friburgæ &c.

Reverendiſſimorum in Chriſto patrum dominorum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium collegio venerando amicis noſtris cariſſimis.

SEQUUNTUR
aliquæ propoſitiones utiles ad extinctionem præſentis ſchiſmatis per viam concilii generalis.

Anno 1409. Ex mſſ. ſancti Laurentii Leodienſis & Chauveliniana.

1 IN unitate capitis Chriſti plene & perfecte conſiſtit unitas corporis myſtici totius eccleſiæ Chriſtianæ, juxta illud Apoſtoli: *Chriſtus eſt caput eccleſiæ*, & illud: *Omnes unum corpus ſumus in Chriſto.*

2 Licet papa in quantum Chriſti vicarius quodammodo dici poſſit caput eccleſiæ, tamen eccleſiæ unitas non neceſſario dependet aut originatur ab unitate papæ. Patet ex prima, & etiam quia nullo exiſtente papa, ſemper eccleſia remanet una, juxta illud Canticorum: *Una eſt columba mea*, & juxta illud ſymboli: *Unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam.*

3 A Chriſto capite ejus corpus myſticum, quod eſt eccleſia, originaliter & immediate poteſtatem habet & auctoritatem, ut ad ſuam unitatem conſervandam rite valeat ſeipſam aut generale concilium ipſam repræſentans congregare. Patet ex illo verbo Chriſti: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego in medio illorum ſum.* Ubi advertendum eſt, quod non dicit *in nomine Petri*, vel *in nomine papæ*, ſed *in nomine meo*, dans intelligere, quod ubicumque & a quocumque aggregentur fideles, dum tamen hoc fiat in nomine ſuo, hoc eſt in Chriſti fide, & pro eccleſiæ ſuæ ſalute, ipſe aſſiſtit eis tamquam infallibilis director & rector.

4 Non ſolum auctoritate Chriſti, ſed etiam communi jure naturali, præmiſſam auctoritatem ſive poteſtatem habet corpus myſticum eccleſiæ Dei. Patet, quia quodlibet corpus naturale naturaliter reſiſtit ſuæ diviſioni & deſtructioni; & ſi ſit corpus animatum, naturaliter congregat omnia membra, omneſque vires ſuas ad conſervandum ſuam unitatem, & repellendum ſuam diviſionem. Similique modo quodlibet corpus civile, ſeu civilis communitas, vel politia rite ordinata, adeoque corpus ſpirituale ſeu myſticum eccleſiæ Chriſtianæ, quod ordinatiſſime compoſitum eſt, propter quod eccleſiaſtica politia in Canticis deſcribitur *velut caſtrorum acies ordinata*, ſimili modo uti poterit ad ſuam unitatem conſervandam & quamlibet ſchiſmaticam diviſionem repellendam, tamquam ſuæ ordinatiſſimæ compoſitionis deſtructivam.

5 Præmiſſa auctoritate & auctoritativa poteſtate uſa fuit eccleſia primitiva. Patet, quia in actibus apoſtolorum quatuor leguntur concilia generalia congregata, & non habetur quod auctoritate Petri fuerint convocata, ſed communi conſenſu eccleſiæ, & in uno Jeroſolymis celebrato non Petrus, ſed Jacobus illius loci epiſcopus legitur præfuiſſe, & ſententiam protuliſſe.

6 Poſt incrementa naſcentis eccleſiæ primitivæ, præmiſſa auctoritas & poteſtas congregandi generalia concilia, rationabiliter limitata fuit & reſtricta, ſic ſcilicet quod ſine auctoritate papæ nulli liceret concilia hujuſmodi congregare. Patet ex juribus communibus, quæ habentur in decretis & decretalibus; & ratio fuit, ut honoraretur ſedes apoſtolica, & obviaretur hæreticis & ſchiſmaticis, qui quandoque ad libitum per potentiam principum ſæcularium concilia vocari & congregari procurabant ad ſuorum errorum fulcimentum.

7 Præmiſſa limitatio ſeu reſtrictio non tollit quin prædicta auctoritativa poteſtas ſemper abſolute remaneat in ipſa univerſali eccleſia. Patet, quia jura poſitiva non poſſunt ab eccleſia abſolute tollere illam poteſtatem quæ ei competit divino & naturali jure.

8 Non obſtante limitatione & reſtrictione præmiſſa, in certis caſibus eccleſia ſine auctoritate papæ poteſt generale concilium celebrare. Patet ex prædicta, & etiam quia quod eſt in favorem eccleſiæ introductum, non eſt in ejus damnum & grave periculum obſervandum. Sed prædicta limitatio ſeu reſtrictio, quæ in favorem eccleſiæ jure poſitivo legitur introducta, ut dictum eſt, poſſet in certis caſibus eidem graviſſime præjudicare, & ſpecialiter poſſunt tres caſus aſſignari. Primus eſt, ſi vacante ſede occurreret hæreſis vel alia eccleſiæ perſecutio, cui eſſet per generale concilium obviandum. Secundus eſt, ſi in caſu neceſſitatis vel manifeſtæ utilitatis vocandi concilium, papa eſſet furioſus, vel hæreticus, vel alias ad hoc inutilis aut inſufficiens, vel ſi ſuper hoc requiſitus concilium vocare recuſaret, aut damnabiliter negligeret. Tertius, ſi plures eſſent contendentes de papatu, ita quod nulli eorum tota obediret eccleſia, nec ad alicujus eorum aut amborum ſimul vocationem compareret, ſicut eſſe videtur in præſenti ſchiſmate. In his ergo & ſimilibus caſibus clare patet ex præmiſſis, quod abſque auctoritate papæ poſſet & deberet eccleſia generale concilium celebrare.

9 Jura poſitiva, quæ communiter dicunt quod abſque auctoritate papæ non eſt fas generale concilium congregari, debent civiliter intelligi; ſcilicet quando eſt unicus papa concorditer ab eccleſia receptus, ad congregandum hujuſmodi concilium, evidente utilitate, idoneus & apparatus. Patet ex prædictis, & ex doctrina Ariſtotelis in Ethicis, ubi loquitur de epicheia.

10 Pro ſedando præſenti ſchiſmate, abſque papæ auctoritate, immo ipſo contradicente, poteſt auctoritate univerſalis eccleſiæ generale concilium congregari, & non ſolum per dominos cardinales convocari, ſed etiam in caſu per quoſcumque fideles, qui vel auctoritativa poteſtate, vel caritativa monitione ſcirent, ſi poſſent, ad exſecutionem tanti boni cooperari. Patet ex præmiſſis, & etiam quia in tanta neceſſitate omnes fideles, & ſpecialiter majores & potentiores debent eccleſiæ ſuccurrere, & malis ejus tam evidentibus celerius occurrere. Poſſent autem ad præmiſſa rationes & auctoritates tam divini quam humani juris indici; ſed bene affectatis iſta ſufficiunt, & in fundamento prædicto poſſent ſæpe ædificari aliquæ aliæ propoſitiones magis particulariter reſpicientes concilium nunc in civitate Piſana convocatum, quas dimitto, quia ita clare ſequuntur ex præmiſſis, ut eas non ſit neceſſarium bene intelligentibus amplius declarare. In civitate Aquenſi prima Januarii anno MCCCCIX. per P. epiſcopum Cameracenſem.

EPISTOLA PETRI EPISCOPI CAMERACENSIS

ad cardinalem S. Angeli.

Anno 1409. *Ex mſſ. S. Laurentii Leodienſis, & illuſtriſſimi dom. Chanvelin.*

REverendiſſime pater & domine mi metuendiſſime, humillima recommendatione præmiſſa. Scripſi nuper domino priori magnæ Carthuſiæ & magiſtro VINCENTIO ejus fratri cedulam ſupraſcriptas propoſitiones continentem, & ex certa cauſa V.R. paternitati alias declaranda. Et quia ſuper prædicta materia ab eis ſpero habere aliqua bona nova, deliberavi ab hoc loco ire uſque ad Taraſconem, & ibi eorum reſponſum expectare. Supplico veſtram reverendam paternitatem, ut præſentem cedulam velitis communicare dominis meis cardinalibus Peneſtrinenſi, Albanenſi, Oſtienſi, de Thureyo, & mihi de novis veſtris aliquid intimare. R. V. P. ad cujus beneplacitá ſum paratus, conſervet Altiſſimus feliciter & votive. Scriptum in civitate Aquenſi IV. Januarii manu propria

Veſtri humilis ſervitoris PETRI epiſcopi Cameracenſis.

Reverendiſſimo in Chriſto patri & domino meo metuendiſſimo, domino cardinali S. Angeli.

CONCILIUM (a) AQUENSE ex Arelatenſi, Ebredunenſi & Aquenſi provinciis congregatum. [a]

FUERUNT ORDINATA QUÆ SEQUUNTUR IN FRANCIA.

PRimo, quod prælati utantur libertatibus ſibi competentibus. Anno 1409. *Ex mſſ. ſancti Laurentii Leodienſis.*

2. Item, quod non curetur de reſervationibus factis per dominum BENEDICTUM.

3. Item, quod ad beneficia electiva eligant capitula ſeu illi ad quos ſeu ad quæ ſpectat eligere.

4. Item, quod collativa conferant ordinarii.

5. Item, quod ordinarii ſuppleant negligentias exemtorum ſuæ diœceſis, ſi non habeant alium ſuperiorem a papa.

6. Item, durante hoc tempore delegati papales non procedant etiam in cauſis cœptis.

7. Item, quod cauſæ cœptæ coram delegatis papalibus, continuentur coram ordinariis a quibus non fuit appellatum, in ſtatu in quo erant coram delegatis prædictis.

8. Item, quod cauſæ pendentes coram delegatis papalibus non continuentur coram

(a) Hunc titulum qui in codice deerat, nos hic appoſuimus propter ea quæ leguntur in fine: nulli tamen dubitamus quin eadem in aliis Galliarum provinciis ſtatuta fuerint.

ordinariis, a quibus fuerat appellatum, ſed coram ſuperioribus ipſorum.

9. Item, quod deficientibus ſuperioribus, ut quod fuerat appellatum ab archiepiſcopo non habente primatem, continuabitur cauſa, ut ſupra, in concilio provinciali.

10. Item, quod adveniente caſu prædicto, concilium provinciale committat ſeu deleget cauſam, ut ſic in ſuperioritatibus remaneat, in tali caſu ſemper penes ipſum concilium, & ſic ſemper appellabitur ad ipſum concilium.

11. Item, quod de appellantibus interpoſitis ad papam, omiſſo medio, cognoſcent illi ad quos debuerat appellari, ut ſi omiſſo medio ſupra archiepiſcopo fuerat appellatum ad papam, de iſta cauſa cognoſcet archiepiſcopus omiſſus, ad quem debuerat appellari.

12. Item, quod pendente hoc tempore, appellatio interponenda ab archiepiſcopo ad papam, ut quia archiepiſcopus non habet alium ſuperiorem, interponatur ad concilium provinciale.

13. Item, quod concilium provinciale ad quod eſt appellatum, committat ut eſt dictum ſupra.

14. Item, quod de cauſis exemtorum non habentium alium ſuperiorem a papa, cognoſcent ordinarii, quia alias cognoviſſent, niſi exemtio obſtitiſſet.

15. Item, quod a prælatis exemtis appellabitur ad illum, ad quem appellaretur, ſi non fuiſſet exemtus.

16. Item, quod electiones exemtorum confirmabunt ordinarii ſuperiores, qui confirmarent, ſi non fuiſſent exemti.

17. Item, quod concilia provincialia teneantur.

18. Item, quod ipſa concilia provincialia mandabit archiepiſcopus, vel ipſo abſente de cauſis epiſcoporum illius provinciæ, ſi ſit alias antiquior epiſcopus promotione illius provinciæ, mandabit ipſum concilium.

19. Item, quod concilia provincialia monachorum teneantur de triennio ad triennium, prout jura volunt.

20. Item, eſt ordinatum quod in concilio generali agatur de tribus: primo & principaliter de unione ſanctæ matris eccleſiæ; ſecundo, de libertatibus eccleſiæ recuperandis; tertio, de unione eccleſiæ orientalis, hoc eſt Græcorum, & occidentalis, hoc eſt noſtræ.

21. Item, quod pendente hoc tempore, pro abſolutionibus habendis in caſibus reſervatis, adeatur major pœnitentiarius; & ſi eſt caſus de quo non poſſit abſolvere, abſolvat ordinarius propter pericula animarum, prout feciſſet, ſi reſervatio non obſtitiſſet.

22. Item, fuit ordinatum quod de qualibet provincia vadant ad minus XII. perſonæ notabiles.

23. Item, de provincia Narbonenſi ſunt ordinati pro eundo ad concilium dominus archiepiſcopus Narbonenſis, dominus patriarcha Alexandrinus, qui tenet in commendam eccleſiam Carcaſſonenſem ſuffraganeam eccleſiæ Narbonenſis, & domini epiſcopi Uticenſis, Nemauſenſis & Lodevenſis, ſuffraganei eccleſiæ Narbonenſis, & tres abbates, ſcilicet de Craſſa, Anianæ & S. Ægidii.

24. Item, pro eccleſia metropolitana & tota provincia vadunt alii numero quinque, vel ſex ſolemnes viri graduati.

25. Ordinatum eſt quod dominus archiepiſcopus habeat in qualibet die quatuor francos pro expenſis, dominus patriarcha propter dignitatem ſuam recipiat qualibet die alios quatuor francos pro expenſis, & quilibet dominorum epiſcoporum recipiant pro die tres francos, & quilibet abbatum recipiat duos francos pro die, & quilibet aliorum recipiat pro die XX. ſolidos Pariſienſes, qui valent XXV. ſolidos Turonenſes.

26. Item, ordinatum eſt, quod quælibet provincia provideat ſuis, hoc eſt illis quos mittet.

27. Item, ordinatum eſt quod in iſtis expenſis contribuant omnes habentes beneficia in provincia, etiamſi ſint Cœleſtini, vel Carthuſienſes, vel Hoſpitalarii, ſeu alii quicumque, & etiam omnes gaudentes privilegio clericali.

28. Eſt ordinatum quod contribuendo in dictis expenſis ſint exemti tantum domini cardinales, cum ſint in concilio.

29. Item, domini Ciſtercienſes, quia dominus abbas Ciſtercienſis ſe obtulit, acceſſurus ad concilium expenſis ordinis Ciſtercienſis cum XII. abbatibus graduatis notabilibus ſui ordinis.

30. Item, eximuntur etiam clerici a contribuendo pro bonis temporalibus quæ habent, pro quibus contribuunt cum laïcis in collectis ſeu talliis.

31. Item, eſt ordinatum quod expenſæ prædictæ dividantur & leventur per diœceſim, & quod quilibet dominus epiſcopus levet in ſua diœceſi partem contingentem ſuam, & quod imploret brachium contra nolentes ſolvere ratam ipſos contingentem.

32. Item, eſt ordinatum quod in civitate Piſana quælibet provincia ſtet per ſe ſimul & non ſeparatim, nec mixtim cum alia.

33. Item, eſt apunctuatum quod quælibet provinciæ mittant bona hora pro habendo alogiamentum, pro omnibus ſuis, ſimiliter præparetur, quod ibi ſit magna multitudo gentium.

34. Item, aliqui prælati proponunt illuc mittere proviſiones, quia dubitatur de cariſtia.

35. Fuit concluſum & arreſtatum in concilio generali cleri trium provinciarum, videlicet Arelatenſis, Aquenſis & Ebredunen-

sis, celebrato Aquis de menſe Januario, per dominos prælatos & totum clerum qui convenerunt ibidem, quod ſupraſcripta capitula ſerventur & teneantur quantum eos tangit, in tribus provinciis antedictis, conformando ſe concilio & eccleſiæ Gallicanæ.

EPISTOLA FRANCISCI archiepiſcopi Narbonenſis, ad cardinales.

De deliberatis in concilio Perpiniani.

Anno 1409. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis meis, præcipuis dominis G. Peneſtrinenſi, N. Albanenſi, J. Oſtienſi, P. Anicienſi, P. de Thureyo, A. de Salutiis, & P. S. Angeli S. R. E. cardinalibus.

Reverendiſſimi patres & domini mei præcipui, debita recommendatione præmiſſa. Per relationem domini Boqueranni decretorum doctoris legentis Avenione, & pro parte univerſitatis ſtudii apud Perpinianum miſſi ad concilium, juxta mandatum apoſtolicum eis factum, qui Dominica proxime præterita de dicto concilio rediit, percepi quod poſt propoſita ea ſuper quibus per ipſum concilium deliberari petebatur, de quibus paternitates veſtræ reverendiſſimæ per magiſtrum Johannem Guyardi informatæ, ut teneo, ad plenum fuerunt, adviſatum fuit poſt aliquas conſultationes, quod pro faciliori agendorum expeditione eligerentur ex omni multitudine viri LX. boni teſtimonii, quorum deliberationi ſtaret totum concilium. Deinde quia difficulter illi convenire poterant, ſegniuſque expedirent negotia plures, fuit numerus ipſe ad XXX. redactus; ſed & iterum poſt aliquot dies etiam ipſi XXX. fuerunt ad X. dumtaxat reſtricti, videlicet reverendiſſimos patres dominos Tholoſanum & de Chalanco cardinales, dominos patriarcham Antiochenſem, archiepiſcopos Cæſarauguſtenſem & Tarraconenſem, cancellarium regis Caſtellæ, epiſcopos Valentiæ, Mimatenſem, & Condomenſem, ac generalem fratrum Prædicatorum. Et iſti omnes poſt ſua multiplicia tenta conſilia, & cum quibus voluerunt, collatione habita, remanſerunt in his concluſionibus, videlicet quod contra regem & regales proceſſus dudum facti non aggravarentur. Secundo, quod via ceſſionis pro pace eccleſiæ alias acceptata & oblata executioni demandetur. Tertio, quod pro ipſa executione fienda, papa, ſi debitas & ſufficientes ſecuritates habere poſſit, Piſis ſe transferat. Quarto, quod non habitis dictis ſecuritatibus, perſonas idoneas cum plena & irrevocabili poteſtate cedendi, alio cedente, illuc mittat. Et hæc deliberatio de voluntate totius concilii debebat heri, quæ fuit III. hujus menſis, dici & in ſcriptis dari papæ omnibus præſentibus qui ad concilium mandati fuerunt. Hæc eadem in effectu etiam mihi dixerunt die Lunæ proxime præterita dominus Johannes de Belloforti legum doctor, & Franciſcus Ruffini, redeuntes de Perpiniano, cum bullis promotionis domini Johannis Bertrandi ad eccleſiam Gebennenſem. An autem ita ſe res habeat ignoro; ſed relata & a quibus ſignifico. Cum autem alia ſupervenerint, illico ſcribam paternitatibus veſtris reverendis, quas conſervare dignetur benedictus Filius Virginis feliciter in longævum. Scriptum in Villanova die IV. Januarii.

Veſter totus FRANCISCUS archiepiſcopus Narbonenſis Romanæ eccleſiæ camerarius.

DATUM IN TARRASCONE PER ME P. epiſcopum Cameracenſem X. *Januarii.*

[4] Anno 1409. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

PRæſuppoſitis decem propoſitionibus (a) quibus ſtabilire viſus ſum concilium generale in civitate Piſana proxime congregandum, in eis fundari poſſe videntur aliæ propoſitiones quæ ſequuntur.

1. Duo domini contendentes de papatu dictum concilium tenentur approbare & ratificare, & quantum in eis eſt validare.

2. Dicti contendentes tenentur in præmiſſo concilio per ſe aut procuratores, vel nuncios idoneos & ſufficienter fundatos ad ea tractanda quæ expedient unioni eccleſiæ, comparere.

Patent dictæ duæ propoſitiones, quia cum occaſione dictorum duorum contendentium perſeveret ſchiſma tamdiu inveteratum, ipſi præ ceteris Chriſtianis principaliter tenentur ad ea quæ faciunt ad extirpationem ſchiſmatis prædicti, & ad acceleracionem unionis eccleſiæ, cujuſmodi ſunt præmiſſa.

Nec in hac parte obviare debet utilitati publicæ univerſalis eccleſiæ, particularis ſubtractio vel neutralitas eis facta in aliquibus partibus, regnis ſive provinciis ſuæ obedientiæ, quam aliqui objiciunt, quia juxta communem jurium ſententiam ſeu regulam, expoliatis epiſcopis reſtitutio danda antequam ullum crimen eis objici poſſit, quodque induciæ poſt reſtitutionem præſtandæ ſunt antequam ad concilium convocentur. Hoc enim non obſtat. Nam in multis caſibus fallit regula de reſtitutione ſpoliatorum. Falluntur etiam qui textus jurium more Judaïco nimis litteraliter intelligendo, hic applicare conantur, contra illud Apoſtoli: *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat.*

3. Utilius videretur pro acceleratione unionis prædictæ dictos contendentes per procuratores aut nuncios, quam per ſeipſos perſonaliter dicto concilio comparere. Patet ex difficultatibus jam expertis ſuper conventio-

(a) Hæ propoſitiones datæ ſunt Aquis anno 1409. Januarii prima die, eaſque deſcriptas ex mſ. S. Lautentii Leodienſis modo edidimus.

ne perſonali, & etiam quia multa generalia concilia in majoribus cauſis fidei leguntur celebrata ſine præſentia papæ perſonali.

4. Dicti contendentes tenentur in præmiſſo concilio ad finem unionis eccleſiæ viam ceſſionis efficaciter offerre. Patet ex promiſſionibus, juramentis, votis, & bullis eorum, ubique divulgatis, & etiam ex communi conſenſu fere omnium fidelium in hanc ſententiam concordantium.

5. Si dicti contendentes ad præmiſſa facienda ſufficienter evocati & moniti, ea facere obſtinate recuſent aut negligant, dictum concilium licite contra eos procedere poterit, tamquam contra principales fautores ſchiſmatis, & de hæreſi ſuſpectos, ac Chriſtianæ politiæ illuſores. Patet ex præmiſſis. Videtur tamen ad majorem cautelam expedire, eos ad præmiſſa facienda evocari & moneri, non ſolum ex parte cardinalium, ſed etiam auctoritate totius eccleſiæ ſeu generalis concilii eam repræſentantis.

6. In caſu præmiſſo prædictum concilium licite poſſet, rejectis dictis contendentibus, ad novam electionem ſummi pontificis procedere, ſeu procedendum eſſe decernere. Patet ex præmiſſis. Et notanter dixi dictum concilium hoc poſſe, propter aliqua dubia, quæ poſſent in hac parte moveri circa poteſtatem cardinalium, prout alibi tetigi.

7. In caſu præmiſſo, quamvis liceret, tamen non eſt clarum an expediret ad dictam novam electionem procedere. Patet, quia ſecundum doctrinam Apoſtoli, quam verbo & exemplo docuit, multa licent quæ non expediunt. Ideo in hoc caſu quamvis liceret dictam electionem facere, tamen forte non expediret, niſi clare pateret, quod tali electioni tota Chriſtianitas adhæreret, vel ſaltem talis aut tanta portio, quæ ſufficeret adhærentiam ſeu obedientiam dictorum contendentium tollere, & ſchiſma penitus extirpare; alioquin hoc eſſet antiquo ſchiſmati novum ſuperaddere, & ſic eſſet error forte periculoſior & pejor priore. Si autem ad tollendum hujuſmodi erroris periculum dicta electio aliquamdiu differretur, magna opus eſſet prudentia, ad dictam generalem adhærentiam interim procurandam, & ad unionem eccleſiæ tandem per novam electionem faciendam, ſuper qua re ad præſens loqui non præſumo.

8. In caſu quo fieret electio nova antequam clare appareret de adhærentia prædicta, ſaltim ad obviandum errori præmiſſo, providendum eſſet, quod noviter eligendus arctaretur ad viam ceſſionis, ſi eo cedente alii duo offerrent ſe ceſſuros. Patet quia ex hoc ſchiſma totaliter poſſet tolli, & alias poſſet irreparabiliter confirmari. Per hoc etiam oſtenderetur dictam electionem non ex carnali, ſed ex ſpirituali affectione proceſſiſſe. Unde merito poſſent fideles ad talis electionis adhærentiam facilius & ferventius inclinari.

9. In caſu præmiſſo, non obſtante proceſſu contra dictos duos contendentes, ad eos tamen reducendum in viam veritatis, præfigendus eſſet eis terminus, infra quem, ſi vellent efficaciter exſequi viam ceſſionis, provideretur eis de honeſto ſtatu & ſecuro auctoritate concilii generalis. Patet quia etiam non debet claudere gremium redeunti, & etiam quia talis proviſio poſſet eſſe occaſio citioris terminationis ſchiſmatis.

10. Si uno dictorum contendentium in dicta contumacia remanente, alter ad ea ad quæ tenetur, ut præfertur, in dicto concilio efficaciter ſe offerret, illo rejecto, videretur iſte merito auctoritate eccleſiæ in papam aſſumendus. Patet, quia prima facie videtur, quod quis probabiliter ſe reputans verum papam, non teneatur cedere, niſi quando ex ſua ceſſione ſequitur exterminatio ſchiſmatis & concluſio unionis: quæ tamen non ſequeretur in caſu iſto ex ceſſione iſtius. Quare rationabilius videretur, quod iſte in papam aſſumeretur, quam quod unus tertius ſibi invito ſubrogaretur, maxime quia *dignum & juſtum eſt eum ex tam ſancto opere præmium reportare.* Hoc etiam dicere, eſt utrumque dictorum contendentium ad debitum ſuum exſequendum ſuaviter excitare: quod omnino expedit, attenta hujus materiæ prolixitate; & hæc brevitatis cauſa ſine allegationibus dicta ſunt abſque temeraria aſſertione.

LITTERA MISSA BENEDICTO a Florentinis.

Hortantur ut eccleſiæ pacem conferre contendat, veniatque ad indictum Piſis concilium.

1 BEatiſſime in Chriſto pater & domine, domine noſter ſingulariſſime, nullius rei gratior apud mortales eſſe debet oratio, quam ea quæ ad pacem ſpectat, ſi eo tempore habeatur, cum prævaleſcentibus diſcordiarum malis, nequeant ulterius homines in ipſis durare. Nihil eſt enim naturæ hominis magis aptum, quam pax & concordia. Nemo eſt inſuper qui æquioribus auribus ſit audiens, quam apud parentes bonus piuſque filius. Quæ cum ita ſe habeant, haudquaquam dubitamus, cum veri ſimus & devotiſſimi ſanctitatis veſtræ filii, hac tempeſtate & his eccleſiæ perturbationibus, vos ad ea quæ ad reintegrationem chriſtianam reſpiciunt, hortari, & eo libentius audaciuſque loquemur, quia, ut noſtis, nullo umquam tempore concordia in populo Dei adeo fuit neceſſaria, neque magis anxiis votis deſiderata. Et eſt id quod quærimus, cupimuſque benignitatem veſtram eſſe facturam tale, ut, ni decipiamur, ſit etiam ex tam miſerabili

Anno 1409. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

deſendaque ruina, in qua cum magna animarum pernicie eſt collapſa, procul dubio erecturum, & cum veſtra ſalute gloriaque non parva ipſam ad unitatem atque dignitatem priſtinam reducturum. Quid autem hoc ſit, quo ſumus ad ſcribendum adducti, paucis expediemus. Vos hæc æquo animo accipiatis, & cum diligentia conſideretis.

2 Quanto hæc civitas deſiderio ſemper ſiagraverit reconciliationem Chriſtianorum aſpicere, res geſtæ a nobis teſtantur, & vos & quibus omnis cura eſt pacis eccleſiæ, non latere putamus. Eo quidem deſiderio impulſi, cum videremus tot labores, tot ſumtus, ac pericula beatitudinem veſtram & pleroſque Chriſtianos principes religioſos, ſæculareſque, ac nonnullos fideles populos incaſſum ſubiiſſe, & omnia remedia uſque in hanc diem fruſtra eſſe tentata, civitatem noſtram Piſarum reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis cardinalibus utriuſque collegii conceſſimus, ipſis hoc a nobis ſummopere petentibus, ut in ea univerſalem ſanctamque ſynodum Chriſtiani populi congregarent; quod eo libentius fecerimus, quia hac regia via, & quâ alias laboranti eccleſiæ ſubventum eſt, videbamus eos ingredi velle, & ipſos tam paribus animis tantoque fervore nulli ſuo labori ac periculo parcentes, hanc ſanctam rem peragendam ſuſcepiſſe, ut ipſam animorum ſuorum conventionem atque deſiderium potius a Deo quam ab homine eſſe judicaremus. Statutus eſt igitur xxv. dies Martii futuri, quo Annunciationis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ etiam feſtum celebratur, a reverendiſſimis dominis cardinalibus, quo debeat die Piſis concilium congregari, ut dignationi veſtræ omnibuſque fidelibus principibus atque populis per ipſorum litteras ſignificatum fuiſſe, & convocationem factam accepimus. Unde & unitatis deſiderium, & ſingularis atque vera dilectio, quam ad beatitudinem veſtram gerimus, nos impulere ad has litteras conſcribendas, manſuetudinemque veſtram hortandam, ut ob paſſionem Domini noſtri Jesu Christi, & eccleſiæ ſuæ ſalutem, & Chriſtiani populi conſolationem, dignemini in veſtigia Redemtoris noſtri, cujus vicem in terris gerere profitemini, currere, humilitatis ſcilicet & manſuetudinis quæ nobis reliquit, & ad hanc ſanctam ſynodum, quæ Piſis eſt celebranda, venire. Ad quod faciendum, pace veſtra ſit dictum, porro debet beatitudinem veſtram adducere promiſſorum veſtrorum fides, quæ inde eſt, ut placuit veteribus, appellata, quod fiat quod fiendum. Debet etiam veſtri juris-jurandi religio, quo nullum eſt vinculum majus, nullum arctius, nullum ſanctius, quo Deo hominibuſque beatitudinem veſtram aſtrinxiſtis, pro Chriſtianorum pace, libere ſponteque juri veſtro ceſſurum fore.

3 Hæc vero quantam vim apud vos habere debeant, quantum fuit vobis penſanda, quantum debeant dies noctesque mentem veſtram inquietam reddere, ut lethali huic eccleſiæ vulneri medicamentum afferatis, quantum in ore omnium fuit Chriſtianorum, non noſtrum eſt in præſentiarum referre. Nam ea veſtræ ſanctitati animadvertenda cogitandaque relinquimus. Sed illud breviter aſſumemus, quod ſi nullum veſtrum extaret promiſſum, nullum jusjurandum, ſacrum tamen veri paſtoris officium, quo debetis obnixe ſtudere, ut ſi dominicus grex diviſus atque diſcerptus ſit, in unum reducatur, atque reintegretur, profecto debet inducere manſuetudinem veſtram, ad delendam, per crucem etiam & quodvis acre martyrium, ſi aliter non poſſit, hanc tetram eccleſiæ maculam, pernicioſiſſimamque ſciſſuram tollendam.

4 Nos ſiquidem beatitudini veſtræ pollicemur, eas eſſe libertates ſecuritateſque præſtituros, ultra præſentem ſalvum conductum, quem ad vos his litteris alligatum mittimus, quæ honeſtæ erunt, & benignitatem veſtram, omneſque qui vos ſequentur tutos reddent, quamquam eadem libertate in noſtris civitatibus, lociſque eſſe poteſt, abſque quod ulla vobis publica fides daretur, qua in noſtriſmet oppidis. Si igitur, ut ſperamus, veneritis, videre perſpicue videmur uberrimos atque ſanctiſſimos deſideratæ unionis fructus ſubſecuturos. Nam cum ſciamus egregiam eſſe voluntatem veſtram, atque ferventiſſime concupiſcere, ut pax vera celeriter atque canonice in ipſam eccleſiam reducatur, & eamdem mentem cognoſcamus divinitus his duobus ſacroſanctis collegiis, quorum unum eſt cor, eademque voluntas ineſſe, non poterit alius eſſe finis.

5 His ita ſe habentibus, quoniam is qui anxie nimis ab eccleſia expectatur, pacis ſcilicet & reintegrationis domus Dei . . . . . Eia igitur, pater piiſſime, exſurgite, & præcingite vos, & ſanctam unà cum his duobus ſacro-ſanctis collegiis induite humilitatem. Accelera & veni, & mitte auxilium tuum de Sancto, & oves afflictas Chriſti ex fovea hac confuſionis atque erroris, in quam inciderunt, liberate. Non ambigimus oculatiſſimam prudentiſſimam ſanctitatem veſtram facile perſpectum ire hunc unitatis effectum eſſe ſubſecuturum, ſi huic intereſſe concilio, prout ſpe concipimus, decreveritis: cujus rei perfectio ab omnibus fere vobis aſcribetur, eritque apud vos pars magna laudis hujus egregii ſanctique facinoris, quo nullum profecto majus jam multis ſæculis, nullum divinius geſtum fuiſſe dici poterit, & quod ampliori præmio apud Deum dignum ſit judicandum. Venite igitur in nomine ejus, cujus exemplum ſequi debetis, qui de cælo in terram deſcendere dignatus eſt, & exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens,

accipiens, ut populum ſuum liberaret a morte perpetua, & pacem atque ſalutem Chriſtianis dabitis; & ut Dominus noſter priuſquam in cœlos aſcenderet, pacem diſcipulis reliquit; ſic vos priuſquam in requiem ſempiternam migretis, pacem, Chriſti exemplo, populo ſuo relinquatis. Cujus rei perficiendæ neſcimus quidem quando majorem melioremve occaſionem Dominus ſit beatitudini veſtræ præbiturus. Denique, ſanctiſſime pater, ut ſcribendi finem faciamus, veſtram ſuppliciter manſuetudinem deprecamur, ut benigne & æquo animo hæc accipiatis. Deus enim qui renes & corda hominum perſcrutatur, teſtis eſt hæc depromta eſſe ex ferventi deſiderio unitatis, quo tenemur, atque ex ſincera devotione, quam ad beatitudinem veſtram gerimus, cui obnixe & ſuppliciter nos & populum noſtrum & chriſtianam pacem commendamus. Datum Florentiæ.

FORMA SALVI-CONDUCTUS

a Florentinis tranſmiſſi domino Benedicto ad inſtantiam dominorum cardinalium partis ſuæ.

Anno 1409. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

CUm hoc ſit quod generale concilium pro danda pace eccleſiæ ſit celebrandum in noſtra civitate Piſarum, hinc eſt quod nos priores artium & vexillifer juſtitiæ populi & communis Florentiæ, tenore præſentium damus & concedimus plenam licentiam, libertatem, atque ſalvum-conductum ſanctiſſimo in Chriſto patri & domino, domino Benedicto XIII. ac etiam reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, dominis cardinalibus, qui ſecum eſſent, & omni ſuæ & ſuorum cardinalium curiæ, ſociis & comitivæ, & generaliter omnibus, cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, ſecum venire volentibus, veniendi conjunctim, ſeparatim & diviſim ad quaſcumque noſtras civitates, terras, caſtra, loca, portus & inſulas, maritimo ſeu terreſtri itinere, noſtræ juriſdictionis, ſemel & pluries, totiens & quotiens ipſe & dicti ſui cardinales voluerint, & quando eis placuerit, durante infraſcripto tempore, & in ipſis & ad ipſa ſeu altera eorum ſtandi, diſcedendi, atque redeundi cum omni ejus & dictorum dominorum cardinalium, & omnium ſecum venire volentium curia, ſociis & comitiva, equis, jumentis, bonis, navigiis, & rebus ſuis quibuſcumque, non obſtantibus quibuſcumque impedimentis, repugnantiis, contradictionibus, aut aliis quibuſcumque, quæ dici vel excogitari, aut contra objici poſſent, vel poſſe dicerentur, cujuſcumque generis vel qualitatis illa eſſent, aut ſub quibuſcumque vocabulis nuncupentur. Mandantes inſuper omnibus & ſingulis rectoribus & officiariis noſtris, quicumque illi ſint, & ſub quovis nomine cenſeantur, ac etiam noſtris gentibus armorum tam equitibus quam peditibus, & aliis quæ non tenerentur noſtris ſtipendiariis, ſi quæ in noſtris finibus aut locis, portubus aut inſulis morarentur, quatenus præfatum beatiſſimum dominum, dominum Benedictum & ejus reverendiſſimos dominos, dominos cardinales, ſi qui ſecum venirent, & quemlibet eorum, & omnes ſecum venire volentes, cum omni ipſorum curia, ſociis & comitiva, libere permittant ad quæcumque noſtra loca, portus & inſulas venire, ſtare, recedere atque redire: præbentes dicto ſanctiſſimo patri & domino, & cuilibet ſupranominatorum iter, tranſitum, & reditum liberum & ſecurum, cum dictis eorum, & cujuſlibet eorum equis, mulis, rebus, navigiis, & arnenſibus quibuſcumque, abſque aliquo impedimento reali vel perſonali, modo aliquo inferendo, ſine ulla ſolutione pedagii, oneris, vel gabellæ. His tamen conditionibus adjectis, quod præſens ſecuritas & ſalvus-conductus non extendatur ad aliquos rebelles, exſules communis Florentini, vel ad aliquos obligatos pro debito procuratorio communi Florentino, vel alicui univerſitati, vel collegio, vel ſingulari perſonæ, vel perſonis ſubditis communi Florentino. Hoc tamen addito, quod nullam armorum gentem ſecum ipſe, vel alter pro eo in noſtris civitatibus, terris, caſtris, & villis poſſit habere. præſentem quidem ſalvum-conductum, libertatem atque ſecuritatem vim & robur habere volumus anno uno & uno menſe infraſcripto die initiatis, quia ſic per nos & noſtra collegia ſolemniter deliberatum fuit. Datum Florentiæ die XIII. Januarii, indictione II. MCCCCVIII. Volumus autem præſentem ſalvum-conductum valere ſimiliter pro omnibus & ſingulis ſuis oratoribus, nunciis, ſeu procuratoribus, cujuſcumque gradus aut dignitatis exiſtant, cum decenti comitiva & honeſta uſque in numero centum equitum ſive armorum gentibus, tamen, ſi, quod abſit, dictus beatiſſimus dominus perſonaliter ad dictum locum Piſarum non veniret. Datum Florentiæ, *ut ſupra.*

EPISTOLA CAROLI REGIS Francorum, ad Venetos.

Hortatur ut ad concilium Piſanum mittant, & neutri contendentium faveant.

CAROLUS, &c. magnificis & potentibus duci & concilio Venetorum, amicis noſtris cariſſimis, ſalutem & unionem eccleſiæ gnaviter proſequi, ut eſt poſſe. Anno 1409. *Ex mſ. illuſtr. dom. Chauvelin.*

Amici cariſſimi, non eſt opus horum male meritorum contendentium de papatu corruptam, ſi non dixerimus nequiſſimam, ad unionem eccleſiæ voluntatem refricare. Cunctis enim ſatis patet & evidenter eſt notum,

quam ob cauſam, ut veſtræ devotioni perductum eſſe cenſemus, concluſimus ex prælatorum, univerſitatum ac aliorum eccleſiaſticorum & litteratorum virorum regni & Delphinatus noſtri conſilio, neutrales nos reddere, & nulli contendentium prædictorum quoquo modo in poſterum obedire. Cumque, amici cariſſimi, pro extirpatione vigentis ſchiſmatis & unione, Chriſto duce, conſequenda, cardinales utriuſque collegiorum a diu degant Piſis, veluti vos putamus non latere, ibidemque de proximo certa dieta, certumque concilium per utramque obedientiam debeant celebrari, quo nos magnam & ſolemnem ambaxiatam mittere decrevimus, & illo, ut ſentimus, quam multi ex altera obedientia ſunt venturi, amicitiam veſtram toto precamur affectu, quatenus memoriæ veſtræ reducentes laudes & gloriam, quas ex his quæ tempore ſchiſmatis ALEXANDRI III. veſtri prædeceſſores retulerunt, dehincque perpetuo habituri ſunt, velitis Piſas ad dietam & concilium, ut præfertur, cum ceteris quoſpiam de veſtris deſtinare, qui rejecto carnali & patrio affectu in hac parte, quærant dumtaxat quæ ſunt Chriſti, nec aures præbeant, ſi quis forſitan inducere aut induci facere ſatageret, ad concilium particulare faciendum. Sub neutro quippe hujuſmodi contendentium vivo fieri quoquo pacto poteſt, honore utriuſque obedientiæ plane ſalvo. Quod ſi hoc modo vos geſſeritis, ut cœpiſtis, in ſempiternum nomenque veſtrum laudeſque manebunt, deque contrario, quod abſit, contrarium referetis. Datum Pariſius.

A libet Chriſticolam credimus non latere, eorum præcipue nunc de papatu contendentium, qui eam contra juramenta & vota ſua Deo & hominibus præſtita, univerſoque orbi ſuis litteris publicata, in præfata lacrymabili diviſione retinere ſatagunt & contendunt, eſt temeritati ab univerſis Deum timentibus reſiſtendum. Quod attendentes nos, qui matris noſtræ calamitatibus merito compatientes, ad ipſius reintegrationem pro cunctis malis ſedandis ſummo conatu ſemper aſpiramus, quam etiam procurare totis viribus nullatenus deſiſtemus. Conſiderantes quoque quod reverendiſſimi in Chriſto patres, B dòmini cardinales utriuſque collegii, amici noſtri cariſſimi, pacis & unionis eccleſiæ Dei veriſſimi zelatores, poſtquam varios modos pro unione ejuſdem eccleſiæ, fulti diverſorum doctorum & peritorum conſiliis, prout ex litteris eorum & plurium fide dignorum teſtimoniis accepimus, attentaſſent, apud præfatos hodie contendentes nihil omnino proficere potuerunt: propter quod ad extremum hujus morbi devenientes remedium, ipſos in ſua obſtinacia & pertinacia reliquerunt, & ab eis perſonaliter ſeparati, & in unum con- C venientes collegium, majeſtatis noſtræ & univerſorum principum & cunctorum Chriſti fidelium præſidium obteſtantur, ſuppliciter exorantes, ut dictis contendentibus ſic in reprobum ſenſum datis, omnis penitus obedientia ſubtrahatur, nec eis de juribus ſedis apoſtolicæ aliquatenus reſpondeatur, ut hac ſaltem via inducti, cogantur accelerare ad Chriſtiani populi pacem & Dei eccleſiæ unitatem. Nos igitur eorum ſalubria remedia cum multa maturitate, ut certi ſumus, inventa eximie commendantes, eorum deliberamus requiſitionibus juſtis annuere, & ipſorum nos affe- D ctibus pro tam ſancto & pio exſequendo bono, efficaciter in omnibus confirmare. Inhibemus itaque omnibus & ſingulis principibus tam ſpiritualibus quam ſæcularibus, ceteriſque cathedralibus, ac collegiatarum eccleſiarum prælatis, canonicis & miniſtris, necnon abbatibus, abbatiſſis, præpoſitis & commendatoribus monaſteriorum, ac etiam archidiaconis, decanis & plebanis eccleſiarum parochialium, cunctiſque aliis officiariis & ſubditis noſtris, & regni noſtri Bohemiæ, quibuſcumque nominibus nuncupentur, præſentibus firmiter & diſtricte, ne quiſpiam de E cetero aliquas litteras, gratiam vel juſtitiam continentes Gregorii Romani & delegatorum ſuorum, vel ſibi adhærentium recipere aut exſequi audeat vel permittat, aut ei jura ſeu obventiones quaſcumque reſpondeat quovis modo, tamdiu quouſque unio in ſancta matre eccleſia non veniret adoptata, prout indignationem noſtram, ac corporis ac rerum ſuarum diſpendia affectat evitare. Mandamus igitur omnibus & ſingulis officiis, burgraviis, magiſtratuum conſulibus,

LITTERA WENCESLAI

regis Romanorum & Bohemiæ, ad univerſos regni ſui fideles.

Prohibet ne quis Gregorio papæ ullo modo obediat.

Anno 1409. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

WENCESLAUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus & Bohemiæ rex, univerſis Chriſti fidelibus ſalutem in Domino, & ad illam quam magnopere affectamus, eccleſiaſticam unionem pariter anhelare.

Quamvis omnium regum proprium officium eſſe videatur, judicium & juſtitiam colere, & eripere de manu calumniantium vi oppreſſos; ad Romanum tamen principem cunctis temporalibus poteſtatibus divina diſpenſatione prælatum inconcuſſe pertinere dignoſcitur, eccleſiæ in ſuis neceſſitatibus & turbationis temporibus opportunum auxilium exhibere. Cum igitur per multorum annorum curricula antedicta Dei eccleſia Chriſti ſponſa uſque ad hæc tempora, diverſis, quod dolenter referimus, diviſionum & contentionum fuerit intricationibus involuta; ex quibus quanta mala provenerint quem-

juratis, & comitatibus civitatum, oppidorum & villarum, virtute præsentium, serioſe, quatenus ſingulos mandatis noſtris hujuſmodi ſic pro bono univerſalis eccleſiæ emanatis non obtemperantes, aut eis ſe quomodolibet opponentes arreſtare, arreſtatoſque ad noſtram ſtudeant præſentiam deſtinare, aliter non facturi noſtræ gratiæ ſub obtentu ac pœna memorata. Datum Montibus Cathinis XXII. Januarii, regnorum noſtrorum Bohemiæ XLVI. Romanorum vero XXXIII.

EPISTOLA CARDINALIUM BENEDICTI ad eumdem Benedictum.

Anno 1409. *Ex miſſ. S. Laurentii Lodienſis, & illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

1. SAnctiſſime pater & clementiſſime domine, ſupplici ac humili recommendatione præmiſſa. Redemtor noſter militantem eccleſiam ſupra petram ſolidam in ara crucis ſuo cruore fundans, ſic ipſam decrevit unam exiſtere, & in unitatis vinculo permanſuram, ut extra illius unitatis vinculum veritas & juſtitia non exiſtant, nec proſint quæque videntur in umbra virtuoſa opera, etiam mors pro Chriſti nomine ſuſcepta: quod non ſolum illos contingit, ſed etiam eos maxime quibus incumbit ex debito commiſſi officii & profeſſione ſolempni, tanto diſſidio, ſi negligant, finem imponere, & illius laqueos totius corporis eccleſiæ infectivos radicitus exſtirpare. Merito quidem; quia etſi tales erga Deum fidem tenere videantur, non tamen erga corpus ejus myſticum, quod eſt militans eccleſia, cujus damnabiliter membra patiuntur dividi, & damnabilius diviſionem augeri in dies caliginoſos memoratu non dignos. Proſequentibus autem hujus tanti ſceleris exſtirpationem ex corde toto & ſincero, quo eccleſiæ fundator diligendus eſt & colendus, ſic aſſiſtit virtus Altiſſimi, & victrix ejus dextra pro nobis pretioſo ſanguine cruentata, ut verborum lenociniis, ne dicamus verius, mordacibus, quæ ſine offenſa Dei proferri nequeunt, opus non ſit, adverſus quos prævalere nequeunt conatus hominum, nec portæ inferi, ut veritas atteſtatur.

2. Verum, pater ſancte, ut eorum pateat pura & ſincera veritas, quæ nuper in litteris veſtræ ſanctitati per nos directis, inſerta ſunt & narrata, de quibus, ut apparet, per litteras veſtras nobis per venerabilem virum magiſtrum Johannem Guiardi archipreſbyterum Pictavenſem præſentatas, veſtra ſanctitas plene informata non fuit. Eſt verum quod tribus ex nobis de veſtro mandato in Liburnio exiſtentibus, una cum aliis deputatis, uno die Dominico de mane omnes ipſi deputati convenerunt cum quatuor alterius partis dominis cardinalibus in domo domini Burdegalenſis, & ultra octo cardinales, convenerunt ibi perſonæ duodecim notabiles & inſignes, motaque ibidem extitit via unioni non conveniens, illaque repulſa per unum ex quatuor cardinalibus pro veſtra parte deputatis, per eumdem aperta fuit via univerſalis concilii utriuſque partis & obedientiæ in uno loco celebrandi, cui nullus ex deputatis contradixit.

3. Soluto illo termino, veſtri retulerunt gratiarum uberes actiones, illum diem & quæ in eo dicta & acta fuerant, multipliciter commendantes; demum approbata per omnes, etiam per illos qui prius illi adverſari videbantur, via aperta utriuſque partis concilii, actum fuit ut veſtræ ſanctitati prædicta notificarentur, quia & continebatur in inſtructionibus datis, ut ſi quid utile aperiretur unioni conveniens, illico vobis nota fierent; quod & factum extitit, & relatum per majorem partem eorum qui deputati una cum tribus ex nobis fuerant, quod ea quæ repulſa & aperta de via utriuſque partis concilii extiterunt, veſtræ ſanctitati accepta erant & merito grata. Et idem retulit magiſter Simon Salvatoris. * Qua relatione habita, fuerunt tenti termini per dies ſucceſſive plures ſuper dicta via univerſalis concilii. Et quia quatuor domini cardinales partis alterius petebant, ut nos ſine ſanctitate veſtra in univerſali concilio conveniremus; fuit tunc per unum ex nobis de omnium voluntate reſponſum, quod noſtra erat intentio una cum ſanctitate veſtra in ipſo concilio convenire, quam ſciebamus diſpoſitam juxta nobis relata, ad viam ipſius univerſalis concilii acceptandam. Nullo autem modo ibidem vel alias inter nos dictum fuit, quod ad ſanctitatem veſtram pertineret univerſale utriuſque partis concilium convocare in hoc caſu, quia nec cum veritate, obviantibus facti vel juris evidentibus cauſis, dici poterat ſeu defendi, & in hoc pendebant conſilia, & non in articulo requiſitionis fiendæ GREGORII, de quo per prius deliberatum fuerat, & ſine quacumque altercatione concluſum, quando reverendiſſimus pater dominus cardinalis de Chalanco & alii deputati a loco Liburnii receſſerunt, tribus ex nobis ibidem exiſtentibus inſalutatis, ſalvo quod dominus de Chalanco nobis dixit, ſe ad nos cito reverſurum; quibus nulla fuit credentia impoſita, quia nec patiebatur eorum admodum ſubitus & admirandus receſſus, nullamque litteram vidimus, nec referri audivimus, quod veſtra ſanctitas capi deberet, ſeu aliam violentiam pati. Et ſi cauſa timoris fuiſſet, extra terminos Januenſium poterant plura eligi loca vobis & curiæ ſecura, abſque eo quod ad loca tam remota, deſerto unionis tractatu, & proſecutione neceſſaria in evidentem deſperationem poſita, direxiſſetis ſic feſtinanter greſſus veſtros.

4. Ante vero receſſum veſtrum a Portu-Veneris, venit ad tres ex nobis in Liburno ſacriſta Magalonæ cum litteris veſtræ ſanctitatis credentialibus, ipſis explicans, quod

* *al.* Sanatoris.

cratis contentus de via aperta generalis concilii partis utriusque, & quod illam persequeremur materiam, & cratis dispositus pro illa prosequenda aliquos ex vestris dimittere, habitis pro illis a gubernatore Januensium litteris de securitate; de præmissisque sunt testes plures, quibus pro affirmativa deponentibus, esset potius fides adhibenda, quam numero pluribus, qui conarentur astruere negativam. Ad quid enim, si hæc vera non essent, fingere oporteret, cum materia universalis utriusque partis concilii, ad quod tendimus, adeo alias in facto & jure sit clarissimis fulcimentis fundata, ut ista adminicula velut levia non requirat convocatio particularis concilii in Perpiniano tenendi, per quod, ut est evidens, unio dari non potest, nec schisma exstirpari; ob quamcumque intentionem facta sit, sine causa veritati præmissorum non obviat, licet ex intentione posset effectui obviari.

5. Quod autem admirentur aliqui, quod nos quinque vel sex, ut in præfatis litteris, ad talia processerimus, vestra sanctitate inconsulta; cum debita reverentia respondemus, quod juxta nobis per vestros relata, nedum nos sex, sed immo plures numero & majorem partem Romani collegii facientes una cum absentibus nobiscum concurrentibus, ac toto collegio dominorum cardinalium partis alterius, uno dumtaxat excepto, viam sumus universalis utriusque partis concilii prosecuti. Quod autem de loco, termino & vocationis modo, sine vestra conscientia concordavimus, hoc non temeritate, seu præsumta audacia factum est, sed potius necessitate salutis urgente, & utilitate fidei & ecclesiæ, quæ legi & servituti non subsunt, exposcente, cum etsi in his vestrum postulavissemus assensum, oportuisset & Gregorii requiri beneplacitum, quod quantum fuisset dispendii, non solum ratione temporis & dierum inutiliter & damnose labentium, sed etiam quia numquam fuissemus concordes ad invicem, ut præteritorum docet experientia manifesta, & sic res ipsa, ut fuere præteritæ, in impedimentum unionis notorium & perpetuationem schismatis evidentissime devenisset.

6 Habet enim communis deputatio, quod si vester & Gregorii in his postulatus esset assensus, & dispositio in omnibus expectata, numquam ad unionis desideratum perveniretur effectum. Hoc enim docet præteritorum experientia manifesta: quia etsi in illis plura fecerit vestra sanctitas, quam Gregorius antedictus; majora tamen & efficaciora fieri potuerunt ac debuerunt, & quædam obmitti quæ facta sunt, & non fuissent mala occurrentia subsequuta. Et propterea utilius fuit & necessarium hoc compendio per nos & dominos cardinales partis alterius, quibus in causa intrusionis & schismatis non modica a canonibus traditur auctoritas, hoc Dei negotium sanctum & canonicum concludere, quam alio longo & nocivo dispendio schisma perpetuare, & errores fovere, in fidei & ecclesiæ manifestatissimum detrimentum.

7 Notum est enim cunctis fidelibus & maxime in divina & canonica lege peritis, quod unitati ecclesiæ, quam universale concilium repræsentat, potestas a Christo tradita est, ex qua etiam in verum Romanum & indubitatum pontificem, si in fide erret, schisma faciat, vel alias adversus veritatem evangelii moliatur, potestatem habet: in tantum, ut ejus sententiam & particularis sui concilii, teste Augustino, cui in sententia consentit B. Gregorius, revocet & annullet. Multo fortius causam duorum contendentium de papatu, ecclesiam sine remedio in schismate tenentium, potest juxta traditiones canonicas diffinire. Hoc enim universale concilium sic ex tritico in agro Domini seminato constituitur, ut insertam zizaniam non repellat, nec separet judicio indiscreto; cum hoc Christus prohibuerit, talem separationem apostolis interdicens.

8 Ex quibus infertur clarissime, quod ad hoc, ut in hoc casu universale dicatur concilium, sui potentia, auctoritate, & viribus unitatis in Dei ecclesia reducens vinculum est omnino necessarium, ut utriusque partis prælati in unum conveniant, cujus convocationis ad bonum pacis & caritatis cœtus concurrentis tanta est fortitudo, tantusque vigor, ut qui perantea in una parte vel alia vel etiam in utraque, quod zizaniorum nomine censebantur, sint juxta B. Gregorium, ut Cypriani non contradicat auctoritas in casu pertinaciæ loquens, conversi in triticum & in ejus annotati acervum. Sic enim olim sancti patres tenuerunt universalia & sancta concilia, in quibus omnes vocati & admissi fuere, etiam qui adversarii credebantur; estque effectum, ut unitatem fidei, caritatis & pacis prosequentes, qui prius censebantur adversarii, fuere catholicis adunati, damnatis aliis qui in sua pertinacia permanserunt.

9 Propterea sacri canones & sancti patres Christum sequentes, ut pax ecclesiæ salva esset, & errantes ad veritatem facilius reduci valerent, separationis concilia damnaverunt, dicente B. Augustino, illa esse inania & perniciosa atque sacrilega, quia iniqua* & superba sunt, & plus perturbant bonos infirmos, quam corrigant animosos malos. Et licet vocationis modus sit adeo canonicus, decretis patrum conveniens, concordans, ac determinatus a probatis, & fere a cunctis collaudatus, ut rationabiliter impugnari non valeat vel elidi, ut in concilio, si necesse fuerit, luce clarioribus rationibus ostendetur: tamen ut per casum fortiorem evidenter os-

* al. impia.

tendatur juſta & canonica vocatio, ſi prælati partis utriuſque, ſive veſtræ ſanctitatis, ſive Gregorii ac noſtra vocatione univerſaliter convenirent, ut tam notorio fidei & eccleſiæ ſcandalo, & inde evidenter ſecutis erroribus, quibus nulla alias adhibetur proviſio, veſtra ſanctitate & Gregorio vocatis, ſubvenirent, & debito modo fidei & eccleſiæ providerent, juxta majorum & ſanctorum patrum geſta dictaque, & ſacrorum determinationes canonum, ſanctum & univerſale cenſeretur concilium, poteſtatem & auctoritatem, de quibus ſupra actum eſt, habens. Qui autem hoc impugnat univerſale concilium, ſeipſum, etiam ſi verus papa exiſteret, juxta beatos Auguſtinum & Gregorium, quibus & aſſentit B. Ambroſius, damnat, pertinacem oſtendit, incorrigibilem, & abſque alia probatione convictum, taliter quod juxta B. Cyprianum epiſcopi poteſtatem habere non poſſit nec honorem, qui ſic pertinaciter, notorie, & contumaciter unitati eccleſiæ adverſatur, ut illa quæ ex tali impugnatione, & quæ ſunt præcedentibus fortiora & deteſtabiliora concludi poſſunt & inferri, ad præſens ſilentio committimus, eoſdem effectus pariens in non veniendo vel non parendo, contumacia merito & præcipue in hoc caſu damnata.

10 Quæ pro tanto veſtræ ſanctitati ſcribimus, ut dignetur & velit conſiderare lamentabilem fidei & eccleſiæ ſtatum, animarum pericula, quæ pereunt noſtris ex dilationibus catervatim, quibus noſtræ, ut formidabiliter dubitandum eſt, ducatum dabunt, niſi alia quam hactenus fecerimus, virtuoſiſſime faciamus, ac meritum quod permaximum vobis eveniet, ſi ultra iſtud ſchiſma non porrigetur in dies, ſed potius per renunciationem debitam multiplicibus vinculis & irrevocabilibus nexibus roboratum tollatur de medio, & contra pericula eminentia quo ad Deum & mundum, ut de infamiis & oblocutionibus velut levioribus taceamus. Et in hoc imminenti utriuſque partis concilio velitis convenire in loco & termino ordinatis, ut alias per noſtras litteras, quibus ad propoſitum reſponſum non fuit, ſupplicavimus, & multa inſtantia requiſivimus pro tantorum malorum & aliorum imminentium evitatione, & unitatis vinculo in Dei eccleſia reducendo: renunciaturus papatui in propria perſona, ſeu per procuratorem idoneum habentem adhoc ſufficiens & ſpeciale mandatum, quia & hoc in vim cedulæ juratæ conclavis dicimus, prout & alias diximus, bono unionis eccleſiæ expedire, & in ipſius vim ſolemniter, ut alias factum extitit, requirimus inſtantiis iteratis.

11 Circa enim GREGORIUM, qui vix hodie habet ubi caput reclinet, a ſuis fere derelictus, ſi renunciare noluerit, taliter providebitur, quod ſui occaſione ſchiſma in Dei eccleſia poſt veſtram renunciationem nullatenus remanebit. Hoc autem concordatum alias juratum & oblatum petitur, bene quidem, & omnes exceptiones ſubmovens pro tam neceſſario Dei negotio, honorabilem ad modum pro fine felici, ſancto & toto orbi profuturo; & ſi urgeat in contrarium caro, vincere debet ſpiritus; ſi domeſtici inſtent deceptivis blanditiis, eos zelus domus Dei procul repellet: & ut hoſtes abjiciat, non perturbent ſeu dilatent viarum diſcrimina, pericula aliquando nimis aſtute per aliquos ſed patenter ſupervacue allegata. Quis autem nocebit pro pace eccleſiæ renunciare volenti? certe nullus, cum ſolum pax quæratur, non renunciare volentis accuſatio, damnatio vel jactura.

12 Eſtque caſus in quo ab offenſa Dei, ruina eccleſiæ & periculis animarum non excuſabunt quævis pericula, etiam mortis interitum allatura, ſi propter illa ceſſio quæ debita eſt, obmitteretur ſeu dilataretur, quod abſit, & nihilominus ſecuritatem veſtram vobiſcumque venientium, vel procuratoris & aliorum, quos ad affectum præmiſſum & alias duxeritis deſtinandos tam in eundo, ſtando, & redeundo ſufficienter providimus tam cum ſereniſſimo rege Francorum, gubernatore Januenſium, Januenſibus & Florentinis, quod merito poteſt & debet veſtra ſanctitas contentari, ut plenius noſtri ex parte eidem veſtræ ſanctitati reſerabit venerabilis vir magiſter Johannes Guiardi archipreſbyter Pictavenſis, cui in præmiſſis, & quare ad veſtram ſanctitatem non acceſſimus, ut aliis eidem injunctis, dignetur veſtra ſanctitas fidem indubiam adhibere, quam dirigere dignetur Altiſſimus feliciter ad reducendum unitatis vinculum in eccleſia ſancta Dei. Scriptum Piſis die XXV. Januarii, anno a nativitate domini MCCCCIX.

G. Peneſtrinenſis.
J. Oſtienſis.
P. Tuſculanus epiſcopi. } S. R. E. cardinales.
A. De Saluciis.
P. S. Angeli diaconi.

JOHANNIS DUCIS BURGUNDIÆ.

Hortatur ad mittendum ad concilium Piſanum.

JOHANNES dux Burgundiæ, comes Flandriæ, Artheſii & Burgundiæ Palatinus, &c. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

Diu penſantes, menteque ob id ingemiſcentes, ſpectabiles viri, hinc non minus dolendi quam longe vigentis ſchiſmatis protractionem damnoſam, inde duorum contendentium obſtinationem firmatam, cunctiſque pene exoſam chriſticolis ambitionem notoriam, utriuſque obedientiæ cardinales cum litteris cum ambaxiatoribuſſuis inſinuavere

domino meo regi mihique, quatenus ad concilium menſe Martio proxime futuro Piſis, favente Dei clementia, celebrandum, ſuper accelleranda unione tam deſiderata quam neceſſaria eccleſiæ ſanctæ Dei, & ad quam univerſorum animi, mundanis poſthabitis, aſpirare tenentur; tales tamque notabiles volumus deſtinare legatos, ut materiæ, qua major aut ardua magis nuſquam ſe offert noſtris tractanda diebus, & congruant, & profectui eſſe poſſint. Quæ omnia ſane adhortationis eſſe cunctiſque cunctorum fidelium viribus exequendæ, dominus meus præfatus & ego advertentes, tamquam hi qui totis potentiæ noſtræ nervis hunc ſacrum meritoriumque laborem amplectimur; ſimul & principes, hujuſque regni clerus, noſtros ad prænominatum concilium ambaxiatores deſtinare ſolemnes unanimi irretractabilique determinamus conſenſu, quos adveniente tempore certum eſt illuc proficiſci debere, uti principes alioſque quamplurimos & communitates quamplures utriuſque ad prædictum ituros concilium, certis documentis accepimus. Quocirca vos rogamus in viſceribus JESU CHRISTI, ac in vinculo fervidæ caritatis & hortamur, ut pro parte veſtra notabiles & ſelectos ad ipſum concilium delegare velitis, univerſos ſinguloſque cujuſque partis ad tantum accedentes negotium cum omni manſuetudine, favore atque ſecuritate tractantes. Qua ex re non modicam gloriam, ſed potius laudem & honorem præcipuos veſtræ ſpectabilitati nullatenus accreſcere formidamus, cum vobis una cum principibus & ceteris communitatibus in præmiſſis adhibentibus operam diligentem, unio in eccleſia, Deo juvante, ſperanda ſit. Scriptum Pariſius.

LITTERA SUBTRACTIONIS,

Collationis beneficiorum, &c. facta per Florentinos.

Ex mſſ. ſancti Laurentii Leodienſis, & illuſtriſſimi domini Chauvelin.

IN Dei nomine. Amen. Anno domini ab ejus incarnatione M CCCC VIII. (*a*) indictione II. die XXVI. Januarii. Cum hoc ſit quod magnifici & excelſi domini, domini priores artium & vexillifer juſtitiæ populi & communis Florentiæ, una cum officiis gonfaloneriorum (*b*) ſocietatum populi & duodecim bonorum virorum dicti communis, &c. ipſi magnifici domini priores artium & vexillifer juſtitiæ populi & communis Florentiæ, vigore poteſtatis, auctoritatis, & baliæ, (*c*) & omni modo, via, & jure, quibus magis & melius potuerunt, præviderunt, ordinaverunt, & diſpoſuerunt, quod deinceps durante ſchiſmate antedicto, non derogando alicui alii proviſioni præſenti anno ſuper materia beneficiorum factæ, ſed illas confirmando, nullus cujuſcumque ſtatus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, clericus vel laicus, civis vel ſubditus audeat vel præſumat aliquod beneficium vel dignitatem, etiamſi fuerit dignitatis vel cardinalatus, archiepiſcopalis vel epiſcopalis, vel alterius cujuſcumque qualitatis vel præeminentiæ vel dignitatis exiſtat, magnum vel mediocre vel parvum, ſub quovis nomine nuncupetur, etiamſi eſſet hoſpitale, vel aliquod officium, præeminentia; ſuperioritatem clericorum ſæcularium vel regularium cujuſcumque ordinis vel religionis exiſtat, quod quomodocumque vacare contingeret, in civitate, comitatu vel diſtrictu Florentiæ, aut in aliquo loco, ubi commune præfatum habeat juriſdictionem vel præeminentiam aliquam, aut in aliquo alio quocumque loco impetrare, per ſe vel per alium, directe vel indirecte, a domino Gregorio XII. aut a quovis alio, ſi quis forte in ejus locum durante ſchiſmate antedicto aſſumi, aut ab ejus ſive eorum legatis, delegatis, vel ſubdelegatis commiſſariis, nec etiam eis collata etiam proprio motu a prædictis acceptare per ſe vel per alium, nec propterea aliquem poſſeſſorem prædictorum in ſua poſſeſſione aliquo modo vexare vel moleſtare, nec propterea uti aliquibus litteris, gratiis, privilegiis, vel proceſſibus ſupradictis, beneficiis, dignitatibus, officiis, adminiſtrationibus, vel præeminentiis, aut ſuper quibuſcumque aliis impetratis vel conceſſis, quæ ſuum non ſuiſſent conſequutæ effectum, vel quorum notitia ante præſentem deliberationem non perveniſſent ad dominos per litterarum apoſtolicarum præſentationem, vel in his quæ per reſcripta juſtitiæ appellationum jam impetrata penderent, vel ſequerentur ex eis in civitate aut comitatu Florentiæ, vel quæ in futurum durante præſenti ſchiſmate impetrarentur vel concederentur, & prædicta omnia quæ ſupra de civibus & ſubditis expreſſa & proviſa ſunt, intelligantur expreſſa & proviſa de advenis & forenſibus quibuſcumque, quoad beneficia, dignitates, & præeminentias, officia quæcumque & qualiacumque exiſtentia, vel quæ conferri ſeu concedi conſueverunt in civitate, comitatu vel diſtrictu Florentiæ vel in locis quibus commune Florentiæ quampiam habet juriſdictionem vel præeminentiam, & ſi quid contra fieret aut attentaretur directe vel indirecte, nihil valeat aut teneat, aut executionem aliquam mereatur, ſed contra facientes vel attentantes pro vice qualibet, qua contra facerent vel venirent per ſe vel per alium, incidant in pœnam mille florenorum, applicandam communi Florentiæ, quam unuſquiſque rector communis Florentiæ teneatur & debeat, quando ad ejus notitiam fuerit delatum per quemcumque, eligere ſub pœna florenorum quingentorum eiſdem de

(*a*) Qui annus poſt Paſcha erit MCCCCIX.
(*b*) Gonfalonerii ſunt vexilliferi & duces.
(*c*) Ideſt ballivatus.

ſuo ſalario auferendorum per camerarios cameræ communis Florentiæ, quotieſcumque contra fecerint. Et de his quæ exegerint habeant duos ſolidos pro qualibet libra pro ipſorum diſtrictu. Et nihilominus tales ſic impetrantes vel acceptantes, vel quibus aliqua talis conceſſio vel gratia talis fuiſſet, quæ executionem ante præſentem proviſionem non habuiſſet, vel cujus notitia ante præſentem deliberationem non perveniſſet ad duos, per litterarum apoſtolicarum præſentationem, vel quæ per reſcripta juſtitiæ appellationem jam impetratura præcederent vel ſequerentur ex eis in civitate aut comitatu Florentiæ, vel quæ qualitercumque fient in poſterum, compellatur deſiſtere & ab omni ipſarum gratiarum, impetrationum vel conceſſionum uſu, & ab omni eo quod directe vel indirecte attentaretur contra præſentem diſpoſitionem ſub pœna prædictis.

2 Item, ſi quocumque modo aliqua beneficia, officia, dignitates etiam archiepiſcopales, epiſcopales, vel alia cujuſcumque dignitatis vel qualitatis exiſterent, & ſub quovis nomine nuncupentur, etiam ſi dignitates cardinalatus exiſterent, quæ ſpectarent ad ſolius papæ collationem vel proviſionem, ſeu quæ reſervatæ dicerentur, & quæ & quos inferiores ordinarii non poſſent conferre ſine ſpeciali mandato papæ vel ſedis apoſtolicæ, vacare contingeret in dicta civitate, comitatu vel diſtrictu Florentiæ, vel ubi commune Florentiæ habeat dominium vel præeminentiam aliquam, quæ ſit ſine rectore vel legitimo officiali ſeu adminiſtratore, durante dicto ſchiſmate, remanerent; domini priores artium & vexillifer juſtitiæ populi & communis Florentiæ cum officiis gonfalonieriorum ſocietatum populi & duodecim bonorum virorum dicti communis teneantur & debeant providere & ordinare, quod interim in eis & quolibet ipſorum divinæ officia celebrentur, adminiſtrentur, & gubernentur per illum vel illos quos deliberaverint; & quod fructus, redditus & proventus expendantur in neceſſitatibus dictorum beneficiorum & adminiſtrantium ibidem, prout per eos fuerit deliberatum. Reſiduum vero conſervetur & deponatur apud illum vel illos, penes quem vel quos per dictos dominos & collegia fuerit deliberatum, aſſignandum cui de jure fuerit aſſignandum, quando Dei gratia eccleſia reformata erit ſub unico & vero paſtore.

3 Item, cum hoc ſit, quod, Dei gratia mediante, univerſale generale ſanctum concilium in civitate Piſarum pro extirpando miſerabili ac deteſtando ſchiſmate, pro pace atque unitate in ſanctam Dei eccleſiam inducenda, de proximo celebrari debeat; & cum hoc ſit, quod ſupra dicti magnifici domini, domini priores artium & vexillifer juſtitiæ, cum ipſorum collegiis decreverint atque deliberaverint in civitate Florentiæ quamdam particularem congregationem facere quorumdam prælatorum & profeſſorum ſacræ paginæ, ac etiam quorumdam prudentum & doctorum virorum pro aliquibus negotiis utiliter pertractandis pro bono ipſius ſanctæ unitatis, & pro declaratione veritatis in hoc deflendo ſchiſmate. Ac etiam volentes præfati magnifici domini, domini priores artium & vexillifer juſtitiæ, obviam ire ſcandalis & diſſentionibus atque periculis, quæ veriſimiliter durante hac pernicioſa eccleſiæ ſciſſura evenire poſſent, & maxime conſideratis & attentis ordinationibus antedictis, deliberaverant, quod omnes clerici & religioſi, tam ſæculares quam regulares, tam in dignitatibus conſtituti, quam etiam alii qui habitant & morantur in civitate, comitatu vel diſtrictu Florentiæ, vel in locis in quibus dictum commune habet aliquam juriſdictionem vel præeminentiam, vel etiam quicumque inde oriundi, volentes ad dictum ſanctum concilium ire, vel qui tenerentur vel deberent accedere. Et inſuper qui vocarentur ad ſupradictam particularem congregationem, ut ſupradictum eſt, faciendam, poſſint & valeant libere, licite, impune, & omni metu ſepoſito, ad dictum ſanctum concilium generale Piſis celebrandum, atque dictam congregationem ire, ſtare, ac redire; in ipſis concilio & congregatione libere proponere, dicere, conſulere & allegare omnia quæ eis ſecundum Deum & veritatem & rectam ac bonam conſcientiam videbuntur & placuerint; ac etiam ne dictum concilium & congregatio aliqua ex parte differri, aut ratione aut occaſione aliqua impediri queat, propterea providerunt atque ſtatuerunt, quod deinceps contra eoſdem volentes aut debentes ad dictum concilium & congregationem accedere, aut quoſcumque alios clericos ſæculares vel regulares, ſeu laicos civitatis, comitatus, diſtrictus, vel ex aliquo ex locis in quibus dominium aliquod aut præeminentiam habeant, aut inde ſint oriundi, vel in ipſis habitantes, cujuſcumque gradus, dignitatis, præeminentiæ, vel conditionis exiſtant, ac ſub quovis nomine nuncupentur, ſupradictis de cauſis aut aliis & occaſionibus quibuſcumque, non poſſint directe vel indirecte, publice vel occulte, aut aliquo quæſito colore, procedi aut attentari aliquid in perſona, beneficiis, dignitatibus, officiis, & gradibus, & præeminentiis, aut bonis ipſorum vel cujuſcumque ipſorum, cujuſcumque dignitatis vel etiam præeminentiæ exiſteret, etiamſi papali aut alia quavis præfulgeret dignitate aut commiſſione vel ſuperioritate; nec aliquis proceſſus vel ſententia privationis beneficiorum, dignitatum, officiorum, præeminentiarum vel graduum, aut ſententia excommunicationis & ſuſpenſionis, interdicti vel alterius cujuſcumque pœ-

næ temporalis vel ſpiritualis contra eos vel aliquem ipſorum prolati aut lati, vel qui aut quæ in futurum, durante ſchiſmate antedicto proferrentur aut fierent, valeant vel teneant, aut executionem aliquam directe vel indirecte habere poſſint. Nec per aliquem contra eos de talibus ſententiis, pœnis, proceſſibus & cenſuris poſſit aliquid in judicio vel extra peti, objici, vel opponi, vel aliqua denunciatio fieri ſub pœna prædicta inferenda contra facienti & prædicta non obſervanti ut ſupra, & applicanda ut ſupra. Et nihilominus quicquid contra factum fuerit, ſit irritum & inane, & nullam executionem in judicio ſæculari aut eccleſiaſtico vel extra judicium habere poſſit. Ac etiam domini priores artium & vexillifer juſtitiæ pro tempore exiſtentes, teneantur & debeant in quorum favorem latæ eſſent tales ſententiæ, pœnæ, & cenſuræ, vel facti dicti proceſſus, aut in futurum durante dicto ſchiſmate proferrentur vel fierent, & executores prædictorum cum effectu cogere & cogi facere vigore eorum juramenti, ad decidendum & renunciandum omnibus & ſingulis ſupradictis ſententiis, pœnis, cenſuris & proceſſibus quibuſcumque, ac etiam ad ſolvendum pœnam in quam contra faciendo incidiſſent.

4 Ac inſuper deliberaverunt, quod ſi contingeret quod aliqui ex prælatis vel clericis ſupradictis, qui ſecundum traditiones ſacrorum canonum, vel conſuetudines & pias obſervantias de accedendo ad generale concilium obſervatas, ire tenerentur & deberent, aliqua occaſione ad dictum generale concilium debito tempore accedere, & in eodem intereſſe recuſarent, quod domini priores artium & vexillifer juſtitiæ populi & communis Florentiæ, pœnis ſupradictis & aliis remediis opportunis teneantur & debeant eos compellere & cogere ad dictum concilium accedendum, & in eo, ut expediens erit, interveniendum. Et nihilominus dicti prælati ſeu clerici contra facientes in pœnam præfatam incidiſſe intelligantur, quæ applicetur & exigatur, ut ſupra.

5 Acta fuerunt dicta omnia ſtatuta, proviſa, deliberata & ordinata per ſupradictos magnificos dominos, dominos priores artium & vexilliferum juſtitiæ populi & communis Florentiæ, & ipſorum partico ad fabas nigras & albas, & ſervatis ſervari debitis & conſuetis, ſub die XXVI. menſis Januarii MCCCCVIII. indictione II.

6 Item, eodem anno, indictione II. die & loco, & incontinenti poſt prædicta, præfati magnifici domini priores artium & vexillifer juſtitiæ, moti bonis & honeſtis rationibus & cauſis, & maxime ut in cautione abundarent, non quia neceſſarium eſſe diceretur, & ex ipſorum humanitate & urbanitate, & quod prædicta ſupra expreſſa majorem auctoritatem habere viderentur, prædicta omnia & ſingula in præſentia ipſorum ac venerabilium virorum gonfaloneriorum, ſocietatum populi, & duodecim bonorum virorum communis prædictæ, de verbo ad verbum, ut ſupra legitur, habetur & ſcriptum eſt, per me Petrum notarium & cancellarium ita etiam legi fecerunt, & deinde facta propoſita pro parte ipſorum magnificorum dominorum priorum & vexilliferi, quod ſi eis viderentur prædicta ſecundum morem & ſtatuta communis Florentiæ, redderent eorum fabas nigras, vel ſi cui videretur contrarium, redderet albas pro no. Unde facto inter ipſos magnificos dominos priores artium & vexilliferum juſtitiæ, ac etiam inter ipſorum officia gonfaloneriorum, ſocietatum populi, & duodecim bonorum virorum communis, ſolemni & ſecreto ſcrutinio, ſecundum ordinamentum communis Florentiæ, & obtento partico ad fabas nigras & albas, ipſi magnifici domini, domini priores artium, & vexilliferi juſtitiæ, ac prædicta venerabilia officia gonfaloneriorum & duodecim bonorum virorum, prædicta omnia & ſingula ſupra contenta approbaverunt & ratificaverunt, & voluerunt in omnibus vim & robur habere, atque exſecutioni mandari, ſecundum prædictorum continentiam, diſpoſitionem & affectum.

DOMINO MALATESTÆ de Malateſtis.

Ex mſ. S. Laurentii Laudenſis.

MAgnifice ac potens domine mi ſingulariſſime, ac ſanctæ matris eccleſiæ conſtantiſſime pugil, niſi nos inter levigata Romæ verba recenſueritis, miramini etiam de meo ad partes iſtas acceſſu, ſi cauſam legitimam non exererim. Audiatis igitur oro ſuppliciter, nec fabulari articulo dictum concipite. Venetis certe maritimi miniſterii, terreſtris regiminis ac divini cultus laus abundans nec immerito per totius orbis conſenſum aſcribitur. Verum cum nauclerius in longævo forte miniſterio abuſus, naviculam ſibi commiſſam in littora ſcopuloſa nedum colliſerit, verum etiam ſeipſum cum ſibi commendata populi multitudine ad naufragium deduxiſſe videatur, volui potius nudus naufragium evadere, quam veſtitus ſub ſpe futuræ tranquillitatis ac portus repetendi, ſubmergi. Veniſſe igitur fateor iſtuc, ad exquirendum Deo prævio reliquos bonos antequam novum aliquod peregrinum viagium aggrediar. Reverendiſſimi namque patres & domini mei utriuſque collegii cardinales digniſſimi certum gratum peregrini Petri habuerunt adventum, promittentes navalem examini probiſſimo ita diſciplinam committere, quod eliciatur navarchus unicus nedum mihi, ſed toti populo Chriſtiano gratus & ſalutifer adeo futurus, quod omnibus tunc

provincias

provincias univerſas orbis transfretare volentibus, naviculæ per expertam gubernatorum confidentiam tutus pateat ingreſſus. Quod quidem ſpe, qua mihi ipſi ex multorum principum ac magnificorum Florentinorum ad hoc ſanctum opus pie & unanimiter intendentium concurſu ſpoponderim, omnibus perſuadens hic mandatis cunctis & honoribus veſtris obnoxius moror, & cum diligenti fide laboro, ut hactenus experta pericula non de cetero ſubeam. Det igitur Deus gratiam nobis, ut celeriter gubernatorem toti populo Chriſtiano ſalutiferum habeamus, quo tuti per ſibi commiſſam navem fluctus B omnes evaſuri, quietis æternæ portum valeamus attingere, ad quem poſt vitam, quam vobis felicem & longævam auguror, vos noſque omnes Deus ipſe ſua miſericordia perducat, amen. Datum Piſis manu propria XIII. Februarii.

Veſtræ M. fidus ſervitor Petrus de Giralfredinis de Pona, cum debita recommendatione apoſtolicus ſecretarius.

CONVENTUS PRÆLATORUM FLORENTINORUM

Ad ſubtrahendam ſeu ſubtractam a Gregorio XII. obedientiam approbandam & confirmandam.

Ex miſſ. S. Laurentii Leodienſis, & Chevoliano.

CONſiderantes magnifici & excelſi domini priores artium & vexillifer juſtitiæ populi & communis Florentiæ, nec non & ipſorum honoranda collegia, quod nihil eſt in hac vita mortali diligentiori cura inquirendum, nihil magis neceſſarium ad animarum ſalutem, ad Dei honorem, & ad militantis eccleſiæ liberationem, quam his duris & miſerabilibus temporibus, & in hac deflenda & abominanda a cunctis fidelibus eccleſiæ ſanctæ ſciſſura, in hoc perniciosiſſimo errore, quo periculoſe nimis grex Chriſti diviſus eſt, ea procurare quæ ad pacem ſunt, atque ſanctam & veram unitatem populi Chriſtiani, & ad extirpandum ex ipſa Chriſtiana religione monſtruoſum ipſum & peſtiferum ſchiſma, quod fere triginta annis ad magnam animarum perniciem in ipſius eccleſiæ corde miſerabiliter hæſit. Et cum ipſi magnifici domini & eorum collegia, cum his qui ſub eorum E ditione continentur, ipſius eccleſiæ membrum ſint, & omnia uſque in præſentem diem cum cordis puritate & animorum ſinceritate ob eorum debitum fecerint, non ſumtibus, non laboribus, non periculis, nulli denique rei parcentes, quæ proficua & ſalutaria ad ipſius eccleſiæ pacem judicarent, apud eum multis variis, honeſtis & efficacibus rationibus & modis inſtando, qui ſe GREGORIUM XII. appellat, quæ omnia ſigillatim exprimere longiſſimum eſſet, & cum omnis eo-

A rum labor uſque in præſentem diem incaſſum fuerit, nihilque eorum ſancti conatus profecerint apud ipſum dominum GREGORIUM, ſed omnem prorſus ſpem amiſerint poſſe eum reducere ad ſanctam & neceſſariam unitatem Chriſtianam, quam Deo & hominibus promiſit, juravit & vovit, niſi fortiora remedia adhibeantur: ac etiam conſiderantes præfati magnifici domini & eorum collegia, quemadmodum S. Spiritu inſpirante, ut pie credendum eſt, duo ſacroſancta collegia reverendiſſimorum dominorum cardinalium, videlicet collegium illud quod Gallicum apud quoſdam appellatum eſt, & aliud quod Italicum, ab eorum capitibus, ſcilicet a præfato domino GREGORIO, & ab eo qui ſe BENEDICTUM XIII. appellat, diſceſſerunt, prorſuſque deſperati poſſe eos de papatu contendentes, ad reintegrandam eccleſiam adducere, in unum ſe conjunxerunt in tanta unitate, ut vere de eis dici poſſit, quod cor unum ſint & anima una. Nec non penſantes ipſi domini priores & ſua collegia, quod domini cardinales indefeſſis ſtudiis, prout Deo promiſerunt, & ex ipſorum debito ſunt aſtricti, rebus cunctis mortalibus ſpretis, procuraverunt, procurantque recta C & ſancta voluntate Chriſtianam pacem, & maxime regia via, ea ſcilicet qua aliàs eccleſiæ perturbationibus ſubventum eſt, videlicet per generale & ſanctum concilium totius Chriſtiani populi, quod celebrandum ipſi domini cardinales mandaverunt in civitate Piſarum, eiſdem ad hoc ſanctum negotium peragendum a Florentino populo conceſſa. Advertentes præterea, & ſecum diligenter conſiderantes quamdam eiſdem dominis prioribus requiſitionem factam per ipſos reverendiſſimos dominos & patres, dominos D cardinales, cujus hic eſt effectus, quod Florentinus populus, quemadmodum obligatus eſt, ipſe & reliqui Chriſtiani, ſecundum Deum & ſacrorum canonum diſpoſitiones, poſtquam aliter haberi eccleſiæ pax nequit, ad hoc ut hoc ſchiſma tollatur, omnem obedientiam auferre debet præfato domino GREGORIO, tamquam a Chriſtianæ religionis vaſtatore & nutritore inveterati in ipſa eccleſia ſchiſmatis, & propterea crimine hæreſis affecto. Aſſerentes quoque ipſi domini cardinales hoc præterea ideo faciendum eſſe, ut omni metu ſepoſito, liberius eccleſiæ prælati poſſint ſanctiſſimo generali concilio intereſſe, & labenti eccleſiæ in miſerandam ruinam, priuſquam funditus deleatur, gratia Dei juvante, opem ferre. quam quidem petitionem ac alia quæque ſupra narrata animis volventes præfati magnifici domini priores, ac etiam habentes ante oculos Deum, & ſecundum ejus voluntatem incedere in his gravibus & magnis negotiis volentes, ac etiam ſtudere, quantum eis divina bonitate permittitur, Chriſtianæ reconciliationi, ni-

hilque omittere, quod auxilium aliquod laboranti ecclesiæ possit afferre, ne sub specie boni in aliquo decipiantur, & ne quicquam, quod contra sanctas institutiones ecclesiæ sit, per errorem faciendo & omittendo, committatur, decreverunt velle in istis eorum consilium sequi, quos sciunt Deum timentes esse, & qui noverunt quomodo in divinis rebus sit incedendum, quidve divino & humano jure liceat vel non liceat, & quibus cura est Florentini populi in spiritualibus secundum ecclesiæ ordinationem commissa. Quapropter ipsi magnifici domini priores in palatio residentiæ domini episcopi Florentini, infrascriptos reverendos patres & dominos archiepiscopum, episcopos, prælatos, abbates, professores sacræ paginæ, religiosos, & utriusque juris doctores congregari fecerunt, & ipsis sic congregatis, ipsi magnifici domini priores & vexillifer justitiæ supradicta & alia ad rem facientia narraverunt, & ab ipsis consilium postulaverunt, utrum secundum Deum, bonam conscientiam & jus possent & deberent juxta petitionem dominorum cardinalium omnem obedientiam auferre a domino Gregorio. Qui siquidem infrascripti omnes ad requisitionem ipsorum magnificorum dominorum priorum juraverunt in manibus reverendi patris in Christo domini episcopi Florentini, se in hac materia ea dicturos esse atque consulturos, omnibus aliis postpositis, quæ secundum Deum, bonam & rectam conscientiam, & secundum Dei ordinationem, jus & veritatem esse * crediderint. Unde subsecutum est, quod hodie hac præsenti die infrascripti omnes, exceptis tantum tribus, qui inferius describentur, habitis prius tamen inter se omnes aliquibus diebus magnis & longis disputationibus, tractatibus & allegationibus, & allegatis omnibus sacris canonibus, decretalibus, glossis, auctoritatibus sanctorum doctorum ecclesiæ, ac juribus omnibus ad partem affirmativam atque negativam facientibus, ipsisque diligenter discussis & examinatis, & interpretatis fideliter, pure atque canonice, ac facto præsentis schismatis plene examinato & diligentissime considerato, inspirati, ut pie credendum est, Sancto Spiritu, atque gratia Dei & Redemtoris nostri Jesu Christi, ob cujus ecclesiæ salutem congregati sunt & laboraverunt, atque gloriosissimæ Virginis reginæ cælorum Mariæ, omnes & quilibet de per se unanimiter interrogati, singulatim per me Petrum notarium & cancellarium infrascriptum dixerunt, consuluerunt, declaraverunt, determinaverunt, quod secundum Deum, bonam, puram & sanctam conscientiam, secundum sanctas ecclesiæ institutiones, veritatem & jura, pro bono universali sanctæ matris ecclesiæ, & pro inducendo in populum Christianum sanctam & immaculatam pacem & veram unitatem, & pro schismate tollendo, magnifici domini priores & eorum veneranda collegia, cum universo clero & populo Florentino, & omnibus cujuscumque status, qui sub eorum jurisdictione continentur, possunt & debent, atque astringuntur sub mortali peccato, omnem obedientiam, assistentiam, auxilium atque favorem ab domino Gregorio subtrahere & amovere, tamquam a nutritore universalis & inveterati schismatis in ecclesia Dei, & dissipatore gregis dominici, & ecclesiæ sanctæ Dei subversore, & tamquam a violatore obligationis, juramente & voti, quam & quod Deo & Christianis omnibus solemniter fecit, ut publicis documentis in conclavi & post factis, continetur & habetur. Et me Petrum notarium & cancellarium infrascriptum, tamquam personam publicam, ipsorum declaratione rogaverunt, quatenus de hac ipsorum determinatione, ad perpetuam rei hujus memoriam, publicum conficiam instrumentum. Et quo prædicta majorem obtineant firmitatem, unusquisque infrascriptorum propria manu se subscripsit, & præsentem paginam propriis sigillis munivit.

(a) Ego Alamannus archiepiscopus Pisanus omnia suprascripta approbo & confirmo, ideo propria manu me subscripsi & signavi meo sigillo secreto. Hoc eodem modo infrascripti se subscripserunt. [a]

Dominus Jacobus episcopus Florentinus.

Dominus Ludovicus episcopus Wlteranus.

Dominus Petrus episcopus Aretinus.

Frater Bernardus de Gianfglaziis, generalis Vallis-umbrosæ.

Frater Honofrius de Florentia, prior eremi Camaldulensis.

Frater Bernardus de Florentia abbas monasterii S. Michaelis de Podio Bonizi, theologiæ professor.

Frater Thomas de Firmo theologiæ professor, generalis Prædicatorum.

Frater Antonius de Pecto ordinis Minorum generalis.

Frater Matthæus de Bononia theologiæ professor, generalis Carmelitarum.

Frater Felix abbas monasterii S. Salvatoris de Septimo.

Cappone de Capponibus de Florentia, præpositus Florentinus & Aretinus.

Johannes de Albicis canonicus Florentinus.

Bonosus Florentiæ de Federigis canonicus Florentinus.

Dereninus de Pecoris canonicus Florentinus.

Franciscus de Ancellensibus canonicus Florentinus.

Johannes de Riccis canonicus Florentinus.

(a) Subscriptiones desunt in codice Chauvelliniano.

al. incsse.

Frater Nicolaus *de Roſcol* decretorum doctor.
Johannes abbas S. Floræ de Aretio.
Jacobus de Campo utriuſque juris doctor.
Frater Laurentius de Boronteis decretorum doctor.
Albertus de Albicis de Florentia.
Nicolaus abbas S. Mariæ monaſterii.
Baldassar abbas monaſterii de Paſſignano.
Domnus Bastianus abbas S. Salvatoris Camaldulii.
Hieronymus Gilii de Florentia decretorum doctor.
Laurentius abbas monaſterii S. Petri.
Lazarus prior plebis de Balneo.
Frater Gaspar abbas monaſterii S. Trinitatis.
Richardus abbas S. Pancratii.
Antonius abbas S. Pauli de Razulo.
Albertus de Albicis ordinis Prædicatorum magiſter.
Michael P. *Thim* profeſſor theologiæ.
Frater Leonardus theologiæ profeſſor.
Frater Andreas Thomæ profeſſor theologiæ.
Frater Jacobus de Piſis profeſſor theologiæ.
Frater Michael Johannis profeſſor, &c.
Frater Michael de Fegehino profeſſor, &c.
Frater Lottus ordinis Minorum inquiſitor.
Magiſter Johannes Georginii de Bononia miniſter Fr. Minorum.
Frater Matthæus de Parma miniſter provinciæ Romaniæ.
Magiſter Johannes Johannis de Florentia profeſſor.
Frater Jacobus Fei profeſſor.
Frater Bartholomæus de Bononia profeſſor.
Antonius de Maſſa profeſſor.
Frater Benedictus de Teſtis profeſſor.
Frater Valentinus Urcal. profeſſor.
Frater Hieronymus de Faventia baccalaureus.
Bartholomæus abbas de Puppio.
Johannes prior S. Fabiani de Prato.
Frater Antonius Petri prior generalis Armenorum.
Frater Michael abbas.
Frater Johannes Petri abbas.
Frater Laurentius de Florentia profeſſor.
Frater Simon de Tornaquantis profeſſor.
Frater Gabriel de Spoleto profeſſor.
Frater Antonius de Rignano profeſſor.
Frater Zenobius de Florentia prior provincialis Provinciæ.
Magiſter Bartholomæus de Piſis.
Frater magiſter Jo. de Sedoggiis.
Frater Antonius Salvi de Florentia baccalaureus.
Frater Nicolaus de Caſſis baccalaureus.
Frater Jo. Leonardi profeſſor.
Frater Jo. de Sicilia.
Frater Lucas Hiſpanus ordinis S Salvatoris ſub conſtitutionibus B. Brigidæ, gubernator monaſterii Paradiſi.
Frater Antonius de Alexandris profeſſor.
Frater Perius de Roma profeſſor.
Frater Antonius de Paſſignano profeſſor.
Frater Dominicus Bartholi de Florentia prior canonicus.
Domnus Simon Matthæi.
Frater Zenobius abbas.
Simon Jeremiæ canonicus Piſanus.
Petrus canonicus Piſanus.
Frater Dominicus Rioſtri de Florentia baccalaureus.
Frater Thomas Jacobi de Regno.
Frater Antonius Simonis baccalaureus.
Julianus Cucchi.
Lucas canonicus S. Mariæ majoris.
Philippus de Corſinis doctor.
Stephanus Bonacurſi doctor.
Laurentius de Ridolphis doctor.
Rossus Andreossus doctor.
Bartholomæus de Poplechis doctor.
Torellus de Torellis doctor.
Richardus *Delbene* doctor.
Johannes P. Ruſtan. doctor.
Marcellus de Strozzis.
Franchiscus de Marchiavellis doctor.
Dominicus P. Mini doctor.
Petrus de Beccanugis doctor.
Ego Petrus S. Mini, S. Dominici civis & notarius Florentiæ & magnifici communis Florentiæ cancellarius, imperiali auctoritate judex ordinarius, prædictis omnibus dum agerentur præſens interfui.

EPISTOLA FLORENTINORUM ad dominum Gregorium papam XII.

Declarant ſe ei ſub certis conditionibus obedientiam ſubtraxiſſe.

1. NEmo eſt tam expers rationis, ſanctiſſime ac beatiſſime in Chriſto pater, qui inficiari poſſit omnes qui Chriſtianam religionem profitentur, rebus cunctis mortalibus poſthabitis, non debere, etiam ſi opus fuerit, vitam morti exponendo, eccleſiæ ſanctæ Dei pacem quærere. Quid enim, ſi terrena ſapere voluerimus, & cœca nimis inanium caducarumque rerum cupiditate teneri, magis neceſſarium, magis utile, magis divinum miſeræ & afflictæ nimis eccleſiæ excogitari poteſt, quam peſtifero ſchiſmate ſublato, non duas, proh dolor! ſed unam eccleſiam aſpicere, & hanc pulcherrimam Chriſti ſponſam, quam ipſe pretioſiſſimo ſanguine ſuo conſtituit, non in partes duas ſectam & duobus capitibus deformatam; ſed integram & unico redimitam capite; & in ea eſſe pul- Anno 1409. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chamvelin.*

chritudine, qua eam Dominus noſter exornavit? Nos igitur cum divina bonitate non inferius membrum ipſius eccleſiæ ſimus, nulla in re debere nos enixe magis atque diligentiori cura laborare judicamus, quam dare pro viribus operam ut tam ingens malum, tam ſæva tempeſtas, quæ ſanctiſſimos ac pulcherrimos eccleſiæ parietes diſturbat, evertit, & miſeranda ruina deformat, penitus tollatur, tranquilla & ſerena pax Chriſtianis reſtituatur. Hoc igitur ſanctum deſiderium noſtrum, hæc egregia voluntas, quæ nobis divinitus inſerta eſt, eo populum noſtrum deduxit, ut nihil durum æſtimet, nihil laborioſum, quod ad Chriſtianæ religionis reintegrationem cederet. Hinc ſubſecutum eſt, ut non ſumtus, non labores, non pericula pro hac tam neceſſaria re declinaverimus. Nota ſunt hæc beatitudini veſtræ, propterea ea exprimere obmittimus. Deo nota ſunt, cui ut placeremus, ad hæc facienda devenimus, & ipſe nobis eſt teſtis, ſinceris animis & recta mente Chriſtianam a nobis pacem procuratam eſſe.

2. Experti tamen ſumus novem legationes noſtras quas ad beatitudinem veſtram infra biennium, & duas alias præſtantiſſimorum civium noſtrorum ad adverſarium veſtrum, qui ſe BENEDICTUM XIII. appellat, tranſmiſſas rogatu veſtro, nihil uſque in præſentem diem profeciſſe. Nihil etiam valuit quod tam benigne, tam multa florenorum millia infra tam parvum temporis ſpatium pro unitate conſequenda, ex beneficiis quæ in noſtris finibus ſunt, colligi ſumus paſſi. Nihil valuerunt infinitæ propemodum ſupplices exhortationes noſtræ, nihil preces quas apud vos porreximus, nihil tam uberes, tam amplæ oblationes noſtræ, quibus non ſolum facultates noſtras, ſed ſanguinem quoque pro eccleſiæ ſalute benignitati veſtræ obtulimus; nihil potuit quod Florentinam, Piſanam & alias civitates & oppida noſtra non ſemel tantum concedere pro tractatu unitatis obtulimus; nihil denique alia opera noſtra profuere: cujus rei culpa apud quem ſit nolumus indicare. Deus enim hoc ipſe indicabit. Quid igitur, cum omnia fruſtra Florentinus populus tentaverit, conatus ſit, & veraſim plicitate egerit, quæ ad gregem Dominicum reintegrandum proficua judicaret, facere debebat, an ſanctum obmittere principium? non vere. Scriptum eſt enim, non qui incœpit, ſed *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

3. Cum ergo ſanctum & univerſale concilium a reverendiſſimis dominis cardinalibus celebratum iri cognoverimus, & ab ipſis rogaremur, ut in urbe noſtra Piſana eis permitteremus ſacrum concilium celebrari; non tantum hoc aſſentiri voluimus, ſed ne divinam majeſtatem offenderemus, aut contra ſanctæ eccleſiæ inſtituta faceremus, doctorum hominum in ſacris litteris, Deumque timentium conſilium ſequi decrevimus, a quibus tandem nobis conſultum fuit, ad ipſos dominos cardinales, cum ita ſe eccleſiæ conditio haberet, univerſalis concilii convocationem ſpectare, neque nos ſine gravi Dei offenſa, cum Chriſtiani ſimus, poſſe ipſorum ſanctam petitionem non implere. Valuit igitur plus apud nos Dei cauſa, quam ulla hominum gratia, neque timuimus propterea periculo quopiam humano nos ſubmittere; ſed in Deo ponentes fiduciam noſtram, ad ipſam civitatem concedendam pro ipſa ſancta ſynodo devenimus, ne ob commodi loci defectum, hæc ſancta & neceſſaria ad Chriſtianam pacem concilii convocatio impediretur, aut ratione aliqua differretur. Quo facto, per egregios oratores noſtros ſupplicavimus beatitudinem veſtram, ut dignaremini exemplo Redemtoris noſtri, qui exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, humilitatem induere, & non ad mortem eundo, quam etiam nequaquam recuſare pro ſalute Chriſtiani populi debetis; ſed ad ſacram & univerſalem ſynodum præfatam accedere, quoniam & via renuntiationis papatui quæ tractabatur, in totum ſublata eſſet, & concilium illud quod congregandum mandaveratis, non poterat ex duabus eccleſiis quæ conſtitutæ ſunt unam facere, renuiſtis id quidem, ut noſtis.

4. Quamobrem volentes divinæ inhærere voluntati, & ab lege ſua non diſcedere, cum crebro a reverendiſſimis dominis cardinalibus, atque a quibuſdam magnis principibus Chriſtianis, nonnulliſque ſanctis hominibus moneremur, labi nos in perniciem animarum noſtrarum, ſi quam obedientiam ſanctitati veſtræ præſtaremus, poſtquam non juramentis, non votis, quibus Deo & Chriſtianis omnibus vos obligaſtis, non ſupplicationibus totius ferme populi Chriſtiani adduceremini ad pacem & unitatem ſanctiſſimam Chriſtianæ religionis. Perturbavit nos ſane admodum talis hæc admonitio, & undique nobis angor & anguſtiæ erant, patri & capiti noſtro & in ſpiritualibus domino obedientiam amovere cor noſtrum acti dolore vulnerabat. Ex altera parte metus divini judicii, & caritas quam ad ſalutem animarum gerimus, quam ſalutem omnibus ſcimus eſſe rebus anteponendam, alia ex parte pene incredibiliter nos anxios reddebat. Hac in perturbatione nobis exiſtentibus, nihil melius eſt viſum, quam id videre, quod ſecundum ſacras eccleſiæ inſtitutiones, & Dei voluntatem a nobis eſſet faciendum.

5. Convocari ergo fecimus omnes prælatos, profeſſores ſacræ paginæ, & decretorum legumque doctores, nonnulloſque religioſos ſanctoſque viros in locis ditioni noſtræ ſubjectis degentes, a quibus unanimiter, jure-

jurando tamen prius in manibus Florentini episcopi præstito, determinatum fuit, quod nisi a vobis desciremus, & omnem obedientiam auferremus, animas nostras mortali peccato occidebamus; quod quam luctuosum, quam grave, quamve durum nobis videretur, non facile exprimeremus. Sed prius quam ad hoc, ad quod necessitate, quæ nulli est legi subjecta, induceremur, tentandum esse rursum per oratorem nostrum virum egregium ac peritissimum dominum STEPHANUM BONACURSUM, an vos adducere possemus supplicationibus & oblationibus illis beatitudini vestræ factis, ut pro pace ecclesiæ danda, ad universale concilium Pisis celebrandum veniret. Ex qua quidem nostra legatione, ut nostis, nullus est effectus subsecutus. Quid faceret ergo, sancte pater, populus Florentinus, videns & sciens quod in mortem æternam se præcipitaret, Deum tam graviter offenderet? Eamne obedientiam præstaret, quæ inveteratum schisma nutriret, quæ paci Christianæ inimica esset? In his tamen difficultatibus durisque rebus, & in hac necessitate, in quam devenimus, quod mitius fuit humaniusve delegimus. Subtraximus a vobis enim obedientiam omnem, prout per particulare concilium, quod in nostra civitate tenuimus, determinatum fuit, non tamen aliter, quam solet prudens & pius filius, qui urgente necessitate, & legitima causa subsistente, impellitur flens gemensque graviter, patrem relinquere, & ejus imperium & obedientiam, ac si ignotus esset, non attendere. Verum has adjecimus conditiones, quod hæc obedientiæ subtractio, non ante sextum & vigesimum diem futuri proximi mensis Martii locum habeat; ac etiam declaravimus, quod si infra hoc tempus mansuetudo vestra dignata fuerit ad præfatum universale sanctum concilium accedere, seque libere & sponte determinationi ipsius synodi submittere, atque determinationi præfatæ stare vos obligabitis; vel si decreveritis infra præfatum vigesimum sextum diem per vos vel legitimum procuratorem vestrum, cum pleno & irrevocabili mandato, ad prædictam renuntiationem papatui in manibus reverendissimorum patrum & dominorum cardinalium Pisis existentium, aut alterius cujuscumque speciale mandatum ad prædicta habentis ab ipsis dominis cardinalibus; tunc & in his casibus hæc subtractio obedientiæ pro nihilo habenda est, ac si facta non esset.

6. Tandem ut finem scribendi faciamus, testis est nobis, beatissime pater, testis est conscientia nostra, quam ardenter exoptemus, ut ita vos geratis, quod minime necessarium sit hanc subtractionem obedientiæ locum habere. Vos igitur pro salute animæ vestræ & omnium Christianorum, per plagas illas sanctissimas redemptoris nostri Domini JESU CHRISTI, per pretiosissimum ejus sanguinem, quo ecclesiam sanctam fundavit, per illum sanctum lignum crucis, in quo ipse pendens, mortem & superbiam destruxit, & pacem humano generi dedit, vos oramus atque obtestamur, ut exsurgatis in mansuetudine & humilitate, & huic sancto & universali concilio, suæ vos determinationi subjiciendo, interesse dignemini, aut aliam sanctam, quam supra retulimus renuntiationis viam amplecti, ut tandem indubitata & vera pax ecclesiæ sanctæ reddatur. Nos vero beatitudini vestræ, illi honestæ & societati quam nobiscum habere decreveritis, omnem rationabilem libertatem & salvum conductum, quem postulaveritis, ut liberius ad ipsam civitatem Pisarum accedere valeatis, & generali concilio interesse tenore præsentium pollicemur. Datum Florentiæ.

AD MAGNIFICOS VIROS DOMINOS Florentinos, post subtractionem factam Gregorio.

MAgnifici & potentes domini, amici nostri carissimi, post salutem. Anno 1409. *Ex mss. S. Laurent. Leodiensis.*

Cunctos inter populos qui sub professione Christiana censentur, vestram communitatem de zelo, sacro Dei cultu, justitia, singularique in suis actibus gravitate semper audivimus nec immerito commendari, ex quo quidem agro virtutum a bonis vestris seminatis veteribus, & usque ad vos novissimos diligentiore cultu, non solum odorem bonæ famæ progressum probabilem æstimamus, sed & fructus pacis, libertatis ubertatem, potentiæ magnitudinem, ac divitiarum copiam vestro singulariter populo perveniſſe: adeo ut digne dici possit: Populus est vester cui Deus benedixit. Audiveramus enim, sed ex ore reverendissimi patris domini A. (a) S. R. E. episcopi Penestrinensis cardinalis Aquilegiensis digniſſimi, nuper a vestra Florentina civitate redeuntis, læto animo percepimus & jucundo, quantum ab antiquis non deviantes, sed potius perseverantes, devotionis affectum ad sanctam Romanam ecclesiam per opera manifesta in perpetuum memoriæ retinenda, vestræ nuper virtutes ostenderunt quantumque cum diligentia & gravitate celebratis solemniter comitiis & consiliis vestris, necnon ad concilium prælatis & aliis famosissimis clericis, qui vestro in territorio sunt reperti, solertissime convocatis, pro effectu sanctæ præfatæ ecclesiæ toti populo Christiano optatæ unionis, maturaque omnibus deliberatione pensatis, vestram & omnium vestrorum devotionem a domino GREGORIO detestandi schismatis pertinacissimo fautore divertentes, divina inspirante clementia, in favorem ejusdem unionis, nostris jugi ardore ad ipsam flagrantibus vota unanimiter, ex- [a]

(a) Antonii.

ceptis pauciſſimis numero & qualitate, laqueo ſatanæ irretitis, conformia penitus reddidiſtis. Digne quidem omnes veſtræ præteritæ actiones laude multiplici, ſed laudum inexplicabilem cumulum hæc quæ in præſentiarum feciſtis opera mortales inter omnes gloriæque promiſſione æternæ apud cunctipotentem, cujus res agitur, vendicarunt. Nos vero penſantes quanto dignior ſit res maturis digeſta conſiliis, quodque plerumque conſiliorum prolixitas operibus brevitatem largitur, in agendiſque ſuccenditur quod dilatatur in otio, quamvis ardore quodam ab ipſo Jesu Christo nobis infuſæ caritatis citiorem ad concluſionem fuiſſemus incenſi; veſtram tamen hanc ſanctam operam eo majoribus attollimus laudibus, quo magis digeſtam totique populo Chriſtiano futuram in Domino confidimus: gratiarum actiones quas poſſumus veſtræ magnitudini referentes, ac Dominum Jesum Christum continuis orationibus propulſantes, quatenus veſtram rempublicam felicibus extollat, augeat & conſervet auſpiciis juxta vota, nihilominus univerſaliter & ſpecialiter nos favoreſque noſtros veſtro ſtatui continuis temporibus obnixius offerentes. Demum, magnifici domini, amici noſtri cariſſimi, quamvis ea quæ hactenus feciſtis, ſpem nobis in dies pinguiorem ſpoponderint, confidenter tamen veſtram magnificentiam requirimus & hortamur in Domino, rogantes affectuoſe, quatenus ea quæ circa ea ſancta cœpta pro bono unionis præfatæ minus completa ſuperſint, ad perfectionem veſtra prudentia jugi & ſolerti cura, prout ſperamus, faciat perduci ad magnificos dominos Senenſes & alios conterminos & circumvicinos cum ſcriptionibus, cum orationibus, omnibuſque aliis veſtræ prudentiæ viſis honeſtioribus modis hortari, quatenus ſe in operibus veſtris ſanctis aperto oculo ſpeculantes, ad itidem faciendum ſe diſponant. Quicquid enim per alios veſtris interceſſionibus & exemplis factum fuerit, ad laudum præconium vobis majus cedet. Nos vero & litteris & vocibus vivis, quantum cum Deo poterimus, eos & cunctos alios forte dormientes curabimus ad hoc pium & toti populo Chriſtiano ſalutigerum opus excitare: parati ſemper ad veſtra & veſtræ reipublicæ beneplacita, augmenta, & honores unanimi & promto corde. Datum Piſis, ſub priorum noſtrorum ſignetis, die XI. Februarii, II. indictione, MCCCCIX.

A B C D E

inconcuſſibilem ad ſanctam matrem eccleſiam Romanam ſemper habuiſtis, vobis aſcribitur. Nunc itaque temporibus exigentibus, ſi ad ejuſdem, proh dolor! tamdiu in ſciſſura vigentis unionem ſanctam, vobis & toti populo Chriſtiano ſalutiferam, vocati, antiquatæ veſtræ devotionis favores præbueritis, non dubitamus quod perpetuum laudum inter mortales præconium, ac æternam gloriam apud altiſſimum Dominum noſtrum Jesum Christum, cujus res agitur, vendicabitis. Quanto namque divina opera majores quam terreſtres cupiditatibus intenti labores pariant fructus, veſtro judicio ſubjicimus. Credentes indubie a cunctorum creatore datam notitiam, quatenus levorſum ad damnationem, & dextrorſum ad ſalutem æternam iter valeatis diſcernere. Pſeudo audivimus apud vos fuiſſe prophetas, qui pro parte domini Gregorii deteſtandiſſimi ſchiſmatis ſanctæ matris eccleſiæ nutritoris, novis & exquiſitis coloribus falſiſque prædicationibus populos veſtros præſtigiare moliuntur, quo de luciditſima dextraque ſalutis via ad ſiniſtram, videlicet opaciſſimam damnationis æternæ ipſi præcipitati vos omnes ſeducant. Habetis & a dextra noſtram devotionem Sancti Spiritus ignea caritate perfuſam, necnon magnificorum dominorum fratrum noſtrorum & amicorum communis Florentinorum, pluriumque ſereniſſimorum principum, ac famoſiſſimorum ſacræ paginæ ac legis tam canonicæ quam civilis profeſſorum ſententias, quæ omnes ad veram & ſalutarem viam exemplis efficaciſſimis vos invitant. Nos igitur veſtræ non minus quam noſtræ totiuſque populi Chriſtiani ſalutis cupidi, per aſperſionem ſanguinis noſtri creatoris, ac per antiquatam veſtram devotionem præfatam requirimus & hortamur, vos in eodem creatore affectuoſe precantes, quatenus veſtrûmmet non immemores, ad unionem prætactam veſtræ matris eccleſiæ vota una nobiſcum tamquam veri Chriſticolæ velitis & placeat dirigere. Ex hac enim pacis amœnæ dulcorem, potentiæ amplitudinem, ac libertatis ubertatem, necnon omnibus præponendam animarum ſalutem æternam, quam ipſe Deus cunctipotens omnibus eum imitantibus promiſit, conſequemini; ubi ſchiſma, ſi diutius, quod abſit, foveatur, nonniſi ruinam, omneque ſupplicium ac execrabilem corporis ſtragem & damnationem animarum toti orbi pollicetur. Demum ad veſtram magnificentiam de noſtra unanimi intentione ad plenum informatus R. P. D. Ludovicus epiſcopus Wlteranus præſentium exhibitor proficiſcitur, cujus verbis tamquam ex ore proprio noſtro prodeuntibus, ac omni veritate refertis placeat fidem indubiam adhibere. Datum, *ut ſupra.*

AD MAGNIFICOS DOMINOS SENENSES hortatoria, quod idem faciant.

MAgnifici domini amici noſtri cariſſimi, poſt ſalutem. Inter alias dotes quibus ab Altiſſimo veſter inſignitus eſſe populus prædicatur, pro non minori quidem devotio, quam

EPISTOLA
ad ſereniſſimum Francorum regem per magnificos dominos priorem, vexilliferum juſtitiæ populi & communis Florentinorum.

Declarant ſe ſubtraxiſſe obedientiam Gregorio papæ.

Anno 1409. Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chanvelin.

SEreniſſime atque glorioſiſſime princeps, & pluſquam metuendiſſime domine, domine noſter ſingulariſſime, quot labores jam in procuranda eccleſiæ unitate, poſtquam dominus GREGORIUS in ſummum pontificem aſſumtus fuit, pertulerimus, quot ad eum legationes hac pro re miſerimus, quam ſupplicibus verbis ipſum ad reintegrationem Chriſtianæ religionis adducere conati ſimus, quam ingenti pecunia eum propterea juverimus, qualia etiam idcirco ſecum quantaque egerimus, quoniam longam exigerent orationem, ſilentio præterire decrevimus. Satis enim nobis eſt, majeſtati veſtræ ſignificare, quod fruſtra omnia uſque in hanc diem tentavimus, & quod nihil noſtri ſancti conatus apud eum profecerunt. Quam ob rem viſum nobis expediens fuit ipſius eccleſiæ unitati, ut reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis cardinalibus utriuſque collegii hæreremus, qui, ut ſublimitati veſtræ notum eſt, ab eorum capitibus diſceſſerunt, prorſus deſperati ipſos de papatu contendentes ad ſanctam & neceſſariam Chriſtiano populo unitatem poſſe adducere, quoſve cernebamus pure & ſancte unitatem ipſam quærere. Hinc igitur eſt ſubſecutum, quod eis Piſanam civitatem pro ſancta & univerſali ſynodo congreganda conceſſimus, multis nos propterea periculis ſubjiciendo, quæ omnia ſubire non recuſamus, tum ut divinæ bonitati placeremus, tum ut huic tam magnæ, tam ſalutiferæ, tamque ſanctæ rei non deeſſemus. conati etiam ſumus pluribus noſtris legationibus ipſum dominum GREGORIUM adducere, ut ad hoc ſacrum & univerſale concilium vellet accedere; ſed nihil apud eum, qui in hodiernum uſque diem aures veritati clauſit, hæc vim habuere. Quare tandem cum a pluribus doctis & ſanctis viris admoniti eſſemus, non debere nos ei qui eccleſiam Dei vaſtaret, & in ipſius perniciem inveteratum ſchiſma nutriret, aliquam obedientiam præſtare, quoniam hoc faciendo mortali peccato animas noſtras occideremus, a præfato domino G. obedientiam omnem ſubtraximus, non tamen ſine conſilio cujuſdam particularis concilii, quod in noſtra civitate congregavimus, quorumdam prælatorum atque multorum ſacrarum litterarum utriuſque juris doctorum, qui centum & ultra fuere. Sed huic obedientiæ ſubſtractioni has conditiones adjecimus, quod non ante ſextum & vigeſimum diem menſis Martii proxime venturi, hæc locum haberet, ac etiam ut pro nihilo haberetur ac ſi ſubſtracta non eſſet, ſi infra dictum tempus ad præfatum ſanctum concilium ipſe Gregorius acceſſerit, & ipſius determinationi ſe ſubmiſerit, vel per ſe, aut per ſuum legitimum procuratorem, papatui antequam præfatus vigeſimus ſextus dies labatur, renunciaverit. Quam noſtram determinationem majeſtati ſerenitatis veſtræ idcirco notam facere decernimus, ut cognoſcat nos veros atque devotiſſimos filios veſtros ſublimitatis veſtræ veſtigia imitari, & ea impleviſſe, ad quæ dignatus eſt nos hortari, & per litteras & per egregios oratores majeſtatis veſtræ, cui nos humiliter commendamus. Datum Florentiæ.

CAPITULA DOMINI NOSTRI
papæ ad Florentinos.

Anno 1409. Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chanvelin.

IN nomine domini & glorioſiſſimæ genitricis Domini noſtri JESU CHRISTI Mariæ ſemper virginis Dominæ noſtræ.

Primo ambaxiatores ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, domini GREGORII divina providentia papæ XII. dilectis filiis ſuis prioribus artium, & vexillifero juſtitiæ populi & civitatis Florentiæ, ceteriſque civibus ejuſdem civitatis, apoſtolicam benedictionem & paternam ſalutationem exhibeant pro parte ſanctitatis ejuſdem.

Deinde dicant quod ſanctiſſimus Dominus noſter prædictus ſuſcepit ambaxiatam quamdam parte prædictorum dilectorum filiorum ſuorum, per nobilem & egregium doctorem oratorem eorum, dominum Stephanum de Bonacorſis in hoc effectu.

Primo quidem cum filiali reverentia viſitavit prædictum dominum noſtrum papam parte dictorum priorum & vexilliferi juſtitiæ & totius populi Florentiæ.

Secundum ipſius ſanctitati communitatem & populum Florentinum commendavit.

Tertio ipſi obtulit ipſam communitatem & populum in rebus poſſibilibus & honeſtis.

Quarto ſupplicavit & precatus eſt ſanctitatem ſuam, ut dignaretur ad concilium Piſas per utrumque collegium convocatum accedere, ut pax & unio in eccleſia ſequeretur.

Quæ quidem omnia & multa circa illa ſerioſe & eleganter in publico ſuæ ſanctitatis conſiſtorio narravit. Ubi benignam, ſerioſamque audientiam per dominum noſtrum ſuſcepit. Et quamquam multa quæ expedientia viſa ſunt, per præfatum dominum noſtrum & oratorem prædictum hinc inde pluribus mediis, reſponſionibus, replicationibuſque ventilata fuerint, velut notum eſt multis aſtantibus, & prout dictus eorum egregius ora-

tor poterit referre, tamen ad dilectum filiam suam communitatem Florentiæ dominus noster papa suos deliberavit transmittere oratores, suam intentionem responsuros super prædictis, præterea & quædam alia narraturos ut infra.

Primo quidem visitationem suscipit tamquam a dilectis filiis sanctitatis suæ & sanctæ matris ecclesiæ, & eis paterno affectu regratiatur.

Similiter quoque eorum recommendationem suscipit, eisque ut supra regratiatur.

Tertio, de oblationibus dictæ dilectæ filiæ suæ communitatis prædictæ paterno affectu & toto posse regratiatur, & certificat prædictam communitatem & dilectos filios suos cives universos populi & civitatis ejusdem, quod ad nihil aliud suscipit oblationes suas, nec illis uti vult, nisi ad ea quæ sint proficua paci unicæ & immaculatæ sanctæ Dei ecclesiæ sponsæ, & opportuna unioni populi Christiani, & ad ea quæ proficiant reipublicæ & commodo spirituali & temporali civitatis prædictæ, quæ sint insuper illi possibilia, juridica, æqua, honesta, & prædictæ communitati honorifica; dilectos filios prædictos paterne hortans, quatenus B. Petri sedis honorem conculcare nolint, tamquam catholici filii: sed & si qui conculcare præsumserint, ea potentia, quæ sibi a Domino tradita est, ad reprimendam malitiam resistere velint. In hoc enim putat tam Deo gratum, quam hominibus honestum & debitum exhortari.

Quarto, dominus noster papa miratur quod dicta communitas instet, quod Pisas accedat. Scit enim in ipsa civitate Florentiæ multos fore sacrarum scripturarum juriumque peritos, multos præterea prudentes, proboſque cives, unde ignorari non debet nec posset, quod concilium Pisas convocatum nullum est, quia præter, immo contra legitimam auctoritatem convocatum.

Quod etiam concilium taliter Pisas convocatum nullum est, quia naturæ concilii contradicit. Concilium enim a communi intentione dictum est, unde cum hoc non communi, sed particulari intentione vocatum est, concilium esse non potest.

Non potest præterea esse concilium, quia concilium quasi consilium dictum est. Unde quotiescumque prius terminatio fit quam consilium, concilium evacuatum est. Nunc autem quia manifestum est, eos qui Pisas se evocasse concilium dicunt, prius dominum nostrum papam exspoliasse obedientia, & plurimos concitasse, ut præfatum dominum nostrum de facto obedientia exspoliarent, antequam concilium sive consilium judicaverit ipsum exspoliandum; certum est ipsos auctoritatem concilii præoccupasse, & evacuasse concilii naturam, quia cum electio facta est, super eodem consilium frustra est. Non utique consilium potest esse electio, sed consilii finis. Unde cum consilium sit eorum quæ sunt ad finem, quomodo fieri potest, ut electio antecedat consilium; aut si electio manifesta fuerit, quomodo esse potuit post electionem consilium.

Ordo præterea & judicii natura perversa est per illos qui Pisis sunt, quoniam judicium ante latum est, quam de competente judice terminatum sit. Et si certum judicem fore illiusmodi concilium quod vocaverunt, admitteretur; manifestum est eos qui Pisis sunt, prius sententiam contra dominum nostrum papam tulisse, eum per orbem publice antiquati schismatis fautorem damnando & hæreticum, & obedientia quam possederat per xxx. annos & ultra exspoliando, alioque ut exspoliarent incitando, prout notorium est, antequam suus judex, si tamen judex dici potest, nedum actus opportunos præmiserit, ad sententiam legitime ferendam; sed etiam antequam judicandi causa sederit, & quod absurdissimum est, etiam antequam adsit judex quem expectant.

Et quamquam dicant, quod ideo eorum est concilium generale, quia ad illud utriusque obedientia concurret; respondetur, quod neque de jure, neque de facto eorum concilium potest esse universale. De jure canones attestantur; de facto manifestum est multos utriusque obedientiæ ad ipsorum conciliabulum non esse venturos.

Advertat igitur, requirit & monet sanctissimus dominus noster papa, tot proborum civium prudentia, qualiter eorum opinioni faveant, qui nec de jure nec de facto valent sanctæ ecclesiæ pacem exhibere modis quibus tentant.

Advertat ceterum attente, requirit & monet SS. dominus noster, tot proborum civium prudentia, quomodo & consulunt & eum deprecantur, ut Pisas accedat, & eorum se concilio submittat, aut illorum concilium approbet, qui conventuros ad concilium illiusmodi, non ideo vocaverunt, ut consulant, sed ut determinata ante concilium approbent, nec eos, ut auditis partibus & eorum discussis juribus judicent, vocaverunt; sed ut iniqui judicii approbatores & executores fiant.

Advertant quomodo eis faveant, qui pacem velle dicunt, & cum pacifici haberi possunt, jurgia quæ non expediunt excitant. Paratus est enim dominus noster papa servare sponte vota per eum jurata, immo paratus esset & est potius, mortem, si expediat, velle subire, quam juramenta frangere & vota.

Advertant quomodo illis faveant, qui papam cogere volunt, ut cedat juri suo, cum cessio non valeat & expediat, quod voluntaria sit non coacta.

Advertant quomodo illis faveant, qui cum universale velle concilium dicunt, & universale

sale de jure & de facto habere possunt; potius particulare quærunt habere, contradicente domino nostro papa, quam universale habere, ipso cum suis adversariis convenire volente, & universale congregare communi omnium consensu concilium.

Advertat eorum prudentia, quomodo illis faveant, qui sibi ipsis palam contradicere deprehenduntur. Dicunt enim quod dominus noster papa non vult unionem, & cum ipse velit, & operam, quantum in ipso est, exhibeat, ut fiat, ipsi contradicunt; & quod voluntarie & pacifice vult, ipsi suis sagacibus jurgiis destruere moliuntur.

Dicunt velle quod cedat, & dum ipse paratus sit juxta promissa sua sponte cedere, ut pax Romanæ & universali reddatur ecclesiæ, ipsi vim inferunt: & sic quod sponte facere vult, & quod sponte fieri potest, & sponte fieri debet, eorum violentia inficit & invalidat.

Dicunt quod concilium, etsi spectaret ad eum, quod adversa pars numquam suo concilio vellet interesse, universale esse non posset, & quia universale expedit concilium pro pace ecclesiæ; propterea modum servari oportet, ne propter hoc pax impediatur ecclesiæ. Nunc autem dominus papa attendens, quod licet concilium per ipsum convocatum de jure universale sit, tamen ne facti defectus, quantum in ipso est, unionem populi impediat & pacem ecclesiæ, contentus fuit & est, quod relictis juris apicibus, fiat communi omnium partium consensu congregatio & concilium unum, per quod pax ecclesiæ sanctæ reddi, & unio populo Christiano valeat. Ipsi vero qui universale concilium expedire dixerunt, nequaquam ei quod de jure & de facto est universale assentiunt, sed ne universale fiat contradixerunt hucusque. Et ne illud quod universaliter fieri potest & debet, omnium communi assensu fiat, toto posse laborant, particulare detestantes & particulare quærentes, juris veritatem & sanctiones importunas inquirentes, & noviſſimis jurium interpretationibus suam molientes deducere voluntatem.

Advertat insuper attente, requirit & monet Florentinorum catholica prudentia, si dominus noster papa bene faceret, si excusabilis in districto judicii examine redderetur, si sedem B. Petri institutione divina cunctis prælatam sedibus, his qui se utriusque collegii cardinales inscribunt, subderet, & futuris præberet audaciam cardinalibus, qui ipsius judicio submittuntur, judicem apostolicum ad judicium trahere, qui soli Deo & nulli hominum subesse dignoscitur, cujus causam & culpam a populo, ab augusto, & a clero Deus justus & omnipotens eximens, suo tantum voluit reservare judicio.

Advertat etiam catholicorum prudentia filiorum, si papa tenetur aut debet beati apostolorum principis Petri sedis stabilitatem impelli trahique permittere, & impellentibus trahentibusque assentiendo, occasionem præbere, viamque reclaudere, per quam sedes prædicta præsumatur concuti, in cujus stabilitate & firmitate universa fides fundata est, & potestas quiescit ecclesiæ. Cum enim XII. apostoli erant, soli Petro per Dominum non frustra dictum est: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo domum meam.* Et iterum ut fidei stabilitatem in eo demonstraret principaliter instituisse, inquit: *Petre, rogavi pro te, ut fides tua non deficiat.* Nec abs re putandum est sedem B. Petri cunctis sedibus fore prælatam, quia cum sedere mobilitatem sedentis excludat, & sedere potestatis & judicantis sit, & Petrus a petræ immobilitate dictus sit, valde dissonum est & protervum, ecclesiasticam potestatem in tanta stabilitate fundatam commovere, & quodammodo inexcusabilis redditur, qui fidei firmitatem, & ecclesiasticæ potestatis venerationisque quietem concitare audet, vel quod concutiatur assentit. Heu! quam magna impietas, quam insolens texitur periclitatio ecclesiæ, ut propter unius odium, vel ad satiandam plurium ambitionem, fideles discant fundamentum fidei concutere volentium tradere potestati.

Circumspiciat attente prudentia Florentinorum, & facile deprehendet, quis aut qui sint antiquati schismatis fautores, & novi schismatis suscitatores, vel per quem aut quos stat seu differtur, quominus pax vera reddatur ecclesiæ, & vera unio fiat.

Dicant qui sui erant, si dominus papa Gregorius verus umquam papa fuit, numquid poterat esse schismaticus, cum proprie schisma sit, quando fideles dividuntur a papa; vel si schismaticus papa sit, & antiquati schismatis fautor defendendo jus papatus & suum.

Et si sit, quare non ita dominus Bonifacius, & dominus Innocentius, cum tempore ipsorum schisma novum dici non poterat, sed antiquatum?

Et si illi etiam fautores schismatis fuerunt, quare de manibus illorum cardinalatum susceperunt, ad nutriendum schisma inveteratum, & ad fovendum schismaticos?

Et si dominus Gregorius numquam fuit papa, quare ipsi cardinalatum usurpant?

Et si dominus Gregorius hæreticus est, quia dubium sibi jus papatus servavit, quare non sic ipsi, qui pari ratione dubium sibi jus cardinalatus servantes servaverunt?

Dicent, licet in dubio dubium jus servare, quousque terminatum fuerit super dubio, aut aliter inter partes dubias pro unitate conventum fuerit, & sufficit toto posse insudare, ut dubium terminetur jure vel pacifica conventione, quare non fiat illi licitum sicut & fuit eis?

Vult dominus noſter papa realiter renuntiare, ſicut juravit & vovit, ut veram pacem veramque unionem eccleſia habeat & populus Chriſtianus. Diſcutiatur ergo ſolerter, & ſagaciter ventiletur, ſi dominus noſter papa a juſtitia & æquitate divina & naturali diſcedit. Et cum vera pax & juſtitia oſculatæ ſint, & pax vera abſque æquitate eſſe non valet, ſi dominus noſter a juſtitia & æquitate diſcedit, hoſtis pacis eccleſiæ habeatur: ſi vero juſtitiæ & æquitati divinæ & naturali ipſe hæret, alii vero ab omni juſtitia & æquitate diſcedunt, ipſi eodem judicio habeantur innoxii.

Videatur inſuper, ſi ipſe aliquid proprium quærit, unde merito ſuſpicari valeat, quod pacem eccleſiæ impediat, cum ipſe paratus ſit, ut ſupradictum eſt, propter veram unionem papatui renuntiare.

Inquirat orbis, qui ſcit multos etiam cives Florentiæ non ignorare, utrum nonnulli Piſis exiſtentium & aliqui qui ſe cardinales dicunt, multis illicitis promiſſionibus & viis papatum quæſierint & quærant.

Inquirunt illi unionem, juſtitiam & æquitatem divinam & naturalem confundere non verentes, ut papatum & magiſtratum in eccleſia, quocumque modo fiat, acquirant. Et ſecundum juſtitiam & æquitatem divinam & naturalem dominus noſter papatum relinquere procurat, & propterea damnandus eſt, & ipſi ſanctificandi erunt? O hominum immenſa juſtitia!

Attentis igitur prædictis, & quod dominus noſter paratus eſt operam cum effectu exhibere promiſſa ſua ſervando, & cetera quæ expediunt pro dicta unione exſequendo, quæ ſint ſecundum juſtitiam & æquitatem divinam & naturalem, & non ſint in conculcationem apoſtolicæ ſedis & fidelium ſuorum. Nam aliter divina majeſtas, quæ in ſede B. Petri quieſcit & fulget, ſuper terram læderetur, & dignitatum ordo, qui ab ipſo Rege regum & Domino dominantium inſtitutus eſt, confuſus perverteretur, & præterveniendi magnum exemplum & occaſio præberetur ſubditis adverſus Chriſtum Domini, quibus nullo modo aſſentire debet aut vult, nec intendit inſuper aſſentire aliquo modo, quod fideles a ceteris mirabiliter conculcentur, ne divina juſtitia injuſtorum oppreſſione lædatur, quod foret piaculum grande, & maximum dedecus apoſtolico throno inde redundaret.

Dilectos filios ſuos communitatis & populi Florentini cives univerſos requirit & hortatur in Domino, & per miſericordiam Domini obſecratur ſanctiſſimus dominus noſter papa, quatenus cum illis qui Piſis ſunt, & cum adverſario intercedere placeat, & taliter partes interponere ſuas, quod ad unum locum communem a partibus non præelectum, & venientibus ſtantibuſque tutum, qui illas habeat circumſtantias, quas canones & æquitas dictant, cum ipſo convenire velint, in quo fiat communi partium conſenſu congregatio & univerſale concilium, ubi paratus eſt intereſſe, & unionem cum effectu, promiſſa ſervans populo, dare, quantum in eo erit. Sperat enim, ſi veſtra interceſſione hoc fiat, fructus optatus pacis a Domino dabitur populo, votivus & expeditus, & rejectis ſcopulis juris & periculoſis involutionibus, quæ propter illa multorum Chriſticolarum animabus imminerent, reſecabuntur corporibus innumerabilibus diſcrimina quæ parantur, laudem jubilumque pacis poterit divinus populus decantare Domino cum Pſalmiſta: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Tunc florens civitas præter merita quibus florebat vere in excelſis, in terris florens prædicabitur & glorioſa.

Hæc enim dominus noſter papa paterno affectu, & cum grandi fiducia prædictis filiis ſuis exigit. Scit enim quanta poſſunt circa hæc, & præcipue cum illis qui Piſis ſunt; & ipſos quæ poſſunt facturos ſperat, attento maxime quorumcumque fidelium debito & proficuo, & attento quantum zelum erga unionem Chriſtiani populi & pacem ſanctæ matris eccleſiæ oſtenderunt.

Sperat inſuper prudentiam ſuam taliter ſe habituram, quod omni populo propalabitur, ipſos non unionem propter privatum commodum & loca ſua dilexiſſe; ſed propter unionem loca quælibet illi apta & æqua pariter diligere; non enim propter loca res, ſed propter res loca quærenda ſunt.

Et ne ſuſpicari valeat, quod ad dilatandam & ſubterfugiendam unionem dominus noſter papa mutationem loci quærat, contentus eſt dominus noſter papa, quod adverſarii ſuæ ſanctitatis unum virum eligant, qui ipſis placuerit, & ipſe ſimiliter unum eliget pro parte ſua.

Et quoniam dominus noſter papa quod ſupradictum eſt tota intentione peroptat, intendit virum eligere, cunctis rationibus diviſionem Chriſtiani populi, & ſchiſma Deo abominabile, & hominum exterminium odientem, & eccleſiæ ſanctæ pacem & unionem fidelium diligentem, non ſolum propter publicam utilitatem & commodum; verumetiam propter privatam; cui ſanctitas ſua injungere deliberat, ut locum eligat cum omni ſolertia & æquitate, rejectis cunctis cavillationibus & dilationibus. Et ideo cariſſime requirit & hortatur in Domino, prædictos dilectos filios ſuos, ut inſtare velint cum adverſariis ſanctitatis ſuæ, ut ſimiliter faciant.

Dolet inſuper paterno affectu dominus noſter cum prædictis filiis ſuis, de modis ſervatis Florentiæ his diebus adverſus ſanctitatem ſuam. Et primo dolet, quod concilium

quod congregaverunt ad deliberandum utrum eidem domino noſtro papæ deberet per ipſos totaliter auferri obedientia, fuit ex perſonis ut plurimum paſſionatis contra juſtitiam ſuæ ſanctitatis, & quorum plurimi aſſenſerant conſpirationibus & terminationibus contra ſuam ſanctitatem factis.

Deinde dolet de modo ſervato in formando & proponendo punctum, ſuper quo conſilium quærebatur. Modus quidem proponendi punctum, & quærendi conſilium, ſicut ſuæ ſanctitati relatum eſt, hic fuit: Vexillifer juſtitiæ in hæc vulgaria verba ſurrexit: *Stando nei termini del ſciſma come egli ſtanno, noi domandiamo ſe ſecundo iddio e la bona conſcienzia, & ſecundo la ragione ſiamo obligati a dare in tutto la obedienzia al miſero papa Gregorio perche in coteſto non vogliamo ſolo attendere la conſcienzia ma eciandio le ragioni, ne vogliamo piu la parte affirmativa che la negativa; ma ſtare intendiamo ſecondo ragione alle voſtre determinazioni.* Voces apparentes honeſtatis fuerunt; ſed ſi intentio & verba honeſtati conſonabant, non diu per proferentem infraſcripta abſconſum fuit. Inquit enim: *Et acioche ciaſchuni ſiano liberi nel parlare, & da niuno timore ſuggetti noi vi notifichiamo che gli e determinato per noi che niuno boulle apoſtoliche ſiano obedice ſotto la noſtra ſignoria ſiano obole per privazione de beneficii o per deceſſione de prelati. Ancora determinato habiamo che niuno denaro per collectori ſiano portati al miſero papa Gregorio.* Ex quibus ſatis comprehendi poteſt, quod conſilium ad utramque partem poſtulatum, ſolum illis qui obedientiam auferendam conſiliaturi erant, liberum factum eſt, immo ſatis aperte ſuaſum, aliis vero hæc libertas data eſt. Hæc ſuaſio præſtita libere pro veritate conſulendi, quod videlicet domini deliberationi ſe opponerent, ſi obedientiam dicerent non auferendam. Quis enim neſcit naturale fore hominibus, etiam amicos abſentes faciliter culpare, quos præſentes redarguere non auſerint. Quanto magis, ſi agnoſcant veritatem, cum dixerint, magiſtratibus diſplicere? Quis neſcit quod multi conſiliarii inveniuntur, qui vultum principis & actus ante examinant, ut quid applauſerint perpendant, quam rem diſcutiant, ut conſulant veritatem. Sat ſufficere debebat ad hæc mala prona ut plurimum conſulentium malitia. Verum ne propter ignorantiam peccarent, domino papæ jam oblatam eſſe per dominium Florentiæ poteſtatem apoſtolicam exercendi juriſdictionem in terris ſuis, & debitos apoſtolicæ cameræ proventus, palam dictum fuit. Quid ergo illi auferendum conſulere ſupererat, niſi ſolum papæ nomen, cum jam directo & utili dominio dominus noſter papa Gregorius eſſet exſpoliatus per eos. Dixerunt inſuper: *Ancora habiamo determinato che veruno generale de gli ordini de Mendicanti non poſſa eſſere offeſo ſotto la noſtra ſignoria.* Sed ſi libera dari volebat conſiliariis ad utramque partem facultas; quare non ſaltem additum fuit illis verbis: *Et determinato habiamo che a veruno de Mendicanti che vogliano vel conſigliate tenere la obedienzia de papa Gregorio, niuno de generali poſſa fare novitanei noſtri terreni.* Sed quanta cum honeſtate ulterius proceſſum fuerit verba referant. Dixerunt enim: *Gli e ſtato chiamato per voi il venerabile patre maeſtro Luca a coteſta congregazione e non e venuto, ben fara devenirve domam meglio haurebbe fatto ſe vi foſſe venuto oggi.*

Viſum erat ſupradictis verbis nomen papatus relictum fuiſſe domino noſtro papæ Gregorio; nunc autem cum dictum ſit: *Gli e ſtato chiamato il venerabile patre, &c.* dominium Florentiæ non habere in cardinales eos quos fecit cardinales dominus noſter papa, per ipſorum verba aſtantibus manifeſtum fuit; quod nihil aliud apud eos qui audiverint refert, quam quod ex tunc dominum noſtrum Gregorium papam non habebant in papam.

Quibus dictis, relatum eſt domino noſtro papæ per cancellarium veſtræ communitatis: Dilecti filii ſui priores artium & vexillifer juſtitiæ populi & civitatis veſtræ legere fecerunt inſtrumentum confectum ſuper tollendo ſchiſmate, tempore quo ad ſummum pontificatum dominus noſter Gregorius evectus eſt. Deinde præceptum fuit omnibus aſtantibus, ut redirent in craſtinum.

Hoc quidem ſumme placuit & placet domino noſtro papæ Gregorio, videlicet quod inſtrumentum illud lectum fuerit, & ſæpius perlegatur: quoniam diſpoſitus eſt quodcumque apparet in inſtrumento ipſo juratum, votum, & promiſſum integre & realiter obſervare. Et utinam adverſariorum ſuorum jura & debita a fidelibus debite diſcuterentur & cernerentur, ſicut jura ſanctitatis ſuæ indebite ventilata ſunt. Et utinam eorum ipſi cogerentur juramenta & vota ſervare, ſi nollent, ſicut ipſe realiter & ſponte paratus eſt, ſua juramenta & vota ſervare, quoniam pacem celerem & bonam ſine peccato & dilatione experiretur ſancta mater eccleſia.

Ceterum relatum eſt domino noſtro papæ, quod in craſtinum congregatis prædictis omnibus dictum fuit illis per cancellarium prædictum in hunc effectum: Ut omnes ſuper materia ſint magis docti & clari, volunt domini mei, quod dominus Laurenrius de Ridolfis primo loquatur pro utraque parte, nihil determinando. Poſt quæ ipſe dominus Laurentius tractatum quemdam, quem contra veritatem & juſtitiam domini noſtri papæ confecerat, recitavit: in cujus narratione licet quicquam concluſive non fuerit viſus aſſerere; tamen conatus fuit, quantum potuit, ut argumenta impugnantia contra defenden-

tia juſtitiam & veritatem vellicando præva- A lere viderentur.

Poſtquam vero ille conticuit, ut relatum eſt, ſurrexerunt multi & præcipue quidam qui interfuerant, quando de unione tractatum fuit inter dominum noſtrum papam & adverſarium ſuum, in multis malitioſis adinventionibus deducere conati ſunt, dominum noſtrum papam cum adverſario ſuo intrinſece de ſchiſmate non tollendo fuiſſe concordem. Secundo dicebant per dominum Gregorium tractatum unionis fuiſſe fractum. Idem aſſerebat ille qui ſe dicit cardinalem de Thureio, & multas alias cavillationes per domi- B num noſtrum papam & adverſarium ſuum ſervatas fuiſſe ad impediendam unionem, magnis fictionibus probare nixus eſt. Deinde facta aliquali reflexione, multi alii pulpitum aſcendentes, approbaverunt totalem obedientiam removeri debere a domino noſtro papa.

His omnibus ponderatis, videre videtur SS. dominus noſter in principio diſputationis illius, videlicet utrum ſibi deberet auferri totalis obedientia, an ne, licet non fuerit præmiſſa laudabilis & conſueta proteſtatio, tamen aliqualem conſuetudinem fuiſſe ſervatam, videlicet quod quidam ſurrexit, C & quæſtionem propoſuit, & per quemdam alium argutum fuit ad partem utramque. Sed cum ſoleant concluſiones poni, ille tacuit quod per alios quoſdam & per quem alias concluſum fuerat. Cum ſoleat inſuper ſolus unus concluſiones ponere, & quantumcumque veriſſimæ ſint, major pars aſtantium, etiam qui ſuper cathedram ſedet, pro elucidanda veritate concluſiones impugnare: exceptis tribus, quorum unus, ut relatum eſt, dixit ſibi non videri quod obedientia deberet auferri ſuæ ſanctitati, nec tamen aliter auſus eſt contradicere; alius vero inquit, melius eſt bene mori quam male vivere, & quod D habebat dominum Gregorium in verum papam. Alius obtulit ſe velle in fornacem ignis ardentis introire, ſi aliquis ex adverſariis domini noſtri papæ Gregorii ſimiliter introire vellet in teſtimonium veritatis. Nullus injuſtas concluſiones auſus eſt impugnare, nec inventus eſt inter tot illorum, qui divinas veritates cavillare conſueverunt, zelo ſtudioſitatis & exercitio intellectus, vel ut videantur ceteris ſapientiores, qui ſi non zelo veritatis, aliqua ſaltem hujuſmodi cauſa apoſtolicam juſtitiam, & principis apoſtolorum ſedem & thronum defenſare voluerunt, & ſapientia ad fallacias & ſophiſmata refellenda uſi fuerint, quam a Domino receperunt, ſed ad ſua deſideria coacervabant ſibi magiſtros prurientes auribus.

Verum quot vera & honeſta ibi propoſita & præſuppoſita fuerint, faciliter diſcutere volentibus innoteſcet. Præſuppoſitum enim ibi fuit dominum noſtrum papam Gregorium cum adverſario ſuo de ſchiſmate non tollendo fuiſſe concordem, & inde dictum eſt ipſum fautorem ſchiſmatis fuiſſe & hæreticum. Negatur propoſitio; antecedens probent ipſi qui aſſeruerunt, vel ſi probare non poſſunt, quod numquam poterunt, quia verum non eſt, unde ex antecedente hoc falſo concluſio vera? Et quamquam ſufficiat domino noſtro papæ negaſſe verum eſſe quod falſum eſt: tamen ut magis adhuc falſitas deprehendatur, & clare videri poſſit, quod ſua ſanctitas non fuit, nec concors eſt cum adverſario de non tollendo ſchiſma; quod dominus papa pluries dixit, iterum replicat, quod paratus eſt in uno loco communi cum ſuo adverſario convenire a partibus non præelecto, & venientibus & ſtantibus tuto, qui illas habeat circumſtantias, quas canones & æquitas dictant, in quo fiat communi partium conſenſu congregatio & univerſale concilium. Ibi paratus eſt intereſſe, & unionem cum effectu, promiſſa ſervans, populo dare, quantum in eo erit. Et ſi ille adverſarius ſuus venire recuſaverit, paratus eſt etiam abſque adverſario ſuo cum illis qui Piſis ſunt convenire in loco, prout ſupradictum eſt, & ſua juramenta & vota integraliter obſervare. Ex quo ſatis clare patet, quod cum illo concors non fuit, nec eſt de ſchiſmate non tollendo, prout aſſertum fuiſſe in illo conſilio ſuæ ſanctitati relatum eſt.

Audivit inſuper ibi dictum fuiſſe ſanctitatem ſuam fregiſſe tractatum unionis. Ad quod ipſe reſpondet, quod tunc non unionem multi tractabant, ſed conſpirationes & ſubverſionem veritatis, & deſtructionem perſonæ ſuæ. Quod vero hoc verum ſit, quot ſcandala e veſtigio pullulaverint contra ſuam veritatem & perſonam, opus probat.

Advertens igitur præfatus dominus noſter papa Gregorius, cum quanta animoſitate & injuſtitia in illo conſilio, quod tamen deliberatio præceſſerat, actum fuerit adverſus ſanctitatem ſuam, præter, immo contra omnem juris ordinem & æquitatem, doleat non de communitate & civium univerſitate, ſed de quibuſdam qui ſive ignorantia, ſive malignitate, ſive odio, cujus tamen parti ſui cauſam illis datam ignorat, ſive injuſto amore allecti, ſive iniquo pretio, aut illicitis promiſſionibus vendicati, veritatem & judicium ſubverterunt in offenſam omnipotentis Dei & apoſtolicæ ſedis, & perſonæ ſuæ ſanctitatis opprobrium, ſancientes contra principis apoſtolorum ſuc- E ceſſorem, & exequentes quod contra minimum clericum & ſubditum ſuum facere de jure & æquitate non poterant, nec debebant.

Ut videant inſuper dilecti filii ſanctitatis ſuæ cives Florentini, qualis & quanta honeſtas ſervata fuerit adverſus ſanctitatem ſuam, advertant attente requirit. Quæ enim lex præcepit, quæ æquitas ſuaſit, ut concilium illud ad inſtantiam adverſantium ſibi congregarent, & cum ſanctitas ſua non diſtet a civi-

tate Florentiæ ultra quam per tres dietas, nihil ſibi notificatum extiterit.

Quæ lex præcepit, quæ æquitas ſuaſit, ut ex tot adverſantibus ſibi & complicibus illorum admiſſi fuerint in concilio, & ſanctitas ſua minime requiſita fuerit, ut ſi unum ſaltem minimum vellet mittere, poſſet ipſos de ſua veritate & juſtitia informare?

Forte ad excuſandas excuſationes in peccatis dicent, vocatus fuit ad concilium prædictum cardinalis ſuus, & noluit intereſſe. Sed quomodo vocatus eſt dicatur. Intereſſe voluit tamquam legatus apoſtolicæ ſedis, & illo modo noluit admitti. Quid aliud hoc referebat, niſi quod aut legatus nolens opprobrium apoſtolicæ ſedis & perſonæ ſuæ, ideo intereſſe recuſaret, & ſic honeſtum vocationis colorem ſibi vendicaſſe niſi fuerint; vel quod ſi tamquam non legatus intereſſet, magis videretur patriæ voluntati & legi per eos jam ordinatæ aſſentire velle videri; & ſic ipſam injuſtam tamquam juſtam approbare legem, quam domini noſtri papæ Gregorii poteſtati credere, & ipſam patrio dominio præponendo defenſare.

Verum Deus omnipotens, qui abſcondita cordium conſilia manifeſtat, noluit ipſos longe ſuam honeſtatem abſcondere poſſe. Miſerunt enim ad ſanctitatem ſuam oratorem ſuum, narrantem quæ ſtatuta fuerunt poſt conſilium hujuſmodi, & certa, ſicut ſupradictum eſt, petentem. Sed quare non ſic antea?

Sed ut honeſtum adderent honeſtati, terminum dierum trium orator ipſe ſtatuit domino noſtro ad reſpondendum. Si vero infra dictum terminum dominus noſter papa non reſponderet, dominos ſuos aliter proviſuros aiebat. Prævifi fuerant adverſantes domino noſtro papæ per hebdomadas, ut conſuetum eſt ut plurimum. Triduo longior terminus furibus & homicidis & aliis reis & damnandis ad mortem ſolet indulgeri, & apoſtolorum principis ſucceſſoris veritas, juſtitia, & poteſtas tanta ignominia, tantoque dedecore præſumitur conculcari. O bone Jesu, qui dixiſti fideli tuo Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eum, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, attende & miſerere.

Nec licet tam abominabilis injuſtaque fuerit prædicti præfixio termini, adhuc eo modico differri potuit. Nam miſſæ ſunt literæ cunctis qui in curia ſanctitatis domini noſtri erant ſubditis prædictæ communitatis, magnas injungentes pœnas, niſi a prædicta ſtatim diſcederent curia; quæ literæ datæ ſunt Florentiæ XVIII. Februarii. Die vero eodem, oratore Florentinorum diſcedente a præſentia domini noſtri: O magna honeſtas! A ô honeſte expectata reſponſio!

Quoniam vero dominus noſter papa Gregorius magnam, immo maximam offenſam in omnipotentem Deum, in apoſtolicam ſedem, & in ſeipſum ſuſcepiſſe viſus eſt, dilectam filiam ſuam communitatem Florentiæ ſuoſque cives hortatur, requirit & monet in Domino, ut velint & operam adhibeant, quod quia contra juſtitiam & æquitatem de facto exſpoliatus fuit obedientia quam poſſederat per XXX. annos & ultra, in prædicta civitate & dominio ſuo, de facto reſtituatur in ipſa; quoniam exſpoliatus eſt de facto, ante omnia debet reſtitui.

B Sperat enim ſanctiſſimus dominus noſter papa Gregorius, immo certus eſt, quod niſi ſeducti fuiſſetis per quoſdam, numquam hoc ſcandalum eveniſſet. Certus inſuper eſt, quod ſi ſanctitatis ſuæ volueritis veritatem & juſtitiam, juxta veſtrum debitum, audire, de ipſa plene informati malignantium fallaciis confuſis, veritas & juſtitia domini noſtri papæ Gregorii apud vos glorioſa venerabitur.

DIFFICULTATES

adverſus concilium Piſanum propoſita, & ante ejus celebrationem ſolvenda.

C QUia in concilio univerſali poſſent duo de papatu contendentes, ſeu ipſorum alter, vel ipſorum ſequaces movere dubia, & dare exceptiones quæ ſequuntur: Ideo ſuper illis eſt habenda ante diem concilii matura deliberatio. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.*

1 Et primo forſan dicetur & excipietur, quod cardinales non potuerunt de jure vocare concilium, ſed potius ille qui gerit ſe pro papa in parte ſua. Et hoc videtur habere colorem per §. *Huic etiam* XVII. di. & omnia jura illius diſtinctionis. Et ſi huic dubio clare non ſatisfiat, non cenſebitur eccleſia congregata, nec eſſe ibi concilium, ſed potius conciliabulum, & ſic nullius auctoritatis, juxta cap. *Multis* XVII. di.

2 Item, poſſet moveri aliud dubium, ſi quilibet qui pro papa ſe gerit, petat ante omnia reſtitutionem propter ſubtractiones & neutralitates ſibi factas. Talis petitio videtur habere colorem per §. *Item Symmachus* II. q. VII.

3 Item, poterunt dicere prima facie contendentes, quod poſito quod cardinales poſſint vocare concilium, vocatio iſta eſt nulla: quia ſpoliatus epiſcopus ex quacumque cauſa vocari non poteſt de jure ad concilium, niſi primo fuerit reſtitutus, nec de aliquo crimine agi contra eum, ut volunt jura per expreſſum III. q. I. & II. q. II. & iſta eſt una exceptio, quæ prima facie videtur juridica per dicta jura, & in qua Benedictus ſe fundavit tempore alterius ſubtractionis; & niſi iſti dubio ſufficienter reſpondeatur,

concilium nullius effectus redderetur.

4 Item, posset moveri dubium: Si Benedictus vel Gregorius in concilio peterent subtractos vel neutrales repelli a concilio, tamquam ibidem vocem non habentes. Ista petitio videtur habere colorem per §. *Huic etiam* xvii. dist. & quia subtracti seu neutrales spoliantes per hoc papam, censentur esse inimici juxta jura vulgata, & sic veniunt in concilio ut pars, non autem ut judices vel vocem habentes. Et istud dubium est forte.

5 Item, si in concilio ostendatur aliquid contra alterum vel utrumque contendentium, propter quod desierit esse papa, ut puta hæresis cum pertinacia; tunc est planum quæ agere possit & debeat concilium, juxta c. *Anastasius* xix. di. & c. *Acacius* cum glossa xxiv. q. 1. Si autem non probetur aliquid vel dicatur propter quod alter ipsorum papa esse desierit, etiamsi probaretur hæresis sive pertinacia, videtur quod concilium non possit ipsos abjicere a papatu per c. *Ejectionem* lxxix. di. xl. di. *Si papa*, & c. *Incautum* xxi. di. cum ibi notatis per gloss. Et in isto dubio multa sunt consideranda & avisanda.

6 Item, poterit moveri dubium, quod licet isti duo contendentes sint negligentes in extirpatione schismatis, vel non servent juramenta & vota; ex hoc schismatici non sunt nec esse possunt, ex quo membra sibi obedientia a sua communione non abjiciuntur, per c. *Non vos* xxiii. q. v. & per diffinitionem quam ponit B. Thomas 2. 2. ubi tractat de Schismate, & idem Alexander de Hales liv. ii. ad fin. ubi etiam tractat de Schismate.

7 Item, posset moveri dubium, quod licet isti contendentes ex præmissis possent dici schismatici; tamen per hoc ille qui papa verus esset, non desiviſſet ipso facto esse papa, nec papatum amisisset prætextu qui habetur in c. 1. in fin. de Schismate. Et sic talis qui non defuisset esse papa, licet schismaticus, à concilio non videtur posse dejici.

8 Item, si dicatur quod isti sunt schismatici, & schisma inveteratum transit in hæresim, hoc non videtur habere locum, nisi ostendatur, quod aliquam in schismate confingunt hæresim. Et dicit Hieronymus in c. *Inter schisma* xxiiii. q. iii. & præcipue quia duobus contendentibus de papatu, quorum quilibet credit penes se ecclesiam, schisma non transit in hæresim, juxta notam per glos. xxiv. q. x. in prin.

9 Item, posset moveri aliud dubium, quia posito quod diceretur, quod isti ex enormibus criminibus & notoriis scandalizant ecclesiam, de quibus sunt incorrigibiles, ex hoc sunt dejiciendi, sicut pro hæresi, juxta glos. c. *Si papa* xl. di. Illa glossa usquequaque non est vera, & reprehenditur, juraque allegata ibidem non probant intentionem glossæ.

10 Maxime quia ex hæresi largo modo sumta papa non dejicitur, nisi sit hæresis contra fidem & articulos fidei, ut notatur per glos. lxxix. di. *Si quis pecunia.* & multi doctores solemnes illam glossam sequuntur.

Quare nisi prædictis dubiis clare satisfiat, concilium de facili posset impediri & dividi, & sic nullus bonus sequeretur effectus.

11 Item, est avisandum quis modus agendi servabitur in concilio contra utrumque contendentium in ipsorum vel alterius contumaciam: casu scilicet quod non compareant, vel si compareant, renunciare nolint per se vel procuratores, videlicet utrum procedatur per accusationem, inquisitionem vel denunciationem.

12 Item, si deliberetur per accusationem, quis accusator; si per inquisitionem, quis promotor; si per denunciationem, quis denunciator, & qui testes erunt producendi, & quæ litteræ seu instrumenta ad probandum contendentium culpam, delictum, & negligentiam.

13 Item, posset moveri dubium, si contendentes non veniant, & quilibet ipsorum habeat multos sequaces & adhærentes, quid fiendum tunc per concilium: quia si post concilium cardinales utriusque collegii eligunt aliquem in papam, erunt tria schismata & tria capita in ecclesia de facto; & sic majus schisma. Et ideo oportet, quod in isto bene avisetur & plene provideatur, ne ex schismate alia schismata oriantur.

14 Item, quia dominus Benedictus & Gregorius ordinaverunt, quod teneant concilia suæ obedientiæ, utrum per hoc possint impedire de jure vocationem faciendam per cardinales. Videtur prima facie, quod sic; quia cardinales non possunt convocare, nisi in ipsorum defectum, & ipsi nunc videntur supplere defectum.

15 Item, videtur competere domino Benedicto legitima exceptio, si vocetur ad locum, qui sit extra suam obedientiam, per jura vulgata 11. q. vi. cap. 1. & 11, cum similibus.

16 Item, poterit dicere dominus Benedictus in concilio, quod ipse acceptavit viam cessionis, & ad locum Saonæ conventum accessit, & non stetit per eum, sed per Gregorium, quominus pax daretur per viam cessionis; & hoc est notorium.

17 Item, potest dicere quod ex post venit ad Portum-Veneris, & requisivit adversarium per nuncios & litteras de cessione facienda, & obtulit loca etiam obedientiæ Gregorii: quæ omnia fuerunt per Gregorium refutata; & hoc est verum.

Ex his videtur posse concludere, quod in facto schismatis non potest sibi imputari negligentia, dolus, vel contumacia, & sic concilium nihil potest facere contra eum.

18 Nec obstat si dicatur quod imputan-

dum eſt ſibi, quia non obtulit ſe renunciaturum per procuratorem propter diſcordiam locorum vitandam, quia poteſt hoc excuſare; quia in renunciatione facienda per procuratorem, poteſt intervenire fraus tacitæ renunciationis ſeu occultæ, quæ etiam non intimata parti, renunciationem redderet nullam, juxta notam in c. *Ex parte decani*, de reſcript. de procura. mandato, & de renuncia. c. *Cum illuſio*, in cle. & ibi gloſſa ordinar.

19 Item, poterit excuſare, quia adverſarius publice dixit, quod ad renunciationem faciendam non procederet per procuratorem, & ita fruſtra offerret quod adverſarius acceptaturus non eſſet. Ex quo videtur quod nullatenus ſibi valeat imputari, pro eo quod non obtulit ſe renunciaturum per procuratorem, maxime quia in cauſa tam ardua non tenetur procuratorem conſtituere, juxta cap. *Querelam*, de procura.

20 Nec obſtat ſi dicant, quod domino BENEDICTO poteſt imputari duratio ſchiſmatis, eo quod repente receſſit a partibus iſtis, & ad longinquas partes, non diſpoſito de facto unionis; quia poterit hoc excuſare, videlicet quod fecit neceſſitate compulſus, & propter metum juſtum, qui cadit in conſtantem virum; & hoc eſt ſatis notorium.

21 Item, videtur quod ex eodem metu poſſit ſe excuſare ad hoc quod non veniat ad locum concilii, cum tranſire ipſum oporteat per terras ſubtractorum & neutralium, & ſic inimicorum ſuorum, qui eum perſequuntur, etiamſi darentur litteræ de ſalvoconductu; & ita videtur quod convocatio quæ fiet ſit nulla, & quæ fient per concilium erunt irrita.

22 Item, videtur quod ex præmiſſis ſi requiratur, ut aſſenſum præbeat concilio, quod ipſe poteſt recuſare rationabiliter, nec diſſenſus in tali caſu habebitur pro conſenſu, nec habebit locum, quod notatur per Jo. de Conſti. c. primo ſuper verbo *Rationabilia*, & per Archid. XVIII. di. in prin. per gloſ. LXV. di. c. primo; & ſic videtur quod concilium nullas vires habebit.

23. Item, videtur quod ipſe GREGORIUS juſte poſſit contradicere huic vocationi, & concilium totum recuſare, quia cardinales utriuſque partis vocant ad concilium & admittunt ſubtractos ab obedientia utriuſque, & quia utrumque perſequuntur & ſpoliant. Et iſta cauſa recuſationis & contradictionis videtur juſtiſſima, juxta jura vulgata III. q. I. quaſi per totum; & poterunt ipſi dicere rationabiliter: Inimici noſtri conſtituuntur judices.

24 Item, ſi dicatur quod concilium ordinabit, quod dominus BENEDICTUS cedat, poterit reſpondere, quod paratus eſt, ſi alter cedat. Et ſi dicant quod cedat, etiam altero continuante, quia contumax abjicietur per eccleſiam, poterit reſpondere, quod adverſarius abjicietur verbaliter & non realiter, & ſic remaneret eccleſia incerta in ſchiſmate: quo remanente, ipſe dominus Benedictus non tenetur cedere. Immo ſi cederet, peccaret, juxta notam III. c. *Quam periculoſum*, VII. q. I.

25 Item, Iſtæ eædem exceptiones & rationes videntur competere GREGORIO, caſu quo dominus BENEDICTUS eſſet contumax.

Præmiſſæ cauſæ & multæ aliæ, quæ poterunt ſuboriri forte majores, reddunt exitum iſtius cauſæ valde difficilem & periculoſum, niſi prudenter advertant, & omni affectione depoſita ſecundum Deum procedatur.

ANONYMI EPISTOLA
ad cardinales Piſis congregatos.

De mutando Piſarum loco pro concilio celebrando.

IN nomine Dei omnipotentis, cujus Trinitas, videlicet Pater, Filius, & Spiritus-ſanctus, in unitate perfecta, glorioſiſſima & æterna vivit & regnat.

1 Mandatum eſt, reverendiſſimi patres & domini: *Honora matrem tuam.* Cujus quidem honoris exhibitionem non ſolum in exteriori reverentiæ cultu, ſed etiam in ſubventione circa incumbentes opportunitates attendendam fore Dominus ac Redemtor noſter JESUS CHRISTUS Phariſæorum calumniæ reſpondens, terminat ſic: Deus dixit ſic: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Et *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri aut matri, munus quodcumque eſt ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum aut matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Super quo beatus doctor Hieronymus ita inquit: Honor in ſcripturis non tantum in ſalutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemoſynis ac muneris oblatione ſentitur. *Honora*, inquit Apoſtolus, viduas quæ vere viduæ ſunt. Hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: *Presbyteri digni habentur duplici honore, maxime qui laborant in verbo & in doctrina*, & per hoc mandatum jubemur, ut bovi trituranti os non claudatur, & dignus ſit operarius mercede ſua. Quantum enim mater dignior eſt, tantum ſibi major a filiis honor debetur. Quoniam autem eſt dignior corpore ſpiritus, ſpirituali matri quam corporeæ majori honore tenemur. Corporea namque mater ad eſſentiam vitæ corporeæ expedit, in qua juxta B. Job ſententiam, continue morti ſubjicimur, in qua multis replemur miſeriis, & numquam manentem aſpicimus ſtatum, ſed de utero ad tumulum in inſtanti transferimur, in patre ſuſcipientes putredinem, vermeſque pro matre atque ſorore amplectentes, cui ſi pro miſero mem-

brorum ergaſtulo & repugnante menti lege, quæ ab adoleſcentia prona eſt ad malum, quæ ab ipſa matre accepimus, divino obligamur mandato jureque naturæ, quantum nos obligatos debemus conſiderare, honorem exhibere ſpirituali matri, quæ nobis expendit ut renaſcamur in Chriſto, & eſſentiam vitæ adipiſcamur cæleſtis, ubi angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere, incircumſcriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari, qualia & quanta ſint gaudia mens conſiderare & lingua explicare non ſufficit.

2 Non ſatis vero fore, quam a carnali ſuſcipimus parente generationem, ut ex hac corruptibili, quæ eſt mors potius dicenda quam vita, ad immenſam, ineffabilem æternamque cæleſtis regni gloriam advolemus: Sed regenerationem oportere magiſter Veritatis Nicodemum inſtruens, his cenſet verbis: *Amen, amen, dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt naſci homo, cum ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris iterato introire & renaſci? Reſpondit Jeſus: Amen, amen, dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* Quæ etenim mater illa ſit, quæ nos pariat & regeneret in cælo, Galatis Apoſtolus inſinuat: *Illa autem quæ ſurſum eſt Jeruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim: Lætare, ſterilis, quæ non paris. Erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum.* Hæc autem mater noſtra quot quantiſque calamitatibus laboret Job dixiſſe videtur: *Utinam appenderentur peccata mea in quibus iram merui, & calamitas quam patior, in ſtatera: quaſi arena maris hæc gravior appareret, unde & verba mea dolore ſunt plena, quia ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Quot autem filios uſque adhuc miſeratiores invenerit, quorum ſaltem affectus profuerit effectui, proh dolor! res oſtentat, ita ut dicere poſſit adverſus proprios filios in utroque homine: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nuda, & non operuiſtis me; infirma & in carcere, & non viſitaſtis me.* Eſuriem namque paſſa eſt, & ſitivit non una die & nocte, ſed pluſquam triginta annorum curriculis ſemper in gemitibus fuit, propter flendum ſchiſma. Panis & vini materialis & juſtitiæ, hoſpes eſt læſus ab hoſpite, ſtratus eſt in lacu miſeriæ & in luto fecis, quodque ſi dixerit conſolabitur me lectus meus & relevabor, loquens mecum in ſtratu meo, tenebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concutiens veſte laniata, frigus materiale ſpiritualeque per omnia membra illapſum, totum corpus tanta frigiditate complevit, ut omni vitæ calore rejecto, non remanſerit in ea anhelitus, nec ſpiritus vitæ, qui eſt caritas Dei & proximi. Infirma, juxta illud Iſaiæ: Omne caput languidum & omne cor mœrens. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Vulnus & livor & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. In carcere tali, quod de ea verificatum eſt illud Jeremiæ: *Occidit rex Babylonis*, quod interpretatur rex confuſionis, *filios Sedechiæ*, quod interpretatur filios juſtitiæ Domini, vel juſtificantis Dominum, *in oculis ejus, & omnes nobiles Juda*, quod interpretatur omnes nobiles confitentis vel juſtificantis Deum. *Oculos quoque Sedechiæ eruit, & vinxit eum compedibus, ut adduceretur in Babylonem.* ubi vere juſtitia & juſtificatio, confeſſio & glorificatio Domini reperietur, niſi in ſancta Jeruſalem quæ eſt mater noſtra? Quis autem inventus eſt in caris & notis ejus, qui in tantis gemitibus & anguſtiis conſolentur eam? qui inventus fuerit ſine macula, qui poſt aurum non abierit, qui non ſperaverit in pecunia & theſauris ejus: certe beatus erit vir ille, & laudabimus eum, quia fecit mirabilia in vita ſua. Poteſt quippe mater noſtra vere dicere: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt, & qui juxta me erant de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.*

3. Hæc itaque attendens, reverendiſſimi patres & domini, CAROLUS filius & ſervus ſanctæ matris eccleſiæ, & agnoſcens ſe multiplici ratione obligatum, quodammodo ſe inexcuſabilem judicaret divini violatorem præcepti, ſi tantum diſtuliſſet pro ſacra unione laborare, ſufficientiores tamen cernens inſtare, diſtulit veritus præſumtionem. Interea quoque cum membra magna capiti deſervirent, ne ipſum nimium a parvorum obſequio vacaret, laborare viſum eſt paci Longobardiæ in ſtatu dominorum Mediolani, papæ, & Mantuæ, quos patres eorum ſub ſua gubernatione reliquerant. Dum vero Mediolani foret, requiſitus per Antonium Spalatinum a domino GREGORIO papa, videns ſe modicum prodeſſe eccleſiæ redeundo, multum vero deſcendendo patriæ illi & dominis obeſſe, ſupplicavit ſe excuſatum haberi, addens ſe & quæcumque relicturum, ſi videretur eccleſiæ profuturus.

4 Videns tamdem laborantes unioni quodammodo deſiſtere, requiſitus iterum, hortato primum domino papa, ad unionem tamdem rediit Ariminum, diſpoſitus ſanctæ matris eccleſiæ & dominæ ſuæ in omnibus & per omnia commodis & obſequiis. Ut autem otioſum rediens iter non ageret, Venetos hortatus eſt, ne pro unione laborare ceſſarent, quos

quos optime disposítos invenire visus est, A suum deliberantes transmittere oratorem, operaturum quod unum & non plura concilia fierent. Dominum quidem papam, postquam rediit Ariminum, requisitus ab eo quod ipse reciperet, ibi hortatus fuit ad unionem cum effectu, quantum in illo fuit: quod si non intenderet unioni, supplicavit ne illuc accederet. Orator autem collegii obedientiæ Romanæ dominus SIMEON Carolum hortatus fuit, quod nollet favores ullos impendere domino GREGORIO perjuro, fautori antiquati schismatis, nec vellet eum Arimini suscipere. Cui respondit, quia omnino dispositus erat & est partem jus faventem fovere, ei videbatur expediens de his quæ in facto acciderant informari, quoniam in hoc ex facto jus oriebatur: & interea non ægre ferri rogabat accessum papæ Ariminum, quoniam utilis esse potius poterat, quam inutilis. Et medium pacificum præstantius persuadebat ad ecclesiæ pacem, quam involuto jure novas dissensiones parere. Ne vero dominus papa Perusium diverteretur, quia illuc profecturus dicebatur, quod ecclesiæ paci non profuturum cogitabat, ad Burgum sancti Sepulcri properavit, & ipsum sociavit Ariminum, Ariminumque, cives & se obtulit ad utilitatem & pacem Domini nostri JESU CHRISTI fidelium. Pervento siquidem domino papa Ariminum, indulta senio quiete, ipsum papam hortatus fuit ad congregandum dispersas oves in ovili uno, quia ejus præcipue tamquam pastoris intererat. Papa vero justificato desiderio, & mediis per eum servatis, conquestus est per vos omnem sibi præclusam fuisse foreque viam, quam intenderat & intendebat pro pace ecclesiæ. Inter quæ dominus B. legatus Bononiæ missit ad Carolum, alludendo sibi de adventu papæ Ariminum, quia sperabat paci profuturum, illumque ad ipsam hortatus fuit; præsertimque papæ ad cessionem persuadendo. Cui pro optata sibi valde unione Carolus se toto posse acturum obtulit, & universale concilium, viam divina dispositione paratam commendavit, commendatque; & ad illud & non particularia rogavit dominum B. ut sacrum vestrum cœtum hortaretur in loco partibus & concilio turo & condecenti conventurum. Postquam enim papam hortatus fuit ad unionem, & ille se sponte liberaliterque ipsam velle dixisset, cum ad concilium universale cum suis adversariis convenire deprecatus fuit. Cui cum papa respondisset, ad se de jure spectare convocare concilium; replicavit Carolus unionem sponsæ Dei expedire, cui nimis contentiones obfuerant. Denique ut conclusionem Carolus experiretur de locis tractando, Pisas dominus GREGORIUS omnino respuit, tamquam a parte prælectas, nolens suis juri & dignitati derogari. Dixit insuper non liberas concilio, ut decebat; sed tamen aliis locis per Carolum nominatis assensit. Inde gavisus fuit responso, non titubans potius a sacro cœtu vestro obtenturum, quam obtinuisset a domino papa, quia absens audierat zelum vestrum circa unionem. Tamen dominum cardinalem tunc legatum Bononiensem, & Malatestam fratrem suum exoravit, ut ratiocinatis assensum deprecarentur, & suos distulit oratores mittere, ne introire videretur in labores eorum. Sed audiens negativam per dominum Jacobum de Isolanis, per ipsos oratores experiri deliberavit, & exclamando insuper, doluit & dolet sanctæ Dei sponsæ matris & dominæ suæ vituperio, in B qua non solum duo capita apparent, sed illa insimul certare, & illa cum humeris, & cum illis humeros cernitur. Exclamans itaque Dei severitatem placari & ejus patientiam exsurgere, deprecatur non inspiciendo principum peccata, sed inopum miseriam & gemitum pauperum. Mortem insuper fidelibus pro vita optandam potius his miseris diebus fore dicit, patrum exempla observantibus, quam gentis suæ opprobrium pati.

2 Excusat igitur se, si bis negata repetit, quia ad hoc honestum suadet, allicit utile, C & opportunitas cogit, spesque ipsum reddit audacem. Nam cum Dominus dicat: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis*, quoniam nullo modo credere potest in sacro cœtu vestro, uno saltem carere amico, quia diligit omnes, & amor reciprocus naturaliter est, quoslibet se amicos habere putat, cum omnes vos unius voluntatis esse audierit, & per vestras scripturas inspexit. Et quia populus Dei amicus suus ad eum venit de via, non per viam, nec in via, quia quicquid dicatur, nondum D in via, nec per viam unionis esse videtur. Carolus vero non habens quid poneret ante illum, venit ad amicum deintus sacrum cœtum vestrum, quem cum servus sit, amicum vocavit, quia amor æquat omnia. Et media nocte ad eum venisse dicit, tres petens panes sibi pro amico commodari, id est tempore maxime potestatis malorum, quia sol obscuratum est, & luna lumen non præbet, & stellæ de cœlo ceciderunt, & solum in regno militantis ecclesiæ judicium tribulationis, quæ per crucem designatur, apparet. Panes pro saturitate amici petiti sunt & petuntur, æquitas voluntatis, æquitas loci, & æquitas temporis. Æquitatem voluntatis necessariam probat, quia sine æquitate bona voluntas haberi nequit, & *gloria in excelsis* canentibus angelis, pax nonnisi hominibus bonæ voluntatis annunciatur in terris. Alter petitur panis æquitatis loci, quæ attendi debet, ut personarum non inficiatur dignitas, æqualitas sit laboris, venientibus iter tutum, consiliantibus plena consulendi libertas, a timore secura, a seductione præmiisque longinqua. Et si alias fuissent communes Pisæ,

quia aperte præter & contra aliorum conſen- A
ſum ad concilium electæ fuerunt, communes
non videntur, quoniam juri & dignitati eo-
rum, qui electioni illi non aſſenſerunt, ſi aſ-
ſentirent, derogari appareret. Dominum au-
tem Gregorium liquet vocatum fuiſſe Piſas
etiam cum comminationibus; ſic Piſas etiam
fuiſſe electas per vos ad concilium, præter
aliorum conſenſum. Unde apparet eo aſſen-
tiente dignitatem inſici, quia dignitatis & po-
teſtatis veneratio inficitur, ſi minori major ſe
ſubjicit, impreſſus timore vel viribus. Loca
quidem, ad quæ ſi partes acceſſerint, propo-
ſuit & proponit, ſcilicet Bononiam, Forli-
vium & Mantuam, quæ non ſunt a partibus B
prælecta, unde non juri derogatur ipſarum
nec dignitati, & ad quorum aditum iter tu-
tum quibuſvis partium manifeſtum eſt. De
Arimino namque, quamvis ſit tutiſſimum,
liberrimumque, & diu eſt ſanctæ matris ec-
cleſiæ & devotum, nullam vel parvam men-
tionem propoſuit facere: nullam, inquit,
quia nihil pro ejus electione proponere, nec
in aliquo inſiſtere intendit, quod unioni quo-
modolibet obſtare valeat: parvam vero, quia
nec omnino nominare voluit, nec illud
quod eccleſiæ eſt, quodque pro eccleſia gu-
bernat, & ultra ſeipſum ſancta mater eccle-
ſia ſua, ſi non offerret, ignoraret ſuis prom-
tiſſima honoribus & obſequiis jugiter fore, ſi-
cut & ſunt. Sed quia dominus GREGORIUS
papa illuc primus acceſſerat, ex indecentia
& non apparenti æquitate ſuſpicabatur ei qui
dicitur dominus BENEDICTUS, & unito veſtro
ſacro cœtui parum acceptum. Verum circa
hoc non ſilendum deliberat reverentiis veſ-
tris, quod ſi divina inſpirante gratia, locus
ille Arimini paci eccleſiæ & populi Chriſtia-
ni commodus appareret, ſecundum quam-
libet diſpoſitionem & conſenſum partium
promtiſſimum offert. Atque propterea ſi pro
ſecuritate & concilii libertate viſum fuerit al- D
teri partium expediens, filium ſuum, quem
ſibi reputat unigenitum, GALEOTTUM obſi-
dem offert, nedum in Galliis, ſed ſi opor-
tuerit, ubique uſque ad ultimum terræ. Pro-
poſita nempe loca tantum eſſe concilio vel
fieri poſſe ſecura dicit, quantum eccleſia uni-
verſalis deliberabit. Ait inſuper incongruum
fore ſpiritualem eccleſiam poteſtati ſubeſſe
temporali, & multum differre, ſi tempora-
lis a ſpirituali juriſdictionem ſuſceperit & po-
tentiam, an ſi ſpiritualem tantum in loco
concilii poſſe & velle oporteat, quantum ſæ- E
culari placuerit. Nec ſibi contradicere pute-
tur, quia propoſuit Mantuam, licet ſit im-
periali juriſdictioni ſubjecta, & immediate
gubernetur a domino temporali: quia impe-
rium dependet a papa, & quia imperator fi-
lius eſt eccleſiæ, defenſor & advocatus; &
quia qui Mantuam gubernat, vaſſallus eſt
propter comitatum Gonzagæ, & aptus ip-
ſius regimini, ſecundum omnem ei poſitio-
nem univerſalis eccleſiæ, ipſi propter hoc tra-
dere. Etenim quia forſan Carolo poſſet op-
poni, quod domino Gregorio non prohibi-
tum eſt, quod Senis & Lucæ prohibitum fuit,
ut procederet contra S. R. E. cardinales, aſ-
ſerentes quia pro ſancta eccleſiæ unione la-
borabant, ipſiuſque ſchiſmatis antiquati fau-
toris latebras detegunt, adverſanturque ip-
ſius iniquo propoſito. Ait Carolus, Contra-
dicit papa. Numquid ergo obliviſci debet
ſacrum illud principis æterna memoria com-
mendandum? quod B. Hieronymus in addi-
tione Eccleſiaſticæ Euſebii Cæſarienſis Hiſto-
riæ actum Nicææ in ſacro concilio refert his
verbis: Sed in eo concilio admirabile factum «
principis non puto reticendum. Etenim cum «
ex omnibus pæne locis epiſcopi conveniſſent, «
&, ut fieri ſolet, diverſis ex cauſis inter ſe «
jurgia quædam detuliſſent, & interpellabatur «
frequenter, & magis ad hoc, quam ad id pro «
quo ventum fuerat, animos dabant. At ille «
videns quod per hujuſmodi jurgia cauſa ſum- «
mi negotii fruſtraretur, & diem certam ſta- «
tuit, qua unuſquiſque epiſcoporum, ſi quid «
querimoniæ habere videretur, deferret. Et «
cum reſediſſet, recepit a ſingulis libellos, «
quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec «
C in eis quid contineretur aperiens, ait ad epiſ- «
copos: Deus vos conſtituit ſacerdotes, & po- «
teſtatem vobis dedit de nobis quoque judi- «
candi. Et ideo nos a vobis recte judicamur. «
Vos autem non poteſtis ab hominibus judi- «
cari, propter quod Dei ſolius expectate judi- «
cium, & veſtra jurgia, quæcumque ſunt, ad «
illud divinum reſerventur examen. Vos ete- «
nim nobis a Deo dati eſtis dii, & conveniens «
non eſt, ut homo judicet deos, ſed ille ſolus de «
quo ſcriptum eſt: *Deus ſtetit in ſynagoga deo-* «
rum, in medio autem deos diſcernit. Quia actus «
qui facti ſunt, non ad concilium facti ſunt.

3. Ariminum non reddunt de jure con-
cilii ſuſpectum partibus: quoniam præci-
pue ſi a propoſito loco concilii ſui concor-
daret ſe conventurum cum aliis Arimini,
intentionem ſuam mutare dominus Gre-
gorius videretur; alii vero ipſius approab-
re nequaquam. Si tamen partibus eccleſiæ
paci aptum videtur, ita illud & ſe offert, ut
nihil propter hanc omnino reſervet; quorum-
libet obedientiæ loca æque diſtare aſſerit, ſi
orbis figura & venturorum menſuretur iter.
Replicat inſuper cujuſlibet eorum concilio
libertatem, aptitudinemque: & præcipue
quia in quibuſlibet poteſt corruptela compeſ- E
ci; quoniam non ſolum de poteſtate diſcuti
præcipua videtur intentio; ſed de paſtore a
quibuſlibet concorditer acceptando, juſſus
eſt locorum circumſtantias canonis diſpoſi-
tioni concordare: videlicet quod ubi adeſt
univerſalis poteſtas eccleſiæ, ibi non licet
mere & libere ſubjectam fore temporalibus.
Decet inſuper electores ut conſiliarii papæ
ſint a metu tuti, & a favore corruptionis alie-

ni, æquum & utile ecclesiæ proposuisse putans mutationem, id est loci, sperans se jam obtenturum saltem a Domino, mutationem temporis petit, quia aliter partes in unum concilium convenire non posse demonstrat evidentia. Quæstioni respondetur de inconstantia clericorum reprehendenda, quæ non est inconstantia, quando propter proximorum salutem consilium reformatur in melius per exemplum vestrarum reverentiarum : quia ab eo quem quilibet vestrum papam reputavit, & in cujus juratis manibus, quem toties publice adoratis super terram, discessistis. Nec notam mutabilitatis & inconstantiæ & juramenti transgressionem timendam vestrûm cuilibet esse visum est, propter hujus unionis bonum. Hoc per B. Augustinum dicentem : Ecce in conspectu Dei & vestro muto consilium. Hoc per canonem *Alma mater ecclesia.* Hoc principem apostolorum, qui pedes quos lavari sibi a Domino negavit primum, mysterium salutis intelligens immediate permisit. Hoc per Dominum qui incommutabili prædestinatione contingentes concordat effectus. Et per Salomonem, tempus scindendi & tempus consuendi. Nam utique si licet filiis propter dilectionem Dei patri objurgari & ipsum odisse, multo magis cum non discedat a via æquitatis, decet cum ipso convenire, etiam si devius fuisset. Exemplum de Noë habetur, qui benedixit Sem & Japhet, quia avertentes vultum pudenda patris operuerunt, & maledixit Canaam qui aspexit & risit.

4. Objicitur forte si mutaretur locus Pisarum, B. se læsum dicere posset, & propterea recusare ad concilium ipse & sui accedere; unde præter inhonestatem populi tot auferentur, quot ipso cum suis non veniente dissentirent, & ideo cum propositi mutatio loci honesto contradicat & publico officiat bono, propositum mutari malum esse. Atque humanus intellectus faciliter errat, nisi sibi objecta discusserit phantasmata. Et quoniam varia circa loci competentiam incompetentiamve repræsentata sunt, & maxime de adventu ejus qui dicitur dominus BENEDICTUS, causas imaginari convenit, quæ ipsum Pisas adducant vel divertant a Pisis. Aut enim apud se certus est papam esse, aut certus est quod papa non est, aut dubius utrum papa sit, quod tamen Carolus non credit, sciens vestram intentionem, & eum qui dicitur dominus Benedictus ignorare non putans, si jus suum indubitatum sibi præsens ita proponere concilio æstimaverit, ut papatus per universum concilium sibi vendicet potestatem, quocumque accederet & libens. Et si jus suum propter absentiam lædi pensaret, hoc etiam licet senis sit, exilem metus causam & laborem itineris expavere, quia non eum juvenilis naturæ calor fortem & infatigabilem reddit : tamen cum voluntatis ardor soleat calorem superare naturæ, juvenescente in homine ambitione, quæ ut plurimum in senescentibus juvenescit, BENEDICTUS senex præpotens valde adversus metum & laborem existens, si Pisas accedat, nec propter metum, nec propter laborem alio accedere recusaret. Si tuendi aut dilatandi dominii causa Pisas accedat, & veniet locorum quovis Benedictus. Et si recusaverit Pisas venire, imitari nolens Domini & ejus magistri humilitatem, quomodo potestatem gerat in terris, si non caritatis ardore, sed inanis amore gloriæ Pisas etiam renuntiaturus accesserit : utique quocumque propositorum locorum & ultra libenter accedet, quia ambitioni hujusmodi nihil grave, nihilque satis periculosum apparet, sed lene nimis. Cum enim sitis & ardor habendi omnem superet concupiscentiam, superatur ab illa, & ultimum terribilium propter eam parvipenditur, & omnipotentis Dei potestas vilipenditur. Si vero certus est se papam non esse, & maligno trahatur spiritu Pisas, ut alterius jura usurpet, velut proprium pudorem abscondat, exemplis & rationibus probari potest alio venturum. Quod si non, cum inopportunum sit impios intereesse concilio justorum, & ut usurpatori facultas minime tribuatur propter absentiam suam nequaquam differenda est pax ecclesiæ. Si quoque illum Dei Spiritus converteret, sciens se tot annis idolum sedem apostolicam invasisse, cum quælibet potentia minima sit ad satisfaciendum divinæ offensæ quæ infinita est, sibi minimum cerneret si trans Gades accederet. Hoc etiam Cananeæ, cœci, & Mariæ Magdalenæ probatur exemplis. Si Pisas dubius de jure suo venerit, præeligens certe innocentiæ quam dubii papatus possessionem, ultra quæcumque propositorum locorum iret, cum naturale sit insuper odire ignorantiam ad repellendum istam ignorantiam, quæ nesciendi tantummodo causa obest. Sed gehennæ culpa longius accedere deberet, quod Pitagoræ, Platonis, & Apollonii exemplis deducitur, qui remotissimas peragravere provincias propter scientiæ amorem. Ad quemcumque etiam dictorum locorum iret, nedum Pisas, si ambigeret absens jus dubium posse tueri, ut confusionem evaderet, ut non de jure suo dubitare visus contra se juris faceret præsumtionem. Volens quidem indubitatum sibi jus servare dominus Benedictus, ad locum ad quem vocatus non fuerat, & non Pisas, accessurus verisimiliter esset, ne jurisdictionem facere videatur in eos quos negat habere : quia aliud est ad locum communi consensu non vocatum ire, quam ad locum ab adversario præelectum venire vocatum. Ambiens vero fovere dominium, prout apparet ex servata, qualiscumque sit, possessione tot annis, cum possessionem diligat, & exspoliationem pavere putandum sit, nequaquam verisimile est

se in rebellium suorum manibus positurum, nisi aliquid lateat ad locum accessuris, in quo parem cum adversariis potestatem habere possit; quoniam sibi testis est conscientia sua, si hæreticus est, quia etiam quantumcumque infideles sint, non diffitentur divinæ oculos justitiæ ubique præsentes, ubique illos offendere scit. Cumque Dei clementia per divisionem & distantiam locorum a justitia non distinguatur, cujuscumque loci non debet pudere ad veniam, quia non puduit ad culpam, & ubique debet Dei misericordiam sperare implorando, quia ubique est. Si autem non fuerit hæreticus, sciens papam sola hæresi posse privari, debet aliò accedere, ne vocatus accedens videatur se hæreticum assentire. Nam humilitatis causa mentiens, si non erat antea, peccator efficitur, nec ita caveri debet arrogantia, ut veritas relinquatur. Adest insuper alia ratio: nam si pontificem se putaret ille qui dicitur BENEDICTUS, ad loca immediate ecclesiæ subjecta libentius accedere deberet, quam ad aliena, etiamsi longe pulchriora, magisque amœna & opulenta forent. Nam ab experto videtur unumquemque loca sibi subjecta libentius visere, libentiusque inhabitare, quam ea quæ alterius jurisdictioni subjiciuntur. Quod si dicatur, quoniam proposita loca nequaquam sibi subjecta sunt, certe negari non potest, quod neutralia sunt, quoad obedientiam, ut ita dicatur, contendentium de papatu: verumtamen ecclesiæ de jure & de facto subdita fore contradici non potest. Si vero dicatur Mantuam & Ariminum obedientiæ domini Gregorii papæ subjecta, nequaquam negatur. Sed ut supradictum est, si partibus commoda paci ecclesiæ videantur, hoc pacto oblata sunt & offeruntur, ut nihil ibi servetur partium jussioni dissonum. Si igitur proposita loca, cum ecclesiæ sint, aliorum locis non præponit, pastor non est & christus Domini, qui proprias oves abhorret. Ex his igitur quæ suprascripta sunt, liquet multas fore rationes, per quas ille qui dicitur dominus BENEDICTUS ad quemlibet propositorum locorum accedere deberet, etiamsi Pisas non. Unde si ad communem partibus locum & non præelectum accedatur per reverentias vestras, manifestum est, non propter illud concilium ruiturum, nec unionem impediri. Verumtamen hoc differuisse Carolo supervacaneum videretur, quantum circa præsentiam ejus qui dicitur Benedictus spectaverit, nisi quia forte putare posset eum procurare illi auferendam loci æquitatem, qui ad pacem vocatur ecclesiæ & populi Christiani unionem. Nam semper opinatus est illum nequaquam Pisas accessurum, quod & noviſſime sibi a pluribus fide dignis assertum est.

5. Nec insistendum ultra videtur circa pericula illa responsionis exhibitæ Rodulfo cancellario fratris sui Malatestæ de Pensauro, in qua dicebatur, quod præter inconstantiæ notam, valde mutatio loci concilio obesset, & per consequens impediret unionem, quoniam multi Pisas accederent, qui audita mutatione loci ad propria retrocederent. Hoc enim licet non putaret, sed semper a certo tenuerit & teneat multo plures ad concilium universale accessuros, si sciverint communi omnium partium consensu congregari, quam si divisim & ad diversa loca vocati sint. Quis enim nesciat quod spes certa intentum obtinendi voluntatem excitat & corroborat? Quis insuper ignorat unionem voluntatum concordiam & pacem esse; discordiam vero habituale schisma fore & originem schismatis actualis? Jam quidem per hoc unio nedum sperari posset, verum facta videri, indeque scrupula juris cuncta succisa, & eminentium scelerum evulsa radix quælibet, & novæ hæresis pullulatio. Præterea cum universalis divisio fieri non posset in ecclesia Dei, nisi aut in intellectu canonum schisma fiat aut de facto, & hoc rebellantibus capiti membris, licet quod jus dictat intelligant: quoniam secundum sententiam B. Augustini, contraria contrariis curantur, oportet quod in utroque concordia fiat, ut morbus discissionis curetur, qui per utriusque discordiam exortus est. Attendendum est insuper per reverentias vestras & cunctorum fidelium discretum examen, si cessionis via præelecta est tamquam securior, & a vestris dubiis magis aliena, ceterum tamquam magis caritativa, quia per eam non detegitur injustitiæ multorum verecundia, qui etiam propter ignorantiam peccaverunt, quod prudentia vestra talem adhibeat modum, per quem fiat, ut suum intentio sortiatur effectum, & non inducat oppositum ejus quod videtur intendi. Nam si modus servatur, per quem secundum jus dubitari possit utrum cessio valeat, cui metus infertur, poteratne verus & indubitatus papa a cunctis haberi? Si vero nullus metus infertur, sed sponte partes communi consensu convenerint, & juramenta servent, quis sperare non potest, immo certus esse non debet, quod unio indubitata sequatur, & unus verus atque indubitatus papa a cunctis acceptabitur? Neque ceterum minus caritati opponitur alterius violare jus quam justitiæ pudorem detegere. Et si dicatur, dubium est; advertite supplicatur, quod dubius de jure alieno, nequaquam de suo certus est, quodque caritas exigit unumquemque dubitantem de jure suo, ita illud servare teneri, quod non rapiat quod suum esse non novit. Recte judicatum est per quamlibet partium concilium fieri universale ad pestiferum & lethale schisma mactandum, tamquam viam a sanctis patribus consuetam in similibus, a sacrisque canonibus approbatam, per quam nulla excluditur via voluntatis aut juris. Nunc autem quis non sensatim apprehendat, quod si a

qualibet partium divisim convocentur patres, quin immo altera comminante & prohibente ne accedant ad alteram, & si unum de jure concilium fuerit, plura oporteat fore de facto. Quis inde jam non circumspiciat inspiciatque, non vetus mactari schisma, sed quod æque justeque, breviter & faciliter, si volueritis, interficietur, si nolueritis, reviviscet? Verum cum scandalorum mater prava voluntas prægnans suspicetur, filium pariet patre pejorem.

6. At si iterum objiciatur, illum qui dicitur BENEDICTUS, neque ad Pisas, neque ad quemquam propositorum locorum accessurum, & propter hoc universale concilium saltem de facto locum vendicare non posse; hoc non putat Carolus quemquam prudentem affirmare. Nam quia quod petitur æquitatem in se continet, si Dei mandatis & judiciis contradicere nolit, æquitati minime contradicet. Non enim ignorat ille, quantæ auctoritatis David propter Deum fuerit; de quo Dominus ad prophetam: *Inveni hominem secundum cor meum.* Et alibi: *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit.* Cujus David verba sunt ad Deum: *Omnia mandata tua æquitas.* Et rursus: *Cognovi, Domine, judicia tua.* Ut quid ergo dubitari potest quod qui æquitatem spernit, omnia Dei mandata & judicia spernit? nec illiusmodi idcirco sequendam voluntatem, sed refellendam. Poterit forsan prætendere proposita loca sibi, seu concilio, vel utrique pariter inepta. Causas affignet, & alia proponat quæ magis seu ita æqua sint, & magis aut tantum ad illa tutus sit accessus quibuslibet partium ad illa accedere volentibus; in quibus sit tuta & libera mansio, & quæ canonum dispositionibus amplius aut tantum conformia sint. Quis tamen crediderit, cum ipse primum sciverit vestras reverentias cum domino Gregorio fore concordes conveniendi in uno loco, in quo communi consensu partium congregatio fiat, & universale concilium convocetur, ipsum nequaquam illuc conventurum. Nam si Deum non vereatur, minime ambigi debet eum saltem humanam maximam vereri confusionem, quam si eò non accederet, non utique se evasurum, cum prudens habeatur & expertus sit, credere posset. Verum si tanta fuerit, quod putandum non est, obstinatione circumventus, quatenus, volente domino Gregorio & vobis insimul convenire, ipse noluerit, legis ditio & naturæ potius imitanda censetur, quam illius qualiscumque voluptas. Dictant quidem leges & natura mala & noxia quæcumque evitari, majora vero præsertim: nunc autem existente triplici, ut taliter referatur, in ecclesia contentione, ad unionem venire volentibus, quanto magis insimul concordes extiterint, tanto minus ab illis unio distat. Illos quidem quisque sibi uniendos optare amplius debet, qui divinæ æquitati propinquiores existunt. Nam non solum in unum convenire pax est; sed si æque conveniatur. *Convenientibus enim nobis in unum*, juxta Vas electionis, *jam non est Dominicam cœnam manducare*, sed corpus Christi secundum divinam institutionem conficere, & illo secundum canonicam disciplinam participare, hoc est cœnam manducare Dominicam. Cum ergo modus conveniendi in unum secundum æquitatem & communi consensu convocandi concilium, via sit absque æmulatione pacifica, quieta absque turbine scandalorum, omni carens iniquitate, libera sine motu, ab omni turpitudine aliena, tuta subjectis, prælatis honorifica, nullum circumveniens, neminem conculcans, expedita absque præcipitatione, conclusio unionis, per quam, si partes convenerint, non promti affectus potest ambitio reprehendi, dum propter zelum unionis unusquisque vestrûm propriam voluntatem superasse probatur. Hæc igitur via tamquam triumphi causa ab omnibus diligi debet. Non enim caritatem Dei & proximi potius quam propriam quis diligere probari potest, nisi propter Dei dilectionem & proximi propriam abnegaverit voluntatem. Est insuper via proposita & petita per Carolum suavi humilitate plena, absque adulatione imitantibus eam, & sine proximi detractione, grandique redolet caritate, cuncto hypocrisis colore carens.

7. Ut igitur Carolus jugiter petat, jugiter quærat, jugiter pulset, honestum suadet, allicit utile, inopia cogit; indeque quod aperiatur & exaudiatur spes ipsum reddit audacem. Cum enim honestum & morale convertantur, quod morale est, honestum est. Beati quidem Ambrosii verba sunt, morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant. Quod itaque vestris reverentiis honestum est, honestum suadet ut petatur a vobis. Exigitis namque a domino Gregorio, ut relicto loco concilii sui & concilio suo, Pisas accedat, & juri sui papatus renuntiet. Et hæc omnia propter fidem & commodum fidei. Grande est hoc; quis dubitat cum magna petat impendere parva? Minus est certe quod a vobis petitur, videlicet ut mutato loco Pisarum congruo tempore, vel quam brevius ratio quærit, ad alium locum accedatis communiter eligendum, ad quem communi partium consensu universale concilium convocetur; morale ergo & honestum est vobis qui fidem exigitis, si non majori, si non æquali, saltem minori exemplo vestri fidem adstruere. Morale & insuper honestum est, vos qui fidem in juramenti & voti observatione a domino Gregorio exigitis propter unionem, fidem observatione vestri juramenti & voti propter unionem adstruatis. Juraftis quidem & voviftis nonnulli ex vobis, certum est, nihil de contingentibus omittere, ut sacra unio sequatur, saltem quantum in vobis esset. Qui

vovistis & juratis locum quidem Pisarum non mutare, certum est non esse de genere necessariorum, contingentium vero sic. Allicit utile, quamvis enim quoddam appareat utile, bonum & delectabile, quod quia honesto contradicit, bonum non est, licet infectæ voluntati bonum appareat. Et ideo hoc nequaquam quæri debet, nec quod quæratur debet allicere. Quando vero utile & delectabile honestum bonum est, & quæri & appeti debet, quia naturaliter omnia bonum appetunt. Recte etiam tunc utile allicit ad quærendum. Quid vero utilius quærere, quam illud quod cunctis fidelibus prodesse potest, & nullis obesse, nisi illis forte, qui hominum substantiis & carne suam saturant esuriem, illisque pariter qui hominum detractiones & sanguinem sitiunt, & in ipsis moliuntur debacchari. Quid præterea utilius, quidve delectabilius, quam perfecti desiderii optatum consequi effectum? & quid magis ad quærendum allicere debet? Cogit inopia, quia propter defectum eorum quibus natura eget, ut se sustentet & proximos, inopia vim naturæ infert, quoniam aufert quod natura postulat. Ideo naturam provocat, ut vi exquisita procuret vim quæ sibi ilata est repellere. Existente ea vero tam exilis potentiæ, quod neque propriis viribus valeat, neque opem sibi alius ferat, cogit inopia non solum petere, non solum quærere, verumetiam pulsare, quod etiam conceditur necessitate imminente, quamquam sine impetu & violentia quadamque importunitate fieri non possit. Unde & servos inspicimus urgente eos opportunitate negotiorum principis vel sui ipsorum, licet dormitet princeps, licet sint pueri secum clausi in cubiculo, ostium pulsare. Unde Dominus ut majorem exhibeat licentiam pulsandi, non principis nomine, sed amici parabolam affert. Inopia ergo Carolum cogit pulsare: nam cum inopia proprie sit, dum eo eget quod nec sibi sufficit, nec aliis largiri potest; egente vero eo non solum panibus tribus propter se, sed etiam propter quoscumque fideles; neque habente unde se & amicum reficiat, qui non solum fame veræ unionis patiuntur inopiam, verum apertissime pereunt, quamvis petierit, quamquam quæsierit, ut pulset cogit inopia. Cum enim major sit causa quam effectus, major omni inopia est, quæ omnis quasi nostræ inopiæ causa est. Ex quibus omnibus spes ipsum reddit audacem; audacem quippe se dicit, quia licet pium sit quod optat, tamen ultra virium suarum omnium competentem & conformem qualitatem aggressus est opus, hoc autem urgente caritate, quæ omnia credit, omnia sperat. Quid enim sperare non debet, dicente Veritate: *Cum vos qui mali estis, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Nihil vero aliud in hoc quærit, quam Spiritum bonum, Spiritum videlicet illum, qui Deus est, & oculorum visio & pax, per quem pax annuntiari discipulis suis præcipitur dicens: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui.* Illum humiliter supplicat in voluntates vestras & aliorum Dei filiorum misericorditer inspirari, ut divino afflante Spiritu, bonæ efficiantur voluntates, ut pax vera illabatur in illis. Spes enim, etsi non mereatur suscipere, & ideo audax postulando sit, audacem pulsare facit, quia ea quærit & optat, quæ requisiti negare non debent, si non ratione amicitiæ petentis & quærentis amici, si non proximorum dilectionis, nec, quod his omnibus majus, divinæ caritatis amore, propria saltem. Eia ergo surgite, reverendissimi patres & domini, licet ostium vestrum clausum sit, & pueri vestri vobiscum sint in cubili, surgite supplicatur, & in cubili amplius obdormire nolite. Surgite, & si gravitas humana impediet, juxta beati doctrinam Augustini sub pedibus vestris scabella vobis facite, terræ fastigia conculcando; quanto namque majora sunt, tanto magis super illa scandendo surgite. Præterea cum veritas sanciat: *Qui se humiliat exaltabitur*, humiliando vos surgite, reclaudite ostium, & si non dederitis ei, eo quod amicus vester sit, saltem ex improbitate date ei quotquot habet necessarios. Audite Dominum quid dicat: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Misereamini & vos super turbam Christianorum: quia ecce jam triginta annis & ultra sustinent, nec habent quod manducent. Et certe si dimiseritis eos jejunos in domum suam deficient in via. Quamquam vero Carolus petierit, quæsierit, pulsaverit, ne omnino obtinendi quotquot panes necessarios pro animæ habet saturitate, modum omittat. Illos sibi dari per vos omnes patres reverendissimos, qui Pisis congregati estis, obsecratur in Domino, & adjurat per illud sanctissimum & ineffabile mysterium, per quod Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda est, & per illud sanctissimum & ineffabile mysterium, per quod ex purissima carne glorioſissimæ semper Virginis Mariæ Verbum caro factum est, & cum creator sit, creaturæ uniri dignatus, & Deus & homo factus est Christus, & per labores, sudores, opprobria, passionem & mortem, quæ Jesus Christus passus est, ut dispersas oves ad militans revocaret ovile, ut sub se cœlesti capite cum angelis unirentur in gloria. Et quoniam per Dominum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & ipse instruit: *Sine me nihil potestis facere*; atque ne spes deficiat, cum docuerit impossibilitatem humanam, ipse promittit, *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Carolus supplicite deprecatur divinam misericordiam, in nomine Domini nostri Jesu Christi, sanctæ

matris ecclesiæ sponsi cœlestis, ut benefaciat vobis, & meminerit testamenti sui, quod ad Abraham, Isaac, Jacob locutus est servorum suorum fidelium, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua & in præceptis suis, & faciat pacem & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Incircumscriptam insuper Altissimi miserationem exorans, quatenus amodo misertus gregis sui, illum ad se convertat, & a peccatis ejus vultum dignatus avertere, quod sub uno pastore subjecit, dispersum sub uno pastore uniat & conservet ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Et donec post humanam terrenosque labores electos suos sub se verissimo capite & pastore, cum angelis suis unum corpus effici voluerit, & triumphare jusserit in æternum.

BENEDICTI PAPÆ XIII. ad cardinales.

Eos & omnes qui adversus eum procedebant excommunicat, & beneficiis ac dignitatibus privat.

Anno 1409. Ex mss. illustrissimi domini Chanvelin.

1. BENEDICTUS, &c. venerabilibus fratribus G. Penestrinensi, N. Albanensi, Jo. Ostiensi, & P. Tusculanensi episcopis, ac dilectis filiis P. tituli S. Susannæ presbytero, AMEDEO S. Mariæ-novæ, & P. S. Angeli diaconis cardinalibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Si adversus ecclesiam catholicam hæretici garriunt, si tyranni, si eam perfidi persequuntur, hæc velut ante prævisa fidelium mentium muniunt non concutiunt fundamentum. Habent enim ut plurimum tentationum hujusmodi experimenta proventum, in quibus invalescit fidei nostræ robur, probata fidelium caritas fructibus meritorum fœcundatur uberius, & spiritus inconfusibilis continuis ducitur profectibus ad coronam. Sed si videat sponsa Christi infestos sibi fieri, in quibus speraverat homines pacis suæ, qui comedunt panes suos; si propugnatores suos in bello defensionis, quod adversus integritatis suæ persecutores instruit, non solum desertores effici, verum etiam transfugas; non immerito veteris querelæ verba resumit, piis ad fideles Christicolas suspiriis ingemiscens, quod adversus eum pugnent filii degeneres, quibus improperans, ab eis quos enutriverat beneficiis & exaltaverat honoribus, proclamat se contemni. Videmus siquidem, vigente hoc turbine impacati temporis, & debemus in hac lucta, quam pro salute Christiani populi experimur, nonnullos quos ecclesia deberet habere pro muro, tamquam solutas vel depulsas macerias non constare, quosdam cum mercenariis declinare, alios latere cum furibus, plures dissimulare cum fictis, & filios qui juvasse debuerant, in matris parricidium conspirasse, quos tamen paternæ dilectionis affectu optamus a tam horrendo lapsu retrahere, ut non cogamur eos pro demeritis justo damnare judicio; sed dum extat locus veniæ, ipsos volumus ad paterni favoris gremium & semitam reducere veritatis.

2. Apostolicis ergo monitis, ô filii, aures, quæsumus, intentas adhibete, ac filialis accommodate promtitudinis intellectum, nec videantur dura & amara quæ scribimus; sed ipsa animos vestros, considerato scribentis affectu, molliant, & in salutiferæ monitionis consideratione dulcescant. Nuper siquidem litteras vestras recepimus, quarum repetita series sub celato verborum sacrorum velamine, quædam cum pace loquendo aliter quam se veritas habeat, expressa nonnulla juris; alia vero facti errores plurimos continebant. Scripsistis etenim vos prosequi de mandato nostro concilii generalis viam, cujus convocationem ad vos & illos quos vobis participes adjunxistis, asseritis pertinere, per verba tumentia nos ad causam, ut scribitis, provocantes. Unde post multa quibus in aliis nostris litteris brevi satis epilogo comprehensa respondimus, pro nunc solum nos ad illa convertimus, quæ videmini comminando subjungere, quod nisi vestris monitis & requisitionibus annuamus, contra nos ad electionem, immo verius intrusionem antipapæ novi & infelicissimi procedetis.

3. Verum quia vobis jam per nostras præfatas litteras veritatem gestæ rei continentes, intimavimus nostræ intentionis propositum, & quæ pro felici agendorum ad consequendam, concedente Domino, veram ecclesiæ unionem in sacro generali concilio, quod celebravimus de fratrum nostrorum consilio, & eodem supplicante & approbante concilio, per nos concluſa sunt publicavimus, & prædictos juris & facti in vestris litteris contentos errores deteximus satis clare, ac per nostros solemnes nuncios, quos ad vos & ad partes ipsas destinamus, plena super agendorum executione potestate suffultos, qui solum pro recessu salvos-conductus præstolantur, iterum ad scripta per vos nostra responsa dirigimus. Unde ulteriora verba pro nunc depromere non curamus, sed solum providere circa illa, quæ in confusione ecclesiæ & toties Christianitatis redundantia, si fierent, quod absit, earumdem litterarum vestrarum totius textura cumulata repetiit, quæ utinam earumdem litterarum artifex maturius discussisset, ne producta fuissent in lucem, quæ confinxit ejusdem artificis invectiva, nec de vobis videtur id esse verisimiliter præsumendum. Nonne esset mirabilis, immo & miserabilis in personis tam gra-

vibus inauditæ præſumtionis audacia, quæ propriæ ſalutis prodiga, & in ejus detrimentum armata, obedientiæ, quæ victimis eſt præſtantior, ſemitis relegatis, viros tam doctos & tam excellentes ab eccleſia & in eccleſia ſublimatos, ſic efficeret abuſuros ſcientia, ſic pro tantis beneficiis receptis ingratos redderet, ſic in malorum profundum impelleret finaliter deſcenſuros, ut ipſi inconſutilem Domini tunicam, cui crucifixorum manus pepercerunt, eccleſiæ videlicet unitatem tam inhoneſte ſcindere, tam turpiter, tam impie, & tam infideliter obſtinata elatione attentarent iterum diſcerpere, quod non valent. Hoc enim non eſſet unire eccleſiam, ſed pro gravi deſolatione fidelium & magno præſagio & prænuncio antichriſti, manifeſtæ in templo Dei abominationis idolum infideli præſumtione & damnata inſolentia collocare, & nedum ſuo ſchiſmata & hæreſes libenter, ut veſtro parceremus pudori, ſilentio tegeremus.

4. Sed quia, ut præmittitur, per diverſa mundi climata deſtinaſtis, nos volentes Dei populum nobis creditum a tam periculoſis erroribus præſervare, licet jam per conſtitutiones apoſtolicas in jure clauſas, & alias a nobis contra talia attentantes editas ſalubriter ſit proviſum, etiam pro Chriſtianæ fidei tuitione contra vos & alios talia attentantes in virtute Altiſſimi aſſurgentes, de fratrum noſtrorum conſilio & præfati ſacri collegii ſupplici requiſitione pulſati, ipſo etiam approbante, circumſpectionem veſtram paternis monitis, & ſalutaribus requiſitionibus exhortamur in Domino, quatenus ut veſtræ dignitatis profeſſioni conformes nobis & nunciis, quos, ut præmittitur, deſtinamus, aſſiſtatis, conſiliis, auxiliis, & favoribus opportunis, ad veram unionem eccleſiæ debite proſequendam, voſque inſuper & veſtrum quemlibet ſub debito fidelitatis, quo nobis & eccleſiæ Romanæ aſtricti eſtis, requirimus, vobiſque in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus a prædicto nefando intruſionis, quam vos electionem dicitis, propoſito penitus deſiſtatis; & nihilominus ne proceſſum quemcumque ſeu declarationem aliquam, cum nullo jure eam facere poſſitis, ſuper prædictis vel ea concernentibus ſeu alias contra nos facere præſumatis ſeu attententis; ne ad electionem vel poſtulationem, proviſionem, ſeu verius intruſionem cujuſcumque in apoſtolica ſede procedatis, vel ſuper hoc vota vel prænominationes ullas detis aut faciatis; & ne de eligendo vel potius intrudendo aliquem in papatum, cum quacumque vel quibuſcumque perſona vel perſonis colloquium vel tractatum aut deliberationem ullo modo habeatis aut faciatis, nec ad aliquod papatorium pro dicta poſtulatione, electione, ſeu verius intruſione facienda verbo vel ſcriptura, vel alias qualitercumque cum prædictis, quos vobis, ut prædicitur, participes adjunxiſtis, aut aliis quibuſcumque, vel ſine eis, univerſaliter vel ſigillatim procedatur, vobis de certa ſcientia & expreſſe auctoritate apoſtolica diſtrictius inhibemus, decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, vel potius temeritate ſcienter vel ignoranter hactenus attentatum fuit, vel in poſterum contigerit attentari.

5. Quod ſi noſtris ſpretis monitis, requiſitionibus, vel mandatis; vos culpabiles ſeu contumaces reddideritis in prædictis, ad proceſſuum declarationem contra nos vel intruſionem hujuſmodi, quam vos electionem dicitis, procedentes, ut tam execrabilis præſumtionis audacia, ſicut eſt juri conſonum, in ſuæ temeritatis initio, virga correctionis & juſtitiæ conteratur; volumus & auctoritate prædicta decernimus, quod in ipſo inchoationis exordio ſtatim cum ad tam damnatæ perfidiæ proceſſus declarationis contra nos ſeu electionis, immo verius intruſionis actum, ſeu executionis, conventionis, & prolationis . . . . . præſumſeritis proſilire, etiam ante conſummationem hujuſmodi prolationis vel actus privationis, depoſitionis, excommunicationis & alias infraſcriptas pœnas & ſententias vos incurrere ipſo facto. Vos enim & veſtrum quemlibet & alios quoſcumque vobiſcum & ſine vobis ad talia procedentes, vobiſque aſſiſtentes, & dantes auxilium, conſilium vel favotem, cujuſcumque ſtatus, gradus, præeminentiæ, dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, etiam ſi cardinalatus, patriarchali, archiepiſcopali, epiſcopali, aut alia quacumque præfulgeat dignitate, excommunicationis ſententia, a qua nullus poſſit, niſi in mortis articulo, præterquam a nobis vel ſucceſſoribus noſtris canonice intrantibus, abſolutionis beneficium obtinere, innodamus, & ab omni cardinalatus, patriarchatus, archiepiſcopatus, epiſcopatus dignitate, honore, ſtatu, & commodo, ac titulo & executione ordinum deponimus, & depoſitos eſſe decernimus, judicamuſque ſchiſmaticos & blaſphemos, ac vos & eos omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, & prælaturis perpetue privamus, ac reddimus inhabiles ad habenda; omnemque perſonam præſentem & futuram, cujuſcumque fuerit præeminentiæ, aut ſtatus, ſeu dignitatis, eccleſiaſtici ſeu mundani, quæ ſcienter & deliberate, vos vel veſtrûm aliquem pro cardinalibus habuerit, aut tenuerit, aut ad cardinalatum admiſerit, aut in pontificem Romanum elegerit, nominaverit, aſſumſerit, vel receperit, ſeu dederit in his vel ad hæc conſilium, auxilium, vel favorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere, a qua abſque licentia Romani pontificis non poſſit abſolvi, nec per apoſtolicæ ſedis majorem pœnitentiarium, aut quemcumque

cumque alium, eadem ſede vacante, præterquam in mortis articulo, ut eſt dictum, eumque prælatione, dignitate, ſtatu & honore eccleſiaſticis omnino privamus. Nihilominus omnes qui vobis & aliis prædictis in ſchiſmate & rebellione perſiſtentibus favorem vel auxilium præbuerint, excommunicationis ſententia innodantes.

6. Alia autem circa præmiſſa per nos facta in noſtris proceſſibus & litteris, bulla noſtra munitis contenta, hac noſtra conſtitutione perpetuo valitura ratificamus & approbamus, confirmamus, & etiam innodamus, eademque de novo facimus de fratrum conſilio prædictorum; & ut tanta malitia non inveniat ſucceſſorem, & punitæ tranſgreſſionis exemplar retrahat alios ab offenſa, ac in oblivione veritas veniens non vagetur incerta, ſtatuimus & etiam decernimus, ut & ipſa inviolabiliter obſerventur, & ſimiles exceſſus & culpæ pœnis ſimilibus puniantur, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus & ordinationibus, privilegiis, libertatibus, gratiis, indulgentiis, ac immunitatibus apoſtolicis a nobis vel prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus editis & conceſſis quibuſcumque, & qualitercumque, & ſub quacumque forma vel expreſſione verborum, etiamſi de illis & totis eorum tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis & expreſſa eſſet mentio facienda, & quamcumque clauſulam derogatoriam contineant, quam & quas de noſtra certa ſcientia & plenitudine poteſtatis tenore præſentium revocamus, in quantum poſſent prædictorum effectum ſuſpendere, impedire, vel ſibi in aliquo derogare, ſeu in aliquibus a ſede apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, interdici, ſuſpendi, ſeu privari non poſſint, per litteras apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi ac eorum perſonis & locis, nominibus propriis, ordinibus, ſeu dignitatibus mentionem, & aliis contrariis quibuſcumque. Datum Perpiniani Elnenſis diœceſis, III. nonas Martii, pontificatus noſtri anno XV.

EPISTOLA CAROLI REGIS Francorum, ad cardinales utriuſque collegii.

Hortatur ad pacem eccleſiæ proſequendam, ſeque eum agniturum promittit pontificem, quem illi canonice elegerint.

Anno 1409. Exmſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex, dilectis fidelibus amicis noſtris cariſſimis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ utriuſque collegii cardinalibus, ſalutem, & ſalutifero operi per vos laudabiliter & magnifice incœpto finem ſaluberrimum breviter imponere.

Inter cetera, dilecti & fideles amici cariſſimi, quæ nobis Deus ſua ineffabili clementia dignatus eſt in terris committere, nullum magis fidei orthodoxæ neceſſarium, magiſque noſtro regio nomini decens & congruum eſſe credimus, quam eccleſiæ ſacroſanctæ ſponſæ ſuæ rebus feſſis pro viribus ſuccurrere, quam eamdem a calamitatibus, ærumnis, & oppreſſionibus, maxime his temporibus, quibus, duorum contendentium de papatu nequitia prævalente, lethaliter conteritur, liberare. Unde noverunt pene Chriſtiani omnes, immo jam nulla natio extra non ignorat, voſque ſatis cognoviſſe arbitramur, quanta ſinceritate animi, quantiſque laboribus & ſtudiis, hoc exitiale & inveteratum ſchiſma jam ſex luſtris & ultra ſpatio totum Chriſtianum populum contaminans, conati ſumus viis rationabilibus evellere, uti vos parte pro veſtra feciſſe non ambigimus. Tandem poſt graves varioſque labores circa hujuſmodi ſchiſmatis exſtirpationem devote tentatos & adhibitos, poſt requiſitiones, ſummationes ſæpius iteratas eiſdem contendentibus noſtra parte factas, poſt denique expectationes, proh dolor! inutiles, dierumque & annorum plurium conſummationes, noti ſunt præfatorum contendentium doli manifeſti, nota ſubterfugia, notæ fraudes & colluſiones; quibus malis nos obviare, & languoribus eccleſiæ, ſicuti veſtro incumbit officio, providere cupientes, uno Sancti-Spiritus, ut pie credimus, ſpiramine tacti, in civitate Piſana conveniſtis, quo jam multarum regionum plurimi archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, priores, doctores, & alii viri ſolemnes etiam noſtrorum regni & Delphinatus, veſtris ſuadentibus pariter & requirentibus litteris, concurrerunt.

Nunc igitur, dilecti & fideles amici cariſſimi, cum res eccleſiæ magna pro parte veſtris in manibus poſita ſit, omniſque catholicorum læta ſpes aſſequendæ pacis in vos remaneat; cumque magna nunc ſe offert opportunitas, ut his diebus aut per renunciationem vel deceſſum ipſorum contendentium, ſeu alterius eorumdem, vel per eorum legitimam abjectionem, rite de paſtore pacifico provideatur, attentis veſtris incœptis proceſſibus, & fidelium præſenti congregatione, in qua Spiritum-ſanctum abeſſe non credimus, vos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per quantum ſalutem Chriſtiani populi quærere tenemini, rogamus, requirimus, & hortamur, ut hac vice, dum eccleſia fidelium tam magnifice, tamque ſolemniter congregatur, cum maturitate & viis congruis adeo procedatis, quod ſchiſmatis divulſis erroribus, pax Chriſti fidelium, quam tantopere videre præſtolamur, reſtauretur: quod ſi caſu præmiſſo aliquem cujuſpiam ſtatus vel ordinis eligi in paſtorem, Spiritu-ſancto cooperante, contigerit, talem electionem per principes & prælatos Chriſtianitatis approbandam, gratam & acceptam habendam æſtimamus, prout

noſtræ intentionis eſt, pro nobis regnoque & Delphinatu noſtris gratam & acceptam habere, & rite per vos eligendo, vobiſque auxilium & favorem quales poterimus exhibere. Sic enim mature deliberationibus præhabitis, cum cariſſimis conſanguineis noſtris Siciliæ & Navarræ regibus, avunculo & conſanguineo ducibus Bituriæ & Burgundiæ, comitibuſque & aliis viris de noſtro magno conſilio, faciendum decrevimus. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillo noſtro ſigillari fecimus. Datum Pariſius in menſe Martii, anno Domini MCCCCVIII. regni vero noſtri XXIX.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII. ad civem & mercatorem Lucanum.

De mutuo ab eo præſtito cameræ apoſtolicæ.

Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.

GREGORIUS, &c. dilecto filio civi & mercatori Lucanenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum nuper tu de propriis pecuniis, ad requiſitionem dilecti filii camerarii noſtri, pro certis neceſſitatibus cameræ apoſtolicæ relevandis, gentibus ejuſdem cameræ in promta pecunia VI millia florenorum auri de camera, boni & juſti ponderis, titulo gratuiti mutui duxeris aſſignanda. Nos id ratum habentes atque gratum, mutuumque ipſum recognoſcentes, ac tibi propterea volentes de ſufficienti providere cautela, omnia bona ejuſdem cameræ præſentia & futura, ſive in pecuniis numeratis, ſive in rebus aliis fuerint, uſque ad integram ſatisfactionem prædicti mutui, necnon damnorum, expenſarum & intereſſe, quæ ſi forſan tibi loco & tempore conventis de mutuo ipſo non ſatisfaceret, incurrens tibi tuiſque heredibus tenore præſentium efficaciter obligamus, tibique quod hujuſmodi mutuum in aliquam utilitatem dictæ cameræ fuiſſe converſum probare minime tenearis concedimus, ac non numeratæ pecuniæ, & omnes alias & ſingulas exceptiones juris & facti, quæ tibi ad exſequendum ſatisfactionem de præmiſſis quomodocumque poſſent obeſſe aut contra te opponi vel adduci, remittimus per præſentes, & inſuper promittimus, quod tibi de hujuſmodi mutuo in & ſuper bonis prædictæ cameræ uſque ad duos annos proxime futuros in Romana curia, ubicumque illam adeſſe contigerit, integre ſatisfiet. Datum, &c.

EPISTOLA CONCILII PISANI ad Bucicaldum.

Mittit ad eum epiſcopum Cameracenſem.

SAcrum generale concilium Piſis pro eccleſiaſtica unitate in Dei nomine congregatum. *Anno 1409. Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

Magnifice & potens amice cariſſime, confidentes uberius in affectione præcipua, quam a diu nobilitas veſtra impendere non deſiſtit, ad pacem eccleſiæ Dei meritoriis actibus procurandam, reverendo in Chriſto patri Cameracenſi epiſcopo, apud veſtram magnificentiam parte noſtra principaliter deſtinato, quædam referanda commiſimus, in quibus ei credula fide data, precamur eadem magnificentia ſe præbeat favorabilem ac benignam, quod vobis ad gloriam venire confidimus & meritum apud Deum. Datum Piſis, ſub ſignetis duorum priorum cardinalium alterius ſigilli abſentia ordinatis, die XXII. &c.

Magnifico & potenti amico noſtro cariſſimo domino Jo. *Le Meingre* dicto *Bucicaut*, mareſcallo Franciæ & gubernatori regis Januenſi.

RESPONSIO

facta per reverendiſſimos patres dominos S.R.E. cardinales pro unitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ proſequenda, & ut ſperant, in Deo feliciter concludenda, in civitate Piſana degentes, prudenti & circumſpecto viro Rodulfo ſecretario ac nuntio & ambaſſiatori viri magnifici domini Malateſtæ de Penſauro ad quædam capitula petita per eum, ſequitur & eſt talis.

PRimo dicti domini cardinales ad primum capitulum, videlicet, præmiſſa debita recommendatione, de affectione & de fide ingenti, & intentione optima quam ſemper & habuit & habet præfatus dominus Malateſta circa ſanctam unionem & dictum veſtrum ſacrum collegium. *Anno 1409. Ex mſ. bibliotheca regia.*

1 Reſpondent quod regratiantur dicto domino Malateſtæ de affectione & bona ac ſincera intentione quam habet ad unitatem ſanctæ matris eccleſiæ. Nam per effectum operis conſtat eis, quod labores & impenſas ſuſtinuit pro proſecutione dictæ ſanctæ unionis, & certificant eum, quod ad ipſum habent ſingularem fidem & confidentiam, quantam habent ad quemcumque alium magnum dominum Italiæ.

Secundo ad 1 capitulum ſecundum, videlicet *Dixi pro parte fideliſſimi ſervitoris veſtri domini mei Malateſtæ, quomodo magnificus frater ſuus dominus* CAROLUS *ſibi pridem inti-*

mavit, quod pro unione conſequenda eidem videretur unicam tantum fore viam indubitatam, & ſine aliquo ſcrupulo enervativam penitus omnis ſcandali, & cujuſcumque dubitationis de mentibus fidelium, videlicet quod fiat unicum & generale concilium; in quo concurrat voluntas dicti domini Gregorii pariter & veſtra. Alias ſi plura concilia in diverſis locis indicta fierent, ut ordinatum eſt, viſibiliter & neceſſario multa ſcandala, diviſiones, ac hareſes ſuborirentur exinde; & ſic ubi pacem quærimus, multiplex diſcordia ſequeretur, ſicque erit error poſterior pejor priore.

2 Reſpondent & dicunt ſic, quod veritas eſt, quod pro bono negotii, & ut in eo certius procedatur, & ad ſerenandas conſcientias omnium, utile & expediens eſt, quod non teneantur plura concilia, quia ſunt ſolum ad impediendum ſanctum negotium de quo agitur. Ipſi ergo conjunxerunt ſe ſimul, & fecerunt unicum & unitum concilium pro proſecutione ſanctæ unionis; & habitis inter eos multis deliberationibus, & diverſis & repetitis conſiliis pro unica & ſola via dandi pacem eccleſiæ, elegerunt convocare concilium generale, & elegerunt locum convenientem infra Italiam, ſcilicet Piſarum, qui locus per contendentium quemlibet fuerat oblatus, ut patet per publia inſtrumenta. Nam primo dictum locum obtulit BENEDICTUS in Maſſilia nepoti & aliis ambaſſiatoribus domini Gregorii. Et ambaſſiatores domini Gregorii locum eumdem in loco de Portu-veneris publice obtulerunt domino Benedicto, ad quam electionem etiam domini cardinales utriuſque collegii conſenſerunt, & præcipue collegium Italicum hoc procuravit de mandato dicti domini Gregorii, per organum magnifici militis comitis Campaniæ, qui ad hunc effectum miſerunt Portum-Veneris ad dominum Benedictum & ſuum collegium. Et ideo dominus Gregorius habet quod quærit. Nam Piſanus locus, ut prædicitur, eſt electus de communi conſenſu, ut ipſe vult: & nedum de communi conſenſu; ſed ad procurationem ejus ſolius, ut patet ex reſponſione ſua facta in Luca, & ex bulla quam ſuper hoc domino Benedicto tranſmiſit, cujus bullæ particula ſequitur in hæc verba, videlicet,

» Itaque nobis illa via magis placebat & placet, ut ſub uno aliquo domino, in quo utra-
« que pars tuta foret, hujuſmodi foret con-
» ventio perſonalis. Hæc enim via omnia im-
» pedimenta excludit, omnes ſcopulos repel-
» lit, omnes amputat difficultates, pro cujus
» executione Florentinorum & Senenſium lo-
» ca habilia & decentia tam maritima quam
» terreſtria, & inſuper civitatem Lucanam ti-
» bi pro parte noſtra fecimus offerri, & præ-
» cipue civitatem Piſanam, qui locus ſic eſt
» idoneus, ut nullus magis valeat reperiri, divi-
« ſus flumine, per galeas, ſecundum quod tu op-

tare videris, acceſſibilis, abundans victualibus, capax multitudinis, tutus ab omni reſpectu, ſic accommodus, ut ad iſtam conventionem fabricatus videatur, Dei « ſpatio nos per terram ita per mare ad eum « locum convenientes pacem Chriſtianitati « reddere poſſumus. Itaque ad iſtum locum per utrumque electum dicti domini cardinales mandaverunt concilium generale, vocaverunt ſolemniter & canonice utrumque contendentium ad dictum locum & præfixum diem. Et ita intimaverunt per eorum ſolemnes nuncios & litteras publicas, & apertas omnibus prælatis, regibus, principibus, ducibus, nobilibus, & notabilibus communitatibus totius Chriſtianitatis. Itaque concludunt quoad iſtum articulum, quod per eos non ſtetit nec ſtat, quin concilium generale fiat, ſicut fieri debet in unico loco dumtaxat. Veniat igitur dominus Gregorius ad dictum concilium, ſi dicto loco adeſſe diſponit, ſicut debet, ad quem ipſe & Benedictus, de cujus re ſimiliter agitur, ſpecialiter ſunt vocati.

3 Ad tertium articulum, videlicet, *Item, dicit præfatus dominus Carolus ſibi a certo innotuiſſe, multos principes & communitates concurrere ad hanc viam, tamquam præ ceteris meliorem; inſtetiſſe quoque cum præfato domino Gregorio, eidem ſupplicantes, ut ſibi placeret concurrere cum ſuo concilio in uno loco veſtris cum reverendis paternitatibus veſtroque concilio. Subjungens idem dominus Carolus, quod ſi altera partium veſtrarum R. P. videlicet, & præfati dicti Gregorii ſe retraxerint a prædicta electione dicti unici loci communiter fienda, veriſimiliter hoc eventurum aſſerit, quod ab illa parte quæ recuſabit, omnis obedientia totaliter ſubſtrahetur cum vilipendio, detrimento, & infamia maxima ejuſdem partis, cum manifeſte convinceretur nolle unionem per modum juſtum & æquum, attenta maxime promiſſione utriuſque facta de non omittendo aliquid de contingentibus recuſare aut electionem dicti unici loci eſſet omittere, & ſic contra promiſſa venire.*

4. Reſpondent dicti domini cardinales, quod de fide, legalitate, & probitate & pura intentione dicti domini Caroli circa unitatem eccleſiæ dicti domini confidunt, ſicut de ſpeciali & ſingulari filio eccleſiæ Romanæ, & pro tanto quidquid dicat vel faciat, domini reputant eum in omnibus bono zelo procedere. Sed poſſibile eſt quod dominus Gregorius vellet eum circumvenire ſi poſſet; ſed cum Dei auxilio ſperant dicti domini, quod ipſe eſt talis, qui non permittet ſe decipi vel ſeduci; & quia dicitur in dicto articulo quod poſſet multum imputari ad vilipendium, detrimentum & infamiam illius partis, quæ non acceptaret certum locum eligendum, cum manifeſto convinceretur eos nolle unionem, & per conſequens ab illa

parte ſubtraheretur omnis obedientia, attento quod multi principes & communitates concurrunt ad hanc viam.

5. Reſpondent dicti domini cardinales, quod poſſibile eſt quod aliqui domini & communitates, qui non ſunt plene informati de facto & de circumſtantiis, ad informationem ſeu ſuggeſtionem dicti domini Gregorii, contentarentur, & placeret eis, ſi poſſibile eſſet, quod fieret mutatio ad unicum locum de communi partium voluntate; ſed domini certificant dictum dominum Carolum & dominum Malateſtam, quod ipſi habent nova de majoribus regibus & principibus Chriſtianis & de majoribus prælatis totius eccleſiæ, quod ipſi acceptant, laudant, approbant viam iſtam receptam per dominos cardinales de concilio generali celebrando in Piſis, & veniet ad dictum locum & tempus quot venire poterunt, legitimo impedimento ceſſante. Et qui erunt legitime impediti, mittent procuratores plene inſtructos cum ſufficienti mandato. Et erunt in tanto numero, quod bene admirabitur uterque iſtorum contendentium. Et nihilominus credunt dicti domini cardinales, quod omnes qui pro nunc approbant mutationem loci, quando erunt informati de poſſibilitate juris & facti, malitioſa cautela per quam iſtud procuratur per dominum Gregorium, recognoſcent veritatem, & concurrent cum majori & ſaniori parte regum, principum, comitatuum, cleri & populi Chriſtiani & cum tota eccleſia auctoritative, canonice, & ſufficienter unita. Et ut dicti domini ſint de ſingulis informati tamquam ſpeciales eccleſiæ filii, domini eis notificant, ipſoſque cum pura veritate informant, quod in caſu de quo agitur, quando ſcilicet ſunt duo contendentes de papatu, ut eſt in caſu præſenti, concilium generale eſt judex ordinarius & ſuperior utriuſque. Nam clarum eſt quod propter dubium, unus non eſt ſuperior altero, nec ambo ſimul, cum non poſſint eſſe duo capita, & eſſet contra articulum fidei: *Et in unam ſanctam*, &c. Nec alter ipſorum per ſe habet in iſta materia aliquam juriſdictionem, nec convocandi, nec ordinandi, nec aliquid ſtatuendi. Nam alias quilibet eſſet judex in cauſa propria de titulo ſui papatus. Ita quod oportet de neceſſitate quod ſit dare tertium qui judicet inter alias, & nullus alius eſt, niſi univerſalis eccleſia, quæ eſt ſuperior & mater utriuſque, quam repræſentat generale concilium in hoc caſu. Nam nullus eorum habet integram obedientiam. Ita quod eccleſia univerſalis non eſt nec eſſe poteſt apud aliquem eorum, & per conſequens neuter poteſt convocare concilium, quod ſit generale totius eccleſiæ. Opponuntur etiam contra eorum quemlibet fautorios ſchiſmatis, & quæ aſſeruntur notoria ex dictis & factis eorum. Opponuntur enormia & gravia crimina notoria facti permanentis, de quibus pluries & ſolemniter moniti fuerunt incorrigibiles, pertinaces, obſtinati. Et crimina ſunt talia, quæ enormiter ſcandalizant totam eccleſiam, immo ſunt in ſubverſionem, niſi occurratur, totius ſtatus eccleſiaſtici. Iſtis vero præſuppoſitis, quæ ſunt luce meridiana clariora, quæ præcidenda lingua phrenetica audebit aſſerere, quod ipſi vel eorum alter in iſta materia poſſit vel debeat eſſe judex, nec per conſequens auctoritative convocare concilium generale, cum multi opinentur eos jam eſſe præciſos?

6 Præterea clarum eſt, quod iſti duo ſunt principales Benedictus & Gregorius, de quorum facto agitur: ita quod de neceſſitate juris oportet eos requirere & provocare ad cauſam, & aſſignare eis locum ſecurum. Et iſtud jam eſt factum per dominos cardinales. Nam dominus Gregorius hunc locum recuſare non poteſt. Nam omnis locus in hoc articulo recuſatur, vel quia non eſt idoneus, vel inhabilis, vel quia non eſt tutus, vel quia non electus per partes. Quo ad idoneitatem vel habilitatem loci Piſarum non eſt inſiſtendum, primo quia notorium eſt, ſecundo etiam ultra alia loca mundi Gregorius commendavit locum Piſarum, ſicut eſt rei veritas. Item ex tunc ſe poſuit bis in manibus Florentinorum, in quorum dominio eſt ipſe locus. Similiter dominus Benedictus, qui reputavit hunc locum, non poteſt eum acceptare ſuſpectum, & pro ut communiter dicitur, & habentur litteræ a diverſis perſonis fide dignis, dominus Benedictus perſonaliter veniet ad iſtud concilium ad locum præfinitum: ſi inveniat locum mutatum, factis juſtificationibus & rationabilibus proteſtationibus ſuis, recedet, & ſic concilium ruet ex toto, & ipſe prætendet ſe excuſatum.

7 Præterea reges & principes, communitates, prælati, clerus, & populus totius Chriſtianitatis utriuſque obedientiæ, ſunt ſolemniter vocati ad iſtum locum & terminum, & à pluribus habetur reſponſio quod venient vel mittent. Si inveniant locum mutatum, tamquam deluſi & fruſtrati; ſi venerint, recedent; & ſi per prius ea ſciverint, non venient, & arguent nos probabiliter varios, mutabiles & inconſtantes, & per conſequens concilium ruet, ut ſupra. Et credant dicti domini Carolus & Malateſta, quod multi venient Piſas, qui propter rationabiles & juſtas cauſas non tranſibunt magis profunde in Italiam. Sunt & multa alia ex quibus manifeſte convincitur, quod dominus Gregorius & ſui, qui vellent divertere & impedire iſtud ſanctum negotium, procurant iſta diverticula. Quis ſanæ mentis non videat quod quicquid agitur per dictum Gregorium & ſuos, eſt ad divertendum iſtud ſan-

ctum concilium, per quod ſolum poteſt ſedari ſchiſma & uniri eccleſia, & quod malitioſe & nequiter procuratur ad impediendum tantum & tam optatum bonum, ita per Dei gratiam diſpoſitum & propinquum, & ſub fallaci ac diſſimulata cautela petunt ſeu peti faciunt loci mutationem? Quæ enim eſt ratio, quod dictus Gregorius non venit ad locum, nedum per eum acceptatum, ſed tam publice & ſolemniter oblatum, & copioſe laudatum, niſi ut ſub verborum pampinis fruſtretur negotium? Nam ſi nunc, quod abſit, concilii congregatio impediretur, non eſſet ſpes quod de tempore noſtro poſſet iterum congregari. Et ad iſtud tendunt iſti ſeductores populi Chriſtiani & maxime bonorum virorum & ſimplicium devotorum, tractando & procurando per vias exquiſitas quod divertatur negotium & concilium non teneatur.

8 Item, ad quartum capitulum videlicet: *Item, dicit in quantum R. P. V. ad hoc condeſcenderint, idem dominus* CAROLUS *offert ſe prælaturum obſides & omnem aliam cautelam ſibi poſſibilem; putatque ad hanc cautelam & promiſſionem concurrere etiam dominium Venetorum, quod prafatus dominus Gregorius in dicto loco communiter eligendo pro dicto univerſali concilio ſe præſentabit, & quod facta concordia loci inter vos & ipſum, non erit tam diſcordia de modo & tempore, quin immo plena concordia.*

9 Reſpondent dicti domini cardinales, quod ipſi habent tantam confidentiam & plenam ſecuritatem de fide, legalitate & omni probitate dicti domini Caroli filii talis patris, cui ſucceſſit nedum in terra, ſed fide probitate & moribus, quod ſi mutatio loci fieri quoquo modo poſſet, ipſi nollent obſides, nec aliam ab eo cautelam, niſi ſolum ſimplex verbum tam fidelis & notabilis domini, & idem etiam repetunt de inclyto dominio Venetorum, de quo numquam fuit auditum, quod promiſſionem eorum ruperit ſeu eorum fidem violaverit, vel maculaverit, ſed ex ſupra ſcriptis & infraſcriptis apparet de mutatione loci quod nullatenus eſt agendum.

10 Item, ad quintum capitulum videlicet: *Item, affirmat præfatus dictus Carolus quod in quantum reverendæ dominationes veſtræ contentæ remanerent de concordia dicti unici loci, præfatus dominus Gregorius etiam contentaretur dictum concilium fieri in altero iſtorum locorum, videlicet Bononiæ, Forlivii & Mantuæ.*

Reſpondent dicti domini per ſupra dicta, quod mutatio dicti loci eſſet deſtructio totius negotii.

11 Item, ad ſextum capitulum videlicet: *Si in quantum per veſtram reverendam dominationem objiceretur, quod ratione electionis factæ per dominum Gregorium de ſuo concilio celebrando in patriarchatu Ravennate vel patriarchatu Aquilegienſi, oſtenderetur vos ire ad locum deputatum per dictum dominum Gregorium. Reſpondetur per eumdem Carolum: affirmatur dominum Gregorium ante publicationem dictæ concordiæ, notificaturum & publicaturum per orbem alium locum pro dicto ſuo concilio, præter loca ſupra nominata, ita quod nec in loco electo per vos videlicet pro veſtro concilio, nec in loco deputato ſeu deputando pro ſuo, fiet dictum univerſale concilium. Sed tantum in illo loco, qui de partium concordia fuerit communiter electus & deputatus.*

12 Reſpondent dicti domini ut ſupra, quod non eſt neceſſe agere de mutatione alicujus alterius loci, præcipue, quia dominus Benedictus & ſui loca quæ mutari contingerent poſſent rationabiliter recuſare.

13 Item, ad ſeptimum capitulum videlicet: *Item præfatus dominus Carolus conſiderans prædicta, & ſciens quantum præfatus frater ſuus dominus Malateſta, eſt fideliſſimus & devotiſſimus ſervitor veſtrarum reverendarum dominationum, requiſivit & hortatus eſt ipſum Malateſtam, ut interponeret ſe, & operetur cum dominationibus veſtris, ut vobis placeat condeſcendere ad dictam electionem unici loci fiendam pro unico univerſali & indubitato concilio.*

14 Reſpondent domini, quod ipſi confidunt plene de dicto domino Malateſta, & poſſunt, volunt & debent de eo veraciter confidere, quia ejus conſilio reputant & confidunt ſe non poſſe errare. Confidunt etiam de dicto Carolo propter ejus probitatem & fidem, & recolendam memoriam ſui patris & totius ſui magnifici generis.

15 Item, ſuper octavo capitulo, videlicet *quod præfatus fideliſſimus ſervitor veſter intentus continuo & vigilans circa omnia quæ adverteret proficuum afferre poſſe huic ſanctæ unioni, conſiderans ſupra allegata, & maxime concurrere ad hoc voluntatem quamplurimorum principum & ditionum, ut etiam in parte vobis notum eſſe poterit ex referendis reverentiis veſtris per oratores ſereniſſimi regis Hungariæ & illuſtris dominii Venetorum, ut venturos putat, credens hanc viam optimam fore & perfectivam deſideratæ unionis, remotivamque penitus ſchiſmatis, ſcandalorum, diviſionum, &c. ut jam dixi, ſupplicat humiliter & devote reverendas paternitates veſtras per paſſionem* JESU CHRISTI, *quod ſi poſſibile eſt, & vobis videatur juridice poſſe fieri, placeat & dignemini inclinare & humiliare vos ad hanc communem & concordem electionem dicti unici loci, ne contra vos annotari poſſit aliquid omiſſum de contingentibus, ne juri honorique veſtro objici poſſit, vel aliquid in contrarium modo aliquo allegari.*

16 Reſpondent dicti domini ut ſupra, quod teſte Deo & eorum conſcientiis, quod ſi quoquo modo eſſet poſſibile ſine eviden-

ti perditione & deſtructione, ac claro impedimento concilii generalis, quantum eſſet eis honeſte poſſibile ſine præjudicio eccleſiæ, ipſi conformarent ſe votis & requiſitionibus dicti domini Caroli & conſiliis dicti domini Malateſtæ. Sed per præmiſſa patet, quod nullo modo poſſunt mutare locum; & etiamſi facerent, quod abſit, non eſſet concilium generale. Placet etiam eis de adventu ambaſſiatorum illuſtriſſimi regis Hungariæ & inclyti domini Venetorum. Nam ſperant in veritate, quæ eſt ipſe Deus, & in prudentia dictorum ambaſſiatorum, quod poſtquam erunt per dictos dominos veraciter informati de juſtis & rationabilibus motivis eorum, rejectis falſis informationibus, ſi quas forſitan habuerunt, conformabunt ſe rationabili opinioni dictorum dominorum cardinalium: Et ita ſperant quod faciet quilibet Chriſtianus, ſi per eos fuerit informatus. Et propterea dicti domini pro Dei miſericordia rogant & requirunt dictos duos dominos ab antiquiſſimo ex propagata progenie peculiares eccleſiæ filios, quod ipſi velint eis aſſiſtere, ipſoſque juvare ad proſecutionem tam ſancti, pii & meritorii operis, pro ipſorum animarum ſalute, pro indelebili fama & gloria ſempiterna. Nam, teſte Deo, domini cardinales non agunt pro aliquo proprio peculiari & temporali intereſſe, ſed pro tollendo ſchiſmate, & dando pacem eccleſiæ, & ſalute tot animarum, quæ omni die ſunt in ſtatu perditionis. Et certificant dictos dominos, quod ipſi non faciunt, nec facere intendunt quamcumque partem in favorem alterutrius eorum; ſed ſunt communes mediatores in cauſa præſenti ad dandum pacem & unitatem eccleſiæ. Et propterea elegerunt etiam iſtum locum, ut non magis viderentur favere uni quam alteri, maxime quia, ut ſupra tactum eſt, ambo de iſto loco conſenſerunt. Et quia dictus dominus Gregorius de præſenti eſt in terra dicti domini Caroli, domini rogant eum & quantum poſſunt cordialius obſecrant, quod ipſe velit inducere dictum dominum Gregorium ad veniendum ad iſtum locum in dicta præfixa & ad dandum pacem & unitatem eccleſiæ. Et rogant etiam dictum dominum Malateſtam, quod quantum eſt ei poſſibile, velit aſſiſtere & juvare cum dicto domino Carolo conſanguineo ſuo, pro felici & votiva concluſione prædicta. Et declarant dicti domini in eorum conſcientiis, quod dictum dominum Gregorium & ſuos omnes tractabunt cum tanta benevolentia, reverentia, caritate, dulcedine & amore, cum quanta ſcient & poterunt.

17 Et offerunt ulterius, quod ſi concilio, poſtquam hic fuerit congregatum, aliud videbitur utilius & magis expediens circa exſtirpationem ſchiſmatis fiendum, ſtabunt conſilio & ordinationi dicti concilii, cum nunc ex variatione eorum concilium ex toto impediretur, & gravia ſcandala ſequerentur eccleſiæ.

18 Neque, quamvis nonnulla acta ſunt pridem quam dominus Gregorius Ariminum acceſſerit, & antequam mutationes loci & multifarii concilii in unum tutum apud eos dominos qui Piſis erant, dictos unitum collegium, ſupplicaverim mediis quibuſdam, ab illis exorſus ſum, ſuperfluam repetitionem evitaturus. Implicata quippe ſunt omnia in reſponſione hac quam detulit in ſcriptis exhibitam illi ab eis Rodulfus de Giancontis, ſecretarius magnifici domini Malateſtæ Penſauri fratris mei. Hanc nempe ideo propoſui, licet poſt adventum domini Gregorii facta fuerit, mihique præſentata, quoniam in alia oratione (a) ſequenti quæ ante acceſſum prædictum per me geſta fuere, narrantur. [a]

ACTA ET TRACTATA

Inter Carolum de Malateſtis & cardinales Piſis exiſtentes pro extinctione ſchimatis.

IN nomine SS. Trinitatis & individuæ unitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & gloriosiſſimæ genitricis Domini noſtri JESU CHRISTI MARIÆ ſemper Virginis Dominæ noſtræ. Amen. Informatio geſtorum cum reverendiſſimis & reverendis ac venerabilibus patribus Piſis exiſtentibus, congregatis pro univerſali concilio.

Eadem namque die, qua oratores CAROLI exhibuerunt coram reverendiſſimis dominis Piſis exiſtentibus orationem illam quæ incipit *Mandatum eſt, &c.* Ipſe CAROLUS Piſas appulit, nec illa die per ipſum quicquam actum eſt, niſi quia ſignificavit per reverendum patrem dominum Cervienſem, ſe illuc acceſſiſſe cauſa pacis eccleſiæ, audientiam deprecans tempore congruo & illis commodo. Sicque conceſſuros libenti animo reſponderunt, ordinatoque tempore, die illa coram ſuis reverentiis benigne receptus, aſtitit in ſacriſtia S. Martini, ubi mos eſt illis congregari. Idque effectualiter poſtulavit, quod in oratione prædicta habetur diffuſius. Unde poſt quaſdam reſponſiones commendativas domus & perſonæ ipſius CAROLI, & quaſdam perſuaſiones factas ad eorum intentum, ſe practicaturos cum eo collegiatim, vel per quoſdam ipſorum ad hoc deputandorum, petita per ipſum ſpoponderunt, & ſic factum eſt.

Nam his quidem per oratores ſuos & per ſe ipſum juxta gratiam a domino conceſſam effectualiter narratis, & ſibi benigna audientia præſtita per reverendiſſimos patres dominos Gallicos & Italicos, & poſtulatis in-

(a) Sequens oratio Caroli Malateſtæ, quæ extat in bibliotheca regis Chriſtianiſſimi, eadem eſt cum epiſtola anonymi ad cardinales ſuperius edita pag. 966.

duclis ad responsionem exhibendam, velut ipsi conscii sunt, dati fuerunt sibi auditores, secum pratticaturi circa petita per eum, videlicet reverendissimi patres & domini Albanensis, Aquilegiensis, de Tureio, & Mediolanensis.

Coram quibus iisdem replicatis, si non immemor est, in domo habitationis domini Albanensis, omissis præfatione & commendatione facta circa progenitorum suorum fidem & legalitatem erga sanctam, matrem ecclesiam habitam diu & jugiter, sicque per fratres suos & ipsum, per dominum Aquilegiensem facta postmodum protestatione, quod quicquid dicebat parte duorum suorum cardinalium & sui, non causa responsionis, sed collationis & pratticæ cujusdam dicere intendebat. Nam quidquid per CAROLUM diceretur, seu circa petita tractaretur, intendebant sui domini illic astantes & ipse ceteris suis dominis, qui non aderant, fideliter & serioſe referre, & demum prædicto Carolo cum deliberatione atque consensu cunctorum dominorum suorum & sui, sperabat responsum exhiberi justum & æquum, ex quo prædictus Carolus tamquam fidelis sanctæ matris ecclesiæ filius contentaretur & merito.

I. Gratia collationis cujusdamque tractatus, ut supra dixerat, respondebat, quod petita per Carolum dominis suis atque sibi videbantur impossibilia de jure & de facto: & si eis assentirent, contra justitiam facerent & æquitatem.

II. Videbatur namque impossibile per eos assentiri posse petitis de jure, quoniam ipsi nolentibus duobus dominis contendentibus de papatu servare eorum promissa, vota & juramenta, immo insimul, ut satis notorium est, colludentibus, & nedum servantibus scissionem ecclesiæ tantum; sed, quod omnino pessimum erat, omnibus astutiis & possibilibus sagacitatibus operibusque sacram unionem molientibus impedire & destruere, pluribus experti mediis, nec proficientes, tandem tamquam ultimum remedium generale concilium compulsi sunt indicere & convocare.

III. Hoc ideo in civitate Pisarum inducere deliberaverant, & congregare, ut nullus contendentium juste aut justitiæ apparentis captato colore ad illum accedere declinare valeret; præsertim cum per utrumque eorum, licet non eodem forte tempore, sicut patere poterat, per utriusque publica documenta, locus ille propositus fuerat commendatus, utpote idoneus, ad sacramque perficiendam unionem accommodus.

IV. Ulterius vero, quia locus ille visus est sibi plurimum aptus, & commodus unioni & concilio. Nam exigente præsenti casu schismatis, duas de diversis obedientiis partes insimul ad tractandam & cum Dei auxilio perficiendam unionem convenire debere, eos videlicet qui erant Romanæ obedientiæ & eos qui erant Gallicæ, locus utrique aptus exigebatur ad conveniendum in unum. Constat vero Pisas hujusmodi esse, cum sit in extremitate Italiæ & in confinio Ripariæ Januensis, quæ per illustrem Francorum regem gubernatur.

V. Dicebat insuper ad eundem locum utrique obedientiæ conventuris conciliaturisque tam per terram quam per mare tutum, patentem & commodum accessu esse, locus ille est etiam capax, fertilis & amœnus inter Italiæ loca.

VI. Et cum nonnulli principes potentes impedire satagant sacram unionem, locum erat expediens eligere, sub potenti tutamine constitutum. Hujusmodi autem Pisas esse liquebat, quoniam sub potenti brachio & regimine magnificæ & potentis comitatus Florentiæ gubernatur.

VII. De hac præterea & maxime quælibet partium confidere poterat & debebat, tam Italica, quam Gallica; maxime quia pro sacra unione valde se obtulerat & laboraverat, & locum illum pro sacra præsenti unione commodaverat liberaliter valde.

VIII. Considerant præterea, dicebat, reverendissimi domini mei & ego, quia dictum est de securitate loci, quod tutius est in manibus unius communitatis esse, & sub ejus fide, quam unius domini. Nam cum plurium exigatur consensus in regimine communi, difficilius magisque enorme plurium esset assensum inducere, quam unius. Quia vero ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum, debent qui præsunt ecclesiæ, maxime advertere, ne universalem ecclesiam sub unius ditione & arbitrio submittant.

IX. Potest autem atque debet, inquiebat, de prædicta magnifica communitate confidere pars Italica. Nam & patria & fide ab illa non discrepat.

X. Alia quidem e Gallica parte. Nam eorum fidem multis temporibus experti sunt, & insuper tot pecuniæ & eorum mercantiæ & personæ sub ditione Gallicorum constitutæ sunt, ut nequeant Gallici verisimiliter suspicari, illos quicquam in eorum molestiam tentaturos.

XI. Est autem locus Pisarum valde accommodus ad accessum domini Benedicti, quoniam potest illuc accedere tute, & cum commodo sui corporis & parvo labore: quæ omnia valde indulgeri debent grandævis ætate.

XII. Mirari insuper ipsos dicebat, cur dominus GREGORIUS locum illum declinare præsumeret, nec causam videre sciebant, nisi solum ad subterfugium, ut hactenus consueverat. Nam etsi ineptitudo loci opponebatur; ipsa eadem erat, quam ipse sua bulla canonizaverat tantum. Nec suspicionem al-

legare poterat dominii Florentinorum. Nam in ſuis manibus & poteſtate paulo ante ſe poſuerat libere, & ſemper fuerat honorifice & optime per ſua territoria receptus & tractatus, & per ſuos cives & gentes aſſociatus, & ad loca conductus quæ voluit.

XIII. Unde circa primam partem inferebat, quoniam defectu contendentium ad ſacram unionem tractandam & perficiendam compulſi fuerunt ſacrum univerſale convocare concilium: cumque illud rationibus ſupradictis & aliis multis quæ allegari poſſent, indixerint in civitate prædicta: cumque ſtatutum concilii præfati tempus adveniſſet, jamque per Dei gratiam multitudo non parva ex omni fere natione illuc perveniſſet, tam prælatorum venerabilium, quam ambaxiatorum ſereniſſimorum & illuſtrium principum, communitatum atque magnatum, tam ratione auctoritatis quam numeri ſufficientis, Piſis dici poterat in rei veritate congregatum jam eſſe univerſale concilium, quod poteſtate & auctoritate univerſalis eccleſiæ fungebatur.

XIV. Dictante itaque jure, quod ubi major auctoritas & poteſtas adeſt, minor ceſſet; dicebat ipſe quoniam univerſalis concilii auctoritas & poteſtas, nedum ſupra cardinalium auctoritatem & poteſtatem eſt, ſed ſupra papæ poteſtatem & auctoritatem. Inde ergo quoniam domini mei cardinales uniti collegii & ego concilium convocavimus, & per Dei gratiam jam hic adſit, functi ſumus officio noſtro, & ceſſat auctoritas noſtra minor, adſiſtente majore.

XV. Impoſſibile igitur eſt de jure, quamquam domini mei cardinales, aiebat, honorabilius membrum ſint ceteris in eccleſia Dei poſt papam, ipſos nedum locum pro ſacro concilio mutare, & de alio diſponere, ſed nec minimum actum validum exercere. Cum ad univerſalis concilii diſpoſitionem ſpectet, & noſtra inter cetera computentur vota privata.

XVI. Adeſt iterum, dicebat, alia impoſſibilitas de jure. Nam poſtquam provocavimus ambos contendentes de papatu ad locum iſtum, quem nulla ratione aliquis declinare poteſt, cum jam quiſque eorum pro unione facienda illum propoſuerit & commendaverit, ſi locus mutaretur, actus citationis eorum ad ſacrum hoc concilium nullius redderetur roboris, & ſic uterque excuſatus eſſet de jure, ſi coram hoc ſacro concilio non compareret. Ipſis vero non comparentibus coram hoc ſacro concilio, & in ſua obſtinatione relictis, non unio, ſed unionis diſſolutio, & ſchiſmatis hujus protractio, vel forte, ut ita dicatur, perpetuitas ſequeretur.

XVII. Si præterea locus mutaretur, cum jam per nos convocati ſint ad locum iſtum tam clerici quam laïci, qui debent de jure intereſſe & admitti concilio, & a pluribus eorum habeamus eos per ſe vel ſuos procuratores huc fore venturos, ſatis inhoneſtum foret contra ſpem ſibi miſſam, abſque eorum conſcientia mutare locum.

XVIII. Poſſent inſuper non abſque cauſa conqueri per dominos meos, inquiebat, & alios hic congregatos ſibi injuſtitiam fieri, ſi abſque ipſorum fieret indicti & acceptati jam per eos mutatio loci. Cum enim non ignoremus ipſos huc eſſe venturos, & ad concilium debeant & poſſint intereſſe de jure, injuſtitia ſibi fieret, ſi ipſis non præſtolatis, ſaltem per congruum temporis ſpatium, hoc quod tanti ponderis eſt, & quod jam probaverunt, mutaretur.

XIX. Poſſet iterum de injuſtitia & iniquitate ſibi facta conqueri dominus Benedictus. Satis enim, cum ſe verum putet pontificem, injuſtum eſt, ut in loco obedientiæ adverſarii ſui &.non ſuæ concilium convocatum ſit. Majoris, quod illuc ipſe citatus & provocatus ſit. Nec putare debere concilium, dixit, dominos meos cardinales obedientiæ ſuæ hic aliqualiter aſſenſiſſe, niſi pro eo tantum, quod ſemel ipſe locum Piſarum propoſuerat, ut cum adverſario ſuo ad ſedandum ſchiſma conveniret.

XX. Quantum itaque majorem querimoniæ cauſam præberemus, aiebat, domino Benedicto, ſi adverſario nobis adſentientibus, & coadjuvantibus, non ſolum ultra id quod intra obedientiam illius traheretur ipſe dominus Benedictus & tota pars ipſius; verum uſque ad illius ferme patriæ lares. Conſtat enim quodlibet propoſitorum locorum quaſi in Venetiarum dominii finibus eſſe.

XXI. Quæ inſuper, dicebat, honeſtas, æquitas foret ex parte noſtra & aliorum patrum hic congregatorum, locum mutare, cum intra xv. dies vel circa expectentur hic nonnulli reverendiſſimi domini mei cardinales, nec non venerabiles prælati & ambaxiatores; inter quos ſunt oratores ſereniſſimorum regum Bohemiæ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, Portugalliæ & ſacri electorum imperii Moguntinenſis, & Colonienſis.

XXII. Præterea ſi æquitas attenditur, major æquitas eſt quod unus ſolus, videlicet dominus Gregorius fatigetur, quam Benedictus qui ſe papam putat, & a multis papa reputatur, & tot centena prælatorum, qui Piſas accedentes, valde fatigati ſunt itineribus longis & expenſis plurimis, abſque quod quæratur ipſos ulterius quaſi inſupportabiliter fatigare.

XXIII. Fieret etiam, dicebat, magna incommoditas & inſupportabilis iniquitas fere dominis meis Gallicis, ſi ultra Alpes ducerentur, qui propriis relictis laribus, cum maximo eorum diſpendio & periculo, zelo unionis ducti, in manibus Italicorum qui contrarii

contrarii fuerant ſibi in fide pontificatus, non metuerunt ſe ponere.

XXIV. Ulterius, inquiebat, Carolum, quem ſciebat fidelem filium ſanctæ matris eccleſiæ, tamquam ad quemlibet catholicum ſpectat, ſolerter prudenterque advertere debere, ne aſtutiis domini Gregorii & ſuorum quorumdam ſequacium ſeductus, ea proponat & petat inſtanter, quæ ſi admitterentur & fierent, non unionem afferrent, ſed potius ſubverſionem unionis.

XXV. Etenim dominus Gregorius a modo, dicebat, non poſſe ulterius ſubterfugia evadere, quin aut papatum ſibi expediat relinquere, aut æternam confuſionem incurrere, niſi aut hoc ſacrum concilium dividat, vel diſſolvat.

XXVI. Fallaci igitur honeſtatis modo adinvento, videlicet conveniendi omnes in uno tertio loco, & ibi communi conſenſu congregandi concilium, aiebat, nos fallere credit. In hoc modo non unionem proſequi, ſed impedire, vel ſi poterit, penitus deſtruere procurat.

XXVII. Primo itaque putat, ſi locus mutetur, dominum Benedictum indignari debere, & inde occaſionem ſumere non conveniendi nobiſcum in hoc ſacro concilio & renunciandi. Scit enim quod quotieſcumque dominus Benedictus ſacro adeſſet concilio, male poſſit evadere ne cederet, attentis ipſius promiſſionibus & juramentis. Scit inſuper quod ſi dominus Benedictus cederet aliquo modo, aut ceſſionem aut perpetuam confuſionem ipſum protendere vel penitus effugere non valere. Scit etiam dominum Benedictum ſemper dixiſſe non eſſe ſuæ intentionis accedere velle ad aliquam terram Italiæ, quæ non ſit penes mare; proinde loca proponere facit, ad quæ impoſſibilitatem eſſe cogitat dominum Benedictum aliqualiter eſſe venturum. Et ſic denique credit per hanc viam ſacram differre unionem vel devaſtare, ſi ſibi credentes & non de aſtutia perpendentes invenerit.

XXVIII. Inquiebat etiam, neſciunt domini mei & ego agnoſcere qua honeſtatis ſeu opportunitatis fronte dominus Gregorius petat mutationem loci, ut in eo unum univerſale concilium celebretur in quo ipſe ſua promittit ſervare promiſſa vota & juramenta.

XXIX. Nam ſi ſua vult ſervare vota & juramenta, ea ſcit ſervare teneri ſicut vovit & juravit. Scit autem quod eo tempore quo juravit in conclavi, una cum aliis dominis meis ibi adſtantibus, non fuit noſtræ intentionis quod expediret ad obſervationem voti & juramenti, & ad unionem eccleſiæ univerſale concilium; quod ſuæ etiam intentionis nullomodo fuerit, aptiſſime liquere poteſt per ſuas juramenti confirmationes, & bullas, aliaſque publicas ſcripturas, in quibus nec aliqua ipſarum factam eſſe de concilio congregando mentionem patet. Unde cum ſolum poſtquam domini mei Gallici & nos a contendentibus diſceſſimus, & poſtquam nos viderunt unitos, & ſciverunt congregaturos univerſale concilium, unuſquiſque eorum ſuum diverſis locis & temporibus congregandum ſtatuerit; manifeſtum eſt hoc tantum ſubterfugii & impediendæ unionis cauſa feciſſe. Videbant enim & vident per hanc viam, quam, domino dante, ſuſcepimus, & ipſo adjuvante proſequemur, non poſſe per ipſos, niſi illam impediant, amplius ſacram differri impedirique unionem.

XXX. Quid enim expediens eſt ſibi concilium, aiebat, ſi vult cedere prout vovit & juravit? Poteſt namque cedere per procuratorem. Et ſi vult cedere, ſed non niſi in manibus aut conſpectu concilii, accedat huc, ubi univerſale concilium congregatum eſt, ubi honorifice & caritative ſuſcipietur, & cedat, vel per ſuum cedat procuratorem idoneum. Quod ſi neque hoc voluerit, mittet ad ipſum ſacrum concilium in competenti & honorabili numero cardinales & alios prælatos, cum ſufficientiſſimo mandato, nomine ſacri concilii univerſalem repræſentantis eccleſiam, uſque ad præſentiam ſuam, ad recipiendum prædictam ceſſionem & renunciationem de manibus ſuis. Quid vero ſibi expedit aliud concilium, quam hoc quod rite congregatum eſt in ſufficienti numero, & de omni natione, in quo utraque obedientia convenit in unum.

XXXI. Advertunt etiam, dicebat, domini mei & ego, quod ſi petitis aſſentiremus, magnum tempus labi neceſſe eſt, antequam per orbem hæc nota fierent, & antequam illi quibus notificatum eſſet, accedere poſſent. Et hoc ſolum eſt quod Gregorius quærit, ut patres hic congregati, alii laboribus, alii paupertate, alii neceſſitatibus eccleſiarum ſuarum & ſuis fatigati & coacti, indiſcuſſa & indemnata malitia contendentium, & non proviſo opportunitati unionis, ad propria expediat remeare. Et quoniam hoc eſſet diſſolutio hujus ſacri concilii, & per conſequens unionis, non ſumus diſpoſiti aſſentire, nec debere dicebant Carolum talia tentare, immo ſi facere vellemus toto poſſe prohibere.

XXXII. Aiebat etiam præter ſpiritualia pericula, incommoda, & jacturas, quæ propter hanc longam moram obvenirent, ſequeretur ex ea totalis deſolatio & dilapidatio bonorum temporalium & ſtatus S. R. E. Nam ex una parte rex uſurpat, & ex alia Gregorius diſpergit & alienat. Hæc autem neque nos neque quiſquis ſanctæ eccleſiæ fidelis ſit & ſubjectus velle debet aut tolerare.

*XXXIII. Quibus attentis, aiebat, ſe omnino compulſos fuiſſe negativam præbere venerabilibus oratoribus ſereniſſimi regis

Hungariæ & incliti domini Venetiarum, qui ad eos acceſſerant ſimilia poſtulantes, nec non reverendiſſimis oratoribus ſereniſſimi ſecundi electi Romanorum regis, qui nuper huc propterea acceſſerant, & adhuc Piſis erant.

XXXIV. Unde licet non finalis reſponſionis cauſa hæc diceret, tamen quia putabat & dubitat Carolum fruſtra a modo laborare circa talia inſiſtendo, concludens rogabat & hortabatur CAROLUM ex parte dominorum ſuorum cardinalium uniti collegii & univerſaliis concilii illic congregati, univerſalem repræſentantis eccleſiam, per fidem & devotionem, quam debet ſanctæ matri & dominæ ſuæ eccleſiæ, & quam ſui progenitores illi ſemper geſſerunt & ſervaverunt, quatenus vellet unionem & pacem dare populo Chriſtiano & eccleſiæ ſanctæ Dei, quoniam poterat ſi volebat, videlicet modum ſervando, quod dominus Gregorius, qui erat in domo ſua & in ejus poteſtate, Piſas accedat, & renunciet ſicut promiſit, vovit & juravit, vel ſtans ubi eſt vel per procuratorem.

XXXV. Offerimus inſuper, dicebat, domini mei & ego, & non dubitamus ſacrum concilium pariter conſenſurum; volente domino Gregorio hæc adimplere quæ dixi, bene & honorabile ſtatui perſonæ ſuæ, fratris atque nepotum ſuorum providere. Et ſi quid Carolo per ipſos circa hoc in genere aut in ſpecie faciendum videbatur, rogabat cariſſime & inſtanter, quod eos placeret reddere aviſatos, quoniam ſibi ad ſingularem complacentiam redundaret: quod ſi nollet ita publicè eis referre, contentarentur domini ſui & ipſe per quemcumque & quomodocumque Carolo videbitur aviſari private vel palam.

XXXVI. Hæc ipſo finiente, reverendiſſimi Albanienſis & de Thureio inconſtantiam notoriam & aſtutias maximas circa proſecutionem unionis duorum contendentium de papatu plurimum arguentes, nihilque de eorum promiſſionibus fore ſperandum, niſi exinde fallacias & dolos inquiebant. Propterea dicebant, credimus patres ſacro ſtantes concilio, nullomodo petitis per Carolum conſenſuros; & ſi vellent, multis omnino putamus impoſſibile foret. Et inde non auderemus, quiſque dicebat, hoc illis ullo modo proponere, verentes ne putarent nos illos illudere velle aut fallere.

XXXVII. Poſtremo dominus Mediolanenſis hæc omnia affirmans, adjecit in hunc effectum ad Carolum: Certe domini mei & ego putamus nullum prudentem virum viam certam, paratam & celerem ad ſuum obtinendum obtentum, pro incerta & nondum parata & celeri, ſed nec incepta & longiſſima via dimittere debere, neque niſi per aliquem prudentem amico ſuo conſulere quod relinqueret. Patens eſt enim ultra rationes optime inductas per dominos meos ex facti evidentia, viam per nos Dei inſpiratione inchoatam, certam, paratam & celerem fore ad ſacram unionem, divino cooperante auxilio, cito perficiendam; viam vero propoſitam per Carolum non inceptam, nec paratam, immo longiſſimam. Unde dominis meis & ceteris patribus hic pro ſacra unione congregatis, illam nulla ſcirem ratione conſulere vel proponere. Verum cum ſua ſupportatione dictum ſit, non deſino admirari, cur tam inſtanter per Carolum hujuſmodi via petatur, cum non ignorem eum virum catholicum & ſanctæ matris eccleſiæ devotum atque fidelem.

XXXVIII. Deinde iterum ſubjunxit: Domini mei, cum veſtri reverentia & correptione, volo ſciſcitari a Carolo, utrum recordetur, anne, dum Mediolani eramus pluries inſimul de hac ſacra unione conferendo, & de modis per quos ad ipſam perveniri poſſet ratiocinando, & præcipue poſtquam divulgatum extitit de colluſionibus amborum contendentium de papatu, & de eorum ſubterfugiis, & prava intentione erga ſacram unionem & pacem & publicum bonum populi Chriſtiani, in hoc mecum, ſi recolo, convenit, quod ultimum remedium & potiſſimum erat, quod ambo collegia, dimiſſis contendentibus, convenirent in unum, & convocarent concilium, & ſecundum quod concilio videretur, ſuper unione providerent. Et poſtquam in hoc conſtantem, pluries ſecum conferendo, ipſum Carolum repeti, iterum petii in caſu quo utrumque collegium hoc faceret, ſi viam illorum ſequeretur, & eis faveret; qui, ſi bene memini, reſpondit quod ſic. Unde ſi ſic eſt, toto corde, ac toto ipſum mentis affectu deprecor, quod propter reverentiam domini noſtri JESU CHRISTI, qui ſibi ſanctam eccleſiam ſui pretioſiſſimi ſanguinis effuſione deſponſavit, & propter obligationem, quam quiſque fidelis ſuæ matri debet eccleſiæ ſanctæ, & propter eam quam ipſe debet ex beneficiis per ſuos præceſſores & ſeipſum a domina ſua ſancta eccleſia ſuſceptis, & propter intentionem & promiſſa quæ ab ipſo ſuſcepi, velit dominis meis vobis & aliis qui hoc ſacrum negotium tam pie ſuſcepiſtis, & cum tot periculis, laboribus & diſpendiis, favere & interponere cum affectu partes ſuas, ita & taliter, quod ſancta mater & domina ſua ſuo opere optata unione & pace fruatur. Ex hoc enim præter æternum præmium, quod propter tam pium ſanctumque opus a domino merebitur, apud homines perpetuum & glorioſum præconium in ſæculo conſequetur, & domus ſua in temporalibus exaltabitur plurimum.

XXXIX. Si vero, quod abſit, quodque mihi fere credere apparet impoſſibile, conſiderans diuturnam fidem & legalitatem,

quam erga ſanctam eccleſiam ſui præceſſores & ipſe huc uſque geſſerunt, hoc facere neglexerit vel noluerit, certus ſit, vix pro tanta negligentia tantoque piaculo apud Deum ſalvabitur. Magnum dedecus ipſe & domus in ſæculo conſequetur, & quidquid laboris aut diſpendii in commodum ſanctæ matris eccleſiæ & dominæ ſuæ paſſus eſt, totum, ſi hoc non egerit, inficietur & perdet. Nam in cauſa erit ſanctæ eccleſiæ totalis deſolationis ex nunc. Nec hoc non poſſe, ſe excuſare valebit, cum dominus Gregorius in ejus ſit manibus & poteſtate; neque hoc facere non teneri, cum juxta patrum decreta & ſanctiones, quiſquis fidelis obligetur ſchiſmaticos ſchiſmatiſque fautores, pro ut eſt dominus Gregorius, per brachium ſæculare compeſcere, & in carcerem trudere, ſi opus extiterit.

XL. Dénique concludens ait: Hæc certe non dixi improperationis, ſeu contentionis, vel diſputationis cauſa; ſed quod ex debito & præſertim officii mei teneor, quemcumque fidelem in ſalutiferis animæ ſuæ, & publicis ſanctæ eccleſiæ commodis admonere & exhortari, & præter ceteros erga ipſum hoc agere me obnoxium puto, cum S. R. E. ipſe ſuique patres diu fuerint devoti particulareſque filii, & quoniam inſuper cum ipſo converſatus ſum, & amicitiam contraxi ſingularem atque domeſticam. Unde ſi tacerem, nimis me putarem errare. Rogo igitur Altiſſimum, ut mentem ſuam ad hæc & alia ſibi placita dirigere & confirmare dignetur.

His auditis, Carolus effectualiter ſic reſpondiſſe videtur. Omiſſis gratiarum actione circa commendationem fidei progenitorum ſuorum & ſui, & qualibet alia præfatione.

Ad primum. Quod neutrum iſtorum petiviſſet aut peteret, ſi quod dicebat ſic eſſe cognoſceret. Scit namque quod impoſſibilia de jure fieri non debent, & impoſſibilia de facto fieri non poſſunt. Et propterea ſtultus eſt, qui impoſſibilia de facto petit, & impius qui impoſſibilia de jure petit, & iniquus qui ea petit fieri, quæ contra æquitatem ſunt.

Ad II. Primo namque proteſtatur, quod non venit diſputandi cauſa de jure partium Piſas, neque principaliter aliquam partium accuſandi ſeu excuſandi, niſi quantum conferre poſſe videretur ſibi pro concordando partes, quod maxime neceſſarium eſt univerſo populo Dei, & non contentionibus novas parere contentiones, inveteratasque nutrire. quicquid tamen ſit, rebus ſic ſtantibus, concilium valde approbat, quod unicum atque univerſale fieri petit, ut unio fiat & univerſalis reintegratio, & non particulare, ne diviſio major fiat, & modus per quem ad unionem perveniri juridice & conſuete poteſt, videlicet concilium dividendo, deſtruatur.

Ad III. IV. & V. Reſpondere ſuperfluum apparet, quia de competentia & incompetentia loci Piſarum in petitione ſua ſatis diſſertum putat & concluſum, quod propoſita loca per eum ſint magis æqua, tuta & libera partibus.

Ad VI. Primam partem fateri dixit, ſecunda vero quam vera eſſet notum erat. Nam & cum magnificum commune Florentiæ tanta cum ſuſpicione Piſas gubernet, quomodo poteſt exteris ibi plenam dare tutelam?

Ad VII. Tres dixit eſſe partes, unam ejus qui dicitur Benedictus, aliam domini Gregorii, aliam eorum qui fuerant obedientiæ ipſorum. Quod vero dominus Benedictus poſſit aut non poſſit de prædicta communitate & dominio Florentiæ confidere, ignorat. Unum tamen ſcit, ſe audiviſſe nullo umquam tempore voluiſſe Piſas accedere, niſi fortalitiæ prædictæ civitatis eſſent depoſitæ in manibus ſibi fidis. Quod ſi verum eſt, certum eſt ipſum non plene de prædicta communitate confidere. De domino vero Gregorio ſcit, quod valde conqueſtus eſt dominii Florentiæ, ſuis cuncta adverſariis auxilia præſtitiſſe in ipſius vilipendium exterminiumque. Præterea paſſos fuiſſe & feciſſe publice ipſum fautorem ſchiſmatis & hæreticum prædicari.

Ad VIII. Omiſſis pluribus objectis quæ fieri poſſent, ne contentiones, quas odit, potius quam pacem pro qua venit, dicatur movere, dixit quod numquam hoc fœdere propoſita ſunt loca, ut ſub unius vel duorum tantum ſit ditione univerſalis eccleſia & partes contendentes. Sed loca propoſita ideo Piſis prælata ſunt, quoniam in illis nullius ſub poteſtate ſæcularis clerum & partes expedit eſſe, niſi ſui ipſius & unius duorum, trium, decem, centum, mille, & quotquot & quorumcumque partes inſimul convenerint & voluerint, & cum locorum illorum tria eccleſiæ ſanctæ ſint, videlicet Bononia, Forlivium & Ariminum, de illis ad beneplacitum abſque contradictione diſponere valent. Similiter vero de Mantua, quia ſibi propter hoc abſque reſervatione oblata eſt & offertur. Verum quia de ſecuritate locorum tangitur, dixit quod ſecuritas ſi attendatur penes locorum incolas, quilibet propoſitorum locorum tutior eſt Piſis. Si autem attendatur penes exterorum incurſus, nullus prædictorum locorum, ſtante civium fide erga ſanctam eccleſiam, ſicut eſt, minus tutus eſt Piſis, cum quilibet ſit inexpugnabilis. Sed nulli dubium eſt, quod Mantua præcipue & Bononia tutiſſima eſt ab omni hoſtium invaſione.

Ad IX. Dixit, ſi conventio & congregatio ipſorum qui Piſis ſunt, ſufficiens erat de jure & de facto ad faciendam pacem eccleſiæ & uniendum populum, ſufficit: ſi autem non, locus exigitur, non uni tantum parti, ſed omnibus non ſuſpectus.

Ad X. Supra dixit, quod aliud expedire videtur ad pacem ecclesiæ & unionem populi Christiani, quam quod qui Pisis convenerunt de illo loco possint confidere. Nam soli nequeunt de jure & de facto sine aliis pacem veram & reintegrationem facere. Et propterea expedit locus ceteris etiam securus. Et si dicatur quod ibi sunt ex utraque obedientia, admittitur, quod de olim utraque obedientia; sed manifestum est, ibi non esse utramque obedientiam, sed unam quæ ex duabus facta est, & ab illis divisa non unionem, sed trivisionem facit.

Ad XI. Dixit satis circa hoc dictum fuisse in petitione.

Ad XII. Non subterfugii causa, quod sibi valde exosum est & damnosum, inter ceteros fideles quæsiviſse mutationem loci. Dicebat: etiamsi dominus Gregorius hac causa quæreret, quod non est putandum, sed solum propter debitum æquitatis & juris; & quia videt si hoc fiat, verisimiliter & absque dubio pax bona & vera sequetur sanctæ matris ecclesiæ, & unio populi Dei: alias, detestabilis divisio & confusio. Ait insuper fateri mutatum non esse loci situm, quem dominus Gregorius sua bulla canonizaverat tantum, sed mutatam & detectam esse voluntatem gubernantium locum illum satis manifestum esse dixit.

Ad XIII. & XIV. Supra dixit non accessisse illuc causa disputandi de partium culpa. Similiter dicit se nolle nec oportere disputare de potestate concilii, & utrum congregatio illa concilium sit, & universalis ecclesiæ habeat auctoritatem. Nam canones patrum & jura non noviter edita, nec a personis in hoc suspectis terminant circa hoc sufficienter, quibus quantum in se est acquiescit.

Ad XV. Dicit, quod non dubitabat patres Pisis pro sacro concilio congregatos, consensuros libentissime mutationi loci, dummodo ipsi reverendissimi vellent, immo si non prohiberent; quia cognoscere poterant aperte, quod ex hoc sequebatur vera pax & unio populi Christiani, remotis cunctis scopulis juris & impedimentis factis. Nec credendum erat ipsos proprios reliquisse lares propter unionem, & deinde respuerent oblatam.

Ad XVI. Duos fuisse citatos dixit, videlicet dominum GREGORIUM & dominum BENEDICTUM. Si vero cum domino G. prout petebatur, convenire assentirent, citationem illam non expedire amplius manifestum erat, & certum hoc non nocere unioni, immo ampliſſime proficere; quia præstantissima erat via concordii viæ rigoris juris. Ceterum, aut dominus B. pariter convenire vellet, & etiam eadem de ipso erat ratio; aut non, & tunc terminus statutus ex eo quod non suspendebatur, fluebat; & poterant ipso comparente in loco citationis infra terminum statutum, jus sibi administrare. Si vero non compareret infra terminum, tunc de duobus possent alterum eligere, & ipsum tamquam contumacem judicare, ea qua fungebatur auctoritate & potestate; nihil tantum differre, quousque unum de communi consensu domini Gregorii & sui, ut petebatur, congregatum esset concilium ad opportunam & majorem cautelam, & etiam una cum domino G. & suis, de domino Benedicto & sequacibus suis, secundum formam juris providere. Hoc autem neque dilatio erat, neque unioni præjudicium. Nam infra tempus concessum citatis ad comparendum, poterat de modis conveniendi in unum & forma tractari atque concludi: quod tempus aliter tamen præstolari expediebat, antequam posset sententia ferri: & si aliquo modico differretur ultra statutum terminum, non tamen propter hoc citatus excusabatur, seu absolvebatur a contumacia; sed quotidie magis ejus pertinacia & contumacia accusabatur & damnabatur a jure. Unionis ergo per hoc dissolutio, nec schismatis hujus protractio nec perpetuitas sequeretur, sed oppositum.

Ad XVII. & XVIII. Quemlibet prudentem virum & non malum dixit putare debere, quod convocati ad concilium, sicut principaliter vocati sunt ad unionem, ita principaliter de omnibus contentari, quæ unioni conferant & optare. Cum vero manifestum sit concordiam inter vos & dominum Gregorium plurimum proficere unioni, de hac quoslibet contentissimos fore non est ambigendum, qui non fuerint pacis hostes & æmuli. Honestum quidem est & justum, ut qui pacem quærunt, potius per concordiam quærant & partium spontaneum assensum, quam per juris scrupulos, rigorem, lites, & jurgia: præcipue in his quæ de ecclesiæ causa & hominum conscientiis aguntur. Præterea non magis inhonestum & injustum foret absque conscientia & consensu accedentium mutare locum, ut pacifice & absque juris dubiis & facti, unio sacra fieret, quam si ipsis insciis & non assentientibus, propter contingentem utilitatem, videlicet epidemiæ, belli & hujusmodi. Nec tamen inde tot evidentia bona sanctæ matris sequerentur ecclesiæ sicut ex hoc. Præterea multi actus facti sunt, ipsis insciis & non præstolatis, non minoris forte ponderis, qui quamvis dicantur facti, forte, immo quasi certe majorem saltem de facto cum multis juris anfractibus parient divisionem in principio, licet Dominus Deus ad suum beneplacitum disponet in fine, quomodo vero ignorant homines. Amen.

Ad XX. Quamvis de hoc satis dissertum sit in petitione sua, dixit tamen quod non petierat absolute dominum Benedictum ad proposita loca accedere, licet illa valde commendaverit, sed quod vel ad illa accedat, vel quod æque bona vel meliora proponat;

tamen adhuc dixit quod dominus Benedictus ad loca ecclesiæ accedere non deberet recusare, si se papam reputat. Exemplum habetur de præteritis pontificibus, qui pro commodo & opportunitate minori status ecclesiæ etiam temporalis, majores sustulere labores. Et ut non longius quæratur, multi debent recordari de domino Urbano V. & domino Gregorio XI.

Ad XX. Dixit, ut supra, verum etiam proposita loca tuta esse partibus & concilio ab omni invasione & violentia.

Ad XXI. Ait ut supra ad XVII. & XVIII. hoc addito, quod prædicti nec eorum domini haberent justam querelæ causam, quia eis non petitur auferri commoda & honores, quæ ex sacro concilio & sacra unione sibi proveniunt. Insuper ad rem certam accederent unionis & pacis sanctæ matris ecclesiæ & totius populi Christiani, ubi nunc ad contentiones, rixas, & ambiguitates accedunt. Quis igitur sapiens crederet ipsos lamentari, sibi paratam pro ambiguitate unionis certitudinem, & pro labore quietem, & pro onere honorem, & pro incommodo commodum? Insuper tam breve spatium est xv. dierum, quod ante præterient, quam inter ipsos & dominum Gregorium capitula concludantur. Et sic etiam non erunt ab hac conclusione absentes.

Ad XXII. Nolebat, dixit, de majoritate & obedientia partium disputare, sed hoc omisso, dixit, quod velut in sua petitione continetur, si vocatorum prælatorum numerus attendatur & distantia locorum propositorum & Pisarum, plures numero valde, plures prælatorum a Pisis distant, quam a quocumque propositorum locorum. Tamen de hoc in petitione latius habetur.

Ad XXIII. Fatetur, ait, sed cum non possit publicum bonum esse absque privato incommodo, potius certum est publicum privato debere præponi: præsertim cum publicum commodum maximum est, & privatum incommodum satis tolerabile. Insuper quis ignorat quod negligens & insipiens mercator est, qui si transfretavit, licet conductæ non. sint mercantiæ ad portum pro quibus navigavit, si expediat laborem & expensas sufferre non paucas, potius vacuus domum redire voluerit, ut cito veniat, quam si differat, ut onustus optatas merces, quamquam fero & fatigatus, perducat ad propria? Subjunxit etiam subridendo reverendissimos dominos Gallicos non debere majoris tædere laboris, quia a parte Romana triumphum & victoriam expectant, cum via cessionis per ipsos inventa & semper & maxime prosecuta fuit, nec possunt dicere, quod trahantur ab Italicis, immo ipsi vexillum ante ferunt. Nos vero illos in hoc imitamur a tergo quocumque ierint.

Ad XXIV. XXV. XXVI. Fatetur, dixit, se adhæc teneri, quæ dicunt diligenter advertere, & quod male immo pessime faceret, oppositum faciendo. Sed dixit quod sperabat a bonitate Altissimi, quod si dominus Gregorius & sui hæc decipiendi causa & destruendi unionem proposuissent adverteret, & tunc prius deberet velle mori, & Domini Dei gratia mori vellet, quam talia non solum tractare, verumetiam aliqualiter assentire. Nec adest etiam causa, quare hoc tractare deberet, aut assentire, cum suæ sit per divinum munus intentionis semper fidelem servum esse sanctæ ecclesiæ matris & dominæ suæ. Unde ex commodis ipsius, quid aliud quam commoda, sperare potest aut debet, & ex incommodis & jacturis quid aliud quam incommoda & jacturas. Dixit insuper tempore plurium pontificum, & a quibuslibet, sui & ipse fuerat bene tractatus, & sic a quocumque foret, sperare debebat, & sperabat in posterum, ipso permanente in debita fidelitate, sicut intendebat. Et quicumque credere velit, credat, quod dummodo vera pax & sacra unio fieret sanctæ ecclesiæ & populi Christiani, nullum habet hostem quem recusaret ut pontifex fieret. Dixit etiam quod nullus reperire poterit dicens, quod ipse aliquam gratiam aut munus aliquod importune receperit seu petierit a domino Gregorio, postquam fuit papa. Unde infert quod talis credulitas ab ipsis & ab omnibus debet suspicio exsulare. Sed quod evidentissimum in oppositum eorum quæ dicta sunt est, dicit quod ipse non fuit de hoc prius tentatus a domino Gregorio; sed viam conveniendi in unum cum domino B. si vellet, & suis reverentiis, ipse proposuit domino Gregorio primum, deinde ipsis, nullam videns viam per quam habilius ad concordiam partium veniretur. Cernebat enim quantum excidium universali ecclesiæ sequeretur ex discordia; quantum vero commodum & proficuum ex concordia trium inter se partium contendentium, quocumque etiam juris colore aut veritate pars una adversus alias contenderet.

Ad XXVII. Satis faciliter comprehendi posse inquit, quomodo rationes illæ procedebant, tam ex his quæ in petitione sua continentur, quam ex his quæ supra proxime dixit. Addit etiam cur dominus Gregorius hanc viam quæreret, ne dominus Benedictus Pisas accedat, cum vere omnibus manifestum sit, eum illuc nulla ratione fore venturum. Ante enim quam contra eum tantum actum fuisset, antequam domini Florentiæ pro reverentiis vestris detecti fuissent, manifestum est quod noluit Pisas accedere, Pisarum fortalitiis existentibus absolute in manibus eorum, quorum sunt. Quantum ergo nunc minus accederet?

Ad XXVIII. & XXIX. Dixit se ignorare, sicut supradixit, quod dominus Gregorius principaliter hoc quæsierit, hoc vero scit,

quod quiſitus aſſenſit. Verumtamen ſi dominus G. poſtquam res ſic proceſſerunt, & & in his terminis ſunt, quærit concilium univerſale fieri pro ſacra eccleſiæ ſanctæ unione, credit quod expediens ſit, quod & bene faciat, & male faceret, ſi non ſic quæreret. Ad id vero quod dictum eſt per reverentias ſuas, ſatis manifeſtum eſt, quod domino Gregorio jurante & vovente in conclavi, cum eſſet cardinalis, & poſtquam fuit papa ipſo confirmante quæ voverat & juraverat, non fuit facta, quod ſciatur, publica mentio de concilio, nec pro unionis eſſentia ſimpliciter oportebat congregari, ſed ſi dominus Gregorius & dominus Benedictus fuiſſent concordes de renuntiando & cedendo & modis circa futuri paſtoris electionem; quamquam in omni eventu nihil nocere potuiſſet aut poterat ſacri concilii congregatio propter unionis celſitudinem & confirmationem, & propter multa decidenda dubia eorum quæ verſabantur, & quæ agitari oportere veriſimile erat inter eccleſias & prælatos. Diffiteri enim nequaquam poſſe certum eſt, multas inter eccleſias contentiones & lites fuiſſe diu poſt celebrata concilia, quæ licet papa dirimere poſſit, tamen volens patrum ſanctorum veſtigia ſequi, quiſquis fuerit indubitatus papa cum eccleſiæ conſilio dirimet. Nunc autem eo magis, quo eccleſia tanto tempore ſub contraria obedientia ſciſſa permanſit, ex quo inveteratum eſt odium inter partes, & per conſequens difficilius eſt diffidentium animos ad pacificam unionem revocare, & ſi revocati fuerint, faciliter parvus deſpectus & diſcordia, quæ inter unum contra alium adverſæ partis oriatur, ſufficit priſtinam memorare diſcordiam. Et ſi inter plures partium cujuſlibet adverſus alios multæ lites & diſcordiæ ingentes, quamvis etiam juris diſpoſitione ſedentur, non ſedentur de communi partium conſenſu & deliberatione, faciliter ſuſcitari poſſet inter partes error novus pejor priore, & diſcordia quodammodo impoſſibilis ad ſedandum. Verum quis neſcit quod fere innumeri prælati in eodem concurrunt titulo? Nonne tot intitulati cardinalatus in patriarchatibus, archiepiſcopatibus, epiſcopatibus, abbatiis, prioratibus & quolibet genere prælationum; nonne in quolibet magiſtratu & generalatibus Mendicantium, quis ita ſapiens quoque conſulet hæc ſine partium & totius eccleſiæ conſenſu & deliberatione terminari, ut vera unio fiat & duret? Sed quid dicetur de diſcordiis urgentibus inter principes ſæculares, quibus ut provideretur, jam alias exiſtente uno omnibus indubitato paſtore, ſacrum univerſale concilium congregatum fuit. Nunc autem numquid non duo ſunt de Romano contendentes imperio? Numquid non duo de regnis Siciliæ & Hungariæ? Certe ergo cum negotium unionis omnes tangat, docent leges quod ab omnibus debet approbari. Verum ſi hæc ceſſarent, negari non valet, quod non exiſtente domino Benedicto concorde cum domino Gregorio, unio fieri non poteſt, niſi per concilium generale, ſalvo niſi Dominus ipſe mirabiliter faciat. Hoc autem quia non eſt in poteſtate hominum, non debet tractari per homines; excepto etiam niſi per violentiam ſive propria voluntate una pars alteri ſe ſubjiciat. Utrumque vero iſtorum quantum ſit factibile, credibile & ſperandum judicet quiſque non ſtultus aut non hoſtis manifeſtæ veritatis; quod autem hoc verum ſit, non perſuadetur, ſed demonſtratur. Cum enim non ſint concordes de modo cedendi, aut alia via ad unionem dominus Benedictus & dominus Gregorius, eſto quod dominus Gregorius cederet & dominus Benedictus non; certe vel dominum B. in titulo papatus abſque omni obedientia relinquere oporteret, & ſic non fieret unio: aut diceretur quod omnes ſibi obedirent, & hoc quantum facerent illi qui ſunt Romanæ obedientiæ & nonnulli de ſuis plus quam manifeſtum eſt; aut illum ejicere oporteret a titulo & poſſeſſione obedientiæ, & hoc vel per ſententiam domini Gregorii, vel per aliam. Si autem ſententiæ domini Gregorii tantum acquieſceret, & pareret pars Gallica, ſatis apertum eſt: Si vero non per ipſius ſententiam, per quorum ſententiam? ſi per alterius vel aliorum quam concilii generalis ſententiam, deberet ſive poſſe ejici aliquo juris colore. Dicat ſi quis dicit non expedire concilium generale pro unione, dummodo Gregorius cedat. Præterea ſi quis juris diſpoſitionem & veritatem inſpexerit, & cognitam gratis noluerit negare, fatebitur rectitudini & certitudini unionis expedire, volente maxime uno convenire cum aliis ex his qui in papatus tituli poſſeſſione eſt, illius præſentiam & auctoritatem antequam cedat ad abſolvendum, diſpenſandum & habitandum. Ex his igitur & pluribus aliis moti ſereniſſimus rex Romanorum & ſereniſſimus rex Hungariæ, illuſtreque & inclytum dominium Venetiarum, videntes univerſale concilium expedire & oportere pro ſacra unione juſte & recte perficienda celebrari; & ſcientes quod a tribus convocatum fuerat; inſpicienteſque quod hoc erat addere triviſionem diviſioni, & non ſacram facere unionem, ſaltem de facto; atque attendentes æquitatem, & putantes quaſi de facto impoſſibile quod una pars ad alterius vellet concilium & citationem accedere, ſicut per oratores prædictorum principum diſcere potuerunt, cum domino Gregorio tractaverunt, ut in uno univerſali concilio vellet communi partium conſenſu congregando convenire, & ibi ſua vota & juramenta ſervare, & modum effectualem unioni præbere, a quo habito reſponſo quod contentabatur; ſed nolebat in loco ad quem citatus

fuerat, & qui parti suæ & sibi foret suspectus accedere, mutationem loci & unius non plurium conciliorum ex communi consensu faciendam procuraverunt. Ipse vero demum, licet inutilis & minimus inter tantos, tamen astrictus debito & propter recepta beneficia, sanctæ matri ecclesiæ dominæ suæ, quæ supradicta sunt attendens & conspiciens, sicut in sua petitione etiam dixit, quod quia non solum periculum & damnum plurimum, sed fere totalis jactura sequeretur universi populi Christiani, hoc tentavit, procuravit, & petiit mediate pluries, & nunc immediate, ut conspiciebant. Hæc autem quis credat ipsum procurare destruendæ unionis causa seu differendæ, cum exinde non consequeretur meritum, nec honorem, nec delectationem. Nec sibi propter hoc quicquam oblatum aut datum est per dominum Gregorium seu aliquem suorum; verum si tam pessimum se, dixit, quisquam suspicari posset, cum tamen nullam occasionem inspiciat quomodo credi debet hoc vel potest de illis sereniſſimis principibus, & illustri inclytoque dominio, qui loci mutationem, & unius & non plurium conciliorum congregationem fieri institerunt instanter. Non igitur, intulit, hoc petiit dominus Gregorius ad deceptionem: & si petit locum tutum & æquum sibi & parti suæ; & si dicat nequaquam velle se fideles suos a concilii honore & commodo fore privatos, nec velle etiam fideles suos in manibus & potestate suorum ponere adversariorum. Sed quia nihil sibi Carolo nisi oppositum probaretur per alias quam audiverit rationes, visum est dissonum justitiæ & æquitati propterea propter justitiam & æquitatem, ut vera pax & sacra unio fiat, & non detestanda majorque nova divisio, hoc petiit, petebat, & petit. Dixit insuper quod si dominus Gregorius tantum unionem odiebat, & cessionem diffugiebat, nihil aliud tantum quæreret, quam quod plura fierent concilia, justitiæ captato colore, & non unum. Sed cum unum assentiat fieri, & nihil ut illi intersit concilio pro se suisque petit, absurdum hujusmodi oppositum ostendit. Ipsi vero si hoc negaverint, domini Gregorii justificant causam, & se in alterius reprehensione quodammodo damnabunt.

Ad XXX. & XXXI. Ait causam dixisse, quare petitur unum universale concilium & non plura, saltem de facto fieri, & omnia itetum repetit, non destruendæ unionis, sed destruendæ divisionis causa; & non dilatandæ unionis causa, sed perficiendæ & accelerandæ. Quis enim præter certitudinem juris & facti, quæ ex via concordiæ & voluntariæ unionis erit universæ ecclesiæ, negare audebit, quod facilius per concordiam pars, ut ita dicatur, domini Gregorii cum his qui Pisis sunt & aliis, si voluerint alii, reducantur in unitate, quam per violentiam? Quis iterum extendere sciet brachium potens, per quod pars domini Gregorii, si omnem foveat injustitiam, sub obedientia partis Pisanæ reducatur invita? Verum esto quod sit imperator seu princeps alius potentissimus partis illius totaliter obediens & devotus, numquid facilius, ipsis nolentibus, eos ad unionem cum parte Pisis existente reducet, quam ipsis assentientibus & volentibus? Dicitur quod tempus magnum labetur; sed quæritur, in quo majus & quomodo fieri potest, ut corpus longo affectum & extenuatum morbo, parvo restauretur in tempore, vel si contra naturæ voluerit cursum & consuetudinem restaurari, utrum citius sanabitur vel mactabitur? Dixit se tamen audisse a domino Gregorio nolle modis quibus petunt cedere, propter supradictas rationes, & ne sibi fideles conculcentur & confundantur contra omnem justitiam & æquitatem. Præterea non esset major dilatio quam duorum mensium, si fiat quod petitur, quam si negetur. Nam antequam tempus citationis præterierit, & antequam concilium Pisanum congregatum fuerit in plenitudine sua & judicaverit, jam mensis transactus erit a principio indicti concilii per dominum Gregorium. Addatur ergo mensis, solum unius dilatio erit. Et si duo addantur, quod sufficere videtur, duorum erit dilatio mensium, & præcipue quia pars Pisas vocata veniſſe debebit tunc, & similiter quicumque venire deliberaverint ad concilium domini Gregorii intra tres menses a principio statuti termini, ad concilium veniſſe putandum est.

Ad XXXII. Inquit pluries se concessisse, & iterum fateri, quod nullus fidelis servus sanctæ matris ecclesiæ, nec ipse inter ceteros ea tolerare, multoque minus tractare deberet, quæ in desolationem S. R. E. suique temporalis status redundarent. Unde ipse inter ceteros Romanæ & universalis ecclesiæ fideles & servos viam concordiæ & voluntariæ unionis tota mente & toto posse inquirere tenetur, & intendit prosequi, divina prosequente clementia, utpote viam per quam omnis pax & exaltatio status spiritualis & temporalis sanctæ ecclesiæ redundabit. Sicque ex adverso ceteri fideles & ipse minimus tenetur & intendit viam discordiæ & majoris quam nunc sit, abominabilis divisionis tota mente & toto posse detestari, & ne sequatur quantum in eo, est evitare, utpote periculum & angustiam sanctæ ecclesiæ spiritualis, status temporalisque dilapidationem & exterminium. Ad id vero quod dicunt viam propositam dilatione indigere, & dilationem hujusmodi dilapidationem & desolationem utriusque status ecclesiæ fore, ait, salva reverentia, manifeste apparet oppositum. Nam rationibus supradictis & pluribus aliis aperte probari potest, quod si dominus Gregorius cum ipsis conveniat ad voluntarium unionis modum, certius & brevius unio sequatur, quam qua-

cumque alia rigoris seu violentiæ forma, secundum præsentem possibilitatem & rerum contingentiam. Præterea inspiciatur quod per viam discordiæ & judicii, si brevior somnietur, necesse est ut totalis dilapidatio bonorum ecclesiæ sequatur. Nam cum quælibet pars, sive credat, sive credere simulet, ut decipiat, violentiam sibi inferri cognoscet, si justitiam fovebit. Et si non simulabit, opus sibi fore violentiam sibi illatam vi repellere, & cum violentia per potentiam sæcularem inferatur, & cum secundum jus aut juris colorem, spiritalem statum oporteat temporali præponi, qui in securitatem & obedientiam spiritualis est, necesse habebit sæculare brachium sibi propitium quisque vindicare contendentium: quod & hucusque fieri experientia docet. Dum enim rarus inveniatur gratis sæculare exhibens brachium in utilitatem ecclesiæ vel prætensæ, quilibet quodlibet etiam vile & exiguum sibi eorum comparat, & hoc totum non sine scandalo & detrimento sanctæ Romanæ ecclesiæ subjectorumque suorum. Qui habet, tradit, vel ut spirituale reformet, vel protegat temporale quod restat, cum non putet per se posse tueri, qui nondum possidet, promittit, ut acquirat dilapidatum antequam habeat, vel fiat de summo pontifice summus fidei promissorumque violator. An forte dispensare se cogitabit gratis & ex proposito peccans, & in contradictione peccandi & absolvendi se perseverans. Tacendum de spiritali jactura, cum nullus auferit prælatorum excedentes castigare subjectos, ne ad alios diffugiant oppositos, licet insuper plures amodo sint & futuri sint simoniaci, quam prælati, non omnes forte ut nummos præbeant, sed obedientiam & favorem. Hæc quidem omnia in prælatis, licet simonia non cadat in vero pontifice, sed forte balaatica, qui mercedem suscepit, ut populum Dei peccare doceret. Verum si concordiæ vias unio sacra sequatur, horum nullum expedit, & quamvis dilatio aliqualis in unione & reintegratione actuali appareat, non erit in habitu tamen, cum schisma habituali divisione incipiat, & sedari similiter necesse sit per habitualem unionem, priusque cum inter partes fuerit, unionem esse dici valet & provideri ad conservandum & reintegrandum temporalem statum ecclesiæ faciliter. Non enim putandum est, quod princeps quisquam, cum senserit inter reverentias suas & dominum Gregorium concordiam fore, audeat terras sanctæ ecclesiæ invadere. Immo si invaserit, de concordia cogitabit potius quam de invasionis perseverationc: & si noluerit, quis populorum sibi adhærebit? Verum ista interim ad futura cavendum pericula & perdita readquirendum quotquot partibus videbitur super hæc communi consensu proponi. Ne tamen hæc suspicentur cum dicere, ut unus ipse sit ex illis, ex nunc tali honori onerique renuntiat.

Ad XXXIII. Dixit quod non putabat principes prædictos indignari, si propter bonam pacem sanctæ ecclesiæ, & meliorem, certiorem, & faciliorem reintegrationem & unionem populi Christiani, mutato concilio in melius, quod ante negaverant, ipsi nunc facerent, cum quicquid prædicti quæsierint, non quæsierint, nisi propter pacem & bonum sanctæ matris ecclesiæ & totius populi Dei. Et quamquam duorum ex prædictis principibus oratores discesserint ab incœpto per ipsos sancto proposito, nec invideant multiplicatis intercessoribus, hoc etiam scit, quod discedentibus oratoribus prædictorum, ab ipsis exhortatus fuit & exoratus, ut circa incœpta per suos dominos & ipsum Carolum vellet viriliter & ferventer insistere, tamquam pro re summe utili & necessaria sanctæ matri ecclesiæ & Christianis omnibus a majori usque ad minorem, & quod de hoc ipse Carolus valde suis dominis complaceret. Scit etiam quod licet oratores Romanorum regis semel negativam susceperint, instare pluries super hoc intendunt, quod ab ipsorum didicit ore; quem etiam pluries exhortati & deprecati sunt, ut ipse omnem possibilem & efficacem in his adhibeat operam, inde maxime suo domino placiturus.

Ad XXXIV. & XXXV. Inquit se non dolere de labore suo præterito vel futuro propter se, etiamsi non consequatur finem optatum. Sciebat enim se ad majora propter sana & commoda sanctæ matris ecclesiæ dominæ suæ teneri. Et si cassus appareat omnis suus labor, laborare non tædet, nec desinet laborare, ne umquam conscientia sua & homines accusare valeant coram juste judice, quando manifestabuntur consilia cordium & abscondita tenebrarum, ipsum vidisse jacturam, desolationem, & quantum in hominibus est, ultimum exterminium sanctæ matris ecclesiæ & divini populi, & non obstitisse quantum potuit. Nec etiam dolet, si appareat se ex hoc non consequi honorem. Sciebat namque se non tantum mereri honorem, ad majorem vero teneri laborem. Verumtamen dolet, & plus quam dolet servus & filius usque a progenitoribus & proavis ejus malo & excidio sanctæ matris & dominæ suæ, quod imminere manifestum est, nisi aliter cleri principes gesserint in futurum, quam contentiose inter se agentes egerint vel gesserint in præteritum. Et quod maxime dolendum est, acturi potius pejusque judicantur; & quidquid fuerit, dixit se dispositum toto posse agere, quicquid cognoscat aut sibi ostenderetur ipsum debere & teneri vel posse facere de jure pro vera pace & sacra unione sanctæ matris ecclesiæ & populi Christiani, dominum Gregorium exhortando humiliter & instanter & opportune atque importune ad hoc & omnia alia circa eum & contra eum faciendo,

faciendò, quæ de jure debet & tenetur. Tamen ſatis contentabatur ſe non pro finali reſponſione ſuſcepiſſe quæ à ſuis reverentiis audierat. Sperabat enim quod maturius inſipientes quæ ad pacem forent, & non ad contentiones & æmulationes deliberarent. Et ſic eis humiliter & toto cordis ſupplicabat affectu, & quod dignarentur per obligationem, qua coram Altiſſimo obnoxii ſunt, & ſe obnoxios agnoſcunt, vel viam propoſitam acceptare, vel meliorem proponere & proſequi, quæ ſit quieta, æqua & juſta & pacifica; & non jurgiorum mater, ſed ſcandalorum extinctiva, & per quam ſacra unio de jure & de facto effectualiter fiat. Supplicabat inſuper, quod ſi quid in propoſita via difficultatis aut dilationis appareat, velint librare, remotis omnibus odiis & rancoribus a mentibus ſuis, cum his quæ ſequentur, ſi potius per viam rigoris & violentiæ partes inceſſerint, quam per viam concordiæ & voluntariæ unionis. Oblationes ſe fideliter relaturus dixit, quamvis modicum ſperaret per illas poſſe proficere ex his quæ audierat a domino Gregorio, niſi ſuæ reverentiæ aſſentirent his quæ petita ſunt, & quod eos ſemper publice aviſaret vel clam de cunctis quæ cernere poſſet ſacræ unioni & veræ paci conferre ſanctæ matris eccleſiæ.

Ad XXXVI. particulam dominorum Gallicanorum, videlicet *Hoc ipſo finiente*, dixit ſe de culpa partium incompetentem judicem & non idoneum teſtem fore. Nam abſens & longe diſtans fuit, dum de mutua conventione tractabatur inter dominum Gregorium & dominum Benedictum, & quod hoc ſciebat, ſe diverſa immo oppoſita a diverſis audiviſſe, de quibus parum indagare curaverat, putans quicquid in vero eſſet, magis eccleſiæ concordiam tractare proficuum eſſe, quam ſuper contentionibus & partium culpis inſiſtere, præcipue cum non videret in ſæculo judicem ad reprimendam puniendamque malitiam perverſorum idoneum & potentem. Verum quicquid fuerit, non credendum putabat dominum Gregorium propoſitis aſſenſiſſe ad cautelam & deceptionem. Poterat enim manifeſte nihil propoſitum fuiſſe, quod veriſimiliter patres Piſis congregati renuere deberent. Illis vero aſſentientibus, poſtquam jam ipſe acquieverat, vel in eodem perſiſteret vel non: quod ſi ſic, quæ exinde deceptio poterat ſuſpicari? Si vero non, parum ſibi erat, quantum de inconſtantia & ſubterfugio accuſatus fuerat abſque eo quod ſibi expediens agnoſceret, toto orbi quæ ſibi objecta fuerant adeo facere nota, quod nulla amplius ratione vera eſſe negare nequiret, nec ulla tergiverſatione diffugere. Certe ſtultiſſimus eſt, qui adverſarios juſtificat, ſeipſum condemnando, ut illos decipiat, ſeipſum decipiendo. De hoc tamen ſi dubitabant, Carolus obſidem ſe offerebat, & inſuper omnem aliam cautionem præſtare ſibi poſſibilem, quod dominus Gregorius quæ ipſe Carolus obtulerat, integre ſervaret. Et propterea putabat ipſos audere debere hæc patribus Piſis congregatis proponere, & pro his cum ipſis ut fiant inſtare. Quoniam bona ſunt manifeſta & utilia ſanctæ eccleſiæ & univerſo populo Dei. Nec putabat propter paucos labores & expenſas incumbentes ſibi ex aliquali mora patres illos petita negaturos, ſi publico moventur commodo, etiamſi privato. Quis enim voluerit tot factas pro unione impenſas, tot labores perpeſſos caſſos relinquere pro minimis qui reſidui exigantur pro vera pace & ſacra conſequenda unione? Quis inſuper, ſi conſideret quantum proficient eorum proventus & commodi ex hoc, putabit illos expendere nolle parum ut maximum inde ſuſcipiant lucrum, quamvis nec Deum nec eccleſiæ rempublicam venerentur? Dicebat præterea, quod ſi qui inopes expenſas tolerare nequirent, quoniam has propter eccleſiæ commodum ſupportabant, congruum videbatur, quod ab apoſtolica camera talibus provideretur. Et quoniam partem proventuum cameræ dominus Gregorius percipiebat, partem vero aliis; congruum erat quod portionem ſibi contingentem pars quælibet ſolveret, & ſic impoſſibilitas illa ceſſaret, vel quod ille qui eligeretur in pontificem ſolveret.

Ad XXVII. Confeſſus fuit ſe malum & imprudentem eſſe, ſi conſuleret ſeu peteret, quod via certa, parata & brevis ad unionem pro incerta & longiſſima dimitteretur. Et quia viam quam incœperunt videtur via ſibi certa celerque ad triviſionem, incerta vero de jure, & de facto quaſi impoſſibilis ad unionem. Via quidem propoſita per eum certa ad unionem de jure & de facto, & brevis ſecundum rei naturam. Propterea pro hac inſtat tam ſollicite & accurate, tamquam ſervus ſanctæ matris eccleſiæ, bonum illius optans, & pacem, contrariumque odiens. Quis enim non perpendat aperte quod dominus Benedictus cum ſuis ſequacibus non eſt pariturus concilio Piſano, nec ſimiliter dominus Gregorius cum ſuis? Unde ſi non concordant ſaltem cum altero illorum, nonne certum eſt, quod alium eligi expediat per eos, qui non faciliter omnium, ſi forte plurium, obedientiam habebit. Et ſic a certo de facto augebitur diviſio, quam non niſi per violentiam ſedari credendum eſt. Et cum dubius ſit eventus belli, & cum, ſicut ſupradictum eſt, non appareat potentia, quæ ſit alios ſuperare potens, dubium eſt utrum per viam illam diebus noſtris unio fieri valeat, immo quaſi debet a certo judicari, quod non. Nam & per viam novæ electionis omnis ſpes concordiæ, quantum in hominibus eſt, præſcinditur & aufertur. Et omnis modus per quem ſuperborum colla a ſua valeant perverſitate cohiberi. Tollitur quo-

que spes futura mutuæ cessionis, quæ cum tam difficilis fuerit, ut executionem mereri non potuerit inter duos, multominus speRari poterit inter tres, & præsertim si iste noviter eligendus plurium, ex his qui utrius duorum obedientiæ fuerunt consensum susceperit & favorem. Et si via compromissi difficilis erat inter duos; ita quod quasi pro impossibili relicta fuerit, multo difficilior erit addito tertio. Viam insuper sacri concilii universalis divisim tractam quasi etiam rereparari impossibile erit, & unionem ipso concilio tripartito nedum in præsenti, sed in futuro parere posse. Exsulat insuper per viam hujus novæ electionis omnis spes Romanum uniendi imperium. Cum enim duo pariter contendant pro illo; si alter ab uno reprobabitur, illum ipse reprobabit, adhærensque alteri, capto justitiæ colore, favebit. Sicque alius aget econtra. Regum regnorumque & provinciarum quas solet ecclesia sedare contentiones & discordias suscitabit fovebitque. Unde sic fomes ministrabitur igni universum Dei populum spiritualiter & temporaliter voraturo. Non sic autem, si concordia inter ipsos & dominum Gregorium fiat. Sequetur quidem primo absque juris scrupulo vera pax & certa reintegratio sanctæ ecclesiæ & populi Christiani in clero, & deinde in sæcularibus. certum quippe est, quod vel dominus Benedictus concordabit cum domino Gregorio & illis qui Pisis sunt, vel non; & sic propositum habetur. Si non, cum concilium domini Benedicti terminaverit ipsum cedere debere & renunciare papatui, domino Gregorio cedente & renunciante; ipsum cedere oportebit & renunciare, vel a suis relinquetur; & sic unio de jure & de facto erit. Si vero dicatur sequaces domini Benedicti non relinquent ipsum, minime etiam eo cedente, dixit hoc non esse verisimile; sed dato quod ita, quisquis post dictam concordiam papa fuerit, Romanum si volet imperium faciliter uniet. Cum enim utrique de imperio contendentes Romanæ semper fuerint obedientiæ per xxx. annos & unum, non adest color aut verisimile, quod quis eorum ad dominum confugeret Benedictum, cui nullus umquam adhæsit, sed totaliter etiam qualitercumque erga eos per Romanum præsulem actum fuerit, utrique illi se ardenter & jugiter opposuerunt. Unde dum papam illum eligendum, existente prius domino Gregorio concorde cum his qui Pisis sunt, utrumque ipsorum diffiteri nequibunt: necesse erit quemlibet ipsius adquiescere voluntati atque sententiæ. Similiter quoque de regno contendentes Hungariæ, pari existente ratione. Similiter etiam de regni Siciliæ contentione. Manifestum quidem est in præsenti dominum LUDOVICUM devotum & fidelem esse reverendissimorum dominorum Pisis existentium, & dominum LADISLAUM domini Gregorii. Unde si conveniet dominus Gregorius cum dominis qui Pisis sunt, & unus ipso cedente eligatur, neuter prædictorum de regno Siciliæ contendentium verisimiliter contradicet, poteritque contradicere illius dispositioni qui hoc modo erit electus. (a) Ubi colorata justitiæ apparentia alius eorum possessionem tuetur & titulum. Alius vero titulo possessionem quærit, & sic perseverat augeturque contentio & bellum inter eos, & non fit pax. Unde etiam sperare possit subsidium ad resistentes coercendum & rebelles. Ita quod manifeste judicari potest, quæ via potior est, an illa per quam totum juris theologici canonici & civilis corpus, secundum favorem contendentium revocatur in scissuram, insuper irreparabilis contentio de facto inter clericos & clericos & inter laicos suscitatur, etiam quæ paratæ sunt confirmantur. An via concordiæ, per quam quantum in eo quod circa hoc versatur, tollitur omnis scissura, & contentio tam divinæ quam positivæ scripturæ, & per quam fit vera pax & concors unio de facto, vel saltem exhibetur potentiæ modus per quem ecclesia compescere rebelles poterit & in viam justitiæ invitos dirigere.

Ad XXXVIII. Dixit se plane fateri, nolente domino Gregorio facere debitum, ut ferebatur, & si non dixisset iterum diceret, sed quod placeret reverentiæ suæ reminisci unius inter ceteras conclusionis, quam sibi dederat in scriptis, consulendo de modis qui sibi videbantur tenendi, ut veridica & vera unio fieret, quam misit reverendissimo domino Benedicto, in qua dixit quod haberetur magna advertentia, quomodo quid tractaretur contra & in præjudicium Romani pontificis, cum divina scriptura, sacri canones, legesque civiles valde sibi faverent, ejusque potestatem cunctis nimium venerandam injungerent. Unde nolente domino Gregorio facere debitum, nec volente per modum justum & æquum cum suis reverentiis convenire, ad præbendum verum, justum, & æquum & effectualiter modum unioni, paratus erat, quod reverentia sua dicebat ipsum semel obtulisse, exsequi. Sic rogabat econtra reverentiam suam ut consulti recordarentur; & volente domino Gregorio, prout ipse Carolus obtulerat & offerebat, suum exsequi debitum, & non discedere ab æquitate & justitia, immo ultra suam obligationem facere pro pace sanctæ matris ecclesiæ & reintegratione vera populi Christiani, nollet ipse & alii odio vel ultione, si forte ultionis prætenderent causam Dominum JESUM CHRISTUM persequi ab re & absque sal-

(a) In margine hæc leguntur. Hic videtur esse defectus, etiam in originali. Nam quæ sequuntur cum præcedentibus non continuantur, nisi aliud medium poneretur. Et credendum est quod aliquid omissum sit, forte ad hunc effectum: Sin autem dominus Gregorius & qui Pisis sunt non concordaverint, quomodo illi reges concordabunt. Ubi colorata &c.

tem opportunitate in vicario ſuo & apoſtolorum principem in eo quem ipſe dominus Mediolanenſis & collegæ ſui Romanæ obedientiæ habuerant in ipſius ſucceſſorem. Et præſertim quoniam hoc fieri non poterat ſeu tentari præſentatio præter divinam & apoſtolicam offenſam, abſque gravi præjudicio & manifeſta jactura populi divini. Verum offerebat ſe facturum & actum, quantum dominus daret ſui clementia, pro vera pace ſacraque unione quicquid poterat, & quicquid ſibi oſtenderetur ipſum poſſe aut debere de jure nihil omittendo, & ſibi & omnibus quibus debebat favendo, ad bonum & unionem veram eccleſiæ ſacroſanctæ. Satis ſibi putans iis hoc ſæculo datum, nec aliud petens quam ſuum facere debitum coram domino, qui potens eſt depoſitum ſervare, & complicatum cum maxime proderit reddere.

Ad XXXIX. Dixit quod certe peſſime faceret, ſi quid tractaſſet vel tractaret in præjudicium ſanctæ eccleſiæ matris & dominæ ſuæ cum nulla ratione deberet, & tanto amplius damnandus foret, quanto culpabilior redderetur, ab antiquata fide & devotione delirando. Sed quia bonum & utile procurare putat, & niſi reverentiæ ſuæ ab aliquali ſint paſſione quaſſatæ, hoc idem eos manifeſte putare credit: ideo quod petiit, petit, & eo quod inſtetit inſtanter, inſtat, ne jure damnabilis fiat. Certum, inquit, ut ſupra, contra dominum G. paratum fore quicquid debet de jure facere, & ſic dicit etiam facturum.

Ad XL. Regratiatus fuit reverentiæ ſuæ pro tanta caritate & monita ſua reverenter & humiliter, quantum poterat & dicebat ſuſcipiebat. Quantum autem jus æquitaſque ſuaderent, illa exſequi erat inſitum in corde ſuo. Et quoniam ſe faciliter inter inſipientes erraturum, niſi dirigeretur a Domino, qui eſt Via, Veritas, & Vita, dubitare debebat, & propterea cum ſua reverentia exorabat Altiſſimum, ut mentem ſuam in beneplacitis ſuis dirigere & conſervare dignetur.

Inſuper adjecit quod ſupplicabat humiliter & devote quantum poterat, etſi multa in utraque via dubia apparebant ponderanda, quamvis inſipientiæ ipſius Caroli nihil dubii nihilque jacturæ appareret ad unionem veram & juridicam conſequendam, ſi cum domino Gregorio concordarent, velut oblatum eſt; quod placeret ſuis reverentiis, quibuſcumque remotis rancoribus animorumque paſſionibus, ſolum omnipotentis Domini noſtri Jesu Christi, ejuſque immaculatæ & dilectæ ſponſæ reverentiam atque caritatem habendo, ſuper omnia in cordibus eorum diligenter prudenterque librare, quantum via concordiæ certior, juſtior, brevior, & facilior erat via diſcordiæ, & quantum eccleſiæ ſanctæ & omni populo Dei utilior. Et ſi ſic quod ſit, ſupplicabat eis quanto obligatiores erant ad reddendam rationem, quantum plura ceteris ſuſceperant a domino, & quantum præ ceteris ab ipſo gubernandi gregis ſui ſuſceperant curam, & quantum hoc præ ipſo Carolo majoris exiſtentes intellectus limpidius cognoſcebant, quatenus vellent viam concordiæ pacificam & unitivam, cum eis offerretur, amplecti.

His itaque dictis effectualiter replicarunt, quod ipſi audierant, quæ Carolus dixerat, eaque diligenter atque fideliter ceteris reverendiſſimis dominis ſuis referrent. Et cum ipſe Carolus audiſſet etiam quæ ipſi dixerant, nec credere poſſent quod aliud ultra quam dixerat non haberet, rogabant quod vellet ea proponere, quæ ſibi poſſibilia forent juſta & æqua, & libentibus animis exequerentur.

Quibus breviter replicavit, ſe nihil ultra quam dixiſſet habere, eoſque minime credere debere, etiam ſi proſenetarum more in ceteris negotiationibus amici prærogativam quæreret, certe nullum ipſe amicum ſanctæ eccleſiæ proponeret matri & dominæ ſuæ. Sero igitur illo poſt hæc vale inter ſe facto diſceſſerunt ab invicem.

Poſt hæc per nonnullos dies inter ſe contulerunt plura effectualiter, ſecundum quæ narrata ſunt. Nam & ipſi ſua replicabant argumenta & repetebant. Carolus vero illa refellebat, ut ſupra, nec propterea ceſſabant per ſe, & varios, variiſque & multiplicibus modis atque vicibus tentare utrum aliud Carolus reſervaſſet exprimendum. Ipſe vero cum nihil aliud haberet quam dixiſſet, in ſuo perſeverabat propoſito, pacem & non æmulationes dicens ſanctæ eccleſiæ expedire.

Verum cum inter ratiocinia pluries concluſiſſent in eorum excuſationem, quod non debebant de jure mutare locum Piſarum. Inquiebat Carolus, ſe non veniſſe Piſas litigandi diſputandique cauſa, cum lites & diſputationes non jurgia & æmulationes ſolerent ſedare; ſed plurimum generare, dum præſertim de poteſtate partium & eorum culpa innocentiave principaliter agit, opus erat, (a) rei exigente qualitate. Attamen dicebat [a] ſe quaſi indubie putare, ipſos teneri ad quemlibet propoſitorum locorum accedere, & ad quemlibet alium ejuſdem partibus ſecuritatis & æquitatis. Dato quippe quod dominus Gregorius nolens Piſas accedere, nec ſuum ſervare votum & juramentum, niſi alium propoſitorum ſuæ reverentiæ accederent, ſibi bene ſtaret; & ſi alium locum accederent, paratus eſſet ſuum ſervare votum & juramentum; & dato quod exinde perjurus fieret & voti fractor. (b) Verum tamen non [b]

(a) In margine ponitur hæc nota: forte hic deficit negatio non ſecundum mentem loquentis, qui conveniens medium ad concordiam quæſivit.

(b) In margine alia manu ſic legitur. *Hic eſt defectus, credo tamen quod velit dicere*, poſito quod dominus Gregorius ex eorum propoſito poſſit convinci, tamen ex hoc ſchiſma de facto tolletur, nec unio de facto ſequeretur.

unio videretur propter hoc quamquam ille
[a] damnaretur (a) tolli de facto. Nonne vos etiam voti & juramenti veſtri fractores eſſetis, ſi viam poſſibilem ad unionem perficiendam omitteretis? Nonne & peccati ipſius efficeremini participes, ſi ille vobis complacentibus ſibi de re poſſibili non injuſta nec iniqua ſua promiſſa ſervaturus eſſet? Si vero non dejeraturus, nonne ipſi, licet ille principaliter peccaret, ſcandali proximi privati etiam maximique eccleſiæ publici, & durationis antiquati ſchiſmatis, eſſetis culpabiles atque rei. Advertere deprecabatur ipſos eorummet proceſſum. Non enim in illo ex prævaricatione domini Gregorii dominum Benedictum abſolvendum judicabant; neque ex prævaricatione domini Benedicti dominum Gregorium. Sed quamquam alter nollet unam viam ſequi, alium ad omnem aliam poſſibilem & rationabilem teneri ex ſuo voto & juramento dixerunt. Et ſi non ſequeretur omnem aliam viam rationabilem poſſibilem, licet adverſarius ſuus contra debitum & juramentum unam ex rationabilibus reſpuiſſet, illum fidefragum & antiquati ſchiſmatis nutritorem aiebant.

Sed quod majus eſt, non exiſtente ſchiſmate, ſi unicus verus & indubitatus pontifex Romanus, incumbente opportunitate, ſacram & univerſalem ſynodum Piſis congregaſſet, interim quoque pontificali ſedi Marchia & Romandiola rebellarent, nullaque ſuaſione ad obedientiam redire volent, niſi dominus papa cum ſacra ſynodo ad alterum propoſitorum locorum accederet, ad quem tute poſſet accedere & morari, haberentque centum millia equitum papa cum omni ad ſuperandum illos expeditione parata, ſatis manifeſtum apparet utrum deberet bonus paſtor vicarius domini noſtri Jesu Christi cum univerſa ſynodo ad quemlibet dictorum locorum accedere, ut illi ultro ad gremium redirent, & debitam fidelitatem ſanctæ matris & dominæ ſuæ, licet graviſſime fefelliſſent? An minime accedere & experiri illos armorum debellari potentia, cum rapinis, ſtrage & ſceleribus quæ conſueverunt, & præſertim in devictos parere bella? Quanto igitur nunc magis, cum deſint currus & equites, omniſque ſufficiens bellicus apparatus ad hoſtes confringendos, & pro hujuſmodi acceſſu ſequitur concordia inter ipſos & dominum Gregorium ſibique fideles, ex qua non ſolum duæ hæ provinciæ, ſed decies amplius invicem reintegrantur?

Inſtabant ergo illi pro duorum altero, vel quod dominus Gregorius Piſas accederet, vel quod exiſtentes Arimini, etiam non cedente domino Benedicto, ipſe per ſe in manibus ſui concilii renunciaret & cederet, dicentes hoc ad perpetuam gloriam illius civitatis & univerſæ domus de Malateſtis, cauſa quoque erat hæc, quia ſi dominus Gregorius cederet & renunciaret Arimini, ibi ipſe papatui habebatur civiliter defunctus. Dictantibus ergo ſacris canonibus quod ubi pontifex decederet, ibi futuri fieret electio, omnes ibi convenire profuturi electione pontificis opus erat. Et quoniam hæc verba Italicorum erant, addebant, quod ſi Carolus ambigeret, ne Gallici iis aſſentirent, certi erant illos nequaquam diſſenſuros. Nihilominus ſi hoc promittere vellet, ſperabant hoc parte ſui ipſum certificare ſi vellet.

Reſpondebat Carolus ſe non propriam gloriam & civitatis Arimini quærere, ſed divinam & eccleſiæ ſanctæ ſuæ pacem & reintegrationem, & quod per ea quæ percipere potuiſſet a domino Gregorio, non ſperabat quod ipſe ullo modo cederet per procuratorem, neque Piſas vellet accedere multis rationibus, quarum aliquas ſubſtantialiter ſupra dixerat. Et credere certe poterant, ſi vellent, quoniam veritas hæc erat, quod pro ſacra unione diſpoſitus erat, quantum dominus ex alto donaret, totis ſuis viribus laborare. Nec vellet vere, ſi alibi cum majori commodo partium & majori quiete ſanctæ eccleſiæ fieri poſſet, quam Arimini. Ideo hanc ſciens per divinam gratiam ſuam fore intentionem, aliqualiter admirabatur eos credere ipſe amplius propter hujuſmodi gloriæ oblationem pro unione laboraturum aut curaturum quam abſque tali obligatione feciſſet. Mirabatur inſuper non parum cur non ſic Ariminum vel ad quemcumque propoſitorum locorum ſibi amplius placeret, accederent, ut ibi unum ſacrum concilium celebraretur, in quo dominus Gregorius renunciaret, & eligeretur abſque contradictione, ſaltem ipſius & ſuorum, unus pontifex, ſicut abſque concilio accedere volebant.

Ad hoc replicabant qui dixerant illa, quod facilius duceretur collegium, quam concilium; & quod cardinales Gallici videntes quod Carolus tantum operatus fuiſſet, quod dominus Gregorius renuntiaret, merito inclinarentur ad accedendum Ariminum. Sed non ita libenter accederent, ex ſua mera voluntate, diſponente jure quod ſub prædicto caſu deberent accedere, declinare nequirent.

Ad quæ iterum Carolus dicebat, non putare, ſalva honeſtate, & debito propter oportunitates varias ſanctæ eccleſiæ, & propter etiam contentiones & periculum & diſſenſionem quæ in electione futuri pontificis contingere poterat, concilium ante electionem poſſe vel debere diſſolvi. Et propterea videbatur ſibi ita ipſos cum concilio poſſe & debere Ariminum accedere, antequam cederet dominus Gregorius & alius eligeretur ſicut poſt hæc; nec minus debere reverendiſſimos Gallicos ante ceſſionem accedere quam poſt; & præcipue ſi certificati fuerint domi-

(a) Etiam hic in margine additur: *Credo quod melius ſtaret* oriri *vel* fieri, *aut hic deficit verbum* ſchiſma.

num Gregorium renunciaturum omnino, si admitterent quod concilium universale celebraretur in altero propositorum locorum, vel in alio loco tuto partibus & universali concilio.

His vero non obstantibus, quæritabant instanter, si suum valerent cum Carolo obtentum obtinere, & putare videbantur ipsum alia in commissione habuisse a domino Gregorio, quæ propter ipsius Gregorii prærogativam pandere distulisset, & differret usque ad recessum, si videret omnino quæ postulaverat interim obtinere non posse. Ipse autem non habens aliud quam obtulisset, nec credens unionem fieri posse, cognita eorum qui inter partes erat conditione, nisi oblatis & petitis annuerent. Instabat quod verum erat, videlicet certe se nihil aliud quam dixisset substantialiter & in commisso habuisse.

Videntes quoque Carolum in his quæ dixerat perseverare, dixerunt domini illi reverendissimi, qui a principio dati fuerunt ad tractandum secum sacræ unionis negotium, se velle eum declarare, quid parte domini Gregorii promittebat faciendum in facto cessionis. Ipsis vero ille inquit, quodcumque de jure tenebatur dominum Gregorium esse facturum. In hoc absque subterfugio & realiter; dicebant illi: Hoc nimis generale est. Nam si non aliter specificabitur hoc potius ad subterfugium & dilatandum vel impediendum unionem dici parte domini Gregorii suspicandum esse, quam ad ipsam perficiendam, doctis ipsis ab experto.

Ex alia quidem dicebat parte Carolus satis hoc quod dixerat parte domini Gregorii sibi apparere, & hoc ipsos quietari debere de jure; quoniam nullus potest honestatem & id quod sufficiebat quærere debebat ab altero. Si enim jure debiti aliquid a domino Gregorio quærebatur, satis erat quod ipse dicebat, suum velle servare debitum. Et de hoc sufficiens secundum sui possibilitatem cautio præstabatur. Præterea quantum ad unionis sufficiebat effectum, juxta domini Gregorii potentiam, hoc intellectu, quod dominus Gregorius non poterat immediate ecclesiam reintegrare, nisi quatenus in eo & suis fidelibus foret, fidejubente quidem pro ipso Carolo, in cujus secundum sæculum brachio ejus dominus Gregorius erat persona, ipso Carolo volente in Galliam & quocumque vadens, se sub eorum potentia constituere, parum dubitare habebant de domini Gregorii inconstantia & fallaciis, & quod suum ipse debitum non servaret. Si vero attendebatur honestas, non erat valde honestum dominum Gregorium ad novam coartari obligationem, si suam ipse observare volebat, & illius observatio ad unionem non impediendam sufficiebat. Magis quidem honestum erat, faciente domino Gregorio debitum suum, alios etiam se ad debitum coartare suum. Quod namque sufficiat dominum Gregorium suum servare votum & juramentum ad unionem non impediendam, patet. Nam si dominus Gregorius suum non servaret juramentum, fovere schisma certum est, indubium est ipso sua servando juramenta quantum sibi incumbit, ex illo vero auferendi schisma non esse culpabilem.

Dixit insuper Carolus quod si diceretur per suas reverentias: quis judicabit quid debitum sit dominum Gregorium facere ad sua juramenta & vota servandum, cum usque nunc semper ipse dixerit se servasse & servaturum fore; & tamen omisso quod alii non fateantur, immo diffiteantur expresse hoc ipsum feciſſe? verba hæc absque effectu & ambiguitas hæc ecclesiæ sanctæ reintegrationi & paci obfuerunt.

Respondebat, quod dominus Gregorius per ea quæ ab ipso perceperat, contentus erat concilium communi consensu congregandum hoc videre & terminare. Et hoc ipse Carolus paratus erat promittere & fide jubere dominum Gregorium observaturum. Ulterius perceperat ore ipsius domini Gregorii, quod si concilium communi consensu congregatum decerneret ipsum ultra sua vota & juramenta aliquid facturum pro unione, paratus erat exequi quantum in eo foret usque ad mortem.

Quoniam autem Carolo videbatur protendi practicam, non cum opportuno effectu, dubitabat ne temporis spatium cum detrimento sanctæ ecclesiæ voluntas & non necessitas vendicaret. Instabat igitur pro conclusione. Quo intermedio factum est, ut ad ipsius habitationis domum sui humilitate accederent reverendus dominus A. Pisanus archiepiscopus & reverendus dominus Cameracensis & alius dominus Gallicus, cujus nominis Carolus non recordatur & venerabilis sacræ theologiæ professor ordinis Prædicatorum magister Thomas, missi a capitibus nationum pro universali concilio congregatorum. Verba quidem fuerunt reverendi domini Cameracensis in hunc effectum, omissa quacumque præfatione & pulcro cujusdam collationis ordine.

Primo namque Carolum commendabat de assumto labore pro tam pia causa sanctæ matris ecclesiæ, in quo suorum parentum fidem opere renovabat. Ex hoc referebat sibi gratias parte concilii universalem repræsentantis ecclesiam.

Secundo commendans, prout sibi placuit, quædam gesta per Carolum, dicebat patres sacri concilii valde sperare pacem ecclesiæ reddi a Domino, mediante ipsius Caroli persona, & hoc ex gratia consueta, quam Dominum in causa sua sibi non sperabant auferre, sed augere. Sperabant insuper, si umquam aliorum causis prudenter & solerter Carolus gesserat, nunc maxime totis viribus

laboraturum in causa divina & sanctæ ecclesiæ, cujus Carolus erat a cunabulis filius peculiaris, & ad hoc, quamquam non oportere putarent, Carolum quantum valebant hortabantur.

Tertio inquiebat, quod ex eo maxime sperabat ecclesiæ pacem reddi, quoniam non dubitabant Carolum magnam servare fidem & devotionem erga sanctam ecclesiam matrem ipsius & dominam. Cum igitur dominus Gregorius esset in manibus suis, rogabant eum parte Domini nostri Jesu Christi & suæ sanctæ sponsæ hortabantur & monebant, requirebant, injungebant, quatenus vellet, quoniam poterat, pacem, quæ in manibus suis erat, reddere ecclesiæ hoc modo: videlicet persuadendo cum domino Gregorio tantum efficaciter, quod absque alia hæsitatione vellet cedere; quod si nollet sponte, sicut quilibet fidelis tenetur, per edicta sacrorum canonum, ipsum cohiberet tamquam fautorem antiquati schismatis & hæreticum, ut sic opere suo sancta ecclesia pace potiretur, & ipse Carolus maximis in utraque vita præmiis & gloria.

Aiebant quarto concilio sacro relatum fuisse, Carolum tractare mutationem loci & concilii, & quamquam credere non possent, Carolum hoc nisi bono zelo quærere, non poterant non admirari, eum pro isto tantum Pisas accessisse: verum ipsum avisabant talem petitionem nimium unioni obesse, & quod sacrum concilium talem admittere petitionem erat impossibile. Primo namque non debebat admitti de jure nec de æquitate. Deinde impossibilis erat de facto, & hæc multis effectualiter rationibus supradictis quantum poterat deducebat, quæ ad evitandum ejusdem replicationem non replicantur. Iterum concludebat sacrum concilium rogare Carolum, ut vellet alium proponere modum, offerens sacram synodum, utpote optime dispositam ad sacram unionem, in cunctis ad illam conferentibus promtam, nec non etiam ipsius contemplatione tamquam inter ceteros præcipui sanctæ matris ecclesiæ & filii & subditi, quem libenter de tanto opere viderent optatam gloriam reportare.

Post hæc archiepiscopus Pisanus hæc quæ supradicta sunt affirmans, adjiciebat ejusmodi mutatione loci magnificæ communitati Florentiæ, si fieret, in magnum opprobrium tendere in magnamque dispicentiam, & in maximum suorum civium dispendium, & status sui periculum. Inferebat ergo, si cuncta alia cessarent, numquam propter ista sacrum concilium debere mutationi hujusmodi assentire. Quoniam prædictæ magnificæ communitatis consilio, ope & opera sacra illa synodus fuerat principaliter, immo quasi solum tam feliciter & magnifice congregata, per quam sacra unio debebat sperari, & sperabatur, Deo favente, ventura. Nam aliter universalis ecclesia de injustitiæ & ingratitudinis macula merito deprehenderetur.

Deinde reverendus ille Gallicus, cujus nominis Carolus non recordatur, omnia affirmabat, maximum præcipue faciens fundamentum sibi super experta, ut dicebat, per ipsum domini Gregorii inconstantia & versutiis multis, quibus sacra unio fuerat hactenus impedita, & adhuc per viam istam, ut firmiter putabat, impediri quærebatur, & propterea non assentiendum petitionibus suis asserebat.

Postremo reverendus magister Thomas de Firmo ordinis Prædicatorum, illa ipsa effectualiter asserens inquiebat, prædictam mutationem loci certe futuram fore omnimodam dissolutionem sacri illius concilii & per consequens sanctæ unionis, quod ullus fidelis nec quærere nec assentire debebat, propterea suadebat, rogabat, hortabatur, instabat, ut dominus Cameracensis fecerat.

His auditis, Carolus dixit se humiliter, quantum poterat, regratiari reverendissimis, reverendis & venerabilibus patribus & dominis Pisis pro sacro concilio congregatis, nec non reverentiis suis pro tanta curialitate exhibita in visitando ipsum per tantas dominationes & paternitates usque ad sui habitaculum: quæ licet gratiosissima fuerit, tamen ad sui reputabat confusionem, visitantium & visitati qualitate ponderata. Insuper & gratias referebat de commendatione valde sua merita præcellenti. Ceterum de paternis exhortationibus ad sacram unionem, ad quam promovendam & prosequendam se ultra cognitionem & vires fatebatur obligatum, toto corde & posse, quantum annueret largireturque Altissimus, separatum offerebat & promtum, atque si pro pace & commodo status sanctæ ecclesiæ Romanæ matris & dominæ suæ, & cujuscumque principis Christianorum, umquam obligatum se laborare cognovit, & quantum sua fragilitas passa est laboravit; nunc maxime toto corde & opere pro sacra unione laborare teneri se obligatum agnoscebat & profitebatur, tanto maxime, quanto publicæ Christianorum rei & cujuslibet privato commodo spiritali temporalique sacra unio cernebatur conferens & opportuna. Inde quamvis etiam in minimis se insufficientem conspiceret & imbecillem, tantoque amplius in maximis. Tamen in eo sperans, de quo scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus, qui potens est omnem gratiam abundare facere in omnibus nobis*, dispositum se offerebat pro sacra unione laborare, quantum ab eo per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, sua validaretur imbecillitas; sicque reverentias patrum Pisis congregatorum humillime & instantissime, quantum poterat, rogabat, hortabatur, sibique suadebat, quatenus vellent promovere sacrum unionis opus, ad quod se veniisse toti

mandaverant orbi, remotis quibuslibet rancoribus, odiis, injuriarum passionibus, & ultionum siti, nec præeminendi libidine & ambitionibus dominandi. Namque sperabat, ipsis sic facientibus, pacem a Domino reddi ecclesiæ suæ sanctæ, & populo fidelium tranquillitatem. Aliter namque pacem reddi, mediante homine, desperabat; quia juxta illud B. Augustini: *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.*

Ad tertium dixit, quod vere magnam tenebatur servare fidem erga dominam & matrem suam sanctam Romanam ecclesiam, & sic servari dispositus erat, quantum Altissimus largiri dignaretur. Verum ad illud quod dicebant, quod CAROLUS poterat pacem reddere ecclesiæ si volebat, cogendo dominum Gregorium, qui in manibus ejus erat, ad renunciandum papatui, si non vellet sponte; dicebat, quod sicut in jure habebatur, papa omnia poterat, & tamen quidam papa de se ipso, potentiam sui interpretando, dixit: Illud dicimur posse, quod de jure possumus. Nolens itaque sui domini jurisdictionem & potestatem, offerebat se velle totum facere pro sacra unione, quod de jure debebat & poterat, & nihil ulterius se posse interpretabatur, sive velle debere, nisi vel quantum jura sibi mandabant, vel sibi licere permittebant.

Instantias quoque admonitionesque, quibus ipsum hortabantur & sibi injungebant, ut vellet dominum Gregorium cohibere quod cederet, dixit se humiliter & reverenter suscipere sicut decebat; verum hoc nequaquam expedire cernebat. Nam dominum Gregorium sponte cedere velle, dummodo pax vera ecclesiæ & reintegratio ex sua cessione sequeretur, obtulerat reverendissimis patribus & dominis datis ei auditoribus, & sic denuo offerebat. Et si forte hæc dicta suspicarentur aliqua fraude, se sicut alias, ita nunc offerebat in Galliam & in quemcumque locorum pergere pro obside, ut quæ promiserat servarentur; reum quidem se fore sacrorum canonum pœna, quæ non cohibentes schismaticos sæculari etiam afflictione, si expediret, decernebat quantum in eo esset, proposuerat & proponebat effugere. Et si Dominus parem cum voluntate sapientiam & potentiam circa hoc præstitisset, non tamdiu de schismate tollendo viguisset opus & labor, nec amodo supereffet. Ceterum non minus illud dominicum colere proponebat: *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari*; præcipue cum dominum Gregorium christum Domini non deprehendat a justitia & æquitate alienum, in his quæ ad unionem conferant veram, indubitatam & sacram. Nihil vero sibi debere glorioſum magis reputare, quam divina valeat adorare præcepta, & sanctorum edictiones patrum venerari. Nihil quoque magis culpabile, magis inane, magis tremendum, quam hominibus potius placere, quam Deo, & veritatem divinæ justitiæ famosa hominum gloria commutare, & ut justus videatur ab hominibus & prædicetur, maledicat ei quem credit Domini nostri JESU CHRISTI vicarium, & beati apostolorum principis successorem.

Ad quartum inquit, verum esse mutationem perquisisse & quærere loci, non impediendæ veræ sanctæque unionis causa, sed ut vere unio spontaneum, verum & indubitabilem sortiatur effectum, omni præditum divinæ humanæque dulcedine caritatis. Nam si possibile foret quamlibet partium jus fovere, & ad quamlibet convocationem concilii spectare ordinario jure, sicut quilibet asserit, divinam veneratur quilibet caritatem, si juri præponat suo universale commodum ecclesiæ sanctæ. Insuper si præter commodum proximi juris sui gloriæ cedat, ne pudor proximi detegatur. Præterea cum ipsi dicant dubitandum, quis contendentium jus foveat? & propter hoc quemlibet alteri cedere debere in jure suo; multo fortius quilibet assentire debet, quod unum communi consensu congregetur concilium, ut exinde vera & indubitata unio sacra Christianorum fiat de jure & de facto, quam ut unusquisque velit sibi jus competens vel prætensum consequi, cum manifeste cernere possit, immo quasi se reddere certum, quod unio non sequetur exinde de facto, sed tertia trivisio plusquam dubitabilis de jure, & quantum de hominibus est impossibilis ad tollendum de facto, & plusquam impossibilis ad tollendum de jure. Quoniam vero dixerant mutationem loci impossibilem, dixit se fateri de plano, quod impossibile simpliciter impossibile est, & nemo tenetur ad illud. Verumtamen hoc impossibile non putat de facto & de jure, etiam quoquo modo simpliciter: quod si putaret, nusquam rogasset pro mutatione ipsa, nec rogaret. Addit insuper, quod quædam impossibilia erant natura, quæ tamen possibilia effici poterant, quia obstaculo assistente fieri non poterant: quo remoto, sic illud removeri non existente impossibile. V. G. existente impedimento in quodam organo seu membro, multoties, sicut clare patet, illud ad suas operationes redditur impossibile, quod remoto impedimento habile redditur. Similiter & potius mens humana, quæ cum suis obumbrata voluptatibus, nec lumen veritatis inspicere, nec quod bonum est velle possibile est, nisi impedimento remoto: quodlibet quidem obstaculum removeri, præterquam in obstinatis cordibus, possibile fore nemo diffiteri potest. Dicebat igitur quod certi essent, ipsum Carolum, quantum Dominus largiretur, omnino dispositum, non obstinatum fore, sed semper paratum rectitudini acquiescere rationis; & propterea ipsos rogabat, ipsisque toto affectu supplicabat,

quatenus ſi aliis quam audiiſſet rationibus deducere vellent, quod ipſe petebat injuſtum fore, ſeu impium vel enorme, ſibi placeret edicere verbo vel ſcriptis: ſin autem, cum ſatis putaret eos cognoſcere vel agnoſcere potuiſſe atque poſſe, ea quæ propoſuerat ſacram allatura unionem, veram & certam, & omne commodum eccleſiæ ſanctæ; vellent, amotis ambitionibus & odiis quibuſcumque, quæ impoſſibilem huc uſque petitam mutationem loci & congregationem communi conſenſu ſacri collegii effeciſſe videbantur, ſuis humilibus petitionibus acquieſcere, quas non propter privatum amorem & odium, quæ ſolent a veritate divertere; ſed ſolum propter omnipotentis Dei honorem, & ſponſæ ſuæ quietem, totiuſque Chriſtiani populi ſalutem & pacem porrexerat, dignarentur. Si autem induratum eſſet cor eorum, quod Dominum Deum avertere deprecabatur Carolus, non eccleſiæ tempeſtate, quam exinde ſequi videbat, dolebat tantum, quantum ipſorum culpa & pœna futura. Sciebat namque naviculam B. Petri apoſtoli tanto altius extolli, quanto majoribus fluctuabat undis, nec dominum oblivi ſci poſſe ſponſæ ſuæ ſciebat, dicente propheta: *Si oblivi ſci poteſt*, &c. nec propter ſe tantum dolebat etiam, quantum propter eos. Si enim affligeretur in ſæculum propter ſua demerita, pœna minus affligeretur æterna. Et ſi quid propter ſacram unionem laboraverat minus debito, ſi ultra quam potuiſſet ſe feciſſe cernebat, gratiaſque reddere tenebatur Altiſſimo, ſi quod voluit & licuit fecit. Agnoſcere quidem fatebatur patrem qui in cœlis eſt, & qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos homines, contra eorum voluntatem non ſalvare, juxta illud B. Auguſtini; *Qui fecit te ſine te, non ſalvat te ſine te.* Concludendo ergo quod nullam aliam viam hac meliorem rationibus ſupradictis proponere ſcivit vel ſciebat. quod ſi ipſi meliorem agnoſcerent, ſupplicabat quatenus proponere placeret & proſequi, quantum enim in eo erat, paratum ſe offerebat in hoc. Sin autem, humiliter deprecabatur, ut nollent quantum in eis erat populum domini deſtruere & eccleſiam ſacroſanctam perturbare & ſcandalizare, cum per viam propoſitam poſſent unire & pacificare ſi vellent; & ſi non, ſed quam incœperant proſequerentur, certe niſi valde fallatur, videre videtur ipſos quantum in eis antiquatum ſchiſma nedum foturos eſſe, ſed perpetuaturos duplicaturoſque, & quodlibet quid hactenus propter præſens ſchiſma & ſcandalum ſecutum eſt innumerabilius multiplicatum.

Ad quintum dixit certe apud quemcumque ſapientem & probum virum eſſe debere, mutationem loci, cum exinde rationibus ſupradictis & aliis patenter inſpici poſſet, pacificam, veram, ſacram & indubitatam unionem ſecuturam fore, non ad magnum ſuorum opprobrium, magnificæ communitatis Florentiæ, nec ad magnum ſuorum civium diſpendium, nec ad magnum ſui ſtatus periculum tendere, ſed nec ad minimum cujuſcumque iſtorum. Nam ſi honor, & quod magis attendendum eſt, inſpiciatur in quo principaliter meritum conſiſtit humanum, nequaquam dubitari valet, majus ei deberi præmium & honorem, qui publicum commodum ſemper privato commodo præponit, quam ei qui poſtponit. De duobus ergo cum ſit alterum neceſſarium, videlicet quod magnifica communitas Florentiæ unionem proſecuta fuerit propter publicum eccleſiæ commodum principaliter, vel propter ſuum principaliter, divinam quidem juſtitiam, cui nihil occultum eſt, quæ novit abſcondira tenebrarum & occulta inſpicit cordium, ſua præferre libra eos qui commune prædiligunt bonum privato, manifeſtum eſt illis quod ampliora reddere præmia debet. Igitur prædicta communitas, ſi præmium quærit, majus minori præponere debent, & quicumque communitatem diligunt illam. Inſuper ſi honor ſæculi attendatur, vel a ſapientibus, etſi pauci fuerint, vel a multitudine inſipientium quærendus eſt. Si namque a ſapientibus, quis ſapiens non magis a ſæculo uſque nunc honorificavit publicum bonum privato præponens, quam econtra. Prætérea quid dicetur, ſi Florentini triviſioni aſſentient, quæ e veſtigio futura eſt, niſi locus mutetur, potius quam loci aſſentire mutationi voluerint? Unde enim ipſos magis unionem dilexiſſe, & omnia quæcumque fecerunt propter unionem feciſſe probabitur, quam ſi fumo inani & commodis omnibus renuntiaverint, dummodo veræ valeant proficere unioni? Numquid forte propter pacem eccleſiæ, an propter ejus anguſtiam Piſas obtulerunt & dederunt? Si quidem ponderetur diſpendium & utilitas, longe major apparebit utilitas, quæ Florentinis adveniet propter mutationem loci, quam detrimentum & diſpendium quod ſequi valeat inde. Diſpendium enim & detrimentum propter mutationem loci temporaliter evenire poteſt vel quia ſi alibi unio fiat quam in ſuis locis, cum multas eccleſiæ terras habeant, dubitant ne ita faciliter eccleſia & futurus pontifex illas ſibi concedat, ſicut ſi in ſua ditione unio fiat, vel quia cum præſentialiter a rege Ladislao moleſtentur, non ita promta & ſubita ſubſidia quibus indigent ab eccleſia ſperant, ſi alibi unio fiat, ſicut in ſua poteſtate: & hoc duplici ratione, vel quia fœdus cum unito concilio traxerint, ſeu differri ſummi pontificis electionem dubitant, quam ſuis profuturam, maxime, ſi cito fiat, opportunitatibus ſperant, vel quia lucrum videantur amittere, quod ex gentium magno concurſu ante & poſt tractationem

tionem futuri ſacerdotis attendunt, necnon etiam propter ſperatas impetrationes officiorum & beneficiorum in Romana curia, quibus propter mutationem loci carere dubitant, ſeu ſaltem illa conſequi difficilius poſſe. Verum ex adverſo conſiderandum erat, quod quanto majus donum majuſque beneficium eccleſia ſuſcipiebat a Florentinis, quanto liberalius & tanto amplius illos diligere tenebatur, & promta ad ſua commoda reddebatur, affirmante ſententia Veritatis: *Qui plus recipit, amplius diligere debet.* Non ergo dubitare debent eccleſiam & futurum pontificem ipſis minus conceſſuros fore, cum viderint loca ſua illos dediſſe liberaliter, non venaliter, quam ſi non liberaliter, ſed propter expectationem præmii. Si etiam lucrum cum damno calculatur quod Florentini percepturi ſunt, vere modus propoſitus & petitus, non ſolum eis non debet diſplicere, ſed illum toto poſſe perquirere & proſequi. Nam ſi lucrari ſperant ex adventu multorum in eorum territorium propter concilium iſtud, & beneficiorum obtentu, abſque dubio cum magis ſint mercatores ubique terrarum, & magnum undique commodum percipiant propter pacem, parvum vero vigentibus guerris; cumque propter unionem maxima ubique pax fieri ſperetur, maxima vero jurgia atque bella propter triviſionem quæ ſecutura eſt, niſi petitioni iſti aſſentiant, amplius lucrabuntur ex univerſali commodo, ſi non fiat concilium in terris ſuis, quam ſi in terris ſuis concilium fiat cum univerſali Chriſtianorum diſcordia & incommodo innumerabili. Cæterum quemadmodum effectualiter dixerat reverendiſſimis dominis quatuor auditoribus, ſi dominus Gregorius concors fuerat cum eis qui Piſis ſunt, non eſt putandum quod rex LADISLAUS amplius contra Florentinos bellum proſequatur, præcipue prohibitus ab univerſali eccleſia, cum omnem colorem ultra ipſos invadendi amittat, & omnem ſpem ſuam conſequendi intentum, videns uniri eccleſiam, & contra ipſius unitæ voluntatem ſciens ſe nihil poſſe proficere. Verum præſuppoſito, quod bellum proſequi voluerit, poteſt dominus Gregorius quadraginta lanceas tenere, ad expenſas terrarum eccleſiæ quæ ſibi obediunt, ipſo quidem cum illis, & per conſequens cum Florentinis exiſtente concorde. Hæ lanceæ in auxilium converterentur ipſorum; ipſis vero diſcordantibus, in ſui hoſtis commodum & eorum detrimentum. Putabatque Carolus Florentinos potius eccleſiæ egere ſuffragio, eorum prout eſt conditione penſata, quam eccleſiæ ipſis commodum ſit neceſſe eſſe præſtare ſubſidium. Satis quidem manifeſtum eſſe, ſi ſic eccleſia conſiſtat, illos qui Piſis ſunt eorum potius indigere ſuffragio, quam quod illis valeant ſuffragari. Si quoque ad electionem tertii pervenerint, aucta eccleſiæ diſſenſione, non perpendit quovis modo ab eccleſia ſperare poſſunt auxilium, nec a futuro pontifice, quoniam immo potius neceſſe eſſe ipſos illi vel auxilium præſtare opportunum, vel ab ipſis derelictum fore, & ſuo opere tertium, ut ita dicam, pontificem electum in ſua cauſa ſuccumbere. Electus namque quiſcumque fuerit, ſi non prius inter illos qui Piſis ſunt & Florentinos & dominum Gregorium concordia fuerit, eccleſiæ ſtatum temporalem, quæ adhuc pro majori parte in manibus domini Gregorii eſt, non poſſidebit, nec faciliter valebit acquirere; unde nec potens erit illis præbere auxilium temporale. Cumque duos habuerit ſecum in cleri regimine contendentes, nequaquam audebit clericos ſibi parentes gravare; non dixerit tantum propter Florentinis auxiliari, ſed propter ſui imminentes opportunitates, & quod potiſſimum erit, propter juſtitiæ cultum, ne ad adverſarios fugiant. Porro utrum quæ proxime dicta ſunt magis profutura Florentinis ſint, quam lucrum quod ex congregatione hujuſmodi percepturi ſint, etiamſi duplicaretur, ſatis eſt patens. Nec minus ſi propter hoc ſui ſtatus periculum vel incurrat vel evadat. Unde intulit, quod tamquam grati, ſi non propter aliud, quam propter Florentinorum meritum, honorem & incommodum petitis aſſentire debebant & tenebantur. Inſuper eis notificabant, quod eo per Florentiam tranſeunte, de his omnibus cum magnificis dominis prioribus artium & ſuis collegiis contulit; dumque videre viſus fuit ipſos magnam aſſumſiſſe ſpem ſua onera, pericula & jacturas tolli ſeu minui propter novam Piſis electionem pontificis, in hæc eis verba vulgaria orſus eſt: *Magnifici Padri e ſignori miei, mi pare vedere che la voſtra citta avrebbe biſogno che la chieſa ſanta foſſe proveduta d'un paſtore huomo adulto e virile, che per ſe foſſe ſufficiente & poſſente a ſollevare le noſtre anguſtie, dubii . . . . . ſe voi non mutate propoſito per voſtro onore* . . . . .

tantes non defuturum ipſi divinum auxilium.

Ad VI. Ait ad ea quibus affirmabat aliorum dicta, ſicut ſupradictum eſt. Dum vero fundamentum ſic faciens de inconſtantia præcipue domini Gregorii inferebat, &c. dixit dominum Gregorium non ſic dicere, ſed quidquid fuerit in facto, etiamſi fuiſſet velut ipſi domini qui Piſis erant, dixerant, cum juxta Domini ſententiam, *duodecim ſunt horæ diei*, & in undecima fieri poſſit quod non factum eſt in aliis, & ſolvere jubet procuratorem ſuum venienti in noviſſima denarium ſicut & primis, neque debebant circumvenire ſeu repellere dominum Gregorium, volentem per ceſſionem, & omnem aliam viam juſtam & rationalem, quantum in eo erat, pacem exhibere veram, concordem & bonam. Se etiam valde ſtupere dicebat, quomodo tantam facere videbantur difficultatem de loci mutatione, propter aſſertam per eos expertam domini Gregorii inconſtantiam. Si enim quod petitur, recta rationis libra penſetur, quomodo cogitari poteſt, quod dominus Gregorius petat quod unum communi conſenſu concilium fiat, ut ſit univerſale tam de facto quam de jure locum petat partibus omnibus communem & tutum, ſi ipſe non intendat concilio illi intereſſe? Si namque hæc petitio exaudiatur, quare putandum eſt, ut ipſe locum parti ſibi fideli & tempus petat, in quo convenire & conciliari cum aliis tute & habiliter valeant? Quare inſuper quod ſuam & communem concilium auctoritatem habeat, quod eſt ipſum indubitabile ſacrum & potens ad judicandum & exequendum facere, ſi non velit concilio intereſſe? An ſibi parum eſt quod aliorum judicari ſe videat auctoritate, niſi ſuam contra ſe præbeat auctoritatem? Quare etiamſi concilio intereſſe noluerit, dubitandum eſt, quod ipſe non exſequatur debitum ſuum. Et ſi concilium etiam ſua auctoritate congregatum in loco tuto fuerit, quomodo credendum eſt, quod dominus Gregorius velit aut auferit ſic, aut poſſit ſuæ ſe opponere voluntati & ſententiæ? Si autem petitioni aſſentiatur & ipſe interſit concilio ſacro & indubitato, quod certe putandum eſt, quis ſapiens quaſi certam, immo præſentem non inſpiciat unionem? Sicut inſuper dominis auditoribus obtulerat, quod dominus Gregorius ad petitum concilium accederet, & ſua ſervaret vota & juramenta & promiſſa, & ultra quidquid juſtitia & æquitas ſuadebat faceret pro ſacra unione. De uno offerebat ſe obſidem iturum in Gallias & quocumque terrarum. Verum his omiſſis, dato quod dominus Gregorius non accederet, ſive, ſi accederet, cedere nollet quemadmodum promiſerat, voverat & juraverat; certi eſſe poterant, quod apud partem domino Gregorio fidelem, ſuam juſtificarent cauſam, & eos qui in ſua remanſerant obedientia, vindicarent. Et ſatis comprehendere potuerunt ex his quæ venerabiles oratores ſereniſſimorum regum Romanorum & Hungariæ & illuſtris dominii Venetorum ſibi retulerant. Sin equidem crederent ipſi Carolo, triviſionem pro unione facerent, & multos inducerent in errorem pejorem priore, omnes autem ſaltem incertos, quid circa hoc credere quidve ſectari deberent. Quid enim iſtorum magis proficiat aut magis officiat populo Domini cogitent ipſi & judicent, divinum judicium præponentes omnium hominum odio & cupidini. Cogitent inſuper, rogabat, quid nocere poteſt mutatio loci, niſi quod parum augeat illis qui Piſis ſunt laboris & expenſæ. Cogitent alia ex parte, ſi non fiat, ſcelera, labores, & jacturas, quæ in univerſa ſequentur eccleſia. Et cogitent pro certo vereque ipſi atque quicumque fuerint, qui publica eccleſiæ damna & jacturas potuerit evitare & non fecerit, ſicut a culpa, ita a pœna non erunt immunes. Et ſi dicatur, ſicut per aliquos jam prædictum eſt, quod pro ſubterfugio dominus Gregorius petit iſta, non credens eos aliquo petitis modo aſſentire; porro nimis inane & nimis ſtultum eſt pro ſubterfugio ab adverſariis quærere, quæ in ipſorum ſunt poteſtate acceptare, & faciliter, vel ſaltem non valde difficulter exſequi poſſunt. Ne putent quod ipſe Carolus tamquam ſervus S. R. E. in facto reintegrationis & pacis ſuæ aſſentiret, quod decipulæ pararentur, & multo minus ipſe eſſe vellet qui decipulas venderet.

Ad VII. Quoniam hæc tam per reverendiſſimos dominos auditores, quam ipſos reverendiſſimos dominos quatuor, necnon per ipſummet cum ipſo Carolo diſſerta fuerint, ſuperfluum dixit ſibi videri ſuper diſſertis amplius diſputare. Sicut tamen aliorum ſuaſionibus, rogationibus, hortationibus reſpondendo obtulerat, iterum offerebat breviter, Domino dante & cooperante, ſe cuncta facturum pro reintegratione & pace ſanctæ matris eccleſiæ, quæ poterit, ſciet, & debebit; ſic verſa vice eos qui Piſis pro concilio congregati erant, rogabat, hortabatur, & illis toto corde ſupplicabat, quatenus aſſumtum laborem & factas expenſas nolint pro parvis quæ ſupereſſent amittere, & pacem eccleſiæ pro parcimonia, lucro & otio venundare. Et etiamſi dominus Gregorius multo pravior fuiſſet quam dicebant, illud quod ſcriptum eſt attenderent: *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Nolint, ſupplicabat multo amplius, cum poſſint juſte & æque, aut neſcire aut nolle pacem dare in eccleſia, qua nimium eget; ſed contra omne ipſius commodum agere diſcordiam.

Auditis itaque per eos reſponſionibus, petierunt inſimul ſeorſum loqui, & parvam poſt moram dixerunt, quod ſicut reverendiſſimi domini & ipſi cum exhortati fuerunt ſuper proſecutione unionis, iterum atque ma-

gis, si poterant, exhortabantur, quoniam licet plurimis rationibus persuasisset mutationem loci, omissis rigoribus juris quibuscumque, cognoscebant hæc quasi fieri posse, saltem per multos, etiamsi vellent, esse impossibile. Manifestum quidem esse dicebant multos ex patribus congregatis Pisis impeditos, alios senio, alios languoribus, alios egestate. Exemplumque adduxerunt de domino Penestrino Gallico & aliis quibusdam, quorum nominibus non recordatur, qui propter prædicta non possent concilio interesse, si locus mutaretur. Non debere igitur velle hoc dominum Gregorium, neque ipsum Carolum, neque debere ipsos assentire dicebant, & propterea rogabant, *ut supra.*

Dixit se suo [judicio] satis supra dixisse. Supplicabat, quod eis ut fructum qui sequetur ex uno, & malum quod sequetur ex altero librare vellent. Insuper æqua lance discernere, quid magis veræ & indubitatæ unioni profuturum sit, an quod universali concilio non interfint hi quos mutato loco dicunt interesse nequire; an quod dominus Gregorius non interfit cum omnibus suis fidelibus. Ponderent etiam, si æquum est domino Gregorio non complacere de loco sibi & suis tuto volenti juri sui papatus cedere, ut aliis paucis respectu sui & suorum complaceant. Qui tamen propter minimum respectum papatus beneficium ad remota orbis accedere conarentur, si seniores essent sive inopia aut languore amplius torquerentur. Adjecit præterea, quod loquens cum multis ex his qui fuerant obedientiæ Romanæ, dicentibus quod etiam si Italici assentire vellent mutationi loci, Gallici potius ab illis discordes discederent quam assentirent, pluries intra se conferendo, cum manifeste certam unionem ex hoc fieri non dubitari credat ab eis, cumque & ipsi zelatores unionis non minus Italicis appareant, cogitavit cur ipsi renuerent quod appetere videbantur. Nec sciebat alias inspicere causas, nisi quia forte dubitant, vel per quosdam zizaniæ seminatores sibi suggestum est, quod si tota obedientia Romana convenerit, & dominus Gregorius cum eis, tunc primo petet super jure papatus sui per concilium terminari, & cum plures valde sint numero, & præcipue cum intra se divisi sint, timent Gallici non confundi, & sic timentes decipi non assentiunt. Verum ne propter hoc tantum deficiat bonum, immo ne propter tantum bonum quod ex petitis veniendum est vero assentiendo innumerabile sequatur scelus & scandalum, ipsos certos reddit quod dominus Gregorius non tentabit, & de hoc vult ipse fidejubere & certificare eos se obsidem exhibendo, ut prius obtulit. Vult insuper omnes fortalitias quas ipse Carolus gubernat tradere in manibus ipsorum in abundante cautela, quod hæc omnia quæ promiserit servabuntur. Nec pavere debent, quod ipse eos decipiat; nam quamvis insipiens sit, cur credere valent quod Dominum Deum suum, sanctam matrem ecclesiam dominam suam, in sui & universorum fidelium scandalum & detrimentum, decipere velit, ut præter demeritum & dedecus, personam & omnia quæ possidet perdat. Cur etiam pavere vellent, quod dominus Gregorius ipsum Carolum decipiat, cum in suis secundum sæculum manibus & potestate sit? Neque tam stultus est, quod non agnoscat, quod potius & prius se deciperet, quam ipsum Carolum.

Hoc igitur audito & facto, invicem adhuc collocuti dixerunt se valde libenter audivisse quæ dixerunt, quod multa audiverant super ista materia, quæ numquam audierant, & præcipue de securitate, quod dominus Gregorius cederet, & quod cuncta seriose referrent reverendissimis suis uniti collegii & capitibus nationum, qui ad tractandum hoc negotium electi fuerant a sacro concilio & eos miserant, & non dubitabant eos cuncta facturos illis possibilia pro sacra unione, & quod certe omnia facienda essent, nisi probata esset versutia de papatu contendentium & eorum subterfugia, quibus hactenus usi fuerunt. Insuper propter causas quas supradixerant, quasi impossibile fore sacrum concilium mutationi petitæ assentire, & propterea postquam dominus Gregorius nolebat cedere, melius & habilius foret ipsum Pisas accedere: quod si nollet, cederet per procuratorem, & quodcumque istorum faceret, suam optimam intentionem probaret effectu, & sacrum concilium sibi in suis & suorum commodis & honoribus nunc & perpetuo obligaret. Et hoc non loquebantur absque causa. Dicebant etiam hoc adversus Carolum, si tantum operaretur quod ille faceret. Ceterum ut melius & certius illis qui eos miserant referre valerent super voluntate domini Gregorii in modo cedendi, ecce dicebant: Nos scimus pravam intentionem domini Benedicti in cedendo. Cum ergo concilium esset congregatum, dominus Benedictus non cederet; quid ergo faceret si dominus Gregorius non cederet, dicens: Ergo non teneor cedere, non cedente adversario meo. Petebant ergo velle informari, si dominus Gregorius cedere intendebat, si locus mutaretur, etiam domino Benedicto non cedente.

Dixit quod cuncta saltem effectualiter & serioſius reverendissimis dominis auditoribus dixerat; utrum autem ipsi concilio retulissent sua cuncta quæ dixerat ignorabat, licet credere debuisset quod sic. Quod autem concilium illud circa possibilia faceret pro sacra unione sufficere dixit, neque aliud petierat aut petebat ab eis, de versutia quidem & inconstantia domini Gregorii, & de securitate satis dicto nihil addere intendebat. Quod enim Pisas accederet dominus Gregorius

neque justa neque æqua petitio videbatur, A rationibus quas scripto & verbo jam dixerat, & multis aliis efficacioribus longe. Verum quamvis hæc tentare præsumeret, cuncta putabat officia perdi. Similiter autem quod per procuratorem cederet. Nec debebat suo videre nequam esse adversus dominum Gregorium, ipsum videlicet & fideles suos a concilio privando, ne incumbentibus publicis & privatis ecclesiæ commodis intersint, qui eos sicut ceteros, si non amplius, saltem tantum tangunt, dicente jure, quod omnes communiter tangit, ab omnibus debet communiter approbari; sed ipse dominus Gregorius volebat bonus esse, & cedendo juri papatus sui quantum in eo erat pacem reddere ecclesiæ sanctæ: quod quidem cedente domino Gregorio, suis se offerebant commodis & honoribus & suorum. Licet eo cedente, satis hoc justum censetur & æquum, nusquam tamen hoc petivisse aut petere se dixit, nec quidquam sibi super hujusmodi injunctum fuisse a domino Gregorio affirmabat. Satis autem jam sibi dixerat Carolus fore putabat, si quod debebat & poterat, faceret propter sacram unionem, quod facere nec inde quærere humanum munus proposuerat, quantum Dominus donare dignaretur. Ad petita autem per eos super cessione, dixit quamquam abunde collegisse potuissent ex dictis jam per eum parte domini Gregorii, quod effectualiter erat ipsum velle & omnia & singula servare quæ promiserat, voverat & juraverat, & quicquid insuper tenebatur de jure, ulterius quidem quicquid justitia, æquitas suadebit pro parte ecclesiæ & vera unione ne ipsum forte facturum. Quamvis ipse nihil ulterius facere teneatur, & nihil ulterius ab eo quærere videatur honestum; tamen non parte domini Gregorii, sed habens fiduciam in Domino Deo & in bona dispositione domini Gregorii circa hoc promittit ex seipso & fidejubet, quod si petitis jam per eum assentirent, quidquid illiusmodi concilium sacrum terminabit dominum Gregorium facturum pro sacra unione, absque contradictione faciet, non solum usque ad cessionem inclusive, etiam domino Benedicto non cedente, verumetiam usque ad mortem, nec ista, quid aut quomodo loquatur ignorans, dicit. Ipse enim pluries ab ipsius domini Gregorii ore percepit. Rogabat igitur & supplicabat, ut immensum bonum, quod fieri facile poterat, non commutaretur in immensum malum quod imminebat in foribus pro facili re. Ipsi quoque his finitis cuncta se fideliter relaturos, & quidquid boni possent operaturos dixerunt, sperantes quod ipse Carolus a sacro concilio talia reportabit, quibus merito poterit contentari. Verumtamen si concilium suum deliberaverit non assentire petitis, eis supplicabat quatenus quæ dixerant, ipsi in scriptis darent. Insuper & si quas alias rationes haberent eorum concludentes animo, quod petitis nequaquam assentire deberent, aut etiam non tenerentur. Ipsos namque certificabat, quod quantum cognosceret, paratus erat non esse pertinax, sed semper acquiescere rationi, & similiter de eis sperare debebat, & de hoc eis supplicabat.

Hoc quidem nondum sermone completo, ecce nuncius ex parte reverendissimorum dominorum auditorum nuncians horam adesse, in qua cum Carolo simul interesse convenerant, & quod propterea congregati in domo domini Aquilegiensis, si de domo tamen B bene recordatur, ipsum expectabant. Cui ipse dixit se paratum fore, neque propter aliud distuliſſe, quam quod occupatus fuerat cum reverendissimis dominis a capitibus nationum missis, de quorum transmissione ipsos ignorare non credebat. Tunc magister Thomas unus ex illis ait, se putare præstantius ipsos primo dictos dominos informare de his quæ cum Carolo contulerant, quam cum eis prius Carolus loqueretur. Et hæc omnia propter commodum unionis. Cui Carolus ait se de omnibus contentum, quæ ad unionem conferre possent. Sic itaque illis discedentibus, & pene ostium habitationis Caroli C egressis, alius nuncius supervenit dicens, reverendissimos dominos suos Carolum ipsum præstolari, & quod nisi secum die eadem convenire posset, cum hora transiret, vesperascente jam die, circa alia quæ eis incumbebant unicuique opus erat versari. Tunc-que equum ascendit, dumque pene prædicti ad reverendissimos dominos attigissent, ipse domum in qua convenerant ingressus est, & jam incipienti equum descendere occurrit quidam dicens ei, præfatos dominos ipsum rogare, ne moleste ferret, sed differret in crastinum mane loqui secum. Porro ipse statim D dominum episcopum Cervienſem misit quomodo vocatus accesserat domum, si præciperent domum reverteretur, accessurus ad illos cum posset audiri. Nihilominus de sua expeditione rogabat. Ille quidem parvam post morulam rediens accessum illis tunc nuncians, quodque ignorassent eum domum illorum attigisse dicebant; quod si novissent, nequaquam retrocedere postulassent.

Accessit igitur, & ipsos octo congregatos invenit, atque alium simul, quem non noverat; sed per ea quæ a domino Mediolanensi audivit, Meldensis erat. Dominus Albanensis, E si bene recordatur, dixit vere domini sui libenti animo Carolo complacerent, libenterque vellent, dummodo possent, quod ipse in his quæ tractabat & in cunctis aliis honorem reportaret & votivum intentum; quodque propterea multoties ipsi & alii domini sui contulerant. Novissime etiam patrum quos ad eum miserant audita relatione, & quamquam ista non diceret pro finali responsione, tamen quantum suam tangebat

perſonam, videns Carolo videri nihil fieri poſſe ſine mutatione loci, dolebat ipſum cernere, ſi fideliter tamen, incaſſum laborare. Nuſquam enim rem hanc, utpote omnibus aliis magis exoſam ſacro auderet concilio proponere, ne ſacræ unionis haberetur hoſtis, & quod vellet ſacrum illudere concilium, & diſſolvere putaretur. Verum ſi alium cogitaſſet modum, ut proponere vellet, quoniam dominos ſuos & univerſum concilium ad omnia alia ſibi poſſibilia pro ſacra unione & votis ſuis promtos experiretur. Inquiebat inſuper, quod ei difficillimum videretur credere, immo quaſi impoſſibile, quod aliud quam dixiſſet uſque huc non haberet; & quod ſi ipſi videretur, per eos aliquid offerendum aut faciendum domino Gregorio & ſuis ut cederet per ſe in manibus concilii ſacri, vel per procuratorem, vel in manibus procuratorum concilii ſacri. Certus autem erat quod domini ſui & univerſum concilium in ſua relinquerent diſcretione, facturi quidquid erga dominum Gregorium videretur faciendum ipſi Carolo. Dicebat etiam ſperandum eſſe a dominis ſuis & ſperare ſacram unionem ſequi, mediante ipſo Carolo. Nam attentis obſequiis quæ domino Gregorio exhibuerat opere & verbo, ipſum videlicet recipiendo ab omnibus quaſi ab omnibus derelictum & repulſum, & ſua jura defendendo, non erat dubitandum, quod Carolus videns loci mutationem impoſſibilem, nec univerſali concilio gratam, non conſulat, non inſtet apud ipſum, quod noſtris petitionibus cum ipſius domini Gregorii & ſuorum proficuo & honore annuat, & ſic ſacra unio fiat: præſertim ſi tam bonæ intentionis eſt, velut aſſerit; quod tamen ſibi & aliis dominis ſuis difficillimum apparebat. Si autem non aſſentiat; tunc etiam non erat dubitandum, quod Carolus cernens ipſius deceptionem & malitiam, univerſalis eccleſiæ pacem & bonum potius diligeret quam cum damno & jactura eccleſiæ ipſius domini Gregorii ineptam ambitionem. Et propter hoc ipſum, velut tenetur, arctabit & coget. Ideo hortabatur & coget, &c. Modus rogationis omittitur, quia ille fuit qui aliàs. Demum concluſit: non obſtantibus quæ dixi, domini mei & iſti alii domini ſuam dicent intentionem.

Tunc dominus de Turreyo acutiſſime dixit, quod nullomodo erat tractandum de mutatione prædicta, quia diſſolveretur concilium & unio totaliter deſtrueretur, ſi verbum ſuper hoc fieret. Aliis vero omnibus quæ dixerat dominus Albanenſis applauſit. Similiter quidem & alii duo, unus tamen ex dictis quatuor ait: vos ſcitis domini mei, quod aliquis veſtrum voluit verbum ſuper hoc facere cum capitibus nationum, & ſcitis quod tam moleſte tulerunt, quod dubitamus eorum indignationem nimis fore damnoſam ſacræ unioni & perſonis noſtris: & ideo non eſt amplius loquendum de hoc. Nihilominus vertentes ſe ad alios quatuor, inquierunt: Dicite vos qui miſſi fuiſtis a nationibus, & melius noſcere debetis eorum intentum. Hi vero quatuor hoc idem dixerunt effectualiter, nec ita mite locuti ſunt, ſicut ante fecerant, quando in domo habitationis Caroli fuerant.

His cum magna diſplicentia intellectis, quoniam videre videbatur futurum e propinquo jacturam & deſolationem totius populi Chriſtiani dolere quantum valebat, Carolus ait: Et ſuper hoc nihil aliud dicere ſcire, quoniam dixerat ſatis ſuper his quæ poterat circa hæc, & intendebat, & verbis ſuperflua addere verba tamquam inane quid nolebat: eoque maxime apparebat ipſos divertiſſe quo nolebant. Ad ſuam tantum memoriam reducebat reverenter, quod novum ſuſcitabant ſchiſma, peſſimam hæreſim pariturum. Et cum ea quæ tentabant propter unionis opportunitatem dicerent ſe agere, unionis firmitatem, quam in unius paſtoris reverentia dominus noſter JESUS CHRISTUS conſtituerat, totum unitatis eccleſiæ robur mobile & tremulum facientes deſtruebant. Cum ergo hoc evitandum eſt, ipſi noſcere debebant, & quantum jus canonicum & civile hæc deteſtatur, præcipue cum aliter ſacra & indubitata unio fieri valeat. Et ſi unum quodque collegiorum quod deliberaverunt attentaverit proſequi, videlicet quem dixerunt ſuum paſtorem deponentes, membra capiti rebellabunt abſque opportunitate & utilitate aliqua, præter eam quod ſchiſmati augebitur ſchiſma. Verum tamen cum nec dolere in ipſius Caroli poteſtate ſit, nec poſſe proficere ſibi appareat, & propter ejus abſentiam & vicina illis regia Caſtra terræ quas pro Romana gubernabat eccleſia, non ſine periculo ſint, nullo præſertim fratrum ſuorum in patria exiſtente, rogabat, ſupplicabatque pro ejus expeditione, quam non nihil proficuam univerſali putabat eccleſiæ in conſervatione temporalis ſtatus. Hoc idem quatuor a nationibus miſſis dicens, & addens quod rogabat eos, quatenus ſicut ſibi intentionem exhibuerant, ſaltem in ipſius Caroli excuſationem quæ dixerat fideliter referre vellent. Inſuper & ei dare in ſcriptis rationes, quibus urgebantur de non mutando locum, quoniam paratus erat ſemper certis acquieſcere rationibus in his quæ cognoſceret velut ſupra dixerat.

Tunc replicarunt allegantes nedum fore impoſſibile locum mutare, ſed de mutatione loci tractare ſine concilii & unionis diſſolutione. Ipſum vero expediri ſtatim a dominis ſuis procurarent. Sic & alii quatuor. Verum magiſter Thomas dixit Carolum non debere ignorare, quod ea quæ præcipue tantum important pondus, non ita faciliter & in brevi ſpatio deſcribenda erant. Et quo-

niam Carolus ſuum frequentare videbatur diſceſſum, licet putaret ſacram ſynodum rationes quas poſtulaverat, ſufficientibus committere patribus ordinandas, & in ſcriptis exhibendas, non tamen putabat ante ſuum diſceſſum ei ipſas tradi poſſe, ſed adhibita poſſibili diligentia per fidum illi nuntium tranſmitterent, quod ægre non ferre rogabant, fere quoque dixerat iſtud & dominus Meldenſis poſt tergum unius dominorum quatuor miſſorum, qui juxta eum ſedebat, ſe extendens. Satis plane dixit magiſtro Thomæ: non dicatis dari ſibi in ſcriptis quidquam ſuper hoc, quoniam domini mei cardinales deliberaverunt nihil ſibi dari. Hoc quoque quamvis dicere ſecrete voluiſſet vel oſtendiſſet aſtutiæ quadam, tamen Dei gratia totum Carolus audivit, & ex illa hora ſpem amiſit amplius quid ſuper hoc in ſcriptis habere, quod poſtmodum experte eſt in facto. Surrexerunt igitur omnes, & dum ſua curialitate & humilitate dominus Mediolanenſis ipſum ſociaret jam prope oſtium cameræ, ipſis duobus exiſtentibus, in hæc verba prorupit: Antiquitus & diu fuimus dominus Gregorius & ego conſtituti in minoribus valde domeſtici & amici cariſſimi. Rogo ergo quamquam nuncius magnus ſis, dicas ſibi mei parte, quod perventis nobis ad ſenium expedit cogitare animas ſalvare noſtras. Relinquamus ergo dignitates iſtas, quæ magis vanitati quam ſaluti proficiunt. Cedat ipſe papatui, & ego volo cardinalatui cedere. Eamus ad S. Nicolaum de lettore ſervituri Deo, & ibi ſibi paratus ſum ſervire per annum & ultra. Hæc omnia junctis manibus in modum orandi eum maxima efficacia dicere videbatur dicens: Rogo te, Carole mi, dicas ſibi hoc mei parte.

Ad hæc Carolus ait; o Domine mi, quam bene verba veſtra ſonare videntur; ſed cum dominus Gregorius velit papatui cedere, nec petat vos renunciare cardinalatui, nec quod ſibi ſerviatis in monaſterio, quare quod minus eſt ſecum non vultis in loco partibus tuto convenire, & ipſe ibi papatui cedet, & vos perſiſtetis cardinalis, & vera unio & ſacra pax reddetur eccleſiæ ſanctæ?

Ad hæc ait: certe, Carole, ipſe non cederet. Guſtui namque ſuo tam dulciter ſapit ſuper pontificatus cathedram ſedere, quod numquam niſi compulſus deſcenderet.

Tunc Carolus: Si tam dulce eſt ſuper cathedram B. Petri ſedere, quod hi qui numquam ſederunt, tanta vexantur rabie, quod eccleſiam & univerſum populum domini deſtruere non curant, ut citius ſedeant, quare iſtum tantum quiſque culpat, etiamſi aliquali mora fuiſſet deprehenſus? Quis namque magis reprehendendus eſt, vel ille qui dulce guſtaverit ferculum, ſi nullius concupiſcentia labatur, vel ille qui in non expertam delectationem exarſerit? Et cum poſſet unuſquiſque quem dominus elegit, unicus verus & indubitatus fore pontifex, ſi petitis aſſenſeritis vos & alii, certe valde ſtupendum eſt quomodo unicuique tam infeſta ſit ambitionis voluptas, ut non valeant per paucos dies præſtolari. Sed cum omni reverentia loquendo, ſimiles mucipularum fiant, quæ propter frequentiam catulos ſuos pariunt cœcos. Sed ecce juſtum & æquum eſt, ut peccata Chriſtianorum inveniant eos. Etiam in hoc dixit non deſineret admirari, quare non experientia comprobare vellem utrum dominus Gregorius cedere vellet, ſicut oblatum eis erat. Nihil enim ſic nocere poterat experientia hæc. Nam ſi dominus Gregorius cederet, ſuum haberent intentum; ſi non, omnes Chriſticolas de ſua malitia certos redderet.

At ille: dicis hoc forte propter me, conſcius ipſe ſibi: verum modicum de papatu curo per Dei gratiam, & ſit pontifex quicumque voluerit, dummodo unio fiat, parum curo, licet, quantum in me eſt, bonum paſtorem optarem eccleſiæ.

At Carolus non amplius propter eum hæc dixerat verba, ſed propter unumquemque magis & minus, velut magis & minus in hoc noxii forent, & ſe de unoquoque ſigillatim putare quod unuſquiſque de aliis ſingulis putabat, & ſubridens licet corde triſtis propter jacturam populi divini & properam, ad cæteros ait: Creditis, domini mei, quod dominus meus Mediolanenſis cathedram illam libenter aſcenderet? illi vero riſerunt, & ipſe Carolus: Certe in hoc credo quod vos omnes credere puto. Et his dictis ad ſuum rediit hoſpitium.

Dum hæc autem viciſſim tractarentur, dominus Aquilegienſis tractavit cum Carolo, quod tamquam frater & amicus ſuus inſpiciens ipſum ex jam cœptis honorem acceperturum. Cumque ſibi aperuiſſet ipſum Carolum non parum dubitare de electione futuri pontificis, cum ratione Gallicorum ſibi pontificem quærentium, tum ratione Florentinorum, quos dubitabat etiam eis potius quam ſanctæ eccleſiæ optare pontificem. Et propterea non ſolum propter ceſſionem, verum etiam propter ſecuram canonicam & liberam electionem, ipſum inſtare pro loco extra Florentinorum fines, cogitaverat quod ſi Carolus tantum cum domino Gregorio operaretur, quod ipſe Arimini cederet, cum ceſſio illa loco mortis civilis haberetur, non poſſent declinare Gallici & quicumque hujus forent opinionis, quod electio futuri pontificis fieret Arimini. Ex qua omnis ſuſpicio Carolo ceſſare debebat, & certificari quod futuri pontificis electio, certa erit & libera. Inſuper ad perpetuam famam domus ſuæ & ipſius hoc futurum erat, quod in ejus, ut ita dicatur, domo ſchiſma quod per xxxi. annos duraverit & ultra ſedatum ſit. Nulli enim principi Chriſtianorum (cum multi appete-

rent) hoc datum fuit. Rogabat ergo, quatenus sibi concessam gratiam agnosceret, & ipsa uti non negligeret. Propterea pontifex ille futurus, cum concilii opus sit, congregare illud incumbet sibi, nec alibi quam ibi congregare ipsum velle aut posse commode putandum est, & sic ecclesiæ sanctæ serviet, quod electio & concilium ipso operante in domo sua erunt libera. Hoc idem frater suus Malatesta Pensauri dominus dixit.

Ipse quidem domino Aquilegiæ inquit, jam dixisse se totum acturum & curaturum pro sacra unione, quod dominus posse concederet & debere noscet. Ultra autem posse si se offerret, stultus foret; si tentaret, plusquam stultus; ultra autem quam sibi videatur debere, malus foret si facere auderet. Hoc autem dixit domino Malatestæ fratri suo. Sed addidit se non parum mirari de eo, & quod certe id erat quod a cunabulis noverat, nec crederet ipsum alterum fore, nec crederet ipsum sæculi pompam suo magis diligere debito, & quod suo debito non faceret, propter pompam nemo speraret ipsum esse facturum.

Dum esset invitatus etiam a domino Mediolanensi & a prandio recederet, prope scalam constitutum cum domino Mediolanensi, rogavit quod domino Gregorio ambassiatam faceret, quæ supra dicta est.

Iterum vero ipsi ille respondit, ut supra: sed addidit vos vultis quod dominus Gregorius papatui cedat, quod non parum est: Et vos non vultis juri vestro congregandi concilium cedere & locum mutare, quod respectu ejus quod petitis parum aut nihil est. Nihilominus quod injunxistis fideliter referam.

Postquam autem cum illis dominis octo in præsentia domini Meldensis Carolus contulerat, accessit ad eum magister Thomas die quadam, dicens cum magna displicentia videre ipsum sine conclusione unionis, vel saltem sine optima spe unionis discedere. Primo namque considerabat bonum unionis in se, quantum rei obligatus, necnon propriæ ejus personæ, & cum diu ipsius Carolus notus & benevolus, & beneficia tam a domino genitore suo quam a civibus Arimini & ab ipso Carolo non pauca susceperit. Unde postquam discesserat a dominis suis, plurimum cogitavit quomodo fieri posset quod prædictis & pluribus aliis rationibus optabat, vidensque mutationem loci impossibilem, nec fieri posse unionem, nisi dominus Gregorius cederet, sperabat quod si Carolus domino Gregorio offerret aliquid honorabile & utile suæ personæ & suis, ipse acceptaret. Cogitaverat eum pro honore personæ domini Gregorii, si Pisas vellet accedere, quod aliqui ex cardinalibus, & si bene Carolus recordatur, videtur sibi quod dixerit de Italicis & Gallicis irent usque Ariminum obviam sibi, qui cum honorabili numero prælatorum ipsum Pisas honorifice sociarent, ubi etiam honorifice receptaretur, & ibi cederet, & ecclesia & futurus pontifex illi provideret de aliqua legatione honorabili; insuper statui fratris & nepotum suorum opportune & honorifice, & quoniam sciebat dominum Gregorium, cum de sua cessione tractaretur, aliqua a collegio suo postulasse pro suis affinibus, dicens non esse decens suos non remunerari ab ecclesia, si cederet papatui, sperandum erat omnino ipsum assentire debere, si hæc sibi offerrentur. Et si nollet Pisas accedere, quamvis melius ageret si veniret, & rem magis concilio gratam universo, cederet Arimini in manibus venerabilium patrum, quos concilium transmitteret in condecenti numero & reverentia, juxta quod mittentium & ejus ad quem mittentur honor exigeret, cum juridico & pleno mandato, ad recipiendum nomine & vice sanctæ matris ecclesiæ universalis cessionem prædictam, & ad promittendum sibi nomine & vice prædicta, quod ea quæ sibi promissa fuerint, ut supra dictum est, integraliter sibi & suis servarentur. Considerare namque debebat, ad quid ex voto & juramento suo tenebatur, & quantum proderat ecclesiæ & sibi & suis: ex adverso quidem quot mala sequebantur ecclesiæ, quot sibi & suis pericula. Cernere quidem poterat, nisi hoc faceret, se omni ecclesiæ exosum, atque ab omnibus derelictum. Concludens igitur diserte ornateque Carolo persuasit intercedendum propter hoc apud dominum Gregorium, ut sibi præmium & gloriam magnam apud Deum & homines vendicaret.

Ad hoc Carolus ait, quod regratiabatur sibi de his quæ domestice secum contulerat, & versa vice tamquam notus & filius suus dispositus erat secum amicabiliter conferre & domestice, dolebat namque valde cernere quod cernebat, licet verecunde referret, ipsum referre compelleret veritas, videbatur sibi quoque videre omnes excusationes super mutatione loci sibi factas frivolas & inanes esse. Ideo videbantur sibi potissimæ causæ quare locus non mutabatur, non illæ quas dixerunt, sed aliæ quas ne dominos Pisis existentes irritaret, neve putarent ipsum odii causa, seu inter eos scandalum suscitandi dixisse, tacuit coram eis; nunc vero instante opportunitate tamquam patri & amico familiariter pandere deliberaverit, quod hæc sibi videntur, incipiendo a Gallicis, quoniam eos numquam consensuros dicebant Italici, primo namque quia interpretando eorum voluntatem in melius considerabat, quod vehementer titubarent, ne pars domini olim Urbani congregarentur omnes insimul. Sciebant enim, esto quod utraque pars integraliter cum altera conveniret, partem domini Urbani suam excedere tantum, quod si duo essent ex ipsis in concilio, quinque ad minus

forent ex noſtris. Cumque ſciant inter eos ſchiſma vigere fortius valde, & propterea dubitabant de violentia, primo ne Italici vellent ante omnia ſuper jure contendentium de papatu terreri, deinde dato quod hoc ſibi dum tolleretur, dubitant ne circa beneficiorum moderationes in quibus cum noſtris concurrunt ſuccumbant. Sed alia cauſa eſſe poteſt, quam pudibunde referebat ex parte dominorum Gallicorum. Nam ſi tantum papatum ambierunt, ut plures ex noſtris dixerunt, unde factum ſit ſchiſma non judicandum eſt, ſed cavendum a noſtris juxta illud Domini: *Eſtote prudentes ut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ*, ne quod circa xxxii. annos experti fuerunt, obtinere per directum non valuerunt & per indirectum, vel ſaltem ſubſtantialiter obtinere procurent, & propterea ſumſerint occaſionem impoſſibilitatis mutandi locum, ne obedientia Romani pontificis inſimul integra valeat convenire & concordare. Putant quidem ſi Romana obedientia concors fuerit, nuſquam velut illi, neque in papatu neque in papatus adminiſtratione, diebus præſertim his, potentes fore: unde ſi in unum convenerint, dum appareat eis illos faciliter concordaturos. Cumque inſpiciant, diſcordia loci inter illos vigente, nuſquam inter eos concordare poſſe, quod de loco concordent non aſſentiunt, quin immo impedire ſatagunt. Cogitantes vel propter illorum diſcordiam ad ſanctuarium Domini hæreditate poſſidendum reverti ſicut hactenus: vel ſi non potuerint, & in unum obedientiæ Romanæ eos aſſentire opus ſit, gratis & liberaliter oſtendant largiri velle, quod obtinere non poſſint, & tantum obtinere effectualiter, quod aliis largirentur apparenter. Quis enim tam inſipiens eſt, qui non videat, ſi fideles Gregorii non conveniant, & concordaverint cum aliis qui Piſis ſunt, quiſcumque fuerit Piſis pro pontifice electus, omnino, quamquam fuerit Italicus natione, fide & voluntate oportebit a Gallicis dependere. Et ſi noluerit, in cauſa papatus ſuccumbere opus habebit, neque ad ſiniſtram neque ad dextram declinare, niſi quantum ſeu voluerint, ſeu aſſenſerint Gallici. Si ceterum ad partem Italicam ſuam Carolus vertebat conſiderationem, videbat, heu! quoſdam tanto odio, quoſdam tanto ultionis debacchatos ardore, quod nollent dominum Gregorium cedere & eccleſiæ pacem reddi, ſed potius non triſchiſma fieri, ſed centiſchiſma, dummodo dominus Gregorius cum ſuo ſcandalo & ſuorum cedere oporteat, vel quod a papatu ejiciatur tamquam ſchiſmaticus & hæreticus. Quoſdam vero jam ſibi videri viſos cathedram aſcendiſſe, ex promiſſionibus quas ſuſceperant & cautelis quas adhibuerant, tantum tædebat ad horam nedum per dies moræ ſcandendi. Inſuper tantum dubitabant ne mutatione illa, & majori in electione adhibita libertate, a ſuo propoſito evaneſcerent, quod prius, proh dolor! cœlum & terram ruere aſſentirent. Audiſſe inſuper dicebat, ſi promiſſionum obſervatio circa multos ſervata non implicaret contradictionem, tot futuros paſtores tam de collegio Italicorum, quam de his qui erant prælati extra collegium quod penetot eis oves ſubjectæ forent. Hoc etiam non paucos ſperare ex eorum proprio ore & geſtu didicerat. Hinc igitur iſti non ſolum ſupradictis cauſis, quaſcumque alias fingerent cauſas, loci mutationem & alios impedire ſufficientes erant; ſed ſi Dominus Deus annueret omnem confundere unionem, atque alios ad unionis ſeducere turbationem: in his, inquit, mentem ſuam cum ipſo familiariter effudiſſe juvabat. Addens quod certe non ſolum qui tam ineptis voluptatibus & ambitionibus eccleſiam ſanctam deſtruebant; ſed quicumque juxta poſſe, aut prece, aut pretio, aut formidine juncti non reſiſtebant, magnam in diſtricto examine apud omnipotentem, ſapientiſſimum & juſtiſſimum judicem, cui nihil cordium occultum eſt, pœnam eis vendicabant. Ad dicta quidem per eum reſpondebat, quod quicumque vellent fingere ſibi poterant, quod aliud habuiſſet in mandatis a domino Gregorio, quam illa quæ dixerat; ſed veritatem dixerat & non credebatur; & ſi credebatur, non credi fingebatur; & hæc omnia in detrimentum ſanctæ matris eccleſiæ & in augmentum ſchiſmatis redundabant. Et quod veriſſime a domino Gregorio, nec ab aliquo ſuorum quidquam petere habuerat in mandatis, ipſo cedere diſponente, nec ſi aliquid offerrent acceptare, & quod nullomodo credebat dominum Gregorium ceſſurum per viam illam, & præſertim quoniam pluries audierat ab ipſo, quod potius mori volebat, quam propter moleſtiam hoc temporale cederet præmium. Et quod ſponte, ſi permitteretur, cedere intendebat in hoc propter honorem Dei & eccleſiæ pacem. Dicebant etiam Carolum, etſi ipſe oppoſitum aſſeveraret, eum tamen hoc credere. Si namque dominus Gregorius præmium quærebat æternum, neſciebat qua ratione æternum pro temporali ſeu amittere ſeu commutare vellet. Si vero temporale, hoc dupliciter quæreret, vel honore vel gazis. Si honore, vel quod tamquam virtuoſus coleretur, vel tamquam dominus magnus & potens, eximiaque poteſtate venerandus. Quod cum detur, iſtorum quis negabit, de primo quod potius liberaliter cedat, quam mercede, & quod præmium potius poſt actum expectet, quam quærat ante, ſi de aliis quod dicebat ipſe Carolus, offerri illi poterit quod circa potentatum & gazarum venerationem papatui æquipolleat ſuæ perſonæ perſoniſque ſuorum; etiam non parum admirari inquiebat, quod ipſe tam prudens Carolum rogaſſet, quod

quod offerret domino Gregorio legationem, & non dicebat quam, & ſuper omnibus aliis generaliter loquutus fuiſſet, nihil ſpecificando. Quid enim diceret dominus ſuus dominus Gregorius papa, ſi iſta ſic ſuæ proponeret ſanctitati? Numquid dicere poſſet: quid hoc tentaſti ſine mei licentia; inſuper, quid mihi refers? Quid igitur ad hæc reſponderet Carolus, a ſua quærebat reverentia.

Ille vero hoc audito, breviter & effectualiter perſuadebat ut ſupra, dicens nullo modo hanc practicam omittendam fore, & quod ſperabat ipſam eſſe unionem parituram; quodque ſatis videbatur honeſtum, Carolum tam nude ad dominum Gregorium ſuper hoc non redire, & quod cogitaret ſuper hoc, & in craſtinum clare & particulariter ſuum videre diceret.

Ad iſta Carolus ait, ſe non iſta præſtolari, quia non propter hoc venerat, ſed tantum reſponſionem a reverendiſſimis dominis qualem ſibi exhibere vellent; & reverti, & reſpondere vel non, beneplacito relinquebat ſuo: ex quo ille videns Carolum, ſatis lætus diſceſſit, credens forte, licet noluiſſet exprimere, Carolum tandem ſuper hoc practicaturum, videns circa poſtulata per eum nihil omnino referre poſſe.

Die quidem ſequenti reverſus fuit ad eum prædictus magiſter Thomas cum quadam cedula, in qua continebantur quædam quæ videbantur ipſi magiſtro offerenda per Carolum domino Gregorio, patierat * pro ſuis attinentibus a ſuo collegio, in caſu quo cederet, & quod habito reſpectu ad præſentem rerum diſpoſitionem, & ea quæ petiverat, iſta illi offerenda videbantur.

* *f.* qui petierat.

Primo, ſi vellet Piſas accedere, quod unitum collegium, ſacrum concilium, & domini Florentini illi & ſuis bonos ſalvos-conductus & in pleniſſima forma concederent.

Secundo, pro reverentia ſtatus eccleſiaſtici & perſonæ ſuæ, de obviaturis providerent, ut ſibi dixerat prius.

Tertio, quod honorifice & caritative ab univerſo concilio recipietur.

Quarto, quod cum ceſſerit, provideatur ſuæ perſonæ de legatione Fori-Julii & Marchiæ Triviſianæ per totum tempus vitæ ſuæ; & ſi in curia voluerit prope futurum pontificem morari, venerabiliter tractetur inter cardinales ceteros, & de tot ſibi provideatur beneficiis, quod vitam ducere valeat honorabilem.

Quinto, cum ſuum collegium ad ſui inſtantiam promiſerit nepotibus ſuis providere in patrimonio de Monte-Flaſcone, de Corneto, de Urbe-vetere, & in Romandiola de Foro-Pompilio, Forlivio, & Faventia, & quod eis provideatur de terris illis alias ſibi in patrimonio oblatis. Verum cum dubitet, ne dominus legatus Bononiæ aſſentire noluerit, quod eis terræ illæ Romandiolæ traderentur, rogabat Carolum, quatenus cogitare & dicere vellet, quid illi æquivalens ſancta mater eccleſia concedere poſſet, ſi dominus legatus non aſſentiret, de quo valde erat dubitandum. Inſuper cogitaverat intra ſe, cum Caroli ſororem in uxorem habeat Johannes Galeaz, ne ipſe Carolus libenter tractaret alteri quam cognato ſuo Faventiam dandam fore. Hæc quidem dicebat ex ſe, ut tantum ſequeretur bonum, cogitaſſe; tamen ſi Carolo videretur amplius quam dixerat, domino Gregorio & ſuis per unitum collegium & ſacrum concilium debere auferri, rogabat quod ſibi tamquam amico ſuo pandere vellet, promittens, quod ſi voluerit hujus tractatus promotor videri, ipſe nihil parte ipſius dicet de eo quod aviſatus fuerit ab eo parte ipſius Caroli, ſed tamquam a ſeipſo tractabit, & quod effectum Caroli optatum res ſortiatur toto poſſe & fideliter laborabit.

Ad hoc inquit Carolus, quod ignorabat quid inter dominum Gregorium & ſuum collegium tractatum fuerit, & quod ipſe magiſter Thomas bene ſciebat ipſum, quando hæc tractata dicuntur, fuiſſe Mediolani, & quod quicquid fingeretur, non ſperabat hanc viam poſſe unionem producere, nec abſque cauſa loquebatur. Sed per ea quæ manifeſte didicerat tentans a domino & ſuis, verum quidem conſiderabat illam eſſe viam certam ad unionem quam propoſuerat, ſi domini qui erant Piſis, vellent illam acceptare: quia, ſicut jam dixerat, vel dominus Gregorius ſervaret quod promittebat, & ſic unio certa, indubitata & ſacra; vel non, & ſic confuſus & ab omnibus derelictus ejicietur. Et quamvis alias dixiſſet, iterum dicebat ſe nequire comprehendere, dicant quod voluerint, quo jure, qua æquitate, qua honeſtatis fronte negabant aſſentire petitis. Et ſicut dixerat, ſi propoſita nolebant acceptare, æque bona, vel meliora & magis æqua proponerent loca, & tunc ſi Gregorius non acceptaverit, erunt excuſati. Dolebat, ſed nihil ultra valebat, quam referre fideliter domino ſuo papæ, dum ejus præſentiam adibit, quæ ſuper hæc dicta ſibi fuerint. Non enim practicare quidquam in his auderet, cum contra omnem ſuam foret impoſitionem. Hoc tamen non tacebat, quod ſi dominus Gregorius vellet pro munere temporali proprio & ſuorum eis aſſentire, pro nihilo putabat hæc poſſe concordari inter eos, quamvis non poſſent eis dari terræ illæ Romandiolæ. Nam de duobus alterum fieri poſſet, vel enim eis per eccleſiam tot denarii ſuper impræſtitis Venetiarum, quod ex eis perciperent æquivalentem introitum terrarum illarum, detractis expenſis pro ipſarum cuſtodia opportunis, vel aliæ æquivalentes darentur. Et quod vere, ſi de propriis quas pro Romana quam gubernat eccleſia illis dari expediret, contentabatur dummodo vera unio fieret in populo Do-

mini. Hæc male libenter Carolus dixit ſecum contuliſſe propter duo. Primo quidem ne videntes iſtis ipſum aurem præbere, putent quidquid oſtendat, non tractare ſuper hoc abſque conſenſu & commiſſione domini Gregorii. Secundo & maxime ne putantes hoc abſque eo quod petitis aſſentiant putent unionem fieri poſſe. Sed nolint primum credere rogabat, quoniam vere hujuſmodi credulitas falſa erat; nec velint ſperare quod unio fieri poſſit cum concordia partium, niſi vel Dominus omnipotens mutet mentium voluntates, vel niſi locus domino Gregorio & ſuis tutus concedatur. Et alia quidem parte dixerat, quæ dixerat dixit, ut ſi cum domino Gregorio convenirent, quid illi poſſent, & quomodo ſibi & ſuis providere ſciant, cum Carolum pluries interrogaverint domini auditores per ſe & alios; deinde ipſe magiſter Thomas cum ſuis collegis, & tandem per ſeipſum de proviſione quæ ſibi domino Gregorio & ſuis per eos fienda videretur, ſi cederet.

Reverſus vero poſtea cum apparenti licentia, dixit ſe hæc quæ cum ipſo Carolo contulerat, cum dominis ſuis collegii uniti contuliſſe. Sperabatque ipſum ab eis gratum & votivum accepturum reſponſum; & ſi bene recordatur Carolus, ipſe idem ait, quod domini prædicti convenerunt omnes in unum propter ſuæ expeditionis cauſam, quodque cum in loco S. Martini expectabant.

Igitur vel per ipſum vel per alium, quod nihil ad ſubſtantiam refert, vocatus acceſſit ad locum in quo convenerunt omnes qui Piſis erant uniti collegii, præter vulgariter dictum dominum Pictavenſem, aliter vero Peneſtrinum, qui tunc defuit, & dominum vulgariter dictum Neapolitanum, ſi bene recordatur, capta occaſione ſenii & languoris. Cumque coram ſedentibus ipſe ſederet, ſuo videre dominus Albanenſis ex parte omnium effectualiter dixit, quod attenta perfectione unionis quam Carolus tractabat, quamque ipſi toto corde dilexerant & diligebant affectu, & uſque ad mortem proſequi, quantum in eis erat, forent diſpoſiti. Inſuper & fidelitate ſuorum progenitorum & præcipue genitoris illius, quam a longo tempore erga ſanctam matrem eccleſiam ſervaverant, necnon ipſius fide & labore, quæque propter zelum tam pii operis ſumſerat, multotiens domini ſui cardinales ſanctæ Romanæ eccleſiæ, atque ipſe una cum eis cogitaverat, exiſtente impoſſibilitate aſſentiendi petitis per ipſum, rationibus quas pluries ſecum contulerant, modos invenire, per quos optata per eos & illum ſacra unio effectum ſortiretur, ſed & ipſe inde honorem acquireret. Et cum vidiſſent ipſum Carolum circa ea quæ petierat inſtare tantum, nec alios voluiſſe proponere modos, valde doluerant, tamquam propter impoſſibilitatem annuendi deſperati. Nuper quidem cum acceſſiſſet ad eos magiſter Thomas ordinis Prædicatorum, & quædam illis oſtendiſſet capitula, quæ cogitaſſe dixerat, & cum ipſo etiam Carolo contuliſſe, ne tantum bonum ex ipſorum cauſa deficeret, neve ipſe Carolus ſanctæ matris eccleſiæ filius ſua fruſtratus intentione abiret, contenti erant aſſentire, quod omnino domino Gregorio & ſuis facienda promitterentur, & ſervari promittebat, ſicut in prædictis capitulis continebatur. Inſuper non dubitant quod ſacra ſynodus univerſalem repræſentans eccleſiam, his omnibus aſſentiret, & quod domino Gregorio & ſuis ſervarentur quæ promitteret ſolemni ſtipulatione. Rogabant ergo Carolum multis obſecrationibus & adjurationibus, quæ cum ſupra dictæ ſint, omittuntur, quatenus ita inſtare vellet, quod per hunc modum ſacra fieret unio. Sciebant namque quod ſciret & poſſet ſi vellet, neque dominus Gregorius his quæ offerebantur diſſentire deberet, neque & ſui. Magna quidem erant quæ pollicebantur, & ultra hoc perpetuis temporibus ipſe dominus Gregorius & ſui ſanctam ſibi obligabant eccleſiam ad gratias & beneficia potiora, quoniam per ipſos pax reddebatur eccleſiæ tanto tempore per alios ſciſſæ & afflictæ. Hæc Carolum tentare debere dicebat, primo honorem Dei, & populi Chriſtiani ſalutem ſi inſpiciat & commodum; deinde ſi privatum meritum & gloriam hic & in alia vita, etiam quoniam dominum Gregorium diligere videtur, quem ſuum vocaverat & vocabat, quem ex hoc manifeſte videbatur magnum fore meritum & præmium quæſiturum. Nec ſuſpicaretur ipſe Carolus, quod ex hac obligatione ullam ſimoniæ incurreret maculam. Poterat quidem, immo ſecundum ſacra decretalia decens erat per ſummum ſacerdotem providere prælato, qui ad evitandum ſcandalum & bellum beneficio cedebat ſuo. Multo igitur fortius per univerſalem eccleſiam & futurum pontificem provideri decebat, immo debitum erat, domino Gregorio, ſi propter tantum ſcandalum evitandum tanto renunciaverit beneficio. Ulterius ſi videretur per eos aliquid ultra domino Gregorio offerendum, rogabat ipſum parte dominorum ſuorum & ſui, ut vellet illis pandere ante ſuum diſceſſum, quoniam diſpoſiti erant nihil de poſſibilibus eis negare domino Gregorio & ſuis tamquam benemeritis, dummodo diſponeret velle abſolute cedere, quod debebat propter ſuum juramentum & alias multiplices rationes facere. Et ut Carolus cerneret manifeſte optimam diſpoſitionem, & quantum optabant ipſum honorem ſuſcipere ex aſſumto unionis tractatu, licet ſoret omnibus qui ad hoc ſacrum concilium venerant, & præſertim dominis omnibus ultramontanis, Francigenis & Anglicis & multis hujuſmodi, qui per mare venerant, & cum maxima difficultate opus haberent ſibi equos

& alia opportuna fere eis reperiri impossibilia, mutando locum, ad quem non possent per aquam pervenire, contenti erant si dominus Gregorius nollet Pisas accedere, nec renuntiare per suum procuratorem, neque in manibus procuratorum sacri concilii, præeligens propter mundanam pompam cum incommodo & dispendio ecclesiæ locum mutari, quam ecclesiæ complacere, & ipsam sibi perpetuo obligare, per xx. milliaria vel xxx. ad plus ultra Pisas infra terram ad locum congruum accedere, dummodo securi forent, quod ipse accederet & cederet, sicut ipse Carolus dixerat eis, si ad petita loca potuissent ire. Quoniam ergo videre poterat Carolus quod nihil de contingentibus per dominos suos & ipsum omittebatur propter sacram unionem perficiendam, concludebat rogans, obsecrans & adjurans, &c. Deinde vertens se ad dominos adstantes, dicebat se dixisse, quod ei injunxerant, quantum sciverat, secundum quod ipsorum ultimæ intentionis esse comprehendere poterat. Nihilominus rogabat unumquemque eorum, quatenus omissa per eum supplere & minus bene dicta corrigere placeret.

Deinde dominus Aquilegiensis affirmans dicta per eum, ait se aliquid dicere velle propter meliorem unionis effectum, & ipsius tractandæ certius medium, non vero supplendi emendandive causa.

Primo quidem videbatur sibi, si dominus Gregorius nolit Pisas accedere, sed omnino locum mutari, & quamvis concilium congregatum Pisis sit sufficiens ad negotium unionis perficiendum, & alia ecclesiæ sanctæ incumbentia, tam de jure quam de facto, si dominus Gregorius petit aliud concilium convocari, sicut per ipsum Carolum petitum videtur. Quare hæc cum sui domini & ipse, sicut alias dixere, nescirent apprehendere sinceritatem animi domini Gregorii, nullam inde inspicientes opportunitatem. Quærendum itaque videbatur a Carolo & ab ipso certificari debere, antequam locum & concilium mutent, ne in unionis detrimentum hoc quæratur per dominum Gregorium & suos. Posset namque cogitare mutare locum, prorogare concilium, & ad nullum demum cessionis pertingere finem; sed cum aliis coloribus novas justificationis suæ exquirere fallacias. Ex quibus alterum putaret, vel quod impossibilitate fatigati secederent patres, & sic unio desolata, vel quod ipse justificatus appareret. Vel, si tantum machinari valeat, quod tota obedientia domini olim Urbani unita congregaretur, petere forte putat, quod primo & ante omnia super jure papatus discutiatur, vel forte amplius, quia quod dicit dominum Urbanum fuisse in plena possessione universalis obedientiæ, & per nonnullos, nulla legitima lata sententia, ipsum sua obedientia suum fructum fruſtratum, tamquam successorem in pontifi-

catu domini Urbani postulabit, sicut de facto expoliatus fuit, ita de facto primò & ante omnia restituatur, & per viam hanc putat inter obedientiam Romanam & partem Gallicam, quam unitam quasi cernit, novam suscitare dissensionem, & abolitum fere schisma in pejus priore indeteriorare. Postquam igitur hæc videre videbantur, dicebat quod nullo modo hanc fraudem pati volebant nec debebant in tantum ecclesiæ dedecus & incommodum, & propterea certificari volebant si locus mutaretur, & si assentirent quod unum communi consensu congregaretur concilium, ne dominus Gregorius aliquid super jure papatus sui & obedientia sibi restituenda petat. Scire quidem dicebat dominos Gallicos istis numquam consensuros, neque ipsi assentire intendebant, ne jam facta inter eos unio & concordia in divisionem & scandalum pervertatur.

Insuper dubitavit, ne dominus Gregorius quæreret, quod concilium terminaret antequam cedat, utrum sit hæreticus vel non; & propter hanc discussionem vel schisma in concilio, vel concilii dissolutio fiat, vel quod ipse papa judicetur & remaneat papa. Hoc autem minus quam primum sustinere dispositi erant. Igitur certificari petebant super his antequam locum concilii & concilium mutent.

Insuper vertens se ad ceteros dominos astantes, dicebat: Domini mei, puto bonum de locis ad quæ ire possimus & deliberavimus Carolum certificare, ut melius & certius tractare possit: cumque illi dicerent bonum eis similiter videri, ipse dixit de S. Miniate, vel Pistorio, eos deliberasse, & quod sperabat dominos suos obtenturos talem securitatem a dominis Florentinis fieri domino Gregorio si vellet ad prædicta loca accedere, quod merito contentari poterit, sperabat etiam depositionem fortalitiorum alterius istorum locorum, ad quem dominus Gregorius accedere deliberaret, se obtenturos in manibus fidorum partibus fieri.

Dicebat etiam non parum dubitandum, quod dilatio temporis quæ petebatur a domino Gregorio, ut pars sua cum aliis valeat convenire, in desolationem concilii & unionis redundare possit, & propterea volebant scire quantum differri concilium petebatur.

Verum si dominus Gregorius recte vellet incedere, sicut Carolus dicebat, ut ipse Carolus perpendere possit, quanta cum caritate erga ipsum dominum Gregorium domini sui incedere velint, inquiebat quod si in curia stare vellet, quantum in eis erat procurarent cum ceteris dominis cardinalibus apud futurum pontificem honorabilius & gratiosius tractari. Præterea ut inde suos honoraret, unde haberet quod vivere honorifice ipse posset, provinciam Marchiæ Anconitanæ sub suo regimine dari promittebant per totum tempus vitæ suæ.

Et quoniam dominum Gregorium forte A puderet inter dominos cardinales ſedere, ſuper quos ſemel tamquam papa inſedit; ſi nollet in curia morari, ei promittebant provideri de legatione, quam magiſter Thomas dixerat, ut cum honore ſuam ducere valeret vitam & quiete. Conſiderabant enim ipſum magis in legatione illa, quam alibi, quietam ducturum vitam, quoniam patriæ illi finitimus erat & notus.

Concludebat tamdem, ſi locus mutaretur, & de tempore concilii congregandi cum ipſo convenirent, ipſos omnino certificari velle dominum Gregorium ceſſurum abſque ulla B contentione ſive hæſitatione aut ſubterfugio.

Cumque nullus prædictorum dominorum ulterius addidiſſet, ſed quiſquis quaſi effectualiter affirmaſſet dicta per duos, & exhortando quæ illi, ſermonem conſummaſſet ſuum, reſpondens Carolus primo ad dicta domini Albanenſis, in ſubſtantia dicebat:

Poſt gratiarum actiones de approbata fide progenitorum ſuorum, & de commendato labore ipſius, ad quem tamen ſe obligarum, divina illuſtrante gratia, cognoſcebat: gratias iterum referebat de cogitationibus ſumC tis per eos propter ipſius honoris affectum, maxime quidem tamquam ex fidelibus minimi, quod ſacram unionem toto poſſe & ingenio proſequi deliberaſſent. Ceterum fatebatur magiſtrum Thomam de Firmo ad eum acceſſiſſe cum cedula quadam, quam ipſe viderat, & quam eis illum oſtendiſſe confeſſi ſunt, atque de his quæ in ea continebantur offerenda fore & petenda a domino Gregorio, ipſos fore contentos. Inſuper fatebatur ſe pro bono unionis quædam reſpondiſſe prædicto magiſtro ſuper contentis in cedula illa, & ſuper offerendis domino Gregorio & ſuis; D ſed certi eſſent, quod vere quicquid circa illa contulerat, præter omnem commiſſionem ſibi injunctam a domino Gregorio fecerat. Et licet amodo tantum dixerit replicaveritque ſuper dictis ſuis, ut nauſeaverint auditores, tamen quia opportunitas veritatis pro pace ipſum cogere videbatur, quæ pluries replicaverat, iterum dicere nec pudebat nec tædebat. Credere ergo dominationes ſuas deprecabatur, quod omnes oblationes & quæcumque alia pauca ſunt & inania, ut unio fiat ſpontanea & libera per dominum E Gregorium per viam ceſſionis, niſi aſſentiant quod unum communi conſenſu in altero propoſitorum locorum concilium congregetur, & niſi æque bonum & tutum partibus alium proponant locum. Et ſi dixerint, quod duo bona & tuta propoſuerint, dicebat quod dominus Gregorius nuſquam putabat confidere accedere ad loca dominorum Florentinorum, aut velle, & hoc quia ab ipſius ore & ſuorum pluries audiverat, quod in opprobrium ſedis apoſtolicæ & perſonæ ſuæ & ſuorum fidelium, contra omnem divini & humani juris modum & debitum, ipſum multifariam & ſuos fideles lædere procuraverant atque læſetant, & propterea numquam accedere debere vel ſub eorum ditione & poteſtate. Hoc inſuper ipſi faciliter ſatis verum eſſe diſcere potuerunt ex his, quæ oratores domini papæ Florentinis non multis elapſis diebus expoſuerant, quæ ipſos nequaquam ignorare ambigebat. Neſciebat ipſe Carolus aliquam reconciliationis cauſam inter dominum papam & Florentinos poſt hæc initam aut contractam fuiſſe, oppoſitum quippe ex his quæ viderat comprehenderat: & propterea ſupplicabat eis toto poſſe, & qualibet ſanctimoniæ obſecratione, quatenus poſtquam loci mutationi & concilii unius congregationi aſſentire videbantur, nollent pro modico, immo pro minimo labore itineris & difficultate, ſacrum unionis vere pacificæ & indubitatæ bonum impediri, immo deſtrui, & in majus pejuſque priore ſchiſma verti: dolebat quidem, ſi propoſitum non mutarint, ſancti populi Dei excidio. Dolebat & ſanctæ matris eccleſiæ turbine: ſed quia ſciebat neceſſe eſſe ut ſcandala veniant, etiam quod væ erit homini illi per quem ſcandalum venerit, non aliud poterat, nec licere videbatur ſibi, quam dicta ſibi domino ſuo papæ fideliter referre, & quod unio fiat & pax ſanctæ eccleſiæ, quantum Dominus dederit, toto poſſe operari: nec penſarent, quod hoc diceret quia nollet dominus Gregorius cedere. Non enim locum pro ceſſione æquum & commodum peteret, vel ut ipſe cederet, vel confundi ipſum neceſſe eſſet, ſi ipſum remanere papam veller. Nec putent quod dicat, quod offerre dubitet, timens aliquam ſimoniæ maculam, ſi quæ ipſi offerebant domino Gregorio, renunciaret. Sciebat namque rationibus allegatis per ipſum dominum Albanenſem, & nonnullis aliis, ipſum propter oblationes illas ſimoniacum minime fieri; ſed manifeſte putabat fruſtra offerri, quæ offerri volebant. Et quoniam de impoſſibilitate accedendi ad loca perita & aliis conſequentibus ſatis alias dixerat, dicere amplius non videbatur opus exigere.

Ad dicta per dominum Aquilegienſem inquiebat, ſe totiens ſuper his ſecum contuliſſe, quod recitare non erat expediens: non tamen omittebat, quod nulla inerat ſibi cauſa, per quam domino Gregorio volenti fallere ſanctam matrem eccleſiam dominam ſuam, ſi cerneret, favere ſeu aſſentire deberet. Et licet inſipiens foret, certe omnes inſipientiæ limites excederet, ſi ſe & ſua traderet, ſicut obtulerat & offerebat, in manibus ipſorum, in certitudinem quod dominus Gregorius promiſſa per ipſum Carolum ſervaret, niſi de hoc certus foret.

Dicebat ipſos excogitare poſſe quod eis libebat, ſed vere ipſe nullius fallaciæ perpendere potuerat nec poterat, & ſi perpendiſſet

in ſui ipſius perſonæ & bonorum ſuorum detrimentum non ſufferret: multo quidem minus in ejus animæ perditionem. Et quamvis dici poſſet, quod dominus Gregorius nullam alicui injuriam inferret, ſi ſuo vellet uti jure in concilio juxta regulam juris: *Nemini injuriam facit, qui utitur jure ſuo*: tamen quia viam ceſſionis inventam & propoſitam per dominos Gallicos ad evitandum judicii dubium dominus Gregorius acceptaverat, & ſe etiam ad illam propter pacem eccleſiæ ſolemni voto & juramento obligaverat, ſciens intentionem domini Gregorii: Volebat ipſe Carolus fidejubere, quod ſi petitis aſſentirent, cederet abſque eo quod jus papatus ſui proſequeretur. Et propterea non expediebat ipſos ex hac titubatione loci tuti & congregandi concilii petiti modum differre, ſeu mutare, ſeu auferre.

Dicebat ſe valde mirari ipſos petere dominum Gregorium non poſſe ſe purgare de oppoſita ſibi hæreſi coram concilio, cum excuſatio ab infamia liceat unicuique & defenſio ſuæ innocentiæ de jure divino, naturali & gentium; & quod videre videbatur ipſe Carolus, quod nullam propter aliam cauſam petebant hæc, niſi forte, ſi dominus Gregorius ſufficienter purgaret ſe coram ſacra ſynodo, ipſi condemnati vel confuſi remanerent.

Ad hæc ſtatim Aquilegienſis replicavit: Non diximus hoc quia judicium concilii timeamus, ſeu effugere velimus, quoniam abſque dubio credimus cuncta acta per nos contra eum legitime & debite acta fuiſſe; nec quod velimus quod ipſe non excuſet ſe; ſed bene dicimus, quod ſua nocentia vel innocentia agitetur per viam judicii, quoniam eſſet ſcandalum & ſchiſma ſuſcitare, quia unuſquiſque ſuum vellet honorem tueri, nolimus aſſentire. Et ſi ipſe vult quod per viam judicii procedatur, compareat hic coram ſacro collegio, ubi jam citatus eſt, & adminiſtrabitur ſibi juſtitia.

Ad hæc Carolus: Quare ergo non ſic alibi ſicut hic; ſi tutus eſt, ita hic velut alibi foret, verum ut videatis quod non quæratur velle ſcandalum pro pace ſuſcitare, dicebat, Volo promittere & fidejubere, quod facta ſufficienter per dominum Gregorium excuſatione ſua, nihil ſuſcitabitur contra vos.

Inquiebat quod audita referret domino ſuo papæ, & cum ipſo operaretur, ſecundum gratiam quam Altiſſimus ſibi concedere dignaretur, toto poſſe & bona fide, quod dominus Gregorius accederet Piſtorium, ſi fieret ſufficienter tutus, ipſe & ſui ad concilium venire volentes: verumtamen in hoc modicum ſperabat poſſe proficere rationibus quas dixerat; ſic quod eis ſupplicabat, quatenus nollent in hac ſpe perſiſtere, ſed dignarentur inclinari aſſentire petitis, ſi unionem volebant & diligebant.

Aiebat quod nulla temporis dilatio quærebatur, niſi quæ opportuna foret, & quoniam unio potius per viam pacificam & partibus acceptam quæri debebat, quam aliter; æquitas circa partium commoditatem ſervari debebat. Sciebant namque ipſi quantum temporis lapſum erat poſt primum concilii ſui terminum, & quot venerant, quantumque, ut alii quos venire ſperabant accedere poſſent, oportuerat ipſos ſuum prolongare concilium, ſciebantque primum terminum indictum per dominum Gregorium ſuis ad ſuum concilium veniendum. Et propterea ſi divinam & naturalem legem & æquitatem nolebant attendere, debebant circa dominum Gregorium modos ſervare, quos, ſi in eodem caſu eſſent, circa ipſos ſervari vellent.

Dicebat vere ipſos valde ſuo videre commendandos fore de grata proviſione, quam perſonis domini Gregorii & ſuorum facere diſpoſuerant poſt ceſſionem ſuam, & quòd omnia, Domino concedente, diligenter referret ipſi & ſuis.

Inquiebat concluſive, quod dominus Gregorius cederet, quando & quomodo concilium congregatum, ut petitur, terminaret abſque contradictione; & hoc promittere nolebat ipſe Carolus, & pro domino Gregorio fidejubere: Nam cum domino Gregorio loquens, & volens ſuper ſua ceſſione ſciſcitari, dixit, quod vere quicquid adulatores ipſi ſuggererent, certus erat ipſe Carolus, quod numquam unio fieret, ipſo remanente papa. Et propterea de duobus alterum præeligere ſibi expediebat, vel papatum cum deſolatione eccleſiæ, & tamdem ſui & ſuorum; vel pacem eccleſiæ cum ceſſione, & merito & bono ſui & ſuorum. Ipſe vero reſpondit, quod pacem eccleſiæ potius volebat, quam papatum: & ſi Dominus tantum concederet, quod in concilio petito ſi reperiret..... totum mundum de hoc cum opere certificaret, & quod certe numquam illius concilii terminationi contradiceret. Mirabatur quoque Carolus, quomodo mentes ipſorum, quos prudentes reputabat, titubare valerent, quod dominus Gregorius modos exquirere auderet, ſi concilio intereſſet, ad ceſſionem fugiendam vel evitandam. Notum quippe illi erat univerſam quaſi eccleſiam inclinatam & diſpoſitam fore, quod ipſe ſuuſque adverſarius cedere deberent & cederent, & quoniam viſum fuit eis vias inveniſſe ad ſubterfugiendam vel evitandam ceſſionem, pluribus ex ſuis etiam fidelibus exoſam ſe noſcit; unde nec dubitandum erat ipſum cauſam odii contra ſe ipſum augere velle, nec debebant ipſi ex frivola hac dubii occaſione modum ad unionem petitum ſeu differre, ſeu non exſequi.

His ita dictis, inter ſe mutuo conferebant, ſi melius foret aliquos cum pleno mandato uniti collegii & concilii univerſalis Arimini tranſmittere cum ipſo Carolo, infor-

matos plene de eorum intentione. Cumque pluribus eorum visum fuisset, quod non, Carolum consulere placuit, quid sibi super hoc utilius appareret. Ipse vero considerans, quod partium animos inter se distare cernebat, ne odii inter eos augeretur fomes, præmissa excusatione suæ insufficientiæ ad consulendum tanto negotio, dixit differendam fore missionem propter partium honorem, & ad tollendum omne rancoris futuri possibile augmentum. Ipse enim cum sui beneplacito, postquam conclusive expeditus erat, ad dominum suum papam festinaret, & comparata ejus intentione super tractatis, si modicam inter eos differentiam reperiret, infra quindecim dies ad plus personaliter rediret, vel personam transmitteret, juxta posse quam putaret idoneam. Si vero dominus Gregorius oblatis per eos assentire dignaretur, ipsis statim nuntiaret, & tunc transmittere poterunt. Rogabat quoque eos, ad tollendam omnem moram, quatenus interim eligere placeret eis patres utique venerabiles, idoneos, & quantum eorum considerationi possibile erit, justos, æquos & pacificos, jurgia odientes & scandala. Nam aliter noviſſima ecclesiæ prioribus pejora fierent, & hos transmittere cum pacifica commissione & sufficienti mandato. Insuper una cum dominis Florentinis providere super modo accessus domini Gregorii & suorum, & super securitatibus opportunis præstandis sibi atque suis, si judicaverit accedere; quod tamen, ut alias dixerat, parum sperabat, & illos suos si venturos scriberet, plene doctos mandaret. Supplicabat, atque eis obsecrabat, ne vellent pro modica itineris difficultate & temporis intervallo, in omnem eventum quietem sanctæ matris ecclesiæ & omne ejus commodum, quod ex concordia inter eos & dominum Gregorium, si fieret, futurum erat, perdere. Demumque licentiam petiit ab eis ad patriam remeandi.

Illi autem provisuros se obtulerunt de mittendis, ut petebat, & securitatibus, & concedendo illi licentiam recessus, rogando, obsecrando, adjurando, ut supra, dicentes eum posse si vellet.

Tandem discedenti, nec aliter reverentiam exhibenti, nisi uti consuetudo est magnis dominis exhibere sæcularibus, dixit unus ex eis: non vis osculum pacis dominis istis exhibere. Tunc Carolus: domini mei vos bene scitis me non convenire vobiscum quis pastor sit: nihilominus quia quicquid dixeritis, credere debeo vos unionem diligere & velle, ex quo unionem spero; habitum in spe futuri actus venerari paratus sum, & tunc antequam discessisset, ab eo obtenta jam licentia a domino Gregorio ipsos venerandi, juxta quod suæ discretioni videretur, accessit ad eorum osculum, secundum ordinem venerabilitatis, quem inter se servabant, & sic discessit, nihil effectualiter amplius cum eis agens. Neque silendum est, quod Carolus putat quod postquam Pisis fuit, pridie quam fieret eorum sessio, quidam frater Angelus de Reate, secretarius, ut ferebatur, uniti concilii, exploravit si cum aliis concilio in illo Carolus sedere vellet, dicens se scire honorabilem locum sedere volenti cedere decretum fuisse per eos qui concilio præerunt. ipse quidem respondit se velle libenter, dummodo, quod pro pace universalis ecclesiæ quærebat proponere, coram concilio illo permitteretur. Ille vero dixit, quod non putabat permitti, quoniam non erat moris sæculares aliquid in sacro concilio proponere: ipse autem respondit se ergo consedere nolle, si proponere non licebat quæ ecclesiæ quieti & commodo utilia cernebat & tractare venerat, ne ad consentiendum eorum terminationibus sedisse videretur. Post hæc magnificus dominus Malatesta de Pensauro frater suus his similia dixit. Cui cum similiter respondisset, illi dixit se voluisse informari quoniam & ipse sedere, si vellet, requisitus erat, & quod reperiat moris non esse in sacro concilio alicui quidquam proponere licere, nisi prælatis & oratoribus; & cum sedere deliberasset, volens notabiliſſimam rem videre, quam numquam forte visurus erat, statuerat intra se consuetudinem servare, & nihil penitus proponere, & ad hoc Carolum alliciebat. Ad quem Carolus ait quod potius visus cerimoniæ concilii privari volebat, quam quod licere non videbatur sibi præsens & tacens assentire videretur.

Discessit igitur a Pisis & Florentiam venit, dominisque & eorum collegiis acta Pisis substantialiter retulit; quos visus est per eorum responsa plene super ea informatos reperire. Sed quamquam exhortatus fuerit eos multis rationibus, quarum pars efficacior supra dicta est, quæ petebat ratione manifesta publicæ Christianorum rei utilitate, & eorum privatæ, per eos assentiri & promoveri debere, hoc effectualiter responsum obtinuit, quod libenter voluissent eum a reverendiſſimis dominis cardinalibus uniti collegii & sacro concilio obtinuisse quod optabat, postpositis in quibuscumque eorum privato honore & commodo. Verum quia dominis illis non videbatur assentire aliter quam feciſſent, salvo honore & debito ipsorum, non videbatur eis illos ulterius cogere posse, nec volebant; nec videbatur eidem domino Gregorio cum justitia seu æquitate renuere posse Pisas accedere, sive saltem S. Miniatum aut Pistorium, præsertim se volentibus, velut domini illi obtulerant, dominum Gregorium tutum sufficienter reddere, & ipsum, si ad sua accederet loca, bene honorificeque tractare. Et propterea concludentes rogabant, obsecrabantur, adjurabant ut alii effectualiter.

Ad hæc Carolus respondit sicut circa similia dixerat dominis Pisis existentibus. Ad-

didit tamen quod ſupplicabat eis, ne propter vanum timorem juſtum Dei judicium incurrerent, & contra eos in ultionem provocarent. Quidquid enim dicerent, ſciebat Carolus, ſi veram eccleſiæ pacem & ipſorum utriuſque verum commodum privato quodam apparenti commodo & honori præmittere vellent, Dominum Deum non parvam eis dediſſe facultatem eccleſiam ſanctam tot annis ſciſſam reintegrandi, & divinum uniendi populum, & ſuis occurrendi periculis & expenſis. Sufficiebat quoque ſibi hæc illis dixiſſe & ſuam circa hoc purgaſſe conſcientiam. Diſpoſitus tamen erat quidquid poterat pro ſacra unione operari, & quod dominus Gregorius Piſtorium accederet, licet æquam declinandi cauſam haberet, propter illa quæ contra eum tam impetuoſe & opprobrioſe fecerant, & quamvis modicum ſperaret ipſe Carolus in hoc proficere poſſe, & licentia obtenta, die alia diſceſſit.

Deinde quidem continuatis dietis Ariminum appulit XXVI. Aprilis, & horam circa veſpertinam domino ſuo obſequium reverentiæ conſervatum exhibens, juſſus in criſtinum redire, & quæ egerat exponere, paruit. Mane autem facto in unica hora ad palatium domini Gregorii perveniens, illum in camera ſui paramenti ſedentem reperit, omneſque dominos cardinales ſuos circumſtantes, qui Arimini ſecum venerant, inter quos dominus Tudertinus tunc aderat, atque dominus Corario prædicti domini papæ nepos. Præceptus igitur a domino ſuo quæ dixerat, audierat & reſponderat Piſis & Florentiæ, quantum ei a domino datum fuit, poſſe recordari atque explicare, fideliter nunciavit, partem tantum illam oblationum particularium domino Gregorio & ſuis faciendam ſilentio pertranſiens. Videre namque viſus erat jubere honeſtatem prius illis domino Gregorio private nunciandas fore, quam palam. Dicebat cum coram aſtantibus multa bona offerri domino Gregorio & ſuis, ſi vellet accedere & cedere, vel tantum cedere ut petebant. Tandem vero dicebat: Sancte pater & domine mi, ſuperfluum eſt & reprehendendum putaretur, ſi verbum perſuaſionis, ſeu exhortationis ſanctitati veſtræ ſuper unione eccleſiæ ſanctæ proferre accederem, cum longe ſit excelſior prudentia veſtra ſenſu meo. Quantum unio ſanctæ eccleſiæ conferat longe melius me cognoſcitis. Non ignoratis inſuper quæ eccleſiæ proficua fuerint, quanto ardore vobis incumbat inquirere, perſequi, & exſequi. Concludam tantum in verbo veritatis æternæ, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, amen, amen dico vobis*, non dabitis pacem eccleſiæ, *nec intrabitis in regnum cælorum.*

Circa autem veſperas diei illius ad dominum Gregorium acceſſit, præſentibuſque domino Antonio cardinali & camerario, & domino Paulo nepotibus ſuis, & quantum minus male valuit, cuncta explicite & ſerioſe retulit, quod particulariter & abſolute per eum fieri domini qui Piſis erant poſtulabant, quomodoque certificari de hoc petebant. Pariter quoque retulit oblationes quas ſuæ perſonæ & ſuis faciebant, & certitudines quod promiſſa ſervarent oblata.

Ipſe quidem, his auditis, cogitare viſus, aliquantulum tacuit, deinde lacrymans, inquit, juxta verbum Suſannæ: Anguſtiæ ſunt mihi undique. Si enim egero quæ iſti petunt, cauſa ſum deſolationis omnium qui fideles fuerunt prædeceſſorum meorum & mei, & præſertim eorum qui fuerunt mihi fideles, meæ etiam propriæ perſonæ & meorum proditor eſſem: Si vero non egero, maximum in eccleſia ſcandalum facient. Dicebat ulterius, quod certe peſſime faciebant, nolendo tam juſtis & æquis petitionibus aſſentire, ex quo pax reddita fuiſſet eccleſiæ, & quod perpendere poterant omnes, quod odium quod in eum gerebant, & ambitio papatus, quem multi eorum cupiebant, tot malorum cauſa erat & fuerat. Verum quid aliud poſſet neſciebat, niſi ſuam diligentiam facere, & poſtquam illi volebant, quod unum communi conſenſu fiat concilium in loco tuto, diſponebat ſuum accelerare acceſſum ad locum, ad quem ſacrum indixerat concilium; ibique diſpoſitus erat juxta gratiam quam ſibi daret Altiſſimus, ſacram unionem proſequi, & alia eccleſiæ ſanctæ commoda tractare, & terminationibus concilii illius, quod juridicum erat, acquieſcere, ipſaſque quantum in eo eſſet executioni mandare. Neque enim credere poterat, quod Dominus Deus ipſum juſtam cauſam foventem, & qui eccleſiæ ſanctæ commodum proſecutus fuerat & proſequi intendebat, non foveret. Impoſſibile ceterum apparebat ei quod populus Chriſtianus, & præcipue qui fuerant fidei domini Urbani & ſuorum ſucceſſorum per tot annos, videntes adverſariorium ejus iniquitatem & dolos tam male, fraudulenter & inique rem iſtam ſanctæ eccleſiæ duci paterentur & permitterent.

Reſpondebat Carolus, credendum eſſe ipſum anguſtiari præ ceteris, tanto amplius, quanto magis cognoſcebat imminentia ſcandala, futuraſque jacturas eccleſiæ, quanto etiam ſanctitati ſuæ incumbebat populum domini ſibi præ ceteris commiſſum ab omni incurſu & fraude liberare. Ipſique in tot anguſtiis & perplexitatibus involutum, a quolibet præſertim fidelium ſuorum compatiendum fore fatebatur.

Inquit, quod de duobus alterum eſſet, vel Piſis exiſtentes & Florentini ipſum ſufficienter tutum redderent, & ſuos fideles, ſi Piſtorium ſeu ad S. Miniatum accedere inclinaret, vel non: ſi ſic, non poterat perpendere Carolus qua ratione ſanctitas ſua conculcatio-

nis & desolationis suorum olim & tunc fidelium, etiam suæ personæ & suorum perditionis esset causa. Verum ex adverso, cum illi sibi suisque sufficientem offerant securitatem, si ipsa renueret simpliciter & ab experto, non videatur quod illi tutelam & cautionem super libertate concilii non sint per effectum tribuere dispositi quam offerant sufficientem, Ad subterfugium imputabitur sibi omnis quam ingesserit ratio, impositum, & divisio quæ inter plures suorum fidelium & ipsum orta est, quia videre visi sunt, eum subterfugia cum fallacibus justificationibus ne cederet quæsiviſſe, ampliabitur. Sicque conculcationis & desolationis suorum & per consequens sui augendo causam, augmenti effectus causa fiet. Si quoque assentire non renuerit Sanctitas sua, & illi idoneam & sufficientem cautionem seu noluerint seu præstare non poterunt, tunc ejus non accedendi ad locum patefiet justa causa & dolus adversariorum, sive non æqua postulatio & excusatio ipsorum, cum nec ad loca tuta & æqua accedere voluerint, & cum sua sanctitas ad locum non æquum accedere humilietur, sufficientem ei & suis non præbeant securitatem. Hanc igitur aiebat suo videre viam esse calumniatores confundendi & se justificandi, suos similiter justificandi fideles & exaltandi: aliam quippe calumniatores justificandi suos, & suorum fidelium plurimos ab ipsius repellendi obedientia, & inter se ipsos dividendi. Demumque viam esse posse, nisi solus Deus Dominus obviaverit, omnimodi opprobrii & conculcationis suæ personæ & omnium qui in sua fidelitate perseverabunt. Dixit quod vere per ea quæ propriis oculis viderat, & propriis palpaverat auribus, nisi sanctitas sua cum his qui Pisis erant concors fuerit, majus longe quam putetur ab hominibus scandalum populo Christiano fieret, & in ecclesia Dei.

Inquit quod justum & æquum visum fuit sibi & utile ecclesiæ sanctæ quod petitum fuerat, & videbatur, & propterea ut obtineretur laboraverat, atque plene admittebat nullam intellexisse rationem, quamvis qui Pisis erant congregati multas reddidissent, propter quas non debuissent assentire petitis. Fatebatur etiam quod in multis illorum causa futuri maximi scandali erat odium partium in mentibus eorum adversus personam suam & ejus qui dicebatur dominus Benedictus; sed adhuc potior in quibusdam ambitio papatus; apud quidem alios spes promissorum, quæ nonnullos vendicasse apud expertos rei manifestum erat, apud vero alios ignorantia facti, seu quædam, forte non absque omnimoda occasione saltem apparenti, concepta suspicio contra eum & adversarium suum. Apud autem alios metus expensarum & recordia quædam timore laboris exorta: apud quoque ceteros hebetudo quædam animorum & vilitas, qui cum bonum cernerent, promovere non curabant, putantes apud Altissimum & homines satis sibi fore majores, & multitudinem cernerent contradicere palam, seu illis se opponere non audebant. Verumtamen concessis eorum erroribus & malitia, supplicabat toto corde quod ipsorum multam malitiam & errores suæ justitiæ plenitudine convincere vellet, memorans sanctitatem suam illud apostoli, *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, nec excusatam cum reverentia putabat sanctitatem suam illos dimittere in eorum superbia & adinventionibus abire, non solum quidem qui horum principalis causa erant quæ sibi offerebant, sed innocentes plurimos & omnem Dei populum in maximas jacturas & scandala trahebant, nisi ipse suæ humilitatis & prudentiæ occurreret abundantia. Replicavitque verba Domini, quæ jam mane eodem dixerat. *Amen, amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Phariseorum*, non dabitis pacem ecclesiæ, *nec intrabitis in regnum cælorum.*

Ait suam sanctitatem facere posse quod sibi libebat, cum reverentia tamen de his quæ titubat ipsam adviſabat, videlicet accelerationem accessus sui ad partes Forojulii, accelerationem futuram esse maximi futuri scandali, non exstirpandi forte diebus suis. Credere quidem poterat sanctitas sua ipsi Carolo, si placebat, non daturo in hoc mendacium. Per ea enim quæ dum erat Pisis comprehendere potuerat, multi erant qui sollicitabant per publicos processus sanctitatem suam & adversarium suum ejici, & opportunitatem ad honestandum negotium quod optant quærunt. Cumque viderint sanctitatem eamdem discessisse, calumnias exasperabunt in eam, jus suum dilatantes, dicentesque: Ecce viam ad conveniendum pro sacra unione exequenda, atque ex hoc jam adepti visi coram suis astantibus quod cupiebant, processus urgebunt, & postquam de tractatu unionis in facto illos palam instruere poterunt, eum perjurum, fautorem antiquati schismatis, & hæreticum astruent, neminemque noscent excusare eum posse, cum cedendi tractatum quemlibet infecerit, nec alium prosequatur, per quem unio fieri possibile sit. Perpendere quidem patule dicent potest orbis universus, quod non nisi ad subterfugiendum cessionem & decipiendum fideles illiusmodi concilium indixit & prosequitur. Certus namque est dominum Benedictum & suos ad illud accessuros non fore. Similiter neque majorem partem fidelium qui ad hoc verum & sacrum concilium accesserint & accessura est, & propterea ipsum cum pauciſſimis suis confluentibus non posse unionem per concilium illud facere, cum certiſſimus sit, certi quilibet esse debeant, quod non accedebat illuc ad unionem perficiendam,

ciendam, ſed quantum in eo fuerit deſtruendam. De concilio quidem domini Benedicti qualem unionis fructum attuliſſet patebat, unde inferrent quod uterque eorum jam præciſus eſt, & notorie incorrigibilis, gravemque jacturam eccleſiæ imminere, ſi ſedem apoſtolicam diutius vacare ſinatur. Et exinde occaſione ſumta, concorditer procedent ad ſententiam diffinitivam celeriter, & poſtmodum ad tertii, ut ſic dicatur, pontificis electionem. Quo facto, quod jam factum eſſe, domino Gregorio Forojulium accedente, Carolo videre videbatur, cum reverentia petebat, quando & quomodo putabat fieri unionem poſſe? & ſi diceret forte quod alias dixerat, ſe paratum acquieſcere terminationi concilii ſui, quod vere & juridice univerſalem repræſentat eccleſiam, & eccleſiæ univerſalis auctoritate fungebatur, petebat dato quod ſic eſſet, quid in facto concilium illud proficeret unioni, & quid circa hoc conſulere poterit aut diffinire. Si enim conſultum fuerit, & conceſſo etiam quod juridice terminatum, quod dominus Urbanus, præceſſoreſque ſui & ipſe veri fuerint pontifices, & quod diligentiam debitam adhibuerint pro unione exequenda; iterum terminent ipſum tamquam verum pontificem ab omnibus venerandum fore, ceterum terminent aliorum congregationes non concilia, ſed conciliabula fuiſſe, irritent, damnent eos & acta per eos, petebat a ſanctitate ſua, ſi alios credebat hujuſmodi acceptare ſententiam, dicens Carolus ſe certiſſimum eſſe quod non, & propterea certiſſimus erat, quantum humana fragilitas de aliquo certificare poterat, humana conſideratione, concilium ſuum per viam illam de facto unionem facere non poſſe. Inſuper ſi diceret quod dabitur modus in illo concilio reintegrandi obedientiam quæ fuit domini Urbani, dato quod ſic fiat, quod tamen fieri quodammodo impoſſibile Carolus putabat, animadvertebat quod pars illa fuit per multos annos, abſque ulla diviſione, multa principum proſperitate & potentia fulta, & tamen ſchiſma minime ſublatum fuit, quin immo quotidie auctum & inveteratum: unde etiam per viam illam concilium ſuum unionem producere parum ſperandum erat. Præterea dato quod ipſe Gregorius una cum concilio ſuo omni poſtpoſita excuſatione, ubicumque in orbe terrarum fuerint adverſarii ejus, utrique, videlicet qui dicitur Benedictus, & uniti collegii, terminaverit accedere, ibique ſuum debitum quodlibet adimplere plene & perfecte, non putabat tamen Carolus, quod ſi qui Piſis ſunt electionem alterius jam fecerint, ſtante, quam in facto expertus eſt, modica erga Dominum Deum reverentia & caritate, inſuper urgente in proximos odio & privati honoris & commodi mundani ambitione proterva, non credit, licet unio fieri deberet, ipſam tamen fieri. Movebant quidem præſertim animum ſuum rationes iſtæ. Nam dominus Gregorius, adverſariis ejus non cedentibus, cedere debere atque teneri non credebat ſuum conſulere concilium aut diffinire. Quod ſi huic viæ dominus Gregorius jam concœperat terminaveratque, ſuo concilio illam terminante, aſſentire; longe præſtantius penſabat Carolus certitudini unionis & ipſi domino Gregorio fore, Piſtorium accedere, quam feſtinare ſuum concilium celebrare, ut talem exſequatur terminationem, poſtpoſitis quidem aliis rationibus publicis & privatis. Hæc propter certitudinem unionis apparebat præferenda, videlicet primo cedere quam alius eligatur, quam poſt. Si enim primo ceſſerit, dubia non eſt electio ex cauſa ſui, ſiquidem antequam cedat alius eligatur, ſua ceſſio poſt factam electionem illam, niſi de facto tantum certificare non poteſt; valeat quidem licet pontifex cedere, non poteſt ſibi ſubſtituere pontificem; & ſi mala ſeu inepta fuerit electio, illiuſmodi ceſſio poſt facta ineptitudinem illius auferre poterit multo minus, ſive validare. Si dicatur diſpenſari poſſe electionem illam per eum prius quam cedat, quis dicet hoc certum eſſe de jure, an dubium potius eſt, ac cuilibet juri canonico diſſonum & oppoſitum? Præterea quis credet electum illum & electores hujuſmodi poſtulare diſpenſationem, vel gratis oblatam acceptare velle? At ſi dicatur, Ille talis poſtquam fuerit electus cedere poterit; dicebat quod bene faceret, ſed ratione multiplici, & præſertim præteritorum experientia, & præſentium qualitate ponderata, non putabat, quod ſi tertius eligatur, niſi invite, umquam cedet. Aut enim cogitatur eligendum eligi debere cum modo, ut cedat aliis cedentibus, quiſquis electus fuerit, cum voto ſolemni & juramenti cautione, quantum magis de jure valide fieri queat; & tunc vel credebatur illos qui Piſis erant hujuſmodi electionem facturos eſſe, vel non; detur quod ſic, tunc qua ratione habilior modus reperiatur, tres inſimul conventuros fore & ceſſuros quam duos? Si namque difficultas negotii cauſa impedimenti fuit, aucta cauſa difficultatis, addi impedimentum neceſſarie erat. Qualis enim fuerat difficultas conveniendi inſimul duos, & modum reperiendi ad cedendum, opus teſte erat. Si negotii difficultas, & non partium voluntas cauſa fuit impedimenti, ſi quoque voluntas, credendumne eſt humanæ menti liberum citius ceſſurum fore, quam eos qui per vota ſolemnia & juramenta valida ad cedendum obligatos fore toti patebat orbi; vel forte credendum erat, ſi tertius ille majorem ſibi ceteris favorem inſpiciat, citius quam ceteri ceſſerint cedere? Quod autem electio illa non fieret cum obligatione ad cedendum, his rationibus ipſe Carolus movebatur. Primo quidem putabat, quod ſi vole-

bant qui Pisis erant eorum concilium juridicum & indubitatum asserere, velut asserebant, eorum terminationes, tam circa ejectionem, quam circa electionem fore validas, indubitatas & irrefragabiles omnimode fore cunctis fidelibus conarentur ostendere, & inde non cum obligatione illiusmodi electionem facturos fore, si quidem bono moverentur zelo. Dubitandi maxima inerat ipsis causa, si cum modo cedendi debere elegerint, ne forte si noluerit ille servare promissa, opus eis, sic dato quod jus foveant, illum iterum tamquam alios velut perjurum antiquati schismatis fautorem & hæreticum ejectum & præcisum declarare, & ad quarti electionem pervenire; unde quartischisma pro trischismate fieret. Concludebat ergo de primo ad ultimum, quod ut in principio hujus particulæ proposuit, videlicet accelerationem ad concilium suum Forojulii, accelerationem posse esse, immo futuram esse credebat accelerationem tertii ad nomen papatus eligendi; quo facto, de unione diebus suis parum, quin immo minime forte erat sperandum. Et ideo suppliciter Gregorium deprecabatur suum modum adhibere, per quem tam proximum, maximum, pessimumque scandalum non fiat in ecclesia sancta Dei.

Dixit nedum per sanctitatem suam, sed per quemlibet fidelem recto animo incedentem hoc sperandum fore. *Prope enim est Dominus invocantibus eum*, sed præsertim *omnibus invocantibus eum in veritate*. Et propterea si recta ambulavit & ambulabat mente, nihil erat & quod formidare deberet. Si autem non, reverenter suam sanctitatem memorabat, quamvis præsumtuosus nimis esset sibi, quod si homines decipi quandoque possibile sit, Dominum Deum decipi semper impossibile est, nec credat quod Deus ultionum Dominus non vindicaret adhuc injuriam sponsæ suæ dilectæ, sive in eum, sive in adversarios ejus, quisquis injuriæ hujusmodi adversus eam causa fuerit.

Inquit quod certe neque incutiendi sibi timorem causa, neque quemquam blasphemandi, sed quia si veritatem fileret, erga sanctatis ipsius, quem sibi dominum spiritualem & temporalem cognoscebat, nimis noxium se putaret, pandere proponebat, quod præcipue potuerat ex opinionibus eorum qui Pisis erant. Sciebat quidem multos sanctitati suæ suggessisse, congregatos Pisis multum inter se discordes fore, verum tamquam fidelis perceptor & relator suam reddebat sanctitatem certam, quod si non certificaret populum Christianorum aliter quam illuc usque fecisset, se potius pacem ecclesiæ & unionem divini populi diligere quam papatum, quasi cunctos sibi adversantes reperiet etiam usque ad majorem numerum eorum, quos sibi fidelissimos reputabat. Se quidem vidisse dicebat eos qui obedientiæ fuerant domini Urbani, magis infestos, & adversos contra sanctitatem suam quam alios longe. Sed & omnes tamen contra eum & adversarium suum unanimes cognoverat. Et licet in aliis particularibus minus concordes essent, contra tamen eos ambos nusquam discordes erant. Per ea insuper quæ viderat, certe nullus eorum hostem habebat, quem non vellet prius in pontificem eligi, & quantum sibi incumberet, in pontificem eligere, quam alter eorum pontifex remaneret. Et licet multas inter eos discordias comprehendisset, maxime ambitiones papatus, & prærogativas quas quisque a benivolo sibi sperabat papa futuro, tamen in ejiciendo eos, quoslibet plus quam concordes repererat. Et certe quisquis fabulabatur oppositum, seu non informatus falsum dicebat, seu adulationis ope fomentum quærens, maxima suæ sanctitati adstruebat mendacia.

Tunc dominus Gregorius ait se totum stupefactum fore ex his quæ Carolus dicebat. Videbatur namque sibi ipsum mutatum opinionis esse postquam Pisas iverat. Nam antea modum proposuerat æquum & juri consonum, & modum illum justum & æquum tam sibi quam aliis pluribus bonis rationibus persuaserat. Ipse vero quamvis attenta juris dispositione aliter procedere debuisset, & rebellium suorum inductis a jure remediis præsumtionem cohibere, & castigare, tamen assensit, nec ab illa opinione mutatus erat, & promissa per eum servare intendebat, nec sui erat culpa, si alii justis petitionibus & æquis assentire nolebant. Unde stupebat Carolum exhortari ipsum assentire debere iniquæ eorum & fallaci petitioni in detrimentum sui, & suorum fidelium; esto quod illi a justitia & æquitate deviassent & deviarent. Et interrogabat Carolum si consulebat ei quod Pisas accederet.

Ad hæc respondit Carolus, quod mutatus non erat ab opinione sua, nec crederet sanctitas sua ipsum quæ dixerat dixisse, aut quia rationibus illorum convictus, propter veritatis reverentiam, sua opinione mutata, dicta mutaverit sua: aut quia prece allectus, aut quia pretio seipsum venumdaverit, aut quia timore percussus, potius multitudinis quam veritatis favore hærere intendat. Neque enim Domino Deo præveniente & cooperante, tantæ obstinationis esse proposuerat, quod si convictus ratione foret, rationi non acquiesceret & veritati quam cognosceret. Neque etiam tantæ superbiæ erat, quod convictum non puderet amplius mendacium defensare, quam se a veritate victum fateri. Ceterum neque adulationibus perversus erat. Nullo insuper pretio, ullaque pretii spe venumdaverat se, neque tantum multitudine congregationis eorum territus erat, quod veritatem Domino Deo faciente, non præferret humano favori, & quod sperabat sanctitatem suam ejus constantiam majorem experiri,

quam eorum qui in facie sibi adulabantur, Domino quidem annuente, sperabat se numquam suam sanctitatem relicturum, nisi juridice offenderetur sibi ipsum suis demeritis præcisum esse & ejectum. Non insuper videbatur sibi sua variasse dicta, immo paulo ante confessus fuerat & iterum fatebatur, quod apparebat ei qui Pisis erant contra omnem justitiam & æquitatem negasse petita, quidquid in oppositum arguissent. Sed quæ inquierat sanctitati suæ, ideo dixerat, quoniam pax sanctæ ecclesiæ & unio populi Christiani tanto majorem ab ipso exigebat clementiam, quanto adversariorum suorum superabundaverit iniquitas & injustitia. Non enim aliter superari malitia a virtute potest; nec putaret per ea quæ comprehendere posset, aliter de suis hostibus triumphaturum fore, & quietem redditurum ecclesiæ. Et propterea sanctitati suæ bis dixerat: *Nisi abundaverit, &c.* Et dicebat quod non hortatus fuerat sanctitatem suam assentire illis cum sui & suorum detrimento. Sed licet illi inepte peterent quod Pistorium iret, suæ supplicaverat sanctitati, & supplicabat, quod illorum defectui sua benignitate occurreret. Et hæc omnia propter Domini honorem & sibi commissi populi caritatem. Multum quoque etiam sibi apparebat differens, si supplicasset & supplicaverat sanctitati suæ quod Pisas iret, vel si supplicabat quod accederet Pistorium. Pisis namque citatus fuerat, quo si accederet, jurisdictionem eis, quam non habebant, facere videretur, cum illis quos in eum jurisdictionem non habere sciebat, assentiret, & coram suo throno vocatus accederet. Unde non solum se, sed pontificale culmen subjiciens subditis, inficiebat illud; maximam insuper opinionem genuisset in posteris adversus omnem juris dispositionem assentire visus, quod cardinales possent concilium congregare, & ad illud citare papam; pluribus necnon rationibus aliis, quæ per ejus scripta apparebant, dicebat se non supplicasse nec supplicare quod Pisas ad illorum concilium citatus iret.

Præterea quoniam non solum per ea quæ clandestine perceperat, verum per ea quæ manifeste viderat, & multis tam aliorum quam eorum qui secum ierant manifesta esse putabat, non credebat sanctitatis suæ personam tutam Pisis esse, potestate civitatis illius existente velut erat in favorem congregatorum Pisis promta; multo quidem minus concilium. Nec quoque putabant, quod sumta suspicionis rationabili excusatione apparenti, propter detrimentum sui status suæque civitatis reive publicæ excidium evitandum, domini Florentini fortalitia & potestatem civitatis Pisanæ in manibus non suspectorum partibus, & ecclesiæ universalis traderent. Verum ex adverso considerabat quod concilium Pistorio congregatum, non privatum sed commune esse oportebat, quia communi consensu & auctoritate congregari alii assentiebant, nec amplius suæ præjudicabat sanctitati ipsum Pistorii congregari communi partium consensu & auctoritate, quam si Bononiæ & ceteris locis quibus sic congregandum esse assenserat, qui Pisis erant assentirent congregari. Credebat etiam per ea quæ sibi oblata fuerant, quod domini Florentini Pistorium & fortalitias ejus in manibus non suspectorum, partibus, & ecclesiæ universalis deponent ad hunc actum celebrandum, ex quo tuta erit persona sua & concilium tutum & liberum. Si quidem non deponent; tunc orbi patebit, quidquid ex parte sui impleſſe debuerat, eum feciſſe; illos vero minime. Innotesceret ceterum orbi humilitatis ejus abundantia, & suorum superbia adversantium, & multimode fallacia exquisita: unde fortes animo efficerentur multi, convenirentque ad notoriam perversorum malitiam superandam. Deque duobus alterum fieri necesse ipsi Carolo videbatur, si non obstante illorum qui Pisis erant non æqua petitione, Pistorium humiliaverit ire, vel exhibita sibi & suis tutela sufficienti cautione unio fiet, vel apud Dominum Deum & homines justificatus erit penitus, cum nihil obmisisse de his quæ tenetur ad unionem perficiendam, & ultra Deus noverit & hominibus patens erit. Sicque a Domino Deo per se & homines ecclesiæ suæ sanctæ & sanctitatis suæ causa fovebitur, ad optimumque dirigetur. Et cum multi propter suspicionem captam in eum ei opponantur, & ipsi tamquam malefactori detractent, & bonis operibus considerantes eum, glorificabunt Dominum & suæ venerabuntur sanctitatis bonitatem. Supplicabat igitur sanctitati suæ, ne vellet propter modicum permittere tot fidelium errare mentes, & pessimum schisma tot inveteratum annis purificari, intendi & extendi, cum suæ sanctitatis maxima ignominia & forte demerito. Deprecaturque sanctitatem eamdem quatenus animadvertere placeret, quale quantumque excidium divino fieret in populo, si non concordabat se cum iis qui Pisis erant, & si se pastorem reputat, ut credebat Carolus, penset quod de minima ove perdita rationem cogetur reddere a Patrefamilias.

His auditis, dominus Gregorius replicavit, illos velle se reos qui fuerunt & sunt sibi fideles in eorum manibus & potestate poni, & quod absolute cedat concilio in manibus eorum & potestate posito, & quod cognoscebat hanc esse desolationem sui & suorum, dicens si absolute cesserit, quid fieret de cardinalibus suis, quid de rege Romanorum & de rege Ladislao, & de rege Ungariæ, & de aliis suis curialibus & fidelibus, quos sciebat propter eorum constantiam erga eum illis exosissimos esse, & concludebat valde apud Dominum Deum se errare credere, & maximam agere impietatem, si sui & suorum per-

ditionis causa foret, ut aliorum satiaret impiam voluntatem, & quod propterea nolebat Deum & suos & conscientiam suam taliter lædere, sed potius mortis periculo se submittere, sperans in Domino, quod ipsum & suos fideles adjuvabit.

Ad hæc Carolus ait, quod qui Pisis erant, promiserant ipsum & suos bene & caritative tractare, quodque hæc & cetera particulariter promissa sibi, ipso cedente, servabuntur. Volebat promittere & se obligare unitum collegium insuper acturos & curatoros fore cum effectu, quod sacra synodus solemniter hoc idem faceret, etiam quod futurus pontifex promissa illa servabit integre & inviolabiliter. De cardinalibus vero suis & de aliis particularibus, nisi velut retulerat, nihil tractaverat. Sciebat namque sanctitas sua, quod nullam habuerit licentiam seu potestatem ab eo tractandi super aliquo cum eis, si non assentiebant prius ad aliquem propositorum locorum accedere pro unico & communi concilio celebrando. Noluit igitur mandato & licentiæ contradicere: verum opinabatur per ea quæ comprehendere valuisset, quod cernentes qui Pisis erant ipsius maximam humilitatem & libertatem multa mereri, ipso cedente propter sacram unionem ecclesiæ contentarentur, dominum B. nepotem suum cardinalem remanere, & forte camerarium, quamvis hoc sibi difficilius videretur propter duos collegii illius hoc officium prætendentes. De aliis vero quibusdam, quos non malos reputabant, forte hoc assentient: de duobus quidem videlicet dominis vulgariter dictis Ragusienſi & Senensi, nullomodo credebat, quoniam pessimos viros reputabant, & eos & eorum quemlibet causam fuisse destruendæ unionis, & omnis scandali, publice & communiter Pisis ferebatur, & propterea cunctis plusquam exosos esse palpaverat. Principes autem qui suæ sanctitatis fideles fuerant, securos de suo statu fieri decentissimum erat. Alias quidem quando via cessionis tractata est, recordabatur ipse Carolus dictum fuisse ad omnem futuri scandali inter partes somitem extinguendum, optimum fore, quod ea quæ dominus Urbanus & sui egerant aut successores in obedientia sua firma & rata haberet universalis ecclesia: similiter quoque quæ ille qui dictus fuit dominus Clemens successorque suus. Namque aliter necesse foret... juris papatus, ad quam delendam cessionis viæ partes assenserunt, suscitare, vel quæ partium jus prosecuta fuisset auctoritatem executione non pari approbando terminare, esto quod sublata fuissent strepitus & figura judicii. De suis quoque curialibus dixit putandum esse, quod benigne tractarentur. Verum adjiciebat dato quod suos cardinales alii nollent cardinales remanere, & suos curiales in officiis eorum, numquid hoc unionem impedire debebat universi populi Christiani? Audierat nempe a sanctitate sua pluries, ut faverent ei ad sacram unionem perficiendam, suos fecisse cardinales. Primos autem, ne inter eos qui adversus eum jam conspiraverant, & decipulas non cessabant suis tendere pedibus, solum se absque concilio reperiret & favore. Alios quoque, ne rebellatis adversus eum cardinalibus suis, ipse ab eis cum tribus derelictus cum ipsis tantum tribus remaneret. Audierat etiam a sua sanctitate, quod viros humiles, & quam meliores sciverat elegerat ad ecclesiam sanctam Dei uniendam & reformandam, omni penitus spe humani favoris ejecta. Concesso igitur hoc, cum cardinales istos fecerat propter unionis favorem, & sanctæ ecclesiæ quietem, rogabat sanctitatem suam Carolus, quod non in detrimentum propositi ipsos feciſſe reperiatur. Putabat etiam ipsos debere velle suæ dignitati cedere, ne propter hoc sanctæ ecclesiæ impediatur commodum & tranquillitas; videntes præcipue ipsius exemplum, qui post Dominum Deum suus, & magister, & pontificali quæ major erat suis dignitati renuntiabat, ut quiete & commodo fruatur ecclesia. Si autem nollent, cum mala in hoc deprehendatur eorum ambitio, potius ecclesiæ commodum coli a sanctitate sua supplicabat, quam ipsorum prava voluptas. De suis vero cardinalibus similiter dicebat, concludens in responsione hac, quod si videbatur sanctitati suæ annuere petitioni eorum qui Pisis erant, cum opportunum foret tractare de securitate sui accessus Pistorium, & concilii tute ibi celebrandi, futurique pontificis libera electione, poterat immo decens erat de statu suorum cardinalium futuro tractare, necnon de securitate status principum qui fuerant constantes in obedientia sua, & de aliis suis sequacibus & fidelibus.

Ad hæc dixit dominus Gregorius, quod se & suos, sicut dixerat, in potestate rebellium suorum, & in ipsorum perniciem manifeste tradere non intendebat. Tractandi quidem ea quæ dicebat Carolus modum non inspiciebat, qui sibi & suis non obesset nimium. Nam tempus aderat indicti per eum concilii, & semper titubaverat quando Carolus Pisas iverat, ne per verba sine fructu ab illis duceretur, ut sub concordii velamine agerent quæ disposuerant: ipse autem & sui pacem sperantes, præparationem concilii, & accessum ad concilium negligens, seu saltem differens, & sic inciderat in eo in quo timuerat incidere. Nam sub spe accessus ipsius, credens quod illi tam justas & æquas petiones non negarent, non providerat sibi de galeis & opportunis navigiis, ut valeat ad concilium accedere, cum ei non sit tutum per terram iter. Unde factum erat, quod cum multi venire disposuissent ad concilium suum, non videntes apparatum ejus, a dominio diffidentes quod concilium celebrare debeat, acce-

dere tardabunt, vel forte non venient, & sic suum dilationibus & versutiis multis destruxere concilium, cum maximo eorum conciliabuli favore. Nolebat igitur totaliter ipsorum pravam intentionem suum destruendi concilium, quantum in eo erat, votum consequi; & propterea deliberabat omni labore & periculo neglecto, infra statutum tempus ad locum concilii sui indictum accedere, nec ulterius per pratticas tendere, cum vix sibi tempus supereſſet reperire se vadendi in loco quem dixerat. Statuti temporis in principio, in quo saltem per mensem ante attingere debuisset, exigente consuetudine, nec minus opportunitate negotii imminentis. Aiebat insuper quod a principio, usque nunc sub fallacia unionis, hostes sibi laqueos extenderunt, & quod oratores Gallici ostendendo unionem tractare, cardinales suos ei rebellare & ab ipso discedere subduxerunt, quod postea completum est per oratores Florentinorum, sub eadem fallacia & antea factum fuisset, nisi suis cardinalibus tractandi quidquam, & simul conveniendi sine ipso, cum de seditionibus illiusmodi perpendit, inhibuisset. Dicebat tamen quod licet ab Arimino discederet, & concilium celebraret, paratus erat, si qui Pisis erant propositum mutaverint, & petitis assenserint, ad quemcumque propositorum locorum accedere, & promissa servare; & quod nullomodo ad terras Florentinorum accedere volebat, de quibus confidere minime poterat nec debebat ulla ratione. Hisque subjungebat, licet qui Pisis sunt crederent eum sub altitudine oblationis & cautionis sibi fiendæ per suum, quem dicebant unitum collegium, & concilium faciliter decipere; non tamen per divinam gratiam tantæ erat insipientiæ, quod ignoraret quomodo valide futurus pontifex posset obligari ad servandum promissa illa. Unde conscius periculi proprii & suorum, nolebat nec debebat velle, cum valeret & deberet juridice & æque evitare, illud subire gratis.

His finitis, Carolus ait, sibi apparere potissimam esse causam futuri excidii Christianæ plebis, quidquid sua sanctitas dixerit, quod omne quærebat subterfugium ne cederet, licet plurimos fingeret honestatis colores. Si namque qui Pisis erant petitis assensissent, si justæ erant rationes & æquæ quas reddiderat, cum ad cessionis conclusionem perventum fuisset, ipsas easdem assignasset, & si istæ ad justam executionem admittendæ sunt, ita & illæ fuissent, ne videlicet cedere deberet, cernens palam sui suorumque periculum, neque enim plus ecclesia posset futurum obligare pontificem, ubicumque foret petitorum locorum quam Pistorii. Petebat igitur a sanctitate sua, si hæc olim mente gesserat, quare toties circa petitorum obtentum laborare permiserat frustra. supplicabatque humiliter sanctitati suæ, quatenus amore Domini nostri Jesu Christi, si quietem ecclesiæ sanctæ, se mediante, optabat reddi, omnem possessionis papatus a se abdicaret cupiditatem, & animadvertere placeret centuplum in æterna vita se recepturum pro hac transitoria & multum post tempus necessario amittenda gloria, & illum voluntarie relinqueret propter Dominum. Insuper quæ bona ex quiete & unione populi divini sequerentur omnia in præmium & gloriam ipsius redundare. Ex adverso quot mala in ejus ignominiam, amaritudinem & jacturam. Quidquid enim contra dicerent adulantes sibi, nulla ratione cernere valebat, quod & alias dixerat, unionem fiendam, ipso non cedente, & quoniam nonnullos oblocutores fari ausos fuisse sciebat, suam amplius mereri sanctitatem sanctam ecclesiam bene gubernando, bonisque reformando prælatis, quam se ipsam pacificando per cessionem in manibus pravorum, sicut hactenus fuerat, relinqueret. memorabat sanctitas ejus cum supplici reverentia, quod videbatur ipsi Carolo datum fuisse sanctitati ejus a Domino Deo immensis scandalis & exitiali fere jacturæ universi populi Christiani, antequam evenerint, occurrere posse. Si autem papatum prædilexit, quidquid fabulatores fingant, quod detur illi submersum ejus culpa populum liberare, & laceratam ecclesiam restaurare & reformare, omnino non credit. Poterat namque unico actu plura nunc sibi populoque ei subjecto mereri atque prodesse, quam omisso hoc, si centum annis virtutibus studeret in posterum. Vidisse enim aiebat in codicibus S. Romanæ ecclesiæ plures summos sacerdotes ipsam optime rexisse, doctrina & morum exemplo excellentes; nec tamen isti mortem propter Dominum evitarunt, ut populo ejus vivendo proficerent. Tantæ enim humilitatis fuerunt, quod semper se indigne præesse putarunt, nec umquam præsumsisse auserunt, adeo quod dignos se crederent populo Domini prodesse, valere, & quod Dominus populum ejus non immense amplius illis dilexerit, & dilecturus sit usque in finem. Neque etiam tam modicæ fuere fidei, quod nesciant quod Dominus sponsæ suæ quam sibi pretioso ejus sanguine dedicavit, non provideat de opportunis præsulibus, sive boni sive discoli humano appareant judicio, & quamvis hominibus datum sit homines ad prælaturas vocare, quod licet quandoque recta, quandoque iniqua, quandoque insicia mente homines exsequantur; tamen Dominus est qui numquam valet errare, cujus dispositione dispensationeque homines hominibus præferuntur, & propterea morti se ultro obtulerunt, quod nequaquam feciſſent, si adulationibus & falsis satanæ suggestionibus acquievissent, atque si Domino Deo suo minus moriendoque quam vivendo novissent se placituros, & quam quam plures eorum

qui optime populum regebant, & tamen gubernationem populi moriendo ſponte reliquerunt, multi tamen ſummo ſacerdotio quam aliis prælataris indigni, immo peſſimi e veſtigio in principatibus ſecuti fuerunt, non fuerunt illi ſuo fruſtrati merito, nec eorum præmium minutum. Manifeſte quidem Carolo apparebat diabolicam ſuggeſtionem eſſe, cum valeret occurrere, ſanctam eccleſiam prius ſcindendi in novam ſciſſuram, vetere permanente, occaſionem aliis præbere, ut ipſam in melius, quam a centum annis fuerat, reformet, etiamſi ipſius gubernationi intenderet, præponere viros qui ſibi idonei viderentur & optimi. Nam ſub ſpe incerti commodi futuri, certum inferebat eſſe incommodum & detrimentum. Propterea ſi hæ aſcenderant in corde ſuo cogitationes, rogabat ab ipſo tamquam peſſimas & univerſo domini populo, nec non ipſius animæ officioſas evelli, & ea ſupplicabat ſanctitatem ſuam tota mente amplecti, quibuſcumque privatis abjectiſque, quieti & unioni ſanctæ matris eccleſiæ fuerint profutura.

Propter hæc igitur quæ Carolus dixerat, aliqualiter viſus eſt dominus Gregorius conſtriſtari, & ait quod vere apparebat Carolum maximum peccatum acquirere, judicando ea mentis ſuæ fuiſſe & eſſe, quæ non fuerant nec erant. Nam numquam propoſuerat nec proponebat potius papatum velle, quam eccleſiæ ſanctæ quietem & unionem populi Chriſtiani: neque rationes illas aſſignaverat, ad quærendum ſubterfugium ne cederet: quoniam pacem & unionem veram videns ſequi ex ceſſione ſua cedere ſemper paratus fuerat atque erat. Et dicebat quod ſi Carolus ſciret mentem ſuam, non putabat ipſum tantum cum perſuaſionibus plurimis quas ſibi fecerat inſtitiſſe ut cederet, quoniam opus ei non erat illa perſuadere ad quæ anhelabat tota mente, dummodo reperire valeret modum per quem cedendo non maximum augeretur in eccleſia ſcandalum, maximaque in eos qui fuerunt ſibi fideles jactura. Siquidem ſecum perſonaliter convenire voluiſſet adverſarius ſuus antequam ceſſiſſet, intendebat ſecum concordare de modo adhibendo, per quem futuri pontificis canonica & indubitata ſequeretur electio, ne fieret error noviſſimus pejor priore; ipſo quidem minime ſecum conveniente, arbitratus fuerat opus eſſe ſacri concilii congregandi, quod & fecerat, & quamvis jure ſibi competere hujuſmodi concilium convocare & celebrare cognoſceret, tamen ad petitionem principum ſibi fidelium & ipſius Caroli inclinaverat ſe, omiſſo juris ſibi competentis rigore, ex quo opus illis unionis exigere videbatur, unum communi conſenſu congregari concilium in loco partibus tuto & æquo, & quoniam concilium ſic congregari aſſenſerat, ad illud utique conveniſſet, nec cedere renuiſſet; ſed omiſſis jurgiis privatis, quæ inter eos qui Piſis erant, & præcipue qui ſui fuerant cardinales & ipſum agitabantur, ad obviandum ſanctæ eccleſiæ ſcandalis, & proprio ſui & ſuorum periculis, attentis odiis & inimicitiis, quæ a ſuis olim cardinalibus contra ipſum & ſuos fideles exorta fuerunt, clam & palam, nec non obprobriis nimiis & injuriis attentatis & illatis in ſe & ſuos: duobus per ſacram illam & liberam ſynodum provideri, ipſo omnino cedere volente, antequam cederet, petiviſſet. Primo quidem quod futuri pontificis canonicæ & indubitatæ electioni providerent. Secundo quod eligeretur talis, qui ſuſpectus non eſſet partibus juſta & evidenti cauſa; ſed de ejus perſona poſſent partes merito confidere. Hæc autem ſibi tam juſta videbantur, quod certus quaſi erat illa obtinere, præſertim ſi concilium liberum foret, quod nequaquam eſſe poterat in ditione Florentinorum. Sciebat namque Carolum ſcire, ſi non diſſumulabat, quomodo poterat confidere Florentinis. Sciebat & eorum aſtutias, infeſtamque voluntatem ad obtinendum quod volebant, blanditiis, pretio & minis. Sciebat quod aliqui ex ſuis olim cardinalibus, qui intentioni ejus & captivitati, ſi fieri potuiſſet, aſſenſerant, immo quod fieret inſtanter laboraverant, ad papatum anhelabant, quibus non parvam favoris ſpem Florentini tradiderant, quæ Carolus non ignorare ſciebat. Ex quo ſi exhiberet Florentinis quod cupiunt, obtinendi facilitatem & commodum in Deum, in ſe & ſuos graviter peccare putaret. Quomodo enim, ſi aliquis ex illis eligeretur, quæcumque ſibi & ſuis promitterentur, etiamſi concilium ſe obligaret, confidere poſſet ipſe & ſui quod ſervarentur? quomodo inſuper majus commodum ad obtinendum eorum cupiditatem contra ſe & ſuos illis præſtare valeret, quam ſi in una terrarum ſuarum, quæ in medio potentiæ eorum eſt concilium fieri aſſentiret? An ignorare dicebat Carolum Florentinos miſiſſe ad ſe deducendum plures ex curialibus ejus, oblationibus, contumeliis, & minis ſubditis vero ſuis per publica edicta mandaſſe, quod niſi ab eo ſtatim diſcederent, confiſcatis illorum facultatibus cunctis, perpetua ab omni electorum dominio exſularet? Dicebat ſi ergo in Arimino terræ ſanctæ matris eccleſiæ & ſibi fideliſſima & turiſſima tantum contra eum auſi fuerant, quid facerent in Piſtorio vel S. Mimate? Nimis quidem hæc ignorare craſſa ignorantia fuerit, nimiſque impia pietas in ſe & ſuos fideles, & propter hoc non ad ſubterfugiendam ceſſionem, nolebat, ad illa accedere loca, & quæ dixerat propterea dixerat, quidquid Carolo cogitare placeret, ſeu de mente ſua judicare. Si namque aſſentiſſent petitis qui Piſis erant, aiebat mentem ſuam comprehendiſſet per Dei gratiam uni-

versa ecclesia manifeste, & quod non plus dilexisset papatum retinendo illum, quam pacem ecclesiæ sanctæ & unionem populi Christiani juri suo cedendo & papatui renunciando, experientia docuisset. Nam sicut dixerat, jam existente in libertate plena & debita de jure, sacro concilio congregato velut quæsierat, obtentis justis petitionibus supradictis, securi fuissent adversarii in futuro, quia modus datus extitisset, quod nullus eligi posset, qui justa ex causa suspectus esset partibus. Securus erat ipse, securi principes, qui propter fidem ipsi servandam hostes effecti fuerant illorum. Securi forent curiales sui &. præsertim ille, qui in defendendo veritatem & justitiam suam, & in texendo contra eos processus & publicando, licet sui mandato, illis displicuerunt nimis, qui justam timoris causam habent maximam præ ceteris, propter minas illatas eis præ ceteris, & sic juribus cedere suis & papatui renunciare potuisset, & fecisset absque conscientiæ suæ scrupulo, nullamque habuisset querimoniæ causam, quotquot sibi fideles fuerant, quod eos propter ignorantiam seu malitiam seu desidiam tradidisset aut vendidisset in manibus inimicorum suorum. Subjungebat quoque quod nesciebat conspicere quare Carolus crederet, quod ipse tantum papatum diligeret, manifestum quidem erat quod papatum non quæsiverat, nec aliquem rogaverat ex his qui in conclavi sui fuerant electores, quod ipsum in papam eligerent, & quando acceptavit, non cum intentione retinendi papatum acceptaverat, & sic juravit, quod & postmodum confirmavit. Manifestumque erat, quod ex papatu isto numquam receperat, nisi labores, irrisiones, opprobria, contumelias, blasphemias, minas, insidias, & omnia fere malorum genera. Nullam diem viderat secundum orbem quietis animi, nullam solatii corporis. Sunt igitur, dicebat, ista tam effectuose optanda, si ea quærere vellet, inquiebat, quæ orbis erant, nonne melius fuerat ei antequam ad statum istum fuisset assumtus; sed considerata conditione sua, quotquot sibi adversabantur, considerataque ætate quæ naturaliter quietis est avida, quanto magis nunc cum tot & tanta sibi suisque in statu mundi hujus pollicita sunt. Inferebat ergo, si aspectum mundi & suorum consanguineorum affiniumque opes diligeret, quæ sibi promittebantur acceptaret; sed quia nolebat suos fideles & seipsum, immo sanctam matrem ecclesiam contra omne debitum juris necare & obruere, & consentiendo quod concilium congregaretur in territorio Florentinorum, & præsertim in medio potentiæ suæ, esset necare & obruere sanctam matrem ecclesiam, se, & suos fideles, propterea deliberabat nullomodo talibus assentire, sed suam spem ponere in Domino & potius mortem pati.

Conticentibus igitur paulisper cunctis, dominus Gregorius dicens, ex quo non videbatur Carolo, quod illi territorium Florentinorum egredi vellent, nec ipse debebat nec valebat ad loca Florentinorum accedere, & præsertim quia erant in centro dominii sui; petiit a Carolo si modus reperiri valeret alius per quem vera & non violenta unio fieri posset, dicens si bonus reperietur, se plus unionem quam papatum diligere ostenderet.

Ad hæc Carolus dicebat, quod videbatur sibi comprehendisse, ipsum nequaquam per procuratorem cedere velle, neque in manibus procuratorum, neque concordare insuper posse se & adversarios de loco in quo conveniant, & communi consensu celebrent concilium. Nullum igitur medium aliud conspiciebat factibile cognita partium voluntate.

ACTA (a) [4]

CONCILII PISANI

anni MCCCCIX.

Ex mſ. S. Laurentii Leodienſis.

SESSIO I.

SAncta Synodus propter celebritatem festivitatis hodiernæ, quæ fuit pretium redemtionis nostræ, & propter prolixitatem longæ processionis, & ut omnes præsenti die ac nocte vacent & intendant devotioni & orationi, ut Deus per sui misericordiam perficere dignetur, quod in spe ejus gratiæ feliciter inchoatur, ad laudem & gloriam sui nominis, pacem, reintegrationem & unitatem ecclesiæ suæ sanctæ ordinat, quod prima sessio concilii generalis hîc per Dei gratiam congregati, sit cras de mane die martis XXVI. præsentis mensis Martii in isto eodem loco in solis ortu, ita quod omnes convocati conveniant, & nomine dictæ sanctæ synodi & omnium quorum interest peto, per omnes notarios hic assistentes fieri publica instrumenta, & sic ab omnibus notariis fieri petiit & rogavit.

Gregorius X. in generali concilio Lugdunensi.

Fideli & devota professione fatemur, &c.

Legitur in concilio Toletano XI. & habetur 5. q. 4. c. *In loco* quod est ultimum.

In loco benedictionis, &c.

Ut lectum & recitatum est, ut in generali concilio Lugdunensi continetur, tenet, & profitetur, & firmiter credit hoc sanctum & universale concilium, & omnia alia quæ de

(a) Vide observationem præviam ad acta, quæ hoc præcesserunt concilium.

ſumma Trinitate & fide Catholica, ſacramentis eccleſiæ, & eccleſiæ unitate hactenus docuit & prædicavit, docet & prædicat ſancta Catholica eccleſia, firmiter tenens omnem hæreticum vel ſchiſmaticum cum diabolo & angelis ejus æterni ignis incendio participandum, niſi ante finem hujus vitæ catholice fuerit incorporatus & reintegratus eccleſiæ.

Sancta Synodus ordinat, quod ſecunda ſeſſio concilii generalis hic per Dei gratiam congregati, ſit cras de mane in ſolis ortu, videlicet die Mercurii xxvii. præſentis menſis Martii in iſto eodem loco, ita quod omnes convocati conveniant.

Sessio II.

Sancta Synodus ſeu hoc ſacrum generale concilium dominum Petrum de Luna Benedictum XIII. nominatum, & dominum Angelum Corrario Gregorium XII. nuncupatum de papatu contendentes, & quantum in eis eſt eccleſiam Dei notorie in ſchiſmate tenentes, legitime requiſitos & vocatos, & provocatos in cauſa ſchiſmatis & fidei ad hoc præſens ſanctum generale concilium, & omnia in eo agenda, non venientes ſeu legitime comparentes per ſe vel per alios, non termino ſtatuto ſatisfacientes, licet expectati poſt terminum per duas ſeſſiones, reputat, & decernit, & declarat in cauſa ſchiſmatis & fidei contumaces; ponitque in contumacia & defectu, & ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi, & prætendit fore, ordinans ſeſſionem aliam fieri die lunæ poſt dominicam in albis, quæ erit xv. dies futuri menſis Aprilis, ad quem diem ordinat præſens ſanctum concilium dominum cardinalem Tudertinum domino Gregorio adhærentem, & dominum Johannem Sabinenſem epiſcopum, S. Adriani & ſanctæ Mariæ *in Via lata* de Fliſco & de Chalanco vulgariter nuncupatos S. R. E. cardinales Benedicto adhærentes, de benignitate expectandos fore cum intimatione, quod ſi prædicti duo contendentes, & præfati domini cardinales non comparuerint in dicto termino, ad ulteriora procedere, eorum contumacia non obſtante. Ordinat nihilominus præſentem ordinationem in valvis præſentis eccleſiæ cathedralis affigi publice, ne de præmiſſis valeant ignorantiam allegare.

Univerſis & ſingulis, ſacra mandante ſynodo, tenore præſentium intimatur, quod hac die ſabbati penultima hujus menſis Martii in eccleſia cathedrali Piſana celebrata devote & ſolemniter miſſa pro unione ſacroſanctæ eccleſiæ ordinata, dictis in cantu litaniis & devotis orationibus, ac expletis aliis in talibus conſuetis, auditis quidem propoſitionibus & petitionibus deputatorum, advocatorum, & procuratorum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ iniquis de papatu contendentium auſibus laceſſitæ, proh dolor! immo diutiſſime laceratæ, per quas recenſito quod accuſata contumacia infraſcriptorum contendentium proxime lapſis in proceſſu hujuſce cauſæ deſcriptis terminis, petitum fuit eoſdem contendentes, etiam & adhærentes eis cardinales, & alias ad hujuſmodi concilium legitime vocatos reputari, decerni & declarari contumaces jam bis & nunc tertio prorogata ſeu continuata dies inſtat, in qua contendentes ipſi ac cardinales eis adhærentes & ceteri vocati comparere tenentur, accuſataque tandem legitime hac ipſa die contumacia prædictorum, & petito eos contumaces reputari, decerni & declarari, ipſa ſancta ſynodus ſeu ſacrum generale concilium antedictum præfatis contendentibus & aliis legitime, ut ex proceſſu conſtat, ad valvas eccleſiæ vocatis & aliis ſervandis ſervatis, unanimi conſenſu & voto ſuper prædictorum contendentium & aliorum contumacia, reputavit, decrevit & declaravit per organum reverendiſſimi in Chriſto patris & domini domini * G. epiſcopi Prænestini Pictavenſis vulgariter nuncupati, ſicut continetur in cedula cujus tenor de verbo ad verbum eſt talis: Sancta ſynodus, &c. ideo ut ſi præelegitur ſerioſe. Super quibus quidem reputatione, decreto & declaratione præfatæ hujuſce eccleſiæ deputati petiverunt fieri unum vel plura publica inſtrumenta in proceſſu hujuſmodi cauſæ reaggravanda. Datum ubi & diebus quibus ſupra, anno a Nativitate Domini MCCCCIX. indictione II.

* Guidonis.

Sessio III.

Sancta & univerſalis ſynodus auditis, intellectis, & conſideratis omnibus & ſingulis ſupradictis, & quolibet tempore volens mature atque cum gravitate procedere, & eo attento potiſſime, quia fide digna relatione perceperat aliquos dominos cardinales, & quamplures valentes prælatos, ac nonnullorum prælatorum procuratores & nuncios in itinere eſſe ad ipſum ſacrum concilium venientes, & Piſas infra nonnullos dies applicare debere, cum quibus conſiderabat agenda omnia laudabilius & conſultius proceſſura, præſentem ſeſſionem hodiernam uſque ad diem xxiv. præſentis menſis Aprilis prorogavit, & continuare ſtatuit & decrevit, ordinans hujuſmodi continuativam prorogationem per cedulam in modum edicti ad valvas hujus eccleſiæ cathedralis Piſanæ affigi debere, ne de ipſa prorogatione contendentes prædicti & quatuor cardinales ſupra nominati valeant quomodolibet ignorantiam allegare.

Univerſis & ſingulis, ſacra mandante ſynodo, tenore præſentium intimatur, quod in eccleſia Piſana eadem ſynodo ſeu ſacro concilio generali congregato, cantata per dominum Bartholomæum epiſcopum Aletienſem miſſa B. Mariæ Virginis, dictis litaniis

niis in cantu, & aliis ſervandis ſervatis, hac die lunæ de mane xv. hujus menſis Aprilis, quo pendebat terminus ad procedendum ad ulteriora contra Angelum Corratio Gregorium, & contra Petrum de Luna Benedictum nuncupatos, de papatu perperam contendentes, ad quam etiam dominos Tudertinum Angelo, & Auxitanum, de Fliſco & de Chalanco cardinales Petro de Luna contendentibus prædictis adhærentes expectandos, in ultima ſeſſione decretum fuit, poſt auditos ambaxiatores ſeu nuncios illuſtris domini Ruperti in regem Romanorum electi, præcipue facta per dominum advocatum & procuratores, ſeu promotores deputatos petitione, de novo contra Angelum & Petrum contendentes declaratos contumaces in præſenti decerni & declarari, quorum dictorum contendentium per ſe vel per alium non comparentium, ſeu huic termino & ſeſſioni non ſatisfacientium prius contumacia extitit accuſata, eadem ſancta ſynodus volens continuo non per rigorem, ſed cum debita manſuetudine procedere maxima, quia relatione fide digna accepit aliquos dominos cardinales & plures valentes privatos eſſe in via ad hanc ſacram ſynodum venientes, ſeſſionem præſentis xv. diei & actum ſeu actus ad ipſam diem pendentes contra contendentes & eis adhærentes præfatos uſque ad xxiv. diem ejuſdem menſis continuantes prorogavit, ordinans atque mandans præſentem continuationem & prorogationem in valvis ejuſdem eccleſiæ Piſanæ per præſens publicum edictum affigi, ne de hujuſmodi prorogatione contendentes & eis adhærentes prædicti poſſint quomodolibet ignorantiam allegare, cum intimatione quod ſi in dicta xxiv. die non comparuerint, nihilominus procedetur ad ulteriora, prout præfatæ ſanctæ ſynodo iſti videbitur, eorum ſeu cujuſlibet eorum contumacia non obſtante. Datum Piſis, die prædicta lunæ xv. Aprilis, ii. indictione, anno Nativitatis Domini MCCCCIX.

Sessio IV.

Lunæ xv. Aprilis, ad quam diem continuatum fuerat concilium in ultima ſeſſione præcedente, fuit concilium de mane congregatum in eccleſia metropolitana civitatis Piſanæ, ubi primo devote fuit miſſa de beata Virgine ſolemniter celebrata in plano cantu, per quemdam epiſcopum, dominis cardinalibus & aliis prælatis ibidem exiſtentibus, & ſedentibus in ſedes ſibi aſſignatas, ſecundum tempus ordinationis eorumdem: ita tamen quod domini cardinales erant & ſedebant in uno ſcamno quaſi præſidentes, & habentes dorſum ad altare, vultus autem ad epiſcopos & alios coram eis aſſiſtentes. Omnibus etiam dicta miſſa durante indutis ſuis veſtibus & cappis communibus. Qua miſſa celebrata per illum epiſcopum cum mitra auriftrigiata & ſine paſtorali baculo, nulla etiam benedictione facta ſolemni, ſed ea ſola quam ſimplex ſacerdos facere conſuevit in fine miſſæ. Tunc omnes cardinales & alii prælati exuerunt ſuum habitum, & ſe induerunt cappis ſericis ſeu pluvialibus cum ſingulis mitris, ſcilicet albis & ſimplicibus.

Poſtmodum ſtatim incœpit cantor quidam iſtam antiphonam: *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos, Domine;* cum Pſalmo & *Gloria Patri*, ſecuta ſtatim oratione per unum cardinalium dicta. Deinde dixit diaconus, *Orate;* quo dicto, omnes proſtrati oraverunt ſub ſilentio quaſi per ſpatium dicendi pſalmum *Miſerere mei Deus.* Oratione facta, prædictus cardinalis legit cum cantu quamdam orationem, ſcilicet iſtam: *Deus, qui diverſitatem gentium in tuî nominis confeſſione adunaſti, da ut renatis fonte baptiſmatis una ſit fides mentium, & pietas actionum. Per Dominum.* Subſequenter dicta proſtratione durante, decantata fuit letania, in qua multæ fiunt preces & rogationes ſpeciales materiam præſentem tangentes & reſpicientes, ut ſic: *Ut eccleſiam tuam ſanctam & omnes eccleſiaſticos ordines in ſancta religione Chriſtiana regere, dirigere, & ſanctificare digneris, Te rogamus*, &c. Item, *Ut omnes inimicos eccleſiæ humiliare digneris, te rogamus*, &c. *Ut hanc ſanctam ſynodum dirigere*, &c. Finita autem letania, prædictus dominus cardinalis dicit orationes propter hoc ſpecialiter factas. Quibus finitis, clamat diaconus: *Erigite vos*, & ſtatim alius diaconus cardinalis legit evangelium indutus tunica. Quo dicto, iterum ſequitur quædam oratio per primum cardinalem dicenda. His vero peractis, præceptum fuit ut omnes exirent, præter eos qui poterant & debebant ibidem intereſſe, quod fuit executioni demandatum.

Deinde quidam nominatus magiſter Conradus de Suſato petiit audientiam, ut in præſentia concilii proponeretur intentio domini Ruperti regis Romanorum, quam habebat ad unionem ſanctæ Dei eccleſiæ. Cujus petitione audita, domini cardinales quaſi præſidentes ibidem, ut ſupra præmiſi, miſerunt notarios ad ſingulas ſedes aliorum prælatorum & procuratorum, ad petendum ſua vota ſuper audientia prædicta concedenda vel deneganda, in qua concedendam omnes conſenſerunt, & ſic eis conceſſa fuit. Tunc non ille magiſter Conradus, ſed dominus epiſcopus Verdenſis collega prædicti Conradi aſcendit cathedram, ubi fecit quamdam arengam aſſumens thema *Pax vobis.* Quo aliquantulum deducto, dixit ſe eſſe miſſos ad concilium præſens pro parte ſereniſſimi & illuſtriſſimi principis Ruperti regis Romanorum ſemper auguſti &c. Et deinde præmiſſis quibuſdam proteſtationibus & excuſationibus, dixit: Intendo difficultare & impugnare acta & agen-

da in dicto concilio. Plura dubia quasi objective, & quæstiones proposuit, requirendo finaliter mutationem loci dicti concilii, & multa alia, de quibus constare plenius potest per tenorem & copiam dictorum propositorum.

Hac igitur propositione sic facta, domini cardinales præsidentes per organum domini cardinalis Penestrini dixerunt præfatis dominis ambassiatoribus, quod se retraherent, & concilium super sua requisitione deliberaret. Quo facto, concilium deliberavit, & eisdem respondit, quod mandatum, si quod a rege RUPERTO haberent super præmissis proponendis, exhiberent, & quod suas petitiones, dubia, ac quæstiones ac proposita in scriptis traderent, ut plenius super eisdem possit eisdem satisfieri, & plenius valerent informari & dominus eorumdem. Et licet hujusmodi responsionem prima facie non acceptarent præfati nuncii, sed potius recusarent tradere & procuratorium & ipsa dubia sive objecta: tandem rationibus convicti, præmissa tradere consenserunt & promiserunt. Et tunc dictum fuit, quod in prima futura sessione dicti concilii responderetur & satisfieret eorum dubiis & quæstionibus per eos propositis. Et ulterius fuit ordinatum, quod de singulis provinciis aliqui deputarentur ad videndum ipsa dubia. Et similiter domini cardinales aliquos ex eis ad hoc deputarent qui haberent conferre, & deliberatione facta, providere de condecenti responsione prædictis nunciis facienda.

Hoc sic concluso, statim generalis advocatus concilii pro & nomine procuratoris & promotoris cum concilio deputati publice requisivit, quod duo contendentes, & cardinales eisdem adhærentes numero quatuor, quorum tres domino Benedicto, scilicet de Chalanco, de Fliseo & Auxitanus, & Gregorio unus adhærent, evocarentur in valvis ecclesiæ comparituri in hoc sacro concilio, &c. Cum debite citati & vocati fuissent, accusando eorum contumaciam, nisi legitime per se vel procuratores idoneos comparerent. Qua requisitione facta, duo cardinales vel tres vel quatuor archiepiscopi & episcopi una cum notariis, ut testibus, venerunt ad valvas ecclesiæ, & inde postmodum reversi, retulerunt quod solemniter & debite vocaverant prædictos, de quibus & pro quibus nullus comparuit. Et tunc ad promotoris instantiam reputati sunt contumaces per concilium. Postmodum per unum de dominis cardinalibus dictum fuit, quod plures erant prælati & domini ac viri solemnes ad concilium venturi, quorum præsentia erat concilio profutura, & ideo si videbitur expedire, dies sessionis concilii continuaretur & prorogaretur usque ad XXIV. dicti mensis Aprilis, & interim legerentur proposita nunciorum dicti regis RUPERTI, & ordinaretur de responsione eadem die facienda, ut est dictum. Et sic fuit ordinatum & concluſum de consensu in concilio assistentium.

SESSIO V.

Mercurii XXIV. mensis Aprilis fuit quinta sessio concilii generalis in ecclesia majori, ubi celebrata primo missa solemniter de Angelis per quemdam episcopum modo supra præmisso in proxima præcedenti sessione, & aliis solemnitatibus præmissis, vocati fuerunt duo contendentes, sed non cardinales eis adhærentes, scilicet in valvis ecclesiæ eo modo quo supra præmissum est, & quia nullus ex eis vel pro eis comparuit, accusata & adjudicata eorum contumacia extitit, promotore instante. Et postmodum licet ordinatum fuisset in proxima præcedenti sessione, quod nunciis regis RUPERTI super dubiis suis & eorum propositis hodie responderetur; quia tunc præcedente tempore de Pisa hospite insalutato recesserant, dimissa per eos quadam appellatione clam & occulte; præfatis eorum dubiis hac die responsum non extitit, & etiam quia factis duorum contendentium visis & auditis, responsio clarior poterat ad prædicta dubia haberi. Igitur hac die pro fundanda hujus sacri concilii intentione, lecta fuit quædam prolixa scriptura (a) per modum libelli & articulorum contra ipsos contendentes, facta eorum continens, & publice propositæ conclusiones, ad quas tendit promotor hujus concilii inferendo. Et insuper quamvis facta in dicta scriptura contenta & narrata dicerentur esse notoria, nihilominus ad majorem eorum pacificationem advisatum fuit fore expediens, quod procederetur ad eorum probationes; ad quas recipiendas eligerentur aliqui notabiles viri per nationes vel provincias, prout videbitur expedire. Quibus peractis, continuata fuit sessio ad diem Lunæ inde proximo sequente.

SESSIO VI.

Martis XXX. & ultima die mensis Aprilis fuit sexta sessio sanctæ synodi universalis in ecclesia Pisana, in qua supervenerunt plures Anglici episcopi, abbates, doctores, & alii cum magna comitiva sæcularium dum missa cantaretur. Qua celebrata, & aliis solemnitatibus solitis adimpletis, primus dictorum Anglorum in ordine, scilicet Salisberiensis, statim cathedram ascendit, incipiens sermonem suum per hoc thema: *Justitia & judicium præparatio sedis ejus.* Quod quidem thema deduxit prolixe, inducendo concilium & prælatos ad insequendum voluntatem divinam, & non propriam vel humanam, & ut omnem carnalem affectionem & appetitum dominandi abjicerent, sensus suos subjicientes rationi ac dispositioni divinæ, qua-

(a) Extat hæc scriptura in *Spicilegii* tom. 6. in actis quintæ sessionis concilii Pisani.

tenus omni ſemota carnali affectione, odio, favore, timore & amore, ſtuderent providere eccleſiæ & ſedi apoſtolicæ de paſtore, qui in vera caritate vellet Chriſtum ſequi & utilitati ſubditorum intendere. Finaliter completa propoſitione dixit per hæc verba: R. » patres & domini, ex parte ſereniſſimi & illuſtriſſimi principis regis Angliæ, &c. dominorum prælatorum & cleri totius regni venimus ad concilium, cum bona & ſufficienti ac neceſſaria poteſtate faciendi & conſentiendi ea, quæ per hoc ſanctum concilium vel majorem ac ſaniorem partem ipſius videbuntur facienda, noſque offerimus facturos quicquid pro bono & utilitate eccleſiæ poterimus. Poſtmodum ſupplicavit concilio, quod vellent regratiari domino patriarchæ & aliis de regno Franciæ, ſpecialiter autem domino gubernatori Januæ, & univerſitati Pariſienſis ſtudii de gratiis, libertatibus & donis ſibi & aliis venientibus ad dictum concilium, ob ipſius concilii reverentiam & favorem multipliciter factis & impenſis.

Hoc facto, quia propoſitio dicti domini epiſcopi Saliſberienſis longa fuit, nihil de principali proceſſu actum fuit nec extitit, præter hoc quod illico aſcendit cathedram advocatus fiſcalis, ubi propoſuit, quod licet in proxima ſeſſione præcedenti deliberatum fuiſſet, hac die nominari debere nomina dominorum commiſſariorum electorum ad recipiendum teſtes, litteras, inſtrumenta, &c. cauſam contra dictos contendentes tangentia; tamen quia plures viri ſolemnes, inter quos nominant Anglicos & nuncios electorum imperii tam ſæculares & eccleſiaſticos nondum propter tardum eorum adventum potuerunt ſuper hoc deliberare & debite informari potuiſſe. Ideo quia eadem die dicta nominatio non poterat expediri, petiit continuationem hujus diei fiendam, ſi placeret concilio, uſque ad diem ſabbati ſequentis, quæ erit IV. menſis Maii. Subjungens inſuper quod tam epiſcopus Verdenſis pro ſe & ſuis complicibus alias publice in concilio, prout ſupra tactum eſt, propoſuiſſet multa adinventa falſa, ſcandaloſa & injurioſa, quæ non credebantur procedere de mente & conſcientia regis RUPERTI, in regem Romanorum, ut dicebat, ſecundo electi, cujus oratores ſe eſſe dicebant. Ad quæ quidem propoſita hodie foret reſpondendum per ordinationem concilii, prout eiſdem oratoribus fuerat oblatum; quia cum de ſynodo ſancta abſque licentia receſſerant, pœnas juris incurrendo, de quarum proſecutione proteſtatus eſt, ordinatum fuit, quod reſponſio hodie fienda ad illa talia qualia dubia differretur in primam futuram ſeſſionem, petita prius per ſingulos eorum ſuper hoc deliberatione. In hac ſeſſione concilii generalis comparuit dominus patriarcha, in qua præſedit ſedens in medio duorum antiquorum cardinalium, non tamen miſſa durante, quia tunc ſedit poſt dominum camerarium Narbonenſem archiepiſcopum, ſed ſtatim miſſa dicta, & indutus pluviali & mitra alba tranſivit ad locum præſidentis.

SESSIO VII.

Sabbati IV. menſis Maii fuit ſeptima ſeſſio ſacri concilii univerſalis in loco ſolito, ubi primo miſſa de S. Spiritu per quemdam epiſcopum celebrata, & aliis ſolemnitatibus ſynodi factis, prout ſupra in IV. ſeſſione dictum eſt, quidam ſolemnis doctor de ſtudio Bononienſi, Petrus de Anchorano vocatus, aſcendit pulpitum dictæ eccleſiæ, quod eſt quaſi in medio ejuſdem, & ibidem propoſuit reſponſiones ad quæſtiones (a) & dubia per ambaſſiatores regis RUPERTI ſuperius nominati alias motas & factas, omnibus præſentibus qui voluerunt intereſſe, nemine rejecto, improbando primo factum ipſorum nunciorum ſeu oratorum, & oſtendendo quod dicta dubia moveri non debuerant. Secundo repetiit ſuccincte effectum dictorum dubiorum, quaſi ea ſummando. Tertio fundavit intentionem concilii ex adverſo. Quarto, reſpondit ad dictas quæſtiones & eorum rationes. Deinde per advocatum fiſcalem petitum fuit, quod nominarentur qui audituri & recepturi erant teſtes, inſtrumenta, probationes, &c. ſuper factis contra dictos dominos contendentes propoſitis in præcedenti ſeſſione, & ipſorum factorum notorietate, prout alias per concilium fuerat appunctuatum; qui tunc nominati fuerunt, & cum eiſdem ad petitionem dominorum cardinalium duo ex eis fuerunt nominati, qui de conſenſu concilii in dicta receptione intereſſent. Quibus omnibus ſic nominatis per concilium de omnium conſenſu conceſſa fuit eiſdem commiſſio ad præmiſſa faciendum. Poſtmodum dictum fuit, quod ſi videretur expedire, & placeret concilio mitterentur aliqui ad LADISLAUM regem Siciliæ ab aliquibus nuncupatum, petituri ut huic concilio nullum præſtaret impedimentum, ſed faveret, &c. Super quo tunc nihil extitit deliberatum, nec concluſum. Sed continuata fuit dies hujuſmodi concilii ad diem Veneris proximam ſequentem, quæ erat decima dies dicti menſis Maii, & interim reciperentur probationes.

SESSIO VIII.

Die Veneris decima menſis Maii fuit octava ſeſſio in loco & hora ſolitis, ubi miſſa ſolemniter celebrata, &c. advocatus fiſcalis unà cum promotore, &c. nomine dicti procuratoris petiit & requiſivit unionem duorum collegiorum rite, juſte & canonice fuiſſe & eſſe factam pro bono tam pii negotii, ſic-

(a) Hæc dubia & ad eadem reſponſiones extant ſeparatim in mſ. codice S. Laurentii, & in Spicilegio tom. 6. in quinta ſeſſione concilii Piſani. [a]

que decrevit declarari, approbari & pronuntiari per ſanctam ſynodum. Secundo, petiit convocationem hujus concilii per dominos cardinales utriuſque collegii factam fuiſſe rite, juſte, canonice & legitime, loco ac tempore competenti, habili, tuto, libero, & idoneo, & ſecuro, ac convenienti, & ſic decretum pronunciari & approbari. Tertio, quod ipſa ſancta ſynodus decernat, declaret & pronunciet hanc ſanctam ſynodum eſſe generale & univerſale concilium, repræſentans univerſalem eccleſiam catholicam, ſibique competere tamquam ad unicum judicem ſuperiorem in terris, cognitionem, deciſionem, & omnimodam determinationem hujus cauſæ contra iſtos duos de papatu contendentes, & ut dicitur colludentes, cum omnibus pertinentibus, emergentibus, incidentibus & connexis, & eam tangentibus. Quarto, quod cum terminus datus ad producendum, recipiendum & examinandum teſtes fuiſſet nimis brevis, maxime cum infra eumdem terminum inciderint tria feſta, ſcilicet dominica, [a] feſtum (a) B. Johannis apoſtoli, & apparitio B. Michaelis, quatenus daretur alius terminus ad hoc faciendum competens & idoneus. Hoc dicto, ſubjunxit dictus advocatus, quod ſi hæc concilio placerent, hoc exprimerent: ad quod multi alta voce ſtatim reſponderunt, placet. Nihilominus poſtea per notarios, teſtibus eiſdem aſſiſtentibus, & etiam per alios ad hæc deputatos ſigillatim inquiſita fuerunt vota ſingulorum ſuper præmiſſis: & repertum fuit omnes in præmiſſis conſentire, paucis exceptis, videlicet tribus aut quatuor. Deinde hac inquiſitione facta & relata, quidam doctor de juſſu &c. aſcendit pulpitum, qui nomine quo ſupra petiit, requiſivit & poſtulavit, quod dicta ſancta ſynodus decerneret, pronunciaret & declararet licuiſſe, potuiſſe & debuiſſe ſe ſubſtrahere ab obedientia dictorum contendentium a tempore quo deſierunt proſequi unionem eccleſiæ per viam mutuæ ceſſionis, juxta præceptum Domini per prophetam dicentis: *Recedite a tabernaculo impiorum, ne ſimul involvamini in peccatis eorum.* &c. Et ſubjunxit, quod ſi concilio placeret, hoc dicerent: quo dicto, reſponſum fuit alta voce per conjunctam multitudinem, *Placet, Placet.* Dicunt tamen aliqui, quod ſuper iſto fuit contradictio quorumdam cardinalium, inter quos audivi nominare Peneſtrinum. His peractis, dominus patriarcha tunc præſidens & ſedens in medio dominorum cardinalium, ſurrexit de ſede ſua, & tunc aſcendit pulpitum, aſſiſtenteque domino epiſcopo Saliſberienſi, qui primus eſt inter Anglicos, cœpit idem patriarcha legere cedulam continentem in effectu decretum, declarationem, pronunciationem & approbationem ex parte ſanctæ ſynodi factam de omnibus & ſingulis per promotorem & advocatum petitis, aſſignando terminum ad octavam diem ſequentem, quæ erit XVII. Maii, ad producendum, & examinandum, & recipiendum dictos teſtes, & aliàs ad procedendum, prout juris eſſet, continuata fuit ſeſſio concilii proximo futura. Pronunciatio autem talis eſt.

» Sancta ſynodus, habita plena & matura deliberatione, decernit, pronunciat, & declarat unionem & conjunctionem factam de duobus collegiis dominorum S. R. E. cardinalium fuiſſe & eſſe legitimam & canonicam, ipſamque ſua auctoritate roborat, approbat & confirmat pro bono tam ſancti & pii negotii, ac evidenti & eminenti neceſſitate univerſalis eccleſiæ catholicæ, extirpationis ſchiſmatis, ac unionis & reintegrationis ipſius eccleſiæ, & etiam hanc ſanctam ſynodum per dominos cardinales utriuſque collegii ad tantum bonum ſimul unitos & congregatos tempore congruo, & in loco tuto & habili & idoneo, ſecuro & libero, rite, debite & canonice convocatam. Declarat inſuper, pronunciat & decernit per Dei gratiam hic eſſe generale concilium repræſentativum totius univerſalis Catholicæ eccleſiæ rite, juſte & rationabiliter fundatum & congregatum, & ad hoc generale concilium, tamquam ad unicum ſuperiorem & judicem in terris pertinere hujus cauſæ & omnium propoſitorum contra dominos BENEDICTUM & GREGORIUM nominatos contendentes, ſeu, ut aſſeritur, colludentes de papatu, cognitionem, examinationem, deciſionem, & omnimodam determinationem, ac omnium & ſingulorum ad dictam cauſam pertinentium, quoquomodo dependentium, incidentium ſeu emergentium ex præmiſſis. Item, ſancta ſynodus, habita matura & plena deliberatione ex cauſis præmiſſis, pro ſecunda dilatione ad producendos teſtes ſtatuit terminum ab hodie ad octo dies, quæ erit XVII. menſis Matii, & ad illum diem aſſignat proximam ſeſſionem.

SESSIO IX.

Die Veneris XVII. menſis Maii fuit IX. ſeſſio concilii, in qua poſt miſſam & alia conſueta, ad petitionem promotorum fuit pronunciata per patriarcham ad hoc de conſenſu ſingulorum de concilio deputatum quædam cedula ſuper expeditione hujus diei, factis primo per advocatum petitionibus, & ſecuto conſenſu ſingulorum de concilio ſuper eiſdem petitionibus. Fuit etiam petitum, quod ut melius & cum majori concordia poſſit procedi, ſi contigerit in poſterum, durante concilio, aliquos, cujuſcumque ſtatus exiſtant, ſituatos eſſe vel fore in aliquibus majoris vel minoris ordinis, &c. quod hoc non poſſit generare præjudicium, vel jus novum adquirere, ſed cuilibet remaneat ſua prærogativa illæſa, quod concorditer conceſſum eſt. Tenor autem cedulæ talis eſt.

» Sancta & univerſalis ſynodus hic in Chri-

[a] Vulgo dictum S. Johannis ante Portam Latinam.

» ſti nomine congregata, declarat, pronunciat & decernit ex juſtis & rationabilibus cauſis a Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & Angelo Corrario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contendentibus de papatu, & ab ipſorum cujuſlibet obedientia licuiſſe recedere libere & impune, videlicet a præfato BENEDICTO ab eo tempore, quo viam ceſſionis per eum ſolemniter juratam realiter proſequi, & eam affectualiter adimplere damnabiliter omiſit: & a præfato GREGORIO ex eo tempore, quo viam ceſſionis per eum juratam & ſolemni voto firmatam & promiſſam realiter proſequi & damnabiliter adimplere prætermiſit.

» Inſuper eadem ſancta ſynodus ex cauſis quibus ſupra pronunciat, ſtatuit, ordinat, & decernit præfatis contendentibus de papatu, & ipſorum cuilibet, qui canonice requiſiti & vocati in præſenti cauſa ſchiſmatis & fidei, fuerunt declarati legitime contumaces fore a cunctis Chriſti fidelibus omnimodam obedientiam ſubſtrahendam ex nunc & inantea ab omnibus pro ſubſtracta haberi, & ita obſervandum decernit, pronunciat atque mandat.

» Proceſſus autem & ſententias, condemnationes, privationes, nihilitates, conſtitutiones, & cenſuras quaſcumque per ipſos contendentes in ipſorum alterum in præjudicium unionis eccleſiæ, aut proſecutionis ejuſdem contra ſubſtractos aut in poſterum ſubſtrahendos factos & in poſterum fiendos hæc ſancta ſynodus decernit & declarat caſſos exiſtere, & nullius eſſe roboris vel momenti, & eoſdem caſſat & annullat, quatenus de facto proceſſerunt, aut in futurum procedent.

» Item, eadem ſancta ſynodus in favorem fidei, & pro ſchiſmatis exſtirpatione, ac lacerata eccleſia unienda & pacificanda, decernit, pronunciat & declarat, omnes cujuſcumque ſtatus, etiamſi cardinalatus præfulgeant dignitate, qui in cauſa præſenti ſunt aut eſſe poſſunt judices ſeu conjudices in concilio, etiam eſſe poſſe legitimos teſtes, eorumque tam teſtimoniis, quam ſententiis fidem eſſe indubiam adhibendam.

» Item, cum propter diverſitatem & proli-
» xitatem articulorum in præſenti cauſa productorum poſſet teſtium examinatio diſpendioſe protelari, propterea ſancta ſynodus decernit, pronunciat, & declarat, quod domini commiſſarii ſeu examinatores ad hoc per ſanctam ſynodum deputati, poſſint dictos articulos declarare, ſpecificare, & in eiſdem addere, detrahere & mutare, ac etiam novos articulos de novo recipere, & ſuper eis teſtes examinare, & interrogatoria facere, prout utilitati & accelerationi cauſæ viderint expedire, & mittere etiam extra locum concilii, maxime Florentiam, ad recipiendum & examinandum teſtes, & ex prædictis cauſa cognita & deliberata, dat, ſtatuit & decernit, tertiam dilationem ad probandum, & teſtes producendum, & ad ulteriora procedendum, prout eidem ſanctæ ſynodo videbitur expedire, diem Mercurii proximam, quæ erit XXII. hujus menſis, ad quam diem ſtatuit & ordinat proximam ſeſſionem.

Dum vero peterentur vota ſingulorum ſuper præmiſſis, omnibus in eiſdem conſentientibus, contradixit unus Anglicanus cortiſanus de ſervitoribus (a) Errorii, cui propter contradictionem petitum eſt, an mandatum haberet eſſendi in concilio: quo reſpondente, quod nullum habebat mandatum, ſtatim cum confuſione ejectus de concilio, & tamdem ad ſciendum quis eſſet, & cauſam adventus & contradictionis, & unde veniret, miſſus eſt in carcerem. [a]

SESSIO X.

Mercurii XXII. menſis Maii fuit decima ſeſſio concilii generalis, ubi miſſa per dominum Turonenſem archiepiſcopum celebrata, & aliis ſolitis ſolemnitatibus adimpletis, petitum fuit a ſingulis de concilio per aliquos ad hoc deputatos, & etiam per advocatum & promotorem, an placeret concilio quod domini epiſcopi Cameracenſis & Atrebatenſis irent ad dominum gubernatorem Januæ & Januenſes, videlicet Cameracenſis ex parte concilii, & Atrebetenſis ex parte collegii pro certis negotiis, &c. quod omnibus placuit.

Poſtmodum per præfatos advocatum nomine promotoris petitum extitit, quod cum dati fuiſſent plures termini ad producendum, recipiendum & examinandum teſtes ſuper articulis & eorum notorietate alias propoſitis in concilio contra duos contendentes, & domini ad hoc deputati multos recepiſſent & examinaſſent, ipſique duo contendentes citati fuiſſent ad videndum & audiendum eorum publicationem, quatenus ad hoc vocarentur, qui ſi non comparerent, aut eorum alter per ſe vel alium, accuſabant eorum contumaciam. Et ipſa adjudicata, petierunt dictas atteſtationes publicari, de qua petitione & requiſitione petierunt inſtrumenta, &c. Qua petitione facta, de beneplacito & aſſenſu concilii duo ex dominis cardinalibus, & cum ipſis domini archiepiſcopi Januenſis & Piſanus, una cum notariis & teſtibus iverunt ad valvas eccleſiæ vocatum præfatos contendentes. Quibus reverſis, petito per promotorem, quod de hujuſmodi vocatione, &c. fieret relatio; unus ipſorum dominorum cardinalium retulit pro ſe & aliis qui cum ipſo fuerant, quod præfatos contendentes vocaverunt ad præmiſſa, quorum nullus aut eorum nomine pro ipſis comparuit. Et tunc reputati ſunt contumaces per patriarcham præſidentem.

[a] Errorium vocat Gregorium XII. propterea quod ſubſtracta ei obedientia, errans vix ſciret ubi reclinaret caput.

Deinde per advocatum & promotores præfatos petitum extitit, quod in prædictorum contendentium contumacia publicarentur atteſtationes teſtium per dominum archiepiſcopum Piſanum, ſi placeret concilio. Quod omnibus placuit. Et tunc idem dominus archiepiſcopus cathedram ad hoc deputatam aſcendit, ubi narravit quod cum domini commiſſarii ad hoc per concilium deputati multos teſtes recepiſſent, & examinaſſent in cauſa ſchiſmatis & fidei contra duos perperam contendentes de papatu, ipſiſque pro contumacibus reputatis, ſibi fuiſſet injunctum, quod eaſdem atteſtationes publicaret. Primo dixit ſe publicaturum eas generaliter, deinde ſpecialiter. In genere namque dixit quod omnes articuli contra præfatos contendentes propoſiti & maxime ſubſtantiales ſunt prolati, veri, notorii & publici. In ſpecie autem dixit, quod ut melius clarius & lucidius appareret, de ipſorum ſingulorum probatione, ſinguli articuli legerentur per unum de notariis qui ipſas atteſtationes redegerant in ſcriptis, & in fine ſingulorum articulorum publicaret idem dominus archiepiſcopus per quos teſtes articulus probatur. Iſte articulus in prima ſui parte probatur verus & notorius per quindecim teſtes, de quibus tres ſunt cardinales, unus patriarcha, ſex epiſcopi, unus abbas, tres doctores juris, & unus licentiatus in decretis. Secunda pars ejuſdem articuli probatur vera & notoria per quindecim teſtes, quorum tres ſunt cardinales unus patriarcha, quinque epiſcopi, unus abbas & quatuor legum doctores, & unus licentiatus in decretis. Tertiæ pars quæ incipit: *Et tunc illico* probatur vera & notoria per IX. teſtes, quorum unus eſt cardinalis, unus patriarcha, tres epiſcopi, unus abbas, duo doctores & unus licentiatus in decretis. Deinde ſtatim notarius legit ſecundum articulum. Quo lecto dixit dictus dominus archiepiſcopus Piſanus: Iſte ſecundus articulus probatur verus & notorius per octo teſtes, quorum tres ſunt cardinales, unus epiſcopus, unus electus ad eccleſiam cathedralem, duo doctores, unus licentiatus in decretis. Poſtmodum notarius cœpit legere tertium articulum & ſecuta fuit publicatio eo modo quo nunc ſupradictum eſt, & ſimiliter factum fuit de ſingulis articulis ſequentibus uſque ad vigeſimum articulum inclusive. Et quia propter magnum numerum aliorum articulorum ſequentium non potuit hodie perfici publicatio, petiit idem dominus archiepiſcopus publicationem reſiduorum differri atque in craſtinum, ſi placeret concilio. Et hoc omnibus placuit. Sicque receſſerunt domini de concilio.

Sessio XI.

Jovis XXIII. Maii fuit XI. ſeſſio concilii, in qua poſt miſſæ celebrationem & alia conſueta, perfecit dominus Piſanus publicationem teſtium, quam heri inchoaverat, ſcilicet uſque ad ultimum articulum qui eſt XXXVII. Deinde lecti fuerunt per eum quinque novi articuli ab aliis ſuper additi per dominos examinatores, qui hæc poterant vigore ſuæ commiſſionis, ſuper quibus etiam teſtes receperant & examinaverant, publicavit eorum depoſitiones eo modo quo de aliis præmiſſum eſt. Quibus peractis, advocatus concilii pro & nomine promotoris etiam petiit & requiſivit formaliter iſto modo: Reverendiſſimi patres, audiviſtis ſufficientem & plenam relationem factam & hic in veſtrum & totius ſanctæ ſynodi præſentia recitatam per reverendum patrem dominum archiepiſcopum Piſanum, de mandato reverendiſſimorum in Chriſto patrum dominorum cardinalium Laudenſis & S. Angeli ſenioris, & dominorum prælatorum, & aliorum commiſſariorum & examinatorum in præſenti cauſa per hanc ſanctam ſynodum deputatorum, & ex eorum authentica & ſufficienti relatione clare conſtat omnia & quæcumque propoſita & producta contra duos BENEDICTUM & GREGORIUM contendentes, immo verius colludentes de papatu eſſe publica manifeſta & notoria, ita quod non poſſint aliqua tergiverſatione celari, propterea peto, ſupplico & requiro nomine, & pro parte promotoris & procuratoris, ad perſecutionem cauſa præſentis per hanc ſanctam ſynodum deputatorum, per eamdem ſanctam ſynodum pronunciari, decerni, & declarari omnia & ſingula in dicta petitione contenta eſſe vera, publica, manifeſta, & notoria, & ſuper eis tamquam veris ſufficienter probatis, publicis, manifeſtis & notoriis, ad ulteriora procedendum, prout tam magnæ neceſſitati eccleſiæ ac pertinaciæ, contumaciæ & obſtinationi dictorum BENEDICTI & GREGORII hæc ſancta ſynodus viderit expedire.

Poſtmodum petita fuit deliberatio concilii per dictum advocatum, an ſcilicet placeret, quod ad audiendum determinationem ſanctæ ſynodi ſuper dictis petitis & requiſitis, & interim ad deliberandum ſuper eis aſſignaretur terminus ad diem ſabbati proximam, quod placuit concilio. Et tunc per dictum archiepiſcopum fuit pronunciatum in hunc modum: Sancta ſynodus, audita dicta relatione ſtatuit terminum ad deliberandum & audiendum determinationem ſacri concilii ſuper dictis petitis & requiſitis ad diem ſabbati proximam, quæ erit XXV. menſis præſentis Maii, & ad ulteriora procedendum prout ſanctæ ſynodo videbitur, ad quam diem ſtatuit proximam ſeſſionem, & ordinatum quod ipſi duo contendentes citarentur, fuitque tunc citatorium in valvis eccleſiæ appoſitum in una cedula.

Eadem die poſt prandium fuit congrega-

tio generalis dominorum de concilio in ecclesia S. Martini super forma ferendæ sententiæ interlocutoriæ, super notorietate articulorum, &c. Et fuit data quædam cedula, quæ per singulas provincias visitata fuit & correcta. In fine concilii venit quidam, & præsentavit dominus cardinalibus quasdam bullas clausas a PETRO DE LUNA eisdem transmissas, quas nullus de sua obedientia quondam voluit recipere; sed dominus cardinalis Mediolanensis eas recepit, instigante domino patriarcha, ut videretur tenor earum per quas in effectu prohibet cardinalibus, ne procedant ad quemcumque tractatum alium eligendi in papam, & magnam narrationem ponit, tandem ferendo sententias latas, eo ipso, contra non parentes dictis litteris, excommunicationis, depositionis, degradationis, inhabitationis, &c. Et ulterius per easdem ratificat, approbat, & confirmat alias bullas & constitutiones per eum contra substrahentes vel appellantes a sede apostolica latas, editas, & emanatas, & multa alia continebant, de quibus, earum tenore audito, multi lætati sunt, quia per eas apparebat eum fuisse vocatum ad præsens concilium. Item, constabat de ipsius pertinatia, obstinatione & contumacia. Item, per eas apparebat quod frustra amplius expectaretur, &c. Immo plus secundum plurimorum judicium operabantur ad ejus convictionem, quam multorum testium probationes.

SESSIO XII.

Sabbati xxv. Maii vigilia Pentecostes domini fuit xii. sessio concilii. Primo missa de B. Virgine per episcopum Saonensem celebrata, dictisque & peractis aliis precibus & solemnitatibus assuetis, ad petitionem advocati fiscalis, &c. duo domini cardinales diaconi, una cum quibusdam aliis prælatis notariis & testibus iverunt ad valvas, ecclesiæ vocatum ipsos contendentes, quorum dominorum cardinalium relatione facta, scilicet quod nemo eorum per se vel per alium comparuit, reputati sunt contumaces, & per dominum patriarcham pronunciatum
» extitit ut sequitur: Sancta synodus, attenta eo-
» rum de quibus agitur notorietate, de qua per
» factorum evidentiam, depositiones testium,
» & alia documenta legitime constat, habita
» super his matura deliberatione, pronunciat,
» decernit, & declarat, crimina, delicta & ex-
» cessus, & alia ad decisionem necessaria in pro-
» secutione præsentis causæ deducta, contra
» Petrum de Luna & Angelum Corrario de pa-
» patu contendentes per promotores seu pro-
» curatores per hanc sanctam synodum depu-
» tatos fuisse & esse notoria, & tamquam su-
» per notoriis fuisse & esse ad ulteriora proce-
» dendum, & sicut in causa in qua imminet
» scandalum, & periculum notorium est in
» mora. Postmodum fuit petitum an placeret quod domini cardinales eligerent aliquas personas idoneas mittendas apud Senas & Lucam pro bona, justa & utili causa. Insuper quod placeret concilio quod domini commissarii ad examinandum testes alias deputati possent recipere quascumque probationes usque ad finem causæ. Ulterius quod ad diem Mercurii proximam assignaretur proxima Sessio ad deliberandum & determinandum de die ad quam citarentur duo contendentes ad audiendum jus & definitivam sententiam. Quæ omnia placuerunt.

SESSIO XIII.

Mercurii xxix. Maii fuit xiii. sessio concilii., in qua post missam & alias solemnitates & orationes solitas, magister Petrus *Plaoul* ascendit pulpitum ecclesiæ, & dixit quod habebat explicare opinionem matris suæ, universitatis scilicet Parisiensis, & assumsit thema *Congregabuntur filii Juda & Israel, & ponent sibi caput unum*, Osee c. 1. in fine. Et secundum Hebræos est principium secundi cap. quod deduxit multum notabiliter, ut patet per processum suum, in cujus fine dixit quod per hæc quæ dixerat, nolebat universitas Parisiensis sibi attribuere auctoritatem aliquam seu prerogativam singularem. Non enim sola est universitas regni Franciæ, immo & Angliæ & Alamanniæ & Italiæ & aliarum nationum, cum de omnibus mundi partibus ibidem conveniant studentes. Unde si quid boni faciat ipsa universitas aut dicat, sive fecerit aut dixerit, honor debet attribui non solum Gallicis, sed omnibus prædictis. Opinio autem universitatis fuit, quod isti duo contendentes de papatu sunt schismatici, pertinaces & veri hæretici., termino hæresis stricte & proprie sumto. Hujus etiam opinionis dixit esse universitates Aurelianensem & Andegavensem. Quo facto, unus episcopus & unus magister in theologia Anglicus & unus alius de studio Tholosano ascenderunt pulpitum. Et tunc dominus episcopus dixit omnes magistros in theologia, qui ad hoc sacrum concilium convenerant fuisse congregatos, & contulisse solemniter super hac materia. Qui omnes nemine discordante fuerunt opinionis prædictæ. numerus vero dictorum magistrorum quos nominavit erat centum & quinque, qui omnes erant magistri, exceptis sex vel octo, qui erant tantum licentiati & bachalarei formati. De numuero prædicto erant xxiii. magistri de universitate Parisiensi, alii de aliis studiis. Deinde subjunxit dictus episcopus, quod hujus opinionis erat universitas Bononiensis, & similiter universitas Florentiæ, ubi congregati fuerunt super hoc centum viginti sex doctores, qui concorditer hoc idem concluserunt. His dictis advocatus concilii petiit pro promotoribus instrumentum de præmissis opinionibus & relationibus. Et similiter dixit,

quod cum iſta ſeſſio fuiſſet ordinata, ad aſ- A
ſignandum diem ſuper diffinitione hujus cauſæ & negotii, ad quam diem aſſignandam forent etiam citandi duo contendentes, quod adtenta natura cauſæ & periculo dilationis, aſſignaretur terminus octo dierum, ſcilicet ad diem Mercurii proximum, qui erit dies quinta Junii, fieretque citatio, & apponeretur ad valvas eccleſiarum, & in aliis locis publicis civitatis Piſanæ, contra dictos contendentes, &c. Inſuper quia ſuper quibuſdam novis articulis fuerant aliqui teſtes producti, ſi placeret, publicarentur die ſabbati proxima, ſcilicet prima Junii. Quæ omnia placue- B
runt concilio.

Sessio XIV.

Die ſabbati prima menſis Junii in vigilia S. Trinitatis fuit XIV. ſeſſio, in qua poſt miſſam & alia conſueta per dominum archiepiſcopum Piſanum, aſſiſtentibus ſibi tribus epiſcopis, fuit ſummatum, & in brevi recitatus effectus ſingulorum articulorum contra duos contendentes productorum, & per quot teſtes ſinguli articuli probati ſunt veri, & etiam non ſolum per teſtes, ſed multi per bullas vel inſtrumenta, ſeu alia documenta. C

Sessio XV.

Mercurii quinta die Junii, ſcilicet in vigilia conſecrationis corporis Chriſti fuit XV. ſeſſio, in qua divinis officiis prius more ſolito celebratis, advocatus concilii aſcendens pulpitum eccleſiæ Piſanæ, nomine promotorum, & pro ipſis propoſuit qualiter ſtatutum & ordinatum fuerat in ultima præcedenti ſeſſione, quod hac die vocarentur & citarentur peremtorie ad valvas eccleſiæ duo contendentes improbe de papatu: & quod niſi compararent, aut alter eorum, accuſa- D
bat eorum contumaciam, ad quam convincendam mitterentur per concilium duo cardinales & alii prælati, ſicut alias in ſimilibus actum eſt, ad valvas ipſius cathedralis eccleſiæ convocatum duos contendentes. Quorum relatione facta, requirebat eos reputari contumaces, & in ipſorum contumaciam ſententiam diffinitivam ferri contra ipſos. Secundo propoſuit quod alia ſeſſio, ſi placeret concilio, aſſignaretur ad diem lunæ proximam ſuper aliquibus aliis. Tertio quod nullus recederet de concilio ſub pœna ex- E
communicationis & aliis pœnis juris abſque legitima ratione: quæ omnia placuerunt. Quo dicto, iverunt duo cardinales ad valvas eccleſiæ cum aliis prælatis ad proclamandum, &c. quorum relatione facta, patriarcha Alexandrinus & duo alii patriarchæ, ſcilicet Antiochenus & Jeroſolymitanus aſcenderunt pulpitum dictæ eccleſiæ. Qui quidem Alexandrinus de conſenſu concilii expreſſe protulit ſententiam in ſcriptis ſedendo, cujus tenor ſequetur inferius. Deinde proteſtatus eſt dictus advocatus, quod propter aſſignationem ſedium factam multis in hoc concilio exiſtentibus, non intendebat ſynodus alicui præjudicare, ſed ſingulis eccleſiis & perſonis ſuas libertates & prærogativas reſervare. Lecta vero ſententia, cantatum fuit *Te Deum laudamus*, & ipſo finito, verſiculus cum collecta, & pulſatæ fuerunt omnes campanæ primo in majori eccleſia, deinde in aliis eccleſiis dictæ civitatis, & conſequenter per ſuburbia, & alias villas & eccleſias ſucceſſive continuando. Ita quod infra tres vel quatuor horas poſt prolationem ſententiæ pulſatæ fuerunt campanæ in Florentia, quæ diſtat a Piſis XLIIII. milliaria. Et notandum quod ad hoc ut plures & major ac copioſior multitudo adeſſet in ipſa prolatione, clamatum fuit & præceptum cum tuba de juſſu poteſtatis Piſanæ, quatenus omnes & ſinguli de dicta civitate feſtivarent ſolemniter diem iſtam uſque ad meridiem, &c. quod factum fuit.

Sequitur tenor sententiæ.

Chriſti nomine invocato, ſancta & univerſalis ſynodus univerſalem eccleſiam repræſentans, & ad quam cognitio & deciſio hujus C
cauſæ noſcitur pertinere, Sancti Spiritus gratia in hac majori eccleſia congregata, ibique pro tribunali ſedens, viſis & diligenter inſpectis omnibus & ſingulis productis, probatis, & agitatis, in præſenti cauſa unionis eccleſiæ & fidei & ſchiſmatis contra Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corrario Gregorium XII. olim appellatos, quæ in præſenti proceſſu hujus cauſæ plenius continentur, ac quibuſcumque aliis ipſam ſanctam ſynodum ad infraſcriptam diffinitionem moventibus & inducentibus, habita prius inter ſeipſos & demum cum copioſa multitu- D
dine magiſtrorum in ſacra theologia atque utriuſque juris doctorum pluries & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omneſque pariter hanc in ſententiam reperiens unanimiter concordare, omni modo, via & jure quibus magis & melius poteſt, in prædictorum contendentium ſeu verius colludentium de papatu, & cujuſlibet eorum contumaciam in his ſcriptis pronuntiat, decernit, diffinit & declarat omnia & ſingula crimina, & exceſſus, & alia cuncta neceſſaria ad infraſcriptam deciſionem præ- E
ſentis cauſæ deducta per providos viros magiſtros Henricum de Monte Leone, Johannem de Scribanis, & Bartholdum *de Wildinghen* promotores, inſtigatores & ſollicitatores ſeu procuratores deputatos ad proſequendum præſentem cauſam pro hujus deteſtandi & inveterati ſchiſmatis exſtirpatione, ac unione & reintegratione ſanctæ matris eccleſiæ, contra & adverſus prælibatos Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corrario Gregorium XII. de papatu damnabiliter contendentes ab aliquibus nuncupatos,

tos, in petitione in ipſa ſacra & univerſali ſynodo præſentata & exhibita, fuiſſe & eſſe vera atque notoria, ipſoſque Angelum Corrario & Petrum de Luna de papatu, ut præfertur, contendentes & eorum utrumque fuiſſe & eſſe notorios ſchiſmaticos, & antiquati ſchiſmatis nutritores, defenſores, fautores, & approbatores, & manutentores, pertinaces, necnon notorios hæreticos, & a fide devios, notoriiſque criminibus enormibus perjurii & violatione voti irretitos, univerſalem eccleſiam ſanctam Dei notorie ſcandaliſantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia notoriis, evidentibus & manifeſtis, & ex his ac aliis ſe reddidiſſe omni honore & dignitate etiam papali indignos, ipſoſque & eorum utrumque propter præmiſſas iniquitates, crimina & exceſſus, ne regnent vel imperent aut præſint, a Deo & ſacris canonibus fore ipſo facto abjectos & privatos, ac etiam ab eccleſia præciſos; & nihilominus ipſos Petrum & Angelum & eorum utrumque per hanc definitivam ſententiam in his ſcriptis privat, abjicit, & præſcindit, inhibendo eiſdem, ne eorum aliquis pro ſummo pontifice gerere ſe præſumat, eccleſiamque vacare Romanam ad cautelam inſuper decernendo.

Et inſuper omnes & quoſcumque Chriſticolas, etiamſi imperiali, vel regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuſlibet eorum obedientia, non obſtante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quovis vinculo, quo illis vel illorum alteri tenerentur aſtricti, fore perpetuo abſolutos: inhibendo eiſdem Chriſti fidelibus, ne prædictis de papatu contendentibus, ſeu eorum alteri, quomodolibet obediant, pareant & intendant, aut conſilium, auxilium vel favorem ipſis præſtent, aut eos recipiant vel receptent, ſub pœnis excommunicationis & aliis a ſanctis patribus & ſacris canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis; quique ſi parere contemſerint, huic ordinationi & ſententiæ, ipſos & eorum fautores, defenſores, adhærentes & ſequaces, etiam per ſæculares poteſtates fore compeſcendos & compeſci debere juxta præcepta divina & ſacrorum canonum diſpoſitiones, eadem ſancta ſynodus pronuntiat & diffinit.

Ac inſuper omnes & ſingulos proceſſus & ſententias excommunicationis vel alterius cenſuræ & pœnæ, privationes quoque ordinum & dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualiacumque ſint, & quomodocumque nuncupentur ſeu nominentur, contra dominos cardinales per dictos Petrum de Luna & Angelum Corrario factos, latos & fulminatos, fuiſſe & eſſe nullos, caſſos & irritos; nullas, caſſas, & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ, vel momenti, & quatenus de facto proceſſerunt, eatenus annullandos, caſſandos & irritandos, & annullandas, caſſandas & irritandas, ſicque & etiam ad cautelam, quatenus expediat omni modo & jure, quibus melius poteſt, annullat, caſſat & irritat.

Et inſuper omnes promotiones, immo verius profanationes quorumcumque ad cardinalatum per dictos contendentes de papatu, vel eorum utrumque attentatos, per dictum Angelum a die tertia Maii, & Petrum antedictum a die xv. Junii anni proxime præteriti MCCCCVIII. fuiſſe & eſſe nullas, caſſas, irritas & inanes, & quatenus de facto proceſſerunt, de facto annullandas, caſſandas & irritandas, & ſic & etiam ad cautelam quatenus expediat omni modo & jure quibus melius poteſt, præfata ſancta ſynodus per hanc definitivam ſententiam caſſat, irritat & annullat.

Ad providendum adverſus proceſſus, conſtitutiones & ſententias in præjudicium unionis, & alias per Petrum de Luna & Angelum Corrario olim contendentes de papatu, ſeu colludentes præfatos, factas & latas contra dominos reges & principes, patriarchas quoque, archiepiſcopos & epiſcopos, ac alios eccleſiarum prælatos, univerſitates ſtudiorum, & communitates, ac ſingulares perſonas eccleſiaſticas & ſæculares, & circa promotiones per ipſos olim contendentes factas ad dignitates quaſcumque, & ulterius ad procedendum ſuper aliis bonum univerſalis eccleſiæ tangentibus ſancta ſynodus ſtatuit diem Lunæ proximam pro ſeſſione futura, quæ erit decima menſis præſentis.

SESSIO XVI.

Lunæ x. menſis Junii fuit xvi. ſeſſio, & ante eamdem locutum fuit cum dominis cardinalibus ſuper materia dictæ ſchedulæ, de qua in die præcedenti: unde de illa nulla facta fuit mentio in hac ſeſſione, ſed ſtatim miſſa & aliis divinis officiis celebratis more ſolito, advocatus concilii aſcendit pulpitum, & propoſuit quod cum ſententia diffinitiva fuiſſet lata contra duos olim contendentes de papatu, quia parum eſſet ipſius ſententiæ prolatio, niſi demandaretur executioni, ideo petiit, quod ſi placeret concilio, domini cardinales deputarent aliquos ad compilandum proceſſus, & ſententiam deferrent, & exſequerentur per univerſum orbem. Item, quod Errorius accedebat ad patriarchatum Aquilegienſem, & ibi intendebat tenere ſedem ſuæ peſtilentiæ, propter quod dominus patriarcha dicti loci, qui ſemper catholice & ſincere obediverat eccleſiæ, & in facto unionis multum laboraverat, optabat litteras deſtinari ex parte concilii ad dominos & communitates ipſius patriarchatus, ad ipſum Errorium impediendum. Quare petebat, quod ſi placeret concilio, domini cardinales litteras ibidem juxta intentionem & materiam opportunas mitterent. Et iſta ut petita ſunt

placuerunt concilio, & conceſſa ſunt.

Item, quia dominus cardinalis de Chalanco receſſerat, & diu poſt convocationem concilii moratus fuerat cum Petro de Luna olim vocatum Benedictum XIII. propter quod vocatus fuerat, & ſuſpectum ſe reddiderat de fautoria ipſius Petri ſchiſmatici & hæretici, maxime quia vocatus fuerat ad concilium, & in ipſo concilio fuerat ipſius cardinalis accuſata contumacia, ut patet in quarta ſeſſione: ideo ad purgandum præmiſſa, dominus cardinalis Albanenſis excuſavit coram concilio dictum dominum cardinalem de Chalanco, dicens in effectu, quod dominus cardinalis de Chalanco cum dicto Petro de Luna remanſerat, non ut ſibi in ſua malitia faveret, ſed potius ut laboraret ad eum inducendum ad unionem eccleſiæ effectualiter proſequendam, & quia reducere non potuit, receſſit ab eodem Petro de Luna, &c. Cujus excuſatio præſente dicto cardinali de Chalanco ſaltem tacite admiſſa fuit per concilium, & adjunctus fuit, & receptus in ſuo loco cum aliis cardinalibus.

Dicta die in veſperis fuerunt multi prælati & alii de natione Franciæ congregati in domo Carmelitarum ſuper modo futuræ electionis, & ibi venerunt nuncii univerſitatis Pariſienſis, nitentes omnino inducere illam congregationem ad conſentiendum quod penitus ſtaretur ordinationi cardinalium ſuper futura electione, hoc addito, quod ſi & umquam opus eſſet, hoc fieret auctoritate concilii. Dicebant etiam quod niſi ſic fieret, periculum diviſionis & impedimenti totius negotii poſſemus incurrere, maxime quia aliæ nationes jam dicebant quod Gallici modis omnibus quærebant & procurabant habere papam Gallicum. Verum eſt tamen quod dicebatur communiter inter Gallicos, alias nationes ad hæc dicenda fuiſſe inductas per aliquos Gallicos, ut ſic indirecte ſequerentur cedulam patriarchæ alias factam ſuper hujuſmodi materiam electionis. His tamen non obſtantibus, major pars & quaſi omnes de dicta congregatione fuerunt opinionis, quod dictæ cedulæ non ſtaretur; ſed in craſtino ſingulæ provinciæ ſuper hoc deliberarent, ac referrent poſt prandium ſuas deliberationes. Deliberatum fuit etiam quod deputarentur aliqui, qui adirent alias nationes extraneas ad pacificandum eas, & proponendum motiva Gallicorum petentium electionem fieri auctoritate concilii, & ad minus per duas partes utriuſque collegii, vel per compromiſſum, alias electio non videbatur eſſe de jure pacificativa conſcientiarum, &c. ad certificandum eos quod non quærimus papam Gallicum, ſed pacem & unionem & ſerenationem univerſalis eccleſiæ & conſcientiarum fidelium, & ſecuritatem electionis, ſic quod nihil poſſet contra eam impingi, vel alio modo impugnari, ſeu etiam calumniari, &c.

SESSIO XVII.

Jovis XIII. dicti menſis celebrata fuit XVII. ſeſſio concilii, in qua poſt miſſam & alia divina officia, advocatus concilii aſcendit pulpitum eccleſiæ modo ſolito, & tunc propoſuit, quod cum juxta conſtitutionem *Ubi majus periculum*, poteſtas ſive dominus temporalis, in cujus diſtrictu electio ſummi pontificis eſt facienda, teneatur præſtare juramentum, prout in dicta conſtitutione cavetur: idcirco capitaneus & poteſtas civitatis Piſanæ, quod nobili communi Florentinorum, in cujus dominio eſt ipſa civitas Piſana, illuc præſentialiter advenerant, præfatum juramentum præſtituri. Item, dixit dictus advocatus, quod ibidem erant legendæ quædam cedulæ per patriarcham Alexandrinum. Tertio, cum inſtante electione ſummi pontificis fundendæ ſunt preces ad Dominum, &c. ſi placeret concilio, in craſtino fieret generalis proceſſio & ſolemnis de eccleſia ſancti Martini ad majorem eccleſiam, in qua intereſſent omnes cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi & alii prælati reveſtiti & induti cum mitris & pluvialibus ſuis, & ſimiliter omnes alii, ſi habere poſſent. Et hoc ultimum bene placuit concilio. His dictis, receptum fuit juramentum prædictorum capitanei & poteſtatis. Poſtmodum tres patriarchæ ſuperius nominati, ſcilicet Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus aſcenderunt pulpitum, quorum primus legit ſuam cedulam, formam quæ ſequitur continentem.

» Quia hujus peſtiferi ſchiſmatis tempore, » domini cardinales in hoc ſacro concilio exiſ- « tentes, quidam fuerunt a diverſis olim con- « tendentibus de papatu creati, & nunc, Deo « dirigente, procedendum eſt ad electionem « unici & indubitati papæ; hoc ſacrum concilium univerſalem eccleſiam repræſentans, « vult, conſentit, diſponit & ordinat, quod ipſi « ſic a diverſis creati, ad electionem prædictam « procedant, ſi & umquam opus eſt, hac vice « auctoritate concilii, nec per hoc poteſtati do- « minorum cardinalium circa electionem Ro- « mani pontificis intendit in aliquo derogare, « vel aliquod innovare. Hortatur tamen præ- « dictos cardinales, quod ipſi cum caritate ad « electionem unius paſtoris procedant ſic una- « nimiter, quod de quacumque diſcordiæ ſcin- « tilla notari non debeant. «

Et iſta eſt cedula, quam ipſe patriarcha fecerat, cui multipliciter alias fuerat contradictum, & ſic tranſivit contra deliberationem omnium provinciarum regni Franciæ, etiam non ſcrutatis votis in concilio, ſecundum quod erat in aliis conſuetum fieri. Verum eſt tamen, quod aliqui dicebant dominos cardinales, præſentibus quibuſdam prælatis, dum miſſa celebraretur, in iſta ſeſſione exiſtentes, retro altare juraſſe ſe electuros unum indubitatum papam, in quem omnes con-

ſentirent, aut ſaltem duæ partes utriuſque collegii. Nihilominus tamen hoc non placuit pluribus in concilio exiſtentibus, ſed fuerunt plures ſcandalizati. Item, poſtea legit idem patriarcha unam aliam cedulam ſuper annullatione proceſſuum & ſententiarum, &c. per olim contendentes factorum, latorum & in præjudicium unionis eccleſiæ, & ipſam proſequentium. Item, legit unam aliam cedulam ſuper annullatione bullarum per dictos olim contendentes conceſſarum, quæ non eſſent ſufficienter exhibitæ, &c. quarum cedularum tenor primæ ſequitur.

» Omnes & ſingulos proceſſus, ſententias ex-
» communicationis, ſuſpenſionis, interdicti, &
» maledictionis, ſeu alterius cujuſcumque cen-
» ſuræ, ſeu pœnæ, conſtitutiones papales, in-
» habilitationes, privationes ordinum, digni-
» tatum, beneficiorum, officiorum, ac gra-
» duum quorumcumque tam eccleſiaſticorum
» quam ſæcularium, contra proſequentes unio-
» nem ſanctæ matris eccleſiæ, videlicet tam
» contra principes, patriarchas, archiepiſcopos,
» epiſcopos, & alios viros eccleſiaſticos, cujuſ-
» cumque ordinis vel ſtatus exiſtant, quam con-
» tra ſæculares perſonas cujuſcumque conditio-
» nis, etiamſi imperiali, regali, vel alia præ-
» eminenti poteſtate, nec non relaxationes &
» abſolutiones juramentorum fidelitatis, con-
» fœderationum & homagiorum, ac etiam
» contra civitates, univerſitates ſtudiorum, col-
» legia eccleſiaſtica vel ſæcularia, communita-
» tes villarum, caſtrorum, terrarum, ſeu diſ-
» trictuum, atque ſingulares perſonas per Pe-
» trum de Luna quandocumque, & per Ange-
» lum Corrario a die tertio Maii anni Domini
» MCCCCVIII. de papatu olim damnabiliter con-
» tendentes, immo verius colludentes, factos
» ſeu factas vel latas, vel de ipſorum ſeu alte-
» rius eorum mandato, hæc ſancta ſynodus de-
» cernit ac declarat nullos ſeu nullas fuiſſe &
» eſſe, & quatenus de facto proceſſerunt caſſat
» & annullat, vultque eſſe nullius roboris vel
» momenti, & pro infectis haberi.

Sequitur tenor ſecundæ bullæ.

» Item, ſi aliquæ bullæ ſeu litteræ ſub eorum
» aut alterius eorum titulis ſeu nominibus expe-
» ditæ repetiantur ſeu exhibeantur a dictis die-
» bus, videlicet per Petrum de Luna a quocum-
» que tempore, & per Angelum Corrario a die
» tertio Maii, vel ante contra proſequentes u-
» nionem ſupradictam, ſi illæ non ſunt ante
» dictos dies præſentatæ vel exhibitæ ſub teſti-
» monio ſufficienti, capitulis vel eccleſiis, ſeu
» prælatis vel aliis, quibuſcumque diriguntur
» ſeu ſcribuntur, conſimili modo ſint nullæ &
» nullius roboris vel momenti, & pro infectis
» habeantur.

His peractis, ambaſſiatores regis Aragonum petierunt audientiam, quæ fuit eis conceſſa. Et tunc cancellarius dicti regis, licet incœpiſſet loqui, de ſua ſede ejectus, tum ad inſtigationem & clamorem multorum de concilio aſcendit pulpitum eccleſiæ, & tunc cœpit proponere, quod die præcedente petierat a dictis dominis cardinalibus audientiam publicam, ad hoc quod omnibus ibidem præſentibus, & etiam toti mundo, ſi fieri poſſet, nota fieret intentio ſereniſſimi domini ſui regis Aragonum. Et quia domini cardinales reſponderant, quod hodie ſuper hoc deliberarant cum concilio, petiit dictam audientiam ſibi dari, ſi concilio placeret. Quibus dictis, reſponſum eſt in multitudine, *Placet*. Denique cum ad ulteriora procederet, petitum fuit eorum mandatum: qui reſponderunt illud ſecum non habere, ſed eſſe in eorum hoſpitio. unde pro mittendo illud quæſitum, exierunt eccleſiam, ne tum propter moram nimiam generarent faſtidium expectantibus. Dictus cancellarius petiit audiri, & interim afferretur mandatum prædictum, quod ſtatim ipſo habito exhiberent. Et tunc cum difficultate conceſſa fuit ei audientia. Et ſic iterum aſcendit pulpitum, ubi alta & intelligibili voce propoſuit eorum ambaſſiatam. Primo, præmittendo excuſationem, eo quod harenga nulla uteretur; tum propter tempus, quod non bene patiebatur, quia jam tarde erat; tum quia noviter venerant & vexati erant, &c. Tum etiam quia in materia de qua loqui habebant, non verbis hominum, ſed potius Dei & veritatis utendum erat. Item, ſubjunxit quod non reciperetur pro moleſto, ſi aliquibus forſitan uteretur modis aut verbis non convenientibus his, quæ agitata fuerant per reverendiſſimas paternitates dominorum ibidem exiſtentium; quoniam attenta obedientia, quam dominus rex Aragonum & multi alii principes exhibuerant domino Benedicto papæ, nec adhuc erat informatus de his quæ acta erant, oportebat quod uterentur verbis conformibus intentioni dicti regis, quouſque alias eſſent ipſi ambaſſiatores informati. His igitur præmiſſis, expoſuit primo, quod rex Aragonum Chriſtianiſſimus fuerat ſemper & eſt multum affectatus ad bonum unionis eccleſiæ univerſalis, & quod pluries laboraverat & laborare paratus eſt ad eam, tamquam verus Catholicus & fidelis eccleſiæ filius. Obtulitque pro parte dicti regis, ipſum facturum quidquid poſſet ad bonum dictæ unionis, & taliter, quod omnes deberent quietari. Dixit etiam, quod ſi reperiretur modus per quem iſti contendentes deſiſterent, &c. videbatur & credebat hoc eſſe utile & bonum pro ipſa unione, & pacificativum totius chriſtianitatis. Secundo, petiit, requiſivit & obſecravit, quod de agitatis in præſenti congregatione per reverendiſſimas paternitates dominorum prælatorum ibidem exiſtentium, inſtrueretur, ut dictum regem poſſet debite & ad plenum informare. Tertio requiſivit, quod cum ambaſſiatores domini Benedicti veniſſent Piſas in honeſta & nobili

comitiva, qui exponere volebant aliqua, quæ poſſent eccleſiæ univerſali proficere, vellent ipſi domini prælati audientiam publicam eiſdem concedere. Finaliter proteſtatus eſt, attento quod non erat informatus de his, quæ geſta fuerant per ipſos reverendos patres, quod per ſui præſentiam non intendebat eiſdem conſentire, nec aliquo modo approbare. Finito propoſito dicti cancellarii regis Aragonum, habitaque incontinenti deliberatione ſuper reſponſione eiſdem ambaſſiatoribus facienda per advocatum fiſcalem, de mandato dominorum cardinalium & conſenſu concilii facta fuit reſponſio talis in effectu, videlicet quod primo concilium ſacrum regratiabatur domino regi Aragonum de bono affectu & intentione, &c. Secundo ad primum petitum, ſcilicet quod informarentur de actitatis & geſtis, &c. Et reſpondit, quod libenter ex parte concilii deputarentur & darentur aliqui ſolemnes viri, qui de præmiſſis eos ad plenum informarent. Tertio ad ſecundum petitum, ſcilicet quod audientia eſſet danda illis nunciis Petri de Luna, reſpondit quod cum jam tarda eſſet hora, tunc audiri non poterant, ſed darentur commiſſarii, qui viderent eorum mandatum, quo viſo, darent eis audientiam, ſi danda eſſet, aut alias facerent quidquid faciendum eſſet. Quibus dictis, petiit dictus advocatus an placeret concilio, quod domini cardinales eligerent & deputarent aliquos ad præmiſſa faciendum. Cui reſponſum eſt in turba, *Placet*. Et ſic finita fuit dicta ſeſſio.

Sessio XVIII.

Die ſabbati xv. Junii fuit miſſa ſolemnis in majori eccleſia celebrata per dominum archiepiſcopum Lugdunenſem, & ibi prædicavit eleganter epiſcopus Novarienſis, miſſus ad concilium per * Faſtinum canis, cujus thema fuit: *Eligite meliorem, & eum ponite ſuper ſolium.* Iſta die venit dominus cardinalis Barrenſis. Eadem die in ſero intraverunt domini cardinales conclave, quod erat in domo archiepiſcopali Piſana, & erant numero XXIII. cardinales, ſcilicet X. de obedientia Benedicti, & XIII. de obedientia Gregorii. De obedientia olim Benedicti ſunt cardinales Pictavenſis, Albanenſis, Vivarienſis, Anicienſis epiſcopi; de Thureyo, de Hiſpania preſbyteri; de Saluciis, S. Angeli ſenior, de Chalanco & de Barro diaconi cardinales. De obedientia vero Gregorii olim ſunt Aquilegienſis, Neapolitanus, Burdigalenſis, Laudenſis, Melitenſis, de Urſinis, Mediolanenſis, de Brancaciis, Barrenſis, de Columna, Ravennas, Bononienſis, & ſancti Angeli junior.

* Sic legit codex mſ.

Mercurii XXVI. die Junii anno Domini MCCCCIX. circa horam nonam in mane, dominus Petrus de Candia Mediolanenſis nuncupatus, de ordine fratrum Minorum, natione Græcus, magiſter in ſacra theologia Pariſienſi, electus fuit in ſummum pontificem, & ejus publicatio publicata in domo archiepiſcopali Piſana concorditer, nemine reclamante, qui vocatus eſt Alexander V. Quæ quidem electio nunciata fuit in civitate Lucana dicta die circa horam meridiei, per quemdam ſervientem armorum papæ.

Sessio XIX.

Lunæ prima die menſis Julii fuit XIX. ſeſſio concilii generalis, præſidente papa, & ibi fuit in ſervitio divino longe major ſolemnitas, quam in ſeſſionibus præcedentibus. Dominus cardinalis de Thureyo celebravit miſſam, & in fine papa fecit benedictionem. Poſtmodum cantata fuit letania, & alia conſueta, & in letania in illo verſu, *Ut hanc ſanctam ſynodum*, &c. præmiſſum eſt, *Ut domnum apoſtolicum, & ſanctam ſynodum, & omnes eccleſiaſticos ordines*, &c. Poſt letaniam papa dixit orationes conſuetas, & incepit *Veni creator Spiritus*, &c. & omnia alia fecit, quæ in aliis præcedentibus ſeſſionibus faciebant epiſcopi cardinales. Similiter illud *Orate*, quod conſueverat proferri per quemdam ſimplicem capellanum vel diaconum, ac etiam illud *Erigite vos* protulit unus diaconus cardinalis. Et notandum quod domino papæ aſſiſtebant & miniſtrabant omnes diaconi cardinales induti dalmaticis albis & mitris, una cum quibuſdam aliis prælatis & officiariis. Poſt expeditionem vero divinorum, dominus cardinalis de Chalanco aſcendit pulpitum eccleſiæ, aſſiſtentibus ſibi tribus epiſcopis, legit & publicavit decretum electionis domini noſtri papæ, per quod approbat eumdem papam concorditer, nemine reclamante, per omnes cardinales fuiſſe electum. Et deinde ſingulorum cardinalium ſubſcriptiones propriis manibus factas legit, per quas dictam electionem approbabant domini cardinales, & eumdem pro vero papa tenebant, ac tenere intendebant.

Hoc facto, papa fecit unam notabilem collationem, cujus thema fuit: *Fiat unum ovile & unus paſtor*. Et deduxit ponendo tria quæ requiruntur in paſtore reſpectu ſubditorum, ſcilicet prudentia, juſtitia, & clementia; & tria requiruntur in ſubditis erga prælatum, ſcilicet fidelitas obedientia, & obſequium. Item, tria quæ communiter requiruntur in paſtore & ſubditis ad Deum, ſcilicet fides, ſpes & caritas. Finita collatione papæ, cardinalis Bononienſis aſſiſtentibus ſibi duobus vel tribus epiſcopis, una cum advocato concilii, exiſtens in pulpito eccleſiæ, legit unam cedulam approbativam omnium proceſſuum & aliorum quæ acta & geſta fuerant per cardinales a die tertia Maii anni Domini M CCCC VIII. uſque ad primam diem hujus concilii, necnon omnia facta in concilio uſque in præſens, ſupplendo inſuper ad cautelam omnem

defectum, ſi quis forſan interveniſſet in præmiſſis. Et hoc generaliter nulla expreſſione facta in ſpecie; qua lecta, fuit per advocatum petitum, an placeret. Ad quod per paucos fuit reſponſum, placet, nulla tamen declaratione præmiſſa. Item, lecta fuit per dictum cardinalem Bononienſem una cedula, per quam in effectu papa cum concilio univerſali removendum fore decernebat omne impedimentum appoſitum in beneficiis domini cardinalis de Chalanco, & ipſum impedimentum amovebat. Et petito an placeret, fuit ab aliquibus paucis reſponſum, placet, quibuſdam aliis aperte contradicentibus, aliis tacentibus, & nonnullis murmurantibus. Deinde legit dominus cardinalis aliam cedulam plures articulos continentem, primo quod papa de ambobus collegiis dominorum cardinalium facit unum collegium. Alius articulus quod papa intendit laborare circa reformationem eccleſiæ, tam in capite quam in membris, ſicut juraverat cum aliis dominis cardinalibus, de quorum numero tunc erat, & volebat quod nationes eligerent certos deputatos, viros moribus, ætate & ſcientia providos, provectos & approbatos, qui de hoc cum ipſo domino papa & cardinalibus tractarent. Tertio quod ipſe dominus papa ante receſſum dominorum cardinalium, qui venerant ad concilium, intendebat eos ſingulariter conſolari, ſic quod ſinguli cum lætitia poſſent ad propria reverti. Item, quod ſinguli in ſuis terris & locis informarent reges, & principes, & populum de juſtitia proceſſus facti contra olim contendentes, & de eorum canonica ejectione, necnon & de legitima & concordi electione papæ. Item, quod papa intendebat mittere ſuos nuntios ad univerſas mundi partes, qui, ſi placeret concilio, mitterentur non ſolum ex parte ſui, ſed etiam concilii. Et hoc placuit concilio.

Dominica VII. die Julii dominus papa celebravit miſſam in eccleſia Piſana, in qua interfuerunt cardinales prælati & alii multi de concilio induti, ſcilicet prælati modo ſuo ſolito, id eſt pluvialibus & mitris albis. Miſſa finita, venit papa una cum cardinalibus & prælatis multis ante eccleſiam in alto ſcalſaudo, ubi coronatus fuit per decanum diaconorum, ſcilicet dominum cardinalem de Saluciis: deinde omnes abbates mitrati ibidem exiſtentes, epiſcopi, archiepiſcopi, patriarchæ aſcenderunt equos ſuos indutos albo, cardinales ſimiliter & papa; & procedentes iverunt proceſſionaliter equeſtres per villam, ita quod abbates præcedebant, epiſcopi & ceteri ſequebantur. Poſt patriarchas veniebant cardinales iſto modo; ſcilicet quod cardinales epiſcopi præcedebant, preſbyteri cardinales ſequebantur, & poſtea veniebant diaconi cardinales, poſtremo ſequebatur eos papa indutus pontificalibus & thyara cum tribus coronis coronatus procedendo. Diſceſſit cardinalis de Saluciis a dicta proceſſione, & una cum capitaneo Piſano ivit ad certum locum, ubi erant aliqui Judæi, qui ſuam legem, ſcilicet Moſaycam, præſentaverunt ſibi in quodam rotulo, quem recepit, & reverſus præſentavit eam papæ; qui recepit de manibus dicti cardinalis, & eam poſt tergum ſuum projecit dicens: *Legem recipio, ſed ceremonialia reſpuo* vel ſimilia verba. Papa autem ad domum ſuam reverſo, deſcendit equum, quem una cum ſuis ornamentis habuit capitaneus prædictus, quamvis plures ſtipendiarii vellent & niterentur illum occupare, tamquam expoſitum & conceſſum occupanti.

Sessio XX.

Mercurii X. die Julii fuit XX. ſeſſio concilii generalis, ubi miſſa de S. Spiritu per archiepiſcopum Januenſem primo celebrata, & aliis divinis officiis more ſolito perfectis, quidam doctor Florentinus aſcendit pulpitum eccleſiæ, & fecit arengam domino noſtro papæ & concilio ex parte priorum artium & vexilliferi juſtitiæ communitatis Florentiæ, & primo papam laudavit, & ſecundo congratulationem expoſuit de electione unici veri & indubitati paſtoris, & tertio magnificum commune Florentinum obtulit ad beneplacita papæ, cardinalium & omnium prælatorum & quorumcumque aliorum, qui ad concilium generale convenerunt, exponendo quidquid habent. Scilicet Florentini pro tuitione dictorum advenientium, & non ſolum eorum bona, ſed pro eis offerendo ſe etiam uſque ad mortem. Hoc facto, quidam alius doctor ad generale concilium noviter miſſus per Senenſes, aſcendit dictum pulpitum, & propoſuit quod cum ipſe fuiſſet miſſus ad dominum noſtrum papam per Senenſes, & eidem expoſuiſſet ſuam legationem, de mandato ipſius domini papæ habebat proponere coram concilio, & recepit duo themata, primum fuit, *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam*, quod deduxit ad laudem papæ, & expoſuit adhærentiam Senenſium, qui quodammodo ſequendo illum Errorium, & in tenebris ambulantes, audita electione domini noſtri papæ poſt ejectionem contendentium, obedientiam, quam eidem Errorio exhibuerant, ſibi ſubſtraxerunt, & ipſi domino noſtro, cujus veri tituli lucem viderunt, offerunt, ac eidem tamquam veri eccleſiæ filii exhibent, & ſemper exhibebunt & exhibere intendunt. Secundum thema fuit *Vos eſtis genus electum, gens ſancta, regale ſacerdotium*, &c. quod applicuit ad laudem concilii multum eleganter & facunde; & tandem dixit quod gratulando domino papæ, inimici ſui ruunt & quotidie exterminantur. Nam ex eis multi de novo ſuccubuerunt. Et ut dixit, ipſo volente cathedram

ascendere, recepit litteras a Senensibus, quod usque ad Urbem quasi præparatum est iter securum, & aditus securus & pacificus. Obtulitque finaliter dictos Senenses, scilicet priores artium & capitaneum ac vexilliferum justitiæ Senensis, totumque commune ejusdem ad servitia, &c. domini papæ. His peractis, dominus cardinalis de Chalanco dictum pulpitum ascendit, & legit unam cedulam in effectu revocatoriam & annullativam omnium processuum, sententiarum, censurarum, &c. factorum & latorum, sive factarum & latarum per duos nuper contendentes de papatu, & etiam suorum prædecessorum a tempore introducti schismatis in alterutram partium, &c. Item, legit unum alium articulum, approbantem omnes dispensationes super matrimoniis per prædictos in suis obedientiis factas. Quarum cedularum tenores sequuntur in hæc verba.

» In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, » Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Nos » ALEXANDER divina providentia papa V. con» siderantes quod tam per Petrum de Luna » BENEDICTUM XIII. & Angelum Corrario » GREGORIUM XII. a nonnullis nominatos, nu» per de papatu contendentes, quam per do» minos quondam Bartholomeum archiepis» copum Barrensem URBANUM VI. Petrum To» macellum BONIFACIUM IX. Cosmatum IN» NOCENTIUM VII. & Robertum de Gebennis » CLEMENTEM VII. nominatos, dictorum nu» per contendentium prædecessores, durante » præsenti schismate, & occasione ejusdem, » nonnulli processus, sententias excommunica» tionis, privationis, irregularitatis, inhabili» tationis, suspensionis & interdicti, ac alias » censuras ecclesiasticas in se continentes in & » contra diversas personas, regna, jurisdictio» nes, communitates, collegia, loca & distri» ctus, & territoria fuerint & sint hinc inde » facti & promulgati, ac propter antiquitatem » dicti schismatis; & etiam quia multi nota» biles doctores utriusque juris & magistri in sa» cra pagina scripserunt pro & contra, ac pu» blice & solemniter determinaverunt, quod in » dubium vertatur a multis, quis a tempore di» cti schismatis fuerit verus Romanus ponti» fex, seu quis veri vicarii JESU CHRISTI fun» geretur officio, ad exonerationem conscien» tiarum utriusque obedientiæ, quæ jam per » Dei gratiam ad unum ovile ovium redactæ » sunt, omnes & singulos hujusmodi proces» sus & sententias, qui vel quæ occasione & » prætextu schismatis & adhærentiæ utriusque » partis seu viæ neutralitatis assumtæ vel intro» ductæ hinc inde, ut præmittitur, lati, de» creti, vel fulminati fuerunt, quos omnes & » singulos hic pro expressis habere volumus, » hoc sacro approbante concilio, ex nostra & » certa scientia tollimus & abolemus, ac pro » sublatis & abolitis in perpetuum haberi vo» lumus, neminem præfatis sententiis aut pro- cessibus esse ligatum, vel involutum declarantes. Et nihilominus ex abundanti, & ad cautelam, ac si & quatenus indigeant, quoscumque sub dictis processibus comprehensos, & a dictis sententiis & censuris absolvimus, pro absolutis haberi decernimus & declaramus, etiam super irregularitatibus, si quas per præmissa, vel occasione præmissorum contraxerunt, dispensantes.

Sequitur alia cedula.

Item, omnes & singulas dispensationes factas per contendentes, vel eorum alterum, seu eorum prædecessores super matrimoniis ac pluralitatibus beneficiorum, quæ sunt fortitæ effectum, & aliis casibus, qui forum conscientiæ respiciunt, eorum durante obedientia, ex certa nostra scientia ratificamus & approbamus.

Postmodum assignata fuit prima futura sessio ad diem Lunæ proximam, quæ erat xv. dicti mensis Julii, petito prius super dictis cedulis a concilio, an placeret, prout erant prolatæ. Ad quod responderunt, placet.

Die Lunæ xv. Julii non sedit concilium propter infirmitatem papæ, & forte verius propter hoc quod nondum erat plene deliberatum super reformationibus, &c. & continuata fuit Sessio ad diem Sabbati xx. diem dicti mensis de mandato domini nostri papæ.

Sabbato xx. die Julii non fuit Sessio alias ad hanc diem assignata, sed prorogata fuit de mandato domini nostri papæ ad diem Mercurii proximam, eo quod nondum erat plene deliberatum super reformationibus ecclesiæ, maxime super articulo tangente collationes beneficiorum, & electiones, ac hujusmodi. Nisi enim esset iste articulus, nulla aut saltem modica reperiretur turbatio, &c. Sed fuit continuata ad diem Mercurii sequentem, qui fuit XXIV. Julii, &c. nihil fuit actum sed fuit per dominum nostrum continuata sessio ad diem Sabbati sequentem XXVII. Julii.

SESSIO XXI.

Sabbato XXVII. Julii fuit XXI. sessio, in qua fuit præsens rex LUDOVICUS, qui, dum missa per dominum P. episcopum Cracoviensem celebraretur, sedit cum dominis cardinalibus, scilicet post primum eorum; sed post missam inde recessit, & fuit collocatus prope cathedram papæ: dictis ante servitiis & orationibus solitis, dominus cardinalis de Chalanco ascendit pulpitum ecclesiæ, & ibi legit plures articulos, de quibus pro meritis fuerat per prius tractatum & concordatum, cui cardinali assistebant episcopi Pisanus & episcopi Placentinus. Sequuntur articuli prædicti.

Sanctissimus dominus noster Alexander papa V. sacro approbante concilio, omnes & singulas promotiones, translationes, confirmationes, collationes & quascumque provisiones, quibusvis personis huic sacro concilio & ejus determinationi adhærentibus,

» de quibuſcumque prælaturis, dignitatibus, » beneficiis eccleſiaſticis, curatis vel non curatis, conſecrationes epiſcoporum & ordinationes clericorum per ipſos contendentes de » papatu & aut eorum alterum, ſeu eorum » prædeceſſores aut eorum mandato vel auctoritate, temporibus & locis, in quibus eiſdem » realiter & libere præſtabatur obedientia, dum » tamen ante ſententiam definitivam & alias » canonicæ factæ ſint, & publice & pacifice » tempore ſententiæ poſſederint, ex certa noſtra ſententia & motu proprio ratificamus & » approbamus, & ratas haberi volumus atque » firmas, & etiam ſi oporteat de novo provideamus. Ubi autem aliquis caſus emergeret, » per quem appareret aliquem huic concilio » adhærentem gravatum per alterum ex contendentibus a die III. Maii, quoad Angelum Corrario, & a die XV. Julii quoad Petrum » de Luna, placet concilio quod dominus noſter provideat, ut ſibi juſtum videbitur. Item, » placet quod dominus noſter provideat in facto archiepiſcopi Januenſis, quoad vicarium » per Petrum de Luna in ejus beneficio.

» Item, electiones, poſtulationes, earum » admiſſiones, confirmationes, mutationes, » conſecrationes clericorum, ordinationes, præ» ſentationes, inſtitutiones, collationes, & pri» vationes, quaſvis proviſiones ac diſpenſatio» nes quibuſvis perſonis huic ſacro concilio » & ejus determinationi adhærentibus, de qui» buſcumque beneficiis eccleſiaſticis & præla» turis per electores, confirmatores, patronos, » ordinarios, & quoſcumque proviſores ad hoc » poteſtatem & auctoritatem habentes, cano» nice factas temporibus & locis ſubtractionis » & neutralitatis, in quibus hujuſmodi conten» dentibus obedientia non præſtabatur, dum» modo alias canonice factæ ſint, hoc ſacro » approbante concilio, ratificamus & appro» bamus, ac ratas manere volumus atque fir» mas, ac omnem ſuſcipere roboris firmitatem, » reſervationibus non obſtantibus quibuſcum» que, declarationibus tamen & decretis hoc » capitulum concernentibus in aliis ſeſſionibus » lectis in ſuo robore permanentibus.

» Item, ut unione & pace in Dei eccleſia per » ipſius gratiam in capite confirmata, pax & « tranquillitas ſubditorum perfectius, & litium » anfractus, quarum dubii ſunt eventus, con» ſultius evitentur, hoc ſacro approbante con» cilio, decernimus & declaramus, quod om» nes ſingula beneficia eccleſiaſtica, dignita» tes, perſonatus, vel officia curata, vel non » curata titulo ordinario aſſecuti, & poſſeſſio» nem pacificam jam adepti, dum tamen ca» nonice & alias quam per prævaricationem » adhærentium huic ſacro concilio & ejus de» terminationi aſſecuti fuerint, beneficiis hu» juſmodi libere & pacifice gaudeant, nec in » jure, titulo, ſeu poſſeſſione ſuis hujuſmodi » quomodolibet inquietentur & turbentur, ſeu » graventur, etiam ſi ſpecialiter vel generaliter beneficia prædicta ſedi apoſtolicæ fuerint reſervata. «

Per præmiſſa vero ſeu aliqua præmiſſorum « non intendimus derogare ordinationibus circa præmiſſos articulos factis in ultima con- « gregatione prælatorum, & aliorum eccleſiaſticorum virorum Pariſius, nec etiam ex præ- « miſſis vel aliquo præmiſſorum volumus ali- « quod præjudicium generari venerabilibus fra- « tribus noſtris cardinalibus, vel alicui ipſorum « huic concilio ſacro & ejus determinationi « nunc adhærentium, in beneficiis alias per ip- « ſos & quemlibet ipſorum canonice poſſeſſis, « proviſo tamen quod per præmiſſa nullum « præjudicium generetur fratri noſtro cardinali « Albanenſi, juri quod habet in archidiaconatu « (a) Luxovienſi. «

Item, ſacro approbante concilio, decer- « nimus fore procedendum contra obedientes « & adhærentes pertinaciter, ſeu fautores Petri « de Luna & Angeli Corrario nuper de papatu « contendentium & colludentium, per hoc ſa- « crum concilium de ſchiſmate & hæreſi no- « toriis per diffinitivam ſententiam condemna- « torum, modis quibus eſt ſecundum ſacros ca- « nones contra contendentes & fautores hæ- « reticæ pravitatis procedendum. «

Item, hoc ſacro approbante concilio de- « cernimus, per nos vel ſucceſſorem noſtrum « ex certis magnis & arduis cauſis hoc ſacrum « concilium moventibus, iterum generale con- « cilium eccleſiæ fore convocandum hinc ad « triennium, videlicet anno quo dicetur MCCCC. « XII. in menſe Aprilis, in civitate ſeu loco « habili & decenti; qui locus declarabitur per « annum ante tempus concilii per nos vel ſuc- « ceſſorem noſtrum. «

Item, ſacro approbante concilio, decer- « nimus & declaramus, quod ſi cardinalis de « Fliſco infra duos menſes proximos perſona- « liter ad nos venire, & obedientiam nobis « præſtare & determinationi hujus ſacri conci- « lii adhærere voluerit, benigne recipiatur cum « integritate ſtatus & honoris atque benefi- « ciorum, quæ XV. Junii MCCCCVIII. obtinebat. «

Item, omnes diſpenſationes factas per e- « piſcopos diœceſanos in partibus neutralibus « ſuper defectum ætatis patientibus, cauſa aſſe- « quendi & obtinendi beneficia, dignitates aut « prælaturas. Item, omnes abſolutiones & ha- « bilitationes in foro pœnitentiali, tam per « contendentes, quam per dictos ordinarios, « pendente ſchiſmate factas, ſuper caſibus ſan- « ctæ ſedi apoſtolicæ reſervatis, ex certa noſtra « ſcientia, hoc ſacro approbante concilio, ra- « tificamus & approbamus. «

Die VII. Auguſti. «

Sanctiſſimus dominus noſter, ſacro appro- « bante concilio, ordinat, quod bona immo- « bilia eccleſiæ Romanæ, ſeu aliarum eccle- «

(a) In Spicilegio & in aliis concilii Piſani actis cum ex bibliotheca regia anni 1612. tum ex Wolfembutelenſi 1697. editis legitur *Lwsionenſi*.

» fiarum nullatenus per ipſum vel alios præ- A
» latos alienentur ſeu ypothecentur uſque ad
» proximum concilium, in quo ſuper hoc ar-
» ticulo maturius poterit deliberari.
» Item, dominus noſter eodem approbante
» concilio, ordinat & mandat celebrari con-
» cilia provincialia per metropolitanos, & ſy-
» nodos per ſuffraganeos ſuper formam juris
» & concilii generalis, quia ex eorum omiſ-
» ſione multa inconvenientia ſequuntur.
» Item, dominus noſter, eodem approbante
» concilio, ordinat & mandat celebrari capi-
» tula monachorum nigrorum & canonico- B
» rum regularium ſecundum formam concilii
» generalis, & conſtitutiones felicis recordatio-
» nis Honorii III. & Benedicti XII. Et quia limi-
» tatio provinciarum facta per Benedictum XII.
» non poſſet de præſenti, obſtante temporis
» malitia, obſervari, ordinat dominus noſter
» quoad dicta capitula celebranda ſtandum
» juri antiquo, durante impedimento prædi-
» cto, videlicet ut provincia communis & vul-
» garis poſſit per ſe capitulum provinciale ce-
» lebrare, ex quo commode non poteſt cum
» alia convenire.
» Item, dominus noſter, eodem approbante
» concilio, diſponit non facere tranſlationes C
» de invitis, niſi parte vocata & audita, & de
» conſenſu majoris partis cardinalium, niſi ex
» cauſis juſtis & rationabilibus.
» Item, dominus noſter, ſacro approbante
» concilio, decernit quod per dominum no-
» ſtrum cum cardinalium conſilio deputentur
» nuncii ſolemnes, & mittantur ad reges &
» principes, & cunctos fideles, ad publican-
» dum & proſequendum auctoritate domini
» noſtri papæ & ſacri concilii acta in hoc ſa-
» cro concilio.
» Item, dominus noſter auctoritate Dei, D
» apoſtolorum Petri & Pauli & ſua, concedit
» omnibus, qui in hoc ſacro concilio interfue-
» runt, & ejus determinationi adhærent, ab-
» ſolutionem plenariam a pœna & culpa ſemel
» tantum. Item, quilibet de prædictis infra
» duos menſes, poſtquam ad ejus notitiam con-
» ceſſio hujuſmodi pervenerit, poſſit dictum
» beneficium abſolutionis aſſequi in forma ec-
» cleſiæ. Item, & conceſſit omnibus prædictis
» in mortis articulo. Item & familiaribus eo-
» rumdem qui in concilio interfuerunt.
» Item, ſanctiſſimus dominus noſter, cum E
» conſilio concilii intendit reformare eccle-
» ſiam in capite & in membris, & jam multa
» per Dei gratiam ſunt expedita, quæ ipſum
» dominum noſtrum & favorem prælatorum
» aliorumque inferiorum concernunt præſtant-
» que alia quæ propter receſſum prælatorum
» & ambaſſiatorum de præſenti expediri non
» poſſunt; propterea dominus noſter, ſacro
» requirente & approbante concilio, dictam
» reformationem ſuſpendit & continuat uſque
» ad proxime jam indictum jejunium, & præ-
» ſens concilium abſolvit.

EPISTOLA ROBERTI PRIORIS Celſinienſis, ad abbatem & conventum Cluniacenſem.

De quibuſdam geſtis oratorum Petri de Luna in concilio Piſano.

Anno 1409. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

REverendi patres & domini metuendi, humili recommendatione præmiſſa. Vobis ſcripſi omnia acta in hoc ſacro generali concilio Piſano a principio uſque ad XIII. menſis Junii. Miſi etiam vobis copias in forma appunctuatorum concluſorum ſeu ſententiatorum in dicto concilio, excepta copia geſtorum dicta die XIII. Junii, quorum copiam [non] miſi vobis. Die vero Veneris XIV. Junii hora veſperorum in præſentia plurium dominorum cardinalium, & nobilium prælatorum, & aliorum ambaxiatorum hic exiſtentium, fuit latum mandatum ſeu poteſtas per PETRUM DE LUNA datum ſuis oratoribus, continens in effectu, quod dabat eis poteſtatem ad tractandum de ſecuritatibus convenientibus & loco idoneo in quo convenirent per ſe vel procuratorem, ad tractandum de unione eccleſiæ per viam ceſſionis incluſive, quaſi ſimili modo, ſicut fecit in Roma anno præterito & in Luca; & hora aſſignata pro audiendo quæ dicere vellent, fuit lecta coram eis ſententia ejectionis duorum contendentium per ſacrum concilium lata. Eadem lecta publice, interrogati per eum qui eam legerat, ſi erant oratores Petri de Luna, reſponderunt quod erant oratores ſanctiſſimi domini ſui BENEDICTI papæ XIII. quæ reſponſio fuit multum notata. Poſtmodum vero excuſaverunt ſe ambaxiatores de longa ſua mora, quam fecerant in comparendo in dicta hora eis aſſignata, in qua diu extiterunt expectati, allegantes, quod dum eſſent in via veniendi equites, capitaneus Piſarum eis ſignificari fecerat quod non exirent hoſpitium quouſque eis aliqua nuntiari feciſſet: ſubjungentes quod dictus capitaneus ad eos miſerat ſuum vicarium qui Piſis intraverat, quod erant certa capitula concordata inter dominos Florentinos & ipſos dominos Piſis exiſtentes; & inter cetera oſtenderat eis tria capitula, quæ continebant, quod ſi qui venirent huc cauſa impediendi, non haberent ſalvum conductum; item, quod impedientes punirentur per ipſos dominos hic præſentes & ipſos Florentinos, & tertium capitulum eis oſtenſum continebat fere idem in effectu: ita quod Tarraconenſis laqueus noluit nominare cardinales, nec concilium: ſed dominos ad hunc locum ſeu congregationem: quibus habita deliberatione reſponſum eſt in effectu, quod audiverant ſententiam ſacri concilii, qua ambo contendentes erant ejecti, ut hæretici, & ſciebant pœnas juris, &c. Secundo quod capitula non poterant nec debebant per ipſos

præſentes

præſentes inſtringi, ſicut nec volebant. Si tamen pro reductione dictorum duorum contendentium, vel utilitate publica ſeu bono unionis volebant aliquid boni dicere, poterant, quia illud non eſſet contrarium capitulis. Tunc habita aliquali deliberatione inter eos & cum nunciis regis Aragonenſis, dixerunt quod non viderant capitula, cujus* oppoſitioni in ſua expoſitione aſſeruerant, & quod ipſa volebant ea videre & deliberare. Et tunc fuit eis dictum quod in craſtinum eſſet miſſa de Spiritu-ſancto more ſolito, & quod domini eſſent impediti in mane. Et nihilominus manſerunt in ſua dilatione, & receſſerunt ad hoſpitium. In craſtinum intraverunt galeam, & receſſerunt hoſpite inſalutato, & manſerunt nuncii regis Aragonum petentes informari de geſtis in dicto concilio. Dicta autem die eorum receſſus, ſcilicet xv. Junii circa occaſum ſolis intraverunt domini cardinales in palatio domini archiepiſcopi Piſanenſis. Poſtmodum ſupervenit cardinalis Tudertinus, qui cum eis intravit pro electione Romani pontificis celebranda, & ibi fuerunt uſque ad xxvi. dicti menſis Junii, qua die circa horam nonam de mane fuit publicata electio PETRI DE CANDIA, magiſtri in theologia Piſis, natione Græci, de ordine Minorum, vulgariter nuncupati cardinalis Mediolanenſis, in ſummum pontificem, nuncupati ALEXANDER V. Hic heri intravit unus nuncius Caſtellæ, qui nondum eſt auditus; neſcio ad quid venit. Super reformatione eccleſiæ multa ſunt prolocuta inter nationes, ſed nulla concluſa. Adhuc Januæ vobis ſcribam quam citius potero. Scriptum Piſis dicta die xxvi. Junii.

* f. quæ ejus.

EPISTOLA ROBERTI PRIORIS Celſinienſis, ad abbatem Cluniacenſem.

De quibuſdam geſtis in concilio Piſano.

Anno 1409. *Ex Autographo.*

REverendiſſime pater ac domine metuendiſſime, humili recommendatione præmiſſa. Poſt alia nova nuper ſcripta, ſubſequentium novorum ſeries ſequitur. Nam in die ſabbati xv. menſis Junii domini cardinales, decem ſcilicet noſtri, & XIII. partis alterius, intraverunt conclave in domo archiepiſcopi Piſani, immediate poſt dormitionem de ſero, cum non remanſiſſet illi ANGELO CORRARIO olim de papatu contendenti, niſi unicus cardinalis ſuus, qui vocabatur de *Tonde*, videlicet die ſabbati hora ſerotina intravit civitatem Piſanam, ut cum ceteris eſſet in conclavi, & in craſtinum poſt prandium illuc intravit. In conclavi autem domini cardinales ſteterunt per decem vel undecim dies, videlicet uſque ad diem Mercurii de mane, qui fuit xxvi. Junii. Pendente autem deliberatione conclavis, inter dominos prælatos de concilio generali fuit magna altercatio, utrum videlicet domini cardinales deberent cogi ad obſervandum præciſe decretalem *Ubi majus*, ut videlicet poſt octavam diem non haberent niſi panem unum & aquam; vel utrum ſervaretur quædam extravagans moderativa illius conſtitutionis *Ubi majus* edita per Clementem VI. qua cavetur, quod etiam lapſa octava die, uti poſſint uno ferculo, in quo fructus non computantur, licet unus cardinalis alteri ſuum ferculum communicare non poſſit. Et finaliter in hoc debato fuit concluſum multis rationibus, præſertim per dominos Florentinos, quia juraverant dictam decretalem *Ubi majus* facere obſervari cum moderatione Clementis VI. videlicet quod illa extravagans ſervaretur. Et ita fuit factum. Copiam ejus mittam vel portabo, ſi non habetis. Aliud debatum extitit, utrum concilium deberet arctare & terminum præfigere dominis cardinalibus, infra quem eligerent paſtorem, alioquin concilium aliter provideret; ſed deliberatione majoris partis reſedit, quod non arctarentur nec monerentur, ſed libere permitterentur uti libertate ſua & jure ſuo, & ita factum eſt. Item, pendente toto decemdio, cum ambaſſiatores PETRI DE LUNA jam receſſiſſent, ut dixi, & remanſiſſent domini ambaſſiatores regis Aragonum, inter quos eſt dominus Geraldus *de Sernilhon* miles, maritus neptis Petri de Luna, & Caſtellani regis; idem *de Sernilhon* præſentavit domino patriarchæ noſtro, quod ipſi habebant poteſtatem offerendi cum effectu renuntiationem pure & præciſe præfati PETRI DE LUNA, etiam ad p.... dente, & quod admittetur antequam ultra procederetur. Reſponſum eſt, quod domini cardinales erant in conclavi, & non poterant retardari, nec eis verbum fieri; ſed poſtquam elegiſſent, cetera quæ opportuna eſſent fierent. Et quamvis patriarcha non poſſet vice concilii reſpondere: tamen dixit hoc ſibi videri, & promiſit dicto domino Geraldo, quem tunc cum patriarcha loquentem videram in clauſtro S. Martini, quod hæc exponerentur concilio. Poſt autem finitum eorum ſolatium, dominus patriarcha intravit ſacriſtiam, ubi eramus ſaltem quadraginta congregati de concilio; inter quos erat dominus Lugdunenſis, & nobis retulit oblationem prædictam, etiamſi ANGELUS non cederet. Et revera dominus Lugdunenſis clementiſſime ac ſapienter cunctorum judicio locutus eſt; ſed negotium in ſtatu remanſit hucuſque. Neſcio quid fiet. Die autem præfata Mercurii quæ fuit xxvi. Junii, cum poſt miſſam ſtaremus in choro eccleſiæ cathedralis, ſupervenit quidam doctor, qui intravit civitatem Piſanam ſero præcedenti cum ſex equis; fecit per aliquos mediatores exponi, quod ipſe venerat ambaxiator regis Caſtellæ ſeu Hiſpaniæ, & portabat litteras dominis cardinalibus, quas quia porrigere non poterat, ipſis ſtantibus in

conclavi, volebat aliqua exponere concilio, propter quæ petebat audientiam, & in brevi, quia dicebat periculum esse in mora. Finaliter concilium deliberavit, quod in crastinum, scilicet heri de mane concilium eidem daret audientiam, & quod interim doceret de mandato & de potestate & memorialibus suis. Qua responsione per concilium facta, dum surgeremus, supervenerunt nova de conclavi, quod dominus cardinalis Mediolanensis, frater Minor, olim nominatus magister PETRUS DE CANDIA, de quadam scilicet insula Græcorum oriundus, famosissimus scilicet magister in theologia, & qui olim rexerat ducem Mediolanensem, & qui adhuc tutor erat super inventis, electus erat in papam. Quibus auditis, omnes accesserunt ad impendendum reverentiam. Pulsatæ sunt campanæ per totam civitatem, & fuit portatus ad ecclesiam cathedralem, & ibi inthronizatus, & omnes domini cardinales recesserunt ad domos suas, ipso revertente ad domum archiepiscopi, qua utitur pro palatio, & fuerunt in electione omnes domini cardinales utriusque collegii concordes, nemine discrepante. Et revera fuit electio multum libere facta, & conclave die ac nocte fuit strenuissime custoditum & sine tumultu: ita quod nec nutu, nec verbo domini cardinales poterant scire quod extra fiebat, nec illi qui erant extra scire poterant quod intus fiebat. De nocte in mœniis civitatis fiebant excubiæ sollicite. In civitatellis semper erant circa quingenti homines armorum. Dominus magister Rodii associatus pluribus militibus die ac nocte stabat in viridariis domus archiepiscopalis in tentoriis, & ibi jacebat inter conclave & septa domus. Potestas & capitaneus civitatis diligenter invigilabant circa custodiam, præsertim per circuitum extra septa conclavis, & communiter erant centum homines armorum quando sol occubuerat, nullus audebat appropinquare septa conclavis, nisi custodes, nisi ad distantiam quinquaginta ulnarum, quia ita erat proclamatum sub pœna ultimi supplicii. Dominus camerarius jacebat intra septa conclavis in una camera vere multum notabilis. Potenter & mansuete domini Florentini custodiunt districtus suos. Sero autem facto in die præfatæ electionis, dominus papa retinuit in camerarium suum dominum Narbonensem sicut prius, & dominum vicecancellarium nostrum, scilicet Vivarien sem, retinuit in vicecancellarium, sicut prius, & dominum Anicien sem in pœnitentiarium ut prius, rejectis aliis qui fuerunt de parte ista. Et sciatis quod dominus de Thureyo inter omnes dominos cardinales habet apud eum majorem audientiam, & credo quod tantam habebit, quantam habuit cum domino CLEMENTE. Iste autem dominus papa appellatur ALEXANDER V. Quando domini cardinales me præsentaverunt ibi sibi, licet nullum rogassem eorum, ex gratia magnam relationem fecerunt de me, specialiter dominus Penestrinus, dominus Albanensis, dominus de Thureyo, dominus Anicien sis, & dominus Neapolitanus. & post exhibitam reverentiam, ego exposui sibi quomodo ego veneram huc destinatus per vos pro vobis & toto ordine vestro, qui in diversis mundi partibus & regnis membra numerosa & celebria obtinens, durante schismate grandia passus est tam in spiritualibus, quam temporalibus detrimenta. Supplicabam tria, primo quod confirmare dignaretur omnia privilegia nostra; secundo, quod reparare dignaretur gravamina nobis illata, durante schismate, per contendentes dictos de papatu; tertio, quod cum istud sit magnæ præsidentiæ, celebritatis & regularis observantiæ, sicut cunctis notum est, & tam latam possideat ditionem, sic ut inter alios mundi prælatos multa indigebatis, vos & vestrum monasterium & ordinem semper favore benivolo in munificentiis, beneficiis & gratiis prosequeretur, more sui prædecessoris domini NICOLAI IV. qui in ulnas suæ protectionis monasterium suscipiens & ordinem, multis & magnis privilegiis ipsum munivit. Postquam autem finieram verba mea, idem dominus papa stans benigne & læta facie respondit, quod ipse erat paratus adimplere posse suo quæcumque per me petita, & quod quando vellem, venirem confidenter, quia in omnibus & in singulis faceret taliter, quod ego contentarer. Item, herimet dominus patriarcha supplicavit, quod sibi daretur archiepiscopatus Remensis, & domino Bituricensi conferretur ecclesia Carcassonensis cum patriarchatu, & magistro Guillelmo Bosraterii, archiepiscopatus Bituricensis. Ab alia parte dominus cardinalis de Baro supplicavit, quod priori sancti Martini conferretur episcopatus Mimatensis, & prioratus sancti Martini conferretur eidem domino cardinali. Et revera omnia ista protinus fuerunt in propinqua dispositione, præsertim cum isti supplicantes sint ambaxiatores domini nostri regis. Sed demum contemplatione domini Gaufredi de Perucia, qui petit episcopatum Mimatensem, dominus cardinalis de Baro supersedit a supplicatione sua. Hodie vero ratione illarum promotionum tentum est consistorium secretum in domo archiepiscopali, & factum est ut sequitur, quia videlicet dominus papa & domini cardinales, præsertim dominus Prænestinus, qui licet interesse non potuerit personaliter, scripsit in consistorio . . . . . igitur quia non videbatur expedire, quod plus tractaretur de promotionibus, quam de reformatione status ecclesiæ, nullam promotionem fecerunt hac die, sed ordinavit quod in die lunæ sequenti fieret una sessio, & teneretur universalis synodus, in qua papa primo præsideret.

Item, videtur expedire quod vos & conventus ſcribatis domino papæ inter cetera, quod non conferat beneficia veſtra in manibus ſæcularium quorumcumque, præſertim conventualia, quantumcumque vacent in curia, nec perſonis aliis quam ordinis noſtri, & allegetis rationes quæ vos movent. Item, noveritis quod nos ſumus ſexdecim, inter quos eſt dominus Viennenſis & dominus Cameracenſis, & alii ſeptem epiſcopi, dominus abbas Ciſtercienſis, Caſæ Dei, Verziliacenſis, & ego feci apponi dominum priorem Rodii, qui eſt ſolemnis doctor & magnus dominus, & ego, qui ex parte eccleſiæ Gallicanæ fuimus deputati, ad deliberandum ſuper capitulis & articulis reformationis ſtatus eccleſiæ univerſalis tam in capite quam in membris, unde ſuper illis deliberavimus per quatuor vel quinque dies, pendente conclavi, & dominus Aptenſis, dominus Ciſtercienſis, & ego acceſſimus ſuper illa materia ad nationem Anglorum & Germanorum, & vere dominus Saliſberienſis, qui eſt doctor celebris, inter ceteras querimonias exemptorum, multum conqueritur de malo regimine Ciſtercienſium in regno ſuo Angliæ: ſed dominus abbas ſe excuſavit propter ſchiſma. multa alia inter nos perlocuti fuimus. Poſt regreſſum omnes domini collegæ mei me elegerunt ad dictandum & concipiendum articulos & capitula hujus reformationis, ſecundum deliberationem jam inter nos verbaliter habitam: quod & feci, & ſunt XLV. articuli. Et heri poſt impenſam reverentiam domino papæ, domini prælati eccleſiæ Gallicanæ & univerſitates convenimus in baptiſterio eccleſiæ cathedralis, qui locus eſt celeberrimus, & tam in materia quam in forma videret vos ſtupidum & admirantem. Numquam enim, ut credo, homo mortalium vidit tam celebre opus ad talem uſum vel majorem deputatum, marmoribus, jaſpidibus & ſculpturis ac artificio mirifico redimitum. Ibi igitur congregavimus nos, & ibi legi articulos præfatæ reformationis, & ibi fuerunt aliqua, licet pauca, correcta; & fuit traditus rotulus aliquibus ad plenius deliberandum, & hac nocte debemus eſſe inſimul iterum ſuper illo, & cras dominus Vivarienſis, cui negotium eſt commiſſum, audiet nos de omni gente & natione ſuper illis reformationibus, quoniam dominus papa multum deſiderat nos celeriter expedire antequam abhinc recedat, quia in brevi tempore eſt receſſurus & coronabitur in Piſis, vel in Florentia quæ diſtat ab hinc per quindecim magnas leucas, vel in Bononia quæ diſtat per duas dietas cum dimidia. Item, ille doctor qui petierat audientiam pro parte regis Caſtellæ, videns quod non poterat docere de mandato regis, quia nec venerat ex parte illius, ſed ſolum dominis cardinalibus, portavit litteras ex parte infantis Caſtellæ, impetratas pro Petro de Luna, in quibus rogabat, quod tractaretur locus conventionis pro ceſſione mutua, & darentur cautiones; audiens etiam, ut dicebatur, neſcio ſi ſit verum, quod venerunt nova, quod ſolemnes ambaxiatores ex parte regis Caſtellæ veniebant & de pa . . . . ad iſtud concilium cum plena poteſtate faciendi omnia quæ rex Franciæ faceret, & quod ſua fraus detegebatur, tacet nunc & dolet, quia intravit civitatem. Item, ille intruſus ANGELUS CORRARIO cum vellet tenere ſuum concilium in patriarchatu Aquileienſi, tantam perſecutionem paſſus eſt per patriarcham Aquileienſem, quod quaſi vagator & profugus venit ad Venetiam, ſed Veneti noluerunt eum recipere, & mandaverunt ſub magnis pœnis omnibus de terra ſua, in qua ſunt plus quam ſexviginti caſtra, quod nullus reciperet eum, & aufugit cum valde paucis in quodam modico caſtello cujuſdam ſcutiferi, in quo eſt valde miſerabiliter. Item, LANCELOTUS qui tenebat obſidionem in civitate Aretina, audiens quod rex Hungariæ ab una angulo invadebat regnum ſuum, & audiens quod de regno Franciæ veniebant in Lombardiam ultra decem millia equitum, receſſit ab obſidione cum ſuo exercitu, & ivit ad defendendum regnum ſuum. Item, noveritis quod dominus prior Cantuarienſis bene contentatur de vita & honeſtate religioſorum veſtrorum in Anglia; ſed magnam & admirabilem conquerimoniam mihi fecit de vita & diſciplina regulari omnium monachorum veſtri ordinis in toto regno Franciæ conſtitutorum, ubi itinerando Anglici repererunt plures prioratus; & maxime conqueritur de prioratu Nivernenſi, & de prioratu Cari-loci, & breviter de ceteris, dicens quod religioſi noſtri nec ſint Latini nec litterati, nec incedunt in habitu; & ſi incedant cum habitu, eſt totus diſlaceratus & vilis; non portant camiſias ſtamineas, ſunt incompoſiti in geſtu, & minus oſtendunt de religione quam mere cultores agrorum, de quo ambaxiatores regis Angliæ ſunt male contenti; nec habent veſtimenta ſacra apta. Et dicunt quod rex ipſorum vel transfert alibi vel capit jura monaſteriorum aliorum: ſed quando de aliquo membro veſtro ei dicitur, quod eſt de ordine Cluniacenſi, ſtatim propter ſanctitatem quæ ſibi refertur de monaſterio Cluniacenſi & ordine, ſuperſedit, & benigne ſupportat; & quod idem dominus prior dubitat quod ſi ambaxiatores referant regi illa quæ viderint, quæ ſunt contraria bonæ opinioni quæ volabat per regnum Angliæ: quod duo inconvenientia inde vobis naſcantur; primum quod rex non adimplebit quod ſignificaſtis per archidiaconum; ſecundo, quod rex faciet ſubmitti membra veſtra alteri capiti. Multum etiam conqueritur, quod priores veſtri ordinis in iſto regno non reſident. Multa alia dixit, quæ longa eſſent enarrare;

ſed excuſavi vos & ordinem per tria quæ taceo, & fuit contentus cum promiſſione quam feci de reformatione. Multum deſiderat vobiſcum loqui ſuper hoc. Bene contentatur de archidiacono Cluniacenſi, dicens quod eſt bonus homo, & libenter & devote celebrat miſſam ſuam, ſed de monachis domini S. Flori male contentatur. Item, rogavit me quod excuſationem quam prætenderam ſibi, & promiſſionem, ego ſimiliter exponerem ambaxiatori regis ſui, & ipſe libenter eſſet mecum, & ita concluſimus quod fiet. Et ego dixi quod ego dixi ſibi quod volebam eum rogare, quod ipſi in receſſu viſitarent monaſterium Cluniacenſe. Reſpondit quod non credit quod hoc poſſit fieri, ſed poſſe ſuo ipſe ſaltem viſitabit vos. Et credatis quod ipſe eſt notabilis perſona in litteratura & moribus, & magnæ experientiæ vir, ut alias latius dicam; & multum zelat rempublicam, & eſt æque bene reddituatus, ſicut unus magnus epiſcopus. De pecuniis mittendis & de veſtris negotiis videtis quid habetis agere. Veſtram reverendiſſimam paternitatem feliciter & longæve conſervet Altiſſimus eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Scriptum Piſis die XXVIII. Junii.

Veſter humilis
ROBERTUS.

Superſcriptio.

Reverendiſſimo in Chriſto patri & domino domino divina providentia abbati Cluniacenſi, digniſſimo domino ſuo metuendiſſimo.

Et infra.

Quia vero nuncius non receſſit quam cito ardebam, ideo ſequuntur nova quæ inde ſequuta ſunt uſque ad præſentem diem. Nam die dominica ambaxiatores regis Aragonum prædicti receſſerunt de civitate Piſana in quadam galea, hoſpite inſalutato, & non loquuti fuerunt in receſſu cum aliquo, niſi cum domino Vivarienſi; cui dixerunt, ut audivi a quibuſdam, quod non intendebant credere, &c. ſicque receſſerunt. Die vero lunæ ſedit ſynodus in eccleſia cathedrali domino papa præſidente. Ubi expletis quæ ad divinum officium pertinent, dominus papa fecit unam arengam ſive collationem cujus thema fuit: *Fiet unum ovile & unus paſtor.* Et deduxit illud eleganter, verbis tamen communibus. In deductione non fuit oblitus moralizare, illud videlicet quod magi obtulerunt regi æterno tria munera aurum, thus, & myrram. In auro ut oſtendatur regis potentia, &c. & per dominicam ſepulturam intellexit obedientiam, qua quaſi inhumati debent vivere ſubditi, obedientes ſummo ſacerdoti. Rogavit etiam concilium quod juvaret eum in omnibus peragendis. Obtulit eis quod ipſe faceret tantum omnibus & ſingulis, quod ipſi redderentur conſolati. Ad ipſa promiſit libenter intendere circa reformationem ſtatus eccleſiæ, & quod ipſe deputaret certos dominos cardinales, & rogabat concilium quod ipſum deputaret certos alios, & ſimul de omnibus conferrent, & poſtea referretur in publico, & ibi ſtatueretur. Item, cum dominus cardinalis de Baro factus preſbyter nuper per dominum Peneſtrinum & Albanenſem, ipſe dominus papa dedit ſibi titulum, quem ipſe prius habebat, videlicet XII. apoſtolorum; & nunc eſt preſbyter cardinalis XII. apoſtolorum. Sed antequam iſtam promotionem faceret, dominus cardinalis de Chalento, & voluntate & juſſu dominorum papæ & cardinalium, aſcendit cathedram marmoream, ſitam in medio eccleſiæ, cum quatuor epiſcopis in pontificalibus conſtitutis, & ibi legit decretum electionis populis & ſubſcriptionem dominorum cardinalium, & fuit reperta concors, nemine diſcrepante. Deinde eo deſcendente cum ſua comitiva, illam aſcendit advocatus concilii cum procuratoribus, & ibi petiit ex parte concilii, omnes proceſſus & acta per dominos cardinales & concilium ab anno citra approbari; quod fecit dominus papa de conſenſu concilii. Poſtremo aliis deſcendentibus, aſcendit cathedram dominus cardinalis Bononienſis; & quia non omnes poterant audiviſſe quæ papa dixerat, reſumſit aliqua, & rogavit quod omnes & ſinguli in ſuis diœceſibus clero & populo publicarent acta. Finaliter quia certum erat quod alterum de duobus collegiis erat non vere, &c. & ignorabatur quod, &c. licet certum eſſet ipſum verum papam, quia electus erat ab omnibus, & ſic a veris, ne ſi contingeret ipſum papam mori, ſemper remaneremus in primum errorem in electione ſucceſſoris: ideo de mandato papæ præfatus dominus Bononienſis pronunciavit unam cedulam, in qua continebatur, quod papa motu proprio promovebat ad cardinalatum omnes & ſingulos illos qui veri cardinales non erant, & cardinales in hac curia vulgariter appellabantur, & de duobus illis collegiis unum verum collegium efficiebat. Et credo inter ceteros fuiſſe cauſam motivam hujus promotionis cardinalium ratione reipublicæ. Item die Martis ſequenti, ſcilicet hodie, tentum eſt conſiſtorium ſecretum, in quo tranſlati ſunt ſequentes: patriarcha noſter ad Remenſem eccleſiam, Bituricenſis ad Carcaſſonenſem cum patriarchatu Alexandrino, Boſraterii de Mimata Bituris. Et omnes acceptaverunt, ſi placeat regi. Magna eſt contentio de ordinationibus Franciæ. Scriptum II. Julii.

RESPONSIONES

ad ſcripta per priorem Celſiniarum de Piſis, cum aliquibus additionibus.

ET primo eſt ſciendum quod fuerunt nobis miſſa per eum aliqua adviſamenta

proloquuta per aliquos de concilio Piſano ſuper reformatione eccleſiæ univerſalis & ſunt XIII. capitula. Primum bene tangit nos, quia contra exemtionem. Ultimum etiam bene tangit nos, quia agitur de portione debita per dioceſanos aſſignanda vicariis noſtris. Secundum capitulum in parte trangit omnes promovendos: quia confitetur commune ſervitium debitum. Et revera non eſt ita, ſecundum obligationem quam faciunt promovendi ad dignitates, ut latius inferius oſtendetur: alia capitula non videntur nobis contraria, ſed multa alia ſunt omiſſa, in quibus eſſet bene providendum.

1 Et primo quia ordinarii multum abutuntur in interdicto particulari apponendo pro cauſis pecuniariis, etiam modicis, in diminutionem divini cultus & ſcandalum multorum, etiam quandoque pro quinque ſolidis: quod circa hoc dignetur providere & ordinare, quod non poſſit apponi interdictum particulare per eos pro cauſis pecuniariis, ad inſtar papæ Bonifacii VIII. qui ſtatuit in quadam extravagante, quod interdictum non poſſet apponi dicto caſu per ordinarios generale tantum: ſed non ordinavit de particulari.

2 Item, etiam quia ordinarii multum abutuntur in procurationibus recipiendis, ſecundum conſtitutionem, *Vas electionis*, & viſitationes per nonnullos ſæpe fieri, plus ad quæſtum quam ad utilitatem eccleſiarum, locorum, & etiam animarum videntur, & ex hoc multum gravantur eccleſiæ; & quia tempore dictæ conſtitutionis dictæ eccleſiæ multum abundabant, & de præſenti ſunt diminuti reditus pluſquam de medietate, quod reducerentur ad medietatem ad inſtar Urbani papæ V. quando fecit reductionem de medietate decimæ, & etiam in aliquibus locis procurationum ad tempus tantum, ut conſtat per copiam bullæ quæ mittitur per latorem præſentium. Et hoc eſſet ſanctiſſimum opus.

3 Item, etiam quod provideretur, quod eccleſiaſtica ſacramenta ſine quæſtu quia . . . . . hodie, niſi interveniente pecunia non conceduntur, etiam ordines.

4 Item, quod reſtringerentur abuſus ordinariorum circa emolumentum ſigilli, præſertim in beneficiis conferendis, & præſentationibus faciendis, & aliis ſpiritualibus concedendis, novit Deus qualis quæſtus eſt hodie.

5 Etiam eſſet providendum, quoad reſervationes generales & ſpeciales, quas papa facit frequenter de bonis prælatorum & aliarum eccleſiaſticarum perſonarum decedentium, de quibus nulla fit mentio in aviſamentis miſſis: quia ex hoc enormiter læduntur eccleſiæ, & collatores, & ſubcollatores ultra modum abutuntur.

6 Item, quod circa exonerationem eccleſiarum etiam provideretur, remittendo omnia arreragia per perſonas eccleſiaſticas quacumque cauſa de toto tempore præterito debita, licet ſit proviſum per curiam ſæcularem, & etiam quoad ſpolia recipienda. Sed honeſtius eſſet, quod per papam remitterentur.

7 Item, quia in ſecundo capitulo, quando dicit, ſalvo jure cameræ apoſtolicæ debito, & quod ante lapſum annum dictum ſervitium cameræ apoſtolicæ debitum ſolvere minime teneantur, &c. Eſt bene advertendum quia videtur approbare, quod omne ſervitium ſit debitum. Et revera ſecundum obligationem quam faciunt prælati in camera, non eſt debitum ſed gratuitum: quia quando conſtituuntur procuratores ad obligandum per prælatos pro communi ſervitio, inter cetera ponuntur verba ſequentia: *ſpecialiter & expreſſe ad offerendum & promittendum gratis & ſponte ipſius conſtituentis nomine, & pro ipſo, pro ſuo communi ſervitio cameræ apoſtolicæ & ſacro collegio dominorum cardinalium, videlicet ſummam talem & quinque ſervitia conſueta pro familiaribus & officiariis domini noſtri papæ & dominorum cardinalium prædictorum.* Et quando dicti prælati ſunt præſentes, in obligatione ponuntur ſimilia verba, quia iſta eſt forma cameræ; & revera non debetur, niſi in vim obligationis. Et audivimus ab antiquis, quod iſtud fuit introductum a tempore quo curia fuit tranſlata ad partes iſtas, quia ante nihil ſolvebatur. Propterea confitendo ſic, debitum eſt multum præjudiciabile omnibus promovendis, & eccleſiis.

8 Item, quia ex dicto communi ſervitio multum & enormiter læduntur eccleſiæ propter magnam taxam, ſi tamen reperietur aliquod medium quod reducerentur generaliter ad medietatem, eſſet aliud ad inſtar domini Urbani ſanctæ memoriæ, qui reduxit decimas ad medietatem. Et hoc eſſet aperiendum & tractandum.

9 Item, eſſet aperiendum & tractandum quod domini cardinales non haberent aliqua beneficia etiam conventualia; ſed quod aliter provideretur eis decenter pro ſtatu eorum, quia juſtum eſt & rationabile. Et primo etiam domino noſtro, & quod ceſſarent omnes exactiones, & videtur aliquibus ſi indiceretur una media decima vel integra, ſi erat neceſſe, per dominum noſtrum, pro ſtatu ſuo & dominorum cardinalium, quæ aſcendet ad magnam ſummam, deberet ſufficere, ſine quibuſcumque aliis exactionibus. Nam ſecundum aſſertionem domini theſaurarii quondam domini Urbani ſanctæ memoriæ papæ V. in regno Franciæ ſolum aſcendebat ante reductionem decimæ ad medietatem XVIII. centum millia florenorum. Quid ergo de aliis regnis? ſed poſtmodum eſt inde diminuata, & eſt credendum quod perſonæ eccleſiaſticæ in aliquo non contradicerent,

si indicebatur per papam, quia etiam sæculares eam volunt habere. Et istud est proprium papæ, quia de jure positivo & etiam de jure divino, secundum opinionem B. Thomæ de Aquino, dominus noster potest indicere decimam jure suo, quæ decima solum sine alio, etiam sine beneficiis vacantibus & cum servitio & spoliis & aliis exactionibus deberet sufficere pro domino nostro, & pro omnibus dominis cardinalibus, ad tenendum decenter statum eorum, & ultra haberent patrimonium ecclesiæ, & medietatem communis servitii, si diminuebatur ad medietatem. Propterea hoc esset multum aperiendum & tractandum & subsistendum omnibus viis & modis quibus poterit, quia sic essent multum relevatæ ecclesiæ & provisum papæ & dominis cardinalibus, & præclusa via dominis sæcularibus quoad decimam exigendam. Sed hoc non est aperiendum, sed tacendum.

10 Item, quantum ad extentionem, de qua facta est mentio in primo capitulo nobis misso, conclusio non est multum mala, si non revocabantur exemptiones, sed tantum darentur judices, licet neutrum nobis placeat; sed multa sunt nobis specialia, quæ forte non sunt in aliis, quia Cluniacense monasterium ab ipso suæ fundationis exordio sedi apostolicæ in jus proprium est oblatum, ut patet per multa indulta apostolica, de quibus mittimus aliquas memorias, & etiam copiam epistolæ Petri Venerabilis contra Bernardum, & sufficientes rationes ibi contentas pro exemtione, quæ sunt multum efficaces, &c.

11 Item, quantum ad ultimum capitulum quod facit mentionem de portione congrua assignanda vicariis nostris per ordinarios, nihil est inde advertendum, quia istud esset nobis multum præjudiciabile, nam assignaretur per dictos ordinarios tanta portio, quod modicum nobis remaneret, & esset contra intentionem fundatorum episcoporum, qui dictas ecclesias nobis contulerunt, ut latius videbitis contineri in quadam epistola Petri Venerabilis contra Bernardum, cujus copiam vobis mittimus; & referimus nos ad rationes ibi contentas, & miramur de dictis ordinariorum, si ipsi volunt quod assignetur major portio vicariis nostris quam assignetur vicariis ipsorum in propriis ecclesiis, quare, &c.

12 Item, est sciendum quod per magistrum Johannem Mercerii civem Matisconensem, qui vadit Venetiam pro domino Burgundiæ, & debet facere transitum Pisis, qui receſſit de Matiscone in festo apostolorum Petri & Pauli proxime præterito, scripsimus vobis & misimus octoginta scuta; & sic est vobis satisfactum integre, usque ad XVII. diem mensis Septembris inclusive, computando a prima die qua recessistis de prioratu Celsiniarum, non deducendo tempus moræ quam fecistis in Cluniaco, computatis XXX. francis per nos solutis domino Nicolao nomine vestro, & sic non debetis conqueri de nobis, quia præmissa ad implevimus & ultra.

13 Item, fiat impetratio omnino in causa appellationis super nominatione beneficiorum regularium, & introducta causa in curia Romana. Postquam habebimus papam mittatur adjornamentum.

14 Item, fiat diligentia de arreragiis nobis in illis partibus debitis recuperandis & de aliis de quibus videbitur.

LIBELLUS SUPPLEX

Oblatus papæ in concilio Pisano, continens articulos reformationis faciendæ, cum summi pontificis ad eos responsione.

Anno 1409. *Ex mſ. S. Laurent. Leodiensi.*

1 PRo pace & felici redintegratione sanctæ matris ecclesiæ, & debita reformatione nonnullorum gravaminum, quæ universalem Dei ecclesiam in se & suis membris ab aliquibus annis citra multipliciter oppressérunt, prælati & procuratores absentium de imperio, de regno Franciæ, Angliæ, Bohemiæ, Poloniæ & Provinciæ, &c. supplicant in singulis per ejusdem beatitudinis justitiam misericorditer provideri.

2. Et primo, ut divina gratia dirigente, juxta vestræ beatitudinis desiderium & cunctorum fidelium votum, Christianus populus sub vobis vero & indubitato pastore, eo fidelius & salubrius dirigatur, quo hujus sacri concilii intemerata veritas, & duorum improbe contendentium hæretica pravitate dejectio, vestræque sanctitatis canonica electio clarius patefieret, dignetur eadem sanctitas processus in sacro concilio factos regibus & principibus universis diligentius nuntiare, ac sententiam adversus contendentes juste latam executioni debitæ demandare, & reductionem regnorum & provinciarum & locorum inobedientium dextera sollicitudinis procurare. ad quæ implenda & feliciter dirigenda præfati prælati & procuratores consilia & auxilia ferunt humiliter toto posse, cum videant ex temporis dilatione, causante adversariorum malitia, pericula plurima generari.

3. Et quia, causante improbæ ambitionis audacia, prædicta juris remedia sufficere non videntur ad obviandum schismatibus, quæ occasione electionis Romani pontificis in futurum possent provenire, propter quod nostris in temporibus universalis ecclesia gravem & inauditam passa est scissuram; providendum videtur per sanctitatem vestram, sacro approbante concilio, de remedio convenienti contra schismata quæ possent evenire, si electio celebrata de Romano pontifi-

ce dicatur nulla propter metum seu impressionem, pecuniam, tumultum popularem, aut aliam causam, super quo dignetur vestra sanctitas efficaciter providere.

4. Item, quia status ecclesiasticus, qui in sortem hereditatis Domini est electus, virtutum ac morum excellentia debet cunctos attrahere in salutem, dignetur eadem sanctitas reformationi morum ac statuum universalis ecclesiæ tam in capite, quam in membris per se vel deputandos vigilanter intendere, & universo gregi commisso, quoad hoc ultra juris communis dispositionem, si pro qualitate rerum & temporum videbitur, salubria monita ministrare: quæ omnia, auxiliante Deo, præfati supplicantes gratanter suscipient, & implere curabunt humiliter juxta posse, cum per hæc propitiabitur Altissimus, & vestræ sanctitatis justitia & obedientia potissimum augebuntur.

Modos autem particulares, qui reformationi præmissorum incumbunt, non inserimus in præsenti, sed ad vestræ sanctitatis judicium, & R. dominorum cardinalium prudentem experientiam laudabiliter relinquimus.

Verum quia juris ordo confunditur, si sua unicuique justitia non servatur, dignetur attendere sanctitas vestra, ut cum debita reverentia & humilitate loquamur, quantum a SS. patrum institutis & antiquis juribus aberratum extitit per superiorum usurpationem & inferiorum tolerantiam, in plerisque quæ eisdem inferioribus in præmium deberent potius quam in pœnam venire, modis & articulis qui sequuntur.

5. Primo, quia quandoque Romani pontifices voluntarie aliquos prælatos & alios beneficiatos de ecclesiis suis & beneficiis suis transtulerunt invitos ad illas ecclesias & beneficia, quod cessit in præjudicium non modicum & gravamen dictorum beneficiorum & ecclesiarum, ac ipsorum prælatorum & beneficiatorum, & scandalum plurimorum; supplicant præfati, quatenus sanctitas vestra non faciat nec admittat.

6. Item, quia Romani pontifices ab aliquibus annis citra reservaverunt sibi omnes dignitates episcopales, & abbatiales, & majores dignitates ecclesiarum collegiatarum etiam regularium, & majores in ecclesiis cathedralibus post episcopales; & insuper concesserunt indifferenter & sine numeri limitatione gratias expectativas ad quæcumque beneficia ecclesiastica, & ultra hoc multos aliós modos induxerunt, per quos applicuerunt omnimodam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum; ex quo impedita fuit & absorpta ex toto actualis potestas capitulorum, collegiorum & conventuum; nec non archiepiscoporum, episcoporum, ceterorumque prælatorum & patronorum ecclesiasticorum, quoad electiones, confirmationes, collationes, præsentationes & institutiones per eos faciendas; quod videtur obviare & repugnare statutis conciliorum generalium & decretis sanctorum patrum, bono politiæ ecclesiasticæ, nec non debitæ & regulatæ ordinationi, & hierarchiæ ecclesiasticæ, intentioni fundatorum & devotioni, & insuper est res generalis status ecclesiæ turbativa atque confusiva, ac executionis principalis officii papalis impeditiva, & a vestigiis sanctorum patrum exorbitans: quod maxime procedit quoad gratias expectativas ad beneficia ecclesiastica vacatura, cum sint damnatæ auctoritate concilii generalis, nimirum quia per eas ingeritur votum mortis alienæ, præbetur occasio machinandi in mortem alterius, & ad hoc viam aperit, nec non & beneficia vacatura per minas & terrores, per dona & promissiones, cujusmodi ratione naturali ac publicæ utilitati papæ potestas & auctoritas est subjecta; & præsertim quia per dictas gratias & ipsarum occasione provenerunt illaqueationes, intrusiones, mendicitates, & alia innumera inconvenientia plenius, si opus fuerit, declaranda. Unde supplicant præfati, quatenus dominus noster papa, qui pro tempore fuerit, libere permittat, secundum juris communis dispositionem, eligere, confirmare, præsentare, instituere, conferre & alias providere, quotienscumque dignitatum, beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum quorumcumque vacatio occurrit, ordinarios videlicet, ad quos de jure, consuetudine, præscriptione, vel privilegio id alias competere dignoscitur. Cupientes quod detur bonus ordo tam in electionibus & confirmationibus fiendis de prælaturis, dignitatibus & aliis beneficiis electivis, quam in modo providendi de beneficiis ecclesiasticis, nobilibus graduatis, & aliis personis idoneis, præsertim universitatum studiorum.

7. Item, curia Romana multum & fuse concedit conservatorias etiam personis & statibus, quibus dandæ non sunt, ac etiam concedendo quod trahantur extra eorum domicilia, ultra limites statutos. Quare supplicatur, quod amodo circa hæc stricte teneantur termini juris, nec ultra illos in hoc aliquid concedatur, etiamsi illi, quibus conceduntur conservatoriæ, sint exemti.

8. Item, exponunt præfati quod Romani pontifices ab aliquibus annis citra induxerunt seu sibi reservaverunt primas annatas fructuum prælaturarum & beneficiorum vacantium, nec non communia & minuta servitia, & de facto spolia & bona dimissa a viris & prælatis ecclesiasticis occupaverunt, decimas imposuerunt pro libito voluntatis, prælaturas diutius in manibus suis tenuerunt, fructus pro tempore vacationis obvenientes percipiendo, nec ob hoc aliqua onera supportare voluerunt, dicentes esse in deductionem eorum, quæ dicebantur deberi cameræ apo-

ſtolicæ, quæ repugnant juri eorum & rationi, ac ſtatutis conciliorum generalium, SS. patrum. Iſta ſunt exempla pernitioſa & quamplurimum ſcandaloſa, accedunt in detrimentum eccleſiarum & monaſteriorum, tam in ſpiritualibus quam temporalibus, gravia detrimenta inferunt eo præſertim, quia per hoc monaſteria & eorum loca nimis deformantur, ipſorum bona nedum mobilia pretioſa vili pretio, ſed etiam immobilia quandoque in perpetuum, quandoque ad longum tempus, contra jura alienantur, per quæ etiam animus monaſteriorum diminuitur, cultus divinus defraudatur, devotio fundatorum ceſſat, viri eccleſiaſtici in opprobrium cleri mendicare compelluntur, hujuſmodi eccleſiæ & monaſteria mole debitorum onerantur; propter quod oportet frequenter bona monaſteriorum dari creditoribus in ſolutum, prælati eccleſiaſtici metu ſententiarum in divinis ſervire impediuntur: ex hoc eſſe proveniunt jurium perditio, ac totius ſtatus eccleſiaſtici nota ſubverſio. Unde ſupplicant præfati, quatenus dominus noſter papa, qui pro tempore fuerit, & Romana curia de cetero abſtineat ab omnibus & ſingulis exactionibus ſupraſcriptis, & aliis quibuſcumque; & fructus beneficiorum libere permittat percipi per illos, ad quos alias de jure, privilegio, & conſuetudine dinoſcitur pertinere.

9. Item, verum eſt quod aliqui Romani pontifices ab aliquibus annis citra, reſervaverunt ſibi procurationes debitas prælatis eccleſiaſticis ratione viſitationis, perceptionem earum interdicentes, per quod impediebatur fructus ſpiritualis, qui poterat provenire de viſitationibus, abnuebatur libertas viris eccleſiaſticis alias viſitandis ſolvendi in victu vel pecunia numerata, & multa inconvenientia ex hoc proveniſſe dignoſcuntur: Unde ſupplicant, quatenus dominus noſter papa, qui pro tempore fuerit, procurationes hujuſmodi de cetero non reſervet nec percipiat, ſed illas percipere libere permittat per illos ad quos viſitatio hujuſmodi dignoſcitur pertinere.

10. Item, quia multæ eccleſiæ & monaſteria in partibus ſupradictis adeo mole aſſertorum debitorum cameræ apoſtolicæ, collegio dominorum cardinalium & familiaribus ſunt oppreſſa, quod impoſſibile eſſet eis de hoc ſatisfacere; & ob hoc contingit frequenter viros eccleſiaſticos propter metum ſententiarum in celebratione divinorum impediri, & quandoque ipſorum aliqui ſcientes ſeu ignorantes ſe ſic ligatos, nihilominus divinis ſe immiſcent, cenſura eccleſiaſtica contemta vel neglecta. Unde ſupplicant præfati, quatenus omnia dicta arreragia ſeu debita de cetero nullatenus exigantur, ſed omnino remittantur; quodque proceſſus & ſententiæ, quorum occaſione hujuſmodi latæ fuerunt, penitus tollantur & ligati abſolvantur, quantum opus eſt, & cum eis ſuper irregularitatibus, ſi quas contraxerint, diſpenſetur.

11. Et quia non debet naſci injuriarum occaſio unde jura naſcuntur, conquerendo humiliter exponunt ſæpedicti ſupplices, quod Romani pontifices ab aliquibus annis etiam quaſlibet cauſas ad ipſos per ſimplicem querelam vel appellationem quamlibet, quæ de ſui natura & de jure communi deberent committi, examinari & decidi in partibus, commiſerunt examinandas & decidendas in curia Romana, quod cadit in turbationem juriſdictionis eccleſiæ, quam papa tenetur unicuique ſervare, nec non in præjudicium non modicum litigatorum, adeo quod oportet frequenter, quod habentes juſtam cauſam cedant juri ſuo & redimant vexationem ſuam. Unde ſupplicant præfati, quatenus ſanctitas veſtra hujuſmodi cauſas ad partes committat vel remittat, ſecundum juris diſpoſitionem.

12. Item, quia ex multiplicatione regularum cancellariæ, quæ ut plurimum ſunt ignotæ etiam peritis & litteratis quibuſcumque, & ſæpe juri communi adverſæ, multæ intruſiones, lites, intricationes, & alia inconvenientia quamplurima quotidie proveniunt, & in futurum ſunt diſpoſita evenire: Supplicant præfati, quatenus hujuſmodi regulæ omnino tollantur, in quantum juri communi contrariantur, & quod lites & cauſæ beneficiales & aliæ ſecundum juris communis diſpoſitionem ordinentur & decidantur, & regularum quæ manebunt debita publicatio fiat.

13. Item, licet de jure communi & ratione quacumque pronunciatur male appellatum, & bene proceſſum & ſententiatum, cauſa debeat remitti ad judicem a quo eſt appellatum, etiam pro executione ſententiæ diffinitivæ; nihilominus curia Romana totum ſibi retinet, nec hujuſmodi remiſſionem facit. Unde ſupplicant præfati, quatenus ipſa & ejus auditores, quoad hoc juris communis diſpoſitionem obſervent.

14. Item, licet de jure canonico poſſit ad ſedem apoſtolicam, omiſſo medio, appellari: quia tamen ex hoc frequenter, & præſertim curia in remotis exiſtente, contingit partes laboribus & expenſis onerari; ſupplicatur, quod curia exiſtente extra montes, partes quæ erant ultra montes teneantur gradatim, & non omiſſo medio appellare, ſecundum diſpoſitionem juris civilis, & e contra ſervetur, curia forſan extra montes tranſlata, quoad eos qui ſunt citra montes.

15. Item, provideatur de judicibus non ſuſpectis, coram quibus exemti poſſint convenire in locis tum inſignibus infra diſtantiam a jure permiſſam; vel conſtituantur de conſenſu exemtorum judices in ſingulis diœceſibus,

cesibus, ad quos habeatur recursus in talibus opportunis.

16. Item, quod capellani honoris, quorum multiplicatio & frequenter personarum incongruitas in Romanæ curiæ transit opprobrium, non fiant a modo, nisi de personis notabilibus & actualiter servientibus, & ad id ordinetur circa receptionem familiarium domini nostri papæ & dominorum cardinalium, saltem quoad illos qui non sunt veri commensales, vel officiales sedis apostolicæ, & de numero condecenti.

17. Et quia factæ sunt multæ exemtiones a paucis citra temporibus, & sæpe venali, ut fertur, commercio, ex quibus inconvenientia sequuntur innumera, quæ vix calamo scribi possent, & præsertim impunitas delictorum & audacia illa quasi super hæc data venia perpetrandi. Supplicant igitur præfati, quod ista a modo non fiant, & quod factæ per Petrum de Luna & Angelum Corrario in odium prosecutionis unionis, revocentur in districtu.

18. Item, quod dominus noster papa, qui pro tempore fuerit, non alienet villas, castra, ceteraque terras districtus, & jura ad Romanam ecclesiam vel alias inferiores ecclesias pertinentia, nisi justa de causa & rationabili, & de consensu ecclesiæ universalis. quod si contrarium factum fuerit, irritum sit & nullius firmitatis, & in quantum de facto factum fuerit, revocetur.

19. Item, quod dominus noster papa, qui pro tempore fuerit, non det pignori nec hypothechæ bona quæcumque immobilia ecclesiæ Romanæ, vel aliarum ecclesiarum inferiorum, sine justa causa & rationabili, & de consensu collegii dominorum cardinalium, vel majoris partis ipsorum : & illorum quorum interest. quod si contrarium fecerit, nullius firmitatis sit, & in quantum de facto fuerit factum, revocetur.

20 Item, quod dominus noster papa mandet celebrari concilia provincialia per metropolitanos & ipsorum suffraganeos, secundum formam juris & concilii generalis, cum ex ipsorum omissione multa inconvenientia provenire dinoscantur.

21. Item, mandet similiter capitula monachorum nigrorum & canonicorum regularium de cetero de triennio in triennium celebrari secundum formam concilii generalis, & constitutiones felicis recordationis dominorum Honorii III. & Benedicti XII. & deputari in singulis provinciis semel præsidentes seu executores, qui auctoritate apostolica hujusmodi capitula convocent & celebrent, ac jura super hoc edita executioni demandent.

22. Et quia limitatio provinciarum facta per Benedictum XII. qui quandoque duas vel tres provincias vulgares in unum conjunxit, non posset de præsenti, obstante temporis malitia, observari ; statuat dominus noster, quo ad hoc standum esse juri antiquo, impedimento durante antedicto, ut videlicet provincia communis & vulgaris possit pro se concilium provinciale celebrare, ex quo commode cum alia propter impedimentum aliquod non potest convenire.

Responsio ad I. capitulum. Sanctissimus dominus noster Alexander papa V. salva semper potestate & præeminentia dignitatis ac potestatis papalis, salvis etiam privilegiis, libertatibus ecclesiarum, quibus non intendit in aliquo per sequentia derogare, potestatem apostolicam ac libertatem ecclesiasticam singularum ecclesiarum, quantum in ipso est, conservare illæsas ad supplicationes infrascriptas respondet, ut sequitur.

Responsio ad II. capitulum. Sanctissimus dominus noster conformans se votis supplicantium, intendit, prout ex debito officii sibi injuncti tenetur, totis viribus circa præmissa laborare, & ea executioni demandare, regratiaturque supplicantibus de eorum devotis & caritativis oblationibus ; exhortans eos, quatenus in præmissis exsequendis velint cum eo operam præbere efficacem.

Responsio ad III. capitulum. Dominus noster libenter providebit, ut supplicatur, & deputati sunt reverendissimi patres domini cardinales Albanensis, Aquilegiensis, de Thureyo, & Burdegalensis, qui vocatis aliquibus notabilibus prælatis, magistris & doctoribus de hoc sacro concilio, ordinabunt constitutionem super præmissis necessariam.

Responsio ad IV. capitulum. Cum dominus noster reformationem fecerit in parte, ut patet ex ordinationibus infrascriptis, & plenius reformare intendat in capite & in membris, ut supplicatur ; propterea deputabit aliquos notabiles viros, qui se informabunt, prout statui ecclesiæ & necessitati temporis viderint convenire ; & referent domino nostro, qui plene reformabit reformanda secundum gratiam sibi datam.

Responsio ad V. capitulum. Dominus noster non intendit facere translationes de invitis, nisi ex causis ingentibus, & parte super illis vocata, & de consilio & assensu majoris partis dominorum cardinalium.

Responsio ad VI. capitulum. Domino nostro placet, quod in ecclesiis cathedralibus & majoribus monasteriis vacantibus deinceps fiant electiones canonicæ, quas libenter confirmabit, dummodo non peccent in materia vel forma, in omnibus reservata sibi confirmatione electionum usque ad triennium, quo tempore debet celebrare concilium generale.

Majora monasteria censeantur, quorum fructus pro statu totius monasterii communi æstimatione summam ccc. florenorum cameræ excedunt. Minores abbatiæ confirmentur auctoritate apostolica per ordinarios.

De reservationibus inferiorum. Ad articulum de reservationibus inferiorum bene-

ficiorum reſpondetur, quod dominus noſter ordinabit viros notabiles, qui viſitabunt reſervationes beneficiorum, & tollent iniquas & exceſſivas, & modificabunt. Et idem de aliis regulis cancellariæ, & per hoc eſt reſponſum ad XI. capitulum.

Ad articulum de multitudine gratiarum expectativarum reſpondetur: Placet domino noſtro, quod prælati & alii collatores, patroni eccleſiaſtici habeant facultatem conferendi & præſentandi uſque ad certum numerum beneficiorum, ſcilicet uſque ad quartam partem numeri collationum ſeu præſententionum quæ ad eos ſpectant, gratiis expectativis apoſtolicis non obſtantibus. Ita videlicet quod poſtquam duo apoſtolici fuerint proviſi in virtute gratiæ expectativæ, ordinarius facultatem habeat conferendi ſeu præſentandi auctoritate apoſtolica tertium beneficium vacans, & ſic ſucceſſive, donec numerus quartæ partis ſit conſumtus.

RESPONSIO AD VII. CAPITULUM, VIII. & IX. Ut toti clero & populo Chriſtiano appareat cum quanta caritate dominus noſter intendit procedere in præmiſſis, licet onera importabilia ſibi incumbant, retentis pro ſe & ſacro collegio atque familiaribus a tempore ſuæ creationis, communibus & minutis ſervitiis, & annatis beneficiorum auctoritate apoſtolica conferendorum, dummodo valor communis beneficii XXIV. florenorum cameræ excedat, non intendit etiam uti reſervatione & perceptione ſpoliorum, neque fructuum medii temporis, neque procurationum. Vult tamen quod obſervent viſitantes terminos juris, & quod ſuper beneficiis dominorum cardinalium non recipiantur procuratores, propoſitione eum tangente dumtaxat. Item, arreragia ſeu reſidua domino noſtro pro portione eum contingente dumtaxat debita de præmiſſis uſque ad tempus ſuæ creationis liberaliter remittit dominus noſter.

RESPONSIO AD X. CAPITULUM. Dominus noſter conformabit ſe diſpoſitioni juris communis in præmiſſis taliter, quod ſupplicantes merito debebunt contentari.

RESPONSIO ad XI. CAPITULUM. Reſponſum eſt ſupra in VI. capitulo, articulo ſecundo.

RESPONSIO AD XII. CAPITULUM. Dominus noſter concedit in criminalibus.

RESPONSIO AD XIII. CAPITULUM. Dominus noſter conformabit ſe juri communi.

RESPONSIO AD XIV. CAPITULUM. Dominus noſter vult plenius ſuper hoc deliberare.

RESPONSIO AD XV. CAPITULUM. Conceditur ut ſupplicatur, & confert poteſtatem ordinariis libere auctoritate apoſtolica procedendi tam in civilibus, quam in criminalibus contra quoſcumque aliter aſſumtos.

RESPONSIO AD XVI. CAPITULUM. Dominus noſter non intendit tales exemtiones facere, & caſus particulares declarentur, & ipſe libenter providebit.

RESPONSIO AD XVII. & XVIII. CAPITULA. Dominus noſter non faciet alienationes vel hypothecationes de bonis immobilibus eccleſiæ Romanæ vel aliarum eccleſiarum uſque ad generale concilium, in quo maturius ſuper his deliberabit.

RESPONSIO ad XIX. XX. & XXI. CAPITULA. Dominus noſter concedit ut ſupplicatur.

GREGORIUS PAPA XII.

ad ſchiſmatis extinctionem offert celebrari generale concilium ex tribus obedientiis.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS, ET GLORIOSISSIMÆ GENITRICIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI MARIÆ SEMPER VIRGINIS, ET TOTIUS CURIÆ CÆLESTIS. Amen.

REPLICATIO.

Circa eas reſponſiones, quas retulit egregius vir dominus Garſias de Turribus de Valentia factas ſibi apud nonnullos dicti domini Benedicti papæ, ad ea quæ eidem tulerat parte Caroli de Malateſtis minimi ſervi ſanctæ matris & univerſalis eccleſiæ, pro unionis tractatu, &, Domino faciente, ejus effectu. *Ex inſ. Cardinalium Leodienſium.*

Primo conceditur, experientia, proh dolor! efficaciter probante, tantam quorumdam fore malitiam, quorumdam autem ignorantiam & perplexitatem, quorumdam vero vecordiam & puſillanimitatem, quod niſi Dominus Deus ſui miſericordia Chriſtianæ calamitati ſubvenire dignetur, videlicet, aut mirabili ſua poteſtate impiorum corda coercendo, aut corrigendorum mentes humiliando, nulla ſpes veræ reintegrationis & unionis adeſt populo Chriſtiano.

Sed quia nemo divinæ bonitatis opem expectando, debet differre ex debito caritatis proximorum miſeriis ſubvenire, quin immo, quam majores cognoverit, illis ſolertius ſubvenire tenetur. Is præcipue, qui vicem Domini noſtri JESU CHRISTI agit in terris, cujus miſericordia ſuper omnia opera ejus, papa GREGORIUS paratus eſt cum ipſo dicto BENEDICTO & ſibi obedientibus tractare, proſequi, & Domino auxiliante concludere, quæcumque putaverit ſeu profutura ei oſtenſa fuerint veræ reintegrationi ſanctæ eccleſiæ & unioni populi Chriſtiani, & nedum cum ipſo, verum cum omnibus aliis ſuæ juſtitiæ & veritati adverſantibus. ſicque hortatur prædictum nuncupatum BENEDICTUM, quod ſuam quam offert bonam voluntatem extendere & ampliare velit, quemadmodum ipſe papa GREGORIUS paratus eſt, non ſolum circa ſanos mente, ſed ægrotos. Sententia quidem Domini eſt: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Euntes ergo diſcite quid eſt? miſericordiam volo, & non ſacrificium.*

Licet enim diviſionem diviſioni addiderint, prætenſo unionis zelo, & laniatis diſtra-

ctiſque ſacris canonibus, errorem adinvenerint pejorem priore, non tantum ipſos extra gremium ſanctæ matris eccleſiæ conſtitutos, ſic deſerendos fore videtur papæ GREGORIO, attento quantæ foret jacturæ tot principes, tantamque plebem divinum profitentes nomen, permittere in præcipitium baratri ruere: quamquam decepti orbatum ducem inſequantur.

Ut quidem media apta veræ unioni, quantum Domino favente & faciente, nullatenus ex parte papæ GREGORII deficiant, modos iſtos proponit.

Quia duo præcipue videntur neceſſaria ad ſacram ſanctæ Romanæ eccleſiæ reintegrationem, & veram populi Chriſtiani unionem:

Primo, quod habeatur unicus & indubitatus paſtor, quamvis nullum dubium canonicum ſit de eo.

Deinde, quod ab omnibus recipiatur, & illi ſpontanea exhibeatur obedientia ab omnibus.

Quamquam multum interſit inter concilium mixtum ex Catholicis & ſchiſmaticis, quod fieri potuit habilius & magis canonice ſine turbatione, ante turbationem Piſis factam, & concilium quod nunc poteſt fieri ex catholicis & ſchiſmaticis, eo quod tunc erant catholici plures ſchiſmatici, cum quibus catholicis eſt ineunda ſynodus, ut habetur XXIV. quæſtione III. *Cum quibus*. Nihilominus papa GREGORIUS credidit poſſe auctoritate apoſtolica admittere ad concilium ſchiſmaticos, quod & voluit, & cum eis providere effectualiter & pro integratione unionis Chriſtianorum, nulla via rationabili excluſa. Sed iniquitas impedivit. Vult enim & appetit nunc, quod auctoritate apoſtolica indubitate congregetur, his non obſtantibus.

Nullum quantum apud homines eſt penſata diverſitate, magis cernitur medium, quam quod concilium generale congregetur ex catholicis & ſchiſmaticis, his quidem rationibus. Nam recte conſiderantibus nulla eſt certior auctoritas & poteſtas terminandi dubia apud univerſitatem Chriſtianorum in præſenti, quam hujuſmodi univerſalis congregationis. Et hæc quando ſecundum canonum auctoritatem, ſanctorumque patrum alias conſuetudinem congregata fuerit, & quia renunciatio & ceſſio non valet ſimpliciter unionem facere. Et multa poſſent dubia oriri circa indubitati paſtoris electionem faciendam, quæ non poſſent quavis alia auctoritate tam indubie & effectualiter terminari, quantum fieret per poteſtatem hujuſmodi concilii debite & indubitate congregati: propterea ut unicus & indubitatus paſtor habeatur, videtur papæ GREGORIO opportunum fore concilium hujuſmodi congregari.

Secundo, quia opportunum videtur ad ſacram ſanctæ Romanæ eccleſiæ reintegrationem, & veram populi Chriſtiani unionem, quod unicus paſtor ab omnibus recipiatur, & illi ſpontanea exhibeatur ab omnibus obedientia, nullaque ſit planior & patentior via, quod unicus paſtor ab omnibus recipiatur, & illi ſpontanea exhibeatur ab omnibus obedientia, quam via hujuſmodi concilii generalis: propterea hujuſmodi concilium univerſale congregari opportunum præcipue videtur. Patent hæc, prima ex notoria ipſius veritate; ſecunda, quia ſi communiter in unum conſentiant ſponte, vel ſaltem ex majori parte tam ratione, quam auctoritatis plurium reverentia, quin immo Spiritus-ſancti, quia debite erit eccleſia ſancta congregata, cogentur acquieſcere. Unde minime dubitandum eſt, quod illum non recipiant omnes, & ſpontaneam illi non exhibeant obedientiam. Quod ſi aliter fieret, experientia teſte, nec ab omnibus reciperetur, nec illi ſpontanea exhiberetur obedientia; propter quod quamvis eccleſia ſancta dividi nequeat, non tamen ſacra & optata ſanctæ Romanæ eccleſiæ reintegratio fieret, & vera populi Chriſtiani unio.

Modus autem videtur papæ GREGORIO utilis & opportunus ad congregandum hujuſmodi generale & indubitatum concilium, quod communi, ſi fieri poſſet, omnium trium congregetur conſenſu, & auctoritatem ſinguli præbeant, quam habent vel prætendunt habere.

Communis conſenſus & auctoritas trium exigitur, ut ab omnibus indubitata teneatur auctoritas hujuſmodi concilii; quia nequaquam dubitabile eſt, quod in altero trium poteſtas papatus ſit, & plena auctoritas eccleſiam congregandi.

Modi duo videntur opportuni pro ordinata hujuſmodi univerſalis concilii congregatione: quia ad ipſius ordinationem quatuor ſunt neceſſaria, videlicet modus, locus, tempus, & ſecuritas. Modus reſpectum habet ad principales & ad principalibus obedientes; ſcilicet ſi perſonaliter principales adeſſe voluerint, vel per eorum procuratores, quod modus talis inveniatur, qui omnibus ſit æquus & communis, deinde ad vindicandam utilitatem prædictæ eccleſiæ Romanæ ſpiritualem & temporalem.

Graves quidem jacturas ex ſuo diſceſſu catholicis ovibus ſibi a Domino commiſſis, & præſertim illis, quæ uſque nunc in ſui obedientia perſtiterunt, papa GREGORIUS imaginatur claris rationibus eventuras, eo ſpecialiter tam longe abeunte, relinquendo ipſas in perſecutionibus non parvis, & maximo pavore futurarum: quæ quodammodo in foribus adſunt, propter quod de mercenarii redargutione reprehendi forte non immerito poſſet, ſi veniente lupo, licet non fugiens, ſed tamen recedens, relinqueret oves, deinde veniret lupus, & raperet, & diſpergeret

quod usque adhuc congregatum remansit ovile.

Præterea BALTASAR, qui se JOHANNEM nominare præsumit, facilius terras Romanæ ecclesiæ usurparet, & qui favorem auxit sibi seu ex muneribus, seu ex timore, quanto illi augeretur dominium temporale prædictis rationibus usurpationis obedientiæ spiritualis, major facultas præberetur, quæ quantæ forent jacturæ in spiritualibus & temporalibus sanctæ Romanæ & universali ecclesiæ, quemlibet non insanæ mentis fateri necesse est. Ad fugiendum ergo damna ecclesiæ Romanæ, recedere de Italia & tam longe accedere contradiceret.

Ad vindicandam autem utilitatem prædictæ ecclesiæ, putat utile fore conventionem ipsorum adinvicem fieri in Italia: nam quia propinquiores erunt tertio adversario, facilius poterit tractatus veræ unionis ventilari, & Domino faciente concludi.

Et si ex defectu suo steterit, quin unio optata non sequatur: quia patentius videbunt subditi ecclesiæ ipsius pravitatem, & ipsorum duorum bonam intentionem, ab ipso recedent; quod non in parvam ipsius confusionem redundabit & veritatis favorem, non solum coram Italis, sed etiam coram ceteris Christianis.

Ceterum si alter ipsorum remaneret papa, vel alius per renunciationem ipsorum eligatur, labor cessabit, saltem quo ad majorem partem, temporalia bona ecclesiæ adquirere. Expertum quidem diu fuit, propter absentiam Romani pontificis, statum ipsius dilapidatum & sæpius perditum, & per ipsius præsentiam recuperatum. Tam igitur propter damnum evitandum, quam propter utile vindicandum, papæ GREGORIO videtur potius ipsum & dominum BENEDICTUM convenire debere in Italia, quam extra, dato quod possibilitas & modus conveniendi idoneus & æqualis utrique foret.

Et si dictus BENEDICTUS voluerit ad partes Italiæ accedere, offert papa GREGORIUS illi duas civitates, quas habet juxta mare, ut ad alteram ipsarum, quam maluerit, possit venire. Nomina civitatum sunt Ariminum & Fanum, loca satis ampla, & tuta, & bene munita per divinam gratiam ab omni hostili incursu. Et quam istarum eliget, faciet in manibus suis libere assignari, ut possit ibi tute & libere stare, donec tractatus sacræ unionis durabit, & inde recedere pro libito voluntatis. Et si Ariminum eliget, ubi præsentialiter est papa, GREGORIUS ipsum evacuabit, & sibi libere dimittet, & ad alium locum illi propinquum accedet, ut possint facilius de sacra unione tractare, & Domino concedente concludere. Et quia arcem non habet, faciet sibi consignari quatuor vel quinque arces castrorum, quæ in circuitu ejus sunt. Et ad majorem tutelam pro obside dabitur sibi, si voluerit, GALEOTUS filius legitimus Malatestæ fratris Caroli, quem ipse CAROLUS nutrivit, & pro filio tenet, quia caret filiis. Et sciat prædictus BENEDICTUS, quod filii quondam nobilis militis Galeotti & de Malatestis nullum alium filium legitimum habent. Et si adhuc aliam voluerit cautelam, omnem sibi possibilem offert.

Et quia dubitandum est, quod quamvis circa hæc omnia uterque ipsorum sit bene dispositus, BALTASAR adhuc in sua obstinatione perdurabit: Propterea videretur papæ GREGORIO bonum & utile, quod potentibus Christianorum notificaretur utriusque bona intentio tam clare & aperte, quod possent manifeste perpendere eos non quærere quæ sua sunt, sed quæ JESU CHRISTI, & exhortari eos atque deprecari, quod vellent divinæ ecclesiæ favere, & justitiam causæ ipsius & tranquillitatem atque commodum cuilibet privatæ affectioni præponere, convocando ipsos ex parte amborum cum protestatione, si fuerit expediens, ante tribunal æterni & ineffabilis Judicis in die tremendi judicii, si justitiæ & æquitati sanctæ ecclesiæ & Christiani populi neglexerint favere: cum eis data sit potestas & validum brachium ad vindictam malorum, laudem vero bonorum.

RESPONSIO DOMINI CAROLI ad relata sibi per dominum episcopum Cervientem parte domini Alexandri.

PRimo ad partem benedictionis dictus dominus meus respondet, quod illam nec respuit, nec recipit. Non enim respuit, quia si papa estis, dominus suus estis, a quo reverenter illa acceptari debet, & tunc ipse reciperet devote, sicut a ceteris retro pontificibus. Sed nec recipit, quia nondum sibi constat vos esse papam. De oblationibus autem regratiatur quantum potest. Dicit tamen in hac re, quod dominus genitor suus eum & fratres reliquit in obedientia Urbani sexti, quem tenuit esse verum pontificem, & sic ipsi illum, deinde successores ejus, videlicet Bonifacium, Innocentium & Gregorium in veros summos pontifices habuerunt. Postea vero quamquam res ad præsentem terminum ducta sit, dicit nondum sibi clarum fuisse istum esse fautorem schismatis, & incorrigibilem, & hæreticum: immo ab eo semper intellexit dispositum velle adimplere quæcumque promiserat. Et scitis vos, domine, quod dominus meus, quando hic fuit, ita ipsum esse futurum pro pace & unione sanctæ matris ecclesiæ, & quod ne dici posset ipsum simpliciter velle præminere concilio, contentus erat quod unum omnium communi partium consensu congregaretur concilium; pro eo obtulit, & ulterius eum intendere omnia quæ determinationi concilii

Anno 1409. *Ex mss. bibliotheca regia.*

viderentur. Si autem constitisset de sua incorrigibilitate, non adhæsisset sibi; sed statim secutus fuisset quod debitum fidei exigebat, sicut catholici alii fatentur bene. Quod cognoscit eum non penitus feciſſe quod poterat & debebat ad uniendum ecclesiam, sicut nec ab ista parte, loquendo cum reverentia, visum est sibi actum esse; non tamen intelligit adhuc eum deliquisse in tantum quod incorrigibilis reputari debeat & hæreticus condemnari, nisi oppositum sibi demonstretur. Stat ergo sic dubius & cum mente tenebris plena, & ideo ex toto corde cupiens instrui ac informari quid veritas dictet, sicut ad hunc finem pluries peti fecit, excellentiæ vestræ facit iterum supplicari, quatenus de gestis hucusque & concluſis hic dignemini facere eum clarum fieri, sicque habeamus copiam omnium actorum & processus & finem, &c. quibus veritate justitiaque comprehensa, illam fideliter ac devote sequetur. Si enim hæc esset res confusa sibi, & non cognoscere posset aliter quid agere deberet, posset dicere quod crederet & teneret quod pluries tenuerat. Ecce si in symbolo quæratur: Credis in Deum? Credis in Filium a Patre genitum, in Spiritum-sanctum ab utroque procedentem, &c. respondere possum: Credo & teneo quod sancta mater ecclesia, & mihi sufficeret. Sed in hoc postquam Deus tantum sibi conceſſit, quod videt & percipit causam dubii, & rem esse talis naturæ, quod potest ejus veritatem intelligere; videretur errare multum, si non curaret informari. Sed nec hoc tantum dominus meus dicit pro seipso, quin hortetur dominationem vestram, ut hæc omnia patentia fiant ceteris. Scit enim ipse a certo quod multi & multi ex populo Christiano dubitant hoc tempore, similiter mentes habentes tenebrosas, ut nec cognoscant, quod non sunt de veritate informati, quid tenere debeant sive sequi. Credatis quod de talibus, quod omni vice qua venient ita perplexi ad obedientiam vestram, plorantes & lacrymis pleni venient, dicentes id Davidicum: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi*, quis est pontifex, & *dominus tuus*. Dimittanturque temporales corporum vexationes, quæ verisimiliter, nisi Deus ipse provideat, sunt timendæ mortalibus. Sed in mentibus adhuc ipsorum graviores molestiæ & passiones ipsos torquebunt. Agite igitur, domine, & moveat pios mentis vestræ oculos caritativa gratia sic fluctuantes, compassio ad aspiciendum ipsos, sic providendo; si justitiam habetis, ut per participationem actorum processus & hujusmodi omnes informentur, ut per hunc modum veritatis via agnita, illam sicut debebunt postea mente tranquilla sequantur. Nec miremini, sive molestum habeatis, domine, si dominus meus per se hanc petat informationem, prius quam accedat ad obedientiam vestram. Si enim illum recognovit in papam, & modo faciliter eum relinqueret, non cognita veritate, quid de vobis in ipso per ejus adhæsionem constantiæ sperare possetis? Sed debito incedendo modo credere debetis, quod quando cognoverit vos dominum papam, faciet pro vobis tunc, nulli parcendo labori sive periculo. Et quamquam oblationes non renuat, tunc dicit tamen satisfacturum sibi, quod vos cognoscat dominum suum, cui servire gratia erit, & vos ipsum cognoscatis in servum vestrum.

Ad partem concordii respondet, quod dominus meus quousque dominus Gregorius fuit Arimini, numquam destitit operari totum suum posse ad illum reducendum ad omnia quæ possent prodesse unioni, nec aliud consequi potuit. Deinde ante creationem quemadmodum cogitavit viam alias intimatam. Nunc vero rebus sic existentibus, non videt qualiter ad talem concordiam devenire posset, nisi per unum modum. Sed antequam illum exponam, dominus meus ita præmittit; hactenus ipse vos semper dilexit, & si affectio ad habendum sibi gratum papam debet eum aliqua occasione movere, certe recensitis omnibus de collegio, nullus ex ipsis est sibi magis notus, cum quo habuerit majorem conversationem, & in quo confidentiam & spem certiorem teneat habere posse quam vos. Propterea in affectu loquendo potius optaret vos in papam quam alium, duæque rationes ad hoc ipsum inducunt. Prima, quia semper ipsum dilexistis, & a vobis adhuc, certum se tenet, diligitur; ideo in honoribus quibuscumque & commodis cum D.V. crederet se obtinere bonum locum, &c. Secunda ratio, quia soluerunt pontifices habere affines, ut nepotes & hujusmodi, avidos habere statum; & posset esse quod alius talem haberet, qui sibi invidens de statu suo, procuraret omni modo, ut ille sibi auferretur, & daretur eidem. Nunc autem de vobis considerans, cum tales non habeatis attinentes, de quibus oporteat dubitare, cognoscit tutum in hac parte posse quiescere. Plus ergo quo ad ista faceret pro ipso quod essetis. Hoc itaque præmisso, supplicat dominus meus, ut subdenda patienter intelligere dignemini, quæ a sola caritate procedunt vestri perpetui meriti & gloriæ utriusque. Dicit ergo se recordari, quod in domo domini Aquilegiensis & coram ipso, & similiter in domo vestra complacuit vobis ipsum habere in prandio, ibi ad scalas quousque non ex debito, sed benigna curialitate vestra, dignatus fuistis ipsum associare, dominatio vestra habuit sibi dicere, quod utinam dominus Gregorius renuntiaret, quoniam si per hoc induci posset ad cedendum, contentus eratis secum accedere ad S. Nicolaum de littore, & ibi semper secum morari sibi serviturus. Nunc autem misistis dicendo, quod vobis non crevit

ambitio, sed bene affectio ad proficiendum ecclesiæ. Hoc ipse credit, & scit quod semper vixistis hucusque cum maxima laude, ut firmam habeat opinionem vos cuncta faciliter moturos pro caritate erga fideles. Quapropter cum omni reverentia vobiscum videat habere locum faciendi vos advertere, quod tempus habetis, videtur sibi & viam, per quam statim potestis vos pacem dare populo Christiano. Nam si ceditis, alii sine contentione cedent, & quando hoc fuerit, fuerit causa vestri; & quo etiam ad mundum hic dominatio vestra tantam acquisierit famam, & gloriam & honorem, ut post Dominum Christum nullus umquam hactenus fuerit, nec forte futurus sit, qui vos in illis excesserit, immo nec etiam sit æquandus. Sed & sequi posset quod recligeremini in papam. Apud Deum vero pro tanto pio actu, pro tam sanctissima caritate, centuplum eritis accepturus. Certe quisquis papa est, cum homo sit, faciliter errare potest; & licet gloria papatus fulgere videatur, tamen juxta illud B. Gregorii, gravius inde judicatur, ex quo plus ceteris accepit. De Domino exemplum habetis humilitatis, & verba sunt Apostoli, quod *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Semetipsum autem exinanivit formam servi accipiens, propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi, &c.* Et illud Davidicum: *Vivit Dominus, quoniam quanto magis exaltavit, tanto magis humiliavit me.* Sicut enim hoc ille pro salute omnium & mortem pati voluit; sic & vos, clementissime domine, humiliter vos dignemini & illud relinquere pro salute fidelium, quod si non aliud, mors rapiet tandem, quæ nulli parcere novit; ut & quies, pax & salus omnium per operam vestram, humilitatem & caritatem acquiratur, propter quam & Deus etiam vos in centuplo exaltabit. Dicitis velle prodesse ecclesiæ. Adest tempus indigentiæ, & quomodo magis potestis, quam ipsam laceratam integrare. Pro certo attenta commendatissima vita dominationis vestræ hactenus observata, non sine causa Deus providit, ut ad hanc facultatem veneritis. Non advertatis, domine, quia dicitis Petrum de Luna cito reducendum ad vos, &c. Scit enim dominus meus etiam a persona, cui magnam sicut debet, adhibet fidem, quod dominus Petrus prius efficeretur sclavus domini Gregorii, quam ad aliquid condescenderet placiturum illis qui fuerunt sui cardinales. Quare dictus dominus similis in hoc est B. Thomæ, qui antequam crederet, manum voluit vulneri imponere. Sic & istud ipse prius aspicere volet, quam credere possit. Demum si videro sibi non placere, & ex suis responsis non intendere talem non incipere viam dicam: Vos dixistis de concordia, & illud relinquere domino meo, ipse autem proposuit videre suum. Nihil autem ipse cognoscit pro tali concordia aliud, quam alterum modum, videlicet quod dominatio vestra Gregoriusque conveniatis in uno loco. Et si placet hoc, potestis in una ex terris ejus, vel Ytatrum, in quibus Gregorius securum se tenere debet. Expertus est enim alias ex residentia facta Arimini, similiter & dominatio vestra; quod si dubium haberetis, ecce remedia sunt, ut dare obsides & alia facere de quibus hic alius sermo fuit. Forte enim quia potens est Deus omnem facere abundare gratiam, Spiritus S. cum veneritis inspirabit utrumque, ut hanc inter vos & inveniatis pacem & concludatis. Aliud usque nunc dominus meus non videt, qui ut dubia ista de mentibus hominum abolerentur, illæque serenatæ remanerent, pro publico bono privatum relicturus, contentus certe remaneret, nedum perdere statum omnem, sed etiam remanere nudum. Hoc est verum, & in fine sic apparebit, quod numquam ipse postquam de hoc se intromisit, aliquid intendit propter specialitatem commodi quod optaret; uno modo se habuit circa hæc in publico & privato locutus. Et licet bene tentatus fuerit ut pereret, sicut diminutionem census & alia, numquam voluit, & si tempus aptum haberet, & illud bene cognosceret, aliquid procurare, nec etiam acceptare. Solum profecto motus & hoc operatus est ad finem unionis, pro qua usque ad mortem inclusive non dubitaret quæcumque & facere & pati & operari.

REPLICATIO DOMINI ALEXANDRI ad ambassiatam factam sibi per dominum episcopum Cervienſem, parte Caroli de Malateſtis.

ET ut ipse episcopus Cervienſis retulit, dominus ALEXANDER in hunc effectum respondit, verum fuisse, & in domo domini Aquilegiensis & in domo sua, quando Carolo prandium Pisis dedit, ipsum dixisse: si Gregorius renunciare vellet, quod ipse cardinalatui renuntiaret; & cum ipso promittebat ire ad S. Nicolaum de littore ad serviendum sibi, & faciendum pœnitentiam simul secum; sed quod tunc unus cum Carolo fuit, qui sic respondit: Aliud est papatui, aliud cardinalatui renuntiare. Deinde dixit, quomodo nunc locum habere posset *mecum renuntiare*, quod Carolus petit, Gregorium & Benedictum qui dicebantur & pro hæreticis sunt damnati, & ego electus fui non solum a toto collegio, sed etiam a concilio papa, in quo papatu ita bonum jus habeo, sicut umquam alius certus & indubitatus papa in præteritum habuit. Ita quod pro faciendo hæreticos renunciare conveniens non est, neque necesse quod ego renunciem. Postea chronicam Martinianam assumsit, legens ubi de Alexandro III. continebatur, qui tempore suo duos

Anno 1409. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

adversarios habuit sicut ipse: quorum si bene recordatur, alterum continet chronica in frusta fuisse cæsum, & male etiam alterum finiviſſe, Alexandro in sede victoriosо remanente, qui quousque sibi vitam dedit Omnipotens, universalem obtinuit obedientiam a Christianis. Et ita lecto, junctis manibus hæc verba dixit: Episcope mi, Dominus Deus scit quod hunc papatum ego numquam concupivi, neque quæsivi, neque in eo spem habui. Ab ipso processit quod fuerim creatus de mirabili cunctorum concordia, & spero quod ipse me juvabit, & ipsi me recommendo. Ad partem processuum, quorum copiam dominus episcopus postularat, respondit se multum contentari quod copia Carolo traderetur, & quod non solum ipse sed quilibet rex, princeps & communitas Christianorum dictam haberent copiam intendebat, pro eorum claritate, præcipiendo domino Meletensi quod domino episcopo faceret dictam copiam exhiberi.

LITTERA CAROLI

ad egregium doctorem dominum Marcum vulgariter missa, & sic in Latinum ducta.

Anno 1410. Ex mſ. bibliothecæ regiæ.

AMbassiatam hanc inclusam, domine Marce mi, vobis ecce per gerulum eques destino, quam reverendissimis dominis illis per vos mei cordis est dari; sumto ejus exemplari, ea cum oratione pariter quam alias illis Pisas transmiseram exhortatoriam, ne ad tertii procederent electionem, velut intueri valebitis, nec alteri ejusdem originale cuiquam ostendite. Isti quidem annexa scriptura, indecens sic conspici facit: coagulant quippe quinterni tres scripturam binam, cujus secundæ exordium disposui mutare. Igitur ne diversimode apud alios a mente mea habeatur exemplar, primæ tantum, quæ in illis est, volentibus quibusvis tradatur; alterius neque orationis: tamen apud vos copia sit illius quæ incipit, *Deus omnipotens*, desinit *ubi per me gesta Pisis exordiuntur*, ut tractare & ratiocinari ulterius valeatis, in ejus executionem quod intendo, & justificationem. Illos quidem remittite quinternos tres quos scripsit Petrus Tutius; origo autem sunt, & dilatio quæ infesta foret sacræ opportunitati, transsumi ne tulit. Equidem voti foret per vos verbo referri ambassiatam, sed tamen magis scriptis, quam dilationem ut mente apprehendatis afficere. Et si simul præsentiam reverendissimorum illorum reperire non valebitis, pluribus pariter congregatis perorate, & sigillatim ceteris, seu copiam exhibere scripturarum, sufficere quidem reor. Verba quoque aut cum oraveritis aut exhibueritis scripta servate. Ora quoque illorum notate & signa, quodve eorum intenti persenseritis fore vel autumari valebitis plene nuntiare. Quod si electionem differre non posse assererent, ne serenissimus Ludovicus rex sciens ipsos prosequi viam hujusmodi eos destitueret; dicite audisse me illum in principibus sæculi prudentem justumque, unde nec arbitror sic. Nam putanti sibi bonum fore jus, proderit amplius pontificem fieri unicum & indubitatum, quam ecclesiæ sanctæ divisio. Cum enim in causa judex ecclesia sancta fuit & sacerdos, opulentius justitiæ valebit prodesse judex, cujus nec judicium nec potestas subsannetur, quibus puto intentum adipisci speraturum. Si vero bonum aliter prospiciat, nec minus hoc optaturum odire, & si electionis mora periculum dispendiumve ecclesiæ arguerit, possibilem pontificis morbum & carcerem, quod jam evenisse constat, proponite econtra; cumque nec illum tunc actu potuisse ecclesiæ curæ præesse, nec alium eligi dederint jura, sciant possibile occurri sic & occurrendum fore ecclesiæ jacturæ, cum præcipue minor dilatio exigatur, quam vel febris sive longus carcer exigere valeret & exegerit olim. Iterum vero si objiciant perventa per orbem fama necis dicti apud eos pontificis, & intentionis electionem differri, causa existeret illis obedientiam subtrahendi. Expositum inquite arbitrandum; quotiens enim ad fidelium attigerit cor in eorum certam pacem & unionem differri electionem, amplius placere illis putandum, quam si cum electionis novæ solertia novam maturent divisionem. Bonus præterea effectus ex hoc sperandus, malus vero minime, faciente quidem domino Gregorio quod debet; ipsis vero ita modica dilatio causa certæ reintegrationis & pacis erit, differentibus eis. Renuente autem illo, justum meritum & favorem apud Deum hominesque vindicabunt. Verum non ambigo tamen dominum Gregorium remota occasione quod debet acturum. Rogo itaque dubium hujusmodi non eorum mentes dissecare propter eum qui creavit eos. Credulitatis etiam transmitto litteras in vos, ad reverendissimos illos exhibendas, orandi tempore profuturas. Itaque sacræ & optatæ pacis expeditionem toto posse curate, cum quibus, quomodo & quando vestræ videbitur discretioni. Estote solers, nec minus mora exulet quævis, si electionem decreverint, sciam.

[*] ORATIO (a) NOMINE CAROLI de Malateſtis miſſa cardinalibus Piſis congregatis.

Proponit eis viam ad pacem & unionem eccleſiæ procurandam, ad quam eos hortatur.

Anno 1409. Ex mſ. bibliotheca reg.

DEus omnipotens ac redemtor noſter Dominus JESUS CHRISTUS quemadmodum æternæ gloriæ locum conſtituerat in pace, &c. *Sequitur oratio prolixiſſima ad cardinales, exhortans eos ad pacem & unionem eccleſiæ procurandam, ſub cujus finem hæc leguntur.* Quoniam igitur CAROLUS modicum humanam fovere juſtitiam divini populi juſtitiæ, paci & unioni favere experiebatur, ſed inde deſolationem publicam privatamque magis cernebat intendi & extendi; propterea occurrere, quantum in ipſo diſponebat divina clementia, Piſas accedens, a vobis poſtulavit, quatenus dignaremini in loco a partibus prælecto, ipſis tuto, & univerſali concilio cum domino GREGORIO & domino BENEDICTO, ſi vellet, convenire, in quo univerſale concilium communi conſenſu partium congregaretur. Quin etiam dominus GREGORIUS offerebat ſe velle cuncta per eum promiſſa, vota & jurata ſervare, & ultra quæcumque juſtitia & æquitas diſponebant ipſum pro unione facturum. Circa enim hæc latius, ut ſatis manifeſtum eſt, ſtetit & inſtetit plurib⁹ diebus & vicibus. Quia vero vobis hic exiſtentibus annuere non placuit, ſed potius petere quod dominus Gregorius huc accedere vellet, vel per procuratorem renunciare, vel in manibus aliquorum prælatorum, qui Ariminum accederent concilii nomine, cum opportuno & pleno mandato: vel ſi neutrum horum vellet, quoniam impoſſibile erat vos Alpes tranſire ad alterum propoſitorum locorum accedere, contenti eratis, ſi vellet, ad S. Miniatem vel Piſtorium accedere circa terminum ſui indicti concilii ſecum & cum ſuis illuc convenire. Volebatis tamen quod omnino & abſque ulla contentione ſeu exceptionis aliquo genere, etiam non renunciante domino Benedicto, ipſe abſolute renunciaret & cederet. Offerebatis tamen his caſibus velle ipſum & ſuos honorifice & caritative tractare, latiſſime circa hæc Carolum exhortantes, ut ſecum vellet inſtare, & multa ſpondentes per ipſum domino Gregorio, ſicut vos ſcitis & ipſe Carolus. Et quia hæc prædicto domino Gregorio acceptare non placuit, dicente ſe nullo modo ſecundum Deum & æquitatem humanam implere teneri aut debere. Nam Piſas nolebat nec debebat accedere pluribus rationibus alias allegatis, quæ cauſa brevitatis omittuntur: nec ſimiliter per procuratorem vel veſtrorum in manibus procuratorum, quia nolebat, nec aſſentire debebat, quod a congregatione beneficiis & honore ſacri univerſalis concilii ipſe & ſui fideles excludantur. Nec ipſe ille eſſe volebat, qui ſuis fidelibus inconſultis, ipſos in poteſtate ſuorum adverſariorum & hoſtium poneret, in juſtitiæ conculcationem & æquitatis, & ſuorum devotorum exterminium manifeſtum. Dicebat enim præſentialiter commune Florentiæ mihi & meis fidelibus adverſari publice & hoſtem fore. Inferebat ſe ſatis dolere, quod nolebatis in communi loco partibus tuto, & ſecum, & cum ſuis convenire, ex quo ſacra unio inveniebatur. Verum ex quo nolebatis, feſtinabat ad locum pro ſuo conſilio terminatum, etiamſi deberet mori, accedere, & ſui concilii in omnibus adquieſcere votis & concluſionibus. Cui cum Carolus e contra reſtitiſſet, & quamquam non omnimode conſonas æquitati, velut coram vobis pluries dixerat, veſtras petitiones inſpiceret: tamen ad illas, vel ipſorum alteram obtinendam per tot dies inſtetit opportune importune, per quot ipſe dominus Gregorius manſit Arimini poſt ſuum reditum illuc. Videns tandem per viam hanc nihil potuiſſe proficere coram vobis & ipſo, atque advertens immenſas jacturas & ſcandala quæ imminebant, ſi per viam judicii & non concordiæ res Chriſtianorum publica ventilatur, aliam viam excogitare coactus eſt juxta infra ſcriptum effectum.

1 In nomine SS. Trinitatis & unitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & ſanctiſſimæ & glorioſiſſimæ genitricis domini noſtri JESU CHRISTI MARIÆ ſemper Virginis dominæ noſtræ. Hi ſunt modi qui videntur mihi Carolo poſſibiles ad reintegrandum populum Chriſtianum, & dandam pacem ſanctæ matri eccleſiæ, attenta & experta contradictione voluntatum trium partium, in quibus eccleſiæ ſciſſura viget, cedente & renunciante domino Gregorio & ſimiliter domino Benedicto, vel domino Gregorio tantum, exiſtente quidem eccleſia communi modo loquendo in quatuor partes diviſa, videlicet inter dominum Gregorium & illum qui dicitur dominus Benedictus, & collegia Piſis exiſtentia, quæ quamvis ſe dicant & titulent unum & unitum collegium, conſtat tamen ea duo originaliter eſſe, & unumquodque ſubdiviſionem feciſſe, a ſuo capite diſcedendo.

2 Modus reintegrationis & unionis talis eſſe videtur, quod quilibet, id eſt dominus Gregorius & dominus Benedictus, & quodlibet dictorum collegiorum Piſis congregatorum, conſtituant tres pro quolibet, vel ſex, vel novem, qui habeant voces quorumlibet cardinalium ſeu prætenſorum cardinalium, qui ſupereſſent numero dictorum eligendorum

(a) Hæc oratio per dominum Carolum cardinalibus & aliis Piſis exiſtentibus antequam electus eſſet Alexander fuit deſtinata, ſed cum jam cardinales conclave eſſent ingreſſi, tunc non eſt præſentata, immo poſt mortem Alexandri Bononiæ eſt primo exhibita.

rum & electorum, & hi omnes eligendi cum electi fuerint, conveniant in uno loco tuto & idoneo, & ſecundum modum traditum & terminatum a jure intrent conclave, ubi ſervent mores juris, uſquequo eligant & elegerint communi concordia omnium, vel ſaltem duarum partium, cuilibet dictarum partium unum in verum ſummum pontificem. Non poſſint eligere tamen dominum Gregorium, nec aliquem ex ſuo collegio, neque aliquem qui fuerit curialis, nec aliquem qui ſe ingeſſerit pro parte ſua contra dominum Benedictum, vel aliquod prædictorum collegiorum Piſis congregatorum, poſt aſſumtionem prædicti domini Gregorii ad apoſtolatus apicem. Similiter non poſſint eligere dominum Benedictum, nec aliquem ex ſuo collegio, nec aliquem qui fuerit curialis, nec aliquem qui ſe pro parte ſua geſſerit contra dominum Gregorium, nec contra prædicta collegia. Similiter non poſſint eligere aliquem ex prædictis collegiis, nec ex eorum curialibus, nec aliquem qui ſe ingeſſerit pro parte ipſorum contra dominum Gregorium ſeu contra dominum Benedictum, & hæc omnia intelligantur poſt creationem domini Gregorii in papam, videlicet de fautoribus quarumlibet partium. Ex principalibus vero nullus ullomodo eligi poſſit, videlicet dominus Gregorius, & quicumque de ſuo collegio eſt; & dominus B. & quicumque de ſuo collegio eſt, & quicumque de collegiis Piſis exiſtentibus fuerit. Et ut clarius dicatur quomodo intelligi debeat duas quorumlibet partes debere eſſe concordes, intelligatur in hunc modum; videlicet ſi eligendi per prædictas partes ſint tres numero, duo ex dictis tribus debeant eſſe concordes. Ita ergo conveniente domino B. ſicut veriſimile eſt, electores ſi tres per quamlibet dictarum partium eligantur, erunt duodecim: ſi vero ſex, erunt viginti quatuor: ſi vero novem, erunt triginta ſex. Debeant itaque ex tribus domini Gregorii duo eſſe concordes in electione cum aliis. Similiter autem duo ex tribus domini Benedicti. Similiter autem duo ex tribus cujuſlibet dictorum collegiorum Piſis congregatorum. Si vero fuerint ſex, quatuor ex qualibet parte modo ſupradicto. Si enim fuerint novem, ſex ex qualibet parte modo ſupradicto. In caſu vero quod dominus Benedictus cum domino Gregorio & prædictis collegiis convenire noluerint, ſerventur inter dominum Gregorium & collegia prædicta modi ſupradicti.

3 Hi autem modi ſervandi videntur non volentibus a juſtitia & æquitate diſcedere, & non volentibus ultiones & ſcandala ſuſcitare. Primo namque exiſtente dubio qui ſint veri cardinales, ſi fiat electio per duas partes omnium qui ſe dicunt cardinales, non poteſt eſſe dubium utrum electus in ſummum pontificem eſſet canonice electus. Præterea quod maxime attendi debet in tractatu pacis, partes eſſent tutæ a dubiis ultionum, eſſent inſuper quietæ, quia nullam ab altera ſuperatam fuiſſe puderet. Servaretur etiam honeſtas partium, quia æqualitas ſervaretur uniuſcujuſque partis erga aliam, nec contendiſſe probarentur propter privatam ambitionem & commodum, publicum bonum præponendo privato. Si vero aliter fiat, quomodo fieri poteſt, cum quilibet partium prædictarum ſe publice & maxime offenderint. Si aliquis ex læſis vel qui læſerint fuerit aſſumtus in papam, quomodo is qui fuerit illi hoſtis ſe tutum putet, qualemcumque promiſſionem aut ſecuritatem acceperit, cum difficillimum aut impoſſibile ſit ſummum ligare pontificem? Si vero objiceretur Carolo cum dicat, quod per hunc modum certa & canonica electio fiat unius veri & indubitati paſtoris; ecce ſi dominus Benedictus huic viæ noluerit aſſentire, eum ſe verum & indubitatum pontificem dicat, & a multis reputetur, aut videatur reputari: illo non aſſentiente, ſui etiam contradicent huic viæ: quomodo ergo per viam iſtam verus habebitur paſtor & indubitatus? Reſpondetur & primo quod non eſt putandum quod tam manifeſte vellet ipſe & ſui a via diſcrepare vera.

4 Præterea alia adeſt ratio. Per hanc viam præſupponitur, quod dominus Gregorius omnino cedat & renunciet. Triplici ergo cauſa tenetur dominus Benedictus cedere. Prima eſt quia promiſit, vovit, & juravit, fuit electus ſicut apparet. Alia ratio eſt, quia manifeſtum eſt ipſum pluries promiſiſſe cedere, ſi & in quantum dominus Gregorius cederet. Tertia eſt quod per ſuum concilium terminatum fuit, quod ſi & quando dominus Gregorius ceſſerit, ipſe debeat & teneatur cedere velut apparet. Et hanc terminationem, ſupplicante humiliter concilio ſuo, quod dignaretur acceptare & approbare, ſic fecit. Terminationem ergo ſuam & concilii ſui nullum adeſt veri ſimile quod velit infringere, nec ulla adeſt ratio per quam illam poſſit revocare. Et ſi, quod abſit, revocare voluerit vel infringere, non eſt veriſimile quod qui ſui ſunt velint contra ipſorum terminationem illi favere in revocatione tam impia in qua ſe & ſuos damnaret ex publica ſententia ſui & ſuorum proprio ore promulgata.

5 Eſt adhuc alia cauſa, ſi non optat mendax publice videri, quia dixit unionem diligere & proſequi toto mentis affectu. Cum ergo viderit unionem in facto ſuum concilium non produxiſſe, viam hanc debet ſequi, vel iſta proponere meliorem. Si ergo vobis eccleſiæ principibus Piſis exiſtentibus apparet tantum jus fovere, quod veſtra auctoritate poſſitis & potuiſtis dominum Benedictum ejicere & damnare, quanta vobis au-

getur auctoritas, si propria sententia ejus & suorum sequacium ipsum damnatis, adjuncta etiam potestate & auctoritate domini Gregorii & suorum sequacium, quæ juridictione & numero apud multos non minima est. Certe præter certitudinem magna causa, magnus color, magna multitudo, magnus favor acquiritur unioni.

6 Ex prædictis igitur multisque aliis debet putari quod dominus Benedictus & sui hanc viam acceptabunt; quam si acceptaverint, vera fiet reintegratio & unio sacra divini populi, & pax sancta in ecclesia militante: si autem non, nihil ex hoc perdi periculum est, certi vero lucri adhibetur causa. Debet ceterum dominus Gregorius hanc viam acceptare, vel aliam meliorem proponere, parcat sanctitas sua, si non vult plus quam mendax deprehendi & plusquam perjurus. Nam cum sæpe & apud plurimos dixerit velle cedere & renunciare, dummodo videat exinde veram unionem & pacem sequi populo Christiano, & dummodo per suam cessionem & renunciationem pars sibi fidelis non confundatur aut periclitetur, quoniam per viam hanc, canonice & pacifice cedente ipso, futuri pastoris electioni providetur, & cujuslibet partium honore, æquitate & securitate etiam providente quantum in homine est, de futuro bono pastore, quia per viam hanc amoris & odii causa removetur & pretii prona commoditas ad peccandum per quæ omnia sæpe contingit in elevatione pastoris exorbitari. Quod si dixerit, quod Deus avertat, ideo nolle hanc viam acceptare, quia si dominus Benedictus non cesserit, vera reintegratio non sequeretur & unio, animadvertat supplicatur, quod dominus Jesus Christus numquid omnes redemturus esset effectualiter; sed sufficienter Verbum caro factus est, & sub Pontio Pilato passus & mortuus. Numquid si bonus pastor non omnes simul oves pascere poterit, plurimas volet fame perire? Non debet etiam ambigi vestras reverentias propositas vias acceptare, vel proponere meliorem quæ ad pacem sit Jerusalem & ad abundantiam diligentibus eam.

7 Nullo enim modo credendum est, eos qui fuerint obedientiæ Gallicæ, viam cessionis per eos repertam fuisse propositam, & potissime prosecutam oblitos esse, cujus sub compendio causam visum est fuisse & justificationem, ut certa tam de facto quam de jure unio pacifica & caritativa sequeretur in populo Dei. Dubitabatur namque quia ex facto jus oriebatur, de testium veritate dicenda, cum unumquemque diceretur alteri affectum parti, immo partialem esse. Nunc vero quid? Numquid aliquis reperietur qui non sit vobiscum aut cum illis? Et si de subornatione timebatur tunc, quot nunc sunt qui non deponant in proprio facto, vel qui sint a multa immunes subornatione. Si dicebatur tunc quia nemo bonus judex in causa propria, quis nunc judex reperietur in causa aliena? Si tunc dubitatur quod concilium universale non posset congregari, ex eo quod si præsul Romanus convocasset, Gallici nollent ad ejus mandatum accedere; si vero Gallicus, similiter nec Romani. Nunc autem, quod certe nos docet experientia, quod si tunc unum de jure factum fuisset, duo de facto fuissent, aut nullum. Nunc vero hoc lucrati sumus, quia tria dicuntur universalia & sacra a diversis concilia esse de jure, quia unaquæque pars suum dicit sacrum & universale concilium.

8 Tria quoque de facto sunt universalia nomine, sed non relictæ plures sunt personæ in uno quam in alio. Dicebatur tunc quia si duo capita concilio præfuissent, admirabile monstrum, pulcherimam immaculatæ Dei sponsæ faciem deturpassent, cum tamen & ipsi sic convenire potuissent ad actum illum, ut alteri non fieret præjudicium ex præeminentia & principatu alterius, sicut & vos conveniistis. An forte distantia localis deformitatem aufert, si præfuissent in uno loco uno corpori duo capita. Nunc vero, aut unum corpus Christi Domini dicitur, aut plura, qui audet dicere, plura dicat: si vero unum tantum, licet loco distent, uni corpori tria incumbunt, & levius supportatur. Si tunc unus tantum præfuisset, dicebatur visum fuisse arte latam sententiam, quam discussum de jure partium. Nunc vero non sic, quia cum alter vestrum præest in occidente, alter in meridiano, & alter in septentrione, veritatem unusquisque coram præside dicere timuisset: nunc vero nequaquam, sed parcendum est, quia caritas Dei & proximi aucta est valde ab illo tempore atro, cessionis viam caritas exhortabatur dominos Gallicos proponere, ne partium detegeretur injustitia, maxime cum multi essent absque dubio, qui justitiæ se opposuissent vel opponebant potius zelo justitiæ Dei & ecclesiæ sanctæ, quam alia malitiæ causa agebant.

9 Igitur dubitantibus doctoribus & diversa sentientibus, rudes qui ex zelo fidei errabant, impium apparebat confundere, & præcipue quia impossibile erat cunctos factum nosse ex quo jus oriebatur, assenserunt eis effectualiter dominus Gregorius & dominus Benedictus & unicum collegium. Probant scripturæ authenticæ. quomodo ergo contradicent? An alii suis promissionibus, voto & juramento? An alii suis sententiis & conclusionibus? Nequaquam utique credendum, nisi forte Deus mutatus sit, cum scribatur: *Non sit tibi Deus recens, nec adorabis Deum alienum*, aut forte mutatum est domini mandatum quod proprio edidit ore de dilectione proximi, aut forte mutatus sit proximus postquam ipse statuit unumquemque proximum

esse & præsertim qui crediderunt in filium Dei. Si vero non mutatus est Deus, non mutatus est proximus, non mutatum est mandatum de caritate proximi, eadem est disciplina, & major si major opportunitas adest. Imminet reverendissimis patribus Italicis alia obligatio, forsitan cum appareat pluribus instrumentis ejusdem tenoris.

10 Verba hæc insuper præfati domini cardinales voverunt, juraverunt & ad invicem promiserunt, quod per suas litteras infra mensem a die inthronizationis prædictæ collegialiter intimabunt de electione facta necnon de voluntate & promissione sua quoad unionem prosequendam. Et omnia supradicta omnibus præfatis dominis, prout & sicut facere teneretur qui erat electus, aut etiam inchoata mediabunt, prosequentur, & firmabunt quantum in eis erit, nihil de contingentibus necessariis vel opportunis quomodo libet seu ubilibet omittendo. Quæ omnia & singula promiserunt inter se ad invicem, & viciſſim ut supra attendere, observare, facere, exequi & effectualiter adimplere, bona, pura & sincera fide, omni dolo & fraude cessantibus. Et sic quilibet ipsorum juravit manu tactis sacrosanctis evangeliis coram eis præsentialiter positis observare, adimplere, exequi, prout superius continetur; quodque a prædictis promissione, voto, obligatione, ac juramenti præstatione, & ejus observatione ac omnibus & singulis supradictis nullus eorum absolutionem petet seu impetrabit, per se vel alios, & impetratis impetrandis non utatur, & sibi concessam, nullatenus acceptabit. Nec data potestate alteri per ipsum, faciet se absolvi, seu etiam secum in altero dispensari; sed volet perpetuo dicto vinculo remanere obligatus. Verba autem voti & juramenti domini Gregorii ad quæ hæc referuntur hæc sunt, *& ad omnem aliam viam rationabilem, per quam prædictum schisma tollatur & unionis sequatur integritas in ecclesia Christianorum.*

11 Ideo nec credendum est ipsos propositas non acceptare vias, vel quod meliorem non proponant, per quam verisimilius & facilius unio fiat. Si namque dominus Gregorius ideo perjurus est, fautor schismatis antiquati, & consequenter hæreticus, quia viam cessionis malitiose produxit & subterfugit, non est putandum quod domini Italici velint esse perjuri & fautores schismatis antiquati; immo quod Deus avertat, novi suscitatores schismatis, & consequenter hæretici, non acceptando de propositis viis rationabilibus unam per quam sequatur integritas in ecclesia sancta. Dato etiam quod dominus Gregorius unam viarum quas juravit non acceptaverit, & male fecerit, nonne vos, reverendissimi Italici, alias omnes rationabiles promovere, & alias omnes rationabiles propositas vobis per quemcumque sequi tenemini, per quas integritas sequatur Christianorum? Et si unam omittatis, numquid qui in una perjurus fuerit, omnium factus est reus?

12 Si dicatur, tanto tempore instetimus, nihilque huc usque profecimus. Et si usque ad extremum punctum instetisſetis, & optime in extremo puncto aliquid omiseratis, quomodo excusabimini coram justo judice, cum juraveritis mediare, prosequi, & finire, quantum in vobis erit, nihil de contingentibus necessariis vel opportunis quomodolibet vel ubilibet obmittendo? Contingentia enim satis juxta sanum voventium & jurantium sensum intelligi debent omnia emergentia, quæ ad unionem conferant, licet etiam non fuerint tunc tractata explicite & deliberata per voventes & jurantes; cum vero votum & juramentum ad finem reintegrationis Christianorum factum fuerit, necessaria intelligi debent quæcumque unionem producunt, & sine quibus reintegratio fieri non potest. Opportuna quoque quæ effectum reintegrationis adducant; utilia quidem quæ cum majori fidelium commoditate & proficuo. Maxime igitur & plusquam opportune per quoslibet fideles, præcipue quidem per eos qui principantur ecclesiæ militanti, & præter communem obligationem tenentur per vinculum voti & juramenti nihil de contingentibus, necessariis vel opportunis quomodolibet seu utilibus omittere, immo omnem viam tractare & sequi per quam schisma tollatur & unionis sequatur integritas in ecclesia Christianorum. Considerandum esse videtur si viæ per eos inceptæ veram inducturæ sint reintegrationem Christianorum verisimiliter, vel potius si antiquum nutrituræ schisma & novum pejus priore paraturæ.

13 Præterea esto quod per judicium rectum & satis de jure clarum schisma tollatur, utrum verisimile sit, quod per viam judicii de facto tollatur? Satis namque faciliter non per cogitationem, sed per certam experientiam videri potest & manifeste palpari, si via cujuslibet partis attenditur. Fecit dominus Benedictus concilium suum, & ad ipsum non accessit dominus Gregorius, nec pars sua, nec vos Pisis congregati. Judicium ipse & ejus concilium tulit. Renuit dominus Gregorius, renuistis & vos & subsannastis utrique. Convocastis vos Pisis concilium, non accessit dominus Gregorius, nec dominus Benedictus, provocastis utrumque inferendæ privationis & damnationis minis. Accusastis contumaciam, processistis terminos statuendo, prorogando, expectando, nec alter eorum venit. Demum vestram tulistis sententiam, nec creditur aut putatur quod minimus eorum vestræ sit sententiæ pariturus. Convocavit dominus Gregorius concilium suum, quod pœne inceptum est, ex quo

certus fructus minime judicari poteſt. Verum tamen haud dubium cogitari poteſt, quod niſi aliud proponat, tractet & concludat in ſuo quam factum ſit in aliis, modicum reintegrationi & paci ſanctæ matris eccleſiæ proderit. ſic & alia.

14 Dicat quicumque velit ex partibus, debet unuſquiſque adquieſcere veſtro judicio. Verum & bonum eſſet, ſi fieret. Sed ſic fiet quemadmodum factum eſt triginta annis & uno. Conceditur quod ſufficit & prodeſt judicium, quando inveniuntur adquieſcentes rectitudini illius; ſed quando non, quid in facto prodeſt? mementote omnes, quod ideo principaliter per xx. annos & ultra deteſtata fuit via judicii, quia ultra rationes quæ ſupradictæ ſunt, dicebatur aperte quod quantumcumque judicium rectiſſimum latum fuiſſet in cauſa ſchiſmatis, quæ inter Romanam partem & Gallicam vertebatur, pars contra quam judicatum fuiſſet, nequaquam acquieſceret, & propterea quod per viam judicii non apparebat veriſimile, quod ſchiſma tolleretur.

15 Ceſſionis via inventa fuit per Gallicos, & tandem acceptata per illos qui erant Romanæ obedientiæ. Nunc vero o utinam tanta eſſet in hominibus bonitas aucta, quod eſſent parituri judicio, vel quod reperirentur princeps vel principes potentes & juſti, qui nolentes partes acquieſcere juri, ſua poteſtate compeſcerent. Sed qui ſunt illi qui poſſint ſi velint; aut velint ſi poſſint? Cum ergo clariſſime comprehendatur, quod juſtitiæ & judicio unius partis, etiam quamvis rectiſſimum fuerit, abſque eo quod dubium ſit, duæ aliæ partes minime conſentient, immo ab illo diſſentient illi opponentes & totaliter contradicentes; non videtur hæc via judicii ſic agitati contingens, opportuna ſeu neceſſaria, vel utilis ad reintegrationem in eccleſia Chriſtianorum; maxime, quod Deus avertat, quia apertiſſime videtur, quod niſi vos, reverendiſſimi patres & domini, ab illa deſiſtatis, tres fient papæ, ut ita dicatur & ſic antiquus error non toiletur, ſed fiet unus noviſſimus pejor valde priore.

16 Dicetis forte alii noluerunt tollere ſchiſma, ſed inſimul colludere, contra eorum promiſſa vota & juramenta antiquatum ſchiſma nutriere: debemus ergo rem ſacræ unionis ſic indiſcuſſam relinquere & indefenſam? certe ſi ſic eſt, non; ſed debuiſtis & debetis cum modo juridico & poſſibili, quantum in vobis eſt, procurare, quod nefandum & peſtiferum ſchiſma tollatur, & ſacra unionis reintegratio fiat in eccleſia Chriſtianorum, quod juravit dominus Benedictus, & dominus Gregorius, juraſtis & vos. Sed inſipiens eſt medicus, qui ferro aut cauterio utitur, cum poſſit placido unguento ſanare. Inſipientiſſimus autem, qui videt unguentum proficere, & ferrum officere, & utitur ferro, & unguentum ſpernit. Credite reverendiſſimi patres & domini, credite, quia ſi propoſitas vias ſive alteram ipſorum acceptatis, vel meliorem proponetis & proſequimini, quæ ſit æqua & pacifica, vel dominus Gregorius vel dominus Benedictus acceptabunt, vel non; ſi ſic, ſacra unio, vera reintegratio & glorioſiſſima pax fiet in eccleſia ſancta & populo Dei: ſi vero, quod Deus avertat, dominus Benedictus non acceptaverit, & dominus Gregorius ſic, tum ſolus remanebit dominus Benedictus, quod Deo domino non contradicente, quod minime dubitandum eſt, unio ſacra ſequetur. Si autem nec dominus Gregorius, quod Deus avertat, certe ſimiliter ipſe tam ſolus remanebit, quod ſacra omnino unio quin fiat præteriri non poterit. Et ſi quiſque partium dicat, quare uſque nunc non derelinquunt partes foventes juſtitiam ſequaces eorum? certe ſi veritas concedatur, hoc ideo, quia de jure partium dubitant, & quia nulla eſt, quæ non reperta ſit multotiens ſibi ipſi contradicere, & multa contra adverſarios ſuos objeciſſe, quæ quandoque frivola, quandoque calumnioſa deprehenſa ſunt, etiam per publicas ſcripturas, quandoque vero tamquam falſa reprobata. Adeſt inſuper alia ratio, quia miſeri & infelices quomodocumque ſubjecti viderunt partes adverſantes ſuæ, cum unaquæque tamen proponeret unionem, nihil aliud quærere, nihil aliud intendere, quam ut adverſarios ſuos ſuperet, conculcet & confundat.

17 Objicietur forſan licet ſæcularibus, immo tenentur ſchiſmaticos non ſolum laïcos ſed clericos laici vi & armis compeſcere & manum in eos exercere violentam, in carceres trudere, & atrocibus affligere pœnis. Reſpondetur, ſed nonne magis allicere decet & cum pace ad eccleſiæ reducere unitatem? Ferrum pro ultimo remedio leges conſulunt ſtatuuntque. qui ſunt inſuper qui nunc a ſchiſmatis delicto immunes ſunt? Parcant omnes ſi verum fateri non erubeſcerent, quilibet iſtarum trium partium principales tales adhibuere modos, quod cum juraverint ceſſionis & cujuſlibet alterius modi viam tenere juſtam & renuntiabilem, per quam ſchiſma tollatur, & ſequatur integritas, aut negligentia eorum, aut odio, aut ambitione ſchiſma prorogatum eſſe non diffiterentur; & per conſequens nec eos non fuiſſe antiquati ſchiſmatis fautores. Si dicant quod omnes viam ſecundum juris rigorem ſecuti ſunt debitam, certum eſt quod duæ ſunt viæ, judicii & concordii. Si una integre ſervata eſt & alia omiſſa, cum ſit juſta, utilis & neceſſaria, quomodo omiſſio illa, quæ vel per ignorantiam craſſam & ſupinam eſt, vel ex odio oritur, ipſos & unumquemque ipſorum a perjurio & favore ſchiſmatis excuſabit? quam viam, quam operam, quam diligentiam adhibuit aliquis ex principalibus trium partium

ad captandam concordiam inter eos dicat.

18 Postquam convenistis in unum unita collegia, unumquemque suæ intentionis victoriam exquisisse ardenter manifestum est. Nescitur vero quod quisquam concorditer unionem aut prosecutus vel ex se ipso saltem expertus fuerit, cum tamen quicumque vestrum judex fuerit in causa hac. Secundum sacras sanctiones & eorum votum & juramentum & apparens propositum debuisset viam concordii vigori præponere juris & viæ judicii. Inquit enim apostolus : *Ad verecundiam vestram dico, sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit judicare inter fratrem & fratrem suum, sed cum fratre in judicio contenditur. Et hoc apud infideles. Jam omnino quidem delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos : quare non magis injuriam accipitis? quare non magis injuriam patimini? Sed vos injuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Quis est ex vobis, qui vellet secundum merita & demerita judicari? Si nullus adest, audiat Dominum: *Nolite judicare & non judicabimini.*

19 Et si dicatur per alteram partium trium, judicium nos sumere opportunitas coegit & non voluntas, quoniam nobis alii absque jure adversabantur & adversantur. Deus dominus scit, qui est cognitor cordium. Verum tamen audiant illi consilium ejus, de quo scribit propheta. *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Inquit quoque ipse admirabilis consiliarius. *Esto consentiens adversario tuo dum es in via, ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde donec reddas novissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente, ego autem dico vobis, non resistere malo. Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tollere, dimitte illi & pallium. Et qui te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo : qui autem petit a te, da ei; & volenti a te mutuare ne avertaris. Audistis quia dictum est antiquis : diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, bene facite his qui vos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Si enim diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facietis?*

20. Attendite quod prælati non solum ad præcepta, sed ad consilia Domini obligantur : quia jugum perfectionis impositum est super eorum colla, & ipsorum interest esse perfectos. Et quoniam multiplicatio delictorum & respectus personæ in quam delinquitur & personæ delinquentis, majorem pœnam meretur & difficilius veniam; si quis ex altera partium hoc dixerit, concedatur. Sed memorent supplicatur, quod nullus in ecclesia, officio & dignitate major fuit Petro : non papa, quia Petri successor quilibet vocatus est; non cardinales, quia nullus eorum, etsi post B. Silvestrum vocatus est domini papæ frater aut filius, non tamen in ecclesia majori dignitate vel potestate fulget quam papa? Nec papa, sicut supradictum est, majori quam Petrus. Et tamen dum Petrus a Domino quæreret : *Domine, quotiens peccaverit in me frater meus, dimittam ei usque septies? Dixit illi* Jesus, *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Super quo doctores dicunt, quod dicendo septuagies septies, totiens Dominus intelligi voluit, dimittendum peccatum fratri suo in ipsum peccanti, Petrum & successores suos per eos, quotiens in ipsos peccaverint fratres eorum; in cujus figuram usque huc amplo & nusquam anterius clauso pallio Romanus pontifex operitur. Et sic quamvis multi sint reservati casus in ipso, tamen de quolibet simplex sacerdos in articulo mortis potest absolvere, quia quæ semel aperuit crucifixus Dominus brachia, numquam ad eum accedentibus claudere voluit ad salutem.

21. Sed dicetur : non redeunt. Non sufficit simpliciter pastori, si per se oves non redeant ad ovile. Nam bonus pastor, norma, dominusque pastorum, inquit Scribis & Pharisæis murmurantibus, quod ipse publicanos & peccatores recipiebat : *Quis ex vobis homo qui habeat centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat illam, & cum invenerit eam, ponit in humeros suos gaudens, & veniens domum, convocat amicos & vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem quam perdideram? Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justos, qui non indigent pœnitentia.* Et si dicat quilibet partium contra alteram, quia maximum est peccatum scandalizari ecclesiam, & præcipue per eos qui amplius debent servare illam & custodire. Promisit Petrus apostolorum princeps non relinquere Dominum, etsi omnes eum reliquerint; & non solum Dominum reliquit, non solum in eo scandalizatus est, sed negavit, & quod non noviset hominem detestatus est & juravit; & tamen sic scribit Apostolus : *Primo Dominus resurgens visus est Cephæ, post hoc undecim.* Saulus non solum ecclesiam scandalizavit, sed ipsam fuit persecutus, & ipsam quantum in eo erat perimere totaliter conabatur. Et sicut, inquit, Augustinus, non cum aliquo suo merito bo-

no, immo cum ſuis multis demeritis malis a Domino vocatus eſt, & vas electionis & doctor gentium conſtitutus. Et ſi iratus eſt Dominus ſervo ejus, quia noluerit dimittere conſervo ſuo, ſicut Dominus ejus dimiſerat ei, & dixit: *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, nonne ergo & te miſereri oportuit conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Et tradidit eum tortoribus quoad uſque redderet univerſum debitum; quanto magis quiſque veſtrum ſe tradendum tortoribus dubitare debet, ſi non remiſerit ex corde fratribus ſuis, maxime ſi ſeveritas illa, immo plus quam perverſa crudelitas, non ſolum ſit eccleſiam ſanctam Dei ſcandalizatura, ſed quantum in hominibus erat periclitatura totaliter. Et ſi Pater veſter cœleſtis eſt ſic facturus cuilibet, qui privatus privatum propter certum debitum tenens ſuffocavit, quanto magis unumquemque veſtrum aſperrime puniet, ſi propter incertum debitum, ſed certum odium & ſuperbiam, univerſam ſuffocabit eccleſiam? Aut ſi non propter hoc, ſed propter juſtitiam principatuum veſtrorum, qui tamen non veſtri ſunt, ſed Regis regum & Domini dominantium.

22. Attendite igitur, ſancti domini univerſi, ſanctæ matris eccleſiæ principes filiique, ne humani principatus juſtitiæ cultum, immo potius idolatriam colatis. Nam quicumque ſtatuam ſuam erigit, cupiens ſe coli in templo Domini, & non prodeſſe ſubjectis, in quorum utilitatem Dominus adoratur & colitur, idolum eſt abominandum. Attendite ne veſtri principatus juſtitiam præponatis divino honori, eccleſiæ commodo, pietati, naturæ, Chriſtianæ religioni, & venerandæ ſacerdotii diſciplinæ. Mementote quod verba Veritatis ſunt: *Qui ſe humiliat, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur.* Sed ſi forte quilibet veſtrûm dicat: Tarde veniſtis, & præcipue vos, reverendiſſimi domini Piſis conſtituti, dicentes quia jam ſumus conclave intraturi: vel ſi intraviſſetis, magis Carolum de negligentia proponendi hanc viam vobis placeret arguere; dignum ſe ante omnia multa pœna fatetur, & correptioni debitæ ſe obnoxium offert & promtum. Noceat tantum ſibi delictum ſuum, ſupplicat, & non eccleſiæ ſanctæ Dei & univerſo populo ſuo. Utinam celeritas eligendi dominum Benedictum, & celeritas eligendi dominum Gregorium antequam pars adverſa fuiſſet requiſita, & ejus expectata voluntas, utrum cum aliis voluiſſet convenire vel non, non plus nocuiſſet reintegrationi Chriſtianorum, quam nocuiſſet eligendi dilatio. O quotiens a minore veſtrûm uſque ad majorem tantæ pœnituit feſtinantiæ! O quotiens CAROLUS hoc didicit a pluribus ex vobis, dum Piſis vobiſcum intereſſet; nec immerito, quia quantum conſiderare valet humana fragilitas, ſi gravitas prudens inconſultam feſtinantiam ſuperaſſet, aut nunc eccleſia pace potiretur, vel ſi qua fallacia latitaſſet, jam amiſiſſet ſui operis vires, & miſeri Chriſtiani ab ineffabili perplexitatis anguſtia, qua nunc torquentur, & in qua nunc perire titubant, redderentur immunes.

23. Tentare Deum eſt, quæ experta ſunt nocere, & peſſimum parere fructum, jugiter & iterum experiri præſumere. Ulterius dicatur, quod eccleſiam vacare paſtore maximum eſt periculum, & quod omnis eſt nimis periculoſa dilatio. Advertite, reverendiſſimi patres & domini, ſupplicatur humiliter per illa viſcera Domini noſtri JESU CHRISTI, per quæ, cum Deus impaſſibilis eſſet, paſſus eſt ut gregem ſuum diſperſum congregaret in unum. Dato quod in conclavi eſſetis, & jam conveneritis inſimul, nemine diſcordante de uno eligendo, utrum per viam illam citius & certius verum, unicum & indubitatum ſibi paſtorem de jure & de facto recipiet populus Chriſtianorum. An ſi differatis quouſque experiamini, quod communi omnium conſenſu unus eligatur, vel ſaltem domini Gregorii & ſuorum fidelium; vel ſi noluerit ad minus notum fiat vere & non ficte ſuis, quod per ipſum ſolum ſtat quominus uniatur eccleſia, cum ad ipſius ceſſionem expediat dominum Benedictum cedere vel omnino confundi. Et quouſque domino Gregorio tam rationabiles & æqui modi proponantur, ipſo abſolute cedente, quod ipſe nec ſe nec ſuos per modos illos qui proponentur dicere poſſit oppreſſos injuſte & conculcatos & relictos abſque eorum ſecuritate.

24. Ex hoc quidem, reverendiſſimi patres & domini, conſiderate, Carolus deprecatur, quod concordii & pacis via, ſi lente graditur, citius unionis bravium attingit. Penſate quod Apoſtolus docet: *Neſcitis quod hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium; ſic currite ut comprehendatis.* An forte veſtras paternitates expectare tædebit pauliſper, donec cum domino Gregorio fratres veſtri ad eamdem imaginem & ſimilitudinem creati, qua vos ipſi creati eſtis, & eodem redemti ſanguine, & eamdem vobiſcum glotiam expectantes vobiſcum convenerint, vel ſi noluerit ipſe dominus Gregorius, illi de veſtra juſtitia doceantur, & non diſcrepent a nobis in ſententia, qui non diſcrepant a vobis in fide? Et ſi dicatis: tantam paſſi ſumus injuriam, ad eos qui pro nomine ejus ſanguinem effuderunt, & clamabant ad eum: *Uſquequo, Domine ſanctus & verus, non vindicas ſanguinem noſtrum, & non judicas de his qui habitant in terra?* Audite Dominum dicentem: *Requieſcite, adhuc tempus modicum, donec impleatur numerus fratrum & conſervorum veſtrorum.* Et ſi dicatur: Nullus veniet. Certe ſi viderint fratres veſtri vos viam pacis æquam potius amplecti, quam viam judicii, quam uſque adhuc voluntariam ſuſpicati ſunt, non vos derelin-

quent multi, sed favebunt, si principes sui etiam inhibuerint, nolentibus illis in via æquitatis convenire vobiscum. Numquid forte ignoratis quod sapientium est plumbeo pede & lento incedere gradu ad ea quæ reprehendi valent, restaurari vero nequaquam? Animadvertite itaque, si ad electionem acceleratis unius, quod non solum unionem non facitis, sed trivisionem.

25. Nec vos decipiat, quod omnes sint vestram secuturi sententiam, nisi manifestam judicii vestri inspexerint rectitudinem, & quam omnino videre non poterunt, etiamsi vos illis putabitis ostendisse, nisi palpaverint, quod per eos, quos in suos principes coluerunt, concordia defuerit & unio Christianorum. Parcant omnes o suis principibus sic ex abrupto annuentibus quibusdam, infelix felicitas & glorioſa desidia, qui cum de minimis etiam teneantur informari, nec simplici assertioni aures præbere, de his quæ ad maximum reipublicæ Christianorum commodum spectant & propriam concernunt salutem, prius judicant quam dignentur audire: o perplexitati compatiendum illorum, qui quanto amplius de negotiis istis audiverint, & partium secreta palpaverint, tanto quibuslibet minus credunt & tanto amplius scandalizantur in illis, & sive ad dexteram, sive ad sinistram ierint, penitus non discernunt. Sed cum quilibet partium dicat suum esse sacrum & universale concilium; si quis eorum, quod Deus avertat, verbo & non opere hæc omnia facienda probaverit, & ad excusandas excusationes adjecerit; pudor foret tot partium, immo universalis ecclesiæ immutare sententiam. Numquid ignorat, quod Domini, qui de seipso dixit: *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*, sententia fuit. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*. Et ipse idem *qui in sui dispositione non fallitur*, in mille dies Ninive non subvertit, justam sententiam sua dignatus est mutare clementia. Præterea canone sic decernitur: *Alma mater ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & consulte, quæ suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius ac rationabilius revocat, in meliusve commutat.* Quis vestrum ignorat, quod positivæ leges sive per papam, sive per concilium, sive per senatum, sive per plebem editæ sint, ad reipublicæ & subjectorum utilitatem statutæ sunt, & secundum temporum variationes & contingentia rerum, possunt & debent propter reipublicæ utilitatem ab illis qui ipsas ediderunt reformari, prætermitti, & aboleri? Quis ignorat Christianus, immo quis negare potest in facto, cum neganti notoriam experientiam fides minime adhibenda sit, quod neutrum indictorum conciliorum, nisi eorum proposita & statuta mutentur, potest pacificam & veram reintegrationem parere Christianorum?

26. Propterea cum nullus videatur potens judicii executor in alios, quis non palam videat, quod novum schisma pariunt & vetus perpetuant? Concilia, cleri cum pace dictum sit, & eorum humili subjectione, executorem non habent, & viam sibi præcludunt, per quam possint habere, stante inter principes sæculares divisione. Solet clerus ipsos ad pacem hortari, & spirituali censura ipsos ad pacem cohibere. Et sic illis contra prævaricantes rebelles clericos gladius subvenit sæcularis. Nunc vero nonne videtis, quod mutuæ caritatis relatio, quæ solet clericis & laicis prodesse, in utriusque jacturam & desolationem pervertitur? quia schisma divisiones sæcularium & maxime in imperio nutrit & novas generat in cuncto populo Christiano, quæ non solum inter gentem & gentem, inter regnum & regnum; sed sunt civilia & plus quam civilia: quia nisi avertat Omnipotens, & vos a vestra duritia relevemini, surget pater in filium, & filius surget in patrem, & conjux in uxorem, & in conjugem uxor, frater in fratrem, sanguis in sanguinem, & attinens in attinentem, & ne aliquod calamitosi belli deficiat genus, homo quanto fidei magis zelator extiterit, tanto intra se majori flagellabitur pugna; quoniam pacem si diligat, non poterit invenire; & cum sibi bellandi opus instabit & urgebit, prius intra se, quis inter vestras contentiones justitiam foveat, & cui adhærere teneatur bello mentali terminare cogetur. Et sic quemquam Christianum clerus ad bellum spirituale & temporale, ad extrinsecum & intrinsecum excitabit. Hoc absit a modo sancti Dei & cleri hodierni sanctitate, quia non est consonum vitæ & honestati clericorum.

27 Considerate igitur, sacri patres, quod si clerus suas præsentes sententias in melius mutaverit, non est ob hoc pudendum; sed omnino pudendum foret, si deprehenderentur prædicare menti dissona verba, aut cum pacem & unionem diligere quilibet dicat, cum inter eos scissura sit, si tantæ fuerint impudentiæ, quod pro unione inter eos trivisionem faciant, & cum his infinita mala & scandala universo populo sibi commisso, in injuriam Dei & desolationem proximi. Considerate itaque diligenter, librate in mentibus vestris, quod nisi vias propositas aut acceptetis, aut reformetis & prosequamini, sive meliorem inveniatis, proponatis & exequamini: & nisi quilibet ex principibus saltem humiliet in conspectu fratris sui animam suam, & nisi pacem plusquam judicium dilexerit, & misericordiam super ultionem, quod jactura & desolatio, ipsas facientibus vobis quantum in vobis est, imminent universo populo Dei. Spem certe pacis, vestra prosequentes judicia, pariter cum ipsa interimitis pace, & nefanda bella, bellorumque origines impiorum suscitatis undique. Si enim

Dominus ad radices infructuosæ arboris securim mittere jubet, quanto magis putatis ad ejus radicem, quæ pessimos parit fructus?

28 Occurrat ergo tot futuris piaculis sacra clementia sacerdotum, & consueta cleri humilitas celebranda. Assint in oculo pietatis eorum depopulationes agrorum, rurium incendia, urbium desolationes, oppressorum gemitus, singultus captivorum, esurientium suspiria, anxietas sitientium, egentium pudor, nudorum tremulum, vulneratorum angustiæ, morientium stridor, parentum lamentum & fletus, quando a dulcibus amplexibus proprios in jugula hostium natos vident evelli, viduarum calamitas, deprædatio pupillorum. Assint futura furta, stupra, incestus, violatio virginum, homicidia animarum & corporum, prodimenta, blasphemiæ, sacrilegia, execrationes, nova hæresum pullulantia germina, dirutiones templorum & violationes, neces sacerdotum, & quod magis est, dirutio & excidium unici templi Domini non manufacti, videlicet militantis ecclesiæ. Et ut breviter concludatur, assint coram vobis universa genera scelerum, quæ propter clericorum detestandam discordiam eventura sunt. Jam de dilecta Domini, propter quam formam servi susceptt, factus pro ea obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, illud propheticum videtur impletum: *Vox in excelso audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.* Si psalmista dicit, quod Deus fortis, patiens & longanimis non irascitur per singulos dies, nonne ipse immediate subjungit: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit?* Quicumque enim parturit injustitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem, nonne sibi ipsi *lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit? Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

29 Numquid cum vestra sacra sacerdotum generatione exsurget gloriosus princeps Constantinus imperator, nondum fidelis monarchiam tenens imperii, elephantiæ lepra percussus, & damnabit eam? Absit: huic enim cum universi medicorum & magorum agmina subvenire non possent, capitolii principes hoc decreverunt consilium, piscinam infantium occisorum sanguine repleri debere: in quo sanguine calido statim ut nudus descenderet Augustus, mox possent vulnera lepræ illius curari. Missum est igitur & de rebus & de patrimonio regis tria millia & eo amplius adducti ad urbem Romam, pontificibus capitolii traditi sunt. Die autem constituto, egrediente Constantino de palatio, & ad hoc eunte in capitolium ut sanguis innoxius effunderetur, occurrit ei multitudo innumerabilium mulierum, quæ omnes resolutis crinibus nudatisque pectoribus, dantes ululatus & gemitus coram eo, se in platea fundentes lacrymas straverunt. Percunctatus itaque qua de causa hæc multitudo mulierum ista faceret, didicit has esse matres filiorum eorum, quorum effundendus sanguis tamdiu esset, quousque piscina replerentur, in qua medendi causa ipse lavandus ascenderet & sanandus. Tunc imperator exhoruit facinus, & se tantorum homicidiorum reum fieri apud Deum existimans, quantorum fuerit noxius puerorum, jussit stare carrucam. Erigens se igitur imperator, & convocans universos, dixit: Audite me, commilitones, sic sæpe nostra contra hostes certamina in præliis stetisse nuncupantur, ut reus esset legibus & capitali sententia puniretur, quicumque aliquem occidisset infantem. Nunc itaque quod in hostium filiis custoditum est, in filiis nostrorum civium exercebimus? ne simus legibus rei, qui pugnando fideliter, de omni gente meruimus esse victores. Quid juvat barbaros superasse, si a crudelitate vincamur? Nam vicisse extraneas nationes bellatorum virtus est, vincere autem vitia & peccata, virtus est morum. In illis autem præliis hostibus fortiores existimus; hic nobis ipsis fortiores sumus: vincimus enim nos ipsos, dum a mala nos voluntate excludimus, & quod inconsulte desideramus, consulte & utiliter exsecramus. Hoc autem facimus, quando voluntates Deorum nostris anteponimus, & divinis desideriis obviantes, nostris desideriis repugnamus.

30 In hoc ergo certamine victos nos esse hac ratione gaudeamus, ut agnoscamus contra nostram salutem nos noluisse pugnare. Nam qui conatur perpetrare quod malum est, captivare utique studet bonitatem. Cum ergo fuerit in isto certamine, victoriam obtinet victus: quoniam victoria perditionem invenerat, & malam captivitatem incurrerat post triumphum, si tamen triumphus dici potest, quando ab impietate pietas vincitur, & justitia ab injustitia superatur. Vincat ergo nos pietas in isto congressu. Bene autem omnium adversantium poterimus esse victores, si a sola pietate vincamur. Omnium etenim se esse verum dominum comprobat, qui verum se servum ostenderit. Si Dominica minante sententia, servus negligens tam acriter punietur de infosso talento, quis putas ex vobis quibuslibet, cujus æmulatione & contentione, sive malitia, seu desidia, vel insipientia tot scandala & mala evenerint, rationem reddet in die illa tremenda, quando vix justus erit securus? prætermittantur cetera, dicat quam rationem reddet de animabus morientium in excommunicatione, & peccatis mortalibus absque confessione, & contritione, & pœnitentia. Heu! quam turbabitur ille, qui horum causa fuerit consensu vel opere, a facie patris orphanorum & judicis viduarum.

viduarum. Quam terribilis sibi videbitur vox illa irrevocabilis & severa, quando rex gladium bis acutum tenens in ore, sedebit super throno majestatis suæ, & horrendam sententiam proferet, dicens: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum; esurivi enim, & abstuliſtis unde manducarem: sitivi, & abstuliſtis unde biberem: hospes eram, & destruxiſtis ubi quiescerem. Nudaſtis me, infirmaſtis me, incarceraſtis me, & volentes me visitare prohibuiſtis.* Et hæc omnia mihi feciſtis, non in uno de minoribus meis, sed a majore usque ad minorem universi populi mei in animabus atque corporibus ipsorum.

31 Audite, sacerdotes, verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël, bonas facite vias vestras & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis; furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare hominibus* superioribus, *& ire post deos alienos quos ignoratis. Et veniſtis & stetiſtis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, & dixiſtis liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego sum, ego sum, ego vidi, dicit Dominus.* Ite, sancti sacerdotes Domini, ad sacerdotium Judæorum, ubi habitavit nomen Domini a principio, & videte quæ Dominus fecerit ei propter malitiam populi Israël. *Et nunc quia feciſtis omnia opera hæc, dicit Dominus: Et locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audiſtis me. Et vocavi vos, & non respondiſtis: faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci eis, & projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros.* Ne vobis adveniat, cavete quod Dominus malis promittit agricolis, inquiens: *Dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Juxta enim prophetam, *hæc dicit Dominus: Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite bene facere.* Et quia gaudium sine pace esse non potest, ut gaudium Domini in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur, rogat universum sacrum clerum Carolus servulus ejus, rogat & vos, pacem habete, *& gaudete in Domino semper. Iterum dico gaudete, modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias vestras in Christo Jesu. Perfecti estote, sicut Pater vester cælestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Gratia Domini nostri* Jesu Christi, *& communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.*

EPISTOLA CAROLI MALATESTÆ ad cardinales Bononiæ existentes.

Hortatur eos ad pacem & unionem ecclesiæ procurandam.

Anno 1410. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

REverendissimi patres & domini, minimus servus S. R. E. supplicat humiliter & instanter reverendissimis dominationibus vestris per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi, qui ecclesiam sanctam dedicavit, desponsavitque sibi, in laboribus, passione, morte & sanguine suis, & per merita gloriosissimæ genitricis ejus Mariæ semper Virginis dominæ nostræ, & per merita omnium electorum & electarum suarum, in quibus sancta Jerusalem militans ædificata est & protegitur. Cum tempus opportunum Dominus præpataverit, & præstaverit facultatem, velitis fidelium conscientias titubantes & obscuras serenare, & reddere ecclesiæ sanctæ quietem, & unionem populo Dei. Rationes enim quæ movent animum suum præstantius putare unionem sacram pacifice fieri, quam per judicium & violentiam. (Quot enim scandala, quot enim mala, quot scelera judicium peperit pro unione & pace quæsita, dominationes vestræ non ignorant & fideles universi, quia experti sunt & experiuntur.) Modos etiam per quos, Domino faciente, fieri valeat, in his scripturis (*a*) per me reverendissimis dominationibus vestris ecce præsentat. Alias quidem eadem scriptura etsi sero injunxerat vobis exhiberi per manus reverendi in Christo patris & domini Pauli episcopi Cervicnsis & egregii legum doctoris domini Johannis de Petra-Longa judicis curiæ generalis Romandiolæ, cum Pisis eratis; quæ præsentari non potuerunt, quoniam in conclavi jam eratis, nec cum instanter deprecati fuissent custodes, quorum intererat vobis tradi, obtinere valuerunt. Fuit enim tunc de tarditate missionis redargutus. Modo autem noscens hunc casum mortis eventæ, (*b*) quam celerius valuit per me dignum duxit exhiberi. Nam videre videtur R. V. in simili casu existere ejus in quo eratis Pisis antequam conclave intrassetis. Deprecatur quoque suppliciter omnipotentem & clementissimum Dominum, ut dignetur sui misericordia cor-

[a] [b]

(*a*) In prolixissimo sermone, quo eos ad pacem ecclesiæ procurandam hortatur, incipitque ab his verbis *Deus omnipotens*, &c.

(*b*) Alexandri V. qui obiit tertia Maii anni 1410. postquam præfuisset mensibus 10. diebus 8.

da veſtra dirigere in beneplacito ſuo, & ad quietem & pacem ſanctæ matris eccleſiæ.

EPISTOLA ORATORIS CAROLI de Malateſtis, ad eumdem Carolum.

De actis Bononiæ cum legato apoſtolico poſt mortem Alexandri V.

Anno 1410. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

MAgnifice & excelſe domine mi ſingulariſſime, juxta mandata M. V. ſentito per me a redeuntibus de Bononia, & tendentibus verſus partes Lombardiæ, de morte Alexandri, frequentavi iter, & acceſſum meum quanto plus potui, & die Dominico de mane recedens de Quiſtalio, Bononiæ hora XXIII. appuli, ubi ſtatim me coram reverendiſſimo legato præſentavi, & ſub credentialibus litteris M. V. prælibatæ, eadem injuncta per eamdem M. expoſui; inchoans a parte illa videlicet, quod ut tolleretur antiquatum ſchiſma pro ſalute animæ & præmio apud Deum maximo conſequendo, & honore maximo quo ad mundum, interponere vellet partes ſuas, allegatis primo rationibus per M. V. mihi impoſitis: demum ad certum habito de morte ALEXANDRI, addidi rationes per M. V. ultimato impoſitas, videlicet qualiter magnificentia antelata ſciebat cardinales de ipſo contentos male eſſe; aliqui livore ducti, aliqui non bene, ut conveniens ſibi viſum fuit, tractati, & quod poſſibile foret unum aſſumi in papam ſecundum ipſos, qui domino legato æmulus foret, ex quo facta ſua contingeret non bene tractari vel terminari, & quod pro Deo vellet ad hoc advertere & operari ne procederetur ad novam electionem, & quod vellet differre & aliqualiter practicari & efficaciter operari, ut tolleretur hoc peſtiferum ſchiſma, quod facere bene poterat ſi volebat, attento potiſſime quod obedientia non habetur a partibus illis quæ non obediunt, quas ſibi nominavi, & quod non plus obedientiæ de novo eligendus habebit, quam habuit hic ſecundum ipſos electus ALEXANDER, &c. omnibus quam melius ſcivi rationibus allegatis, & per M. V. impoſitis, & eidem domino legato expoſitis; ad expoſita reſpondit quod libenter hoc faceret, ſi modum videret poſſibilem. Cui reſpondi quod modus quem magnificentia prælibata aviſaverat & mihi impoſuerat erat bonus, &c. Ad quod reſpondit, quod via convocationis concilii erat nimis longa, & quod etiam via renuntiationis, quam putabat bonam, ſi locum habere poſſet, quam nullo modo comprehendere poſſibilem videbat, quam viam renuntiationis imaginatus fuerat, impoſſibilis erat, attento, inquit ipſe ſuo utens vocabulo, quod Errorius, quem Gregorium M. V. in verum & ſummum pontificem tenet, erat in manibus regis LADISLAI, quem nullo modo a ſe dimitteret; quod hac via ſperandum non erat, & quod cardinales hic exiſtentes nullo modo ſtarent, quin ad electionem procederent, quoniam ſi papam non haberent, non videt quomodo cardinales haberent unde viverent. Item, quia omnes curiales hic præſentialiter moram trahentes, hinc abirent, quod eſſet in maximam ipſorum cardinalium verecundiam & vilipendium. Item ſubjunxit, quod Romam quam ad præſens tenent, ſi papam non haberent, perderent, quod foret majus detrimentum quod pati poſſent. Item dixit, quod regi ALOYSIO, quem cum maximo apparatu de proximo venturum dicit, eſſet maximum damnum; adeo quod fruſtratus eſſet ſua intentione, quoniam ſub hoc nomine, ſcilicet papæ, facta ſua acturus eſt. Finaliter poſt longam ſuper materia diſputationem, concluſit: Dominus tuus dicat & mihi proponat modos mihi poſſibiles & honeſtos, ego non diſcedam ab eo quod mihi dicet, & iſtud ad certum teneat. Ad partes illas quas propoſui magis ipſum ſtringentes, &c. & quod poſſibile foret quod ſibi æmulus eligeretur, &c. quas ſibi tetigi, & ſibi parte M. V. expoſui, reſpondit quod M. V. verum dicit, & quod experto teſtimonium veritatis reddere poteſt, & jam ab omnibus cardinalibus ſingulariter rogatus eſt, ut ſuam vocem dare velit in electione ſecundum ipſos veri pontificis; & quod nullus eſt, qui adhuc dixerit, quod ſibi vocem ſuam dare vellet ut eſſet papa; & quod cognoſcit ipſe quod inter alios ſtare poſſet, quoniam omnes cognoſcit, nec ſe ad minus aliis reputat, licet ſibi poſſit impingi, quod non ſit magnæ conſcientiæ, tamen in aliis alios cardinales vel aliquos ex ipſis excedere putat. Unum bene ſcit, quod plus pro eccleſia operatus eſt ceteris aliis cardinalibus: Sed vadat res quomodo velit, aut ſibi gratus eligatur & bene erit, aut æmulus, & forſitan melius pro anima ſua, & quod fuit & eſt in tantis anfractibus, quod neſcit in quo loco ſit. Adducit etiam rationem, per quam ſe movet, quod non videt quomodo ſtari poſſit ſive papa noviter eligendo, quoniam dubitat Bononienſes, quibus dedit intelligi quod hic curiam haberent, ex qua perciperent utilitatem magnam & præcipue ſperant percipere, contra ipſum commoveri tamquam fruſtratos intentione ſua, & ſibi per cardinalem jam per ante oblata. Item, dixit per cardinales jam tentatum fuiſſe cum domino Imolenſi, ſi volebat ſibi locum dare ſecurum, quod illuc accederent pro celebranda electione novi paſtoris, de quo ſtatim præfatus dominus Imolenſis præviſum reddit dominum legatum. Quare putat tantum fuiſſe tentatum, forſitan timentes impreſſionem, de qua tamen dominus legatus dixit non fore ambigendum. Hæc ſunt, magnifice domine mi, quæ habui a præfato legato ſuper impoſitis a M. V. prælibata, quæ juxta mandata magnificentiæ antelatæ nun-

cianda duxi, Unum, magnifice domine mi, super materia loquens secum, respondendo rationibus suprascriptis, & per ipsum dominum legatum adductis, ex quibus concludebat omnino necessariam fore novi pastoris electionem, dicebam quod interim unus per collegium suum deputaretur, qui ecclesiam gubernaret. Ad hoc respondit, quod nomen papæ est illud quod totum operatur. Quæsivit idem dominus legatus, si dominus tuus optat, summa ope hoc negotium attingere, cogitet modos possibiles mihi, & ego exequar, & pro Deo non ponat tantam temporis tarditatem, quoniam hæc & similia temporis intermissionem non patiuntur. Ideo, magnifice domine mi, si aliquid aliud mandare libet super materia exponendum vel tentandum, potest mandare mihi, & executioni mandabo, juxta magnificentiæ vestræ voluntatis intentum. Nam dixit dominus legatus, quod si magnificentia vestra deliberaret, quod Bononiam evacuaret, quod faciet infallanter, & ad certum teneat hoc.

RESPONSIO AD EPISTOLAM præcedentem.

Anno 1410. Ex mſ. bibliotheca regia.

Recepi litteram vestram, ad cujus partes distincte, Domino præbente, respondeo, & quæ dixero non munus humanum, nec spes munerum, neque ea quæ hujusmodi sunt cogunt dicere. Non insuper humanus pudoris timor, aut quæ possidere visus sum amittendi trepidatio, verum Domini tantum timor, reverentiæ caritas & zelus quietis domus ejus, quicumque credere velint credant, quicumque vero non, improbent, si valuerint, & me testificentur in hoc quia maluerint ratione orbis, quam pretio aut venditum aut emtum. Destinastis mihi litteram, cujus copiam remitto vobis, ut sigillatim responsiones percipiantur uberius. Principium litteræ vestræ hoc erat, in quo narratum est quidquid primo dicendum injunxerat.

Dixistis primo: *Magnifice & excelse domine mi singularissime, juxta mandata M.V. sentito, &c.* ut supra usque *Omnibus quam melius scivi rationibus allegatis, & per V. M. impositis, & eidem domino legato expositis.* Dicenda hæc per vos mandavi sincere, nec aliter aut propter aliud quam dictum sit. Ea quidem quoniam intimata non petunt responsionem. Nunc autem ea quibus replicandum apparet, distinxi velut dictum fuit desuper singulas conclusiones signaculis distinguendo quibus responderi opus postulare arbitratus sum.

Ad particulam primam, scilicet *ad exposita, respondet quod libenter hoc faceret, si modum videret possibilem. Cui respondi quod modus quem magnificentia prælibata avisaverat, & mihi imposuerat erat bonus.*

Errasse me fateor, si impossibile aut inutile ecclesiæ supplicabam. *Ad quod respondit quod via convocationis concilii erat minus longa.*

Ad particulam *Ad quam respondit*, jam alias similiter oppositum fuisse dico, quando unicum concilium fieri communi consensu partium in loco tuto petii, nec tamen experientia docente visum est celerius & perfectius unionem factam fuisse, quam si voluissent petitis assentire. Verumtamen modus alius circa sacram unionem perficiendam absque concilii congregatione possibilis mihi videtur in ista forma, cui dominum Gregorium consensurum non dubitat. Addit etiam quod sperat omnipotentem qui in altis habitat, & intuetur abyssum, ecclesiæ suæ sanctæ sponsæ provisurum quieti, & quod celerius forte quam humana sapientes arbitrentur, implebit illud propheticum, *Judicabit in nationibus implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* Omnipotens quidem & infallibilis Deus est, nec est qui possit ejus resistere voluntati.

Et quod etiam via renuntiationis, quam putabat bonam, si locum habere posset, quam nullo modo comprehendere possibilem, &c. ut supra usque ad illa verba *in manibus regis Ladislai, quem nullo modo a se dimitteret, quod de hac via sperandum erat.*

Ad particulam *Et quod etiam*, scit quod satis saltem eis erit, si quod valuerint egerit pro sacra unione perficienda, tantoque majores eis juris vires & subsidia vindicabunt, aliis adversariis eorum justis & æquis nolentibus assentire, & quod pax ecclesiæ reddatur contradicentibus; sed non absolute putat quod sua dominatio asserit sic esse.

Ad particulam *Et quod cardinales hic existentes nullo modo starent, quando ad electionem procederent*, inquit quod quamquam principibus & potestatibus orbis arbitrium multotiens concedatur, ad licita & illicita perpetranda, executio tamen nocendi ad tempus exhibetur cum moderamine divinæ & infallibilis providentiæ; & sicut remunerationis bonorum non obliviscitur Deus, ita nec malorum supplicii.

Ad particulam *Quoniam si papam non haberent, non videt quomodo cardinales haberent unde viverent*, respondit juxta Domini sententiam: *Respicite volucres cœli, quæ non seminant neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illas; nonne vos plures estis illis?* Verum inspexit per singulos annos jejunium quadragesimale solemnitatem resurrectionis Domini nostri Jesu Christi præcedere. Insuper sanctos apostolos jejuniis & orationibus insudasse, ut acciperent Spiritum-sanctum. Nescit enim qua ratione quis Christianus aut dominationes eorum sperare valeat gaudere cum sanctis, si tribulationes hujusmodi noluerint sustinere cum illis, dicente Apostolo: *Si socii passionum fueritis, eritis & consolationum.* Et dicente Domino: *Nonne hæc oportuit pati Christum,*

& ita intrare gloriam ſuam. Quid ergo homines, quorum quilibet *ſi dixerit quia peccatum non habet, mendax eſt, & ſeipſum ſeduxit.* Ipſe autem peccatum non habuit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Et ſi forte dixerit ipſos velle potius divinæ ſubjacere miſericordiæ, quam humano manifeſte privari ſubſidio, dicit quod certus eſt, etſi aliquando ſimulare videantur, unumquemque qui eis nunc favet, abundantius amminiculatur illis, dum inſpexerit illos ſincere & pure eccleſiæ laborare quieti & populi Chriſtiani, quam ſi viderint privatas ambitiones publicæ Chriſtianorum rei præponere. Nec ſupplicat dominationi ſuæ & aliorum qui noluerint per deambulatoria hujuſmodi circumire, quod Deo hoſtes & hominibus exoſi efficiantur.

Ad particulam *Item quia omnes cardinales hic præſentialiter moram trahentes hinc abirent*, ait quod non putat, niſi de jurgioſis & ſcandaloſis, quorum converſationem eccleſiæ Apoſtolus prohibet. Scit namque quod ſi quæ Dei ſunt quærunt, non diſcederent. Si autem quæ hominum, ſimiliter cum manifeſte eis ſperandum ſit, eccleſiæ proventus ex unione ipſius augendos & non minuendos fore. Solos igitur illos admittit receſſuros fore, qui emti ſunt ut male faciant, male lucrentur, & male lucrum faciant, & maledicant, & univerſam poſſetenus deſtruant eccleſiæ quietem.

Ad particulam *Quod eſſet in maximam ipſorum cardinalium verecundiam & vilipendium*, non putat, ſi mali recedant a bonis propter veritatem faciendam & bonum, bonis verecundiam eſſe, ſed ipſis malis; nec propter hoc a publica utilitate proſequenda diſcedere deberi. Quod ſi relinquerent ea quæ quietis eccleſiæ ſunt, ne ipſi relinquerentur a malis; tunc eis aperte pudendum eſſe cenſeri deberet.

Ad particulam *Item ſubjunxit quod Romam, quam ad præſens tenent, ſi papam non haberent perderent, quod eſſet majus detrimentum quod pati poſſent;* reſpondeo, ſi eccleſia in hoc triſchiſmate permanebit, amittet Romam, & plus quam Romam.

Ad particulam *Item dixit, quod regi* Loysio, *quem cum maximo apparatu de proximo venturum dicit, eſſet maximum damnum, adeo quod fruſtratus eſſet intentione ſua, quoniam ſub hoc ſcilicet papa facta ſua acturus erat*, inquam de duobus alterum eſt; ſeu ſereniſſimus rex Ludovicus juſtitiam fovet in regno, ſeu non. Si ſic, nihil majus ſibi proficuum, quam ut judex ſibi accommodetur juſtus & potens, & cujus judicium propter ambiguitatem juriſdictionis merito declinari non valeat. Hæc autem melius fieri nequeunt, quam ſi juſtus unicus & indubitatus paſtor eligatur. Potentem namque illum ad executionem judicii facere manifeſtum eſt, & ejus non ambiguam ſententiam, cum fuerit ei juriſdictio non ambigua. Si non juſtitiam fovet, quo jure hominum cum detrimento eccleſiæ potius favendum eſt, quam immaculatæ Dei ſponſæ cum juſtitia & judicio veritatis. Verumetiam tanta bona audivi etiam de illo ſereniſſimo principe, quod ſi expediret, publicum bonum favori privato præponeret. Multo ergo magis cum publicum ſuo proſit privato. Scio itaque quod tam juſtus eſt, quod niſi quod juſtum fuerit quæreret, nec ei ineſt titubare futurum pontificem jus ipſi negaturum, præcipue cum talem concordem electionem in virum a Deo electum perventuram eſſe putandum eſt; & ſi jus non habere viſus in lite ſuccumberet, ſperandum ei eſt, pontificem dum videbit optimam ſuam voluntatem, & quod noluiſſet propter ſperatum commodum & quietem ſanctæ matris eccleſiæ impedire, & provideret ſuæ ſereniſſimæ perſonæ de ſtatu condecenti; & ſic credo quod potius eligere debeat certam virtutem, certum, tutumque præmium & gloriam hic & ubique, quam ſpem victoriæ ex bello quæ incertiſſima eſt; & ſine ſcelere in negotio hoc quæri non valet, & ſi ex parte adverſarii deficiet, Dominum Deum propitium ſibi & homines feciſſe glotiabitur.

Ad particulam *Finaliter poſt longam ſuper materia diſputationem concluſit: Dominus tuus dicat & mihi proponat modos mihi poſſibiles & honeſtos, ego non diſcedam ab eo quod mihi dicet, & iſtud ad certum teneat;* dico quod modos propoſui per ſcripturam quam miſi vobis, quæ incipit *Deus omnipotens*, qui viſi ſunt mihi poſſibiles, æqui, juſti, & breves, inſpecta præſenti conditione, & quos firmiter credo dominum Gregorium non renuere. Faciat ergo dominatio ſua ex parte ſua quod offert, debet & poteſt ſupplico; & cum longe ſapientior me ſit, ſi non boni aut incommodi fuerint eccleſiæ ſanctæ quos propoſui modi, meliores ipſe & alii quorum magis quam mei intereſt, proponant, & propinquantur, dummodo ſanctæ eccleſiæ reddatur quies & vera tranquillitas.

Ad alias partes per aliam litteram in brevi reſpondebo vobis.

EPISTOLA ORATORIS CAROLI de Malateſtis ad eumdem Carolum.

De geſtis a ſe cum legato Bononienſi poſt mortem Alexandri V.

Anno 1410. *Ex mſ. bibliotheca reg.*

MAgnifice & excelſe domine, domine ſingulariſſime, die mercurii hora tardiſſima appulit Franchus caballarius magnificentiæ veſtræ, quæ fuit dies ſeptima inſtantis menſis, & mihi breve veſtrum detulit magnificentiæ antelatæ cum intercluſa copia ambaxiatæ, exponenda collegio dominorum cardinalium, & cum quinternis duobus ſeparatim ligatis, exhibendis dominorum cardinalium collegio, & aliis tribus a parte

ligatis, & apud me remanere debentibus; quæ omnia ad integrum de manibus ſuis recepi, & ut appareat quæ jubet magnificentia præfata, nec juxta omnem poſſibilitatem adimpleſſe, ecce ſignifico M. prælibatæ reverenter, quod die Jovis octava menſis me contuli ad palatium, ubi congregari ſunt ſoliti, & repperi illos reverendiſſimos dominos cardinales ad ſanctum Franciſcum perexiſſe, pro celebrandis exequiis eorum pontificis, quæ ſingulis diebus celebrantur, quibus etiam interſunt pro majori parte eorum. Unde illo mane, ut eos putabam, juxta ſolitum ibidem in ſacriſtia S. Franciſci congregari, minime fuerunt congregati. Unde pro illa die Jovis, quia nec de ſero congregaverunt, propter feſtum quoddam quod fieri contigit in eccleſia S. Michaelis de Boſco, quo fere pro majori parte omnes poſt prandium ſolatiatim acceſſerunt, & ſic per totam illam diem Jovis nihil fieri poſſibile fuit.

2 Die vero iſta Veneris hodierna nona præſentis menſis, poſt finitas exequias, ubi me reperii, ipſis in ſacriſtia Minorum congregatis numero XI. ambaſſiatam interclusam juxta mandata magnificentiæ veſtræ jam die Jovis de mane mente redactam, licet illam fieri non fuerit poſſibile, ratione ſuperius allegata, ore explicavi de verbo ad verbum, ut dominatio veſtra juſſit. Illamque in ſcriptis redactam eiſdem tradidi cum ambaxiata magna & Piſas per magnificentiam jam tranſmiſſa, prius tamen eiſdem V. D. præſentata credentiali littera, & ut M. V. mandat de modis quos tenuerunt V. M. ut ſervus obediens referam. Ecce cum qua reverentia ſcribo. Nam primum per me, ut eſt moris, ſupliciter litteraria credentiali præſentata, me ad partem & extra ſacriſtiam dictorum fratrum exire voluerunt. Jam littera prædicta, præſente me ab uno in alterum delata, ut puto ex delatione quam alter alteri facere vel exhiberi voluit, ad epigramma multum advertentes. Poſt quæ ad ipſos me vocari juſſerunt, & ipſorum unus antiquior reſponſum præbuit in hac forma videlicet, quod laudabant magnificentiam veſtram, quoniam niſi ex bono zelo moveri dominationem veſtram ſciebant ad tale & tantum bonum.

3 Verum quia ſcriptura magna erat, & in tam brevi reſpondere nequibant, ſed cum inſimul eſſent, quoniam ibidem, ut prædixi, non omnes convenerant, & omnibus ipſis ad invicem collatis ad libertatem, reſponſum præberent, & cum reliquis dominis cardinalibus collegii conferre volebant, quia hoc tale quid eſt, quod totum collegium reſpicit; quod audiens ſupplicavi, ut pro Deo quam citius poſſent reſponſum præberent, & mihi tempus ſtatuere placeret pro ab ipſis obtinendo reſponſo. Ad quod reſponderunt, quod bene mihi notum facerent; quod tamen ab ipſis non expectans ſollicitabo omni qua potero ſollicitudine & cura ab ipſis obtinere reſponſum. Quod illico V. M. prælibatæ nunciari curabo per proprium nuncium ut M. D. V. mandat, ut de cunctis veſtra magnificentia exiſtat ſeu reddatur aviſata, & mandare poſſit quod libet executuro juxta omnem poſſibilitatem ad nutum magnificentiæ antelatæ. Dicitur autem, magnificentiſſime domine mi, hic in curia apud majorem partem cardinalium, quod propter ambitionem cardinalium procedent ad electionem eorum novi paſtoris, quoniam ut alias M. D. V. ſcripſi, unuſquiſque iſtorum dominorum putat eſſe ille qui eligi debeat in ſummum eorum antiſtitem, & tanta inter eos prattica viget, quod vix credi poſſit, ut habui a multis curialibus & etiam a reverendiſſimo domino legato Bononienſi, qui a multis ut ſuam velit dare vocem infeſtatur. Nullum adhuc reperiens, propter aliqua hinc retro ab ipſo recepta beneficia pro ipſum creando in papam, qui vocem ſuam dare eidem fuerit pollicitus, dubito, vel proprius loquens concipio, quod dilatio quam mihi dant cardinales, non ſit multum fraudulenta, & reſpondere differant, quod tempus eveniat ſuum pro creatione novi præſulis conclave intrandi.

4 Adhuc non venerunt cardinales qui extra ſunt, eis tamen ſcriptum eſt ut veniant; & dominus Bononienſis legatus quem interrogavi, qui magis inclinabiles eſſent ad pratticam quæſitorum per M. V. in facto unionis, reſpondit quod omnis ille qui deſtitutus foret ſpe aſſumi ad papatum, fænerabilis foret, inter quos nominavit ultramontanos omnes, & dominum Aquilegienſem. ipſe vero ut penitus excluſum ſe tenens dixit, quod multum foret contentus, quod talia ventilarentur, & quod unio ſequeretur. multum tamen difficile reputat propter rationes allegatas. In brevi jam M. V. per me ſcriptum unum ſubjungens, quod deprecatur M. V. quod hæc quæ dicit apud eamdem retinere velit, quoniam V. M. jam dixiſſe recolit de factis reverendiſſimi domini domini Laudenſis, & ita per vos in publicis nunciatum eſſe, & taliter quod ad aures domini Laudenſis perventum eſt, ex quo ſcandalum non parvum ſecuturum eſſe non ambigit, & jam ſecutum eſt, & ita me multum, ut ſcriberem magnificentiæ prælibatæ, oneravit. Inſtabo itaque tam cum ultramontanis, quam cum Aquilegienſi & aliis quos profuturos putabo ad obtentum eorum quæ magnificentia veſtra tentat. Scribi facio in littera curſiva ambaſſiatam Piſis factam, ut de ea aliis optantibus paſſim copiam exhibere, &c. ut magnificentia veſtra mandat. Multum difficultatis, magnificentiſſime domine mi, inter cetera hic eſt de Gregorio quoque ipſo, ſtante in manibus regis LADISLAI, quod poſſit inde recedere, & per ipſum ju-

rata vota & promissa ad locum observatu- A rus accedere.

5 Ad quæ respondi dicens, quod de hoc non debet dubitari, quoniam quando ad hæc respondebitur velle attendi, modus talis qui placebit, ad prædicta attendentibus habebitur, quo contentari merito debebunt, pur. . . . quod una vice ad hoc disponatur. Dicunt insuper, quod ipsi domino Gregorio non erit possibile de manu regis se eximere, quoniam causa sua ipsius regis deterior efficeretur. Hæc quæ, magnificentissime domine mi, usque modo acta sunt, quæ in futurum sequentur, vestræ magnificentissimæ B dominationi nunciare quantotius potuero curabo. Optarem tamen, magnificentissime domine mi, hic habere nuncios per quos scribere possem congruentia quæque, de quo magnificentissima dominatio vestra provideat uti libet, reddo avisatam. Huc magnificentissimus frater vester dominus Malatesta Pensauri die Mercurii de sero die septimo instantis appulit. Audio quod quædam juravit & promisit in manibus collegii, quæ tamen adhuc sentire nequivi: sed si sensero C & cum sensero vestræ magnificentiæ intimare curabo. Hic ordinatur conclave & struitur in palatio residentiæ quondam ipsorum pontificis, in sala magna superiori, ubi tempore populi congregabatur concilium, nunc erat capella legati Bononiensis. Dominus tamen legatus Bononiensis mihi dixit, quod in publico & nisi quando expediens & fructiferum foret, nolebat super quæsitis per vestram magnificentiam se modo aliquo detegere. Quoniam si se detegeret, plus noceret quam prodesset, quoniam pro factis magnificentiæ vestræ ab aliis multum suspectum D se haberi dicit. Magnificentiæ vestræ me recommendo ex corde. Adibo de per se singulariter omnes cardinales, quicquid potero operabor, nihil omittens de materiam contingentibus juxta M. V. nutum, & similiter cum venerint qui extra sunt, faciam. Datum Bononiæ die Veneris IX. Maii MCCCCX. hora decima septima.

IN CHRISTI NOMINE. Amen.

EXPONENDA METUENDO DOMINO, domino B. per collegium cardinalium Bononiæ commorantium in suum pontificem electo super materia unionis. E

Anno 1410. *Ex mss. bibliothecæ regiæ.*

ET primo cum super materia prædicta haberetur sermo cum præfato domino, domino electo parte magnifici domini, domini Caroli de Malatestis, & maxime circa renuntiationem juris papatus, &c. per ipsum dominum, dominum electum dictum fuisset, quod via renunciationis sibi nullatenus placebat, quoniam bene sciebat magnificum dominum Carolum præfatum non renunciaturum, nec relicturum civitatem Arimini, &c. nec se spoliaret, &c. ad quæ præfatus magnificus dominus mandat responderi sibi parte ejusdem in hac forma, videlicet, quod in casu, quo antelatus dominus metuendus velit promittere & promittat mundi principibus solemniter & per publicas & suas patentes litteras sub bulla in solemni forma & valida munitas renunciare sive cedere juri sui papatus infra terminum, & per ipsos principes acceptata promissione, respondeatur, quod si idem metuendus dominus electus juxta per ipsum publicata seu per suas patentes litteras super renunciationem dicti juris papatus promissa non attenderet sive observaret, quod præfati domini principes omnes suas vires exponent contra antelatum metuendum dominum electum, ad convincendum ipsum ad dictam renunciationem sive cessionem dicti sui juris papatus; & hæc cedentibus scilicet dominis, domino Gregorio papa XII. & domino Benedicto sive Petro de Luna, vel altero ipsorum, etiamsi alter cedere nollet: ita quod sufficiat ipsorum, sive alterius ipsorum, scilicet domini Gregorii sive Petri de Luna cessio, renunciatio juris ipsorum papatus, & hoc casu per præfatum dominum metuendum dominum electum secuto pollicito sive ut supra super renunciatione sui papatus juris promisso, & adimpleto per actus; & ita se offert prælibatus magnificus dominus, dominus Carolus promittere quod relaxabit & penitus derelinquet civitatem Arimini, & illa se denudabit in totum, & pro hujusmodi observatione promittit se intraturum carceres & illic mansurum, quo usque vera & actualis renunciatio sequatur per magnificum dominum, dominum electum præfatum. Et illa, ut supra, actualiter renunciatione juris sui papatus secuta & efficaciter adimpleta, promittit prælibatus magnificus dominus, dominus Carolus civitatem prædictam Arimini libere & absolute derelinquere & penitus relaxare, ejusque dominio penitus se privare, denudare, & spoliare, & ad illam inhabitandum nullatenus redire. Et per præmissa potest manifeste comprehendere præfatus metuendus dominus, dominus electus, quod non aliter suadet magnificus dominus, dominus Carolus eidem, nec consilium impartitur domino electo, quam sibimet consulat & suadeat.

Et si prædicta non placerent, ecce proponitur alius modus, videlicet quod per præfatos dominos, scilicet metuendum dominum, dominum electum, & dominum, dominum Gregorium & dominum Benedictum, sive Petrum de Luna, eligatur unus pro quolibet & sic tres in totum; vel duo pro quolibet, & sic sex in totum; vel plures & tot de quot fuerint ipsi domini in concordia: quibus detur plenum, liberum, & absolu-

tum mandatum validum, ſufficiens, irrevocabile in valida & ſolemni forma, vigore cujus mandati & arbitrii eiſdem prædictis dominis electis per præfatos metuendum dominum, dominum electum Baldaſarum, dominum Gregorium & dominum Benedictum detur poteſtas libera & abſoluta ſuper congregatione concilii, & tam de tempore illud congregandi & loco in quo congregari debeat, quam etiam de modis tam circa illud, quam quæcumque alia certa illud contingentia, emergentia & dependentia quæque aut connexa, tam circa dictam congregationem, quam circa difficultates quaſcumque occurrentes tunc, & quæ occurrere poſſent. Et ſi prædicti domini electi a præfatis metuendo domino, domino Baldaſari electo, domino Gregorio, & Benedicto ſeu Petro de Luna non eſſent concordes, quod tunc poſſint & valeant illi conſtringi & artari ad ſe concordandum per illos modos, vias, & formas circa electionem ſummi pontificis per decretales: *Ubi periculum* de electione l. vi. Et ſi juſti modi ſupraſcripti non placerent, & alii modi meliores viderentur, tunc illi proponantur & diſcutiantur, & pratticentur, & ſequantur.

Super factis M. Johan-Galeaz dicatur domino electo parte M. domini, domini Caroli de Malateſtis, quod ſi præfatus dominus electus vult ſtare promiſſis jam factis inter ipſum & M. Johan-Galeaz ex parte una, & M. Paulum de Urſinis nomine præfati metuendi domini electi, & tunc cardinalis S. Euſtachii ut obtulit & promiſit ſe promiſſis ſaturum, ut ſupra, per reverendum patrem dominum Cervienſem, paratus eſt præfatum magnificum Johan-Galeaz artare ad ſtandum promiſſis illis, ut ſupra, ſervatis per prælibatum dominum electum. Quod autem antelatus M. D. Johan-Galeaz exeat Vallem Amonis, & illam non inhabitet, dicit præfatus magnificus dominus Carolus, quod ſuadere & hortari poterit illum, ſcilicet prælibatum M. Johan-Galeaz, ut inde diſcedat; ſed ipſo nolente annuere ſuaſionibus præfati magnifici domini, non videt præfatus dominus Carolus, quod cum honeſtate poſſet ipſum urgere vel aſtringere ad evacuandam dictam Vallem Amonis, ſibi non ſervatis jam hinc retro quæ promiſſa ſervanda fuerunt præfato magnifico Johan-Galeaz per præfatum dominum electum & prius cardinalem ſancti Euſtachii. Ipſe enim bene cognoſcit, quod ſi conſtringere & artare vellet præfatum M. Johan-Galeaz ad ſtandum promiſſis & evacuandum Vallem Amonis, quod idem M. Johan-Galeaz ſemper poſſet & honeſte replicare, quod non fuerunt ſibi ſervata promiſſa in dictis publicis inſtrumentis contenta.

AMBAXIATA

Pro parte M. domini mei, domini Caroli ad eum qui dicitur papa Johannes in Bononia electum, commiſſa mihi epiſcopo Cervienſi Venetiis, ubi tunc erat dictus dominus meus Carolus.

Anno 1410. *Ex mſ regia bibliotheca.*

DOmine, dominus meus CAROLUS rogat dominationem veſtram, quod ſi quid proponeret dominationi veſtræ, in quo vobis diſpliceret, velitis habere patientiam. Primo, quia ad id ipſum vos hortatur, quod ſi eſſet in conditione veſtra poſitus, ipſe libenter faceret. Secundo, quia res iſta quam quæſiturus ſum, vobis ipſam exſequentibus, ad perpetuum veſtræ dominationis honorem & gloriam redundabit. Tertio, quoniam cum ſitis ipſo potentior, demum poteritis facere voluntatem veſtram. Hac proteſtatione præmiſſa, dictus dominus meus dicit, quod ſicut clare videtis, reintegratio eccleſiæ non eſt facta, & ſi in terminis præſentibus dimittatur, quotidie graviora eminebunt mala & exterminia populo Chriſtiano. Cum autem dominationis veſtræ caritas compati maxime debeat eidem, ejus quoque pericula pro poſſe repellere: multotiens quoque ſibi dixeritis dicendo quod pluries miſeritis, quod ad dictam redintegrationem faciendam præfata dominatio veſtra omnem ſuum exponeret conatum, nihil omittendo tam de procurandis cum dominis cardinalibus, quam de aliis opportunis, quod poſſet dictæ reintegrationi prodeſſe, & modo tempus acciderit, in quo per vos ſolum, abſque alieno, veſtrum requirendo, conſenſu, præfata poterit eccleſia reintegrari. Dominus meus dicta duo facit veſtræ dominationi proponi, ex quorum altero, quod per vos acceptatum fuerit, videtur ſibi eccleſiam prædictam poſſe indubie reintegrari.

Primo, quod dominatio veſtra, ne tantum deficiat bonum, dignetur adeo ſibi humiliare, quod adverſariis veſtris renunciantibus, dignetur etiam ipſa renunciare: hoc enim ſi feceritis, dominus meus ſperat certiſſime ſequi debere præfatam reintegrationem, quam ſemper tanto affectu dixiſtis optare. In præſenti quoque ſæculo acquiretis honorem & gloriam, in futuro autem, maxime apud Deum, meritum in ſalute animæ veſtræ. Quod ſi hoc non placet, aliud proponit dominationi præfatæ, videlicet quod tempus concilii, quod ſecundum deliberationem Piſis factam hinc ad biennium congregari debet, brevietur ad minus ſpatium, quod fieri poſſit & commodius, ſed de communi omnium partium conſenſu convocetur, & congregetur in loco idoneo & ſecuro: cujus determinationi vos & alii ſubmittamini. Iſtud ſaltem videtur dicto domino meo, quod excuſare non debeatis, quoniam

cum eccleſiæ major quaſi pars vobis obediat, ſicut dicitur & ipſe credit, poteſt dominatio veſtra ſperare ſe habituram magnum favorem ab ea in dicto concilio. Offert inſuper dominus meus præfatus, ſi alterum prædictorum modorum cum effectu acceptabitis, ſe acturum pro vobis omne id quod fuerit ſibi poſſibile vobis gratum, dummodo non ſit contra juſtitiam, neque ſtatum ſanctæ matris eccleſiæ.

EPISTOLA PAULI EPISCOPI Cervienſis ad Carolum de Malateſtis.

Rationem reddit de actis in legatione ſua cum Baltaſaro in papam electo.

Anno 1410. *Ex inſ. bibliothecæ regiæ.*

MAgnifice & excelſe domine, mi ſingulariſſime, juxta mandata M. V. fuimus ad præſentiam hujus domini electi : cui expoſuimus, quæ exponi mandavit dominatio prælibata : ad quæ expoſita particulariter reſpondit. Et primo ad partem renunciationis reſpondens, dixit quod verum eſt, quod dixit ſe renunciaturum, ſi unio ſequi poſſet, & quod volebat caſu illo hanc promiſſionem fore ſecretam, attento maxime, quod ſi foret notoria talis promiſſio, ſe ſubjiceret periculo perdendi omnem obedientiam quam habet. Nam obedientes audientes illum debere renunciare, conciperent illum de ſuo jure dubitare, & per conſequens aut obedientiam ſibi retraherent, aut neutrales efficerentur. Ad id autem quod dixit de dominatione veſtra, ſi deſereret civitatem Arimini, reſpondit quod illud non dixit per modum ambaxiatæ, ſed per modum cujuſdam ratiocinii vel colloquii, &c. & quod nedum dominationem prælibatam deſerturam civitatem prædictam Arimini diceret & optaret, ſed decuplo vellet dominationem veſtram poſſeſſuram, ac etiam id potius vellet de eo quod habet dominationi veſtræ & fratrum veſtrorum conferre ad nutum, quam una minima particula ejus quod tenet dominatio antelata eamdem carituram. Ad ſecundam autem partem, videlicet quod ſi prima via eidem non placeret, per dominationem veſtram ſibi proponebatur hic modus, videlicet quod ipſe & dominus G. & dominus de Luna vel dominus B. eligerent, quilibet ipſorum pro cujuſlibet ipſorum parte, duos vel tres pro quolibet, vel tot quot ipſi eſſent in concordia, quibus daretur per ipſos arbitrium & libera poteſtas & irrevocabilis ſuper congregatione concilii, & de tempore & modo & loco, &c. reſpondit, quod jus ſuum habens certum & indubitatum, nolebat in dubio ponere per commiſſionem in alias perſonas, & ſe poteſtate quam habebat & jure ſuo privare ; ſed quod paratus erat, prout deliberatum fuerat in concilio Piſano, tempore tunc ſtatuto concilium convocare in loco tuto, ſcilicet in Bononia, datis caſtris, rochis & fortalitiis in manibus dominationis veſtræ pro tutela & ſecuritate ad concilium accedendi, &c. Ad quod concilium G. ut dixerat, accedere poterat, & Bononiam pro loco concilii proponebat, ex eo quod illam eamdem V. D. inter alias in Piſis propoſuerat, dum eadem hortaretur de mutatione loci, &c. Ad quod replicavimus, quod ſi quod dicebat non erat commune, nec cum reverentia acceptabile dictum, quia quod concilium ipſe convocaret, ad quod G. cum ſuis accedere aiebat poſſe, hoc non erat dicere, niſi quod ipſe eſſet papa, & alii duo contendentes de papatu, non, & quod putari non debebat, ſcilicet dominum G. & Petrum de Luna, ſive dominum B. ad ſui convocationem concilii acceſſuros. Nam ipſis accedentibus, nihil aliud eſſet niſi confiteri tacite ipſum dominum electum eſſe verum papam, & ipſorum jure tacite ſe ipſos excludere. Ad quæ reſpondit, quod non vocabat dominum G. &, ut ſuo utamur vocabulo, Corrarium, ut ad ſuum concilium accederet : ſed quod ipſe poterat ſuos convocare, & idem una cum ſuis ad concilium accedere, &c. Ad quæ replicantes diximus, quod iſtud nihil erat dicere, quam ex eo quod.... ad locum per ſe ſtatutum accederet dominus G. erat inducere, quod idem tacite fateri videretur, ipſum dominum electum eſſe verum papam, quod non eſt putandum modo aliquo dominum G. acturum. Præterea hic ſunt duo contendentes vel tres, & quod ad ſedandum hunc errorem debebat ſumi partitum unum commune, & tale per quod nulla partium ſuſpicari poſſet de præjudicio juris ſui, nec etiam detractio honoris alicujus partium. Ad quæ dixit, quod G. ſequelam nullam habebat, niſi regnum Apuliæ, & quod novus electus mortuus erat, & quod erat ſpes habendi obedientiam totius Alemanniæ, & quod rex Hungariæ & regina Sueciæ ſibi præſtabant obedientiam, quod per litteras nobis oſtendi faceret, & paraverat legatum, ſcilicet dominum Barenſem cardinalem, quem deſtinare intendebat ad partes Hiſpaniæ, ubi putabat obedientiam obtinere : qua obtenta, Petro de Luna in obedientia ſolum reſtabat Aragonia : ita quod dicere poterat ſe quaſi habere obedientiam univerſalem : unum ſubjungens, M. D. mi, quod ex affectione, quam diutius geſſit & gerit ad D. V. potius optaret habere M. V. & carere obedientia regis Hungariæ & reginæ Sueciæ, ac aliorum, quam aliorum habere obedientiam, & carere D. V. obedientia, quaſi ſecum haberet pro indubitato ponit acquiſitionem omnium, quibus ad præſens caret eccleſia, & multum ſe in hac materia.... & publice erga D. V. late loquutus eſt.

Super factis M. Johan-Galeaz, reſpondit quod ſtare promiſſis paratus eſt in omnibus

&

& per omnia, ut capitula continent & dictant, & si quod dubium occurreret, illud declarandum contentus est per M. prælibatam. De solutionibus autem hic retro fiendis pro provisionibus præteritis, dixit finaliter ad multa, se id totum acturum, quod M.V. deliberabit. Cum hoc quod M. Johan-Galeaz pro modo usque quo ista disturbia Romandiolæ cessant, non stat in Valle Amonis, sed per illud tempus quod M. V. videatur, Arimini moram trahat. Ad quod primo in expositione ambaxiatæ subsequentis replicavimus, quod M. prælibata bene suadere & hortari poterit, sed quod arctare eum non B potest, nec cum honestate ipsum urgere. Consideratis cessationibus solutionum, vel verius frustrationibus, & verbis sibi datis pro factis, ipsum in vilipendium deducendum, & quod non putabamus ipsum aliquo modo inde absenturum. Ad quæ respondit, quod nullo modo valebat promissionem solutionum facere dicto M. Johan-Galeaz, qui insidiari & tractatum tenere contra ipsum non abhorret, nec cessat, quæ M. V. magnifico domino nostro omnia indicare curavimus, super quibus quid acturos nos mandet M.V. prælibata responsum expectamus. Ad breve autem quod recepi ego PAULUS episcopus C Cerviensis de manu currerii M. V. respondeo reverenter, quod hodie accedo Ferrariam, infra triduum rediturus, ubi toto conatu exequar quod V. M. jubet, cui nos recommittimus ex corde. Datum Bononiæ die xx. Junii MCCCCX.

EPISTOLA PAULI EPISCOPI Cervienſis ad Carolum de Malateſtis.

De actis cum Johanne XXIII.

Anno 1410. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

MAgnifice & excelse domine mi singulariſſime, juxta mandata M. V. fui ad præ- D sentiam istius metuendi domini, domini vocati JOHANNIS XXIII. cui circa factum unionis cuncta exposui, & finaliter ad partem illam, videlicet de quærendo secrete cum parte altera, scilicet domino G. & Petro de Luna, dummodo primo idonee V. M. cauta reddatur de observando per ipsum promissa, &c. Respondit se contentari per M. prælibatam quæri quid vobis videtur quærendum circa materiam prædictam, quoniam paratus est promittere M. antelatæ de observando per ipsum E promissa. Formam autem promissionis explicavit per illum modum, qui possibilis sit se secuturum, & M. V. responsurum dumtaxat & non alteri personæ, quoniam facta sua in publicum prodiri abhorrebat, propter obedientiæ munus sibi impensum, & ne istud, si sciretur apud plurimos, eidem præjudicium pararetur in perditionem dictæ obedientiæ. quin immo modos tenere tales asserit, per quos sibi ab iis qui obedientiam non præstant, A illam præbeant; quoniam in Hispaniam missurus est de proximo dominum Barensem, & unum doctorem legatum civem Bononiensem, & unum alium ad partes Alamanniæ, scilicet cardinalem NICOLAUM DE ALDROVANDIS, militem & legum doctorem jam destinasse asseruit pro obtinenda obedientia generali in dictis partibus Alamanniæ, & noviter consequenda in partibus Hispaniæ prædictis. Ad partem secundam, scilicet loci concilii celebrandi, scilicet de civitate Bononiensi, &c. respondit quod illum proponebat, attento quod eadem civitas Bononiensis posita fuit, &c. Ad quæ responsum fuit juxta mandata M. prælibatæ, quod civitas Bononiensis non est in illis eisdem terminis, in quibus erat tempore concilii prædicti Pisis celebrati, &c. Circa quam partem dixit: Dic mihi pro Deo, in quo est differentia inter statum civitatis Bononiensis, quo ad præsens tempus, & statum dictæ civitatis Bononiensis, considerato tempore tunc. Ad quæ respondi, quod meo judicio clare hoc demonstrari poterat & colligi. Nam tunc temporis quando primo proposita fuit civitas Bononiensis, aut alter ex pontificibus erat verus pontifex, scilicet aut G. & B. Et si sic, tunc superiorem habebat dominatio sua; aut nullus ipsorum erat verus pontifex, & tunc concilium vel universalem ecclesiam habebat dominatio sua in superiorem. Unde ex quocumque capite res capiatur, dominium Bononiæ civitatis non erat suum. Nunc ipse papa JOHANNES vocatus superiorem non cognoscit in dicta civitate Bononiensi; unde comprehendere manifeste poterat dominatio sua, qua tum honestate poterat locus prædictæ civitatis Bononiensis proponi pro concilio, &c. Ad tertiam partem pro concludendo de modo, tempore & loco in casu, quo concordia prius de loco non haberetur, quod eligerentur aliqui, qui super hoc potestatem haberent de modo, tempore, &c. disponere, &c. Respondit, licet in confuso, quod de loco dicti concilii congregandi, prius per ipsum loqui expediebat cum dominis cardinalibus & aliis prælatis, & li. dixit prius per me proposita urbe, tamquam loco communi & idoneo & apto, &c. Intervenientibus tamen cautionibus & securitatibus idoneis præstandis partibus & quibuscumque ad illud concilium accedere debentibus, &c. Ad ultimam partem respondit, & generaliter sub nube, quod breviter quæcumque sibi possibilia paratus erat facere, non tamen ostendens animum fixum habere ad materiam; immo videtur mihi, quod animum suum aliis, ut ita loquor, involutum habens, non multum attendat ad materiam istam. Hæc sunt M. D. D. mi, quæ super expositis a præfato metuendo domino reportavi & habui. Instrumentum autem authenticum super præsentatione ambaxiatæ factæ dominis cardinalibus mittam per Philippum Fortiguerram ad M. V. Acce-

dere debet per te M. D. filii veſtri & mei M. & excelſi domini, domini Mantuani, tamquam per perſonam magis fidam. M. V. me ex toto corde recommendo. Datum Mantuæ die xv. Julii anno MCCCCX.

PUBLICUM INSTRUMENTUM

De exhibitis nomine Caroli de Malateſtis ſacro cardinalium collegio diverſis modis, ad procurandam ſchiſmatis extinctionem.

Anno 1410. *Ex mſ. bibliotheca reg.*

1 IN Chriſti nomine. Amen. Anno a Nativitate ejuſdem MCCCCX. indictione III. tempore pontificatus SS. in Chriſto patris & domini, domini GREGORII divina clementia papæ XII. in die Martis XIII. menſis Maii de mane hora tertiarum vel circa, congregatis & inſimul coadunatis in ſacriſtia loci fratrum Minorum de Bononia infraſcriptis reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis apud plurimos cardinalibus Bononiæ moram trahentibus, videlicet domino JOHANNE epiſcopo Oſtienſi, dicto Vivarienſi, vicecancellario apud iſtud collegium & illud ſequentes; domino ANGELO tituli S. Potentianæ preſbytero cardinali, dicto Laudenſi; dom. FRANCISCO tituli ſanctorum quatuor Coronatorum, dicto Burdegalenſi; domino CONRADO, JORDANO tituli S. Martini in Montibus, ſive tituli S. Laurentii in Damaſo preſbytero cardinali de Urſinis; domino JOHANNE tituli S. Crucis in Jeruſalem preſbytero cardinali, dicto Ravennate; domino ANTONIO tituli S. Marci preſbytero cardinali, dicto Tudertino; domino RAYNALDO tituli S. Viti in Macello diacono cardinali, dicto de Brancachiis; domino LANDOLFO tituli S. Nicolai in carcere Tulliano, dicto Barrenſi, diacono cardinali; domino ODDONE tituli S. Georgii ad Velum aureum, dicto de Columna, diacono cardinali; domino PETRO tituli ſancti Angeli diacono cardinali, vocato cardinali S. Angeli; domino ANTONIO tituli S. Mariæ in Via lata diacono cardinali, dicto de Celancho. In qua ſacriſtia ſingula die de mane convenire & congregare ſe conſueverunt, propter mortem eorum pontificis vocati ALEXANDRI. Prædicti domini cardinales, ut ſupra, poſt finitas exequias, ad quas per ipſos ſingula die celebrandas habebatur ad dictam eccleſiam S. Fanciſci acceſſus; ibidemque in dicta ſacriſtia poſt dictas finitaſque pro illa die exequias, & maxime die XIII. ſupraſcripta, per ipſos publica dabatur audientia quibuſcumque illos adire volentibus, eorumque negotia tractabantur & tenebantur conſilia, conſtitutus ſapiens & egregius legum doctor dominus Marcus de Veruculo orator & nuncius magnifici & potentis domini, domini CAROLI DE MALATESTIS, juxta eidem impoſita & injuncta a præfato M. D. ſuo, ut dixit, & exponens aſſeruit præfatus dominus Marcus nomine & vice antelati domini ſui CAROLI ſervitoris & filii ſanctæ matris eccleſiæ, coram præfatis reverendiſſimis, ut ſupra, dominis, dominis cardinalibus in dicta ſacriſtia loci S. Franciſci, ſive fratrum Minorum de Bononia inſimul congregatis, ſimulque collectis, produxit ſcripturam infraſcripti tenoris, cujus tenor ſequitur de verbo ad verbum, ut infra videlicet.

2 IN NOMINE SS. Trinitatis & individuæ unitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & glorioſæ genitricis Domini noſtri JESU CHRISTI MARIÆ ſemper Virginis, dominæ noſtræ, per quam vera unio & pax inter Deum & hominem facta eſt, & inter diverſa hominum idiomata, in unitate veræ fidei caritatis. Amen. Hi ſunt modi, qui videntur mihi CAROLO poſſibiles ad proſequendum & perficiendum ſacræ unionis tractatum, Domino jubente, qui omnipotens & miſericors eſt & præſtabilis ſuper malitiam populi ſui, volentibus omnino, qui Bononiæ ſunt, reverendiſſimis dominis ad alterius electionem procedere. unus quidem eſt, quod inter omnes fiat idem juramentum & votum ſolemne, quod factum eſt tempore electionis domini G. & addatur ad omne ſubterfugium tollendum, quod ſi alii duo, videlicet dominus G. & dominus B. voluerint & acceptaverint per procuratorem cedere, quod ille ſimiliter teneatur; & ne ſubterfugiendi ſimiliter occaſio inveniatur, unuſquiſque ipſorum ex nunc procuratores inveniat, & faciat plures ſolemniter & irrevocabiles, & ſub eadem obligatione & majori, ſi de jure fieri poteſt, qui præceptum & poteſtatem habeant, vice & nomine principalis cedere & renunciare, cum amborum procuratores ceſſerint, vel unus tantum ſi alter noluerit, ſi & in quantum alii ſimiliter per ſe ipſos vel per procuratores eorum renunciare acceptaverint, & renunciarint infra tempus congruum. Et ſi ambo non ceſſerint, ſi alter eorum cedere per ſe vel procuratorem voluerit, ſimiliter eligendus teneatur & juret. Sufficit enim quod alter eorum tantum ceſſerit ad unionem perficiendam, ſtante eorum voto & juramento, & renunciationibus in eorum conciliis factis. Dicitur enim de pluribus procuratoribus, ne alter eorum, ſi non acceptaverit, vel ad petitionem illius tacitam cedere ſeu renunciare papatui renuerit, aut diſtulerit, vice & nomine principalis nequeat ſubterfugiendo, ut tempus labatur terminatum & expreſſum, & ſic abſolutus ille, qui eum procuratorem conſtituit, videatur, & ut volentem acceptare, ſi dixerit non reperiri excuſationis occaſio apparens ad involvendum mentes fidelium, omnimode auferetur. Ceterum ſi alii duo noluerint cedere per procuratorem, ſed per ſe ipſos, vel alter eorum, ſi alius noluerit, & velit perſonaliter in loco tuto & æquo & tempore congruo, cum hoc qui eligendus eſt vo-

veat & juret & ſe obliget modis ſupradictis, quilibet eorum cum eis vel eo qui voluerit, ut ſupra dictum eſt, convenire. Et ut ſubterfugium circa hoc etiam eſſe nequeat, ex nunc cum ſolemnitatibus & obligationibus irrevocabilibus, ut ſupra dictum eſt, & cum majoribus, ſi fieri poſſunt, de jure eligat quilibet ipſorum aliquos, & tot taleſque, quod non ſit veriſimile omnes eos non acceptare. Sint inſuper viri, quantum Dominus humanæ fragilitati eorum dabit de hominibus poſſe judicare, prudentes, atque Chriſtianæ unionis & pacis zelatores, æqui, humiles, qui non adverſarios conculcare, ſed eis in omni juſtitia & æquitate parati aſſentire ſint, & iſtis tribuant plenam & omnimodam poteſtatem, omni juris remedio & validitate roboratam. Si eligendus ille infra tempus terminatum inter eos non convenerit cum alio, vel cum aliis volentibus convenire, propter aliquam diſcordiam de loco, de tempore, vel modo conveniendi, poſſe cum aliquibus eodem modo & eadem poteſtate ab illo ſeu illis electis convenire in aliquo loco libero, & ibi tractare & terminare, prout majori parti ipſorum videbitur, & terminationi eorum acquieſcere debeat abſque ulla exceptione, præterquam violentiæ & impreſſionis manifeſtæ. Non intelligatur tum violentia ſeu impreſſio facta, ſi ipſi ex utraque vel ex qualibet parte pariter tractantur & artantur, donec concordes fuerint, velut in conclavi cardinales. Inſuper ne iſti ad petitionem illius qui elegerit eos, potius hominem quam Dominum Deum omnipotentem colere & timere volentes, ſubterfugiis inhærentes, de impunitate gloriari valeant, quietem ſanctæ eccleſiæ & unionem populi Chriſtiani impediendo, ſi infra tempus terminatum non fuerint concordes cum aliis partis adverſæ, vel ſi non ſubjiciant ſe artari, ſicut in conclavi ſecundum diſpoſitionem juris debent ſe ſubjicere cardinales & artari permittere; tunc ipſo facto incurrant omnem pœnam tam a jure, quam ab hominibus inflictam & promulgatam ei, qui ſuum occiderit pontificem. Occidunt enim pontificem, cum nullum certum haberi volunt, & ulterius univerſum Domini populum, cum ipſum non uniri cauſa ſint, & promittant electores eorum numquam abſolvere eos, niſi in caſu mortis, nec aliqualiter cum eis diſpenſare.

3 Teneantur etiam dicti electi cum acceptaverint, immediate vovere & jurare ſolemniter, ſicut ſui principales juraverunt bona & ſincera fide incedere, nec ab aliquo quod juſtum fuerit & æquum cum ſuis collegiis diſcordare, & cum aliis qui ab aliis vel aliquo electi fuerint; & ſi non ſervaverint, numquam abſolutionem ab obligatione quæ proxime dicta eſt, ſive diſpenſationem petere. Inſuper poſſe de fidei fractione & infamia ab omnibus notari, abſque eo quod eis liceat contradicere, ſive aliquam excuſationem facere. Item, teneatur quilibet qui electus fuerit prædicta vincula infra duos menſes poſtquam fuerit electus, prædicta omnia aliis duobus dominis & omnibus principatibus Chriſtianorum notificare per publicas litteras & validas. Et ſi ambo vel alter acceptaverit vel reſcripſerit, ſeu tranſcripſerit ſe contentari infra duos menſes alios, tunc teneatur & debeat prædicta proſequi, & infra congruum temporis ſpatium concludere. Spatium vero mihi congruum apparet aliorum quatuor menſium. Etſi non concluſerint, tunc trium menſium ad plus conveniendi inſimul ad diſcordias terminandas electi ſpatium habeant. Poſtquam vero convenerint, modus circa eos ſervandus mihi apparet, qui ſervatur in ſummi pontificis electione. quia ſi cedere & renunciare conſenſerint, vel ſaltem duo ex eis per procuratores, & procuratores eorum de modo prædicto, & cum eadem plenitudine poteſtatis terminare debeant & terminent, ſuper diſcordiis quibuſlibet quæ verterentur inter procuratores modis quibus dictum eſt inter principales diſcordes terminari debere.

4. Alius modus eſt, ſi primus non videtur bonus, vel illi aſſentire non placuerit, videlicet quod quilibet eorum per votum ſolemne & juramentum & ceteras alias obligationes, quæ ſupradictæ ſunt, ſe obligarent aſſentire, & quantum ex parte ſua eſſet efficaciter facere, quod unum communi conſenſu & auctoritate qua quilibet trium fungitur concilium congregaretur ſaltem infra annum in loco æquo & partibus tuto: quod concilium a prædictis tribus, vel ſaltem a duobus, ſi alius nollet, poteſtatem plenam haberet terminandi ſicut vellet ſuper ſchiſmate iſto, & terminationi illi tamquam veræ & juridicæ quilibet aſſentire teneatur abſque exceptione; & ex nunc quilibet eorum, velut ſupradictum eſt, ad terminandum omnes differentias, quæ de modo, tempore & loco congregandi concilium inter eos, vel inter duos, alio congregare nolente, ut dictum eſt, oriri poſſent, quas omnes prædicti terminare debeant & teneantur, ut ſupra. Teneantur inſuper per obligationes prædictas, quiſquis eorum electus fuerit, aliis duobus dominis per authenticas litteras hoc notificare infra duos menſes ad plus. Et quia humana his diebus peſſimis malitia potius mundanum favorem admittere, quam divinum viſa eſt trepidare, & amplius orbis ſupplicium quam divinum evitare ſollicita eſt, & quæ apud mundum eſt abhorret confuſionem, abhorretque minime quæ a Deo in æternum omnibus manifeſtabitur. Ut iis quantum deſuper dabitur occurratur, teneatur quilibet, per votum ſolemne & juramentum & ceteras alias obligationes, quæ ſupradictæ ſunt, ſe obligare. Quod ſi

inſra tempus dictum non ſervaverit integre & inſallibiliter, omni prætermiſſa exceptione, cautela, ſubterfugio & calumnia, & omni in oppoſitum interpretationis adinventione, etiamſi in dubiis ad eum interpretari, ſpectare & competere declararet, a poteſtate Dei & jure poſitivo conceſſa, ſive a poteſtatis plenitudine quæ B. Petro & ſucceſſoribus ſuis conceſſa fuit ab eo qui dixit apoſtolis ſuis, *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, omnia & ſingula quæ ſupra dicta ſunt, liceat omnibus qui ex collegio ejus ſunt, vel tempore obligationis præmiſſæ ſervandæ & non ſervatæ integræ erunt. Inſuper omnibus prælatis & principibus & univerſo Chriſtianorum populo ab eo diſcedere, & alteri vel aliis duobus dominis ſervantibus quæ ſupradicta ſunt, inhærere, & illis favere uſquequo manifeſte & abſque ulla ſubtergiverſatione ſuum fecerit & impleverit debitum modis ſupradictis, abſque eo quod nullam incurrant pœnam temporalem ſive ſpiritualem; non obſtante quacumque juris in oppoſitum diſpoſitione, & clauſulam hanc omnimodo, quo melius & validius, ſi valet, facere teneatur. Quam quidem licentiam ex nunc irrevocabiliter tribuat & numquam revocare juret. Inſuper ex nunc promittat, ſi aſſumtus fuerit, per irrevocabile juramentum ſtatim poſt ſuam aſſumtionem anathematizare omnes & ſingulos tam prælatos quam alios cujuſcumque conditionis ſeu dignitatis fuerint, qui non adhæreant ſervanti promiſſa, & illi vel illis toto poſſe faveant, & ſi non anathematizaverit ſeu excommunicaverit expreſſe, determinet anathemati & excommunicationi illiuſmodi quoſcumque ſubjacere ipſo facto, qui non adhæſerint & faverint ſervanti promiſſa, abſque ullo proceſſu aut ſolemnitate juris & abſque ulla alia ſententiæ lectione promittat ceterum per obligationes ſupradictas numquam ſuper aliquo cum aliis diſpenſare.

5. Et ſi dicerent quod jus quod eis certum eſt in dubium revocare nolunt, dico quod apud ceteros non eſt certum, & quicquid dicant, certus ſum nec apud eos certum eſſe. Et ſtante dubio præſertim quod eſt, inſpiciant ſupplico tractatum eximiæ ſcholæ Pariſienſis ſuper via voluntariæ ceſſionis & pacis ſanctæ eccleſiæ conditum. Inſpiciant inſuper tractatum domini Petri de Anchorano, cui in ceteris non parvam conſultationi exhibuere fidem, qui incipit *Reverendiſſimo in Chriſto patri*, & finit *in ſæcula ſæculorum. amen*, & præſertim in §. dixi *ſecundo quod in eligendo hanc viam, &c.* Ubi inter cetera hæc ſunt verba: *Sicut dixi ſupra apoſtolus perſuadet Corinthiis, ut injuriam & fraudem patienter ferant, potius quam repetendo fratres ſcandalizent.* Et paulo poſt. *His exemplis liquido oſtenditur, quod ſecundum legem perfectionis non armis, non contentioſis judiciis, etiam propria nobis ablata repoſcere prohibemur; quanto magis primatum in terris omittere debemus, cujus procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus*, ait *b*. *Auguſtinus tranſſumtive* XII. q. 1. c. Si primatum. *Cum enim omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio, qui ejus exempla & præcepta non ſequitur, magis diaboli, quam Chriſti membrum eſſe convincitur, & potius infidelis quam fidelis eſſe monſtratur* XXXVIII. diſt. Nullus. *Contra tales ait Dominus: O vos ſacerdotes qui fallitis nomen meum, offerentes ad altare meum panes pollutos, non eſt mihi voluntas in vobis.* LXXXI. diſt. oportet. *Qui igitur talem deſideraverit principatum in terris cum ſcandalo fidelium & ſubverſione catholicæ eccleſiæ, inveniet confuſionem in cælo, ait canon* XL. diſt. quicumque.

6. Item, cum obſtinata mente populus catholicus ſciſſus eſt in duas partes, & ſpes unionis omnino deficiat, niſi per hunc ceſſionis modum, malum eſt juri ſuo cedere; ſed valde deterius & crudelius contendere cum tanto ſcandalo, ubi nulla eſt ſpes profectus, nec dicitur quis bonos deſerere propter malos, quia mali dici non poſſunt, qui ſecuti majores & in lege domini inſtructos, ſic perſeverant in opinione ſua. Ad hoc optime quod notatur XXIV. q. 1. c. Ubi gloſ. *Singularis.* Sic ergo ſi totus papatus eſſet in obſtinatione, cedere tenetur VII. q. 1. c. *Cum autem.* c. *ſe*, & c. *Niſi cum pridem*, §. *Prægravi.* Ibi ne plus temporalem honorem quam æternam videatur affectare ſalutem. Ita cum pars, quam cedendo poteſt Deo lucrifacere, qui magis gaudet ſuper uno peccatore, &c. L. di. *Tua ſanctitas*, ut ſic ſit eadem ratio partis ad totum L. quæ de tota ff. *De rei ven.* Ex his infero quod dicebam, quod eligendo voluntarie viam ceſſionis, videntur Chriſtum & ſanctorum ejus veſtigia imitari. Hæc ex tractatu Petri.

7. Præterea ſi iſtis opponant & majus certiuſque jus eis competere dicant, & competere poſſet, ſi ſic loqui fas eſt, in jure pontificatus, quam B. Petro apoſtolorum principi, advertant deprecor, nihil homini jure proprium eſſe, præſertim poſt parentum lapſum. Et ſi non cecidiſſent a jure quod ſuæ datum fuerat naturæ, neque ipſi proprie tantum quidquam jactare ſuum valuiſſent, quantum Deus unigenitus. Nihil quippe habebant, nec ipſam naturam, quod non recepiſſent. Ipſi autem natura divina, quæ proprie & independens eſt, ſuum eſſe Deo æquale erat & eſt, & tamen juxta apoſtolum, *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* Hac igitur mei parte immo verius omnium fidelium, reverendiſſimos patres illos & dominos (*a*) obſecrat &

(*a*) *Al* dominos illos apud diverſos dictos ſummos pontifices & quemlibet illorum obſecro, ad juro per omnes adjurationes, &c.

adjurat per omnes adjurationes & obſecrationes, per quas fidelis fidelem obſecrare & adjurare poteſt, & ante tribunal veri judicis & infallibilis convocare in die tremenda & reddendæ rationis, quatenus hoc in eis ſentire velint, quod in CHRISTO JESU; & velint, omni diabolica & humana voluptate rejecta, unionem quæ per pacificam viam fieri valet, pacifice proſequi & abſque effuſione ſanguinis, pro cujus ſalute dominus noſter JESUS CHRISTUS proprium ſanguinem non horruit effundere. Et ſi modi iſti, quos in propria, ut tranſmitto, forma, & ſic præſentari volo cum teſtibus & rogatione valida, minus boni apparuerint, æque bonos ſive meliores proponant & ſequantur, dummodo quies vera de jure & de facto ſanctæ eccleſiæ, & unio ſacra reddatur populo domini, qui ſui miſericordia præſtare dignetur ſermonibus his rectitudinem & ſonum bonum, ut accepta ſint verba mea in conſpectu principum.

7 Quam quidem dictam ſcripturam præfatus dominus Marcus nomine quo ſupra tradidit & libere relaxavit in manibus præfati domini, domini JOHANNIS epiſcopi Oſtienſis, dicti cardinalis Vivarienſis, vicecancellarii appellati apud præfatos dominos cardinales & ſequentes eorum collegium, a me prius, tamen notariis infra ſcriptis & teſtibus infra annotatis & infra ſcriptis una mecum ad mei & ipſorum cujuſlibet claram intelligentiam dicta ſcriptura viſa & lecta; ſupplicanſque præfatus dominus Marcus nomine & vice præfati ſui humiliter & devote præfatis reverendiſſimis, ut ſupra cardinalibus, quatenus dignentur, & eis placeat modos contentos & deſcriptos in dicta ſcriptura pro tollendo & exſtirpando ſchiſmate jam diutius in Dei eccleſia durato & vigente, videre, intueri, & examinare, quoniam modi contenti in dicta ſcriptura, & omnia contenta in eadem pro quiete & pace danda ſanctæ matri eccleſiæ & unione populo Dei præfato, M. domino ſuo videntur æqui, juſti & rationabiles, prout in dicta ſcriptura latius continetur. Et ſi contenta in dicta ſcriptura ut ſupra, producta nomine præfati domini M. D. ſui non videntur æqua juſta, & rationabilia pro danda quiete eccleſiæ ſponſæ Chriſti & unione populo; tunc per alios juſtos modos & rationabiles qui eis videantur, pro Deo exoravit & ſupplicavit dominus Marcus nuncius & orator prædictus nomine præfati M. D. ſui contentos & deſcriptos in ſupradicta ſcriptura & in ſcriptura unius ejuſdemque tenoris cum ſupraſcripta ſcriptura hic & hoc præſenti inſtrumento introſerta, & per me una cum teſtibus infra ſcriptis diligenter diſcuſſa, examinata & auſcultata, ante præſentem actum ſive præſens inſtrumentum confectum dimiſſis præfatis reverendiſſimis cardinalibus unius ejuſdemque tenoris per me notarium & teſtes infra ſcriptos reperta concordare, vel per alios modos juſtos & rationabiles, qui præfatis reverendiſſimis ut ſupra dominis cardinalibus juſti, æqui & rationabiles videantur, operari pro Deo velint præfati reverendiſſimi domini cardinales ita & taliter, quod quies & pax ſequatur ſive detur in Dei eccleſia & unio fidelium populi Dei & prædicta, ut ſupra prædictus dominus Marcus produxit, propoſuit, ſupplicavit, & narravit, nomine præfati M. D. ſui omnimodo, via, jure, & forma ſecundum ſibi, ut aſſeruit, injuncta & mandata, quibus melius ſcivit & potuit, in forma ſupra ſcripta: rogans idem dominus Marcus nomine quo ſupra me Johannem notarium infra ſcriptum, quatenus de prædictis & ſingulis unum & plura ejuſdem tenoris publica conficere debeam inſtrumenta. Actum Bononiæ in ſacriſtia S. Franciſci, ſive fratrum Minorum de Bononia, præſentibus reverendo in Chriſto patre & domino, domino PAULO epiſcopo Cervienſi, egregio legum doctore, domino Baptiſta filio Matthæi de Burgo S. Sepulcri, domino Thoma de Mamardis, domino Fortebono filio Johannis Forteboni de Ceſana, ambobus ſtudentibus in jure civili & Bononiæ commorantibus; qui omnes teſtes dixerunt & aſſeruerunt ſe noſcere reverendiſſimos, ut ſupra, dominos cardinales, & ſupra dictum Marcum nuncium & oratorem prædictum, ut ſupra omnibus teſtibus ad prædicta omnia & ſingula vocatis habitis & rogatis.

Et ego Johannes de Venetiis civis Cremonenſis & habitator terræ S. Johannis in partita magnificorum & potentium dominorum de Malateſtis, imperiali auctoritate notarius ſupra ſcriptus, productioni, propoſitioni, ſupplicationi, narrationi, traditioni & relaxationi, & omnibus & ſingulis ſupradictis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur, & & fierent, una cum teſtibus prænominatis interfui & ea omnia & ſingula in hanc formam publici inſtrumenti rogatus redegi & ſcripſi, ſignum meum conſuetum apponens in teſtimonium præmiſſorum.

INFORMATIO

Miſſa regi Romanorum & Hungariæ, de geſtis inter Carolum de Malateſtis & Johannem papam XXIII.

Anno 1411. *Ex mſ. bibliotheca regia.*

In nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis & unitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & glorioſæ genitricis Domini noſtri JESU CHRISTI, MARIÆ *ſemper Virginis, dominæ noſtræ, reginæ omnis unitatis & pacis, omniſque plenitudinis gratiæ & gloriæ. Amen.*

Informatio ad ſereniſſimum regem Romanorum & Hungariæ pro tranquillitate S. Romanæ eccleſiæ, & ipſius vera reintegratione & re-

formatione optima, Domino grata, omnique Christiano necessaria populo.

PRimo, quamvis superfluum censeat & præsumtuosum videatur, minimum hominem causam & quietem sanctæ matris ecclesiæ immaculatæ Domini sponsæ, regiæ commendare clementiæ, cæsar; tamen quia res postulat, audet CAROLUS causam quietemque ipsius sanctæ ecclesiæ tot conquassatæ jacturis commendare totis viribus suæ sereniſſimæ pietati, & hoc præsumere Carolum divina caritas & audita suæ benignitas majestatis impellunt.

Secundo, humillime recommendare CAROLUM servulum minimum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ & sacri Romani imperii, pedibus cæsareæ majestatis, & se offerre promtum ad honorem & bonum ipsius possibilibus obsequiis.

Tertio, quod CAROLUS prædictus animadvertit quemlibet servum quanto diutius ampliusque beneficia suscepit de manu domini sui, quantove voluntarie & ex debito subditus est, servireque disposuit & tenetur; tanto magis obligatur inquirere, & effectualiter quantum in ipso est procurare omnia honori atque utilitati domini accommodata sui; & si quid minus utile ac nocivum suo inspexerit domino imminere; tenetur non laboribus, non minantibus suppliciis indulgere, ut illa toto removeat conatu, quibus & obviare toto posse debitum est. Attendens itaque ipse servus sanctæ ecclesiæ ultra debitum quo quisque fidelis debitor est sanctæ matri Christianorum ecclesiæ, se non solum in propria persona, sed in suis olim dominis patre & progenitoribus servum esse, propterque assumtam voluntarie subjectionem, & indesinenter divina gratia hucusque protractam; propterque multiplicia ab ipsa sancta ecclesia suis patribus sibique exhibita beneficia, recognoscens se multifariam & multum obligatum nimis, errare merito putaret, si tranquillitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ & quæcumque illi conferentia non procuraret sincera mente totoque posse. Similiter quoque si nocituris quibuslibet negligeret obviare. Quantum ergo sui fragilitas potest apprehendere, aperte cernens ipse CAROLUS nihil magis utile tranquillitati & commodo sanctæ ecclesiæ profuturum, quam reintegrationem & indubitatam veramque unionem populi Christiani, nihilque magis dispendiosum & periculosum fore quam schisma, quin immo trischisma desolativum sacerdotalis regni generans Christianorum, dicente Veritate, quæ errare non potest: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus corruet supra domum.* Quem Veritatis effectum modo experimur videre. Videtur eidem CAROLO graviter nimisque errasse, magnoque juste animadvertenda supplicio fore, si non procurasset, quantum sibi divina adstitit clementia, quod trischisma, abominatio Deo Domino & angelicæ humanæque rationi, partum non fuisset. Unde quia illi visum fuit, nihil tam paci utile, quam quod partium divisæ voluntates convenirent in unum, & hoc minime fieri posse, nisi per justitiam & æquitatem convenirent; quasique palam intuens, quod tertium concilium trischisma productum foret, hoc removendum arbitratus est, & quærendum quod unicum & indubitatum concilium fieret & non plura, in hocque maxime corroboratus & confortatus animo fuit idem CAROLUS, dum sensit serenitatem suam hoc idem procurare per spectabilem militem dominum Guillelmum de Prata, tunc oratorem suæ celsitudinis. Et quamvis diceretur per plurimos, quod ex eo unio videbatur facta, quod duo collegia unita erant, & plurimi ex duabus partibus uniti in unius conventione concilii; non tamen videbatur prædicto CAROLO sic esse; sed potius quod illud esset facturum ex duabus partibus unam aliam tertiam, ex quo schisma inveteratum coaleretur, & aliud tertium prodiret, & error noviſſimus fieret pejor priore. Propterea itaque Pisas misit oratores, deinde ipse accessit illuc supplicans & petens, quod unum vellent domini ibi congregati concilium de communi consensu partium fieri, & non plura, per quod schisma vetus omnino videbatur extingui debere. Petebat autem in executione hujus tria, videlicet quod locus daretur congruus a partibus non præelectus, & tempus congruum, in quo partes quælibet convenire valerent, & tutela esset partibus omnibus idonea & sufficiens, & sic quantum Dominus illi dedit, æquitatem circumspiciens illam tripliciter concedi petiit. Nam æquitatem supplicabat loci, æquitatem temporis, & æquitatem libertatis concilii; quibus vero rationibus persuaserit hoc, & quibus negantes se justificaverint, & quæ parte domini Gregorii obtulerit, poterit regia sapientia per hæc scripta speculari; quidquid tamen fuerit, humanis exigentibus demeritis, ad privationem domini G. & domini B. pervenerunt, & demum assumserunt quem nominaverunt dominum ALEXANDRUM, & sic factum extitit trischisma: consideravit quidem CAROLUS, nec ideo desistendum fore a tractatu vere pacificæ & certæ unionis de jure & de facto. Misit igitur reverendum patrem dominum Cervienſem ad illum qui dictus fuit ALEXANDER, supplicando quatenus vellet hoc ipsum in se ipso sentire, quod & in CHRISTO JESU, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens;* placeretque in se sentire, quod domino GREGORIO per eumdem Carolum persuaserat esse sentiendum, sicut uberius habetur in gestis Pisis, videlicet quod præstantius

erat amodo ipsi domino G. seni sumum papalis dignitatis relinquere, pacem dare ecclesiæ, Deo in monasterio servire, & iis animam lucrari quam propter summum illiusmodi totam ecclesiam in tenebris conservare, maxima jactura animæ propriæ & totius populi Christiani. Sed neque hoc proficere visum est, sicut per missa & responsa in his scriptis poterit intueri serenitas sua. Obiit quidem consummata in brevi dignitate sua, & quam sponte noluit relinquere, mors coëgit ut amitteret. Cum autem Carolus sensit obitum suum, iterum aggressus est pacem ecclesiæ sanctæ procurare cum reverendissimis dominis, qui erant Bononiæ, antequam conclave intrarent, & præsertim cum eo qui nunc dicitur dominus Johannes. Missæ quidem responsiones ejus & replicationes in his scriptis apparent. Tandem vero certos proposuit modos quos supplicavit cum solemni protestatione ab illis dominis acceptari, si boni videbantur; si non, humiliter & obnixe rogabat ipsos meliores vel æque bonos producere & prosequi. Sed nihil hoc iterum valuisse visum est, processumque extitit ad sublimationem domini Johannis. Quo facto, ipse Carolus misit ad illum post suam assertam electionem, iterum supplicans pacem sua opera ecclesiæ sanctæ dare, & memorans eumdem, quod alias indeficienter promiserat, cum suis tunc reverendissimis fratribus toto posse operari pro pace. Nunc autem quoniam ipsi præ ceteris incumbebat & debebat, poteratque, nulla aliorum culpa valebat excusari, si pacem non redderet, quam reddere debebat & poterat. Hæc tamen latius indicantur per scripturas reverendi patris domini Cervienſis & domini Marci de Veruchulo, quas supplico serenitatem suammet non pigeat legere, & præcipue ubi figura manus apponitur notandi signaculum. Frustra tamen hæc nullum sortita effectum unionis tentata fuisse videntur. Vere numquam fere mensis pertransiit otiosus, quo a tractatu pacis Carolus resiliret. Ille vero non ea quæ pacis erant & æquitatis quærens, solum atque indefesse victoriam quærebat, & nullis blanditiis & oblationibus ad sui obedientiam allicere Carolum prædictum potuit memorans amicitias inter ipsos initas, & indesinenter servatas, a tempore quo cubicularius fuerat felicis recordationis domini Bonifacii, & postquam fuit cardinalis, & postmodum legatus, usque ad tempus illud quo divina dispensatione ad papatum fuit assumtus; quarum quidem amicitiarum non intendebat oblivisci, nec minuere propter dignitatem, sed augere. Quæsivit igitur ille continuo multiplicatis astutiis velle videri pacem quærere, nec quoque pacem fatebatur, nisi papam remanere unicum certus foret, sicut de jure se esse & indubitatum papam asserebat. Nihil omisit, quod non offerret omnibus Italis, quæ secunda suis votis fore imaginabatur, hocque exteris feciſſe fertur, cuncta quippe ei parum offerre visum est, dummodo favorem illius cui offerebat, suo profuturum regnandi proposito speraret. Sicque utriusque consummatum est tempus desiderio. Nam ille sperabat muneribus Carolum ad sui obedientiam provocare: Carolus vero pacem sanctæ ecclesiæ cum æquitate & justitia & certitudine reddi postulabat, veris quantum ex alto donabatur persuasionibus. Nihil valuit illi munera offerre orbis Carolo, nihil Carolo illi divinum meritum & gloriam utriusque hominis persuadere. Videbantur illi cuncta infesta, quæ potestati derogarent suæ. Sed tandem noscens Carolum arma parare, & nihil multifariis blanditiis & oblationibus cernens suum felicitasse votum, ad hanc pervenit hypocrisis spem. Dixit enim cuidam simplici viro, qui bonus in partibus illis habetur a plurimis, & vocatur Bonajutus, quod intendebat concilium a prædecessore indictum prosequi, & si deberet vilis clericus remanere, propter ipsum non deficeret quin pax redderetur ecclesiæ. Hoc idem Bonajutus retulit parte illius Carolo, affirmans se omnino credere, quia cum lacrymis tam pie in sui & aliorum multorum præsentia hoc obtulerat, quod multos ad lacrymas compulerat. Adjecitque quod nihilominus dixerat, per alium immediate ipsum secuturum certiorem Carolum de sua optimata facere voluntate. Ad quem Carolus respondit, quod Domino Deo gratias agebat, & quod vere optimum erat novum, dummodo verbis non discreparet intentio, de quo valde dubitabat, propter illa quæ de illo fuerat expertus. Dicebat etiam quod non quærebatur quod ille remaneret clericus, sed de majoribus post dominum futurum papam cardinalibus, in casu quo cederet suæ dignitati propter pacem & veram unionem populi Christiani. Et dicebat quod si hoc ille faceret, vel alii adversarii sibi assentirent, & sic vera pax & unio sequeretur cum suis æterno præmio & gloria; vel alii dissentirent, & sic victor glorioſus cum aliorum confusione persisteret. Obtulit insuper, si hoc ille agere vellet, Carolus sibi assistere circa illud toto posse, & cuncta quæ illius fuerint boni & gloriæ procurare. Post paucos quidem dies accessit ad Carolum egregius doctor juris dominus Petrus de Rochaconciata, qui cum magnifico domino Pensauri Malatesta fratre suo morabatur, & ex parte suprascripti qui dicitur Johannes post multa generalia circa materiam istam dicta, ad has demum conclusiones pervenit sub hujusmodi effectu, quod ipse dominus Johannes cogitaverat, quod ad magnam infestationem, quam faciebat sibi Carolus, vel movebatur ex rectitudine conscientiæ tantum, vel quia honorem ex tractatu unionis sperabat, si in qua laborabat sequeretur, vel propter utrumque. Et licet cognos-

ceret, ſe non teneri ad ea quæ offerebat, immo abſurdum videretur, quod ipſe unicus & indubitatus papa cum adverſariis ſuis damnatis hæreticis a Deo & univerſali eccleſia in ſacro concilio Piſano vellet convenire & aſſentire, quod certum ſuum jus cum illis, qui nullum habent, revocari videatur in dubium. Tamen quia diſpoſitus ſemper fuerat & erat toto poſſe complacere ipſi Carolo, quodcumque ſtium affectaret, vel ſi duos ſimul modos diſpoſuerat proponere & proſequi, per quos Carolus intenta haberet.

Erat enim contentus concilium quod vocaverat declarare celebrandum, & celebrare in loco in quo omnes adverſarii ſui poſſent ſi vellent cum obedientibus convenire.

Erat contentus habilitare voces ſuorum adverſariorum, quibus carent ex quo excommunicati ſunt & hæretici, contradicentes terminationi ſacroſanctæ univerſalis eccleſiæ.

Erat contentus locum concilii tutum facere, & ut Carolus inſpiceret quod ſincere intendebat incedere, & cum maximo honore ipſius Caroli, volebat quod ſi octo magnates eligerent ad tutelam concilii, velut moris eſt, Malateſtam Penſauri, & ipſum inter dictos octo eligere; & ſi ſeptem, ipſos duos inter ſeptem; & ſi ſex, ipſos duos inter ſex; & ſi quinque, ipſos duos inter quinque, & ſi quatuor ſimiliter, & ſi tres ſimiliter, & ſi duos, quod ambo eſſent, & ſi unus ipſe Carolus ille eſſet. Ex quo percipere poterat, quam ſincere incedebat, & quantum de domo ſua confidebat, & præcipue de perſona ipſius Caroli, quantumque promtus erat ipſos exaltare & honorare.

Et ut amplius Carolus cognoſcere poſſet quantum ipſius honoris exaltationi præfatus dominus promtus eſſet, inquiebat prædictus dominus Petrus, quod dominus ſuus papa Johannes erat diſpoſitus, quandocumque concilium eſſet congregatum, dicere coram prælatis, regibus, principibus & univerſo concilio, quod ad ea condeſcendiſſet ad quæ condeſcendebat, niſi propter immenſam & continuam dilectionem, quam erga ipſum Carolum continue geſſerat, cujus præcipue intuitu & prece faciebat.

Concludebat igitur & rogabat Carolum, quod ſibi placeret velle hunc modum proſequi. Nam juſtus erat & æquus, & cui partes deberent aſſentire, & ex eo unio ſequeretur, quam tanto deſiderio Carolus videbatur optare, cum maxima exultatione totius domus ipſius Caroli, & præſertim ſuæ perſonæ.

Ad hæc Carolus antequam reſponderet interrogavit prædictum dominum, ut magis clare reſpondere valeret, ſi dictus dominus Johannes contentabatur quod adverſarii etiam convocarent concilium prædictum auctoritate quam habebant, vel non exſpoliati omni poſſeſſione ſe prætendebant habere.

Ad hoc reſpondit, quod non, quia non erat decens, quod ipſi juridice privati omni poſſeſſione, aliqua uterentur poſſeſſionis juriſdictione.

Iterum interrogavit ſi contentabatur, quod adverſarii ſimul, vel quicumque ex ipſis vellet accedere, accederet tamquam papa apud obedientes ſibi, quouſque per concilium terminaretur de modis ſedandi ſchiſma per viam judicii. Et ſi contentabatur, quod videbatur honeſtum & æquum, quod quilibet cuſtodes & officiales concilii pro ſui tutela & concilii libertate & æquitate ponere poſſet, ſicut ipſe ſolus volebat.

Ad hæc reſpondit expreſſe, quod nullus iſtorum aſſentiretur umquam rationibus ſupradictis.

Tunc Carolus reſpondit, quod regratiabatur multum domino mittenti illum de præcipua affectione & dilectione quam gerere videbatur erga totam domum de Malateſtis & perſonam ſuam. Inſuper regratiari non erat ſufficiens, quod ipſum minimum ſervulum ſanctæ matris eccleſiæ inter ceteros Chriſtianos offerebat velle prænimia honorificari gloria, qua principes & majores decet glorificari, non ipſum; & quod dominus ſuus bene ſciebat, quod ipſe non tamquam principalis, ſed tamquam minimum eccleſiæ membrum unionem per viam juſtam & æquam quærebat; quod hoc notificaret domino G. cujus erat obediens, & ad quem principaliter ſpectabat, ſaltem pro una parte, & quidquid ab ipſo perciperet reſponſionis, prædicto domino notificaret: verum non ratione reſpondendi, quia nullum papatus jus nec juriſdictionem ſibi Carolo competere ſciebat, & propterea cum omnis foret inanis reſponſio, quam ſine voluntate domini ſui faceret, collationis gratia aliquid diceret.

Non igitur ratione concludendi, quia ad ipſum non ſpectabat, ut prædixerat, ſed cauſa conferendi dicebat, quod videbatur ſibi Carolo videre dictum dominum Johannem quærere per modos quos proponebat ſibi ſoli ante omnia velle pontificatus poſſeſſionem acquirere. Certum quidem eſt nullam eſſe majorem pontificatus poſſeſſionem, quam habere univerſalis eccleſiæ plenam obedientiam. Ipſe vero volebat quod ad ſui vocationem tantum tota congregaretur eccleſia: inſuper conſtituere cuſtodes & alios concilii officiales; præterea ſolus in habitu & veneratione papali concilium introire, ulterius voces habilitare ſolus cujuſlibet obedientiæ, aſſentientibus ſuis adverſariis in illa quam nunc poſſident obedientia. Ex quibus ſi his quæ volebat, ſui aſſentirent adverſarii, non inſpiciebat Carolus opus eſſe ulterius de jure papatus diſcernere, cum per hæc aperte conceſſum eſſet ſibi ſoli poſſeſſionem & juriſdictionis adminiſtrationem competere. Unde ergo & ſuperfluum foret propter diſcernendum

nendum litem papatus ecclesiam congregare, & quod hæc quæ dixerat nihilominus nunciaret G. ut ipse cujus intererat principaliter respondere posset quæ vellet. Dubitabat tamen, immo certus erat quasi, quod isti modi non viderentur ipsi domino G. justi neque æqui. Atque licet dominus suus vellet Carolum tam sublimiter honorare, & quamvis Carolus propter sui privati honoris ambitionem dominum G. ad hæc hortaretur, non credebat ipsum dedecus suum velle propter falsum ipsius Caroli honorem. Et propterea quoniam ex hoc non putabat unionem sequi, recordatus quod alios proposuerat modos, quos partibus æquos putabat, rogabat ipsum dominum Petrum, quatenus dominum qui miserat ipsum deprecaretur, ut vellet ipsos videre, & si boni sibi viderentur & æqui, ipsos vel alterum ipsorum acceptare; & si non meliores vel æque bonos proponere & prosequi sincere. Ulterius petiit eumdem dominum Petrum, si volebat modos domini sui ipsi tradere in scriptis, ut posset illos studiosius intueri: qui negavit dicens, nolle suum mandatum præterire. Et postquam multis argumentis nixus est, modos quos parte mittentis eum denunciaverat persuadere, nihilque aliud quam responsum sibi factum posset obtinere, dixit se ignorare modos, quales fuerint modi per Carolum domino suo missi. Similiter dixit, quod dominus suus ignorabat, & quod aderat pridem, quando Bonajutus dixerat domino suo de modis istis, dicens parte Caroli quod esse debebat instrumentum in quo modi isti continebantur apud cancellarium suum, videlicet Fr. Vivianum, & quod dominus suus dixerat nullum habere cancellarium, qui hoc nomine vocaretur. Cumque nihilominus apud omnes suos secretarios perquiri fecisset, apud neminem reperit. Tunc Carolus dixit, quod quæ dominus suus diceret, non putabat ipsum modos illos ignorare, verum Bonajutus ex sua erraverat simplicitate. Nam Carolus non dixit instrumentum esse apud Fr. Vivianum cancellarium, sed apud illorum vicecancellarium dictum dominum Vivarien sem. Verumtamen ne dominus ille posset semper assertam ignorantiam excusare, illos dicto domino Petro de Rochacontrata tradidit in infrascripta forma.

IN NOMINE SS. TRINITATIS & individuæ unitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti, & gloriosissimæ genitricis Domini nostri JESU CHRISTI MARIÆ *semper Virginis dominæ nostræ, per quam vera unio & pax inter Deum & hominem facta est, & inter diversa hominum idiomata in unitate veræ fidei & caritatis. Amen.*

HI sunt modi qui videntur mihi Carolo possibiles & æqui ad prosequendum sacræ unionis tractatum, Deo jubente, qui omnipotens & misericors est & præstabilis super malitiam populi sui.

Unus quidem modorum est, quod volentibus domino G. & domino B. cedere & renunciare, vel altero eorum tantum, dominus JOHANNES similiter velit. Et volentibus domino Johanne & domino B. dominus G. similiter velit. Et quoniam duplex est modus cedendi, unus quidem est per se, alius est per procuratores legitimos, ut tollatur, quantum dominus dederit, omne subterfugium, omnisque cautela impediatur, ex nunc dominus JOHANNES & dominus G. eligant unusquisque pro parte sua procuratores idoneos & unicuique illorum tribuat unusquisque plenissimum & sufficientissimum procuratorium, & mandatum irrevocabile, validatum omni robore juris possibili, per quos possint omnes insimul & divisim cedere & renunciare. Et si omnes renuerent & differrent post congruum & conventum tempus, habeat unusquisque de per se ex procuratoribus prædictis prædictarum partium tam plenum & irrevocabile mandatum, quod possit per se solum, cedente uno tantum ex procuratoribus alterius dictarum partium vice & nomine sui principalis solemniter & quantum sufficit de jure, cedere etiam teneatur nomine sui principalis; & hujusmodi renunciationem & cessionem quilibet ex principalibus acceptare & ratificare & approbare, & cum affectu executioni mandare teneatur, nec illius executioni contradicere, nec illam impedire de jure vel facto per se vel alium quovis modo, seu quovis quæsito colore possit. Nec miretur quisquam quod dicatur de eligendo procuratores ex nunc. Petitur enim ne forte, quod absit, principales dicerent velle convenire personaliter cum adversariis suis, vel cum uno tantum, & per seipsum cedere & renunciare, intervenienteque postea justa seu simulata causa seu occasione sibi excusationem vindicarent: ex qua perfectio veræ & indubitatæ unionis impediretur omnino, vel saltem tardaretur cum maximo discrimine animarum fidelium, & cum maxima jactura corporis. Et ne subterfugium circa hoc esse queat, ex nunc cum solemnitatibus & obligationibus irrevocabilibus, ut supradictum est, & cum majoribus, si fieri possunt de jure, eligat quilibet ipsorum aliquos, & tot talesque, quod non sit verisimile omnes eos non acceptare. Sint insuper viri, quantum dominus humanæ fragilitati eorum dabit, de hominibus posse judicare, prudentes atque Christianæ unionis & pacis zelatores, æqui, humiles, qui non adversarios conculcare, sed eis in omni justitia & æquitate parati assentire sint, & istis tribuat plenam & omnimodam potestatem, omni juris remedio & valitudine roboratam, si principales aut alter eorum infra tempus terminatum inter eos

non convenerint ſeu convenerit, cum alio ſeu aliis volentibus convenire, propter aliquam diſcordiam, de loco, de tempore, vel modo conveniendi, poſſe cum aliquibus eodem modo, & eadem poteſtate ab illo ſeu illis electis, convenire in aliquo loco libero & ibi tractare & terminare, prout majori parti ipſorum videbitur, & terminationi eorum acquieſcere debeat quilibet principalis abſque ulla exceptione, præterquam violentiæ & impreſſionis manifeſtæ. Non intelligatur tamen violentia ſeu impreſſio facta, ſi ipſi ex utraque vel qualibet parte pariter tractantur & artantur donec concordes fuerint, velut in conclavi cardinales. Inſuper ne iſti ad petitionem illius qui elegerit eos, potius hominem quam Deum omnipotentem colere & timere volentes, ſubterfugiis inhærentes, de impunitate gloriari valeant, quietem ſanctæ eccleſiæ & unionem populi Chriſtiani impediendo, ſi infra tempus terminatum non fuerint concordes cum aliis partis adverſæ, vel ſi non ſubjiciant ſe artari, ſicut in conclavi ſecundum diſpoſitionem juris debent ſe ſubjicere cardinales & artari permittere; tunc ipſo facto incurrant omnem pœnam tam a jure quam ab hominibus inflictam & promulgatam ei qui ſuum occiderit pontificem. occidunt enim pontificem, cum nullum certum haberi volunt, & ulterius univerſum domini populum, cum ipſum non uniri cauſa ſunt, & promittant electores eorum numquam abſolvere eos, niſi in caſu mortis, nec aliqualiter cum eis diſpenſare teneantur etiam dicti electi, cum acceptaverint immediate vovere & jurare ſolemniter, ſicut ſui principales juraverunt, bona & ſincera fide incedere, nec ab aliquo quod juſtum fuerit & æquum cum ſuis collegis diſcordare, & cum aliis qui ab aliis vel ab alio electi fuerint; & ſi non ſervaverunt, numquam abſolutionem ab obligatione quæ proxime dicta eſt ſive diſpenſationem petere. Inſuper poſſe de fidei fractione & infamia ab omnibus notari, abſque eo quod eis liceat contradicere, ſive aliquam excuſationem facere. Item, teneatur quilibet principalium per prædicta vincula infra duos menſes prædicta omnia aliis duobus dominis & omnibus principalibus Chriſtianorum publicare per publicas litteras & validas. Et ſi ambo, vel alter acceptaverint vel acceptaverit, reſcripſerint ſeu reſcripſerit ſe contentari infra alios duos menſes; tunc teneatur & debeat prædicta proſequi & infra congruum temporis ſpatium concludere. Spatium vero mihi congruum apparet, aliorum quatuor menſium; & ſi non concluſerint, tunc trium menſium ad plus conveniendi inſimul ad diſcordias terminandas electi ſpacium habeant. Poſtquam vero convenerint, modus circa eos ſervandus mihi apparet, qui ſervatur in ſummi pontificis electione. Quod ſi cedere & renunciare conſenſerint, vel ſaltem duo ex eis per procuratorem, & procuratores eorum de modo cedendi ſeu aliter diſcordaverint; eligendi modo prædicto & cum eadem plenitudine poteſtatis terminare debeant & terminent ſuper diſcordiis quibuſlibet, quæ verterentur inter procuratores modis quibus dictum eſt inter principales diſcordes terminari debere.

2 Alius modus eſſet, ſi primus non videretur bonus, vel illi aſſentire non placuerit, videlicet, quod quilibet eorum per votum ſolemne & juramentum & ceteras alias obligationes, quæ ſupradictæ ſunt; ſe obligaret aſſentire, &, quantum ex parte ſua eſſet, efficaciter facere, quod unum communi conſenſu & auctoritate qua quilibet trium ſungitur concilium congregaretur, ſaltem intra annum, in loco æquo & partibus tuto: quod concilium a prædictis tribus, vel ſaltem duobus, ſi alius nollet, poteſtatem plenam haberet terminandi ſicut vellet ſuper ſchiſmate iſto, & terminationi illi tamquam veræ & juridicæ quilibet aſſentire teneatur, abſque exceptione, & ex nunc quilibet eorum velut ſupradictum eſt, viros eligeret, &c. ut ſupradictum eſt, ad terminandum differentias omnes, quæ de modo, tempore, & loco congregandi concilium inter eos vel inter duos, alio congregare nolente, ut dictum eſt, oriri poſſint: quas omnes prædicti terminare debeant, & teneantur, ut ſupra. Teneatur inſuper per obligationes prædictas quiſquis eorum aliis duobus dominis per authenticas literas hoc notificare intra duos menſes ad plus. Et quia humana his diebus peſſimis malitia potius mundanum favorem amittere, quam divinum viſa eſt trepidare, & amplius orbis ſupplicium quam divinum evitare ſollicita eſt, & quæ apud mundum eſt abhorret confuſionem, abhorretque minime quæ a Deo in æternum omnibus manifeſtabitur, ut iis quantum deſuper dabitur occurratur, teneatur quilibet eorum per votum ſolemne & juramentum & ceteras alias obligationes, quæ ſupradictæ ſunt, ſe obligare, quod ſi infra tempus dictum non ſervaverit integre & inviolabiliter, omni prætermiſſa exceptione, cautela, ſubterfugio, calumnia, & omni in oppoſitum interpretationis adinventione, etiam ſi in dubiis ad eum interpretari, ſpectare & & competere declararet, a poteſtate Dei & a jure poſitivo conceſſa, ſive a poteſtatis plenitudine, quæ B. Petro & ſuis ſucceſſoribus conceſſa fuit, ab eo qui ſuis dixit apoſtolis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*, omnia & ſingula quæ ſupradicta ſunt, liceat omnibus qui ex collegio ejus ſunt, vel tempore obligationis præmiſſæ ſervandæ & non ſervatæ integri erunt. Inſuper omnibus prælatis, principibus, & univerſo Chriſtianorum populo ab eo diſcedere, & alteri vel aliis duobus dominis ſervantibus quæ ſupradicta ſunt inhærere, & illis favere uſ-

quequo manifeſte & abſque ulla tergiverſatione ſuum fecerit & impleverit debitum modis ſupradictis, abſque eo quod ullam pœnam incurrant temporalem ſive ſpiritualem, non obſtante quacumque juris in oppoſitum diſpoſitione, & electam hanc omnimodo quo melius & validius fieri valet, facere teneatur. Quam quidem licentiam ex nunc irrevocabiliter tribuat & numquam revocare juret. Inſuper ex nunc promittat per irrevocabile juramentum ſtatim anathematizare & excommunicare omnes & ſingulos tam prælatos quam alios cujuſcumque conditionis ſeu dignitatis fuerint, qui non adhæreant ſervanti promiſſa, & illi vel illis toto poſſe faveant. Et ſi non anathematizaverit ſeu excommunicaverit, decernat anathemati & excommunicationi illiuſmodi quoſcumque ſubjacere ipſo facto, qui non adhæſerint & faverint ſervanti promiſſa abſque ullo proceſſu aut ſolemnitate juris, aut abſque ullo alio ſententiæ latore, promittat ceterum per obligationes ſupradictas numquam ſuper aliquo cum illis diſpenſare. Et ſi dicerent quod jus quod eis certum eſt in dubium revocare nolunt, dico quod apud ceteros non eſt certum, & quicquid dicant certus ſum neque apud eos certum eſſe, & ſtante dubio præſertim quod eſt, inſpiciant ſupplico tractatum eximiæ ſcholæ Pariſienſis ſuper via voluntariæ ceſſionis & pacis, &c. *Ut in ſupra in inſtrumento anni* 1410. *die* 13. *Maii pag.* 1183. *uſque ad illa verba.* ut accepta ſint verba mea in conſpectu principum.

3 Poſt vero per non nullos dies acceſſit ad Carolum dominus Dyvus de Penſauro doctor juris, orator prædicti fratris ſui Malateſtæ de Bononia ad dictum Malateſtam primo miſſus, qui dixit parte domini ſui, videlicet dicti domini JOHANNIS, quod primum vinculum caritatis, quod cum Carolo ipſe contraxerat, ſemper ejus animo ſtatuerat indiſſolubile fore, & non niſi vita abeunte diſſolvi, quod multis approbavit indiciis præteritorum experientia, futurorum veriſimilitudine: unde, & dominum ſuum adjunctum dicebat, & dolere CAROLUM, quem ſemper præ ceteris dilexerat, & in quo ſpem geſſerat ſingularem, & quem ſuæ intentionis fuerat & erat toto poſſe ſublimare & honorare, ceteris fere omnibus Chriſtianis & eorum principibus & magnatibus in obedientia ſua exiſtentibus, ſolum ſibi contradicere & illi ſe opponere, de quo non tantum propter ſeipſum dolebat, quantum propter ipſius Caroli honoris ſtatus detrimentum, quod ex ſua opinione ſibi cernebat imminere. Dolebat inſuper ſumme, quoniam audierat CAROLUM arma parare; non quia bellum formidaret, ſciens ſe potentem inimicum; ſed quia undique ſe nimis conſpiciebat amiſſurum, quomodocumque res exitum ſortiretur. Nam ſi ipſe ſuccumberet, quod non putabat, ſperans ſe juſtam fovere cauſam, propriam pateretur jacturam, de quo Carolus ſumme dolere debebat, tamquam de ſuo amico præcipuo, parato ſemper ſibi in omnibus complacere. Siquidem ipſe Carolus dolebat ſui excidio. Nam ſuum quaſi putabat, & ſic unicuique videbat non niſi infelicem victoriam eſſe, & concludebat ſi per exhibitionem tutelæ, ſeu per juſtum aliquem modum complacendi ipſe dominus Malateſta putaret dictum dominum JOHANNEM poſſe ſibi Carolum reconciliare, rogavit quod placeret reddere proviſum: quoniam paratus erat nihil ſibi poſſibile propter hoc omittere. Hæc igitur retulit effectualiter tam pro parte dicti domini Johannis, quam fratris ſui ſupradicti prædictus dominus Dyvus.

4 Ad illa autem CAROLUS reſpondit contractam cum illo amicitiam ſe ſemper ſervaſſe, & poſtquam cardinalis factus fuerat, teſtis extitit experientia quod ſemper fuerat ſervus ſuus. Nunc autem quidquid feciſſet, ſuus erat amicus, & opere oſtenderet ſi res poſtularet Carolus ipſe ſe magis & verius diligere, quam ipſe eum: nec miraretur, ſi dicebat ſe nunc amicum & non ſervum, quia debitum eſt inimicos diligere. Non decet quidem duobus dominis ſervire & ideo non vocat ipſum dominum. de affectione quam oſtendebat, & offerens gratias, ſe ſperare dicebat in divina bonitate & miſericordia, ſe probaturum opere, quod ipſe illum non minus in ſui ſalutem diligebat, quam ille Carolum ad gloriam & commodum orbis. Diligebat namque ipſum caritate non ficta; ſed tranquillitatem matris & dominæ ſuæ amplius diligebat. Excidium illius dolenter inſpiceret, ſed dolore graviori jacturam ſanctæ eccleſiæ & deſolationem divini patiebatur populi. Porro ſuum propter hoc non formidabat futurum excidium. Licet enim ſe multis reatibus ſupplicio noxium fateretur, non tamen minuere reatum, ſed nec ſupplicium ſciebat, ſed indignationem ſibi majorem vindicare ab omnipotente judice juſto, ſi rectitudinem juſtitiæ & conferentia quieti ſanctæ eccleſiæ proſequi deſineret propter privati ſupplicii timorem, aut propter ſpem mundani gaudii. Sciebat enim eſſe neceſſe ut ſcandala evenirent; ſed væ futurum illi per quem ſcandalum venerit. Non quærebat ipſe Carolus ſuſcitare ſcandalum, ſed ſuſcitatum extinguere; & propter hoc omne privatum commodum derelinquere. Similiter rogabat illum ut vellet; & ſic ſui ipſius & amicorum ſuorum & totius eccleſiæ periculum evitaret, non cum ſui damno, ſed cum maximo detrimento & gloria cœleſti & terrena. Hoc modo nulloque alio cum ipſo Carolo contractam poterat amicitiam ſervare & augere.

5 Dicebat tamen CAROLUS prædicto domino Dyvo, ſe non parum mirari, quod do-

minus ſuus tot bona nunciaverat ipſi per eum, & nihil reſponderat, ſcilicet ſi vellet acceptare modos propoſitos; vel ſi non, quare meliores vel æque bonos non propoſuerit.

6 Tunc ille poſtquam conatus fuit juſtificare, dixit ſe aliqua audiiſſe de aliqua ſcriptura per C. ad dominum JOHANNEM miſſa; quid tamen illa fuiſſet ignorabat. Ut igitur nullus dimitteretur ignorantiæ locus eoſdem modos, quos ante per plures dies illi domino dominus Petrus tulerat, iterum per dictum Dyvum miſit, deprecans dictum dominum quid ſibi reſpondere placeret.

7 Et ut videat ſereniſſima providentia regia Carolum non adeo præſumtuoſum fuiſſe, quod novos per ſe ſubſtantialiter modos inierit, ſcire putat Carolus clementiam ſuam, modum ceſſionis primo præ ceteris ab eximia univerſitate Pariſienſi fuiſſe approbatum, & hanc viam magis certam magis caritativam & meliorem omnibus aliis multis aſſeruere rationibus. Illam poſtmodum collegium Gallicanum, inter quos erat ille, qui dicitur dominus B. & juraverunt, ut doceri poteſt per publicum inſtrumentum. Similiter etiam collegium Romanæ eccleſiæ tempore electionis domini Innocentii, & poſt mortem ejus tempore electionis domini G. Hoc etiam ipſe juravit & vovit, & per inſtrumentum publicum & ipſius bullas admultas orbis partes miſſas hanc viam dominus B. approbavit in concilio ſuo cum certis circumſtantiis.

8 Itaque tamquam viam approbatam, & a duobus partibus acceptatam, antequam factum fuiſſet novum ſchiſma CAROLUS illam propoſuit.

9 Secundus modus quem propoſuit, eſt modus concilii. Hic approbatus eſt per ſacrorum patrum conſuetudinem & per ſacros canones, quod patens eſt. Inſuper per tractatum eximiæ univerſitatis Avenionis. Nihil igitur novi deductum eſt per ipſum Carolum in viam concilii, niſi quod lis pendere videtur manifeſte, & dubitatio eſt de jure papatus, ad tollendum dubium utrum concilium auctoritatem certam habuerit, & per conſequens ejus judicium. Circumſtantiam illam apponi ſibi viſum eſt bonum, propter certam faciendam unionem cum æquitate & ſinceritate, ut per illas omnis via ſubterfugii & impedimenti contra ſacram unionem auferatur. Verumtamen ſua concluſio eſt, quod ſi meliores iſtis modi proponantur, ad proſecutionem & profectum, illos quantum ex alto dabitur, totis viribus promtus eſt ſuæ ſerenitati, cujus præ ceteris intereſt, primo parere & aſſiſtere, deinde ceteris omnibus nedum magnatibus, ſed minimis Chriſtianorum.

10. Supplicat ergo devote & humillime clementiæ ſuæ per viſcera miſericordiæ Domini noſtri JESU CHRISTI, & per humilitatem beatiſſimæ Virginis MARIÆ, per quam meruit ejuſdem fieri mater qui illum creavit & redemit, qui & a tot periculis liberavit, atque ad ſublime culmen Romani evexit regni; quatinus omni privata voluntate abjecta, divinum viriliter proponat honorem, & fidelium ſacro-ſanctæ matris eccleſiæ opportunitatibus & quieti provideatur. Novit enim optime regia ſapientia, quod, quantum ſenſus capit humanus, duobus his diebus maxime eccleſia indigere videatur, quorum unum ſine altero facere, aut parum aut nihil prodeſſe videtur.

11. Indiget quidem unione; & hæc ſi ſine certitudine fiat, quid proderit? aut quomodo vera & certa fieri valebit, niſi de concordia partium, & ſpecialiter illorum, quorum principaliter intereſt? & quomodo poſſunt veri animi concordes eſſe, ſi æquitas exulat, & ſi potentior debiliorem omnino voluerit ſuperare & conculcare? Ubi enim non eſt æquitas, pax animorum eſſe non poteſt; & ubi pax animorum non eſt, ibi caritas & unio eſſe non poteſt, ſine quibus Domino Deo placere non poſſumus, qui eſt caritas & unitas.

Vel ſi per viam concordis ceſſionis non deveniretur ad unionem, per quam viam certior fieri valebit, quam per viam concordis concilii, quæ judicium certum reddit, & ab omni judicis ſuſpicione alienum, & ab omni cautela declinandi juriſdictionem judicantis.

12. Dictum eſt alio indiget Chriſtianus populus, ſcilicet reformatione eccleſiæ univerſalis, proh pudor! Patet ſerenitati ſuæ quantum deformis ſit, & præcipue in prælatis eccleſiæ, ad quos Dominus dixit: *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam & ponunt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Et certum eſt reformationem veram fieri non poſſe, niſi concilium ſit tutum & liberum. Nunc autem advertat ſerena ipſius circumſpectio, quomodo liberum poteſt eſſe concilium, ſi illum timuerunt papam remanere, quem impugnare neceſſe fuerit? ſi eccleſiæ reformatio intendatur, maxime quidem nec tutum erit, nec liberum, ſi in terris ſuæ ſubditis poteſtati temporali & ſpirituali concilium fiat. Et ut ſerenitas ſua credat ipſum non dicere hoc ſine cauſa, hæc ſunt verba quæ a quodam, qui licet ex obedientia domini Johannis, ſic tamen unionis zelatorem ſe oſtendit, ad ipſum Carolum miſſa fuerunt.

13. Dominum JOHANNEM, quamvis illi obediat, non minus ægre fert ipſe, quam Carolus, cum ipſe ſit homo notorie infamatus de homicidio & aliis criminibus etiam, cum omni die ſcandaloſa operetur; & ſi ipſe haberet ſolium ſine freno, ipſe cum ſua crudelitate & nequitia deſtrueret totum mun-

dum. Et ad Carolum verba dirigens, inquit: Ita quod non immerito vos opponitis ſibi verbo & opere, quia veſtra & ſtatui veſtro intereſt, & dicitur vobis nota eſſe. Tertio dicit, quod frenum quod ipſe habet, eſt quia eccleſia non eſt integra, & timet exinde propter ejus demerita, quod in futuro concilio non deponatur, ut detur pax eccleſiæ univerſali. quoniam Pariſienſes jam nonnulli incœperunt tangere iſtum paſſum, cujus cauſa ipſe quærit facere concilium in loco ſibi fido, & ubi ipſe habeat utrumque gladium. Et cum propoſuiſſet ubi concilium fieri deberet, nonnulli, ut Francigenæ, dixerunt quod fieret ultra montes in Sabaudia, vel in Francia; aliqui, licet pauci, in Alemannia; ipſe vero dixit, quod fieret in confinibus Italiæ, pro commodiori & utiliori commodo omnium: & in hoc ſolus fuit, nominando locum tutum & liberum, videlicet Veronam vel Paduam. Alii, ut Romani, dixerunt de Roma, & de Roma ſe finaliter concordaverunt, contradictione cum quadam facta: allegantes qui concordabant, quod Roma eſt communis patria, & ob iſtam cauſam ipſe vadit Romam, ut ibi publicet dictum locum pro futuro concilio faciendo. Et dicit prædictus, quod nullum videt remedium, ut ponatur iſti frenum, niſi concilium fieret in loco tuto & libero, ubi domini ſanctæ eccleſiæ prælati, & ambaxiatores regum & principum, dominorum & univerſitatum valeant & poſſint pro ſalute Chriſtianitatis libere & tute loqui; & ad hoc conſequendum eſſet remedium, quod iſte dominus, quem vos ſequimini, videlicet dominus G. diſponeret ſe pro communi bono corporis Chriſti myſtici, & pro honore ſuo recuperando, dare pacem eccleſiæ & ſibi per hunc modum, ſi ſibi videtur, videlicet quod ipſe peteret & diceret quod vult cum ſuis intereſſe concilio, ita tamen quod fiat in loco ſecuro & communi: in quo ſi in aliquo ipſe forte defecerit, vult ſtare juri, &c. Et hoc caſu ſi hoc vult facere, ſperat quod ipſe & ſui remanebunt cum honore. Et dicit; quod bene reperientur prælati boni & virtuoſi, & etiam ex parte nonnullorum regum & principum, qui dicerent, ſi erant in loco tuto & libero, quod eccleſia uniatur hinc inde, non obſtantibus quibuſcumque; & quod pro tanto bono, ut ceſſet omnis ſuſpicio, eligatur unus pacifice & quiete, qui ceteris præponatur in ſchiſmatis remedium. Et ſi iſte homo crudeliſſimus ultra & ſupra Neronem nollet ſponte cedere, habebitis intentum: alias dicit invenietur modus, quod ipſe in concilio deponetur, non obſtante quod dicatur, quod papa non poteſt accuſari niſi de hæreſi; & dicit quod eo ipſo quod papa abjicit a ſe corpus Chriſti myſticum, ſe partem faciens, deponendus eſt. Et in hoc dicit quod Pariſienſes concordant, & ſpecialiter in odium perſonæ. Et iſtum modum dicit quod dimittatis ſupra illos ad quos tangit, quia bene invenietur modus & vera cauſa. Hæc omnia non ſunt verba Caroli, ſed illius.

14. Hæc illius qui de obedientia dicti domini JOHANNIS verba fuere, quæ ideo ſuo culmini nunciantur per Carolum, ut prævisa ab iis qui facti notitiam ab experto habent, ut melius providere valeat eſſe & quieti ſanctæ eccleſiæ, ut pote ei ad cujus officium præ ceteris ſpectat principibus, cum Romanus rex ſit filius, advocatus & defenſor eccleſiæ. Et utinam ſua clementia apprehendere poſſet, vel vere illi referrentur quomodo res deductæ fuerunt & quotidie deducuntur, & prælatorum opera noſce poſſit: quia aperte videret, quod Spiritus Domini non habitat in illis. Non niſi enim carnalibus vacant, non verentes quod Dominus inquit: *Non habitabit amplius Spiritus meus in homine, quia caro eſt.*

15. Et ut amplius ſua ſerenitas notitiam tractatus habeat cujuſlibet, quot circumventionibus rem ſanctæ eccleſiæ conculcare ſatagunt, nonnulli modum alium propoſuerunt, videlicet bonum eſſe unumquemque contendentium, ut ita dicatur, ſuam congregare de per ſe partem, & poſtea in loco in quo concordaverint, convenire; & ſic concilium congregari: aſſignantes hanc rationem, quod non eſt juſtum neque æquum, quod ille qui habet majorem auctoritatem & poſſeſſionem, æqualis fiat in conventione & congregatione cum his, qui minores ſaltem in poſſeſſione ſunt.

16. Supplicat ergo ut clementia regia dignetur intueri, quot hic fallaciæ latent, & quam periculoſa hæc via ſit, non ſolum partibus, ſed univerſo eccleſiæ bono.

Primo namque ſequeretur hoc inconveniens, quod ubi queritur quod judicium ſit certum, fieret obliquum duplici ratione veriſimiliter. Et prima eſt cum quilibet ex contendentibus, ut ita dicatur, alios dicat unionem impediviſſe propter ambitionem, & cum quilibet ſemel malus, ſemper præſumatur malus; veriſimile eſt, quod quiſquis eorum ambitioſus, nihil relinquat cum parte ſua operari, ut papa remaneat, & promiſſionibus munerum non parcet propter hoc, ut antequam ad judicium conveniat cum adverſariis ſuis, prælatos ſuæ partis ſibi benevolos ad concilium ducat, & odioſos adverſariis faciat. Ex his enim duobus manifeſtum eſt plerumque homines a virtute divertere.

17. Et ſi reſpondeatur quod hoc facere poſſent, dato quod commune, ut Carolus petebat, congregaretur concilium, videlicet beneficia offerre & odia ſeminare.

Replicatur, quod non tam faciliter nec tam occulte poſſent hæc tractari & fieri, & quia fieri non poſſent occulte, provideri poſſet, & tractare & acceptare multi timerent, verentes ſupplicium & confuſionem.

18. Secundo, ut prius dictum est, sequeretur suspicio judicis. dato enim quod nullus hoc quæreret, quælibet partium suspecta redderetur, & per consequens ille qui succumberet, forte declinaret judicium, allegans judicem suspectum non irrationabilibus argumentis.

Et si responderetur, quod hæc ratio esset, concesso quod conciliaretur, ut petitur.

Replicatur quod non, ratione in replicatione prædicta.

19. Tertio, ubi unio quæritur, ab augendo divisiones animorum incipietur, quia unusquisque partem cognoscit suam, & animo in illa confirmatus videtur.

Replicatur quod verum est, quod unusquisque partem cognoscit suam, & animo in illa confirmatus est, & propterea quia divisionem tolli quæritur, illud auferendum est, quod dissensionem animorum est apertum augere; non illud suscitandum, quod augendi causa sit dissensiones animorum, & non auferendi. Et circa hoc attendendum, quod per viam istam multa possent inconvenientia sequi.

20. Primo augeretur partialitas in mentibus, ut dictum est: nam valde differt quod divisim vel communiter congregaretur. Si enim vocati accedunt, videntes principales in hoc quod principalissimum est, concordes esse quodammodo, æquanimæ unionis signo confortati unanimes procedent, discoli vero conterrebuntur, non videntes posse schisma sine periculo seminare, & absque manifesta nota. cujus oppositum foret, si principales viderent scissos animo, & aptos nullis parcere muneribus regnandi spe. Insuper habilitas tractandi & spes secreta servandi, causa forent seditiosos magis accendere.

21. Ceterum per experientiam instruimur, quod si communiter a duobus vel tribus litigantibus vocantur super contentione laturi judicium, unumquemque pudebit, si cujusvis eorum qui vocaverunt, deprehendatur jus lædere, ut alteri faveat. E contra vero si unusquisque divisim vocet illum, qui ex parte unius vocatus fuerit, pudebit si non tueatur toto posse honorem vocantis & commodum, dato quod non plenam inspiciat fovere justitiam. Unde aperte videri potest, quantum differat a justitiæ rectitudine & unionis opportunitate inter judicium eorum, qui ad judicium ferendum unanimes procedent, & communiter vocati, communiter justitiam partium & commodum servare proposuerint; & inter eorum judicium, qui divisim vocati, privatum vocantis commodum aliorum commodo præferre dispositi, ad ferendum judicium accesserint.

22. Est tertium inconveniens, quod si concilium aliquid judicare sanciret super ea quæ a partibus gesta & promulgata fuerunt, expediet testes produci & examinari; sed cum nullus possit induci testis, qui non sit de aliqua partium, si divisim antequam conveniant fuerint congregati, pars quævis, quæ sciverit se minus juste processisse, testes subornabit, & instruet quomodo conveniant tempore interrogationis; quod quidem faciliter facere poterunt habentibus eos in sua ditione, & non prius examinatis communiter, quam secreto & private instructis. Hæc autem non sic faciliter si non prius private quam communiter in sua ditione testes habuerint. Si enim tentabunt quos in sua potestate non habebunt subvertere, non est verisimile testes subornationi tam faciliter assentire, & mirum foret si non periculosa tentatio deprehenderetur.

23. Et quoniam unione & reformatione dictum est ecclesiam indigere videri, advertat, supplico, serenitas sua, quod via hæc causa esse possit irreparabilis destructionis utriusque, quantum in hominibus potentia bonum impediendi permissa est.

24. Primo namque, ut prædictum est, justitiam in facie hominum conculcari facilius est per viam hanc, quam per aliam, quia verisimilius & facilius est testes subornare, & judices ad obliquum judicium ferendum seducere, quod quamvis fiat, non unio fiet, sed illa sic facientium augebitur iniquitas, donec veritas reveletur.

25. Alia ratio est, quod magis discordes animo conciliaturi fient, & propterea aut convenient, aut non: si convenient, difficilius concordabunt, & propterea magis concilium produci necesse erit. Oportebit enim ipsos cum suis dominis primo convenire, deinde tractare de loco, tempore, & modo conveniendi; & cum non parva fuerit distantia inter eos, minima quæ orietur discordia inter eos, non parum exiget temporis antequam nunciis eundi & redeundi facilitas adsit. Et post hæc dato quod concordent, ut conveniant, tempus non parvum labi interim oportebit; sed postquam convenerint, longius expediet tempus, ut magis discordes conveniant. Interim vero prælati & principes sumtibus gravabuntur, & quosdam inedia, imperfecto opere unionis, vel saltem reformationis, compellet abire. Quidam vero hinc honestate orbis imperfecta unione abire pudebit. Inde vero avaritia seu inopia victus juxta illud poetæ, facient cedere. Patres censere parati: si regnum, si templa sibi jugulumque senatus, exsiliumque petit. Et sic fiet unio & reformabitur ecclesia.

26. Alia ratio, dato quod conveniant, cum satis evidenter quivis ex principalibus dixerit suos adversarios multa commisisse enormia propter ambitionem regnandi, non est via illa eam suspicionem tollendi; sed verisimile est, quod quicumque per nefas regnare voluerint, videntes quod per fas regnare non licet, vel si forte regnum, quam

vis juridicum fuerit, amittere titubet, fœdus cum ſuis iniet prælatis, principibus eorum ſervandi ſtatum & augendi, ut ſui fidem ſervent, & ipſos ſubliment. Et tunc ſupplicat Carolus ſapientiam intueri cæſaream, quomodo mediantibus membris infectis, qui cum infectis principibus & ambitioſis convenerint, poterit eccleſia in capite & membris reformari. Et hæc tractandi habilitas tollitur, ſi ante conveniant, quam in effectum cordis eorum diviſim congregatos habeant.

Tollitur inſuper amiſſio temporis & impenſæ damnoſæ.

Et ſi quis partium dixerat non curare, quod cautelæ removeantur prædictæ, ſignum certum eſt quod illis uti proponit.

26. Poſſet inſuper pro minimo poſtquam unaquæque partium congregata eſſet, diſcordia oriri de loco, ſive modo inſimul congregandi, & ſic negotium infici, & tunc unaquæque juſtificata cauſa ſua iterum alios damnaret, & contra illos procederet. Et ſic via ceſſionis & concilii bis tentata & infecta, quod deprecor, quantum in humanis ſenſibus eſt, remedium remaneret ſchiſma & triſchiſma tollendi diebus noſtris?

28. Hæc igitur omnia ſupplicabat humillime & totis viribus Carolus cæſaream libram ponderare; & ſi examini committantur, viris non ambitioſis & amore ac odio victis diſcutienda committere placeat, ſanctæque matris eccleſiæ opportunitatem ſuæ ſereniſſimæ clementiæ commendat, quam Dominus omnipotens deprecatur talem ſuæ præbere ſanctæ ſponſæ, qualem ipſius bona & ineffabili ſui providentia præelegit, proficientes & in hoc corroborare, & in culmine ſervare dignetur.

29. Supplicat ceterum, ut conſiderare dignetur præter meritum & gloriam, quam acquiret, ſi ſua ope quies reddatur eccleſiæ, quod ipſe ex certa unione certus, divina favente clementia, imperator fiet, quod eſſe non poteſt, ſtante dubio papatus.

30. Præterea, quoniam forte ſua ſerenitas audivit, & ſi non, noſcere dignetur, quod ipſe Carolus bellum contra eum, qui dicitur dominus Johannes, non propter amorem alicujus privatæ perſonæ, nec propter odium, nec propter munus, aut ſtatus ſui exaltandi ſpem; ſed ſolum propter divinum honorem & zelum domus ejus ſanctiſſimæ. Ratio fuit, quia ille homo propter ambitionem cauſa fuit triſchiſmatis, contra omnem ſpem ipſi Carolo exhibitam. Inſuper propter hanc eamdem ambitionem cauſa fuit & eſt, ipſum ſchiſma cujus fuit cauſa nutrire cum productione antiquati, atque propter ſpem quam habet in favore orbis, quem ſibi favere experitur, & præcipue in partibus Italiæ, maxime autem in Bononia, non curat neque vult æquis & juſtis petitionibus aſſentire, ut unio acceptabilis, certa & univerſo populo Chriſtiano optima fiat; ſed magis quotidie ſanctam ſcandalizat eccleſiam, & quantum in eo eſt ad præcipitium temporale ſpiritualeque trahit. Unde ipſe Carolus animadvertens opportunum fore remedium, arma in quibus ipſe confidit de manu ejus auferre, bellum incœpit, non in gladio ſuo confidens; ſed in eo ſperans, qui omnipotens eſt, & in quo qui ſperat non confunditur in æternum, ut quies ſanctæ eccleſiæ, quæ pacifice haberi non potuit, largiente Domino exercituum ſancto Iſraël, converſo gladio in auctorem triſchiſmatis & bellorum vindicetur. Hujus quidem, ut ſerenitas cæſarea ſententiam habeat proteſtationis factæ Bononienſis, hæc eſt copia.

PROTESTATIO NOMINE CAROLI de Malateſtis.

Facta de bello ab ipſo indicto Johanni XXIII papæ, recuſanti vias pacis & unionis eccleſiæ.

In Chriſti nomine. Amen. Anno a Nativitate ejuſdem milleſimo cccxi. indictione iv. Arimini tempore SS. in Chriſto patris & domini, domini Gregorii divina providentia papæ XII. & die xvi. menſis Aprilis, Cum ſapiens & juriſperitus vir Petrus de Rabaninis honorabilis civis Ariminenſis, ut nuncius, procurator, & orator, & ambaxiator magnifici & potentis & excelſi domini domini Caroli de Malateſtis de Arimino, Arimini, &c. pro ſancta Romana eccleſia vicarii generalis, inceſſabilis ſollicitationis & procuratoris exſtirpationis inveterati ſchiſmatis perſonaliter ſe debeat transferre & de proximo iturus ad civitatem Bononienſem dicturus, expoſiturus, & narraturus reverendiſſimo domino domino apud plurimos cardinali Neapolitano & civitatis Bononienſis aſſerto legato, necnon magnificis & excelſis dominis dominis Ancianis, & vexilliſero juſtitiæ & populi civitatis, atque ipſi populo & communitati Bononienſi, quamdam ambaxiatam, narrationem, expoſitionem, & declarationem, juxta ſibi impoſita & injuncta per præfatum magnificum dominum dominum Carolum, quamplura, varia & diverſa continentem; cui ſi annuerent, quod utinam pro ſalute & quiete danda eccleſiæ ſanctæ Dei & populo Chriſtiano, hæc proteſtatio ceſſet omnino. Si autem non annuerent, & eidem repulſa ad quæſita, petita, & narrata daretur, fiet proteſtatio. Idcirco præfatus magnificus potens & excelſus dominus, dominus Carolus de Malateſtis volens ac intendens occurrendis & neceſſario fiendis in poſterum per dictum ejus oratorem ſalubriter & debite providere, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc omni modo via juris & forma, quibus melius de jure potuit, juridice fieri poteſt, fecit, conſtituit, ordi-

navit, & creavit ſupradictum ſapientem & juriſperitum virum dominum Petrum de Rabannis præſentem ibidem, volentem, & acceptantem, & præſens mandatum in ſe & ſuper ſe ſponte ſuſcipientem, ſuum & legitimum procuratorem, actorem, factorem, ambaxiatorem, oratorem & ejus certum nuncium ſpecialem, ſpecialiter, nominatim, & expreſſe, ad dicendum, denunciandum, proteſtandum & declarandum in ſcriptis aut oraculo vivæ vocis, procuratorio nomine antedicti magnifici domini Caroli, dicto domino aſſerto legato prædicto & apud nonnullos cardinali prænominato, dictiſque magnificis dominis dominis Ancianis, vexillifero, communi & populo civitatis Bononienſis, & cuilibet eorum communiter & diviſim, ſeu alteri ipſorum ſecundum quod dicto procuratori & ambaxiatori viſum fuerit expedire, in hæc verba & ſecundum quod inferius annotatur, videlicet: Ego Petrus de Rabannis civis Arimini, tamquam procurator, nuncius, orator, & homo habens ad hæc mandatum & commiſſionem a magnifico & excelſo domino meo domino Carolo de Malateſtis, vobis & cuilibet veſtrûm dico, proteſtor, atque declaro, quod poſito pro conſtanti, quod dominum meum tædeat venire ad ſimilem actum, ipſe non valens reperire pacem & unionem ſanctæ matris eccleſiæ per modum pacificum & tranquillum & quietum, diſpoſitus eſt cum auxilio & favore Omnipotentis per omnem modum ſibi poſſibilem ipſam recuperare de manibus illorum, qui conculcarunt juſtitiam & multiplicarunt errorem, & ſimiliter de manibus quorumcumque qui eſſent fautores & defenſores ad manutenendum hunc novum errorem. Proteſtor inſuper ſi præfatus magnificus dominus meus faceret aliquam novitatem contra iſtam magnificam civitatem Bononienſem & comitatum ejuſdem, ipſe non faciet propter odium aut pretium receptum ab aliquo, nec animo acquirendi aliquam terram ſeu locum directe vel indirecte; ſed ſolum prædictorum occaſione, notificando, certificando, & promittendo huic magnificæ communitati, & cuilibet alteri loco tam comitatus quam extra, quod quotiens ipſi aut alteri eorum ſe ſeparabunt ab obedientia iſtius hominis, qui apud aliquos dicitur papa Johannes, & ab omni ſua obedientia & favore, ipſe non offendet, immo toto poſſe auxiliabitur & favebit, ſive velint ſe regere in libertate & ſub nomine populi, ſive quocumque alio titulo aut regimine placuerit, dummodo, ſicut dictum eſt ſupra, non præſtent obedientiam aut favorem directe vel indirecte dicto nominato papæ Johanni, qui fuit fautor & auctor iſtius tertii ſchiſmatis, & ita hucuſque videtur obſtinatus in ſuo peſſimo propoſito permanere. Dans & concedens dictus conſtituens dicto ſuo procuratori & oratori plenum, liberum & generale mandatum in prædictis circa prædicta & in quolibet prædictorum; promittens dictus conſtituens dicto ſuo procuratori & mihi notario infraſcripto, tamquam publicæ perſonæ præſenti, ſtipulanti & recipienti nomine & vice omnium & ſingulorum quorum intereſt vel intererit in futurum, ſe firmum & ratum habiturum quidquid per dictum procuratorem & oratorem factum, geſtum, dictum, ſeu procuraturum fuerit in prædictis, circa prædicta, vel in altero prædictorum, ſub hypotheca & obligatione bonorum ſuorum. Actum in civitate Arimini, in conciata S. Columbæ, in domibus palatii & reſidentiæ præfati magnifici domini Caroli, præſentibus ſapienti & juriſperito viro domino Jacobo de Certalco, quondam domini Johannis, prudenti & circumſpecto viro Gr. Thomeo de Biccochiis de Carpala, nobilibus viris, Cæſare quondam domini Galæoti de Agalantibus, Leonardo quondam Roelli de Roellis, & Ranaldino quondam Laurentii, omnibus habitatoribus & civibus civitatis Arimini teſtibus, & aliis ad prædicta vocatis & habitis.

Et ego Nicolaus quondam magiſtri Guiduccioli de Arimino imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius, prædictis omnibus interfui, rogatuſque prædicta ſcribere, ea ſcripſi, & publicavi, ſignumque meum appoſui.

COPIA CEDULARUM IN CONCILIO Perpiniani traditarum per dominum papam Benedictum XIII.

CUm per ſereniſſimum dominum Sigismundum regem Romanorum fuerit ſupplicatum domino noſtro papæ Benedicto XIII. quod ipſe qui propter antiquitatem & ſcientiam & negotiorum experientiam debet præ ceteris iſta ſcire, velit viam vel vias aperire per quam vel per quas poſſit in Dei eccleſia breviter unio haberi; prædictus dominus noſter papa, reſpondet quod ad providendum ſaluti animarum, & ad obviandum erroribus & ſchiſmatibus, qui ſunt & oriri poſſunt, via ſecurior & ſalubrior eſt viæ juſtitiæ, quam ipſe ſemper obtulit & offert, quæ faciliter videri poteſt. Si tamen præfatus dominus rex & alii ad prædictam viam condeſcendere nolunt; ſed in via renunciationis perſiſtunt, dominus noſter reſpondet, quod amoto obſtaculo Piſano, ſicut continebatur in ſchedula tradita per epiſcopum Zamorenſem, prout alias obtulit, nullam aliam viam excludendo, paratus erat propter Dei ſervitium & ipſius eccleſiæ unionem renuntiare papatui, proviſo tamen prius ſufficienter, quod reges & principes Chriſtianitatis aſſumendo ſeu eligendo in poſterum ad papatum tamquam vero Chriſti vicario obediant, & quod

Anno 1415. *Ex mſ. illuſtriſſimi abbatis Rotelin.*

quod futura electio fiat canonice, & in loco A
ſecuro ſtatim poſt ejus renunciationem, ſuper quorum practica placet domino noſtro aliquas perſonas aſſignare, quæ ſimul cum aliquibus per dictum regem Romanorum aſſignandis præmiſſa videant & concordent. F. Rouvera.

Tenor vero cedulæ oblatæ per epiſcopum Zamorenſem, de qua ſupra fit mentio, ſequitur & eſt talis.

1 Nos talis & talis, &c. ambaſciatores & nuncii miſſi per concilium nunc reſidens Conſtantiæ provinciæ Moguntinæ, habentes poteſtatem ad infra ſcripta, prout conſtat B
de eadem per inſtrumentum publicum tenoris ſequentis. (*Inſeratur.*) Anhelantes ad unionem eccleſiæ pervenire, reducenteſque ad memoriam proceſſum, acta, eventamenta, ſententias & pronunciationes dudum Piſis contra dominum PETRUM DE LUNA in ſua obedientia Benedictum XIII. nominatum, cardinales & principes & alios ſibi obedientes & adhærentes factos, facta & latas anno a nativitate Domini MCCCCIX. & inter cetera ſententiam ſeu pronunciationem anno prædicto, die tali, menſis talis promulgatam, tenoris & continentiæ ſubſequentis. (*Inſeratur.*) nomine ſupradicto dicimus, recog- C
noſcimus, annuntiamus, & declaramus prædictos proceſſus, acta, eventamenta, & ſententias, ſeu pronunciationes, nullos & nulla fuiſſe, & eſſe, & ad majorem cautelam, ſi & in quantum indigent, caſſamus & annulamus, & pro caſſis & nullis haberi volumus & habemus.

2 Poſt hæc dominus noſter papa ſuper habenda practica & exſecutione dictæ viæ ceſſionis, quæ tota eidem domino regi Romanorum acceptabilis videbatur, certas aſſignavit perſonas ad tractandum & concordandum cum perſonis aliis per dictum regem Romanorum aſſignatis, & tandem habitis inter dictas perſonas aliquibus prolocutionibus, cum perſonæ hinc inde deputatæ ſuper præmiſſis non concordarent, ne plus debito negotium differretur, idem dominus noſter papa ſuper dicta via ceſſionis eidem regi Romanorum cum una cedula XXVI. Octobris anni ſupradicti exhibita, practicas duas aperuit & obtulit tenoris ſequentis,

3 Sequitur practica ſuper via renunciationis aperta per dominum noſtrum papam Benedictum, ad inſtantiam illuſtriſſimi principis domini SIGISMUNDI Romanorum regis, E
cum proteſtatione quam ſemper fecit idem dominus noſter papa, quod nullam aliam viam vel practicam intendit excludere, per quam poſſit ſchiſma tolli, & eccleſia debite uniri, videlicet quod dominus noſter papa Benedictus ceſſione per ipſum facta, eligat hac vice Romanum pontificem. quæ quidem via rationem habere videtur. Nam totum fundamentum quod prætenditur ad juſtificandum viam ceſſionis eſt propter dubietatem. Si dubietas eſt, ex conſequenti inſurgit dubietas circa jus eligendi papam, videlicet quæ ſint illæ perſonæ ad quas, ceſſione per dictum dominum facta, pertineat poteſtas eligendi ſummum pontificem. Nunc eſt ſic, quod penes dominum noſtrum videtur eſſe jus eligendi ſummum pontificem. Quæ quidem juris certitudo non redditur dubia vel incerta ex dubio juris aliorum. Nuſquam enim factum eſt, quod actio alicujus alias certa reddatur dubia ex dubia replicatione adverſarii. Quod autem apud dominum noſtrum, ceſſione facta, reſideat certum jus eligendi papam probatur, quia jus cardinalatus indubii, quod habuit tempore indubii papæ ſecundum adverſariorum opinionem, apud ipſum reſidere videtur poſt dictam ceſſionem papatus, & hoc ſive dicamus, quod cardinalis aſſumtus in papam non amittit ipſo jure jus cardinalatus, cum ipſum non potuerint ligare aliqua jura poſitiva facientia vacare priora beneficia, per conſecrationem pontificis; ſive dicamus quod poſito quod ipſo jure vacaſſet cardinalatus: quia tamen propter prætenſum dubium papatus petitur via ceſſionis, poſt factam ceſſionem papatus, recuperat dignitatem priſtinam cardinalatus. Et prædicta multa juri & rationi conſona, ut apparet, per jura & opiniones, quæ ſi audire placuerit, poterunt explicari & ad propoſitum applicari. Et iſta videtur brevis & utilis ad conſequendam veram unionem eccleſiæ, & per quam tolluntur multa dubia & pericula, quæ in aliis practicis oriri poſſent.

4 Si tamen practica ſupradicta non placet, dominus noſter ad oſtendendum ſincerum affectum, quem ſemper geſſit & gerit ad pacem eccleſiæ conſequendam, aperit cum proteſtationibus ſupradictis, practicam ſequentem, quod de conſenſu præfati domini noſtri papæ, domini cardinales compromittant de electione futura, quæ poſt ceſſionem domini noſtri imminet fienda, in certos compromiſſarios, in numero de quo concordabitur. Qui quidem compromiſſarii poteſtatem habeant faciendi omnes vel eorum major pars dictam electionem, & conſimiliter illi domini qui in alia obedientia ſe cardinales faciunt nominari, in perſonas alias compromittant, dantes eiſdem conſimilem poteſtatem cum approbatione congregationis Conſtantienſis. Qui quidem compromiſſarii tam iſti quam illi ponantur in loco ſecuro & ſub tuta & fideli cuſtodia, de qua fuerit concordatum, incluſi quilibet ad partem ſuam: diſpoſito quod deliberatio utrorumque compromiſſariorum concurrat ad unam & eamdem perſonam aſſumendam ad papatum. Poſtea vero dicti compromiſſarii, videlicet utrique ad partem ſuam & per ſe ante actum electionis faciat ſcribi inſtru-

mentis authenticis deliberationem per ſe habitam de eligenda illa perſona. In qua quidem deliberatione concurrant vota omnium vel majoris partis compromiſſariorum cujuſlibet prædictarum duarum partium, & per aliquas medias perſonas utrique parti notificari faciant inſtrumenta dictarum deliberationum. Quibus quidem notificationibus factis, compromiſſarii alterius partis eligant perſonam concordatam antequam fiat ceſſio, & poſtea fiat ceſſio; qua ceſſione facta, ſtatim eligant compromiſſarii prædictorum cardinalium domini noſtri papæ dictam perſonam concordatam. Statim poſt hæc fiat præſentatio utriuſque electionis ſeparatim, tamen ipſi electo. Qui quidem electus acceptet papatum; & exinde pro vero Romano pontifice habeatur. Et ad hoc ut prædicti compromiſſarii non poſſint negotium dilatare, ſervetur in eis reſtrictio contenta, in capite *Ubi majus periculum* §. *Verum* de elect. lib. VI. Hoc addito, quod cum ipſi electores juxta tenorem dicti c. & §. pervenerint ad victum panis & vini, & aquæ tantum, ut in dicto §. continetur, & ſic perſeveraverint per decem dies quod non elegerint papam, ex tunc non miniſtretur eis niſi panis & aqua. F. Rovera.

5 Poſt quarum practicarum apertionem & oblationem, nihil circa eas pro parte dicti regis Romanorum, nec pro parte eorum, qui aſſerebant ſe eſſe miſſos a dicta congregatione Conſtantienſi, fuit dictum vel propoſitum dicto domino noſtro papæ, nec perſonis ad hoc per eum deputatis, ſed obtinentes ab eo diem certam, videlicet xxx. prædicti menſis Octobris, ad proponendum aliqua quæ ſe velle proponere aſſerebant, certi ex dictis prætenſis nunciis dictæ congregationis pro parte ejus; & certi alii pro parte dicti regis Romanorum, in præſentia ejuſdem domini noſtri papæ die prædicta palam aſſiſtente multitudine gentium copioſa, præmiſſis aliquibus præfationibus dominum noſtrum papam prædictum monuerunt, rogaverunt, & requiſierunt, quod ſuo juri papatus renunciare & cedere dignaretur. quibus pro parte ejuſdem domini noſtri papæ fuit ibidem reſponſum, quod ob ſalutem fidelium animarum, & ad evitandos errores, & ut vera unio in eccleſia ſequeretur, oportebat ipſum debite providere; & quod niſi ſic fieret, non ſatisfaceret Dei ſervitio, bono univerſalis eccleſiæ, oblationibus per ſe hactenus factis de via renunciationis, quæ modum & finem unionis habent annexos, neque ſacris canonibus, per quos via renunciationis ſuis caſibus ideo commendatur, quia fit ob finem boni quod ſequitur ex eadem, nec debito ſui officii, cum providere ſuper hoc ad eum ſpectet ex jure & prærogativa apoſtolicæ ſedis: immo ad hoc compellunt ipſum divina jura pariter & humana, fuitque ſubjunctum in dicta reſponſione, quod dominus noſter papa, ut bonus paſtor, ad ſatisfaciendum ſupradictis, poſt oblationem quam fecit dicto ſereniſſimo regi Romanorum de via ceſſionis papatus, prout in præinſerta cedula continetur, duas ſuper ea obtulit practicas, ad providendum quod per alteram unio univerſalis eccleſiæ habeatur, & non veniant majora ſchiſmata vel errores, de quibus veriſimiliter dubitatur. Tandem pro parte domini noſtri papæ fuerunt rogati, hortati, moniti & inſtantiſſime requiſiti ſupradicti nuncii dictæ congregationis & præfatus ſereniſſimus rex Romanorum in perſonis eorum, qui ibi erant nomine ſuo, quatenus præfatas practicas, vel alteram earum acceptarent, vel cauſas dicerent, aut dubia moverent cur acceptandæ non eſſent. Nam paratum ſe exhibebat & promtum dictis eorum ſatisfacere & dubia declarare; & ſi aliqua eſſent in dictis practicis rationabiliter corrigenda, emendanda, addenda, vel mutanda, illa volebat & ſe offerebat corrigere, emendare, addere, mutare. Qui quidem prætenſi tam nuncii dictæ congregationis quam miſſi per dictum ſereniſſimum regem Romanorum, nihil de ſuis vel dominorum eos mittentium intentionibus & conceptis ſuper dictis practicis vel materia unionis eccleſiæ dicere vel aperire volentes, reiteratis ſibi pro parte domini noſtri papæ monitionibus, rogationibus, exhortationibus & requiſitionibus antedictis, ab ejus præſentia receſſerunt.

6 Et pro breviori expeditione dicti negotii ob Dei ſervitium & animarum ſalutem, placet eidem domino noſtro deſignando numerum compromiſſariorum, de quibus fit mentio in practica per ipſum oblata, ad hoc condeſcendere, videlicet quod compromiſſarii de ſuo conſenſu per dominos cardinales eligendi ſint ſex, eligendi autem per illos dominos qui in alia obedientia ſe cardinales faciunt nominari, ſi de totidem pars alia non contentetur, ſint octo vel decem, aut ſi voluerint XII. Propterea volens idem dominus noſter ad deſignationem loci venire, de quo ſecundum dictam practicam eſt concordandum, offert locum & loca idonea infra ſuam obedientiam aſſignare cum ſuffi cientibus ſecuritatibus. Quæ loca ſi pars alia acceptare noluerit, licet multis attentis, ea non debeat refutare. nihilominus tamen placet eidem domino noſtro condeſcendere ad acceptandum Maſſiliam cum S. Victore, Niciam cum Villafranca, vel Saonam, non obſtante quod ſint in alia obedientia conſtitutæ; dum tamen de ſufficientibus ſecuritatibus ſit proviſum. F. Roverá.

7 Verum quia ad dicti domini noſtri auditum pervenit, quod aliqui ei inſidiantes & æmuli ex ejus verbis ſive ſcriptis pravos ſenſus & alienas extorquentes ſententias, linguaſque ſuas acuentes in malum, aſſernerunt

quod aliqui dicta seu scripta domini nostri papæ a veritate & doctrina fidei catholicæ deviant, dubitetque an sereniſſimus rex Aragonum aſſeverationem prædictam audiverit, idcirco, ut alias, dominus noſter papa proteſtatur expreſſe, quod ſi aliqua talia, quod abſit, umquam verbo vel ſcriptis dixerit, vel in futurum dicere ipſum contingeret, illa caſſat, revocat, & annullat, & vult pro caſſis, revocatis & annullatis haberi, ipſamque ſacroſanctæ eccleſiæ determinationi ſubmittit, offertque ſe paratum, ſi ſibi intimentur ſeu deſignentur illa quæ prætenduntur, ſeu in poſterum prætenderentur a veritate & doctrina fidei catholicæ deviare, ſi tamen talia dixit, ſeu in poſterum per eum dici contingeret, quod non putat, mentem ſuam ſuper ipſis taliter declarare, quod evidenter apparebit, & revera ſic eſt intentionis ſuæ, non fuiſſe nec eſſe deviare a recta fide ſeu catholica veritate.

8 Dominus noſter papa Benedictus XIII. pro habenda & conſequenda unione in Dei eccleſia obtulit primo in Perpigniano viam juſtitiæ, quam viam vel aliam rationabilem numquam excluſit, nec intendit excludere. Ubi vero non acceptaretur via juſtitiæ, ſed in via renunciationis perſiſteretur, dominus noſter, amoto per prius obſtaculo Piſano, ſicut continetur in cedula tradita per epiſcopum Zamorenſem, prout alias obtulit, nullam aliam viam excludendo, paratum ſe obtulit propter Dei ſervitium, & ipſius eccleſiæ unionem renunciare papatui, proviſo per prius ſufficienter, quod reges & principes Chriſtianitatis aſſumendo ſeu eligendo in poſterum ad papatum tamquam Chriſti vero vicario obedirent, & quod futura electio fieret canonice in loco ſecuro ſtatim poſt ejus renunciationem.

9 Tenor vero cedulæ oblatæ per epiſcopum Zamorenſem, de qua ſupra fit mentio, eſt iſte qui ſequitur. Nos talis & talis ambaſſiatores & nuncii miſſi per concilium nunc reſidens Conſtantiæ provinciæ Moguntinæ, habentes poteſtatem ad infra ſcripta, prout conſtat de eadem per inſtrumentum publicum tenoris ſequentis (*Inſeratur*) anhelantes ad unionem eccleſiæ, &c. *ut ſupra.*

10 Et prædictam renuntiationem idem dominus noſter obtulit cum una de ſequentibus practicis, videlicet quod idem dominus noſter papa ceſſione facta, eligeret hac vice Romanum pontificem. Nam ubi prætenditur per partem alteram dubietas papatus, etiam inſurgit dubietas cardinalatus, ſed ipſe ſolus poteſt dici ſecundum utramque partem indubius cardinalis, ſcilicet a ſanctæ memoriæ domino Gregorio indubitato papa factus. Igitur ad eum ſpectat electio.

11. Si tamen practica ſupradicta non placeret, obtulit aliam, videlicet quod de conſenſu præfati domini noſtri papæ domini cardinales compromitterent de electione futura, quæ poſt ceſſionem domini noſtri imminenet fienda, in certos compromiſſarios numero ſex, qui quidem compromiſſarii poteſtatem haberent faciendi omnes, vel eorum major pars, dictam electionem; & conſimiliter illi domini, qui in alia obedientia cardinales ſe faciunt nominari, in perſonas alias compromitterent, dantes eis conſimilem poteſtatem, cum approbatione congregationis Conſtantiæ, & quod perſonæ illæ in quas ipſi ſic nominati cardinales compromitterent, ſi de totidem pars alia non contentaretur, ſint octo, vel decem, aut ſi voluerint duodecim. Qui quidem compromiſſarii tam iſti quam illi ponerentur in loco ſecuro, & ſub tuta & fideli cuſtodia, de qua foret concordatum, incluſi quilibet ad partem ſuam, diſpoſito quod deliberatio utrorumque compromiſſariorum concurreret ad unam & eamdem perſonam aſſumendam ad papatum. Poſtea vero dicti compromiſſarii, videlicet utrique ad partem ſuam & per ſe actum electionis facerent ſcribi in inſtrumentis authenticis, deliberationem per ſe habitam de eligenda illa perſona. in qua quidem deliberatione concurrerent vota omnium vel majoris partis compromiſſariorum cujuſlibet prædictarum duarum partium, & per aliquas medias perſonas utrique parti notificari inſtrumenta dictarum deliberationum. Quibus quidem notificationibus factis, compromiſſarii alterius partis eligerent perſonam concordatam antequam fieret céſſio, & poſtea fieret ceſſio. Qua ceſſione facta, ſtatim eligerent compromiſſarii prædictorum cardinalium domini noſtri papæ dictam perſonam concordatam, & ſtatim poſt hæc eodem tempore fieret præſentatio utriuſque electionis ſeparatim, tamen ipſi electo; qui quidem electus acceptaret papatum, & exinde pro vero Romano pontifice haberetur. Et ad hoc ut compromiſſarii non poſſent negotium dilatare, ſervaretur in eis reſtrictio contenta in cap. *Ubi majus periculum*, §. *Verum.* de elect. lib. VI. hoc addito, quod cum ipſi electores juxta tenorem dicti paragraphi perveniſſent ad victum panis & aquæ* tantum, ut in dicto cap. continetur, & ſi perſeveraſſent per x. dies, quod non elegiſſent papam, ex tunc non miniſtraretur eis niſi panis & aqua; offerens idem dominus noſter locum & loca idonea infra ſuam obedientiam aſſignare cum ſufficientibus ſecuritatibus: quæ loca ſi pars alia acceptare nollet, licet multis attentis ea non deberet refutare, nihilominus tamen placebat eidem domino noſtro condeſcendere ad acceptandam Maſſiliam cum S. Victore, Niciam cum Villa-franca, vel Saonam, non obſtante quod ſint in obedientia alia conſtitutæ, dum tamen ſufficientibus ſecuritatibus eſſet proviſum.

12. Poſt quarum practicarum apertionem

* In edit. legitur *vini & aquæ.*

& oblationem, nihil circa eas pro parte prætensi regis Romanorum, nec pro parte eorum qui asserebant se esse missos a dicta congregatione Constantiæ fuit dictum vel propositum dicto domino nostro papæ, sed ruptis tractatibus de Perpiniano recesserunt. Deinde fecerunt tractatus suos cum rege Aragonum, qui seductus, ut credit, malis personis & sinistris informationibus, fecit fieri requisitiones dicto domino nostro valde injustas, & tendentes ad evidens periculum ecclesiæ in effectu, continentes quod papa statim renuntiaret, & quod postea fieret electio per illos ad quos exspectaret; & in altera requisitionum continebatur, quod renuntiaret, & quod dicta electio fieret per concilium generale, ad quod, ut dicebatur, expectabat, quod apud intelligentes interpretabantur, hoc nihil aliud velle dicere, nisi quod papa dimitteret papatum, & deinde negotium disponeretur ad voluntatem & sub potestate dicti asserti imperatoris, sive sequeretur unio, sive non. Quibus requisitionibus papa respondit, se ad requisita non posse condescendere sine offensione Dei. Et demum habuit recedere a Perpiniano, & ponere se in castro Paniscolæ, ad quod prohibiti sunt prælati per dominum regem venire, & alia eventamenta sunt facta satis inhonesta & valde impedientia prosecutionem unionis. Quibus omnibus non obstantibus, dictus dominus noster papa deliberavit, quod si aliqua supradictarum practicarum illi de parte adversa non acceptent, ipse dominus noster papa ad magis exonerandam conscientiam suam, & ut Deus & mundus cognoscant, quod non stetit, nec stat per eum, quin unio vera in ecclesia Dei habeatur, & Deus in extremo judicio requirat de manibus illorum qui turbarunt seu impedierunt, & turbant seu impediunt pacem ecclesiæ, est paratus renuntiare juri suo veriſſimo, quod habet in papatu, si illi qui in parte alia dicunt se cardinales, & alii de congregatione Constantiæ acceptaverint, & efficaciter ad executionem, quantum ad eos exspectabit, deduxerint practicam sequentem.

13. Et per dominum nostrum papam cum consensu dominorum cardinalium, & etiam approbante suo sacro concilio, quod continuatur ubicumque ipse est, eligantur certæ personæ, & per illos dominos, qui in alia parte dicunt se cardinales cum consensu dictæ congregationis eligantur totidem personæ, vel plures, si plures voluerint, quæ omnes personæ sic electæ habeant convenire in loco uno securo, & intrare conclave sub tuta & fideli custodia, quas personas dominus noster papa de plenitudine potestatis, tollendo processus & sententias, quantum ad actum electionis requiratur, habilitabit meliori modo & forma quibus poterit, in quantum claves ecclesiæ se extendunt, quibus omnibus per dominum nostrum papam cum consensu dominorum cardinalium, & approbatione sui concilii, dabitur potestas eligendi summum pontificem post cessionem dicti domini nostri papæ, sic quod illud quod omnes vel major pars personarum cujuslibet partis faciet, sit firmum & validum; & si personæ electæ per illos de parte adversa acceptaverint, simpliciter potestatem per dominum nostrum papam eis, ut supra continetur, concessam, procedant omnes simul facta cessione dicti domini nostri, quæ tunc fieri habeat & non ante, quando prædictæ personæ omnes erunt clausæ in conclavi sub sufficienti custodia, & juraverint & alias se obligaverint procedere fideliter cum effectu in negotio, prout fuerit concordatum. Si autem dictæ personæ alterius partis acceptaverint potestatem pro se & in quantum, quod tunc personæ istius partis protestentur publice vel secrete, quod in quantum dictæ personæ alterius partis innitantur potestati catholicæ, in tantum cum ipsis intendunt procedere & simul eligere: in quantum autem innituntur potestati non veræ, non intendunt cum ipsis eligere, sed tantum suæ veræ potestati inniti, & secundum illam procedere & eligere verum papam.

14. Et ut negotium acceleretur, dominus noster papa, si detur per illos ad quos exspectabit modus, quod secure possint ire, stare, & redire, dabit plenam potestatem certis personis Deum timentibus, quæ accedant statim habitis securitatibus ad dictam congretionem Constantiæ, vel ad alium locum, si in alio loco fuerint personæ habentes potestatem a dictis assertis cardinalibus, & a dicta congregatione, quod personæ per dominum nostrum papam mittendæ vel major pars eorum, possint concordare de uno vel duobus locis inferius designandis, pro expeditione prædictorum, & de securitatibus & custodia fideli conclavis, de numero personarum, quæ eligere habent, & de modo conclavis ac de tempore conventionis & inclusionis, necnon de securitatibus sufficientibus pro domino nostro papa & suis, si personaliter vellet in dicto loco esse, & si nollet aut esset infirmitate impeditus, pro suo vel suis procuratoribus: quæ omnia per dictas personas concordata & obligata dominus noster papa, quantum ad eum spectabit, adimplebit.

Loca de quibus poterunt concordare sunt sequentia: Massilia cum monasterio S. Victoris, Niciacum loco & porta de Villa-franca, locus de Monacho, cum aliquo alio propinquo, Saona, Pisæ cum Liburno, civitas Vitula cum aliquo alio loco propinquo.

EPISTOLA RAYMUNDI ABBATIS Cluniacenſis, ad concilium Conſtantienſe.

Excuſat ſuam a concilio abſentiam ob ſenectutem & infirmitatem.

Anno 1416. *Ex Autographo.*

SAcroſanctæ generali Conſtantiæ ſynodo in Spiritu ſancto congregatæ, devoti oratores Raymundus eccleſiæ Cluniacenſis humilis miniſter, totuſque conventus ejuſdem loci, reverentiam & obedientiam cum honore.

Perpendimus grande & multiplex bonum, ob deſiderandam cujus aſſecutionem benedicta congregatio veſtra & ſuum canonice ſortita eſt initium, & conſtanter, rite & virtuoſe procedens, Chriſto duce, felicem præſtolatur exitum. Perpendimus ſane & per tenorem priſcæ convocationis apoſtolicæ didicimus glorioſam in unum conveniſſe multitudinem veſtram, ut diutinum peſtiferumque ſchiſma, & quodvis perverſum dogma, ſeu pullulantem hæreſim in agro Dominico funditus exſtirparet, utque pene confuſum, proh dolor! myſticum corpus eccleſiæ ad debitum ſuæ integritatis atque reformationis ordinem in capite & membris ipſius revocaret. Hæc opera eſt felixque ſollicitudo veſtri ſacratiſſimi cœtus. Et vere felix cuicumque Deus tam laudabili ſalubrique negotio coaſſiſtere & cooperari præſtiterit. Has ob res, ego Cluniacenſis eccleſiæ miniſter prædictus ſategeram dudum, & arrepta via conatus fui apud veſtrum ſanctæ conventionis conſortium me transferre, veſtri quidem ſancti operis & curæ participio me feliciſſimum exiſtimaturus, ſi quo tendebam tunc adveniſſe potuiſſem. At grandis ſenectæ obfuit illico expertius comprobata debilitas, quam cœpti itineris fatigatio, indeque proveniens gravis ægritudo ſimul oppreſſit. At vero non diminutam conſtat, quin potius in corporis & propriæ debilitatis augmentum proceſſiſſe, mei amplius quam ſeptuagenarii ſenectutem. Supereſt incommoditas temporum, ſterilitas agrorum, dolendi & lacrymabiles tumultus impacifici finium iſtorum, guerrarum impetus, currentis nunc temporis frequentiores ſtrepitus armatorum, & quorumdam prorſus impudentium, nedum agris depopulatis inops vulgus exheredando ad nihilum funditus redigere, quin etiam adverſus caſtrorum & fortalitiorum cacumina violentius inſurgere, atque radicitus evertere ſingula, niſi jugis ac indefeſſa cuſtodia ſedulius obſiſtat. Cujus rei inſolentiam nuper in grave iſtius monaſterii diſpendium pertulimus. Cum igitur quædam generalis exhortatio, requiſitio, monitio, ac in virtute obedientiæ præceptio mandatumque abſentium ab eadem ſancta ſynodo prælatorum, ut in eodem concilio conveniant, per quaſdam litteras ſub plumbo & bulla quidem ſacræ ſynodi dudum emanaſſe contigerit, prout fertur: idcirco eamdem ſanctam ſynodum, veſtræque ſanctæ multitudinis benedictum cœtum ſupplices & humiles depoſcimus, quatenus prædicta ſterilitatis, guerrarum & diſturbiorum incommoda cum fragili ſenio ad mei miniſtri ſupradicti Cluniacenſis eccleſiæ abſentiam legitime excuſandam ſuſcipere dignemini, attendentes, quod etiam ab ipſius ſanctæ ſynodi exordio, pro me & meo monaſterio ac Cluniacenſi ordine in eodem ſancto conſortio veſtro atque generali concilio affuerunt jugiter viri quidam juris utriuſque divini & humani doctores, quorum aſſiſtentiam in eodem concilio vicariatumque & procurationem pro me ac prædictis monaſterio & ordine uſque in finem ejuſdem concilii continuandam eſſe decrevimus & decernimus per præſentes: eiſdem & cuilibet eorum in ſolidum, videlicet domnis Roberto *de Eſchaudeſoles* decretorum doctori priorique Celſiniarum, Johanni de Vinzellis magiſtro in theologia de Ymnimonte, Lamberto de Stipite de Bertreriis, Petro de Corrozello B. Mariæ Deauratæ de Tholoſa, & Petro Alboti de Tarnayo ordinis noſtri Cluniacenſis prioribus, doctoribuſque decretorum: dantes & concedentes poteſtatem vice & nomine noſtro atque pro nobis in eodem generali concilio comparendi, & ibidem ad opus ſanctæ unionis ac reformationis eccleſiæ incedendi, jura, libertates & privilegia univerſalis eccleſiæ, noſtrorumque monaſterii & ordinis prædictorum tuendi & defendendi: vices quoque noſtras in his & aliis quibuſcumque, prout moris eſt & pertinet ad generalia concilia plene abſentiam prædictam excuſando, penitus exercendi. Quæ quidem omnia vice & nomine noſtro agenda, ut præmittitur, per noſtros hujuſmodi procuratores & nuncios ſpeciales, atque gerenda in eodem concilio ex nunc promittimus rata & grata habere, nec quomodolibet a ſalubribus diſcrepare ſtatutis aut ſtatuendis in eodem generali concilio: quin immo ea tenere & cuſtodire, ac in dictis noſtris monaſterio & ordine facere toto niſu inviolabiliter obſervari. Datum in noſtro monaſterio Cluniacenſi prædicto, ſub ſigillis noſtris, anno Domini MCCCCXVI. die decima menſis Auguſti. R. Clun. J. *Ginavet.*

EPISTOLA PRIORIS MAJORIS & conventus Cluniacenſis, ad clerum Gallicanum in concilio Conſtantienſi exiſtentem.

Significant novi abbatis electionem, quam petunt a concilio confirmari.

REverendiſſimi patres & domini metuendiſſimi humillima recommendatione

Anno 1416. *Ex Autographo.*

præmissa. Cum, volente & permittente Deo, reverendus in Christo pater dominus RAYMUNDUS dudum abbas & pastor noster ac hujus nostri Cluniacensis monasterii, ex præsenti sæculo ad Dominum migraverit: unde nos & id ipsum monasterium totusque Cluniacensis ordo vehementer & non immerito condolemus tanto viduati pastore, qui tamquam forma religionis & speculum devotionis per vitæ suæ cursum extitit. Nos inde processimus ad novi abbatis & pastoris electionem, venerabilemque patrem dominum ROBERTUM priorem Celsiniarum, decretorum doctorem, tamquam idoneum elegimus in abbatem nostrum & hujus Cluniacensis monasterii, cujus personam existentem apud vos & præclarissima merita sufficienter agnovistis. Supplicamus igitur, quatenus nunc, vacante sede apostolica, a qua locus ipse Cluniacensis immediate dependet, vices gratiæ & favoris vestri impendere dignemini, ut idem dominus noster possit & valeat, ut nobis opus est, celerius confirmari. Alioquin gravis jactura incommoditasque periculosa multiplicis dispendii instanter imminet nostræ satis numerosæ fratrum congregationi, & huic Cluniacensi cœnobio, quod Romani pontifices & sedes apostolica quasi cameram suam & proprium thalami locum soluerunt jugiter operosius confovere: quod & nunc in parte ista etiam dignentur reverendæ paternitates vestræ favore prosequi gratioso: quas Altissimus conservare dignetur. Scriptum Cluniaci die xv. Septembris.

Humiles vestri oratores
Prior major & conventus monasterii Cluniacensis.

Superscriptio.

Reverendissimis reverendisque ac venerabilibus in Christo patribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ceterisque venerabilibus circumspectisque viris nationis Gallicanæ in generali Constantiensi synodo constitutis dominis nostris honorandissimis.

ADDENDA ET EMENDANDA

In subscriptionibus, quæ in concilii Constantiensis sessione vigesima leguntur. Tom. 12. conc. pag. 183.

POst Nicolaum archiepiscopum Gnesnensem, legitur in mss. regiæ bibliothecæ, *Petrus episcopus Ripensis pro rege Daciæ, Sueciæ, & Norvegiæ.* Cujus loco in editis habetur *Petrus archiepiscopus Rigensis*, &c.

Robertus episcopus Sarisberiensis, &c. Mendose in editis dicitur archiepiscopus.

Johannes episcopus Sileticensis, &c. In mss. dicitur *Slericensis.*

Post Jacobum Adriensem in mss. collocatur *Johannes episcopus Ravetensis.*

Johannes episcopus Vaurensis pro provincia Tolosana, & aliorum procurator; quæ postrema verba desunt in editis.

Georgius episcopus Tridentinus. In mss. dicitur *Georius.*

Nicolaus episcopus Assisinarum pro se & dominis Bertholdo episcopo Messanensi, & Andrea Nucerino. In editis deest *episcopus* & *episcopo.*

Post Blasium episcopum Clusinum in mss. legitur *Johannes episcopus Silvanectensis & ambassiatores universitatis Parisiensis.*

Andreas electus Poznanensis, &c. In editis desideratur *electus.*

Astorgius electus Milicensis, procurator domini archiepiscopi Syndrantinensis & suorum suffraganeorum, pro quo in editis, *Astrogius Militensis, procurator dominorum archiepiscopi Sympratinensis & suorum suffraganeorum.*

Matthæus abbas Clarevallis, ambassiator ecclesiæ Gallicanæ, &c. In mss. desideratur *ambassiator ecclesiæ Gallicanæ.*

Guillelmus abbas sancti Pauli de Cormeriaco, Turonensis diœcesis, magister in theologia. In editis corrupte legitur *de Cornuto*, & omittitur *magister in theologia.*

Johannes abbas Ursicampi, Noviomensis diœcesis, magister in theologia: quæ postrema verba frustra quæres in editis.

Guillelmus abbas S. Salvatoris de Aniana, &c. Mendose in editis *de Mane.*

Johannes abbas de Precibus ordinis Cisterciensis, Venetensis diœcesis, magister in theologia. In editis nuncupatur *Guillelmus*, nec dicitur *magister in theologia.*

Nicolaus abbas S. Mariæ de Columba ordinis Cisterciensis, Placentinæ diœcesis. In editis male collocatur a linea *Placentinensis diœcesis*, &c. forte quia extat in Gallia abbatia sanctæ Mariæ de Columba in diœcesi Lemovicensi. Sed extat etiam ejusdem nominis & ordinis abbatia in diœcesi Placentina.

Guillelmus abbas de monasterio de Cellis, &c. Corrupte in editis *de Tellis.*

Dominus Stephanus de Galliaco decretorum doctor, canonicus & archidiaconus Lesatensis, in ecclesia Tolosana procurator capituli. In editis omittitur *decretorum doctor*, & corrupte legitur *Losatensis.*

Magister Jordanus Morini, magister Guillelmus Pulcrinepotis, ambassiatores regis Franciæ. In editis legitur *Pulcrenepot.*

Petrus Cauchon ambassiator domini ducis Burgundiæ. In editis pro *Cauchon* legitur *Canthon.*

Leo de Nosereto licentiatus in legibus, &c. In editis dicitur *de Nasteco.*

Johannes Ponceti licentiatus in decretis & baccalarius in legibus, procurator episcopi Lembenensis (forte *Gebennensis*) *& abbatis S. Pauli Bisuntini.* In editis omnino corrupte legitur hæc subscriptio hoc modo: *Johannes Ponceti licentiatus in decretis, & Bartholomeus in legibus, procuratores episcopi Lamberiensis.* Deinde

a linea *abbas S. Pauli Biſuntinenſis.*

Antonius Nicoſt pro epiſcopo Gratianopolitano, &c. In editis pro *Nicoſt* legitur *Moeſſi.*

Abbas Steyn pro rege Norvegiæ, &c. In editis *abbas Stoxii*, &c.

Frater Angelus abbas monaſterii de Runa, &c. In editis *de Buna.*

Paulus Ladannea pro univerſitate Cracovienſi. In editis *Paulus Ladaura.*

Michael Boloſonis pro capitulis Viennenſi, Narbonenſi, Vivarienſi, & Eduenſi. In editis pro *Eduenſi* habetur *Ebredunenſi.*

Willelmus Portel pro epiſcopo Ruſſenſi, Armicanenſi, & Affranenſi. In editis *Guillelmus Prothos pro epiſcopo Ruſcenſi, Aricanenſi & Affricanenſi.*

Johannes Grece Regina pro abbate in Oberdens, Pragenſis diœceſis, ordinis S. Benedicti. Editi, *Johannes Gretz Regina pro abbate Mobedeus, Pragenſis*, &c.

Frater Antonius de Perotto generalis ordinis Minorum pro toto ordine. In editis legitur *de Pecorto.*

Jacobus Conradini pro epiſcopis Cremonenſi. In editis *Gremenſi*, &c.

Johannes Femoſinus pro præpoſito Choriſalerenſi Ro. Pragenſis diœceſis, ordinis Præmonſtratenſis. In editis *pro præpoſito Thoalorenſi*, &c.

Egidius Petri canonicus Colimbrienſis & Viſenſis. In editis, *canonicus Columbricenſis pro epiſcopo Columbricenſi, Colimbrienſi & epiſcopo Viſenſi.*

Elzigus archidiaconus Scharenſis pro epiſcopo Scharenſi. In editis *Elzinus archidiaconus Starenſis pro epiſcopo Starenſi.*

Laurentius Gewda. In editis *Gnoda*, &c.

Theodericus Cruceberg. In editis *Theadoricus Cintemberg*, &c.

Siffridus abbas in Evvangen ordinis Sancti Benedicti, Auguſtenſis diœceſis. In edit. *Siffridus de Evagen ordinis S. Benedicti, Auguſtenſis diœceſis, abbas S. Petri Cabilonenſis.*

Johannes de Perona canonicus & procurator capituli eccleſiæ metropolitanæ Turonenſis. In editis deeſt *metropolitanæ.*

Galterius Gaſſel decretorum doctor, procurator magiſtri & totius ordinis ſancti Johannis Jeroſolymitani. Editi, *Galterus Graſſe procurator & magiſter totius ordinis S. Johannis Hieroſolymitani, utriuſque juris doctor.*

Petrus de Holzbaren. In editis *Petrus Holtzkyrchen*, &c.

Petrus Techingher pro ſe & abbate Fuldenſi, ordinis S. Benedicti, Herbipolenſis diœceſis.

Petrus Cethimhier pro ſe & abbate Fuldenſi, ordinis ſancti Benedicti, & præpoſito Nurembergenſi, Patavienſis diœceſis. pro quibus in editis legitur *Petrus Tetinger pro ſe & abbate Fuldenſio, & præpoſito Nurembergenſi, Patavienſis diœceſis.*

Eberardus abbas de Lenitz. In editis *in Lenienz*, & *in Lantz*: nam bis repetitur.

Aimericus de Arciis, in edit. *de Atriis, procurator præpoſiti Montis-Jovis, & ordinis & abbatis Savigniaci*, in edit. corrupte *& ſupra ordinis & abbatis Sanginaci.*

Jacobus Craſſeti corrupte dicitur procurator capituli *Munatenſis* pro *Mimatenſis.*

Berengarius Maſerandi, in editis *Miſerondi.*

Simon Bechute procurator epiſcopi Vaſionenſis & abbatis S. Eugendi Jurenſis, corrupte in editis *S. Engeri Turenſis*, ubi etiam dicitur *Simon Belute.*

Johannes de Vincellis procurator, &c. *& abbatis S. Rigaudi* corrupte in editis *S. Regnandi.*

Stephanus epiſcopus Dolenſis, procurator ducis Britanniæ. In editis deeſt *procurator ducis Britanniæ.*

Johannes de Pontleyo, in editis *de Ponlexo*, &c. *& procurator Remen.* in editis *præceptor de Reverſo.*

Frater Antonius de Peiero generalis ordinis Minorum, in editis *Ant. de Pecotto.*

Paſquerius, &c. *S. Ricarii in Pontivo*, &c. corrupte in editis *in Pontio.*

Johannes Hugonneti licentiatus in decretis, ambaſſiator univerſitatis Avinionenſis, & pro certis abbatibus. In editis dicitur *Johannes Ugoenti.*

Johannes de Trembleio decretorum doctor, apoſtolicæ ſedis prothonotarius, procurator capituli Ebredunenſis. In edit. deeſt *decretorum doctor.*

Petrus Gaietani, &c. in editis *Petrus Ginecovi.*

Jacobus de Graminariis de Padua, &c. In editis *Jacobus de Gramineis, de Graumicis.*

Oliverius Le Guenec, in editis *Longuenet*, &c. *& abbatum de Buſayo de Motareio*, in editis *de Malareyo: de Begar, & Remen. S. Benedicti; & ordinis Ciſtercienſis, Venetenſis, Nannetenſis*, corrupte in editis *Ravennatenſis, & Trecorenſis diœceſ.*

Tierricus de S. Deodato, &c. *Xantonenſis*, in edit. *Xanctenſis.*

Werneius Militis decanus eccleſiæ Hambergenſis, editi *Bambergenſis, Bremenſis diœceſis.*

Willelmus Votis in utroque jure baccalaureus, canonicus eccleſiæ Gratianopolitanæ, procurator epiſcopi Petragoricenſis & capituli eccleſiæ Gratianopolitanæ. Quæ poſtrema incipiendo à *procurator* deſunt in editis.

Cedulæ ſuper approbatione capitulorum per diverſos datæ.

Ego Willelmus Purcellis reverendiſſimi patris domini MICHAELIS *archiepiſcopi Armachani, primatis Hiberniæ, ac reverendi patris* THOMÆ *epiſcopi Oſſorienſis procurator, nomine dominorum meorum prædictorum procuratorio ratifico, approbo, & juro ut in forma.* In editis extat, ſed valde corrupte.

Guillelmus de Spelunca canonicus Vallenſis, in editis *Nolenſis, miſſus nomine illuſtriſſimæ*

dominæ, dominæ JOHANNÆ *Navarræ, Angliæ* A *reginæ, & nomine suo proprio.*

Blasius episcopus Clusinus & procurator infrascriptorum dominorum episcoporum, videlicet Perusini, Corthonensis, Vigilliarum, Massinæ, Casertanensis. In editis deest *Vigilliarum, Massinæ, & Casertanensis.*

Robertus prior Celsiniarum, in editis *Celsinorum.*

Ego Simon Quatadrion, edit. *Quadriorum*, &c.

Thomas Bonocaux, in editis *Bonorant*, &c. *approbat*, &c. *ut in forma.*

Marinus episcopus Aprutinus, & procurator pro reverendissimo in Christo patre domino Johanne (in editis *Petro*) *S. Mariæ in Cosmedim diacono cardinali de Venetiis.* B

Item, pro domino archiepiscopo Brundisino, Johanne episcopo Firmanensi.

Item, pro domino B. episcopo Walvensi, & pro domino Nicolao abbate S. Nicolai de Ausimo.

Ego Ermegaudus de Caseriis licentiatus in legibus, archipresbyter Narbonensis, & prior de Capitestagno Narbonensis diœcesis, procurator & nomine procuratorio universitatis studiensis utriusque juris studii Montis-pessulani Magalonensis diœcesis, & ambassiator ejusdem, & nomine meo proprio, juro tenere & servare articulos, pacta, & conventiones factos, factas & facta per serenissimum regem Romanorum & ambassiatores hujus sacri concilii Constantiensis cum domino rege Aragonum & aliis, &c. C

Antonius de Zvvavenarde clericus procurator præpositi, decani, & capituli ecclesiæ sancti Salvatoris Habebacensis, decani & capituli B. Mariæ Curtracensis, Tornacensis diœcesis.

Die Mercurii quinta mensis Februarii, &c. ut tom. 12. concil. pag. 1539. usque ad hæc verba, *Elsius sacularis*, pag. 1540. D. deinde in mſ. sequitur. D

Abbas Ottoburensis S. Benedicti ordinis.

Abbas Ritmensis. Johannes abbas monasterii de Boscodono Ebredunensis diœcesis.

Episcopus Assis pro se & tribus episcopis & uno abbate.

Johannes abbas de Fontibus pro provincia Eboracensi de Anglia.

Episcopus Emonensis pro abbate S. Georgii de Venetiis.

Abbas S. Maxentii Pictavensis pro ecclesia regni Franciæ & Delphinatus.

Abbas Clarevallis Lingonensis diœcesis pro se & ut ambassiator ecclesiæ Gallicanæ. E

Abbas S. Salvatoris Anianensis pro se & provincia Narbonensi.

Abbas de Columba pro se & abbatibus de Strata, de Brundulo, de S. Thoma, SS. Nazarii & Celsi Veron.

Abbas de Bello in Anglia.

Episcopus Tudertinus pro se & abbate de Marsiano & abbate S. Benedicti de Ergabo.

Abbas S. Johannis de Parma pro se & abbate S. Mariæ de Organis.

Abbas S. Gildasii de Nemore.

Dominus Otto de Militibus præpositus ecclesiæ Herbipolensis, pro se & episcopo Herbipolensi.

Johannes Abbundi pro se & episcopo Astetensi & duce Franconiæ.

Lambertus de Gelria pro se & regno Ungariæ.

Bertholdus Rucke præpositus Lubicensis pro se & episcopis Tarbacensi, Osibiensi & Turon.

Petrus Storg in theologia doctor pro universitate studii Lubicensis.

Johannes episcopus Warmiensis procurator Pomezamiensis, Culmensis & Sumbrensis episcoporum.

Georgius Prasperger pro episcopo Ratisponensi.

Jo. Creste licentiatus in utroque pro duce Guillelmo Bavariæ, comite Hollandiæ, Hanoniæ & Zelandiæ.

Magister Albertus de Nuremberga, pro se & episcopo Bambergensi.

Philippus de Lompressa litterarum apostolicarum scriptor, pro se & Bartholomæo abbate monasterii sancti Laurentii extra muros Tridentin.

Cutzo de Svvola, auditor sacri palatii causarum apostolici, & Albertus Farentrarum, pro se & archiepiscopo Pragensi.

Johannes & Arnoldus Foricheim litterarum apostolicarum scriptores, pro se & electo Getensi.

Michaël Gedal rector parrochialis ecclesiæ in Losen-Wrat diœcesis pro præposito Morthcalensi ordinis Præmonstratensis, Constantiensis diœcesis.

Nicolaus de Prato, pro se & episcopo Ultranensi.

Nicolaus de Ballionibus prior generalis ordinis sancti Sepulcri Dominici.

Geminianus de Prato auditor pro se.

Pandulfus de Almanno, pro se & abbate S. Trinitatis Veronensis, ordinis Vallis-Umbrosæ.

Abbas Lancherin.

Basilius de Crusis procurator domini episcopi Vitani.

Fridericus episcopus Fulginas pro domino Petro abbate Montis-Casinensis, & domino Jacobo episcopo Spoletano, episcopo Nucerino, & pro domino Nicolao de Trincis de Fulginio.

STATUTA

STATUTA SYNODALIA
ecclesiæ Ambianensis.

EDITA A JOHANNE AVANTAGE episcopo Ambianensi.

Ex schedis Mabillonii.

CUm solum illud bene actum censeatur, quo vita hominum corrigitur, nullique dubium existat quin ex decretis & legibus, statutis & constitutionibus, humana coërceatur audacia, & appetitus noxius ad juris tramitem reducatur. Ideo nos subditorum nostrorum mores in melius reformare cupientes, nonnulla statuta decrevimus promulganda, quæ quidem sub septem titulis debite statuta voluimus, & statuimus ab omnibus subditis nostris irrefragabiliter observari.

Primo igitur tractabitur de statu, vita & conversatione personarum ecclesiasticarum, rebus & privilegiis earum.

Secundo de ecclesiis & earum privilegiis, rebus, & ornamentis.

Tertio de officio & potestate rectorum & capellanorum, & de regimine ecclesiarum & animarum.

Quarto de divinis officiis, & aliis ad ea pertinentibus.

Quinto de pœnitentia, matrimonio, ordine, chrismate & aliis rebus sacris.

Sexto de excommunicatione & interdicto.

Septimo denique de diversis constitutionibus agetur.

1 Statuimus & ordinamus quod prælati & aliæ quæcumque personæ ecclesiasticæ tam sæculares quam religiosæ, quæ de jure vel consuetudine ad nostram sanctam synodum venire sunt astrictæ, ad eamdem singulis annis veniant, cessantibus impedimentis, & legitimis excusationibus nonobstantibus quibuscumque: venire vero contumaciter negligentes excommunicationis sententiam incurrere volumus, ipso facto. Ceterum cum non sit dubium ad nos & successores nostros synodi nostræ dispositionem plenariam pertinere, prælatos & alias personas ecclesiasticas quascumque super dispositione synodi tam super sedibus & habitibus portandis, quam aliis eamdem synodum concernentibus, recusantes nostris justis & rationabilibus obtemperare præceptis, seu occasione præmissarum brigas, vel dissentiones moventes, excommunicationis sententia innodamus, absolutione sententiarum ejusmodi nobis & successoribus nostris specialiter reservata.

2 Ne autem unde virtus sive boni exemplum suboriri deberet, pernicies vel scandalum subsequatur, tam in via quam in civitate Ambianensi, in progressu, congressu & regressu, modeste, sobrie, honeste ac temperate se gerant, in honestis hospitiis seu domibus hopitando, jejunio stomacho dictam synodum intrent, superpelliceo, & almuciis, sive capucio cum stola in collo, vel cappa nigra honesta & rotunda induti, alioquin reputentur in eadem synodo nequaquam comparuisse.

3 Impediti quoque legitimas excusationes suas mittant per procuratorem, habentem mandatum sufficiens, tam ad ipsas proponendas & jurandas, quam ad omnia facienda, quæ ipsi (si interessent) facere tenerentur. Et ne aliqui sua contumacia, seu verius malitia glorientur, districte præcipimus & mandamus, quatenus decani omnia nomina absentium suorum decanatuum ante recessum suum tradant officiali in scriptis, & statuta definita & præcepta in eadem synodo sub sigillo curiæ nostræ recipiant, ac in singulis capitulis decanatuum suorum usque ad synodum sequentem sic solemniter publicent, quod a quocumque super hoc non possit ignorantia allegari. Si vero præmissa & ipsorum quælibet non duxerint adimplenda, pœnam decem solidorum incurrant, nostræ eleemosynæ applicandam: sed si (quod absit) dicta synodo durante in civitate nostra Ambianensi aliquis subditus noster, qui ad eamdem synodum venerit, crimen vel aliquod maleficium duxerit perpetrandum, tanto exinde gravius puniatur, quanto major exstiterit temeritas, præsumptio, vel offensa, cum aliis temporibus parum religiosus credatur, qui isto sacro tempore divinam animo irreverente offendendo majestatem sic se patenter voluit ostendere criminosum.

De statu, vita & conversatione personarum ecclesiasticarum; rebus, & privilegiis earumdem.

CAPUT PRIMUM.

1 Cum singulæ personæ habitus gerere debeant suo statui condecentes, & clericos, si se vestibus illicitis ornent, emendari oporteat, & non emendati super hoc sint carceri mancipandi; statuimus & ordinamus quod curati, presbyteri, & aliæ ecclesiasticæ personæ vestibus longis & latis, caputiis honestis, simplicisque coloris utantur. Juppones(*a*) quoque, houppelandas, (*b*) vilanos, (*c*) & alia vestimentorum diversorum genera præter tunicam, supertunicale, mantellum, houciam, vel epitogium (*d*) non portent, seu vestimenta quæcumque virgata, partita vel disciſſa aut superiorata de fustana, pannisque sericis vel aureis, seu aliis quibuscumque, sed lanificio dumtaxat. Contrarium facientes ipsa vestimenta perdant, per manum decanorum suorum pauperibus eroganda. Et

[*a*] Juppo est sagum militare.
[*b*] Pallii seu tunicæ species Picardis *Hoppelande*.
[*c*] F. vestis rustica.
[*d*] Pallium quod super togam olim ferebant.

si in hoc decani deliquerint, per manum decani vicinioris eorumdem emendetur, & pauperibus erogetur. Clerici vero conjugati cum pœnam non deferentis habitum & tonsuram & pericula non ignorent, continue vestes & tonsuram deferant clericalem, ne culpa vel negligentia eorumdem in nostrum & ecclesiæ nostræ vituperium, suorum vero corporum & animarum promtum cedere periculum dignoscantur; nec mirentur ex quo super hoc ad honorem ipsorum & commodum fuerint adeo solemniter & salubriter præmoniti; & si ipsius extiterint contemtores, in voluntariis casibus non sic promte subveniatur eisdem, quantum esset in necessariis faciendum.

2 Abbates vero & religiosi quicumque vestes & habitus deferentes inhonestos contra suorum monasteriorum instituta, ipsos perdant etiam, ipso facto, erogandos pauperibus, ut est dictum: quos si damnabiliter retinere præsumserint, nobis & successoribus nostris transgressionis hujus absolutio reservetur.

3 Quia commercia & negotia sæcularia sunt personis ecclesiasticis interdicta, statuimus & ordinamus, ne in sacris promoti, vel beneficia ecclesiastica obtinentes, mercaturas seu mercimonia quæque exerceant causa lucri. Tabernas ne teneant vel faciant suo nomine teneri. Procuratores, baillivi, seneschalli, vel receptores quorumcumque principum vel dominorum sæcularium non existant. In curiis sæcularibus non sint notarii, procuratores vel advocati, præterquam in causis propriis ecclesiasticis conjunctarum vel miserabilium personarum, quæ commode advocatos habere non possent. Contrarium vero facientes data, concessa, vel acquisita occasione præmissorum sua non faciant, nec in ipsis jus aliquod vel dominium acquirant, sed eadem infra mensem decanis restituere teneantur, per ipsos in eleemosynam convertenda, & nihilominus super hoc canonice punientur.

4 A crapula & ebrietate debent viri ecclesiastici specialiter continere; & quia præmissa communius in tabernis quam alibi exercentur, firmiter inhibemus ne prælati, curati, seu beneficiati quicumque, vel in sacris constituti, in tabernis bibant vel comedant, seu convivantes in ipsis associare præsumant, nisi itinerando, & causa necessitatis. Quod si contrarium fecerint pro qualibet vice pœnam quinque solidorum incurrant, per eleemosynarium nostrum pauperibus erogandorum. In bibendo vero & comedendo sint sobrii & temperati; in prandio & in cœna mensam suam benedicant cum versiculis. *Oculi omnium in te sperant*, vel *Edent pauperes*, gratias reddant Altissimo cum versu, *Confiteantur omnia opera*, & *Miserere mei Deus*, vel *Laudate Dominum omnes gentes*; & quia animæ defunctorum, quorum beneficiis & eleemosynis vivimus, orationibus & aliis suffragiis a pœnis purgatorii liberantur (quibus in hoc sæculo nullæ pares) statuimus & ordinamus, ut viri ecclesiastici, religiosi, & sæculares una cum psalmis prædictis post gratias tam in prandio quam in cœna cum devotione dicant psalmum illum *De profundis*, cum oratione *Fidelium*, & versu *Requiescant in pace*, cum & ipsum psalmum dicere vel facere dici non consueverint sæculares. Ceterum cum ebrietas hominem quasi bestialem efficiat, ipsumque penitus carentem exercitio judicii rationis reddat, nedum promtum ad crimina, sed quasi insensatum, fatuum, & furiosum, quantum possumus districtius præcipimus & inhibemus, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, ut viri ecclesiastici prædicti ab ebrietate tamquam a veneno pestifero cum omni modestia studeant abstinere, & ne statum nostrum ludibrio fieri contingat, ebrietasque cum sit quasi malorum omnium incentiuum, decanis nostris præsentibus & futuris districte præcipimus & mandamus, ut viros ecclesiasticos in suis decanatibus constitutos, qui post publicationem præsentis statuti nostri ebrii publice fuerint adinventi, officiali nostro denuntient: quos convictos vel confessos volumus & statuimus pro qualibet vice in carceribus nostræ curiæ in pane & aqua per octo dies teneri, & interim manere ab officiis suspensos & beneficiis, ut a facinore tam damnato animam, corpus, & bona miserabiliter depravante, culpabiles emendentur, coerceantur, & abstineant ceteri metu pœnæ.

5 Inter cetera curis continuis & solitis meditationibus tempus attendendum mortis fidelis cujuslibet Christiani, cum in statu in quo tunc extiterit, infallibiliter judicetur in ecclesia triumphante per justum judicem, qui non fallitur, neque fallit, *cujus actio nostra est instructio*: ac ipsius quantum possumus debemus judicia imitari. Qua propter cum de salute decedentis in peccato mortali non sit aliquatenus sperandum, nec orandum pro damnatis, nam virtus hujusmodi Dei justitiæ repugnaret: statuimus & ordinamus quod si quævis persona ecclesiastica vel sæcularis cujuscumque status vel conditionis existat; non receptis in ægritudine ecclesiasticis vel saltem confessionis & pœnitentiæ sacramentis, ab hac luce migraverit, prece, pretio, vel favore, sive quibusvis aliis mediis, occasionibus, sive causis, corpus ipsius sive cadaver seu funus non tradatur ecclesiasticæ sepulturæ, nisi prius per informationem legitimam per decanum loci factam officiali nostro legitime constiterit, signa pœnitentiæ evidentia in morte apparuisse in eo, & talia quod per ipsa contritio censeatur non immerito constare, curatusque parochialis vel vicarius suus a prædicto officiali mandatum litteratorie receperit super isto.

6 Decedentes vero in conflictibus voluntariis, ex proposito & deliberate factis, si de parte extiterint invasorum, cum conflictus ejusmodi detestentur jura tam divina quam humana, carere decernimus ecclesiastica sepultura, nisi per nos vel successores nostros super hoc extiterit dispensatum.

Personas vero ecclesiasticas, quarum excessum in hoc casu status sui comparatio detestabiliorem & abominabiliorem reddit, voluntarie damnate confligentes contra canonicas sanctiones, ac in eisdem conflictibus decedentes, (ut est dictum) ecclesiastica sepultura privamus, & nedum locis profanis, sed in simis, sterquiliniis, & locis aliis vilibus volumus & statuimus sepeliri. Præfatos quoque tradentes ecclesiasticæ sepulturæ contra nostram constitutionem præsentem, ab officio & beneficio eo ipso volumus esse suspensos, spemque de absolutione non habere, nec eamdem sibi concedi quousque cadavera sic contra nostram prohibitionem sepulta, a dictis cœmeteriis fecerint exhumari.

7 Laicos vero de facto corpora prædictorum sepelientes in ecclesiis vel cœmeteriis, vel facientes sepeliri, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere; a qua non possint absolvi, nisi per nos vel successores nostros, & de antea cadaveribus (ut dictum est) realiter exhumatis, ac de injuria & contemptu satisfactione præmissa constiterit.

Præterea nullus sacerdos locagium recipiat, vel pacta de mercede habenda, pro aliquibus prophanis sive sæcularibus operibus exercendis; sed nec aliqua opera inhonesta exerceat, seu quibuslibet aliis se immisceat contra sacerdotalem honestatem.

Sane in locis in quibus post sonitum campanæ vel buccinæ de nocte laicis sine lumine ire prohibetur, clericos hujus constitutionis auctoritate eamdem prohibitionem volumus observare, alioquin pœnæ propter hoc laicis impositæ eos decernimus subjacere, quam per archipresbyteros, vel presbyteros capellanos locorum illorum nostro nomine ab ipsis clericis exigi & levari volumus ac mandamus: quam si rite & legitime requisiti solvere renuerint, eamdem pœnam dupliciter per eos solvere per censuram ecclesiasticam compellantur; idemque de banno fructuum præcipimus observari, ut per hoc laicorum vitetur scandalum & clerici ab illicitis arceantur.

8 Nullus in sacris promotus vel beneficiatus, magnum cultellum, vel arma invasoria in nostra civitate & diœcesi audeat deferre, nisi causa justi timoris, vel propter corporis proprii tuitionem; quod si fecerint aliqui, subjaceant ultioni.

9 Districte præcipimus ut nullus sacerdos vel clericus, curatus vel non curatus, anniversariis quæ pro mortuis celebrantur se immiscere præsumat, nisi ad hoc fuerit similiter requisitus, quodque aliquis parochus sacerdos vel etiam alius non curatus *super hoc faciendo* requisitus, plures non advocet capellanos, quam rogatus fuerit ab eo qui anniversarium fieri postulabit. Sacerdos autem vel clericus qui se anniversariis immiscuerit non vocatus, ipso facto, se noverit ab officio suo suspensum, & idem dicimus de sacerdote parochiali qui plures vocabit quam fuerit requisitus. Ad hæc sacerdos vocatus ad anniversarium aliunde veniens vel etiam capellanus curatus illius parochiæ in qua anniversarium fieret, vel rector, nonnisi unum solum clericum pro sua societate secum ducat; presbyter vero de ipsa parochia, in qua anniversarium fieret vocatus, nullum clericum secum ducat. Caveant autem etiam ne vocati ad anniversaria venire contemnant, venientes autem partes suas piscium vel carnium, vel hujusmodi alii non portent; sed nec agapas id est convivia pauperum vel sua in ecclesiis faciant. Hæc enim sunt a sacris canonibus & bonis moribus aliena: pro anima vero illius cujus obtentu reficiuntur, hostias & preces Deo devote offerant, & postea manducent, nam secundum apostolum, *Non est magnum si ii qui spiritualia seminant, carnalia metant.* juxta illud psalmorum, *sumite psalmum & date tympanum (psalmum)* id est spiritualia (*tympanum*) id est temporalia. Annualia sive anniversaria in hebdomada sancta, in septimana paschali, vel pentecoste, in vigiliis festivitatum beatæ MARIÆ, diebus Dominicis, festivitatibus sive festis fieri prohibemus, alioquin sacerdotes qui talibus diebus ad præmissa convenerint, graviter punientur. Postremo in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quisquam verbo & facto aliquos inducere vel retrahere præsumat, ne anniversaria fieri solita in ecclesiis in quarum cœmeteriis corpora defunctorum pro quibus fiunt, sepulta sunt, ibi faciant.

10 Clericus aliquis cum taxillis publice vel occulte ludere non præsumat. Clerici vero in sacris ordinibus constituti vel beneficium ecclesiasticum habentes, qui in platea vel in loco publico publice cum taxillis ludere præsumserint ipso facto ab executione sui ordinis sint suspensi; ludere in præmissis casibus intelligimus illum qui transversat, vel qui ludi est particeps, vel lucrum exinde consequitur, sive damnum: præmissam pœnam extendi nolumus ad ludentes socialiter & cum personis honestis, non ambitionis vel avaritiæ causa.

11 Quicumque clericus in adulterio, vel furto, præsertim in sacrilegio fuerit deprehensus, ipso facto noverit se suspensum, & numquam in ecclesia quam per sacrilegium violavit, beneficium absque dispensatione obtineat, aliter nihilominus juxta delicti qualitatem legitime puniendus.

12 Præcipimus quod nullus clericus habens beneficium eccleſiaſticum, vel etiam in ſacris ordinibus conſtitutus, jurare præſumat, ſine noſtra vel officialis noſtri licentia ſpeciali, pro alieno debito, furto, vel cauſa, ſed nec coram quocumque Domino, officiario, judice, vel baillivo temporali jurare vel reſpondere præſumat. Super publicatione tamen teſtium & ſuper propriis vel eccleſiarum ſuarum cauſis jurare poſſint. Laicus autem vel etiam clericus qui ſcienter dejeraverit, & poſt competentem monitionem curiæ noſtræ infra quatuor dies non ſatisfecerit ſeu non impleverit quod juravit, ipſo facto ſit excommunicatus: a qua ſententia non abſolvatur, niſi per nos, vel per alium cui hoc duxerimus committendum; & ſi poſtmodum per quadraginta dies vel amplius excommunicationem hujuſmodi ſuſtinuerit, pro qualibet quadragena a nobis vel officiali noſtro in LX. ſolidis turonenſibus puniatur. Si vero clerici in ſacris ordinibus conſtituti vel beneficiati, hujuſmodi ſententiam poſt præmiſſos quadraginta dies trium menſium ſpatio animo ſuſtinuerint indurato; beneficiati ſuis beneficiis ipſo lapſu temporis noverint ſe privatos, clericos vero in ſacris ordinibus conſtitutos, qui beneficia eccleſiaſtica non habuerint, perpetuo reddimus inhabiles abſque noſtra aut apoſtolicæ ſedis ſpeciali diſpenſatione ad eccleſiaſtica beneficia obtinenda: laici vero ſint infames, nec ad teſtimonium, vel ad alios actus legitimos vel publica officia admittantur. Nullus tamen ſacerdos aliquem parochianum ſuum perjurum vel infamem denuntiare præſumat, ſine noſtra vel officialis noſtri licentia ſpeciali.

13 Quamvis difficilius exſtirpentur diutius radicata, circa eradicationem tamen tanto eſt curatius inſiſtendum, quanto fructus vel propagines periculoſiores exiſtunt. Cum igitur ſolum dicere ſit horror quam periculoſus & deteſtabilis concubinatus Deo & hominibus exiſtat in viris eccleſiaſticis, & maxime curatis vel vicariis miſſas celebrantibus, ſeu adminiſtrantibus eccleſiaſtica ſacramenta, monitioneſque charitative factæ ſuper hoc in ſancta ſynodo ultime præterita, quod dolentes referimus, non ſolum non profuerint, ſed potius videantur tribuiſſe audaciam delinquendi, virgaque & baculus conſolationem non dederunt, ſed per conſequens jam non reſtat niſi ferrum apponere ad ſcindendum tantum vulnus; & ne animæ & corpora tanti ſceleris voragine miſerabiliter conſumantur, ſtatuimus & ordinamus, quod ſubditi noſtri clerici & laici concubinas tenere aliquatenus non præſumant, & tenentes eaſdem ejiciant indilate, vel ſaltem tardius infra menſem cum intentione & propoſito ipſas nequaquam reaſſumendi. Contrarium vero facientes, eo ipſo, decernimus & beneficiis & officiis ſuſpenſos, quam pœnam, ſi per tres menſes ſuſtinuerint, ipſos excommunicationis ſententia innodamus; & ſi in ſententia ejuſmodi per tres alios menſes remanſerint damnabiliter involuti, ipſos beneficiis ſuis volumus eſſe privatos; & ſi per tres alios menſes in ſuo damnabili propoſito duxerint perſiſtendum, eoſdem per unum annum volumus in carceribus dure & ſtricte teneri, & nihilominus eſſe inhabiles ad quæcumque officia, vel beneficia eccleſiaſtica obtinenda. Non beneficiatos vero concubinas recipientes de novo, vel habentes quaſdam, nequaquam abjicientes infra tempus prædictum, decernimus per annum inhabiles ad habendum beneficia vel officia (ut dictum eſt) & ſi per tres menſes in ſuo perſeveraverint crimine vel delicto, ipſos excommunicamus; quam ſententiam ſi per tres alios menſes ſuſtinere præſumſerint, pœna carceris (ut præmiſſum eſt in beneficiatis) decernimus puniendos. Si vero a carceribus hujuſmodi liberati, recidivaverint in crimen deteſtabile ſupradictum, eoſdem volumus & decernimus ad carcerem perpetuum condemnari, ad panem triſtitiæ, & aquam doloris, ut commiſſa defleant, & deflenda ulterius non committant. Laicos vero vel clericos conjugatos, ſi concubinas de novo receperint, vel infra menſem non ejecerint jam aſſumtas, excommunicationis ſententiam volumus incurrere ipſo facto, nobis & ſucceſſoribus noſtris abſolutionem reſervantes. Omnibus vero ſubditis noſtris diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus ſinguli, ſi curatos ſuos, vicarios, decanos, vel alios concubinarios ſciverint, eoſdem infra menſem denuntiare teneantur decano vel officiali prædictis. Omnibus vero bono zelo nobis, officiali, vel decanis noſtris denuntiantibus quaſcumque perſonas eccleſiaſticas, religioſas vel ſæculares, exemptas vel non exemtas noſtræ diœceſis publice tenere concubinas, viginti dies in forma eccleſiæ de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus: ſcientes vero & non denuntiantes, infra menſem (ut dictum eſt) eos ab ingreſſu eccleſiæ, quouſque eoſdem denuntiaverint, volumus eſſe privatos: nullus autem in tantam temeratiæ prorumpat præſumtionis audaciam, quod pœnas ſupraſcriptas contemnens in concubinatu maneat obſtinatus. Creſcente enim contumacia, creſcemus & pœnam, & ſi eccleſia (quod abſit) non haberet ulterius quod ageret in inobedientes & rebelles ſic deſcendentes in profundum malorum, nos cogeret conſcientia curiæ tradere ſæculari.

14 In virtute obedientiæ præcipimus, ne aliquis monachus ſolus abſque uno ſaltem monacho ſocio in villis ſeu eccleſiis commoretur, & ne religioſi aliqui quantumcumque privilegiati, confratres vel benefactores ſuos in cœmeteriis ſuis ſepeliant tempore generalis

vel ſpecialis interdicti, vel illos qui habitum illius religionis aſſumſerint, & ad religionem ipſam dimiſſis propriis bonis & familiis tranſierint, ſed nec confratres ſuos vel alios quoſlibet excommunicatos vel interdictos, aut aut etiam quoſcumque alios, quibus jura prohibent eccleſiaſticam ſepulturam, in cœmeteriis ſuis vel eccleſiis ſuis ſepelire præſumant. Cœmeteria vero in quibus contra hujuſmodi conſtitutionem aliqua defunctorum corpora fuerint tumulata, reconcilianda erunt; idemque fiat ſi corpus hæretici, ſchiſmatici, vel pagani in cœmeterio ſepultum ſit, oſſibus illorum, ſi diſcerni ab oſſibus fidelium potuerint, inde prius ejectis.

15 Quia publicæ utilitatis intereſt, ne crimina remaneant impunita, ſub excommunicationis pœna præcipimus, ut ſi quis clericus homicidium, ſacrilegium, incendium, raptum, rapinam, furtum, vel adulterium, & ejuſmodi in noſtra diœceſi manifeſte deprehenſus fuerit commiſiſſe, vel aliquem atrociter (niſi ſe deffendendo & vim repellendo fecerit) vulneraſſe, vel mutilaſſe, capiatur per gentes noſtras, vel per archipreſbyterum, vel illis abſentibus, per rectorem vel capellanum illius eccleſiæ in cujus parrochia talia commiſſa fuerint; & captus ad officialem noſtrum per clericos adducatur, adjunctis ſibi aliquibus laicis, ſi opus fuerit, ad repellendum violentiàm, ſi forte inferri per aliquos timeatur.

16 Interdicimus ne clerici clericaliter viventes ratione patrimonii ſui, vel perſonarum, vel etiam perſonæ eccleſiaſticæ, vel religioſi aliquatenus per laicos taillentur, aut eis exactiones ſeu aliqua onera extraordinaria imponantur; quod ſi factum fuerit, taillantes aut imponentes, & conſilium, opem, & auctoritatem in hoc præſtantes, per cenſuram eccleſiaſticam deſiſtere compellantur; ſed nec præmiſſæ perſonæ de ſuis rebus propriis ſolvere teneantur pedagium ſive teſtam. Sane Honorius papa tertius excommunicationis ſententiam protulit contra ſtatutores, ſcriptores ſtatutorum contra eccleſiæ libertatem editorum, necnon & contra poteſtates, conſules, rectores, & conſiliarios illos qui ſecundum ea præſumſerint judicare, vel in publicam formam redigere judicata.

17 Hanc autem ſententiam excommunicationis illos incurrere declaramus, qui contra privilegia & libertates clericorum & eccleſiarum ſtatuere, ordinare, præcipere, aut interdicere, expreſſe vel indirecte, per ſe vel per alios præſumunt, ne quis in eccleſiarum vel clericorum clibanis panem capiat, vel in molendinis eorum molat, aut ne quis aliquod commercium cum eis habeat, vel quomodolibet participet aut loquatur, aut eis de decimis, primitiis, oblationibus, vel aliis juribus ſpiritualibus non reſpondeat, aut quod nihilominus quinque vel decem ſolidis, panem, vinum, farinam, pannos, lumen, vel hujuſmodi, *ſive minus quam valorem* quinque vel decem ſolid. in his offerunt, aut his ſimilia agunt, & qui talia per gentes ſeu officiales ſuos facta requiſiti deffendunt cum effectu; a qua excommunicationis ſententia nullatenus abſolventur, donec de damnis & injuriis propter hoc illatis ſatifecerint competenter. Diſtricte igitur præcipimus, ne aliquis conjurationes, colligationes, confraternitates, aut alias quaſcumque obligationes, fide, juramento, ſeu qualibet alia firmitate interpoſita, facere præſumat contra eccleſias, vel eccleſiaſticas perſonas, ſeu contra eccleſiaſticam libertatem, ſi præmiſſas pœnas voluerit evitare.

De eccleſiis & earum privilegiis, rebus, & ornamentis.

CAPUT II.

1 Miſſarum celebrationem non alibi quam in ſacratis locis Domino abſque magna neceſſitate fieri debere liquet omnibus, quibus ſunt veteris & novi teſtamenti nota præcepta; ideoque præcipimus, ut omnes eccleſias regentes eccleſias & altaria non conſecrata conſecrari procurent.

2 Prohibemus ne deinceps quiſquam eccleſias, capellas, oratoria, hoſpitalia, & alia pia loca in diœceſi noſtra ædificet, vel altare aliquod in locis illis erigat, ſine noſtra licentia ſpeciali: altaria quoque per ſomnia & inanes quaſdam revelationes hominum conſtrui prohibemus. Nos enim talia loca præter noſtram & ſucceſſorum noſtrorum licentiam conſtructa interdicto eccleſiaſtico decernimus ſubjacere; ſed & altaria portatilia ita lata & ſpatioſa fiant quod calix & hoſtia poſſint ſuper illis convenienti diſtantia collocari.

3 Quia nonnulli in ſuarum diſpendium animarum capellaniarum fundationes in eccleſiis noſtrarum civitatis & diœceſis obtinentes, eaſdem non deſerviunt, pro ut juxta fundatorum intentionem, & dictarum capellaniarum inſtitutionem tenentur; nonnullique ambitione moti, nedum unam, ſed duas vel plures capellanias in eadem eccleſia obtinent, ignoraturque fundatio & inſtitutio capellaniarum ejuſmodi: immo nonnullæ ex ipſis dicuntur auctoritate ordinaria nequaquam inſtitutæ fuiſſe, & quod amarius eſt, & plangendum, redditus earumdem aliquoties nedum impignorari, quin potius diſtrahi & alienari dicuntur: ſtatuimus & ordinamus quod univerſi & ſinguli capellanias in noſtris civitate & diœceſi obtinentes, quæ a quadraginta annis circiter fuerunt ordinatæ, fundationem dictarum capellaniarum, inſtitutionem & ordinationem ipſarum, tituloſque quibus eas obtinent infra menſem decanis noſtris, in quorum decanatibus hujuſmodi

capellaniæ exiſtunt, tradere & exhibere teneantur: quod ſi non fecerint, ipſos a fructibus dictarum capellaniarum decernimus, eo ipſo, fore ſuſpenſos; & ſi per duos menſes ulterius id facere neglexerint, ipſos decernimus dictis capellaniis privatos. Habentes vero capellanias fundatas & inſtitutas a XL. annis jam elapſis, onera tam in miſſis, quam aliis ad quæ ratione capellaniarum hujuſmodi obligantur, teneantur manifeſtare decanis ſupradictis (ut dictum eſt) infra menſem: alioquin dictam pœnam ſuſpenſionis incurrant; quam ſi per duos menſes ſuſtinuerint, eiſdem ſint privati (ut de aliis eſt dictum.) Decani vero omnia & ſingula ſuper facto capellaniarum hujuſmodi eiſdem tradita officiali & ſigillifero noſtris ſub ſuis ſigillis tranſmittant fideliter intercluſa.

4 Res prophanas vel ſæculares, utpote veſtes, ſaccos, dolia cum vino vel ſine vino, & alia ejuſmodi poni in eccleſiis prohibemus, niſi neceſſitas magna emineat, & poſita præcipimus amoveri, arcis operis, & confraternitatum & luminarii, dumtaxat exceptis. Horrea quoque & cameras in eis fieri inhibemus, & facta præcipimus amoveri.

5 Pallam, corporalia non de ſerico, aut de tincto, aut de operibus variato, ſed ſolum de ſimplici albo panno lineo fieri jubemus: præcipientes ut munda & bene compoſita & plicata ſint: debet autem habere quatuor in longitudine plicas, in latitudine vero tres.

6 Inhibemus ut nullus clericus, vel laicus calices, libros, veſtes ſacras & alia eccleſiaſtica ornamenta, per ſe vel per alium, vendere, diſtrahere, pignorare, obligare, vel alias quomodolibet alienare præſumat abſque noſtra licentia ſpeciali: qui vero contra fecerint clerici in ſacris conſtituti, excommunicationis ſententiam incurrant, ipſo facto. Qui autem tales res in pignus ſcienter receperint, eas illi eccleſiæ cujus ſunt libere reſtituere teneantur, nulla recuperata pecunia ab eadem, ſed & quicumque clericus vel laicus, regularis vel ſæcularis, res hujuſmodi pro quocumque debito, cujuſcumque rectoratus vel capellaniæ ſeu eccleſiæ, propria auctoritate capere præſumſerint, præter pœnam excommunicationis, quam ipſum incurrere declaramus, ipſo facto, a debito ipſo cadere; ſed nec eccleſias, vel res, vel quælibet eccleſiaſtica beneficia ad collationem ſeu ordinationem noſtram pertinentia, vel res, vel poſſeſſiones, vel jura earum aliquis fidejubendo, vel alio modo obliget pro debitis alienis, nec etiam abſque noſtra licentia pro ſe ipſo; quod ſi fecerit, ad ſolutionem talium debitorum ſucceſſor ejus, vel eccleſia minime teneatur, niſi creditor aperte probaverit pecuniam ipſam in eccleſiæ utilitatem fuiſſe converſam.

7 Sub pœnam ſuſpenſionis ab officio prohibemus, ne capullæ (a) baptiſatorum ponantur in aliis quam eccleſiaſticis uſibus, ut videlicet inde fiant ſuperpellicea vel cortinæ ejuſmodi & alia quæ ad cultum & functionem eccleſiaſticam pertinere noſcuntur.

8 Volumus atque ſtatuimus quod excommunicentur publice in eccleſia diebus Dominicis, candelis accenſis, campanis pulſatis, omnes illi & ſinguli qui aliquibus exiſtentibus in conductu curiæ noſtræ Ambianenſis injuriam aut violentiam de cetero inferent aut impedient, vel moleſtabunt eos per ſe vel per alium, quominus quiete ad curiam accedant pro juſtitia habenda, & ab eadem recedant, vel qui banna faciunt, ne aliquis debeat in foro eccleſiaſtico litigare, etiam hoc ſingulis diebus Dominicis & feſtivis præcipimus publicari.

9 Item excommunicentur qui jura eccleſiaſtica diminuunt aut juriſdictionem eccleſiaſticam impediunt per ſuam malitiam, qui volunt eccleſias defraudare ſuo jure, & contradicunt ne jura eccleſiaſtica, decimæ & alia jura parochialia ſibi a ſuis ſubditis integraliter exſolvantur.

10 Ne domini & judices ſæculares & baillivi vel officiarii ſeu nuntii curiæ ſæcularis in eccleſiis vel cœmeteriis vel eccleſiarum atriis cauſas, lites, contentiones, ſeu placita audiant, penitus prohibemus; ſed nec ſententias ibi proferant, nec præcepta, banna edita, ſubhaſtationes, venditiones, vel executiones faciant, nec aliquos ad quamcumque pœnam corporalem condemnatos per loca ipſa deducant, tales enim ſententiæ & proceſſus reprobantur a jure.

11. Sed nec aliqui congregationes, conciones, concilia, parlamenta, vel choreas facere, vel cantilenas dicere, vel aliqua ludibria ſeu inhoneſta ibi agere præſumant. In dictis quoque locis & infra ſpatia vel adhærentia a jure privilegiata, patibula, furcas & ſimilia poni & poſita teneri, & quælibet alia inhoneſta fieri diſtricte inhibemus.

12. Sub excommunicationis pœna præcipimus, ne quiſpiam laïcorum vel officiariorum curiæ ſæcularis aliquem hominem, vel bona ſeu res ejus de eccleſia vel ejus atrio, cœmeterio, hoſpitali vel domo religioſa, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, amoveant violenter, ſine noſtra vel officialis noſtri licentia ſpeciali, niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, ſeu qui homicidium vel mutilationem membrorum, vel furtum, ſeu violentias in eccleſiis vel cœmeteriis commiſerit, & in ejuſmodi etiam caſibus noſtram vel noſtri officialis habeat licentiam ſpecialem.

13. Quoniam quidquid habent clerici, pauperum eſſe debet, diſtricte præcipimus omnibus rectoribus & curatis, ut in ſuis ec-

(a) Capulla videtur eſſe diminutivum a cappa quæ erat baptizatorum veſtis.

cleſiis hoſpitalitatem teneant congruentem, præviſo tamen quod eccleſias ipſas in prandiis, cœnis, vel albergio, & ſimilibus vel quibuſlibet aliis gravaminibus, laïcis, vel quibuſlibet perſonis non ſubmittant, aut de novo illis eas quoquo modo tributarias vel cenſuales faciant, ſi condignam voluerint effugere ultionem; ſed nec de eccleſiis, aut rebus, aut negotiis eccleſiaſticis, laïcorum judicio contra eos qui exceſſus per ipſos commiſſos judicibus ſæcularibus emendatur, ſeu ordinariam juriſdictionem fugientes, aut voluntate quoquo modo diſponant. Laïcos autem ſeu alios qui in præmiſſis, aut in talliis, collectis, quæſitis indebite ſervitiis, vel ſimilibus eccleſias vel eccleſiaſtica bona quomodolibet gravare, aut eccleſiaſticas perſonas ad hoc quoquo modo compellere præſumſerint, niſi legitime moniti a talibus deſtiterint, aut jam commiſſa emendare diſtulerint, excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere.

locus intricatus.

14. Statuimus quod ſi res vel pignora alicujus eccleſiæ vel clerici vel perſonæ eccleſiaſticæ, abſque judicis eccleſiaſtici auctoritate violenter captæ, vel capta fuerint vel detenta, captores & detentores hujuſmodi moneantur ter a rectore loci ſeu capellano, vel curato, quod ea libere & integre reſtituant. Quod ſi forte ſic moniti facere contemſerint, ipſos, quos ex tunc in his ſcriptis excommunicavimus, excommunicatos per rectores ſeu capellanos eoſdem publice præcipimus nuntiari; & ſi pignoratio vel violentia hujuſmodi per dominos temporales aut eorum auctoritate facta fuerit, requirantur & ipſi conſimili modo moneantur per eoſdem rectores & capellanos, ut res & pignora hujuſmodi libere & integre abſque ſumtuum retentione reſtitui faciant cum effectu, alioquin ipſos eidem excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere. Quod ſi forte in eadem duritia perſtiterint, ceſſetur a divinis in parrochia vel parrochiis, in quibus hæc commiſſa fuerint, & etiam in quibus iidem domini morabuntur, ſecundum antiquam conſuetudinem & ſtatutum. Simili quoque modo ceſſari præcipimus, ubicumque clericus per laïcalem potentiam captus tenebitur, abſque noſtra licentia ſpeciali, ſi petitus & requiſitus non fuerit reſtitutus.

15. Interdicimus ne rectores & beneficiati de pecunia ratione eccleſiarum ſuarum acquiſita emant poſſeſſiones ſeu redditus perpetuos ſuo nomine vel etiam alieno, ſed ad opus eccleſiarum ſuarum, & earum nomine confici faciant inſtrumentum, alioquin tamquam fures & ſacrilegi punientur. Nullus autem laïcorum ſub excommunicationis pœna bona decedentium clericorum occaſione eccleſiæ acquiſita occupet ac detinere præſumat; ſed ad utilitatem perpetuam eccleſiæ conſerventur. Ad hoc inhibemus ut rectores & beneficiati in ædificiis & reparationibus eccleſiarum ac domorum, *in libris* quoque & ornamentis, & aliis ad divinum cultum neceſſariis, juxta facultates ipſarum eccleſiarum ſtudeant, cum opus fuerit, taliter ſe habere, quod eorum exemplo parochiani & alii ad hoc merito excitentur, præcipue cum ipſi de jure ad talia poſſint cogi. Omnibus ſacerdotibus noſtræ diœceſis interdicimus, ne quiſquam eorum cum calice ligneo, vel vitreo, vel de aurichalco, vel de ſtanneo, vel de plumbo, vel de electro, intra diœceſis noſtræ fines ulterius celebrare præſumat: habeat igitur unaquæque eccleſia calicem argenteum cum patena.

16. Rectoribus & curatis omnibus præcipimus, ut in ſuis eccleſiis habeant thecas ſeu vaſa ærea, ſtannea, vel argentea, in quibus honeſte poſſint euchariſtiam cuſtodire, & cum opus fuerit, ad infirmos deferre.

17. Diſtricte præcipimus omnibus archipreſbyteris, ut in eccleſiis ſuorum archipresbyteratuum viſitationes fieri faciant, ſi libros, ſuperpellicea, & alia ornamenta eccleſiaſtico competentia, & domos neceſſarias & decentes habeant; & ſi quos clericos vel laicos ſeu religioſos in hoc contumaces invenerint vel rebelles, nobis ſtudeant intimare, ut ad hoc per nos congruis remediis urgeantur.

De poteſtate rectorum & capellanorum, & de regimine animarum.

CAPUT III.

1. Præcipimus ut in unaquaque eccleſia ante vel poſt, vel ſupra quodlibet altare ſit imago, vel ſculptura, vel pictura, expreſſe deſignans & cuilibet intuenti manifeſtans, in cujus ſancti nomine & honore ſit ipſum altare conſtructum.

2. Statuimus, monemus, atque præcipimus omnibus rectoribus & capellanis, curatis eccleſiarum noſtrarum civitatis & diœceſis Ambianenſis, ut in ſuis eccleſiis infra menſem a die recitationis præſentis conſtitutionis computandum, reſidentiam faciant perſonalem & hoſpitalitatem ibi teneant, prout facultates eccleſiarum ſuarum commode poterunt ſupportare; alioquin præſentis conſtitutionis auctoritate ab ipſis beneficiis noverint ſe ſuſpenſos, niſi de noſtra abſtinuerint licentia ſpeciali. Præcipimus quoque, ne aliqui vicarios in eccleſiis ſuis pro ſe conſtituant, nec ad ſtudia vadant, nec peregre proficiſcantur, neque diœceſim noſtram cauſa alibi moram trahendi ſeu intentione egrediantur, nec alienæ juriſdictioni ſe ſubjaceant, abſque noſtra licentia ſpeciali.

3. Præcipientes hoſpitalitatem in eccleſiis obſervari, interdicimus ut nullus eccleſias accenſet, vel ad firmam det ſeu concedat, abſque noſtra licentia ſpeciali: ſed & ſi quis ex aliqua rationabili cauſa accenſandi, ſeu ad

firmam dandi licentias a nobis obtinuerit; non tamen alicui sæculari personæ vel officium aliquod in quacumque sæculari curia gerenti accensare, seu ad firmam dare præsumat; alioquin contractum ipsum nullas vires habere decrevimus, & ipsum ad firmam dantem a beneficio duximus suspendendum; contractus vero ad firmam dationis jam initos & celebratos revocamus, & omnino viribus vacuamus.

4. Districte præcipimus omnibus rectoribus, archipresbyteris, curatis, & aliis, ne propter debitum proprium vel ecclesiæ suæ, propria auctoritate denegare præsumant quibuscumque personis ingressum ecclesiæ vel alia ecclesiastica sacramenta; nullus eorum insuper causas matrimonii vel pignorum, aut alias audire præsumat.

5. Fidelium testamenta & ultimas voluntates jura volunt celeriter & pie ac laudabiliter executioni demandari. Cum igitur fide dignorum relatu ad nostram notitiam sit deductum, quod executores testamentorum, tam virorum ecclesiasticorum, quibus competit testamenti factio, de consuetudine vel jure; quam etiam aliorum ipsa quoad ad eleemosynas & legata ad pias causas nedum exsequi differunt, renuunt & contradicunt, sed frequenter dilacerant, dilaniant, & disrumpunt, seu malitiose & fraudulenter occultant. Quapropter statuimus & ordinamus, quod curati universi & singuli nostratum civitatis & diœcesis, in singulis capitulis decanorum referant testamenta, quæ in suis parochiis confecta extiterint ab alio capitulo citra, & si scire valeant nomina heredum & executorum, & illos etiam per quos testamenta recepta extiterint, atque in scriptum redacta, per parochos suos in perceptione sacramentorum, dum in ægritudine consistent, moneant & inducant ad testamenta facienda, eleemosynasque, & pia legata, prout devotioni suæ occurret. Decani vero testamenta hujusmodi infra mensem officiali nostro denuntiare teneantur, & tam ipsi quam curati præsentis nostri violatores instituti ac statuti pro quolibet testamento in pœnam decem solidorum eo ipso incidant, qui nostræ eleemosynæ applicentur. Executores quoque, qui in se executionis onus hujusmodi assumserint, quanto citius potuerit, aperiri faciant hujusmodi testamenta, ac infra annum a tempore obitus computando, quantum in ipsis fuerit, executionem faciant eorumdem, ac de eadem rationem reddere teneantur. Nec circa hoc testatores suis piis intentionibus fraudentur, seu fraus aliqua committatur circa executionem ejusmodi, sive dolus, quem præsumi volumus vehementer, si infra annum (ut est dictum) executio non fuerit adimpleta. Personæ autem ecclesiasticæ de bonis immobilibus acquisitis per eas de fructibus beneficiorum suorum testari vel disponere non præsumant, nisi tantum quod eisdem competit de consuetudine vel de jure. De bonis vero mobilibus ordinent ac disponant, prout hactenus in nostra diœcesi fuit facere consuetum. Curati etiam & vicarii eorumdem parochianos suos sollicite admoneant & inducant quoties ipsos in suis ægritudinibus visitabunt, ut decimarum & aliorum jurium ecclesiasticorum male solutorum vel retentorum per eos, & aliorum injuste & indebite ablatorum in principali, & per casus & obligationes singulares fieri restitutionem demandent; cum per clausulam generalem quæ in testamentis consuevit apponi super emenda forefactorum, modicus sequi consueverit effectus, & illæsum remaneat ac immutabile statutum, *Peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum*; quam exhortationem fieri decrevimus & mandamus sanis dum confitentur, & recipere volunt eucharistiæ sacramentum, cum quis in casu periculoso non tantum de alio quocumque debeat confidere, quam de seipso facit. Ceterum tabelliones qui testamenta defunctorum publicare & compellere (quod tamen ad relicta ad pias causas) post competentem monitionem distulerint, excommunicationi supponantur. Præcipimus quoque & præceptum fuisse hactenus declaramus, ut testamentorum seu quarumlibet ultimarum voluntatum executores, titulo emtionis vel quovis alio, nihil omnino propria auctoritate de bonis retineant testatoris, nisi forte ab illo legatorie sibi expresse fuerit concessum. Qui vero contra fecerint, pretium amittant, si causa emtionis dixerint se retinere; si vero ex alia causa, judicis arbitrio puniantur.

6. Statuimus ut heredes vel successores defuncti, qui juraverat solvere vel reddere pecuniam, vel res alias seu legata, moneantur, ut sicut ille juraverat, ipsi cuncta adimpleant, & ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam (sicut justum fuerit) compellantur.

7. Divinationes, sortilegia, fascinationes, per somnia, auguria & alia quæcumque similia superstitiosa remedia, sive in precationibus & conjurationibus, sive in votis quos veneficia seu caracteres vocant, aut etiam in quibuscumque suspendendis vel ligandis consistant, tamquam damnata ab omnibus fidelibus nostræ civitatis & diœcesis observari aut fieri, eisque fidem adhiberi penitus prohibemus.

8. Nullus ergo paganorum morem secutus, ad divinos, sorciarios, magos, vel augures pro vita vel morbo vel pro morte hominum seu animalium, vel pro rerum amissione, aut contra grandines & tempestates, ut aut a viro, vel muliere magis ametur, aut pro quolibet alio remedio vel consilio superstitioso ab illis expetendo recurrat, aut eos

in

in domum ſuam, quaſi ut foris malum mittant, vel ut maleficium inveniant, introducat. Nullus etiam per ſortes, quas ſanctorum ſeu apoſtolorum vocant, aut cujuſcumque ſcripturæ inſpectione divinationis ſcientiam profiteatur, aut futura promittat, quælibet maleficia in tabulis vel codicibus, ſeu in aſtrolabio requirat. Nulla mulier ſe nocturnis horis equitare cum Diana dea paganorum, vel cum Herodiade, ſeu Bizazia, & in innumera mulierum multitudine profiteatur. Hæc enim dæmoniaca eſt illuſio. Nemo in herbarum collectionibus calumniam, incantationes, aut alias obſervationes, præter Dominicam orationem & ſymbolum fidei, adhibeat, nec in brevibus ſuſpendendis vel ligandis aliquid præter illa ſcribat: dæmonium tamen ſuſtinentibus poterit herbas ſine incantatione habere, dies quoque Ægyptiaci, conſtellationes, lunationes, kalendæ Januarii, initia menſium, dies, menſes, annus, curſus lunæ, ſolis, & ſyderum ſuperſtitioſe obſervari non debent, credendo ſcilicet in illis virtutem ſeu neceſſitatem ineſſe: quoniam ſuperiora non ſunt cauſæ rerum, ſed ſigna; ſed nec in præmiſſis diebus ſeu temporibus, in menſe, vel epiſtolæ, vel lampades in domibus ſunt parandæ, vel per vicos & plateas cantores & chori ducendi; nulla etiam tempora ſunt fauſta vel infauſta æſtimanda, ut quis in eis nolit vel velit aliquid invocare, nec ad volatum vel cantum, fumum, vel ad motum alicujus membri, aut ad alicujus animalis appetitum aliquid eſt proſpere notandum vel non pronoſticandum.

9. Interdicimus etiam ne quis per duodecim cœli ſigna naſcentium in illis mores, actus, eventus, aut effectus prædicere præſumat, ut ne pro domo fabricanda, aut conjugio ſociando, vel hujuſmodi illa conſervet. Quicumque autem generales prohibitiones quas in miſſarum ſolemniis diebus Dominicis per ſacerdotes fieri præcipimus, contra præmiſſa fecerint, ingreſſus eccleſiæ, etiam eccleſiaſtica ſacramenta eis omnino interdicantur, & ſi neceſſe fuerit, excommunicationis interdicto innodentur, aliiſque juris pœnis arceantur.

10. Quia plurimi ſe eſſe quæſtores hoſpitalium, eccleſiarum, locorum religioſorum & piorum falſo mentientes, falſas litteras portant, atque etiam falſa & ad ultimum ſigna ſibi imponunt, nonnulli quoque ſanctuaria ſe deferre prætendentes, abuſiones multas committunt in religionum & in eccleſiarum & locorum quorum nomine quæſtus exercent infamiam & ſcandalum populorum. Idcirco volentes circa hoc remedium quale poſſumus adhibere, noſtris omnibus & ſingulis rectoribus & curatis, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut de cetero nullum quæſtorem in ſuis eccleſiis ſine noſtris & apoſtolicis litteris, nec etiam cum litteris noſtris vel apoſtolicis litteris admittant, nec eos ſanctuariis ſeu reliquiis, crucibus, vel caſellis, ſeu cedulis uti ſinant, niſi ut id ipſum ſpecialiter noſtræ vel apoſtolicæ litteræ continebunt, nec in plebis deceptionem & ſcandalum eos aliquas dicere permittant. Remiſſiones quoque & indulgentias per alios quam per dominum papam, aut per dominum Rhemenſem, ſeu per nos conceſſas recitari nullatenus permittant ab eiſdem quoque quæſtoribus, occaſione faciendi quæſtam, nihil omnino exigere aut ex pacto oblatum recipere præſumant. Iſtud autem notum fieri volumus univerſis, omnes quæſtas & quæſtiones prohibitas eſſe per felicis memoriæ dominum Nicolaum papam quartum, per quas terræ-ſanctæ negotium impeditur. Qui vero falſis litteris uti invenientur, capti ad nos ducantur.

11. Præcipimus quod nullus archipreſbyter vel quivis alius abſolvere præſumat, præterquam in articulo mortis, quoſlibet tranſgreſſores noſtrarum conſtitutionum ab aliqua excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti ſententia, abſque noſtra licentia ſpeciali. Nos enim abſolutionem talium declaramus eſſe nullam. Concedimus tamen ſpecialiter omnibus rectoribus, ſacerdotibuſque parochialibus, quod parochianos ſuos abſolvere poſſint ſecundum formam eccleſiæ ab excommunicatione, quam aliqui eorum parochiani incurrerunt, vel in poſterum forte incurrent mercando, vendendo vel emendo, præterquam victualia, excepto blado, in diebus dominicis vel feſtivis, contra ſententias a noſtris prædeceſſoribus promulgatas, injuncta talibus pro culpæ modo pœnitentia ſalutari. Si quid autem ab abſolvendis recipi contigerit, illud in ornamentis & uſibus eccleſiæ ſuæ parochialis decernimus convertendum. Hanc etiam abſolutionem officialis curiæ noſtræ facere poſſit. Eidem quoque officiali concedimus, ut eos qui clandeſtina matrimonia contraxerint, quique talibus contractibus ex certa ſcientia interfuerint, ab excommunicationis ſententia in tales a noſtris prædeceſſoribus auctoritate concilii provincialis promulgata, abſolvere poſſit, ut eos etiam qui pro eo quod divinum turbarunt officium, nolentes exire eccleſiam, prout ita deceret, excommunicationis ſententiam incurrerunt, etiam illos qui contra prædeceſſorum noſtrorum ſententias in feſto natalis B. Johannis Baptiſtæ non verentur ſtulta opera exercere; quos abſolvere curati & rectores ſibi noverint interdictum; & rectores & curatos tantum, qui pro eo quod ad ſynodum non venerunt, ſuſpenſionis & excommunicationis ſententiam incurrerunt, eidem inſuper officiali concedimus, quod tam malefactores minores 14 annis, quam mulieres & etiam infirmos in mortis periculo, ac etiam

perpetua corporis impotentia debilitatos, ita ut ad ſedem apoſtolicam accedere non poſſint, qui propter manuum injectionem in clericos vel eccleſiaſticas perſonas in canonem promulgatæ ſententiæ inciderint, tum propter ætatis cauſam, quam propter ſexus fragilitatem, tum propriam perpetuam impotentiam, ab hujus excommunicationis ſententia poſſit abſolvere vice noſtra. Idem quoque officialis abſolvere poſſit eos qui ſcienter dejeraverint, & poſt competentem monitionem infra decem dies non ſatisfecerint, quos per conſtitutionem noſtram excommunicationis vinculo conſtat eſſe ligatos.

12. Diſtrictius inhibemus, ne aliquis ſacerdos non habens parochiam, ſive animarum curam, celebret matrimonia, corpora defunctorum ſepeliat, baptizet, confeſſiones audiat, euchariſtiam & alia ſacramenta eccleſiaſtica populo miniſtret, ſine noſtra aut illius cui animarum cura in loco illo commiſſa eſt, niſi in caſibus quibus ei committere licet, ſicut infra in ſecunda conſtitutione tractatus de pœnitentia ſcriptum eſt, licentia ſpeciali; cum conſtet abſolutiones & remiſſiones ab eo abſque licentia hujuſmodi, tamquam a non ſuo judice, niſi dumtaxat in caſu neceſſitatis, nullius fore momenti. Nemini etiam licet falcem ſuam in meſſem mittere alienam propter illud: *Ingreſſus es ut advena, numquid ut judices?*

13 Sed nec aliquis ſacerdos in alterius eccleſia vel parochia diebus dominicis vel aliis ſolemnibus, nec etiam in diebus lunæ, nec in feſtis animarum, miſſas publicas & privatas celebrare præſumat, donec capellanus curatus miſſam celebraverit, niſi de ipſius capellani licentia vel rectoris, cum & per canonicas ſanctiones nulli ſacerdoti liceat miſſas peculiares ſive privatas dicere, per quas populus a publicis miſſarum ſolemniis, quæ hora tertia canonice fiunt, abſtrahatur, nec abſque epiſcopi licentia, ſaltem tacita vel generali, miſſas publicas celebrare, vel baptizare, vel aliquid aliud agere.

14. Adhuc nullus ſacerdos quicumque requiſitus abſolvere mortuos in aliquo cœmeterio diebus dominicis & lunæ, nec in feſtis animarum, donec ſacerdos parochialis vel rector abſolutionem ſuam generaliter vel ſpecialiter fecerit; ſed nec tunc ſolemniter, ſed tantum ſimpliciter cum ſtola & aqua benedicta abſolvat; ſed nec aliquis extraneus ſacerdos admittatur ad celebrandum, niſi prout a jure cautum eſt.

15. Diſtricte præcipimus omnibus ſacerdotibus, cujuſcumque conditionis exiſtant, ne res alienas, ſeu damna data, ſeu forte facta ſibi aut aliis reſtituant vel emendent in pecunia aſſignata, ſed reſtituere vel emendare non differant, nec ſibi vel ſuis retinere præſumant, ſed ſine mora & fraude integraliter reſtituant, quibus eſt reſtitutio facienda; alioquin quando receperint, cum verecundia publice reſtituere & tantumdem de ſuo pauperibus erogare cogantur. Nullus quoque ab infirmis donationem bonorum ſuorum recipiat, prout inter inſtructiones (ubi de pœnitentia agitur) eſt præmiſſum.

16. Quoniam quæ medicamenta morbis, hæc jura & conſtitutiones adhibent negotiis, idcirco rerum magiſtra experientia ſuadente, novis negotiorum morbis nova quippe antidota præparamus. Statuimus igitur, ut nullus rectoriæ ſeu vicariæ eccleſiæ alicujus curam recipere in diœceſi noſtra a quocumque, vel etiam tenere præſumat, niſi a nobis illius eccleſiæ curam receperit animarum. Nullus quoque prior ſeu rector alicujus eccleſiæ, ſive ſit regularis ſive ſæcularis, in eccleſia ſua aliquem capellanum ponat ad curam animarum ibi exercendam, ſine noſtro conſilio & aſſenſu, niſi in caſibus infra in prima conſtitutione tractatus de pœnitentia ſcriptis. In eccleſiis vero parochialibus, in quibus populi habitant, populus per monachos non regatur, nec per eos animarum cura exerceatur. Nulli etiam religioſi eccleſiis, capellaniis, ſeu beneficiis noſtræ diœceſis novos imponant cenſus, nec veteres augeant, nec proventus, nec partem proventuum, vel bona ſeu jura alicujus eccleſiæ, capellaniæ, ſeu beneficii, ſuis vel ſuorum prioratuum, ſeu monaſteriorum, vel membrorum illorum uſibus applicare, nec illas in prædiis, procurationibus ſeu proventibus gravare præſumant, nec quaſlibet portiones, ſeu permiſſiones ſolitas, ſeu aliquas quibuſcumque ſacerdotibus vel clericis quomodolibet diminuant ſeu defraudent; ſed nec eccleſias, capellanias, proventus, ſeu beneficia eccleſiis ſæcularibus quomodocumque & per quoſcumque aſſignari ſolita, cum vacaverint, propriis ſeu beneficiorum, vel prioratus ſeu monaſterii, vel membrorum illius uſibus quomodolibet applicare, vel etiam quibuſcumque perſonis conferre præſumant. Decedentibus inſuper ſeu cedentibus capellanis, rectoribus, vicariis, ſeu quibuſcumque beneficiatis, quorum præſentatio ad eos pertinere dignoſcitur, bona illorum mobilia vel immobilia, vel etiam ſe moventia, nullatenus occupare, ſeu de illis diſponere vel ſe intermittere quoquomodo præſumant, quin illa ad decedentium ipſorum capellanias, eccleſias, vel titulos, ſeu eorum ſucceſſores pertinere noſcantur. Si quid vero hactenus contra præmiſſa fecerint, niſi legitime requiſiti talia revocaverint, vel reſtituerint cum effectu quod egerint, irritum habeant; & inſuper tam ipſi quam qui ſcienter talia ab eis receperint, niſi infra præmiſſorum duorum menſium ſpatium totaliter ſic recepta dimiſerint, excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere. Si quando igitur aliqua beneficia, ad quæ ipſi debent præſentare perſonas, vacare contige-

rit, illos nobis vel ſucceſſoribus noſtris ad ea præſentare ſtudeant, quos litterarum ſcientia, morum gravitas, vitæ honeſtas, famæ claritas, & origo legitima probabiles reddant.

17. Nullus preſbyter, donatus cujuſcumque religionis, qui profeſſionem ſeu obedientiam fecerit regularem, ſive etiam habitum religionis ipſius ſuſceperit, ſive interdum ſuſceperit curam animarum in diœceſi noſtra, ſine ſpeciali licentia noſtra recipere & exercere, vel habens retinere præſumat; ſed & ſi aliquis curatus ſeu a nobis beneficiatus diœceſis noſtræ efficiatur donatus vel converſus cujuſcumque religionis, curam vel beneficium hujuſmodi infra trium menſium ſpatium a tempore converſionis ſeu donationis vel hujuſmodi dimittere teneatur, alioquin contra facientem excommunicationis vinculo innodamus, & inſuper curas quas teneret, vacare declaramus ipſo facto.

18. Rationi convenit & congruit, ut ubi majus imminet periculum, citius & cautius provideatur. Jam, proh dolor! quorumdam clericorum noſtrorum dire, crudeliter & inhumaniter per nonnullos ſæculares judices ſuæ ſalutis immemores, inhumaniter & injuſte mortis cruciatui traditorum ſanguis clamat ad nos de terra, & nedum de perditis judicibus, ac ipſorum fautoribus, miniſtris, ſed de nonnullis decanis noſtris præſentibus & præteritis, graviſſimam querimoniam exponendo, quod non judicum judicio vel in juſtitia, ſed potius tyrannorum fraude vel malitia, decanorumque aliquorum incuriis, dolis, verſutiis, vel negligentiis, vel nullatenus vel non cum debita inſtantia & ſollicitudine requiſiti fuerint mortui, ſint occiſi, ſint trucidati & peremti, mortemque forſitan ſic per non ſuos judices per violentiam judicum ſæcularium, per tyranniam, illa tamen non æquanimi animo tolerantes, de ſalute animæ, prout tantæ neceſſitatis articulus exigebat, cogitare nullatenus potuerint. Quapropter tam peſtiferi morbi volentes de noſtra diœceſi fomenta radicitus exſtirpare, decanis noſtris præſentibus & futuris ſub pœna maledictionis æternæ diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus cum ad notitiam venerit eorumdem, quoſcumque clericos ſeu perſonas eccleſiaſticas, religioſas vel ſæculares, cujuſcumque ſexus, captos, vel detentos per juſtitiam ſæcularem & pro crimine maxime capitali, pro quo mors vel mutilatio membri poſſet veriſimillime dubitari, in quocumque fuerint ſtatu, ſive de die, ſive de nocte, etiamſi in divinis officiis, in menſa, in lecto, vel ſtudio intereſſent, omnibus poſtpoſitis, abſque mora vel dilatione quibuſcumque, ad coſdem petendos & requirendos accedant. Super hoc, quod ſecluſa tamen quacumque via, omnem curam, ſollicitudinem & diligentiam adhibeant, quæ debebit & poterit rationabiliter adhiberi; & talem quod apud Deum, nos & eccleſiam noſtram merito excuſabiles habeantur, meritoque cenſeantur non lupo veniente fugere, & ovem dimittere deſolatam, ſed tamquam boni paſtores pro ovibus ſuis animam ponere velle. Et quia decani noſtri in omnibus & ſingulis locis decanatus non poſſunt eſſe præſentes, & qui male agunt, lucem odiunt, locaque publica fugiunt, & per devia ſe occultant atque latitant frequenter, omnibus clericis & perſonis eccleſiaſticis, religioſis & ſæcularibus noſtræ diœceſis, præſentibus & futuris, per hoc præſens ſtatutum noſtrum concedimus facultatem talem & conſimilem, qualem noſtri decani obtinent, pro clericis captis vel aliis perſonis eccleſiaſticis repetendis in abſentia decanorum prædictorum, vel eiſdem circa hoc perperam agentibus vel remiſſe: & cum non ſit dubium illos participes criminum exiſtere, qui cum poſſunt, facinori defuerunt obviare: decanos citra reſpectum perſonarum eccleſiaſticarum prædictarum deinceps culpabiles ſeu negligentes notabiliter vel remiſſos, ab officio & beneficio deponimus & privamus, & tamquam reos homicidii declaramus ad carcerem perpetuum condemnandos, ut cum factum non habeat remedium jam commiſſum, ac de periculo agatur corporum & animarum, metus pœnæ obdormitos efficiat vigilantes, & ſic quod nullus hactenus de cetero contingat, periculis viam claudat. Ut autem quicumque judices ſæculares noſtræ diœceſis a morte clericis noſtris damnabiliter inferenda promtius & citius retrahantur, præter alias pœnas contra tales a ſacris canonibus promulgatas, ipſos interim excommunicationis ſententia innodamus, cum quibuſvis fautoribus eorum, & confeſſos, convictos & condemnatos privamus perpetuo eccleſiaſtica ſepultura. Filios quoque vel nepotes ipſorum ſeu quoſcumque conſanguineos uſque ad quartam generationem inhabiles pronuntiamus & declaramus ad quæcumque officia vel beneficia in noſtra curia Ambianenſi obtinenda, & ut tam nos quam prædeceſſores noſtri reputemus per clericos ſic lamentabiliter interfectos illud verbum terribile: *Vindica ſanguinem noſtrum, Domine*, noſtris auribus continue intonari.

De divinis officiis & aliis ad ea pertinentibus.

CAPUT IV.

1. Præcipimus quod in ſingulis eccleſiis noſtri epiſcopatus omni die ad veſperas & nocturnos de beato Johanne-Baptiſta, & de ſancto in cujus nomine principaliter eccleſia, in qua divinum officium dicitur, conſtructa eſt, fiat commemoratio ſpecialiter, & eorum feſta ſolemniter celebrentur.

2. Omnibus ſacerdotibus præcipimus, ne filiis illegitimis ſibi ad altare miniſtrantibus

divina officia celebrare præſumant : inſuper omnibus curam gerentibus præcipimus, ne horas canonicas vel aliud quodque eccleſiaſticum officium ſine ſuperpelliceo in eccleſiis dicere vel celebrare præſumant.

3. Statuimus & ordinamus, ne aliqua mulier, cujuſcumque ſtatus ſit, dum miſſarum ſolemnia celebrantur, in cancellis prope altare ſedere præſumat; quod ſi monita deſiſtere noluerit, ad eccleſiaſtica ſacramenta nullatenus admittatur.

4. Jubemus omnibus religioſis & ſæcularibus curas & populos regentibus noſtræ diœceſis, ut libros eccleſiaſticos habeant, ut eum modum & ritum in adminiſtrandis ſacramentis eccleſiaſticis, necnon in diurnis & divinis officiis teneant & obſervent, quem tenet & obſervat noſtra eccleſia Ambianenſis. Decens quoque eſt, ut hiſtoriæ ſeu legendæ illorum ſanctorum, quorum corpora in noſtra diœceſi requieſcunt, in unaquaque noſtræ diœceſis cura habeantur : illud tamen diſtricte præcipimus, ut quælibet eccleſia in qua corpus alicujus ſancti requieſcere dicitur, illius hiſtoriam habeat ſeu legendam.

5. Diſtricte præcipimus, ne quiſquam ſacerdotum noſtræ diœceſis, miſſam celebraturus audeat ſibi amictum imponere, niſi primo legitima camiſia aut illa deſinente ſuperpelliceo ſit indutus. Sed nec in officio divino aliquis utatur ſuperpelliceo ſeu camiſia, quibus ſecundum profeſſionem ſuam in quotidiano uſu utitur & communi. Nullus etiam aliquo ſacro indumento prætermiſſo celebrare præſumat.

6. Nullus ſacerdos ſecundo nubentes benedicere præſumat, ſive vir tranſeat ad ſecundas nuptias ſive mulier; hoc enim non eſt iterabile ſacramentum. Si tamen vir vel uxor qui in primis nuptiis benedictionem non receperint, ad ſecundas nuptias tranſierint & contraxerint cum illis, qui alias benedicti non fuerint, jus prohibet tales nuptias benedici; licet autem conjuges qui benedictionem receperint ſe carnaliter non cognoverint, alter eorum ad ſecunda vota tranſierit, benedici non debet.

7. In eccleſia conſecrata, ſanguinis vel ſeminis effuſione, aut incendio, vel violentia polluta, priuſquam per nos fuerit reconciliata, prohibemus divina celebrari myſteria. Sed & ſi in cimeterio conſecrato hæc contingant, vel ſi excommunicatus, vel ſi infidelis ibi ſepultus ſit, tunc tamen ante reconciliationem per nos factam, nullus in cimiterio ſepeliatur. Eamdem adhuc ſi etiam pollui prædictis modis contingat, nec in capellis aut cimiteriis eidem contiguis celebrari poterit, vel etiam ſepelire; ſecus autem, ſi ei contigua non exiſtant. Porro ſi cimiterium eccleſiæ contiguum pollui contingat, non ob hoc eccleſia cenſebitur etiam polluta.

8. Preſbyteris & clericis præcipimus maximum honorem deferre eccleſiaſticis ſacramentis, & ut hoc faciant laici ſæpius exhortentur ipſos, & maxime ſacratiſſimo corpori Domini noſtri Jesu Christi. Quicumque viderint illud deferri, illud adorent quouſque tranſierit, & honorent quantum potuerint, quia omnibus qui preſbyterum deferentem corpus Domini ad infirmos aſſociabunt, maxime de nocte cum luminari decenti eundo & redeundo, decem dies ex injunctis ſibi pœnis miſericorditer relaxamus.

9. Altaribus etiam ſacris honor & reverentia debita exhibeatur. Linteamina altaris & maxime corporalia ſæpe abluantur, ob reverentiam & præſentiam Salvatoris noſtri Jesu Christi, & totius curiæ cæleſtis, quæ cum eo præſens adeſt, quoties Domini myſteria in eccleſia celebrantur.

10. Panis ad celebrandum ultra duos vel tres menſes ad plus nullatenus cuſtodiatur, ſed ſemper de novo & recenti (ſi fieri poteſt) miniſtretur. Ultra octo dies ſub pœna canonica corpus Chriſti pro infirmis reſervatum non ſervetur, ſed poſt miſſam, ſcilicet poſt receptionem corporis & ſanguinis a preſbytero qui celebrat & ante ablutionem, corpus Chriſti pro infirmis reſervatum capiat & comedat reverenter, licet plures ſint hoſtiæ, & ſtatim tot hoſtias quas in miſſa conſecraverit, ſive plures reponat in pixide, & reportet ad ſacrarium ubi conſuetum eſt conſervari lumine præcedente, ibique includatur cum clave, quam nullus habeat niſi preſbyter, qui in eccleſia miniſtrat ſacramenta. Idemque ſit de clave ſuper qua ſanctum chriſma oleumque infirmorum reponuntur.

11. Caveant inſuper ſacerdotes & maxime curati, quod omnia vaſa & quæcumque ad divinum cultum ſpectantia munda teneant & decora, quantumque potuerint, ut a populo in majori devotione habeantur, & hoc fieri ſub pœna decem librarum ipſis præcipimus & mandamus.

12. Ubicumque deferatur corpus Chriſti, ſemper præcedat cereus ardens vel candela.

13. Nullus ſacerdos duas miſſas eodem die præſumat celebrare, niſi neceſſitate compulſus, & antequam celebret dicat matutinas de die & beatæ Mariæ cum prævia contritione ad minus, & ſemper, ſi fieri poteſt, contritus & confeſſus.

14. Semper clericus deſerviens altari dum divina celebrantur, induatur ſuperpelliceo, & tonſuram habeat clericalem.

15. Nullus ſacerdos tergat manus ſuas poſt ablutionem cum linteaminibus altaris vel cortinis, quia indecens eſt & abſurdum; ſed ſemper habeat duo vel plura manutergia circa altare ad tergendum & deſiccandum manus ſuas lotas, unum videlicet ante confeſſionem, & aliud poſt communionem, quæ qualibet ſeptimana fiant munda.

16. Statuimus ut nullus bis in die audeat celebrare missam cum duplici introitu, nisi in necessitate, videlicet quando habet succursum in quo sunt fontes & cimiterium; tunc diebus Dominicis & festivis solemnibus, pro infirmis, seu propter purificationem mulierum, aut propter nuptias, bis in die poterit celebrare; & si fuerit adeo pauper, quod non possit capellanum habere: vel nisi super hoc per nostras patentes litteras habeat potestatem, eo ipso noverit se suspensum, & si per octo dies suspensionem prædictam sustinuerit, pœna debita punietur.

17. Statuimus quod omnes illi qui habent succursus cum matribus ecclesiis, quorum redditus triginta librarum Parisiensium summam attingunt, capellanum secum habeant, qui ipsos in missarum celebratione & sacramentorum administratione juvent; & si curatus absens fuerit, loco sui vicarium alium ponere teneatur: ita ut alii pro capellano parochiæ & succursum deservient sicut debent, & qui contra fecerit, pœnam canonis non evadet.

18. Districte præcipimus omnibus decanis & presbyteris, ut omnes apostatas, & omnes vicevicarios qui bis in die celebrant, quos volumus & declaramus esse excommunicatos, a suis parochiis totaliter expellant, nec eos in iisdem plus sinant morari: quod si secus fecerint, nec id nobis nec officiali nostro detexerint, adeo acriter procedemus contra eos, quod pœna docente scient quantum crimen sit suo ordinario minime obedire.

19. Tertiam missam nullatenus sub pœna suspensionis celebrare præsumat. Ne quis vero pro pecunia aut adulationibus magnatum una die celebrare plures missas præsumat, quod non necessitatem, sed ambitionem reputamus, sub interminatione divini judicii, nisi in die natalis Domini vel die Paschæ, prohibemus, & qui contra fecerit, eo ipso sit suspensus.

20. In sacramento altaris diligenter attendat sacerdos, quod plus apponat in calicem de vino quam de aqua; & si aquam omiserit, si fieri potest sine scandalo, cum adverterit, in calice aquam ponat. Si forte peracto canone & consecratione peracta, nec aquam nec vinum reposuerit in calice, statim apponat utrumque & hostia consecrata seorsim reverenter conservetur: hostia autem nova, sicut fieri solet, cum calice consecretur, & in perceptione & communione prima & secunda sumatur, nisi pro necessitate altera servetur.

De pœnitentia, matrimonio, ordine, chrismate, & aliis sacramentis.

CAPUT V.

1. Præcipimus ut rectores & curati statim audita morte alicujus sui parochiani, vel suæ parochianæ, absolvant animam illius cum psalmo *De profundis*, *Kyrie eleyson*, & *Pater noster*, & vers. *A porta inferi*, & cum oratione *Inclina Domine aurem tuam*, vel alia competenti.

2. Nullus sacerdos, cui a nobis cura animarum commissa non fuerit, parochianum alterius ad confessionem admittat absque nostra licentia & assensu, nisi forte parochiali sacerdote in ægritudine constituto, seu ad confessionem audiendam parochianorum sacerdos sufficere non possit: in quibus casibus concedimus, quod hoc possit de parochi licentia, & etiam in gravis articulo necessitatis.

3. Quamvis omnes fideles in tribus anni temporibus, videlicet in Natali, in Pascha, & in Pentecoste ad communionem corporis & sanguinis Domini sint monendi, præcipimus ut clerici saltem bis, laïci vero semel in anno capellano seu rectori in cujus parochia degunt, vel alicui de ejus licentia sua confiteantur peccata, & saltem in paschate eucharistiam recipiant, nisi de licentia sui abstinuerint confessoris: alioquin a rectoribus & capellanis ita viventes ab ingressu ecclesiæ & sacramentis ecclesiasticis excludantur, & morientibus ecclesiastica sepultura denegetur. Insuper in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus rectoribus & capellanis curas regentibus, ut clericos & laïcos qui præmissa facere non curaverint, sed in hoc peccato pertinacius perstiterint, nobis vel officiali nostro notificent, & eorum nomina in scriptis assignent, & ex hoc canonice puniantur. Ut autem in hoc cautius procedere possint, præcipimus ut nomina omnium qui eis peccata sua confessi non fuerint singulis annis scribant.

4. Quoniam circa majora peccatum vertitur, idcirco circa ea cautius est agendum. Interdicimus ergo, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus rectoribus & curatis, & quibuscumque aliis nostræ diœcesis confessiones audientibus, ne de casibus episcopalibus & jure vel consuetudine ad nos pertinentibus se quomodolibet intromittant, sed ad nos & pœnitentiarium nostrum illos remittere fideliter curent. Ne autem aliquis prætextu ignorantiæ se in talibus valeat excusare, aliquos ex illis hic duximus exponendos.

Primo quidem mittendi ad episcopum commutationem votorum postulantes & votorum postulatores, ac post votum castitatis retrahentes.

2°. Contrahens matrimonium primâ vivente uxore, & continens, & religionem intrans & sacrum ordinem suscipiens invita uxore propria, post carnalem copulam subsequutam.

3°. Confessus se credidisse hæreticam pra-

vitatem, & ſe hæreticos receptaſſe, & cum eis participaſſe & eis faviſſe.

4°. Simoniacus quocumque genere ſimoniæ præterquam mentalis.

5°. Ab epiſcopo alieno ſine epiſcopi proprii licentia ordinatus vel tonſuratus.

6°. Homicidium committens facto, præcepto, conſilio, conſenſu, exhortatione, & quolibet alio modo.

7°. Concipiens filium a non viro, quem vir credens filium ſuum nutrit, & in præjudicium ſuorum ſibi hæredem inſtituit, vel inſtituere intendit.

8°. Vir qui mortem conjugis, & uxor quæ mortem viri efficaciter machinantur.

9°. Preſbyter celebrans ſcienter in eccleſia vel parochia interdicta, & ſecundas nuptias benedicens.

10°. Clericus vel laïcus ſcienter aliquod corpus excommunicati vel a tempore interdicti non excommunicati in cimiterio ſepeliens.

11°. Excommunicatus a canone in illis caſibus in quibus epiſcopus abſolvere poteſt, & etiam irregularis in illis caſibus in quibus epiſcopus diſpenſare poteſt.

12°. Matrimonium clandeſtinum contrahens, & omnis qui ſcienter interfuerit ſecundum antiqua ſtatuta eccleſiæ Ambianenſis, excommunicationis vinculo ſunt ligati.

13°. Falſarius litterarum apoſtolicarum ſive epiſcopalium ſive officialium ſeu publicorum inſtrumentorum.

14°. Sacerdos ſcienter celebrans in altari non conſecrato, vel ſine ſacris indumentis celebrans, etiam non jejunus, etiam non ordinatus in preſbyterum miſſam celebrans, & non ordinatus in diaconum ſolemniter & publice in eccleſia evangelium legens, & non ordinatus in ſubdiaconum ſolemniter cum indumentis ſubdiaconorum epiſtolam in miſſarum ſolemniis legens.

15°. Clericus jurans tactis ſacroſanctis evangeliis, & perjurans, & quicumque dubitat utrum aliquod juramentum ſit ſervans vel non.

16°. Ubicumque eſt ſolemni pœnitentia injungenda, non dicimus hoc de publica.

17°. Incendiatores, & confractores eccleſiarum, domorum, frugum & meſſium, & nocturni depopulatores agrorum, & famoſi latrones, qui in itineribus inſidiantur.

18°. Per ſaltum, aliquo ordine prætermiſſo, vel etiam furtive & contra prohibitionem promotus, & rebaptizatus, ut reordinatus & reconfirmatus.

19°. Excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus miſſam ſcienter celebrans vel officium ſuum ſolemniter ſicut prius agens, & qui excommunicatus vel interdictus ordinem vel beneficium ſuſcepit.

20°. Defloratur virginis vi oppreſſæ, vi raptæ.

21°. Opprimens ſive perimens prolem ſuam ſtudioſe vel negligenter ante partum vel poſt.

22°. Coiens cum moniali ſacrata vel non, virgine vel non.

23. Quomodolibet abutentes chriſmate, vel hoſtia, vel re ſacra.

24°. Rapinam vel ſacrilegium in eccleſia committens.

25°. Scienter baptiſans proprium filium, vel etiam filium uxoris ſuæ, ab alio viro vel criminoſo, præterquam in articulo neceſſitatis & tunc aliis deficientibus; & etiam eum tenens in cathechiſmo vel confirmatione, ſecundum quod in tertia inſtructione, ubi de matrimonio agitur, ſunt præmiſſa.

26°. In eccleſia maxime conſecrata luxuriam committens, & humanum ſemen quoquo modo ſibi emittens.

27°. Scienter coiens cum Judæa vel Saracena vel pagana, vel e contrario.

28°. Verberans patrem, vel matrem, vel eis enormes injurias irrogans.

29°. Sortilegi, divini, malefici, incantatores, augures, dæmones pro quacumque cauſa invocantes per ſodomiam vel ſimilia facientes aruſpices.

30°. Contrahentes matrimonium poſt ſponſalia cum aliis juramento interpoſito contracta, illis per eccleſiam non diſſolutis.

31 Violatores eccleſiæ vel cimiterii.

32 Committens vel commiſcens cum brutis.

33 Inceſtum committens cum quibuſlibet conſanguineis vel affinibus.

34 Sacerdotes vel miniſtri quorum culpa vel negligentia aliquid inhoneſtum circa ſacramentum altaris evenerit.

35 Cognoſcens conſanguineam uxoris ſuæ ſive ſponſæ, & cognitam a conſanguineo ſponſæ ſuæ ante contractum matrimonium & conſummationem & ſponſalia, ſive poſt.

36 Procurans quocumque modo ſive in ſeipſo ſive in alio ſterilitatem.

37 Blaſphemans publice Dominum; vel matrem ejus, vel ſanctos, vel falſum teſtimonium proferens; & laicus tranſgreſſor juramenti, cum tamen poſt tranſgreſſionem ſatisfecit de eo quod juraverit facere vel privare.

38 Sacerdos coiens cum ea quam baptizavit, vel cujus confeſſionem audivit, & etiam quilibet coiens cum ea quæ qualibet ſpirituali affinitate eſt ſibi conjuncta.

39 Contrahens matrimonium cum ea quam cognovit per adulterium, ſuperſtite legitima uxore, vel e contrario, ſecundum ea quæ inter inſtructiones, ubi de matrimonio agitur, ſunt præcepta.

40 Mulier cujus vir diu abfuit, & de illius morte certitudo non habetur, contra prohibitionem eccleſiæ matrimonium cum alio contrahens; idem eſt e contra.

6 Generaliter autem peccatores ad nos mittendi sunt pro quolibet enormi crimine parochiam scandalizando, & ubicumque difficultas & ambiguitas inciderit propter imperitiam confessoris vel propter casus etiam novitatem ; & etiam quandocumque contigerit casus aliquis in quo de jure vel de consuetudine nostræ diœcesis ad nos mittendi sunt, ut per nos si fieri potuerit, expediantur vel ad sedem apostolicam transmittantur.

7 Inferiores autem mutandi vel mitigandi seu interpretandi pœnitentias a nobis injunctas sibi omnino noverint licentiam interdictam.

8 Ceterum si committens aliquod e præmissis a confessore monitus & inductus nihilominus ad nos pro pœnitentia venire noluerit, si ejus peccatum occultum fuerit, quam citius commode poterit confessor super hoc consilium nostrum exposcat ; si vero manifestum fuerit, ad nos precise venire cogatur, nisi forte adeo senex vel corpore debilis sit, ut venire non possit ; & tunc id ipsum sacerdos nobis significari procuret, aut nisi sit in mortis articulo constitutus. Porro is cui generaliter vices nostras commisimus vel in posterum committemus quoad pœnitentias injungendas, nullam habet de jure in præmissis specialibus casibus potestatem, talia enim mandato non committuntur generali. Nos tamen animarum salutem prout est procurare cupientes, in & super expressis casibus eam quæ nobis competit sibi specialiter committimus potestatem, præter quam in primis viginti casibus supradictis ; sed in aliis suprascriptis casibus si circumstantiæ eos graves valde difficiles & enormes reddiderint, illos ad nos remittere teneantur, quoniam etiam casus de jure ad sedem apostolicam pertinentes sibi specialiter denegamus.

9 Inhibemus sacerdotibus & rectoribus ne matrimonia inter aliquos qui non sunt ætate nubiles sive ambo, sive alter tantum deficiat in ætate, vel etiam ubi dubitatur utrum matrimonium teneat annon, vel si de hoc mota fuerit dubitatio, solemnisare in ecclesia præsumant sine nostra vel officialis nostri licentia speciali.

10 Denuntiamus & declaramus quod quicumque clandestina matrimonia contra juris prohibitionem etiam in casu licito per verba contrahunt de præsenti, tam ipsi contrahentes quam etiam omnes laici & clerici ac religiosi qui presbyteri non sunt, qui scienter & sponte non casu fortuito tali matrimonio interfuerint, præsentis constitutionis auctoritate excommunicantur ; præsbyteri vero suspensionis per triennium incurrunt sententiam ipso facto. Inhibemus igitur & inhibitum esse declaramus ne matrimonia clandestine contrahantur ; sed si contrahenda fuerint, sacerdotes publice, ter scilicet per tres dies Dominicos vel festivos proponant in ecclesiis competenti termino præfinito, ut infra terminum qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum opponat, & ipsi sacerdotes nihilominus per se ipsos fideliter & diligenter investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Quod si apparuerit, vel ecclesia de ipso probabilem habuerit conjecturam, contractus matrimonii interdicatur expresse, donec quod super hoc fieri debet declaretur. Sacerdos vero qui tales conjunctiones inhibere contemserit, quilibet regularium qui eis interesse præsumserint, per triennium ab officio suspendatur, gravius nihilominus puniendus, prout culpæ ipsius qualitas posturabit, sed & illius qui talem copulam præsumserit ecclesia eos tamquam publicos concubinatores reputabit : verumtamen si clandestine contrahentes, postea in facie ecclesiæ voluerint publice, ab ecclesia recipiendi erunt, & approbanda tamquam a principiis in conspectu ecclesiæ contracta, nisi vel consanguinitas vel legitimum impedimentum appareat, ita videlicet quod publice coram sacerdote & aliis pluribus personis confiteantur se matrimonium contraxisse, vel de novo matrimonium in ecclesia contrahant & de præsenti. Quod si postulaverint detur benedictio nuptialis, injuncta eis prius per sacerdotem pœnitentia competenti, pro eo quod clandestine contraxerint.

11 Nullus autem sacerdos ignotas personas de remotis partibus venientes matrimonialiter copulare præsumat, sive ambo ignotæ fuerint, sive altera illarum tantum ; nec etiam matrimonium faciendum denuntient in ecclesia absque nostra vel officialis nostri licentia speciali ; sed nec sacerdotum aliquis alienum parochianum ad matrimonium contrahendum recipiat, ignoto proprio sacerdote. Si vero sponsus & sponsa de diversis parochiis fuerint, matrimonium poterunt contrahere, & benedictionem nuptialem recipere in quacumque maluerint ecclesia, dum tamen veras litteras vel tutos nuntios suorum presbyterorum ostendant, exponentes quod in ecclesiis (quarum sunt parochiani) matrimonium de ipsis nuntiatum legitime fuerit contrahendum, quodque ipsi presbyteri nullum sciant vel audierint impedimentum quominus inter dictos contrahentes matrimonium possit esse. Licet autem aliqui transtulerint domicilium suum in alienam parochiam, nihilominus tamen denuntiatio matrimonii contrahendi fiet in prima ecclesia, in cujus parochia dicti morati sunt, & etiam in illa in qua transtulerint domicilium suum & morantur, præcipue si noviter transtulerint. Eis autem qui recepta fide sponsalium matrimonium cum alia contrahunt, non detur benedictio nuptialis, prout inter instructiones, ubi de matrimo-

nio agitur est præmissum.

12 Statuimus atque præcipimus quod pro beneficiis ecclesiasticis, seu ordinibus obtinendis, vel pro justitia reddenda, aliquid ex pacto non detur, alioquin dans seu solvens quod dedit & tantumdem de suo proprio perdat, recipiens vero illud quod recepit, & tantumdem de suo proprio perdat, ac tantumdem a die solutionis & receptionis infra mensem dare, solvere & restituere teneatur, alioquin præsentis constitutionis auctoritate excommunicationis sententiam post lapsum ejusdem mensis se noverit incursurum.

13 Præcipimus ut nullus illegitime natus ad primam tonsuram vel quoslibet ecclesiasticos ordines vel ecclesiastica beneficia se ingerat seu præsentet, vel præsentare faciat, absque legitima dispensatione: qui vero contrarium fecerit, & qui talem scienter præsentaverit, præter pœnam juris ipsum excommunicationis vinculo innodamus. Illegitimi quoque beneficia ecclesiastica absque sufficienti dispensatione obtinentes, ipso facto, ipsis beneficiis noverint se privatos.

14 Rectoribus ecclesiarum seu capellaniarum præcipimus, ut nuntios idoneos, clericos videlicet, mittant ante pascha ad ecclesiam cathedralem, ad chrisma & sanctum oleum deferendum, qui cum debita reverentia illa deferant & custodiant, ne sinistra manus illa contingere possit; nec unus nuntius nisi pro tribus aut quatuor ecclesiis ad plus deferat, sed nec unus rector ab altero recipiat novum chrisma prius, antequam novum recipiant. Vetus super fontes infundant & ampullas seu vascula olei & chrismatis super eosdem fontes abluant diligenter. Si autem contigerit oleum vel chrisma alicui deferri, statim ad archipresbyterum vel ad vicinas ecclesias mittant, & si ab eis habere non potuerint, vel absque periculo exspectare; si aliquid residui fuerit, admisceatur illi residuo chrismatis vel olei aliud oleum non consecratum, & ex eis faciat quod incumbit, quoniam sacrum trahit ad se non sacrum.

15 Illud quoque districte præcipimus omnibus sacerdotibus, ut eucharistiam, fontes, chrisma, & sanctum oleum fideliter diligenter & devote custodiant, ea sub fidis clavibus collocantes, ne manus nefaria ad ea possit extendi: qui vero incaute in loco clavibus non firmato, & diligenter & firmiter non custodito, ea reliquerit, tribus mensibus debet ab officio suspendi: & si per ejus incuriam & negligentiam mus vel aliud animal illud comederit, ultra prædictos tres menses XL. diebus pœniteat arbitrio confessoris. Si vero aliqua enormia seu nefaria inde fieri contigerit, graviori subjaceat ultioni; de quo inter institutiones ubi de eucharistia agitur, est præmissum.

16 Prohibemus ne aliquis nostræ diœcesis ab alieno episcopo se permittat vel faciat sine nostra licentia tonsurari in clericum vel ordinari: alioquin suscepti ordinis executione carebit; ad quam nequaquam restituetur, nisi peracta congrua pœnitentia de transgressione hujus & contemtu.

De excommunicatione & interdictione.

Caput VI.

1 Statuimus quod si clerici vel laici fuerint excommunicati vel interdicti, & eorum occasione sive culpa ecclesia fuerit interdicta, vel a divinis in ea cessatum, nequaquam absolvantur, donec ecclesiæ super damno, quod ex hoc passa est, fuerit satisfactum. Illud etiam statuimus, ut quicumque clericus vel laicus publice excommunicatus vel nominatim interdictus, jubente capellano vel ejus vicario de ecclesia dum divina aguntur officia, monitus exire noluerit, interdictus, & ipso facto sit excommunicatus: excommunicatus vero ex alia excommunicationis sententia præsentis constitutionis auctoritate noverit se ligari; & insuper sacerdos officium dimittat, nisi jam canonem incœperit, quia tunc debet perficere officium jam incœptum: verum alii omnes exire debent ecclesiam, præter ipsum presbyterum celebrantem & unum vel duos clericos, qui eidem presbytero deserviant. Illud autem sciendum est, quod sicut non licet excommunicato intra ecclesiam audire divina, sic nec extra illam, puta extra fores patentes. Canone autem completo & corpore & sanguine Domini sumtis, non est in missa excommunicato præsente ulterius procedendum; sed si ecclesia temporalem jurisdictionem in illo loco habeat, potest illum expellere violenter: vel si non habet, potest etiam requirere dominum temporalem, qui illum expellat. Et talis excommunicatus propter talem rebellionem & contumaciam debet iterum excommunicari. Si autem occultum est, illum qui est intra ecclesiam, esse majori excommunicatione ligatum, & ibi aliquis sciens secrete illum esse excommunicatum, monendus est ab illo secrete, ut exeat; qui si exire noluerit, monens exeat caute de ecclesia, ita quod alii ignorantes illum esse excommunicatum, hoc perpendere non possint. Tum enim ipse occulte illum vitare debet, ut saltem verecundiæ rubore confusus, pro latenti excessu satisfacere compellatur. In publico vitare illum non debet, ne per hoc illius occulta excommunicatio aliis nota fit vel fiat. Idemque dicendum est, si solus sacerdos pro certo sciat aliquem majori excommunicatione esse ligatum. Nec enim debet illum publice nec manifeste in ecclesia vel extra vitare, nisi hoc possit per testes vel alio modo legitime comprobare, tunc enim potest & debet eum vitare publice, si clericus non sit, excommunicatione

nicatione per ecclesiam publicata. Sed si sacerdos non possit hoc legitime probare, quia forte ipse solus vel cum uno tantum socio vidit, vel ille in secreto hoc sibi dixit, debet monere secrete : ita quod a nemine cognoscatur, sed ea fiant quæ inter instructiones ubi de pœnitentia agitur sunt ad præmissa. Sed & si dicatur sacerdoti in ecclesia vel extra, quod aliquis parochianus suus sit excommunicatus, quia percussit clericum vel alia de causa, licet hoc plures asserant, non tamen debet eum in ecclesia vel extra vitare ; sed & quamvis aliqui probare velint coram sacerdote talem excommunicatum esse, ipse tamen non habet potestatem sua auctoritate probationes recipiendi. Excommunicatos autem & interdictos nominatim per totam nostram diœcesim ab omnibus regularibus & sæcularibus, exemtis & non exemtis, præcipimus in divinis officiis & sacramentis ecclesiasticis evitari, quia nulli possunt in hoc apostolico privilegio se tueri. Qui vero contra fecerint, vel tales ad ecclesiasticam sepulturam receperint, aut celebrare in ecclesia interdicta præsumserint, ecclesiæ in quibus talia fiunt subjaceant interdicto, salvis templariorum & hospitalariorum privilegiis, quibus a sede apostolica est indultum, ut semel in anno ad ecclesiasticum officium admittantur in ecclesiis interdictis, ita tamen quod tunc non sepeliantur ibi corpora defunctorum. Qui vero interdicti, vel in ecclesiis interdictis scienter divina officia celebrare præsumserint ; irregularitatem incurrant, etiamsi sint religiosi quicumque exemti, & insuper suis beneficiis sint privandi.

2 Cum vero civitas, castrum vel villa interdicta est, omnibus parochianis illius loci negantur ibi omnia sacramenta ecclesiastica præter baptisma parvulorum & pœnitentiam morientium, & corporum sepulturam : & ideo permissum est ecclesiarum ministris tempore talis interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, semel in hebdomada missam celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod non debet decedentibus in pœnitentia denegari. recipientibus etiam signum crucis & aliis peregrinis non est tempore talis interdicti pœnitentia (cum eam postulaverint) deneganda. Clerici etiam decedentes cum interdictum perseveraverit, sine campanarum pulsatione, & cessantibus omnibus solemnitatibus tempore talis interdicti, in cimiterio ecclesiæ cum silentio tumulentur. In conventualibus quoque ecclesiis tempore talis interdicti, duo vel tres simul valeant horas canonicas potius legere, quam cantare, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita depressa, quod excommunicati exterius audire non possint. Sane clerici qui causam non præstiterint interdicto alicujus loci, dominum vel hominem ejusdem loci interdicti, si ad alia loca interdicta venerint, vel se transtulerint, licite possunt vel divina officia audire, & etiam celebrare. Cum autem a nobis vel a curia nostra aliqua ecclesia nostræ diœcesis ob culpam seu defectum parochi seu rectoris, seu capellani ejusdem ecclesiæ supposita fuerit interdicto, volumus & concedimus de gratia speciali, ut tunc nihilominus conferantur ibidem omnibus parochianis ejusdem ecclesiæ omnia ecclesiastica sacramenta, per alios sacerdotes tamen, licentia a nobis prius specialiter obtenta. Missam tamen vel alias horas canonicas, nullus omnino ibi aut in parochia ipsa dicat, & si forte tunc aliquis parochianus decesserit, sine campanarum pulsatione, & cessantibus aliis solemnitatibus quæ fiunt intra ecclesiam in exequiis mortuorum, admittatur infra ecclesiam, & postmodum in cimiterio tumulotur ; & hoc per alios, ut diximus, sacerdotes. Nam priorem, rectorem & capellanum præfatos omnino abstinere præcipimus a præmissis, & generaliter ab executione sui officii in ecclesia & parochia ipsa. Parochiani etiam ecclesiæ a nobis expressa causa interdictæ, accedentes ad alias ecclesias non interdictas, possunt ibi de nostra premissione audire divina : Si vero propter causam domini temporalis aliqua ecclesia fuerit interdicta, consulimus ut populus alibi divina audiat, ipsi tamen domino specialiter prohibemus. Quod si ob culpam ipsius populi seu aliquorum de populo fuerit interdicta, expresse interdicimus, ne alibi divina officia celebrare præsumant.

3. Licet periculosum sit excommunicatum communioni se jungere fidelium, ac melius sit omnia mala pati, quam malo consentire participando cum ipsis ; ad nostrum pervenit auditum fide dignorum relatu, quod nonnulli excommunicationis sententia innodati, in eadem nedum per annum, sed per plures annos remanere damnabiliter non formidant, suæ temeritatis audaciam assumentes ex eo quod passim admittantur excommunicati ad divina, nec sibi participatio sacramentorum seu communio fidelium aliquatenus denegatur, non denunciantur excommunicati, ut deberent, diebus dominicis & festivis, nec ipsorum nomina rediguntur in scriptis : unde jam quasi ad hoc deventum est, quod de excommunicationis sententia non curatur, & inter excommunicatos & non excommunicatos nulla differentia habetur. Volentes igitur morbo tam pestifero convenientem adhibere medelam, curatis & rectoribus ecclesiarum parrochialium nostræ diœcesis districte præcipimus & mandamus, quatenus nomina excommunicatorum & cujuslibet excommunicati, & causam excommunicationis, & annum, & diem, & ejus ad cujus instantiam excommunica-

tus est, dum mandata super hujus monitionis sententia receperint, in uno libro per modum regiſtri, & per menſes in ſcriptis redigant ſigillatim & diſtricte, ac eoſdem denuntient ſive deferant quocumque, palam & publice, alta voce & intelligibili, diebus dominicis & feſtivis, eoſdem ad divina aliquatenus non admittant; ſed ſi eccleſiam intraverint, eoſdem mandent & præcipiant exire. quod ſi facere recuſaverint, fiat ut in conſtitutione immediate præcedenti eſt expreſſum. Et nihilominus ſi tales excommunicati aliqua publice officia obtinuerint, moneantur ſuperiores & domini eorum, ut ipſos ab iiſdem officiis amoveant, excommunicatione ejuſmodi durante. Quod ſi facere recuſarent, procedatur contra eos ſecundum canonicas ſanctiones. Et quia morbus nimius (quod dolentes referimus) in noſtra diœceſi incœpit apparere, firmiter inhibemus, ne capitula collegiata, vel conventus, ex quo ſibi conſtiterit prælatos ſuos excommunicatos, aliquatenus obediant, fermariique, coloni, ſubditi, vel debitores ſibi aliquid non perſolvant, nec cum ipſis participent; ſed eoſdem evitent in omnibus, ut tenentur. Adminiſtratoreſque dignitatis, officii vel beneficii in ſpiritualibus & temporalibus ad illum ad quem, beneficio vacante, ſpectaret, ſtatuimus & declaramus pertinere, ac ſibi, excommunicatione ejuſmodi durante, de fructibus & redditibus eccleſiæ vel monaſterii hujuſmodi reſponderi, reddique & perſolvi, & tam ipſos, quam quoſcumque alios beneficiatos, ſi per annum in excommunicatione ſteterint, poſtquam fuerint excommunicati, ac ſibi, ejuſmodi excommunicatione durante, de fructibus, redditibus eccleſiæ, vel monaſterii hujuſmodi reſponderi, publice denunciari volumus, & declaramus ſuis beneficiis, officiis, & adminiſtrationibus privari. Si vero per biennium in ejuſmodi ſententia perſtiterint animo indurato, declaramus ipſos dictis beneficiis, officiis & adminiſtrationibus ipſo jure privatos, fructuſque beneficiorum hujuſmodi percipiendo, contrectare alienum, & furtum & rapinam; clericos quoque non beneficiatos extra annum in excommunicatione perſiſtentes (ut eſt dictum) decrevimus per annum integrum inhabiles; & ſi per biennium, perpetuo ad beneficia eccleſiaſtica obtinenda. Laïci vero ſi per annum unum in excommunicatione ſteterint, tamdiu etiam ſepultura eccleſiaſtica ſint privati: nihilominus lapſo primo anno, citentur ſuper articulis fidei reſponſuri, & contra ipſos contumaces, ceſſante gratia, procedatur ſecundum canonicas ſanctiones.

4. Præcipimus rectoribus & capellanis eccleſiarum omnibus ſub pœna excommunicationis, quam nos & officialis noſter, vel alius auctoritate noſtra mandamus confirmari, & mandabimus in futurum, poſtpoſitis odio, gratia vel timore fidelium obſervent, & quantum in eis fuerit, ab aliis faciant obſervari. Si quis autem ex capellanis ſeu rectoribus a nobis ſeu officiali noſtro mandatum receperit, quod excommunicet vel interdicat; ante omnia moneat ipſum, teſtibus adhibitis, & lecto ſibi mandato quod receperit, primo, ſecundo & tertio per legitima intervalla, & quarto ad malitiam convincendam, ut ſatisfaciat de eo pro quo excommunicatus vel interdictus mandatur. Quod ſi ille facere noluerit, ipſum excommunicet vel interdicat ſub his verbis: *Cum ego tale mandatum a tali receperim, ut talem per excommunicationis vel interdicti ſententias compellam ad faciendum tale*, quod ſub hac forma ponitur tota forma mandati. *Et cum legitime ſuper hoc monuerim, ipſe vero obedire contemſerit facere quod mandatur, idcirco volens, ut teneor, obedire, ipſum auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium ſanctorum, & mandati præmiſſi, exigente ipſius contumacia, ipſum excommunico in hujuſmodi ſcriptis*, vel *ſuppono eccleſiaſtico interdicto*, vel *ei ingreſſum eccleſiæ interdici, tamdiu excommunicatum vel interdictum denuncio, donec fecerit quod mandatur.* Hanc autem ſententiam ſcriptam legendam proferat & promulget. qua ſententia recitata, ſcribatur ſic: *Lata fuit hæc ſententia in tali loco, coram tali populo*, & quo *menſe & die, talibus præſentibus ad hoc ſpecialiter vocatis & rogatis.* Si autem in genere velit ſententias ipſas ferre, ita dicet. *Cum ego Petrus rector vel capellanus talis eccleſiæ, monuerim generaliter in tali eccleſia primo & ſecundo & tertio, & etiam quarto ad malitiam cognoſcendam, & ut quicumque fecerit talem injuriam, vel ignem appoſuerit, vel tale furtum fecerit, ſatisfaceret infra talem diem jam elapſum, & nullus ſatisfacere curaverit; ideo eum vel eos qui talia fecerunt, in his ſcriptis excommunico, vel ſuppono eccleſiaſtico interdicto.* Et talem proferens in quemcumque ſententiam, tenetur exemplum hujus ſententiæ excommunicato vel interdicto infra menſem poſt diem latæ ſententiæ, tradere requiſitus: ſuper quam requiſitionem fieri debet publicum inſtrumentum, vel litteræ teſtimoniales, ſigillo authentico ſigillatæ ſive conſignatæ. Qui vero aliter quam præmiſſum eſt, ſententias excommunicationis vel interdicti tulerit, graves pœnas in jure ſcriptas incurrit. Nullus ergo nimium ad ferendum tales ſententias feſtinet, ſed ſemper coram teſtibus monitio trina præcedat in ſcriptis, & proferantur cauſæ propter quas feruntur, & expreſſe in eis conſcribantur; & de ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, & de abſolutione a majori vel minori excommunicatione, vel etiam ab anathemate inter inſtructiones, ubi de animarum regimine agitur, plenius eſt expreſſum. Si vero manda-

tum receperit, ut aliquem excommunicatum vel interdictum denunciet, tunc nulla monitio necessaria est, sed utatur his verbis: *Ego talis, auctoritate & mandato talis, denuntio talem excommunicatum vel interdictum.* Ceterum si ab aliquo delegato, vel subdelegato, vel consignatore mandatum simile receperit, vel quod aliquem citet, vel simile: si ille sic delegatus a papa, vel ejus legato, auctoritatem viderit, obediat & observet formam prædictam. Si vero non viderit, non obediat; sed curiam nostram consulat, idemque faciat, si ex causis probabilibus de illius jurisdictione dubitat. Si vero sit subdelegatus a subdelegato, vel etiam a delegato legati, non obediat. Nullus autem rector seu curatus sententiam excommunicationis vel suspensionis in quemquam sua auctoritate proferre præsumat.

5. Illud autem statuimus, quod is cui a nobis vel a curia nostra litteratorie mandatur, ut aliquem excommunicarum vel interdictum debeat nunciare, nisi littera ipsa infra octo dies a data ipsius litteræ computandos sibi præsentata fuerit, ad executionem mandati hujusmodi minime teneatur. Si vero in mandato recepit, ut aliquem vel aliquos ad certum diem citet, non aliter teneatur exequi, quam mandatur, nisi saltem per quatuor dies ante diem qua ille comparere jubetur, littera ipsa sibi extiterit præsentata, die ipsa in ipsis quatuor diebus minime computata. Is autem qui ejusmodi denunciatorias vel citatorias litteras præsentabit, nomina citandorum vel denunciandorum, & diem qua comparere tenentur, & ad cujus instantiam sunt citati vel denunciati, capellano seu rectori scripta tradere studeat, priusquam ab eo litteram receperit sigillatam. Ut autem in talibus cautius agatur, præcipimus quod omnes rectores & curati propria sigilla habeant, quibus sigillent litteras nostras vel officialis nostri, per quas eis aliquid demandatur in signum recepti & executi mandati. Citationes autem sine difficultate & gratis facient & sigillabunt.

6. Illud etiam præcipimus, quod postquam aliquem de parochianis vestris a nobis, vel officiali nostro, vel a quolibet alio, pro alicujus querela, vel etiam a jure, vel per constitutiones nostras publice excommunicatum, interdictum vel suspensum monueritis, illum non recipiatis postmodum ad divina, nec ad ecclesiastica sacramenta, quantumcumque satisfecerit conquerenti, seu de eo propter quod excommunicationem, interdictum vel suspensionem incurrerit, donec vobis constiterit per nostras vel officialis nostri litteras ipsum fuisse secundum formam ecclesiæ ab his sententiis absolutum. ad hæc quamvis aliqui nostra vel curiæ nostræ auctoritate excommunicati vel interdicti, in mortis articulo constituti, per nos vel per alium sacerdotem absoluti seu reconciliati fuerint, prout inter instructiones ubi de animarum regimine agitur, dictum est, interdicimus omnibus sacerdotibus sub pœna suspensionis ab officio, quam contra facientes incurrere declaramus ipso facto, ne talium corpora absque nostra licentia vel officialis nostri inhumentur. Illi autem, in quibus signa pœnitentiæ apparuerint, sed viventes absoluti non fuerint, possunt juxta cimiterium sub terra sepeliri, & postmodum cum debebunt absolvi, exhumabuntur, & in cimiterio sepelientur. Si vero in eis nulla pœnitentiæ signa apparuerint, debent longe a cimiterio poni, & in arca lignea super terram, puta super murum, vel arborem patenter. Debent autem defuncti absolvi per eum, per quem si viverent essent absolvendi, & absolutio fiat cum psal. *Miserere mei Deus*, cum oratione dominica, & aliis quæ in vivorum absolutione solent dici, quæ diximus, ubi de animarum regimine agitur.

De diversis constitutionibus.

Caput VII.

1. Cum exactum ulterius exigi bona fides non patiatur, nullique fraus debeat patrocinari; statuimus & volumus, omnes illos qui retinent scienter contra voluntatem debitorum instrumenta ipsorum debitorum, de quibus plene satisfactum est, eos excommunicationis sententiam incurrere ipso facto.

2. Cum usurarum crimen utriusque testamenti ac juris pagina detestetur, præcipimus quod nullus omnino usuras aut aliquos contractus illicitos in fraudem usurarum simulatos in civitate & diœcesi Ambianensi exercere præsumat. Nos enim in quoslibet, qui post trinam monitionem capellanorum parochialium, seu rectorum præmissarum civitatis & diœcesis contra hoc facere attentaverint, excommunicationis sententiam promulgamus, a qua absolvi non possint, donec resipuerint & plene restituerint sic extorta, nec eorum oblationes in ecclesia recipiantur, nec in cimiteriis sepeliantur, nec clerici talium obsequiis intersint, nec pro eis orent.

3. Quoniam nonnulli iniquitatis filii variis & diversis modis diversis litteris abutuntur in grave scandalum & perniciem plurimorum; idcirco tantis nos volentes occurrere periculis, statuimus atque præcipiendo mandamus, ut nullus clericus vel laicus, religiosus vel sæcularis, nostræ diœcesis, seu quicumque infra nostræ diœcesis limites quomodolibet per se vel per alium litteras seu sigilla nostra, seu curiarum nostrarum, vel etiam litteras apostolicas, aut legatorum vel delegatorum, vel subdelegatorum sedis cujusque, vel curiæ Remensis, quomodolibet uti per se, vel per alium falsare præsumat, aut eis quomodolibet abuti, ac per alios vel per

se falsatis, etiam si sint vel fuerint judices, A sive procuratores, seu etiam advocati, & alii quicumque, alioquin in omnes & singulos contra facientes in his scriptis excommunicationis sententias promulgamus.

4. Ne autem abusores hujusmodi prætextu ignorantiæ se valeant excusare, constitutiones felicis recordationis Innocentii papæ tertii & Gregorii papæ noni, de ejusmodi abusionibus tractantes præsenti constitutioni de verbo ad verbum subnectendas duximus.

5 Constitutio Innocentii hæc est. *Nonnulli gratia sedis apostolicæ abutentes, litteras ejus ad remotos judices impetrare nituntur, ut reus* B *fatigatus laboribus & expensis, liti cedere, vel importunitatem actori redimere compellatur. Cum autem per judicium injuriis aditus patere non debeat, (quas juris observantia interdicit) statuimus ne quis ultra duas dietas extra suam diœcesim ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem. Sunt & alii qui se ad novum genus mercimonii convertentes, ut vel sopitas possint suscitare querelas, vel novas immittere quæstiones, fingunt causas super quibus a sede apostolica litteras impetrant absque dominorum mandato;* C *quas vel reo (ne propter eas laborum vel expensarum dispendio molestetur) aut actori (ut per ipsas adversarium indebita molestatione fatiget) venales exponunt. Cum autem lites restringendæ sint potius quam laxandæ, hac generali constitutione sancimus, ut si aliquis super aliqua quæstione de cetero sine speciali mandato domini litteras apostolicas impetrare præsumserit, & litteræ illæ non valeant, & ipse tamquam falsarius puniatur, nisi forte de illis personis extiterit, a quibus non debet exigi de jure mandatum.*

6. Item Gregorii constitutio hæc est. D *Quia nonnulli diversis modis litteris apostolicis abutuntur, statuimus ut quicumque obtentas sub nomine suo litteras aliis ejusdem nominis tradunt, qui quos volunt fatigant indebite per easdem, & qui eas tali modo recipiunt, quique illos contra quos nihil habent quæstionis, faciunt in judicium evocari, aut litteras ipsas ad futuras trahunt controversias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ; seu quemquam super uno negotio vel etiam malitiose super pluribus personalibus actionibus, quæ sub uno judice possent tractari commodius, per varias lit-* E *teras coram diversis judicibus trahunt, ut laboribus fatigatus & sumtibus, vel compellatur componere, vel cedere juri suo; aut reus actorem eodem tempore ad diversa loca, vel indeterminate ad villam, quæ commune cum pluribus ejusdem provinciæ villis habet vocabulum, citari procurat, ut dum non comparuerit, excommunicetur quasi contumax, & sic eum a sua intentione repellat: earumdem litterarum commodo careant, & adversariis in moderatis expensis ac damnis, quæ propter hoc eos pertulisse constiterit, condemnentur.*

Quia vero coram nobis abusores hujusmodi, qui in multorum perniciem inhumanam debacchantur, pœna debita castigare oportet, præcipimus universis rectoribus & curatis, ut quando ab aliquo delegato mandatum receperint, quo aliquos citent, aut excommunicatos denuntient, hujusmodi litterarum atque apostolici rescripti tenores scribant, qualitates etiam tam sigilli, quam bullæ, & alias circumstantias opportunas diligenter describant, ut quando expedierit illa videre possimus.

7. Antecessorum nostrorum vestigia prosequentes, præsenti constitutione requirimus, & hic publice monemus quaslibet sæculares & ecclesiasticas personas temporalem jurisdictionem in diœcesi nostra habentes, quod mandatum, bannum, statutum, seu ordinationem, quæ in præjudicium juris & jurisdictionis nostræ & ecclesiasticæ potestatis, directe vel indirecte, fecisse seu mandasse dicuntur hominibus & subditis nostris, ne videlicet in curia nostra seu extra officiali nostro aliquem citent vel trahant, citari vel trahi faciant, aut citati vel tracti respondeant, pœnam si quam exegerint comminando vel imponendo, infra duorum mensium spatium a publicatione præsentis constitutionis computando, statutum, mandatum, bannum, seu ordinationem hujusmodi, omnino effectualiter revocent, ita ut ad quos notitia prohibitionis pervenerit, eis revocatio innotescat; quique ulterius verbo vel facto, directe, vel indirecte jurisdictionem nostram & ecclesiæ quoquo modo, per se vel per alios occupare, invadere, turbare, vel impedire præsumunt: alioquin eos qui mandatum, bannum, statutum, aut ordinationem præmissam fuisse, vel fieri mandasse noscuntur, & infra prædictum tempus revocare distulerint, vel ulterius jurisdictionem nostram & ecclesiæ, verbo vel facto, directe & indirecte, quoquo modo, per se vel per alios, occupare, invadere, vel turbare præsumserint, ex nunc prout ex tunc excommunicamus generaliter in his scriptis.

8. Vos quoque, qui pro executione mandati, banni, statuti & ordinationis præmissorum, vel alia qualibet occasione clericos, vel laïcos, qui aliquos ad nostram curiam citari seu trahi fecerint, interdicti aut excommunicationis vel alias sententias & processus contra eos obtinuerint, aut ibi in judicio contenderint, aut etiam officialis judicium, baillivum, vel nuntios nostros, qui hujusmodi sententias tulerint, vel processus fecerint, compellere per captionem personarum, vel rerum suarum vel propinquorum suo vel alio quocumque modo ad desistendum vel obtinendum absolutiones, vel sententiarum vel processuum revocationes, vel absolutiones, vel revocationes hujusmodi faciendas, eos etiam qui in causis ad forum nostrum pertinenti-

bus excommunicationes aliquas contra quascumque perſonas vel bona facere præſumſerint, capientes, & qui capi mandaverint vel procuraverint, vel executiones ſeu ſimilia fecerint, niſi infra menſis unius ſpatium cum debita ſatisfactione præmiſſa revocaverint, & cum effectu deſtiterint, in his ſcriptis eadem excommunicationis ſententia innodamus: addentes inſuper quod contra tales faciemus inquiri, & quos contra præmiſſa deliquiſſe invenerimus, excommunicatos nominatim publice denuntiare faciemus, & pro ſingulis XL. diebus quibus moram fecerint, pœnam contra excommunicatos editam exigemus, & inſuper ad privationem feudorum, bonorum, privilegiorum, & libertatum, quæ a nobis & eccleſia Ambianenſi obtinere noſcuntur, contra eos tamquam contra infideles & perjuros & ingratos procedere curabimus, prout juri convenire noverimus. Ne autem circa hæc quæ neceſſaria ſunt omittamus, ne quis ignorantiam poſſit prætendere in præmiſſis, duas conſtitutiones felicis recordationis domini Gregorii papæ decimi præſenti conſtitutioni de verbo ad verbum duximus ſubnectendas, quarum prima hæc eſt.

9. *Abſolutionis beneficium ab excommunicationis ſententia vel quamcumque revocationem ſuſpenſionis ſeu etiam interdicti per vim vel per metum extortum, præſentis conſtitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem ſua vindicta & violentia conſtet audacia, eos qui abſolutionem ſeu revocationem hujuſmodi vi vel metu extorſerint, excommunicationis ſententiæ declaramus ſubjacere.*

10. Item alia hæc eſt.

Quicumque pro eo quod adverſus reges, principes, barones, nobiles, baillones, & quoſlibet miniſtros eorum, & quoſcumque alios excommunicationis, ſuſpenſionis ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam dederint alicui occidendi, capiendi, ſeu etiam in perſonis aut bonis ſuis aut ſuorum gravandi eos qui tales ſententias protulerint, ſive quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes, niſi licentiam ipſam de integro revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentia ſit proceſſum, niſi bona ipſa fuerint infra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro eis impenſa, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto. Eadem quoque ſententia ſint innodati omnes qui auſi fuerint prædicta licentia data, vel aliquid præmiſſorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibemus, alias committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia noſtra fuerit duorum menſium ſpatio, tunc ab ea non poſſint niſi per ſedem apoſtolicam abſolutionis beneficium obtinere.

11 Illud quoque ſub excommunicationis pœna prohibemus, ne quiſquam laicorum noſtræ diœceſis clericos ſeu eccleſiaſticas perſonas trahere vel trahi facere præſumſerit ſuper quibuſcumque perſonalibus actionibus, criminalibus vel civilibus, coram quocumque domino, judice, vel baillivo, ſeu quolibet alio temporali ſæculari juriſdictionem habenti: clerici vero contra hoc ſcienter facientes, excommunicationis ſententiam incurrant, ipſo facto; ſed nec ipſi de facto coram talibus & ſuper talibus actionibus ſuis a clericis ſive a laicis tracti in ipſos conſentire aut rationem eis ſuper his reddere ſub eadem excommunicationis pœna, præter alias pœnas in jure ſcriptas, aliquo modo præſumant. Nos autem ſententias condemnationis, & proceſſus quoſlibet, ſeu per eos ſive eorum auctoritate vel mandato ſuper talibus habitos, irritos decernimus & inanes. Si vero domini, judices, baillivi præmiſſi & alii quicumque quomodolibet, directe vel indirecte, per ſe vel per alios, tales in ſe conſentire, aut coram ſe reſpondere, compellere aut ab eis aliquid extorquere præſumſerint; ipſi domini, baillivi, judices, & quivis alii excommunicationis ſententiæ, ipſo facto, ſe noverint ſubjacere, a qua abſolvi non poſſint niſi prius de ſuo duplicius reſtituant quod a talibus habuerint: nec remiſſio eorum ab iis facta ipſos extorquentes aliquatenus valeat excuſare. Sub anathematis quoque pœna interdicimus clericis beneficia eccleſiaſtica ſcienter obtinentibus, & in ſacris ordinibus conſtitutis, vel laicis, ne contra eccleſias vel eccleſiaſticas perſonas in cauſis decimarum vel provinciam, vel oblationem patrocinari præſumant.

12 Injuncti nobis officii cura ſollicitat, commiſſa præterea nos impellunt, ut tam præſentis innovatione ſtatuti, quam debitarum adjectione pœnarum, noſtris atque Ambianenſis eccleſiæ indemnitatibus conſulamus; ne nos qui alios in ſua juſtitia fovere tenemur, jus noſtrum proinde negligere videamur. Quia igitur nonnulli bona & jura noſtra & Ambianenſis eccleſiæ ſpritualia, eccleſiaſtica, & temporalia modis vanis occupare, & occupata detinere Dei timore poſtpoſito non verentur; alii vero feuda, retrofeuda, bona, & jura quæ a nobis & eccleſia memorata tenere debent, aliis perſonis recognoſcere vel ſubmittere non formidant; idcirco præcipimus ipſis occupatoribus & detentoribus, ut bona & jura noſtra & eccleſiæ Ambianenſis a tempore legitimæ præſcriptionis aut circiter, abſque noſtra, vel anteceſſorum noſtrorum licentia, & aſſenſu multo occupata ac detenta, plene integre, & effectualiter reſtituere; ipſis vero cognitoribus ſubmiſſorum dictorum feudorum ac retrofeudorum, ut recognitiones & ſubmiſſiones a dicto tempore circiter quomodolibet factas totaliter & cum effectu revocare hinc ad inſtans feſtum reſurrectionis Dominicæ non omittant. Requirimus inſuper &

monemus eos qui recognitiones & ſubmiſ-
ſiones hujuſmodi, per ſe vel per alios quo-
quomodo receperint, aut recipi fecerint, ſeu
conſenſerint, omni fraude ceſſante, in-
fra idem tempus illa reſignare, reſtituere,
dimittere, repudiare, & remittere non omit-
tant; de quibus reſtitutione, revocatione,
reſignatione, ſeu repudiatione infra viginti
dies poſt præfatum feſtum reſurrectionis im-
mediate ſequentes, ſufficienter nos certifi-
care procurent per legitima documenta. Ad
hoc interdicimus omnibus & ſingulis a no-
bis & eccleſia Ambianenſi quæcumque vo-
ta eccleſiaſtica, vel mundana, jura, feuda,
vel retrofeuda, quomodolibet tenentibus ſeu
poſſidentibus, ne de cetero in totum vel in par-
tem quoquomodo vel titulo alienare, trans-
ferre, recognoſcere, vel ſubmittere quibuſ-
cumque perſonis eccleſiaſticis vel munda-
nis, collegiis, vel univerſitatibus ſeu villis ſine
noſtra aut ſucceſſorum noſtrorum licentia
ſpeciali, præſumant. Nos enim in eos & ſin-
gulos, qui quæ præmiſimus in præſtatutis ter-
minis non adimpleverint, & qui a modo
jura, bona, feuda, & retrofeuda, hujuſmodi
in totum vel in partem quomodolibet oc-
cupare, detinere, alienare, transferre, re-
cognoſcere & ſubmittere; & qui recognitio-
nes, ſeu ſubmiſſiones hujuſmodi ſcienter re-
cipere præſumſerint, ex nunc ut ex tunc in
perſonas ſingulares excommunicationis, in
collegia vero ſeu univerſitates interdicti, in
his ſcriptis ſententias promulgamus; & in-
ſuper occupationes, detentiones, alienatio-
nes, tranſlationes, recognitiones & ſubmiſ-
ſiones ipſas revocamus & totaliter annulla-
mus. Rurſus in tantæ ingratitudinis pœnam,
bona, jura, feuda, & retrofeuda ipſa olim
occupata, detenta, alienata, tranſlata, re-
cognita vel ſubmiſſa, poſt lapſum dictum
terminum, niſi quis præmiſſa adimpleverit;
quæ vero deinceps occupari, detineri, alie-
nari, transferri, recognoſci, vel ſubmitti con-
tra hanc noſtram prohibitionem contigerit,
ex nunc publicamus & confiſcamus illa no-
bis, & eccleſiæ applicantes ad privationem
aliorum feudorum, bonorum noſtrorum, pri-
vilegiorum & libertatum quæ a nobis & ec-
cleſia ipſa tenere noſcuntur, contra tales ni-
hilominus, prout expedire noverimus, proce-
ſſuri; eidemque ſubjacere excommunica-
tionis ſententiæ declaramus eos qui bona im-
mobilia, feuda noſtra, juriſdictiones, liber-
tates quarumlibet eccleſiarum noſtræ diœce-
ſis, quoquomodo occupare, uſurpare, aut
occupata detinere præſumſerint, niſi infra
duorum menſium ſpatium a præſentis publi-
catione conſtitutionis comminando taliter
occupata ſeu detenta cum omnibus fructi-
bus & proventibus inde perceptis, & qui per-
cipi potuerint plene & integre reſtituerint
eccleſiis illis ſeu eccleſiaſticis perſonis, ad
quas pertinere noſcuntur, vobis univerſis,
& ſingulis eccleſiarum rectoribus & curatis
præcipientes, quod præſentem conſtitutio-
nem diebus dominicis poſt noſtram ſyno-
dum immediate ſequentibus, in miſſarum ſo-
lemniis omnibus circumſtantibus diligenter
exponere ſtudeatis; & ſi forte quiſquam re-
cuſaverit, hac excommunicatione ligatum
noveritis, nec illi nec alicui de domo ſua
ſepulturam in morte, vel aliqua eccleſiaſtica
ſacramenta in vita miniſtrare, vel ad divina
officia admittere præſumatis.

13 Quia (ſicut intelleximus) plerique in-
docti, & quorum vita & mores incogniti
ſunt, docere volunt, magiſtri eſſe qui diſci-
puli non fuerunt, diſtricte inhibemus, ne
quis in civitate vel diœceſi noſtra docere
vel ſcholas tenere in quacumque facultate
præſumat, abſque noſtra licentia ſpeciali.
Alphabetum tamen, pſalterium tantum, of-
ficium eccleſiaſticum, & Donatum ſeu par-
tes unuſquiſque & ubique libere docere
poſſit.

14 Statuimus quod curati omnes [red-
ditus] ſuarum eccleſiarum in ſuis miſſa-
libus ſcribere vel aliis litteris notare non
omittant, qui de eis ſine noſtra licentia (cum
hoc juraverint) alienare non præſumant. Item,
omnia inſtrumenta eccleſiarum ſuarum po-
nant in loco tuto, ut poſt obitum eorum
ea poſſint a parochianis vel eorum ſucceſſori-
bus inveniri, & iſtud coram omnibus dicere
non omittant.

16 Præcipimus & mandamus quod ſacer-
dotes exhortentur populum, ut addiſcant
orationem Dominicam *Pater noſter. Credo
in Deum* & ſalutationem Angelicam, & pue-
ros ſuos addiſcere faciant patres & matres,
& ſacerdotes, vel clericus gratis doceat pue-
ros *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo*, & ſaltem
omnes confiteantur implicite articulos fidei,
quos credere debent.

17 Statuimus quod nomina eorum qui
non faciunt ſe ad ſacros ordines promoveri,
qui in ſuis locis reſidentiam non faciunt,
qui aliis locis deſerviunt, qui ad noſtram ſy-
nodum non veniunt, nobis in ſcriptis ſub
pœna excommunicationis tradant decani
antequam recedant.

18 Quia plerumque contingit quod cle-
rici ſuper injuriis perſonalibus coram judi-
cibus ſæcularibus evocati, illas injurias cle-
ricis vel laicis irrogatas judicibus memoratis
emendant voluntarii, tam ſuper maleficiis
quam perſonalibus actionibus, in præjudi-
cium eccleſiaſticæ libertatis; diſtrictius inhi-
bemus, ne aliquis clericus tales emendas de
cetero facere præſumat; & ſi hoc fecerit, eo
ipſo ſit excommunicatus de facto illo, ſuper
quo vocatus fuerit, ſit convictus, & nobis
tamquam convictus tenebitur de illo facto
emendare, & exigentes excommunicatio-
nis ſententia innodamus.

19 Præcipimus omnibus capellanis atque

rectoribus ut præsentes instructiones & constitutiones habeant & observent diligenter, & a sibi subditis faciant observari; quasque, quatenus tangunt laicos in diebus Dominicis in suis ecclesiis coram clero & populo, prout erit possibile & opportunum, legant & exponant; quatenus vero clericos tangunt, charitative clericis illas intiment, ne quis eorum per ignorantiam se in illis valeat excusare.

20 Pœnas autem in trangressores præmissarum constitutionum, quibus certæ pœnæ addictæ non sunt, quæ quidem pœnæ in jure expressæ non sunt, nostro arbitrio reservamus.

21 Reservamus etiam nobis potestatem interpretandi, declarandi, immutandi, addendi, & minuendi in præmissis, quidquid, quoties & quando viderimus expedire.

STATUTA SYNODALIA capituli Ambianensis.

Die Veneris 26. Octobris an. 1464. synodus celebrata fuit, in qua fuerunt præsentes domini, capitulum, necnon curati dominis subditi, demtis curatis de Novavilla, & de *Creuses*, qui contumaces reperti sunt. In eadem synodo fueruut lecta statuta synodalia: quibus lectis, domini per organum domini decani monuerunt eos singulos ibidem præsentes sub pœnis in dictis statutis contentis, ut concubinas, si quas habent in suis domibus, illas ejiciant: alioquin ad delationem pœnas prædictas incurrant.

Statuta synodalia per nos decanum & capitulum ecclesiæ Ambianensis edita & facta sub pœnis infra describendis, districtive per nostros subditos, mores eorum in melius reformare cupientes, tenenda & observanda, ut ex decretis, legibus, statutis, & constitutionibus humana refrænetur audacia, modo & forma sequentibus.

Et primo nos decanus & capitulum ecclesiæ cathedralis Ambianensis prædicti, omnes gratias quibusvis personis sub quacumque verborum forma, nisi a sede apostolica vel legatis ipsius processerint, tam super residentia curatorum, commissionibus capellanorum a quibuscumque quæstoribus factas, penitus revocamus, nisi in litteris super hujusmodi gratiis tempus sit adhuc duraturum. Volumus tamen quod infra mensem nobis afferantur, alias nullius sint valoris.

2°. Statuimus ut singuli presbyteri nobis subditi die synodi in pulsatione primæ in dicta ecclesia compareant, & post pulsationem primæ ipsi curati ad capitulum nostrum seu locum capitularem & inibi coram nobis singuli curati & curatorum vices gerentes se habeant præsentare, etiam synodo celebrata non recessuri absque licentia nostra.

3°. Item præcipimus, ut omnes presbyteri nobis subditi ad synodum venientes, in eundo & redeundo honeste ambulent, & honesta quærant hospitia, & in eis se circumspecte habeant, ne status clericorum vertatur populo in opprobrium & contemtum, sub pœna arbitraria delinquentibus super hoc per nos infligenda.

4°. Item præcipimus sacerdotibus nobis subditis, ut jejuni & induti superpelliceis & stolis intrent capitulum nostrum, in quo tenetur synodus, & cum habitu decenti.

5°. Item præcipimus districte, ut quilibet curatus statuta synodalia penes se habeat; vel si de licentia per vices gerentes deferri faciat, hoc idem vices gerentes facere non omittant.

6°. Statuimus etiam & præcipimus, quod singuli curati, presbyteri & eorum vicarii nobis subditi, nuncios nostros vel alios, nostras seu commissarii nostri litteras deferentes expediant indilate, visis litteris ab eis receptis; & antequam parti notificent aut executionem mandati faciant, sed expectent exequi per omnia post recessum ejusmodi nuntiorum seu litterarum portitorum sub pœna viginti solidorum, nisi de consensu portitorum.

7. Præcipimus dictis curatis, ut ipsos portitores totis viribus favorisent & prænuntient, eisque sine dissimulatione consilium, auxilium & favorem præstent, ne portitoribus ejusmodi damna vel injuriæ inferantur, alias secundum casus occurrentiam punientur.

8. Cauti sint presbyteri ne cum excommunicatis communicare præsumant, nisi in casibus a jure permissis, nec in ipsorum præsentia celebrent, nec eos excommunicatos vel aggravatos liberosque ipsorum, si decedant, ecclesiasticæ sepulturæ tradant, uxoresque eorum non purificent.

9. Item præcipimus ne presbyteri nobis subditi parvulum de quo dubitatur an baptizatus fuerit, si sic decesserit, audeant ecclesiasticæ tradere sepulturæ sine nostra vel commissarii nostri licentia speciali; vel si ex facto, vel forma verborum dubium illud provenerit, ad nos accedant, & referant, vel seriose rescribant.

10. Item, singulis diebus Dominicis perturbatores jurisdictionum ecclesiæ, & nostram impedientes jurisdictionem, specialiter qui litteras a nobis seu commissario nostro emanatas deferentes, seu earum portitores arrestant vel arrestari procurant, excommunicatos ipso facto denuntient.

11. Item, nedum sicut in præcedenti statuto cavetur, verum etiam omnes & singulos qui litteras quascumque a nobis seu commissario nostro emanatas injuriose laceraverint, combusserint aut aliter annihilaverint, seu quovis modo earum executionem impediverint via facti, una cum participibus, fautoribus & consiliariis, auctoritate præsentis

ſtatuti, excommunicationis ſententiam volumus & decernimus incurrere ipſo facto.

12. Caute ſe habeant preſbyteri cum quæſtoribus de quibus nobis ſæpius mala referuntur, ut eis non permittant prædicare, nec alia dicere, quam ea quæ in ſuis litteris continebuntur, nec ab eis aliquid recipiant, ut admittant ad prædicandum; alias quæſtores ipſos & preſbyteros graviter puniemus, nec ad prædicandum quæſtus faciendi gratia, granorum, vinorum, aut aliarum rerum quarumcumque admittant, niſi ſibi legitime & litteratorie conſtiterit ipſos fratres prædicatores nobis fuiſſe præſentatos & admiſſos.

13. Item & quotieſcumque de pollutione eccleſiæ & cimiterii dubium fuerit, propter qualemcumque ſanguinem humanum inibi effuſum, ſive ſemen, ſive inhumationem indebitam, curati ſive preſbyteri ipſi nobis ſubditi cognitionem hujuſmodi in ſe non aſſumant, ſed illud nobis referant diligenter.

14 Item inhibemus omnibus & ſingulis preſbyteris nobis ſubditis, ipſos ſub pœna excommunicationis monentes, primo, ſecundo, tertio, & quarto ex abundanti, ne faciant larvas ſeu carivaria * ſuper matrimoniis faciendis, aut etiam, exigant ſeu extorqueant pecunias, ſeu aliquid aliud a contrahentibus, ſeu aliis ipſorum nominibus quovis modo recipiant, aut oblatum ſuſcipiant. Immo a talibus larvis ſeu carivariis deſiſtant & abſtineant: in contrarium vero facientes ſententiam excommunicationis ferimus in his ſcriptis & promulgamus, injungentes prædictis curatis nobis aut commiſſario noſtro per ipſos curatos indilate revelari, atque per ipſos inhibitionem ejuſmodi ſeu ſtatutum ſingulis diebus dominicis in ſuis pronis publicari.

* vulgo *charivari*.

15 Item, inhibemus omnibus & ſingulis preſbyteris nobis ſubditis, ne abſque licentia & mandato expreſſe a nobis obtento, concubinas aliquas purificent, ſeu ad purificationem admittant.

16 Item, cum nonnulli curati & vices gerentes nobis ſubditi, ſint negligentes in denuntiatione & publicatione excommunicatorum aggravatorum in ſuis parochiis commorantium, quod in detrimentum illorum cum quibus converſantur, cedit, ſtatuentes volumus & ordinamus, quod etiam diligentiam adhibeant denominando omnes excommunicatos, aggravatos & reaggravatos, ac eorum familias indicatas, ſi hoc eorum mandata contineant.

17 Item, præcipimus quod quilibet preſbyter lumen in ſua eccleſia de nocte habeat, & de die ſaltem lampadem ardentem ante corpus Chriſti.

18 Item, præcipimus diſtricte quod baptiſma cum reverentia & honore celebretur, & cum magna cautela, maxime in diſtinctione & prolatione verborum, in quibus tota virtus ſacramenti conſiſtit, ſcilicet: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

19 Statuimus inſuper & ordinamus, quod viri eccleſiaſtici nobis ſubditi, concubinas tenere aliquatenus non præſumant, & tenentes eaſdem ejiciant indilate, animo, intentione & propoſito ipſas nequaquam reaſſumendi, aut cum eis converſandi: contrarium facientes a divinis officiis ſuſpenſos decernimus; & ſi ipſam ſuſpenſionem in ſe ſuſtinuerint, & in ea damnabiliter remanſerint involuti, ad ſuorum beneficiorum privationem, ut juris erit, procedemus.

20 Item, diſtricte præcipimus, quod præfati preſbyteri quolibet die Dominico exhortentur parochianos ad diſcendam *orationem Dominicam*, *Credo in Deum* cum *Ave Maria*, & doceant decem præcepta.

21 Item, ordinamus quod quilibet curati ſeu capellani in pleno prono ſuarum eccleſiarum quolibet die Dominico denuntient & moneant parochianos ſuos, quod debite ſuas decimas ſolvant ad quas tenentur de jure; alias non ſolventes incurrant notam excommunicationis.

22 Item, volumus & præcipimus quod quilibet preſbyter, dum in die Dominico ad celebrandam miſſam accedit, interroget plebem ſuam ſi parochianus alius parochiæ inibi ſit, qui proprio preſbytero contemto miſſam intendit ibi audire; & ſi talis ibidem inventus fuerit, moneatur ut recedat; & ſi noluerit recedere, nobis, ut de contemtu puniatur, referant debite.

23 Item, præcipimus ſub pœna arbitraria, quod omnibus diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus in pleno prono, dum divina celebrantur, etiam in confeſſionibus audiendis & teſtamentis conficiendis moneatis charitative parochianos veſtros; quatenus habeant fabricam eccleſiæ Ambianenſis in eleemoſynis, legatis & piis donis recommendatam. Quod eccleſia prædicta, proh dolor! maximis & ſumptuoſis indiget reparationibus; in qua quidem eccleſia multæ ſunt indulgentiæ ipſis benefactoribus conceſſæ.

24 Item, monemus omnes & ſingulos curam animarum habentes nobis ſubditos, quatenus, prout & quemadmodum tenentur adſtricti, reſidentiam perſonalem faciant in ſuis curis ſub pœna canonica.

25 Volumus quod talis monitio tollat effectum jam ſecutum aliarum monitionum, ſi quas aliquibus fecimus & fieri mandavimus, ut ſuper locum ſuæ curæ reſidentiam facerent perſonalem, quique jam inobedientes & remiſſi fuerint, in pœnas incident canonicas.

26 Item, inhibemus & prohibemus omnibus & ſingulis curatis noſtris cum quibus de gratia ſpeciali de non reſidendo ſuper locum ſuæ curæ diſpenſabimus, ne nobis præſentent

sentent aliquem presbyterum ad deservien- A dum parochianis suis, nisi homo bonæ vitæ & conversationis honestæ competenter litteratus fuérit, & non privilegiatus saltem tali privilegio, per quod nostram possit evadere correptionem si male administraverit in dicta cura : aut aliud beneficium habuerit in quo residere teneatur, nisi fuerit cum eo dispensatum.

27 Item monemus omnes & singulos curatos nobis subditos, ne admittant ad benedictionem nuptialem, inhumationem aut purificationem, extraneos diœcesanos & qui matrimonia sua fecerunt extra episcopatum B Ambianensem, & sine licentia nostra ; alioqui si sub velamine alicujus dispensationis eosdem non diœcesanos ad benedictionem nuptialem, inhumationem, seu purificationem admiserint, contra eos procedemus, ut juris fuerit & rationis.

28 Item, monemus antedictos curatos nobis subditos, ne patiantur mercimonia exerceri in cœmeteriis diebus Dominicis, vel festis solemnibus : & contra facientes nobis notificent, sub pœna antedicta.

29 Inhibemus etiam sub pœna excommunicationis & alia pœna nostro arbitrio C infligenda, ne choreæ, ludi palmæ, & ceteri ludi ad pietatem non tendentes, & mercata in cœmeteriis & ecclesiis nequaquam teneantur aut exerceantur : contrarium facientes præcipimus nobis deferri.

30 Item, præcipimus stricte injungentes omnibus capellanis capellanias perpetuo fundatas habentibus, & in futurum habituris, quod faciant servitia divina propter quod fundatæ sunt dictæ capellaniæ in jam dictis capellis, si ædificiorum structura patiatur : Et si prædictæ capellæ demolitæ fuerint, vel redditus earum non sufficiant ad servitium fa- D ciendum juxta ordinem & voluntatem fundatorum, ad nos accedant nobis talia notificare, ut remedium consequantur opportunum : si ipsi secus fecerint, nos contra ipsos procedemus ad executionem pœnarum a jure statutarum.

STATUTA SYNODALIA ecclesiæ Aurelianensis.

Ex mss. bibliothecæ S. Victoris. E

Hæc sunt præcepta synodalia Aurelianensis diœcesis.

I. De dominica præcedente synodum sacerdotes, qui capellanum non habent in suis parrochiis, diligenter inquirant publice in ecclesia, si qui sunt infirmi in parrochia. Feria subsequenti antequam iter arripiant, eos visitent, non etiam requisiti, & faciant quidquid necesse fuerit ad salutem animarum.

II. Districte præcipitur ut jejuni intrent synodum. In jejunio enim debet fieri & oratione.

III. Districte etiam præcipitur sacerdotibus, ut induti albis & stolis intrent synodum, quæ celebratur tempore paschali : illam vero quæ celebratur Octobri, in suppelliciis, cantis & stolis.

IV. Præcipitur districtius, ut omnes presbyteri, maxime curam animarum habentes, veniant ad synodum ; & si gravi infirmitate detenti, aut alia necessitate inevitabili venire non potuerint, suum capellanum mittant, aut clericum loco sui, qui potestatem habeant jurandi in animas excusandorum, quia legitimo impedimento sint detenti.

V. Inhibetur presbyteris, ne causas ducant ad synodum, aut alia negotia quæ non pertinent ad synodum, & ne tunc sibi minuant cum debent interesse synodo ; & quod ad campanæ pulsationem, omni occasione postposita, locum in quo debet celebrari synodus, intrare festinent.

VI. Præcipitur ut in eundo & redeundo a synodo honeste ambulent presbyteri, & honesta quærant hospitia, & in eis circumspecte se habeant, ne status clericorum vertatur populo in opprobrium & contemtum.

VII. Præcipitur in virtute obedientiæ, ut maximus honor & reverentia debita singulis sacramentis sanctæ ecclesiæ præcipue a sacerdotibus & clericis exhibeantur, & ut laïci exhibeant, frequenter sacerdotes moneant & exhortentur.

VIII. Statuimus, quod per totam diœcesim Aurelianensem in festo Inventionis sanctæ Crucis & Exaltationis solemne fiat festum, & fiant octavæ solemnes, sicut in majori ecclesia Aurelianensi fieri consuevit.

I. *De Baptismo.*

IX. Baptismus cum honore & reverentia celebretur, & cum magna cautela, maxime in distinctione & prolatione verborum, in quibus tota virtus consistit sacramenti, & salus puerorum, scilicet nominando puerum & dicendo : *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Et in Romano sub hac forma doceant sacerdotes frequenter laïcos debere baptizare pueros in necessitate, & etiam patrem & matrem pueri in summa necessitate.

X. Forma autem verborum prædicta ab eo qui baptizat, integre, ordinate & continue sine interpositione proferatur.

XI. Pro baptismo nihil omnino exigatur ; sed si quid offeratur, gratis exhibeatur.

XII. Fontes sub sera clausi custodiantur propter sortilegia. Chrisma similiter & oleum sanctum sub clave serventur.

XIII. Semper sacerdos interroget laïcum, cum in necessitate baptizaverit puerum, quid dixerit & quid fecerit, & si invenerit laïcum

diſcretum & modo debito puerum baptizaſſe & formam verborum integre protuliſſe, baptiſmum probet eſſe factum; ſin autem, baptizet puerum.

XIV. Si vero dubium fuerit ſub qua forma verborum puer baptizatus fuerit, tunc ſacerdos omnia faciat, & mergens puerum dicat: *Si baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Amen.*

XV. Ad levandum puerum de fonte tres vel quatuor ad plus recipiantur; quod amplius eſt, a malo eſt.

II. *De confirmatione puerorum.*

XVI. Sacerdotes ſcientes adventum epiſcopi, moneant frequenter populum ad confirmationem puerorum, & ad audiendum ſermonem epiſcopi, & per hoſpitia ſingulorum, ſi opus fuerit, diſcurrant, propter iſtam monitionem faciendam per ſe vel per ſuum capellanum vel clericum.

XVII. Poſt baptiſmum vero debet ſuſcipi ſacramentum confirmationis. Quod ſi confirmandus adultus fuerit, debet prius confiteri, & poſtea confirmari.

XVIII. Sæpe dicatur laïcis, ne diu expectent adventum epiſcopi ad confirmationem; ſed ducant pueros ad eum, ubi audierint eum prope adeſſe; & quod poſſunt nomina mutari pueris in confirmatione, ſi velint; & ſecum deferant bandellos latos, longos & mundos.

XIX. Jejuni etiam, ſi fieri poteſt, hoc ſacramentum recipiant, & tunc non celebrent ſacerdotes, niſi in caſu neceſſitatis; tunc celebrent ſummo mane.

XX. Nullus ſacerdos confirmare aut conſecrare virgines audeat. Solius eſt enim epiſcopi confirmare, virgines conſecrare, ordines dare, eccleſias dedicare.

III. *De altaribus.*

XXI. Summa reverentia & honor maximus ſacris altaribus exhibeantur, & maxime ubi ſacroſanctum corpus Domini reſervatur & miſſa celebratur.

XXII. Linteamina altaris & indumenta ſæpe abluantur propter præſentiam & reverentiam Salvatoris noſtri & totius curiæ cæleſtis, quæ cum eo præſens adeſt, quotiens miſſa celebratur.

XXIII. Calices unde infirmi communicantur, decorentur, & mundi cuſtodiantur, ut devotius communicent infirmi.

XXIV. Ampullæ vini & aquæ in miniſterio altaris mundæ & integræ habeantur. Similiter ampullæ chriſmatis & olei ſancti.

XXV. Non permittant preſbyteri diaconos deferre infirmis ſanctum corpus Domini, niſi in magna neceſſitate, & cum ſacerdos abſens fuerit. Sed ſemper ſacerdos cum magna reverentia & maturitate deferat in pyxide eburnea bene clauſa propter caſum, cum lucerna & campanula præcedente, dicendo ſeptem pſalmos pœnitentiales cum letania pro infirmo, eundo & redeundo. Et ſi via longa fuerit, addat xv. pſalmos graduales & alias orationes. Sic enim debitum perſolvent pro infirmo, ut audientes invitent ad exhibendam Deo reverentiam & honorem.

XXVI. Diligenter inquirant ſacerdotes quando veniunt ad infirmos, utrum poſſint maſticare, & poſt maſticationem recipere & retinere; & ſi intelligant per ipſum infirmum vel per alium, quod non poſſit, non miniſtretur ſibi corpus Chriſti.

XXVII. Frequenter moneantur laïci communiter, ut ubicumque viderint ſanctum corpus Domini noſtri Jesu Christi deferri infirmis, ſtatim genua ſua flectant ad terram, tamquam Domino & creatori ſuo, & junctis manibus, quocumque tranſierit, orent.

XXVIII. Et cum creatura non habeat quid pro meritis ſuo redemtori & ſalvatori retribuat, de conſilio majorum & ſeniorum Aurelian. eccleſiæ, vos monemus & præcipimus & hortamur, ut ſinguli veſtrum & univerſi moneant ſingulis diebus dominicis & feſtivis parrochianos veſtros, quod cum ipſi viderint corpus Chriſti deferri ad infirmos, quod ipſi poſt genuum flectionem ſuum creatorem aſſocientur, quouſque perventum fuerit ad domum ægroti, & ſacerdos redierit ad eccleſiam ſacroſanctam.

XXIX. Nos autem de Dei omnipotentis miſericordia, & victorioſiſſimæ ſanctæ Crucis virtute, & B. Virginis Mariæ, omniumque ſanctorum meritis confidentes, omnibus qui eundo & redeundo ſalvatorem Dominum noſtrum Jesum Christum fuerint aſſociati, decem dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Iſtam indulgentiam ſingulis diebus dominicis & feſtivis in eccleſiis veſtris publice inter miſſarum ſolemnia nuncietis.

XXX. Præterea in pulcriori parte altaris cum ſumma diligentia & honeſtate ſub clave ſanctum corpus Domini cuſtodiatur.

XXXI. Nulli permittatur clerico ſervire altari, niſi in ſuperpelliceis & cappa clauſa.

IV. *De celebratione miſſæ.*

XXXII. Nullus ſacerdos audeat bis in die celebrare, excepta die nativitatis Domini & ſancto die Paſchæ. Nam valde felix eſt, qui poteſt unam digne celebrare, niſi cauſa ſolemnitatis immineat, videlicet ſi celebraverit de die, & poſtea moriatur aliquis in parrochia ſua, vel forte ſupervenerit aliqua perſona in dignitate eccleſiaſtica conſtituta, videlicet epiſcopus, vel archidiaconus, vel princeps. hoc tamen addito, quod ſi ſacerdos perfuderit in prima miſſa, hoc eſt expalmaverit, quod ipſe non præſumat celebrare. Si autem in aliquo caſuum prædictorum velit

bis celebrare, in prima missa vinum perfusionis non sumat, sed illud conferat alicui viro bonæ conscientiæ. Qui contra istud statutum bis celebrare præsumserit, noverit se pœnam canonicam incursurum: pœnam aliam relaxamus.

XXXIII. Præterea statuimus, ut nullus legat epistolam solemniter vel alio modo, nisi sit subdiaconus. Istud statutum volumus intelligi, ubi potest commode & de facili subdiaconus haberi.

XXXIV. Nullus antequam matutinas dixerit canonicas & primam, præsumat aliqua necessitate celebrare.

XXXV. Ad horas B. MARIÆ Virginis semper dicatur tertius versus MARIA *mater gratiæ*, & cantetur cum nota in ecclesia, quando cantatur cum nota in ecclesia Aurelianensi, & cum devotione, non in surgendo & calciando.

V. *De confessione.*

XXXVI. Sacerdotes circa confessionem maximam adhibeant curam & cautelam, scilicet ut diligenter inquirant peccata usitata sigillatim, inusitata non nisi a longe, per aliquam circumstantiam, sic tamen, ut illis qui inusitata peccata fecerint, detur materia confitendi.

XXXVII. Ad audiendam confessionem commodiorem locum sibi in ecclesia eligant sacerdotes, ut communiter ab omnibus videri possint; & in locis abditis aut extra ecclesiam nullus sacerdos recipiat confessionem, nisi in magna necessitate vel infirmitate.

XXXVIII. In confessione sacerdos habeat vultum humilem, oculos ad terram, nec faciem respiciat confitentis, maxime mulieris, causa debitæ honestatis.

XXXIX. Compatienter audiat quicquid confitens dixerit, in spiritu lenitatis, & ei pro posse suo pluribus modis persuadeat, ut integre, nude & vere confiteatur; aliter dicat ei nihil valere.

XL. Verumtamen crebris & salubribus monitis talibus pœnitentia hæc indicatur, quod de peccatis suis pœniteant.

XLI. Præterea qui dejerant coram nobis vel officiali nostro vel mandato nostro citentur, & qui comedunt carnes in quadragesima, ad episcopum remittantur.

XLII. Sacerdotes majora majoribus reservent in confessione, sicut homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, stupra virginum, injectiones manuum in parentes, vota fracta, sortilegia.

XLIII. Sunt autem tria, in quibus nullus habet potestatem absolvendi, nisi dominus papa vel ejus vicarius, scilicet injectio manuum in clericos vel quoslibet religiosos, incendia ecclesiarum & locorum religiosorum, postquam isti denunciati sunt publice excommunicati, nec non & aliorum locorum privatorum, postquam fuerint ab episcopis diœcesanis excommunicati & nunciati excommunicati, & simonia. Nihilominus talium rei remittendi sunt ad episcopum.

XLIV. In dubiis semper sacerdos consulat episcopum aut sapientes viros, quorum consilio certificatus, solvat securus aut liget.

XLV. Audita confessione, semper sacerdos interroget confitentem, si velit abstinere ab omni peccato mortali: aliter eum non absolvat, nec injungat ei pœnitentiam, ne inde confidat; sed moneat ut interim agat quicquid boni facere poterit, ut Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.

XLVI. Injungendis pœnitentiis parvis sibi caveant sacerdotes, secundum enim quantitatem culpæ & possibilitatem confitentis debet esse quantitas pœnitentiæ: alioquin quod minus est requiretur ab eis.

XLVII. In furto, usura, rapina, fraude, valde caveant sibi sacerdotes, ne aliquas injungant pœnitentias, scilicet missarum & eleemosynarum, nec alias, nisi prius ablata reddiderint. Non enim dimittitur tale peccatum, nisi restituatur ablatum.

XLVIII. Nullus missas quas injunxerit celebret, nec tricenarium, nec annuale.

XLIX. Frequenter presbyteri moneant populum, ut veniant ad confessionem, & præcipue in principio quadragesimæ venire generaliter ad confessionem. Si autem non venerint parrochiani ad confessionem infra Ramos palmarum, nihilominus eorum confessiones audiantur, & ad communionem admittantur in pascha Domini.

L. Præcipitur districte sacerdotibus, ut tales ad nos vel archidiaconos suos transmittant infra quindenam paschæ, pœnam condignam pro sua negligentia recepturos. Nobis vel archidiaconis suis talium negligentium nomina scribant presbyteri infra quindenam superius nominatam. Hoc autem intelligimus, nisi sacerdoti constiterit de legitimo impedimento.

LI. Moneantur etiam patresfamilias & matresfamilias similiter, quod suas mittant familias ad confessionem infra terminum prænotatum.

LII. Ubi autem sunt plures sacerdotes, quilibet eorum habeat in scriptis nomina quos recipit ad confessionem, ut sic inter se conferentes videant qui confessi fuerint, & qui non confessi fuerint, ut non confessi dictam pœnam non valeant evitare.

LIII. Præterea in confessionibus audiendis presbyteri non convocent sibi adjutores in aliis diœcesibus commorantes, aut etiam religiosos, sive in aliis diœcesibus commorentur, sive non, exceptis Prædicatoribus & Minoribus civitatis Aurelianensis, qui missi fuerint per diœcesim a suis superioribus, decernimus eos ad hujusmodi officium exercendum admittendos.

LIV. Præterea ſtatuimus, ut capellani nullatenus ad firmas accipiendas admittantur, niſi prius archidiaconorum ſuorum aſſenſu requiſito & obtento.

LV. Item, ſtatuimus quod ſi notorium ſit aliquas mulieres ſe proſtituere, moneantur domini ædium, in quibus commorantur, ſpecialiter & nominatim, primo, ſecundo, tertio, per preſbyteros ſuos parrochiales in bonorum virorum præſentia, per quos monitio, ſi neceſſe fuerit, valeat comprobari, ut hujuſmodi mulieres de ſuis ædibus expellant. Quod ſi facere contemſerint, nominatim ſingulis diebus Dominicis & feſtivis excommunicentur, & nihilominus talium excommunicatorum nomina officiali noſtro mandentur ſive inſinuentur.

LVI. In confeſſione ſibi caveant ſacerdotes, ne inquirant nomina perſonarum cum quibus peccaverunt confitentes, ſed circumſtantias tantum & qualitates.

LVII. Nullus ira, vel odio, vel etiam metu mortis audeat in aliquo revelare confeſſionem ſigno vel verbo, generaliter vel ſpecialiter, ut dicendo ſcio qualis es; & ſi revelaverit, abſque miſericordia debet degradari.

LVIII. Omnes præcipiant inſtituta jejunia obſervari, ſcilicet jejunium quadrageſimale, quatuor temporum, vigiliarum, ſcilicet natalis Domini, aſſumtionis beatæ Mariæ Virginis, B. Johannis-Baptiſtæ, beatorum Petri & Pauli, B. Matthæi apoſtoli, Simonis & Judæ apoſtolorum, B. Andreæ apoſtoli, B. Laurentii, & omnium-Sanctorum, in majori letania, ſcilicet in feſto B. Marci evadgeliſtæ, in tribus diebus Rogationum. Si vero aliqua de prædictis vigiliis die Dominica evenire contigerit, die ſabbati præcedenti jejunium indicatur, & abſque omni peccato, ex debito enim tenemur facere talia jejunia.

VI. *De matrimonio.*

LIX. Matrimonium cum honore & reverentia celebretur, & in facie eccleſiæ, non cum riſu & jocoſe, ne contemnatur. Et antequam fiat matrimonium, ſemper in tribus diebus Dominicis aut feſtivis a ſe diſtantibus, quaſi tribus edictis inquirat ſacerdos a populo ſub pœna excommunicationis de legitimitate ſponſi & ſponſæ, qui debent conjungi in matrimonio, & ante fidem datam de contrahendo, & ante hæc tria edicta nullus audeat matrimonium celebrare.

LX. Prohibeant frequenter preſbyteri laïcis, ne dent ſibi mutuo fidem de contrahendo, niſi coram ſacerdote & in loco celebri, ſcilicet ante januas eccleſiæ, ſi contrahere volentes poſſint ibi commode convenire.

LXI. Semper in nuptiis prohibeantur per excommunicationem ſortilegia fieri. Malefici quoque & celantes conſanguinitatem, votum, ordinem, affinitatem, diſparem cultum, compaternitatem, & alia impedimenta matrimonii, excommunicentur: quæ compaternitas quatuor tantum a matrimonio excludit perſonas, ſcilicet compatrem, commatrem, filium vel filiam patrini, de quibus contrahitur compaternitas, fratrem ſcilicet & ſororem ſpiritualem.

LXII. Nullus ſacerdos in caſu dubio audeat perficere matrimonium inconſulto epiſcopo; ſed ſemper ad eum referat omnes matrimonii dubietates.

VII. *Nova conſtitutio matrimonii.*

LXIII. Cum tam in Lateranenſi quam provinciali conciliis inhibitum ſit, ne matrimonia per verba de præſenti contrahantur, vel ſolemnitas adhibeatur, bannis non editis, juxta morem eccleſiæ. Et ne per ignorantiam laïcorum & ſimplicitatem, & quandoque per malitiam ſacerdotum frequenter contrarium attentetur; inde eſt quod poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, circa impedimentum plena probatione deficiente, multi in nefaria copula remanent copulati. Unde ſtatuimus ut preſbyteri inhibeant publice in eccleſiis parochianis ſuis, ne ipſi abſque preſbyterorum ſuorum præſentia matrimonia ſeu ſponſalia contrahant, & ne ipſi preſbyteri interſint hujuſmodi matrimoniis contrahendis, videlicet per verba de præſenti, donec banna in eccleſiis fuerint edita, juxta morem & formam eccleſiæ. Et ne ipſi preſbyteri clandeſtina matrimonia celebrare præſumant, vel alienos parochianos benedicere ſine preſbyteri ſui licentia ſpeciali, de qua conſtet per vivam vocem, vel ſigilla authentica non ignota. Si preſbyter contra fecerit, per triennium ſit ſuſpenſus: laici vero qui intererunt, excommunicationi ſubjaceant; ipſo facto, donec per ſuperiorem fuerint abſoluti. Et ne contrahentes per verba de præſenti contra inhibitionem de malitia ſua commodum valeant reportare; præcipimus, ſi aliqui taliter contraxerint, tantum differatur talium benedictio nuptialis, quod non celebretur abſque archidiaconorum, vel epiſcopi, vel officialium eorum licentia ſpeciali.

LXIV. Eidem pœnæ ſubjaceant qui ante legitimam ætatem maſculum vel feminam matrimonio copulant, vel hujuſmodi matrimoniis intereſſe præſumunt. Pœna nihilominus gravior imponenda, ſi ſuperiori viſum fuerit expedire.

LXV. Prohibetur diſtricte ſub pœna ſuſpenſionis, ne ullus ſacerdos aut capellanus exigat aliquid ante benedictionem nuptialem, ſive pro teſtimonio ferendo, ſive pro matrimonio celebrando, occaſione ferculorum quæ debentur pro nuptiis. Celebrato autem matrimonio, recipiat fercula ſua, & exigat, ſi neceſſe fuerit.

LXVI. Prohibeant ſacerdotes in eccleſia

publice ſub pœna excommunicationis, ne alter conjugum tranſeat aut recipiatur ad religionem, niſi per epiſcopum.

VIII. *De unctione.*

LXVII. Cum ſumma reverentia deferatur oleum ſanctum ad infirmos, & eos inungant ſacerdotes, cum magno honore & orationum celebritate, quæ ad hæc ſunt ordinatæ, & nihil inde penitus exigant, ſive a paupere ſive a divite; ſed ſi quid gratis datum fuerit, gratis accipiatur.

LXVIII. Ad ſacramentum extremæ-unctionis moneant ſæpe ſacerdotes populum, non tantum divites & ſenes; ſed etiam pauperes & juvenes omnes, maxime a quatuordecim annis & ſupra, ut omnes communiter ſe paratos exhibeant cum fuerit neceſſe.

LXIX. Doceant frequenter ſacerdotes populum hoc ſacramentum licite poſſe iterari & ſæpe recipi, ſcilicet in qualibet magna infirmitate vel neceſſitate, unde metus eſt mortis, & poſt receptum poſſe licite reverti ad opus conjugale cum qui convaluerit de infirmitate.

IX. *De libris eccleſiaſticis & pœnitentiis.*

LXX. Librum qui dicitur manuale habeant ſinguli ſacerdotes parochiales, ubi ordo continetur extremæ-unctionis, & cateceſim baptiſmi & hujuſmodi; habeant etiam ſinguli ſacerdotes canones pœnitentiales & ordinarium officiorum eccleſiæ, ſecundum modum & uſum qui obſervatur in majori eccleſia.

X. *De teſtamentis.*

LXXI. Prohibetur ſacerdotibus, ne teſtamenta ſua ordinent per manum laïcalem. Ipſi quoque prohibeant laïcis frequenter ne teſtamenta ſua faciant ſine præſentia ſacerdotis: quod ſi fecerint ſine præſentia ſacerdotis, non valebit, neque tenebitur teſtamentum.

XI. *De reditibus eccleſiarum.*

LXXII. Præcipitur ſacerdotibus, ut omnes reditus & poſſeſſiones eccleſiarum ſuarum ſcribant in miſſalibus ſuis in principio libri vel in fine.

LXXIII. Prohibetur penitus preſbyteris & parochianis, ne de his quæ ſunt eccleſiæ, aut preſbyteri, aliqua alienent ab eccleſia, niſi per conſilium epiſcopi vel archidiaconi ſui.

XII. *De interragiis.*

LXXIV. Prohibetur diſtricte ſacerdotibus, ne pro interragio corpus ſepeliri differatur; ſed poſt ſepulturam, ſi quid datur gratis, accipiatur & exigatur ſecundum conſuetudines approbatas.

LXXV. Quicumque de novo reædificaverit in cimiterio, excommunicetur, & tribus diebus continuis vocetur excommunicandus; & niſi ſe ad juſtitiam obtulerit, & fidem dederit quod veniet ad diem ſibi aſſignatam, & diem adverſario nunciaverit, excommunicetur, & excommunicatus nullo modo abſolvatur, præterquam in articulo mortis, & tunc data cautione quod ſtabit judicio ſanctæ eccleſiæ.

LXXVI. Fimus vel immunditiæ non permittantur in cimiteriis adunari.

LXXVII. Prohibeant ſacerdotes ſub pœna excommunicationis in cimiterio vel in eccleſiis choreas duci.

XIII. *De citationibus.*

LXXVIII. Preſbyteri ſuper citationibus & vocationibus faciendis non credant his qui fidem dederint, niſi citationem oſtenderint ſuper excommunicationibus ferendis, ſive litteris non credant.

LXXIX. Sententias majorum ſuorum exequantur audacter, latas diſtricte ſervent, nemini parcentes timore vel amore, nec a denunciatione ceſſent, quouſque ſuper hoc mandatum receperint ſpeciale.

LXXX. Præterea ex plurimorum preſbyterorum relatu didicimus, quod citationibus impetratis, illi qui eas impetrant ſacerdoti eas poſtponunt oſtendere malitioſe, ut prima facie præſumitur, eas oſtendere differentes, uſque ad penultimum diem citationis occurrentem. Ut igitur malitiis talium valeamus obviare, volumus & præcipimus, quod ſi citatio octo dies aut plures contineat, quod niſi infra triduum a tempore impetrationis computandum eam oſtenderint ſacerdoti, citationem ſacerdos nullatenus exequatur; & ſi forſan minus tempus obtineat, ſacerdos eam nullatenus exequatur, niſi eidem tempeſtive oſtendatur.

XIV. *De prægnantibus mortuis.*

LXXXI. Mortuæ mulieres in partu ſcindantur, ſi infans vivere credatur: tamen ſi bene conſtiterit de morte ipſarum.

LXXXII. Sacerdotes audito parochianorum ſuorum obitu, ſtatim abſolvant eos.

LXXXIII. Item, inhibeatur ne fiant reſignationes eccleſiarum in manu abbatum vel quorumlibet patronorum, niſi in manu epiſcopi vel ipſius vices gerentis.

LXXXIV. Non permittatur prædicatoribus ſuper arcas celebrare, nec pulſare per vicos campanas, nec loqui in eccleſia, nec præſentare reliquias; ſed tantum deferant brevia, & ſacerdotes pro eis loquantur, & ſi voluerint prædicationis officium aſſumentes.

LXXXV. Exhortentur ſæpe preſbyteri populum ad dicendum orationem Dominicam, & *Credo in Deum*, & ſalutationem B. Mariæ Virginis.

LXXXVI. Moneant ſæpe populum ſacerdotes & maxime mulieres, ne faciant vota ſua, niſi cum magna deliberatione & aſſenſu

virorum ſuorum & conſilio ſacerdotum.

LXXXVII. Nullus ſacerdos aut capellanus teneat in domo ſua occaſione aliqua mulierem aliquam, niſi ſit mater ejus vel ſoror.

LXXXVIII. Prohibetur penitus univerſis ſacerdotibus ludere cum deciis, intereſſe ſpectaculis, & choreis aſſiſtere, & intrare tabernas cauſa potandi, & intrare domos alienas ſine comite clerico vel laïco, aut diſcurrere per vicos & plateas, & ne habeant cappas alatas & veſtes inordinatas, maxime houcias & hergandos omnino prohibetur.

LXXXIX. Nullus clericus vel regularis recipiat decimam de manu laïci, niſi per manum epiſcopi.

XC. Nullus clericus fidejubeat pro Judæo vel fœneratore, nec obliget aliquo modo ornamenta eccleſiæ, vel libros Judæis, vel quæcumque alia eccleſiæ, niſi pro neceſſitate eccleſiæ: & tunc conſilio parochianorum fiat obligatio, non Judæis, ſed Chriſtianis.

XCI. Nullus recipiatur ad prædicandum, niſi ſit authentica perſona ab epiſcopo vel archidiacono miſſa.

XCII. Nullus clericus faciat jusjurandum patronis antequam fuerit epiſcopo præſentatus.

De miniſtratione panis.

XCIII. Sacerdos miniſtrans diligenter attendat, quod hoſtia ſit integra, & quod habeat circulum integrum, & quod vinum non ſit acetoſum.

XCIV. Si per negligentiam ſacerdotis evenerit, quod abſit, ut ſacerdos cantans miſſam panem vel vinum oblitus fuerit, cum hoc cognoverit, ſi hoſtia defuerit, aſſumat illam, & mittat ſuper corporale, & incipiat conſecrationem a *Qui pridie quam pateretur*. Si autem vinum defuerit, quod conſecrari debeat, cum hoc cognoverit, mittat vinum in calicem, & incipiat conſecrationem a *Simili modo poſteaquam cœnatum eſt*, uſque in finem.

XCV. Si cum aqua tantummodo cantare contigerit, cum hoc expertus fuerit, mittat vinum in calicem, & incipiat ut ſupra diximus a *Simili modo*. Quod ſi cantaverit de vino ſine aqua, & expertus fuerit, mittat aquam in vinum & reincipiat: *Oremus præceptis ſalutaribus moniti*, &c. & dicat orationem Dominicam & *Libera nos quæſumus Domine*.

XCV. Si per negligentiam evenerit, ut peracto canone, peracta conſecratione, nec vinum nec aqua reperiantur in calice, ſtatim debet infundi utrumque, & ſacerdos reiterabit conſecrationem ab illo loco canonis: *Simili modo poſtea quam cœnatum eſt*: ita tamen, ne illas duas cruces obmittat, quæ ſingulariter fiunt ſuper panem. Quod ſi de vino ſine aqua, vel de aqua ſine vino fiat conſecratio, vinum reputabitur pro conſecratione aqua non reputabitur, & ita negligentia de vino major reputabitur, & minor * eſt pœnitentia danda. *ſ. major.

XCVI. Quod ſi de ſanguine domini ſuper corporale ceciderit, recidendum eſt illud corporale, & in loco reliquiarum ſervandum. Si ſuper pallam altaris ceciderit ſimiliter fiat. Si ſuper albam, ſi ſuper caſulam, ſimiliter fiat. Si ſuper aliquod veſtimentum, comburenda pars illa eſt, & cinis in ſacrario reponendus. Si ſuper terram ceciderit, lingendus, & tergendus eſt locus, ſive terra, ſive lapis ſit & pulvis, in ſacro loco reponendus.

XCVII. Si in ipſum ſanguinem muſca, aranea, vel aliquid tale ceciderit, quia vix ſine vomitu & periculo mortis ſumi poteſt, igne cremandus eſt, & ſanguis domini ſumatur.

XCVIII. Super illud quod intus ceciderit, prius debet in calice vino ſæpius perfundi, & poſtea ſuper piſcinam debet comburi, & illam ablutionem ſumat ſacerdos.

XCIX. Quod ſi de corpore Domini ſuper pallam ceciderit, vel ſuper aliquod veſtimentum, non ſcindatur, ſed vino abluatur, & ab ipſo miniſtro ſumatur. Quod ſi datum infirmo rejicitur, prout diligentius poterit ſuſcipiatur, & contritum in vino ſumatur. Si vero ſumi non poteſt integrum, eo quod ab ore alterius rejectum eſt, reus hujus negligentiæ & qui cum eo particeps fuerit culpæ, pœnitentiæ ſubjacebunt & diſciplinæ.

C. Diligenter inquirant ſacerdotes quando veniunt ad infirmos, utrum poſſit maſticare, & poſt maſticationem percipere & retinere; & ſi intelligat per ipſum infirmum vel per alium, quod non poſſit, non miniſtretur ei corpus Domini.

CI. Si per negligentiam ſacerdotis aliquid de ſanguine Domine diſtillaverit, lingua lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus conradatur, igne conſumatur, & cinis intra altare condatur & ſacerdos XL. diebus pœniteat.

CII. Si ſuper altare ſtillaverit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper aliud linteum altaris ſtilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si uſque ad tertium linteum, novem diebus pœniteat. Si uſque ad quartum, XX. diebus pœniteat, & linteum quod tetigerit ſtilla, tribus vicibus miniſter abluat calice ſuppoſito, & aqua ablutionis ſumatur, & juxta altare recondatur.

CIII. Si per ebrietatem & voracitatem euchariſtiam evomuerit, XL. diebus pœniteat, clerici vel monachi ſive diaconi ſive preſbyteri ſeptuaginta diebus pœniteant, epiſcopi nonaginta.

Expliciunt præcepta ſynodalia cathedralis eccleſiæ Aurelianenſis.

Sequuntur paulo recentiori caractere, ſed

qui accedit ad annos 400. *ſtatuta Stephani Senonenſis archiepiſcopi edita in concilio provinciali apud Meledunum celebrato anno domini* MCCXCIX. *die Jovis ante feſtum B. Vincentii, qualia edita ſunt apud Labbeum anno* MCCC. *Deinde eadem manu ſtatuta Philippi archiepiſcopi, edita in concilio Pariſienſi anno* MCCCXIV. *die Martis ante tranſlationem B. Nicolai. Poſtea ſimili charactere alia ſtatuta domini epiſcopi Milonis facta anno domini* MCCCXIV. *in æſtivali ſynodo cum aliis publicata.* (*a*)

STATUTA MILONIS EPISCOPI

Aurelianenſis anno MCCCXIV. *in ſynodo autumnali edita.*

1 Quoniam propter quorumdam ſimplicitatem, qui cum debent verba de futuro proferre in ſponſalibus contrahendis, verba proferunt de præſenti, per quæ difficultates emergunt, tædia in judiciis, parteſque fatigantur laboribus & expenſis, neſcientes recitare judicibus per quæ verba contraxerunt, utrum præſentis vel futuri; ad evitandum hujuſmodi tædium & periculum animarum, ſtatuimus, ut in ſponſalibus contrahendis ſacerdotes his verbis utantur: *Martinus promittis tu Bertæ quæ hic eſt, quod tu eam accipies in uxorem ſecundum eccleſiæ conſuetudines & ſtatuta, ſi ſancta eccleſia conſentiat.* Et ille dicat: *Promitto.* Et vice verſa interrogetur: *Berta, promittis tu Martino, qui hic eſt, quod tu eum accipies in maritum ſecundum eccleſiæ conſuetudines & ſtatuta*, & illa dicat: *Promitto*, & tunc tactis inter ſe manibus, in ſignum fidei dationis ſacerdos dicat: *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Cum autem fuerint ante valvas eccleſiæ die benedictionis nuptialis, factis bannis, ut moris eſt, tunc proferantur verba de præſenti, ſecundum quod inter ſponſas fieri conſuevit.

II. Item, præcipimus ut archipreſbyteri ſingulos rectores eccleſiarum & capellas tenentes, ſive ſint religioſi, ſive ſæculares, quos quam cito ſciverint excommunicatos, ex tunc moneant, quod infra duos menſes poſt monitionem hujuſmodi faciant ſe abſolvi. Quod ſi non fecerint, ex tunc illi archipreſbyteri, quilibet in ſuo archipreſbyteratu eccleſias ſeu capellas talium qui non fuerint abſoluti, vice noſtra & auctoritate ſeſiant ac tamdiu fructibus beneficiorum ſuorum hujuſmodi eos privent, donec ipſi fecerint ſe abſolvi; & ſi poſt monitionem ſibi factam, excommunicationem per dimidium annum ſuſtinuerint, ex tunc in ſcriptis nomina deferantur, ut contra eos, prout rationabile fuerit, procedatur.

III. Item, ſtatuimus, ut litteræ, quas habent preſbyteri de acquiſitione jurium & redituum eccleſiarum ſuarum, ſub ſigillis authenticis tranſcribantur, tranſcripta penes ſe retineant: originalia vero de conſcientia noſtra ſeu archidiaconi & archipreſbyteri loci in loco tuto & honeſto deponant & conſerventur.

IV. Item, ſacerdotes moneant parrochianos ſuos, ut jejuni veniant ad confirmationem, quæ poſt baptiſmum ſuſcipi debet ab epiſcopo, prius tamen, ſi adulti fuerint, ſuis ſacerdotibus confeſſati.

V. Item, cum ſæpe contingat bona utenſilia preſbyteratuum eccleſiarum per negligentiam miſerabiliter pertrahi, & ad nihilum plerumque reverti, ſtatuimus, ut quotiens aliquis rector in aliqua eccleſia de novo fuerit inſtitutus, faciat triplex inventarium ſuper bonis dicti preſbyteratus, de quibus inventariis rector dictæ eccleſiæ unum, archipreſbyter loci unum, & gajarii ſeu proviſores dictæ eccleſiæ tertium penes ſe fideliter ſervabunt. Et quotieſcumque eccleſiam ſuam aut per mortem aut per ceſſionem dimiſerit, tenebitur relinquere dictæ eccleſiæ quinquageſimam partem groſſorum reddituum ipſius eccleſiæ unius anni tantummodo, vel valorem, in augmentatione utenſilium dicti preſbyteratus totaliter convertendum, dum tamen idem rector ſaltem per unum annum perceperit dictos fructus.

VI. Item, quoniam aliquoties in examinationibus leproſorum ſimilitudinem & falſitatem per interpoſitionem perſonarum fieri contingit, ſtatuimus & præcipimus, quod quotieſcumque aliquis ſuſpectus fuerit de infectione morbi lepræ, cum ejus ſumtibus, ſi unde habeat; ſi non habeat, duo probi viri de parrochia cum parrochiæ ſumtibus jurati coram ſacerdote & gajariis eccleſiæ mittantur cum illo ſuſpecto ad examinationem faciendam; qui dictum ſuſpectum ad dictam examinationem ducant, & eum fideliter examinari faciant, nobiſque litteras teſtimoniales afferant, ne colluſionem de cetero contingat fieri de præmiſſis.

VII. Item, ſtatuimus, quod quilibet ſacerdos de cetero ſupertunicale clauſum habeat, ſcilicet ſine punctis, alio non uſurus, niſi forſitan equitando, vel in domo ſua, & vacando circa rem familiarem. Qui vero contra fecerit, prout culpæ qualitas exegerit, punietur.

VIII. Item, ſtatuimus, quod nullus curatus capellanum habeat in eccleſia aut capella, niſi prius conſtiterit de ordinatione ejuſdem, per litteras ſui ordinatoris, aut noſtras, ordinationem ipſius approbantes.

IX. Item, interdicimus ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, & etiam publice inhibemus, ne quis ſacerdos cujuſcumque conditionis aut ſtatus exiſtat, in oratoriis ſeu capellis, in quibus non eſt capella-

(*a*) Id eſt cum ſtatutis Philippi archiepiſcopi quæ præcedunt.

nus perpetuus inſtitutus, & nec dos ſufficientium reddituum aſſignata, divina audeat celebrare abſque noſtra licentia ſpeciali.

X. Sequuntur hic feſta, quæ licet non ſint per totam diœceſim a clero & populo communiter feſtivata, in quibus tamen ob Dei & ipſorum ſanctorum reverentiam in foro eccleſiaſtico minime litigatur. Feſtum S. Guillelmi, quod eſt decima die menſis Januarii, feſtum S. Floſculi & Blaſii, quod eſt in craſtino purificationis; feſtum S. Nicolai quod eſt in Maio; feſtum S. Mamerti in Maio, (Feſtum S. Petri Coelestini xix. die Maii, *paulo recentiori* manu) feſtum B. Liphardi, quæ eſt tertia Junii; feſtum S. Aniani quod eſt xiv. die Junii; feſtum S. Aviti, quod eſt xvii. Junii; feſtum S. Eligii, quod eſt in craſtino nativitatis S. Johannis Baptiſtæ; feſtum æſtivale S. Martini, feſtum S. Evurtii, quod eſt in vigilia nativitatis Mariæ Virginis; feſtum hiemale S. Mamertis, quod eſt xiii. die Octobris; feſtum S. Verani, quod eſt in vigilia hiemalis B. Martini; feſtum S. Aniani, quod eſt xvii. die Novembris; feſtum S. Catharinæ; feſtum S. Eligii in craſtino B. Andreæ; feſtum conceptionis B. Mariæ, quod eſt in die viii. Decembris.

XI. Ecce nova ſtatuta ſynodalia quæ ſub pœna excommunicationis diligentiſſime præcipimus obſervari. Primo monemus ſub pœna excommunicationis & viginti librarum, quod capellani ſtatim recipiant litteras curiæ Aurelianenſis, & eas exequantur, nec partibus ſignificent; quando litteræ contra ipſos fuerint præſentatæ, donec fuerint ſigillatæ.

XII. Item, monemus ſub pœnis prædictis, quod pro regiſtrando & tollendo de regiſtris nihil recipiant.

XIII. Item, quod eccleſiaſtica ſacramenta benedictiones, & ſepulturas eccleſiaſticas impendant ſine præcedentibus pactionibus, ſecundum ſtatuta alias edita; nec aliquid percipiant ultra quod ſtatutum eſt ab antiquo pro eiſdem.

XIV. Item, quod uſurarios manifeſtos denuntient debere carere eccleſiaſtica ſepultura, & quod eos non admittant ad eccleſiaſticam ſepulturam ſub pœna centum librarum piis uſibus per manus domini epiſcopi applicandarum, & nihilominus excommunicatos coſdem in eccleſiis ſingulis diebus publice nuntient.

XV. Item, ſub pœna prædicta quod curati habeant certum & unicum ſigillum ſub nomine eccleſiæ, altero non utendo in executione curiæ Aurelianenſis.

XVI. Item, omnes & ſinguli clerici beneficiati, qui per annum in excommunicatione ſcienter perſtiterint, ipſo jure ſint privati.

XVII. Item, monemus omnes & ſingulos rectores eccleſiarum, ne ſi ſciverint aliqua teſtamenta in ſuis parrochiis fuiſſe facta, quæ non ſint executa, infra menſem nobis revelent.

XVIII. Item, præcipiatur curatis, quod parrochianos ſuos, qui excommunicati ultra annum præſtiterint, moneant, quod faciant ſe abſolvi, alioquin contra ipſos tamquam ſuſpectos de fide procedetur.

XIX. Item, denuntient excommunicatos omnes illos, qui per metum, vim, atque minas juſtitiæ ſæcularis, abſolutionis ſuæ benefacta obtinent & impetrant.

XX. Item, moneant omnes juratos, ut teſtamenta per eos recepta infra menſem poſt receptionem afferant ad ſigillum, nec antea parti petenti reſtituantur.

XXI. Item, monemus omnes & ſingulos beneficiatos, ut ipſi infra annum a ſui beneficii ſuſceptione, ad ordinem quem requirunt eorum beneficia, faciant ſe promoveri, alias ipſis beneficiis ipſo jure ſint privati.

XXII. Item, omnes gratiæ de non reſidendo, quæcumque ſint, revocantur.

XXIII. Item, omnes perturbantes juriſdictionem eccleſiaſticam ſint excommunicati, quicumque ſint, quorum abſolutionem ad nos tantummodo reſervamus.

XXIV. Item, ſtatuimus, quod omnes rectores eccleſiarum parrochialium infra menſem in præſentia notarii domini epiſcopi, aut etiam per alias publicas perſonas faciant & procurent fieri inſtrumenta ſeu inventaria omnium redituum, bonorum, poſſeſſionum, jurium, & redibitionum quarumcumque eccleſiis ſuis & ſibi debitarum ratione eccleſiarum, & etiam de omnibus mobilibus pertinentibus ad preſbyteratum ſuum, vocatis gagiariis eccleſiarum ſuarum & aliis quorum poterit intereſſe, prout melius fieri poterit & debebit.

XXV. Item, inhibemus omnibus & ſingulis ſub pœna prædicta, ne aliquis abutatur litteris apoſtolicis contra tenorem decretalis *ſtatutum*. Quod ſi contrarium facere præſumſerit, excommunicationis ſententiam incurrat.

XXVI. Item, monemus ſub pœna excommunicationis omnes & ſingulos tenentes bona S. Lazari & domorum Dei, ut infra menſem reſtituant ſeu revelent, nec in poſterum occupare vel uſurpare præſumant.

Sequitur concilium provinciale Pariſiis celebratum anno MCCCXXIII. *die ſabbati poſt feſtum B. Mathiæ apoſtoli, editum apud Labbeum, cujus ad Calcem hæc ſequuntur.*

I. Item, preſbyteros, qui ad noſtram præſentem ſynodum non venerunt, ut tenentur, & in habitu conſueto, qui tamen non ſunt legitime excuſati, ſua contumacia exigente, ſuſpenſionis vinculo innodamus: quam ſententiam ſi per ſex dies ſuſtinuerint animo indurato, ſententiam excommunicationis ex nunc, quam in ipſos prout ex tunc ferimus in his ſcriptis, eoſdem volumus ſubjacere.

II. Item,

II. Item, gratias a nobis ſeu vicariis noſtris quibuſcumque conceſſas de non reſidendo in ſuis eccleſiis ſeu beneficiis revocamus, & ex cauſa monentes canonice primo, ſecundo & tertio, & hoc edicto peremtorio pro omnibus omnes ut ſingulas ipſas eccleſias ſeu beneficia infra tres ſeptimanas a præſenti die computandas, quarum primam ſeptimanam pro primo termino, ſecundam pro ſecundo, tertiam pro tertio & ultimo præfigimus, perſonaliter accedant, reſidentiam facturi in dictis eccleſiis ſeu beneficiis, ut tenentur: alioquin ipſos ſic monitos, & præmiſſis non parentes, cum effectu ſuſpenſionis & excommunicationis ſententia, ſecundum qualitatem & conditiones ſuarum perſonarum, in his ſcriptis innodamus.

III. Item, nulli clerici vel preſbyteri noſtrarum civitatis & diœceſis, qui debent eſſe aliis tamquam ſignum ad ſagittam, & bonæ vitæ exemplum, per mala opera ſua, & maxime per fetidum peccatum luxuriæ ſeipſos & alios pertrahant ad infernum: ſuper quibus nos volentes, ut tenemur, opportunum remedium adhiberi, omnes & ſingulos presbyteros & clericos noſtræ diœceſis, concubinas in domibus ſuis publice tenentes & alibi, monemus primo, ſecundo, tertio, quatinus infra octo dies expellant penitus & dimittant eas, numquam de cetero publice recepturi. Quod ſi ſecus facere præſumſerint, in preſbyteros ſuſpenſionis, in clericos excommunicationis ſententiam proferimus in his ſcriptis.

IV. Item, monemus una vice pro omnibus & ex cauſa omnes clericos beneficiatos noſtrarum civitatis & diœceſis, quod infra ſex dies omnino deponant & amoveant caligas rubeas, virides, ſcatatas, & croceas, ſeu albas, & almucias de cendeto ſeu de velveto; ac comas ſeu barbas prolixas, & quod caligas nigras ſeu alias honeſtas, & tonſuram honeſtam, elapſis ſex diebus ex tunc in antea deferant. Alioquin in contravenientes ſententiam ſuſpenſionis & excommunicationis, ſecundum qualitates & conditiones perſonarum ſuarum, ferimus in his ſcriptis.

STATUTA SYNODALIA facta anno viceſimo.

I. INjungimus vobis preſbyteris ſub pœna canonica, ne aliquem audeatis baptizare in aulis vel domibus privatorum, ſed ſolum in eccleſiis veſtris, niſi in neceſſitate, & niſi baptizandi ſint filii regum & principum, prout in nova * conſtitutione cavetur.

Clementina.

II. Item, injungimus vobis, & diſtricte præcipimus, quod de ſacra Euchariſtia a modo annis ſingulis feria quinta poſt octabas Pentecoſtes in eccleſiis veſtris ſolemne feſtum faciatis: pro qua ſolemnitate magnæ remiſſiones & indulgentiæ ſunt conceſſæ aſſiſtentibus in officiis ipſius feſtivitatis, videlicet centum dies in matutinis, & centum in veſperis, & pro qualibet hora quadraginta dies. Similiter per octabas. Et inſuper vobis diſtricte præcipimus, quatenus omnes & ſinguli dictum feſtum die Dominica præcedenti dictam quintam feriam, annuncietis parochianis veſtris, ipſos ſalutaribus monitis inducentes, ut communicent, ut per veram & puram confeſſionem, & ſedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera taliter ſe ſtudeant præparare, quod hujus ſacramenti pretioſiſſimi mereantur fieri participes, & quod poſſint ipſum recipere reverenter; & quod illa die ceſſent ab omni opere ſicut in Pentecoſte.

III. Item, injungimus vobis quatenus religioſos & quoſcumque alios, qui prædicabunt in eccleſiis veſtris, diligenter requiratis, ut ipſi in ſuis prædicationibus informent & inducant audientes eorum prædicationes, & maxime in feſtis ſolemnibus, ad ſatisfaciendum & ſolvendum decimas, ad quas eccleſiis veſtris parochialibus tenentur, & idem faciatis cum ipſorum audietis confeſſiones.

IV. Item, inhibemus vobis ſub pœna canonica, ne aliquos quæſtores permittatis in eccleſiis veſtris prædicare, cum iſtud ſit expreſſe inhibitum in jure; ſed ſolummodo permittatis eis indulgentias, ſi quas habent, inſinuare, nec etiam ipſos admittatis ſine litteris domini epiſcopi.

V. Item, injungimus vobis, ſi aliqui excommunicati exire nolunt de eccleſiis veſtris poſtquam ipſos monueritis, ipſos teneatis & denuncietis publice excommunicatos & interdictos auctoritate apoſtolica & a ſententia canonis, a quibus ſententiis non poſſunt abſolvi, niſi per ſedem apoſtolicam, prout in nova conſtitutione cavetur.

STATUTUM SYNODALE

Factum per dominum Johannem epiſcopum Aurelianenſem anno MCCCXXXV. *in ſynodo Pentecoſtes.*

CUm juriſdictio eccleſiaſtica qualibet die impediatur per judices ſæculares & turbetur, præſertim in perſonis clericorum conjugatorum & non conjugatorum, non deferentium tonſuras & veſtes clericales, præcipimus omnibus curatis noſtræ diœceſis, ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, quas contra ipſos ferimus in ſcriptis, quatinus diligenter moneant in eccleſiis ſuis ſingulis diebus dominicis & feſtivis, & inducant infra menſem parochianos ſuos clericos conjugatos & non conjugatos, ut de cetero tonſuram & veſtes deferant clericales, ut ipſi liberius poſſint gaudere eccleſiaſtica liberta-

te, & quod per eccleſiam ab oppreſſionibus judicum ſæcularium facilius defendantur. Scientes quod ſi qui curatorum prædictorum in executione hujuſmodi mandati, fuerint reperti negligentes vel remiſſi, per nos vel officialem noſtrum ad alias pœnas contra ipſos procedemus graviores.

STATUTA SYNODALIA ecclesiæ Cameracensis.

Ex mſ. abbatiæ Grimbergensis.

De pertinentibus ad synodum.

Districte præcipimus, quod prælati, perſonæ, ſive patroni, & duæ partes ſacerdotum parochialium, qui ſunt mente diſcretiores, & ad labores corporum viribus aptiores, ad arbitrium & electionem decanorum ſuorum ad ſynodum veniant, veniendoque, morando & redeundo honeſte ſe habeant. Iter veniendi non nimis cito arripiant, nec a ſynodo illicentiati recedant. Jejuni intrent ſynodum.

Modus intrandi ſynodum.

Preſbyteri ſint induti ſuperpelliceo cum ſtola, decani cum alba & ſtola, abbates in albis & chori cappa cum baculo paſtorali.

Inhibemus etiam ſub pœna excommunicationis, ne quis moretur in ſynodo, ad quem non pertinet, nec ſynodum negotiis impertinentibus aut aliàs turbare vel impedire præſumat.

De expenſis.

Decani & preſbyteri ad ſynodum venientes, electis ad hoc de conſenſu capellanorum ſuorum duobus proviſoribus idoneis & peritis, faciant adeo moderatas expenſas, quod preſbyteri remanentes, qui parochiis aliorum deſervire tenentur, per exceſſum expenſarum & ſumtuum non graventur.

Inſtructio ad computandum.

Item, præcipimus quod decani noſtri venientes ad ſynodum bene muniti & inſtructi de computis ſuis ad computandum compareant adeo tempeſtive, quod pro defectu eorum, non oporteat illos, quos tangit hujuſmodi negotium, in eodem computo nimiam moram trahere: alioquin ipſi per quos moram hujuſmodi fieri contigerit, expenſas quæ fient propter hoc, de ſuo proprio ſolvere tenebuntur.

Scriptio nominum & locorum a quibus leges capiunt.

Item, decani in computis ſuis ſcribant loca & nomina eorum a quibus leges quaſcumque recipiunt, & cauſas ob quas eas recipiunt, niſi ex hoc timeatur oriri ſcandalum, ſeu periculum corporis imminere.

Nomina uſurariorum & excommunicatorum.

Item, decani omnium uſurariorum manifeſtorum & excommunicatorum per annum & diem, totius ſui decanatus nomina & cauſas excommunicationis in cedula deferant anno quolibet ad ſynodum vel ad computum.

Nomina presbyterorum obeuntium.

Item, decani referant ad ſynodum nomina preſbyterorum omnium, qui illo anno in ſuis decanatibus obierunt, & in ſynodo abſolvantur, & preſbyter quilibet in reditu ſuo unam miſſam de *Requiem* cum toto ſervitio mortuorum pro eiſdem dicere teneatur.

Pœnæ non venientium ad ſynodum, qui venire tenentur.

Item, prælatas perſonas, ſeu patronos & ſacerdotes, ut tenentur, non venientes ad ſynodum, qui non fuerint canonice impediti, aut legitime excuſati, ſeu quibus non detulerimus, niſi infra menſem ſuper hujuſmodi inobedientia emendam nobis ſeu officiali noſtro Cameracenſi præſtiterint competentem, ex tunc a divinis ſuſpendimus, & ſuſpenſos auctoritate ſynodali nunciamus.

De Baptiſmo.

Baptiſmus honorabiliter & caute celebretur, cum aperta diſtinctione & forma verborum, in quibus conſiſtit ſacramentum, id eſt ſalus ſeu virtus baptiſmi, quæ talis eſt:

Petre, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. quæ verba dicantur ab eo qui baptizatum mergit, & dum immergit; & ut caveatur periculum baptizandi, non immergat caput pueri in aquam, ſed baptizans ſuper verticem pueri ter infundat aquam cum bachino, vel alio mundo vaſe & honeſto.

Juxta fontes inſtituatur piſcina aperta, ubi laventur manus eorum qui tenuerunt puerum, & vas lavetur quo infuſus fuit puer. Super piſcinam autem illam ponatur cooperculum.

Renovetur aqua fontium quotiens neceſſe fuerit, & vetus amoveatur, & nova benedicatur & chriſmetur; ſed antequam nova apponatur, fontes diligenter mundentur propter reverentiam ſacramenti.

Inſtructio baptizandi.

Item, doceant preſbyteri viros & mulieres formam & verba baptiſmi in propria lingua, quibus valeant in neceſſitate infantem baptizare, etiam parentes, ſi alius defuerit; & poſtmodum deferatur puer ad ſacerdotem, qui diligenter interroget quid baptizator dixerit, aut quid fecerit. Et ſi invenerit omnia rite facta & dicta, faciat puero ea quæ ſolent

fieri poſt immerſionem. Si autem invenerit, aut dubitaverit puerum non eſſe rite baptizatum, baptizet eum ſub hac forma: *Petre, ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.*

Et doceant preſbyteri, quod ſi pater & mater infantis infantem ſuum in neceſſitate baptizaverunt, non propter hoc dimittant, quin ſe habeant ut conjuges ſicut ante.

Item, ſi caput infantis naſcentis extra appareat, & timeatur de morte ejus, antequam perfecte naſcatur, infundat aquam qui aderit, ſuper caput infantis naſcentis dicens: *Infans, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.* Si autem pervenerit vivus ad ortum legitimum, de novo baptizetur ſub hujuſmodi verbis: *Puer, ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

Quid faciendum eſt de muliere mortua in partu, & ejus partui.

SI MULIER mortua fuerit in partu, non negentur ei aliqua jura Chriſtianitatis, ſed in eccleſia deferatur, in cimiterio tumuletur, niſi aliquid obſtiterit; quia pœnam non debemus ei vertere in culpam. Si certum ſit quod pariens mortua fuerit, teneatur os ejus apertum, & cum magna cautela uterus ejus aperiatur, ut infans vivus, ſi poſſit fieri, educatur, & baptizetur: ſi autem mortuus reperiatur, extra cimiterium tumuletur.

Quot debent levare puerum.

AD levandum puerum de fontibus, quatuor perſonæ laicæ & ſæculares, duo ſcilicet maſculi, & duæ feminæ in patrinos & matrinas, ſive pueri levandi ſunt, ſive maſculi, ſive feminæ, admittantur. Et ſi præſentibus placuerit, quatuor aliæ ſæculares, in ſacris ordinibus conſtitutæ, ſeu religioſæ in religione approbata profeſſæ cum ſupradictis aſſumantur.

Excommunicatio de pluribus.

PRÆCIPIENTES ſub pœna excommunicationis ne plures perſonæ in patrinos ſeu matrinas admittantur: quibus injungatur quod orationem dominicam, ſymbolum apoſtolorum & *Ave Maria* doceant eos quos de fontibus levaverunt.

Fontes ſub operculo & ſera cuſtodiantur cum ſollicitudine diligenti. Chriſma & oleum ſacrum, & oleum infirmorum in ampullis metallinis certis titulis diſtinguantur, & deſuper diligenter obſtruentur. Si autem oportuerit chriſmati, oleo ſancto vel oleo infirmorum, aliud oleum apponi, caute & diligenter miſceatur, appoſitum cum chriſmate, oleo ſancto & oleo infirmorum.

De confirmatione.

HORTENTUR preſbyteri ſubditos ſuos, ut pueros ſuos ſeptennes & ſupra, adducant ad epiſcopum, confirmandos, cum munda & decenti capillatura, lotis frontibus, & cum bendellis, modis aptis de ſpiſſa tela, & tertia die reducant ad eccleſiam confirmatos, ut ibidem frontes eorum laventur a preſbyteris cum cinere vel ſale; & bendella eorum comburentur, & aqua lotionum frontium, cum cinere bendellorum, in piſcinam reponantur. Unus ſolus teneat & liget confirmandum; non pater, nec mater; qui ſi pluries fuerit confirmatus, graviter puniatur.

De Pœnitentia.

SACERDOTES moneant ſubditos ſuos, ut omnes a quatuordecim annis & ſupra, præcipue in quadrageſimali tempore & ante dominicam in ramis palmarum, ad confeſſionem frequenter veniant, & ſaltem ſemel in anno confiteantur proprio ſacerdoti, ideſt preſbytero parochiali. Qui ideo magis proprie dicitur eſſe proprius ſacerdos, quia non ſolum confeſſiones audit & abſolvit; ſed etiam adminiſtrat alia eccleſiaſtica ſacramenta. Confiteantur autem nullatenus alterius peccata, ſed duntaxat ſua, & præcipue omnia mortalia, diſtincte, cum circumſtantiis & aggravationibus, quæ notantur hoc verſu.

Quis, quid, ubi, per quos, quotiens, cur, quomodo, quando.

Et hoc erit in habitu humili & corde contrito. Venialia autem ſaltem in ſumma confiteantur eiſdem. Qui ſacerdotes cum attenta diligentia in eccleſia, loco aperto, poſt ſolis ortum & ante ſolis occaſum, niſi neceſſitas aliud popoſcerit, in ſuperpellicio vel cappa rotunda, cum ſtola, ſedendo, vultibus & oculis in terram demiſſis, manſuete audiant confeſſiones eorumdem, ipſis pœnitentias peccatis ſuis contrarias injungendo, ut ſcilicet pro peccato luxuriæ jejunium & abſtinentiam; pro peccatis ſpiritualibus, meditationes & orationes & ſimilia; pro furto & detentione rei alienæ, primo reſtitutionem aut ſatisfactionem integram, & nihilominus aliam congruam pœnitentiam pro eiſdem.

In actu confeſſionis nec confitens nec ſacerdos verba confabulationis, aut alia quæ ad ſalutem non pertineant confitentis immiſcere præſumat.

Caſus epiſcopo reſervandi.

Reſervamus nobis majora peccata: videlicet peccata contra naturam in viro ultra vigeſimum annum; homicidia, incendia, ſimoniam, hæreſes, apoſtaſias, ſacrilegium ultra quadraginta ſolidos, inceſtus cum patre, matre, filio, filia, ſorore, fratre & cum religioſis mulieribus profeſſis: injectiones manuum violentas in parentes ex deliberatione factas, ſortilegia in ſacramentis, vide-

licet de eucharistia, vel chrismate. Oppressiones parvulorum voluntarie procuratas, negligentias parentum in igne vel aqua natos perdentium, perjuria solemnia & fidei fractiones solemnes in curia Cameracensi. Votorum solemnium transgressiones, maleficia impedientium coitum, procurationes sterilitatum, vel abortivorum, propinationes veneni, magnas blasphemias Deo factas, casus eorum qui falsificant litteras curiæ nostræ vel abutuntur eisdem. Omnes excommunicationes tam a nobis quam a canone latas, exceptis inferius nominatis & expressis, & omnia alia peccata illis graviora.

Casus pœnitentiariis per decanatus commissi.

Committimus pœnitentiariis nostris generalibus per decanatus deputatis, peccata contra naturam in omni ætate a mulieribus perpetrata, & in viris ultra vicesimum annum.

Pollutiones manuum in omni ætate. Perjuria & fidei fractiones, quæ non fuerint facta in curia Cameracensi; votorum non solemnium transgressiones, injectiones manuum in parentes, ubi non fuerit gravis læsio vel deliberatio; sortilegia quæ non fuerint de eucharistia & chrismate; injectiones manuum parvulorum in clericum usque ad vigesimum annum; oppressiones parvulorum non voluntarias, sed casuales; clandestinas nuptias, incestus, exceptis patre & matre, filio, filia, fratre & sorore. Omnia adulteria, hoc salvo, quod si clandestinæ nuptiæ, incestus & adulteria per duos testes, aut plures, qui his interfuerunt, [innotuerint] aut alias per communem famam vel infamiam, prius super his ecclesiæ, vel nostram jurisdictionem exercentibus satisfaciant. Injectiones manuum mulierum in clericum vel sacerdotem, ubi non est enormis læsio, quæ tamen probari possit, ut prædictum est, prius læso & ecclesiæ * satisfaciat. Sacrilegia usque ad quadraginta solidos, in tantum quod debita restitutio fiat ecclesiæ de eisdem; omnia peccata in quibus habent potestatem.

* f. satisfiat.

Casus presbyteris parochialibus deputati.

Curatis & eorum vices gerentibus committuntur inordinatus concubitus cum mulieribus, mollities, peccata contra naturam in ætate puerili, in viris usque ad quartum decimum annum, & in mulieribus usque ad vigesimum quintum. Adulteria ex parte una provenientia. Damnificationes & furta, dummodo fiat restitutio quam cito facultas se obtulerit; sacrilegium usque ad decem solidos, dummodo fiat restitutio ecclesiæ; levis injectio manuum in parentes, sortilegia in rebus minimis & communibus, ubi non est horror & turpitudo; perjuria privata in quibus nullus damnificatur; stuprum virginum, aborsus non procurati, sed casuales.

De casibus nobis & pœnitentiariis nostris reservatis.

Curatis & eorum vices gerentibus, excepto mortis articulo, interdicimus omnem potestatem pertinentem ad pœnitentiarios decanatus, sive ad episcopum, sub forma rigoris.

Sacerdotes confessiones mulierum cum quibus peccaverunt, fautores & mediatores non audiant, donec saltem a peccatis inter eos patratis alias confessi fuerint competenter, & cessaverit infamia, si qua fuerit propter hoc contra eos, sed mittant eos ad honestos & idoneos confessores.

Quibus debent presbyteri parochiales confiteri.

Item, statuimus quod in quolibet decanatu ad audiendum confessiones sacerdotum, qui etiam sint pœnitentiarii generales in ipsis decanatibus, quatuor presbyteri parati ad hoc, discreti & idonei assumantur, a quibus, & non ab aliis, auctoritate nostra a peccatis suis saltem mortalibus, injuncta eis salutari pœnitentia, absolvantur.

Ne autem missarum solemnia plus solito differantur, si presbyteri non possunt quotidie audire confessores suos prædictos, eligant sibi alium vel alios idoneos confessores, ita tamen quod postea quam cito poterunt adeant prædictos confessores sibi deputatos, & eadem peccata saltem mortalia, quæ confessi fuerunt ipsis confessoribus ab eis sic electis, & alia, si qua sint, confiteantur prædictis confessoribus in singulis decanatibus deputatis.

Solemnis pœnitentia pro crimine publico.

Item, statuimus quod si cui imponenda est solemnis pœnitentia pro crimine publico, vel vulgariter quod totam villam commoverit, remittendus est ad nos, ut in die Cinerum ejiciatur ab ecclesia, & in die cœnæ recipiatur.

Item, ad tollendam inter parochiales presbyteros & capellanos perpetuos nostræ civitatis & diœcesis in ecclesiis parochialibus omnimodam materiam quæstionis, statuimus ut capellani perpetui in confratribus audiendis, presbyteris parochialibus subveniant & succurrant in his quæ ad opus parochiale pertinent eo tempore quo constabit dictos presbyteros occasione curæ seu curiæ nostræ Cameracensis esse impeditos, vel infirmitate proprii corporis esse detentos; dum tamen infirmitas hujusmodi xv. dierum numerum non excedat, salvis nihilominus ordinationibus a nobis & prædecessoribus nostris factis super capellanis, qui per nos aut prædecessores nostros ordinate constitunt.

Monitio ad credulitatem.

Item, ſacerdotes moneant ſubditos ſuos, ut perfecte dicant *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo in Deum*; & ſaltem dicant bis, in mane ſcilicet & in veſpere; & injungant iſta ſcientibus nomine pœnitentiæ, ut ea diſcant ignorantes.

Item, ſtatuimus quod habens tonſuram clericalem addiſcat & ſtudeat quotidie dicere ſeptem pſalmos.

Item, quod acolythus horas glorioſæ virginis MARIÆ quotidie dicat.

Item, quod exiſtens in ſacris ordinibus, ſive ſit beneficiatus, ſive non, horas canonicas, videlicet de die, & B. MARIÆ Virginis dicere quotidie non omittat.

Inſtructio in fide.

Item, ſtatuimus quod curati eccleſiarum ſingulis diebus dominicis, vel ſaltem ſemel in menſe ſuos parochianos ammoneant, ut ſuos filios inſtruant ad fidem addiſcendam, videlicet *Avé Maria*, *Pater noſter*, *Credo in Deum.*

Nomina non confitentium.

Item, præcipimus omnibus preſbyteris parochialibus civitatis & diœceſis Cameracenſis, ut nomina parochianorum, qui eis non confitentur ſua peccata, nec euchariſtiam recipiunt, ſaltem ſemel in anno, niſi id de conſilio proprii ſacerdotis omittant, infra menſem poſtquam ad eorum notitiam pervenerint, nobis referant aut reſcribant.

Res per furtum acquiſita.

Preſbyteri ſuis parochialibus inhibeant, ne qui rem furtivam vel furti ſuſpectam emere ſcienter præſumant. Quod ſi ſecus fecerint, ſciant ſe ad reſtitutionem teneri.

Licentia ad viandum.

Item, preſbyteri ſuis parochianis præcipiant, quod illi qui procul ad nundinas aut peregre ſunt iturí, licentiam a ſuo ſacerdote accipiant ſumendi eccleſiaſtica ſacramenta in via, ſi neceſſe fuerit, & ſacerdos non eis denegare præſumat.

Item, ſtatuimus quod preſbyteri & alii qui vice noſtra & auctoritate audiunt confeſſiones, confitentes moneant & inducant, quod ſaltem ſemel in anno peregre viſitent matrem ſuam Cameracenſem eccleſiam; & ſi forſan iidem & præcipue mulieres alias peregrinationes. * Ipſas & maxime mulieribus, quibus parcendum eſt propter ſexum, in peregrinationem ad dictam Cameracenſem eccleſiam unam vel plures, penſatis peregrinationibus pro promiſſæ laboribus & expenſis auctoritate noſtra commutent. Sacerdotes frequenter & diligenter inſtruant ſubditos

* *ſupple* voverint *vel quid ſimile.*

A ſuos de ſymbolo & articulo fidei.

De Euchariſtia.

Sacerdotes in veſtibus ſacerdotalibus mundis & benedictis accedant ad miſſam celebrandam. Manipulus habeat duos pedes ſub brachio de longitudine; ſtola ad minus ad paramentum albæ ſe extendat. Alba & caſula integræ & non diſſutæ habeantur & obſerventur. Amictus integer ſit & ſæpe mundetur. Cingulum mundum, integrum, longum & benedictum habeatur. Preſbyteri ſub alba ſint induti ſuperpellicio vel tunica linea, quæ gallice dicitur *Sarcos*. Non cantent B ſine calceamentis vel caligis, cum caligis attingentibus ſuper genua.

Celebrans in mortali peccato ſcienter.

Noverint ſacerdotes, quod ſi cum conſcientia peccati mortalis ad celebrandam miſſam acceſſerint, & celebraverint, ad minus ter peccant mortaliter. Primo quod præſumunt indigne accedere; ſecundo quod indigni conficiunt & contingunt euchariſtiam, & tenent ſacra vaſa; tertio quia indigne manducant corpus Chriſti & ſanguinem bibunt.

Altare ad celebrandum ad minus paretur C duabus pallis benedictis, duo corporalia ad neceſſitatem unius altaris ad minus habeantur, quæ ſint mundiſſima & benedicta, & aptæ plicaturæ.

Pannus cum quo calix extergitur, cum veneratione cuſtodiatur in calice, vel ſuper altare, ſicut reliquiæ. Ceteri panni quibus patena & calix involvuntur, mundi cuſtodiantur.

Miſſale ſuper involutum camiſia linea & munda altari ſuperponatur, & habeat ſudariolum vel manutergium dependens, quo preſbyteri, nares, faciem & os detergant.

Loca circa altare ab aranearum telis & D pulveribus & ceteris immunditiis ſæpius circummundentur. Cortinæ convenientes, quæ alæ dicuntur, a lateribus altaris utriuſque appendantur, nec * tempore ab aliquo retrahantur. Cortina conveniens ſurſum ſuper altare extendatur, quæ contegat & defendat altare ab incommodis immunditiarum deſcendentium.

* *f.* temere.

* Calix & patena, in quibus conficitur corpus Chriſti, ſint argentei vel aurei integri; E & calix ſit cum firmo pede, non titubans.

Nullus ſacerdos ſine clerico celebrare præſumat; qui clericus deſuper habeat lineam tunicam, vel ſuperpellicium, vel cappam rotundam, & calciatus incedat. Clericus autem vel ſacerdos non faciant aperturas ſub aſcellis in tunica linea, vel ſuperpelliceis, quibus ejiciantur brachia ſine manicis tunicæ lineæ vel ſuperpellicei in miniſterio altaris. Ampullæ vini & aquæ integræ & mundæ intus & exterius obſerventur; & ſigno notabili diſtinguantur vaſa vini a vaſis aquæ.

Vinum ampullæ de tertio in tertium diem ad minus renovetur; vinum rubicundum, si commode possit haberi, ad celebrandum ministretur.

Piscina qua lavat sacerdos manus post consecrationem, munda teneatur & cooperiatur.

Exterforium post illam lotionem mundum habeatur, & reverenter alba tela vel cortina linea vel serica tegatur, & cum corporali abluatur ab aliquo sacerdote vel persona religiosa. aqua ablutionis in piscinam sacram mittatur.

Idem faciat de exterforio calicis, ipsum quando vetus vel minus honestum fuerit, super piscinam sacram comburatur, & cinis in piscinam recondatur.

Item, habeat sacerdos proprium manutergium, quo manus tergat ante celebrationem, vel ante contactum sacrorum, ut eucharistiæ, chrismatis & olei sacri.

Clericus autem non tergat manus suas ad prædictum manutergium vel exterforium, sed habeat aliud manutergium.

Sacerdos sit diligens in electione hostiæ consecrandæ, ut sit integra, solida, non nimis vetusta; & in appositione vini & aquæ, discernat odore, quod sit utrumque, vel ab alio faciat gustu discerni.

De aqua apponantur duæ gustæ vel tres.

Sacerdos autem attente & distincte legat in canone, quæ dicenda sunt.

Sacerdos non elevet hostiam ad levandum populo, nisi prius dixerit hæc verba: *Hoc est enim corpus meum*, & tunc pulsetur campana magna ex una parte tribus vicibus, ut fideles qui audierint, ubicumque fuerint adorent.

Si sacerdos cum venerit ad consecrationem vel ad perceptionem nihil in calice invenerit; innuat quod afferatur ei vinum cum aqua, quibus appositis, dicat verba canonis ab illo loco: *Simili modo postquam cœnatum est*, &c. usque ad finem, & faciat signacula, quæ ex tunc fieri solent super sanguinem. Illa autem quæ facta sunt super eucharistiam non reiteret. Quod si aquam non invenerit, & gustaverit, non reiteret sacramentum sanguinis, sed transeat cum consueto modo. Ille autem per cujus negligentiam hoc evenerit, jejunet tribus diebus a se distantibus in pane & aqua. Si quid de sanguine ceciderit super corporale vel super pallam altaris, pars corporalis vel pallæ intincta sanguine, ter diligenter abluatur, & aqua ablutionis a presbytero jejuno, vel persona religiosa & jejuna sumatur, & poterit dictis pannis uti sicut prius post ablutionem prædictam.

Si sanguis super alium pannum ceciderit, pars intincta abscidatur & comburatur, & cinis in sacra piscina recondatur. Si super lignum & lapidem vel terram solidam ceciderit, illa pars, si commode fieri possit, a sacerdote ablinguatur, & postmodum radatur, & rasura combusta in sacram piscinam ponatur.

Item, si in sanguine musca, vel aranea, vel aliquod abominabile ceciderit, quod vix sine periculo vel vomitu non poterit sumi, caute abstrahatur, & super patenam vel alium calicem abluatur vino, & post sanguinis sumtionem solitam, illa lotio bestiæ in piscina reponatur & bestia super piscinam comburetur.

Si corpus Domini super pallam ceciderit, bis lavetur vino vel aqua, & a presbytero sumatur. Si super aliud vestimentum ceciderit, pars illa abscidatur & comburatur, & cinis in piscinam projiciatur.

Calix ad communicandum infirmos mundus & integer habeatur, & coopertus custodiatur; & si facultas suppetat, fiat argenteus.

Pixis in qua corpus Christi reservatur, vel ad infirmos defertur, sit eburnea vel argentea, vel ad minus cuppa bene elimata; & semper pannus lineus albus, vel sericus & mundus infra pixidem ponatur, super quem corpus Christi in pixide collocetur.

Cum infirmus communicari voluerit, prius visitet eum presbyter sine corpore Domini, si commode fieri possit, & diligenter audiat confessionem ejus, & post ad ecclesiam redeat; & cum iturus erit ad communicandum infirmum, prius aliquanto spatio pulsetur campana aliquo certo signo ad hoc distincto, ut fideles ad ecclesiam conveniant; qui sacerdotem deferentem Dominum suum, & omnes reverenter & ordinate subsequantur, & orationes suas, quas sciunt, dicant devote pro infirmo, eundo & redeundo. Sacerdos autem eat & redeat dicendo septem psalmos; & si via fuerit longior, addat quindecim psalmos, & lætaniam, & ceteras orationes.

Incedat autem sacerdos ad communicandum, cum lucerna & campanula præcedentibus. Expectent autem fideles donec infirmus communicetur, & redeant usque ad ecclesiam post sacerdotem, semper deferentem corpus Domini, ne populus in redeundo nihil adoret. Si qui autem maligni hanc processionem perturbaverint, per censuram ecclesiasticam compellantur. Deferatur autem corpus Christi venerabiliter & solemniter, posito decenti cooperculo super calicem, cruce superposita, panno & fimbriis sericis adornatis. Si infirmus frequenter vomitum levi occasione patiatur, non conferatur ei corpus Christi, sed credat quia spiritualiter accepit. Ante autem quam sacerdos communicet infirmum, dicat ei: si credit, quod sub illa specie panis, sit corpus Christi natum de Virgine, passum in cruce, & resuscitatum tertia die: quod si confessus fuerit verbo vel signo, communicet eum, si

altera non obſtiterit cauſa. Si autem communicatus evomuerit, partes caute & diligenter colligantur quæ reperiri poſſunt, & cum vino a' ſacerdote vel ab aliquo fideli ſumantur. reſiduum vomitus comburatur, & ponatur in terram juxta altare vel alibi in ſacro loco, ubi commode poterit poni. Cum autem corpus Domini defertur, fideles coram quibus defertur, ſi commode fieri poſſit, genua flectant, pectus tundant, & inclinato capite, junctis manibus adorent. Equitantes autem non dedignentur deſcendere equum, ut adorent eum qui pro ipſis deſcendit de cœlis.

Præcipimus ut nullus ſacerdos audeat celebrare miſſam, niſi prius dixerit matutinas canonicas & primam.

Item, præcipimus omnibus & ſingulis preſbyteris, quod euchariſtiam ſeu hoſtias conſecratas pro infirmis ſervatas, renovent in hyeme & æſtate, ſecundum quod honeſtum fuerit; aliter ipſos de inhoneſtate abominabili graviter puniemus.

Corpus Chriſti ſuper altare in honeſto loco vel armariolo ſub clave ſollicite cuſtodiatur. Similiter chriſma, oleum ſacrum, & oleum infirmorum, ſed in alio loco.

Item, doceant ſacerdotes ſubditos ſuos, ut cum venerint ad communicandum die Paſchæ, vel alia die jejunii, devoti & confeſſi accedant, & nulli extraneo ſe immiſceant, niſi viator & peregrinus, & hoc de licentia ſui ſacerdotis.

Hoſtiæ non conſecratæ, quæ dicuntur Panis benedictus, nulli dentur.

Pueri autem non communicentur, niſi antequam diſcretionem fidei habere dinoſcantur, ut intra circiter decennium.

Item, præcipimus ut die Paſchæ & ceteris diebus, quibus fideles communicantur, tot hoſtiæ conſecrentur, ut non oporteat frangi quando fideles communicantur.

Inhibemus ne aliquis ſacerdos bis in die miſſam celebrare præſumat, niſi in magna neceſſitate & urgenti, videlicet in diebus Paſchæ, Pentecoſtes & Omnium-ſanctorum, quibus ſolet copioſa multitudo populi communicari. Item, propter carentiam alterius preſbyteri, ſuccurrendo abſenti, impedito, vel infirmo. Item, ſi magna perſona ſuperveniat, videlicet archidiaconus, & dominus loci, vel alia conſimilis perſona. Item propter præſens funus: item propter inſtantes nuptias: item ut conficiatur corpus Chriſti propter infirmos, ſi inſtat viaticum ſibi præbere: item propter duas miſſas, ſi concurrunt in die: item propter duas eccleſias commendatas vel annexas,* dm cum eum volumus in hoc concurrere, videlicet carentiam ſacerdotis, & quod priori miſſa perfuſionem & ablutionem manuum non ſumſerit ſacerdos, ſed infundat in ſacram piſcinam. Illos autem qui bis in die, niſi in caſibus ſupradictis, ſine noſtra licentia ſpeciali celebrare præſumſerint, anathematis vinculo innodamus.

Item, excommunicamus curam animarum habentes, qui ſine noſtra licentia ſpeciali deſervire præſumunt in duabus eccleſiis ſeu capellaniis, niſi una eccleſia dependente ab altera. Capellani enim non habentes ſufficientes redditus, & preſbyteri mercenarii valeant in duabus eccleſiis non parochialibus deſervire, dum tamen non celebrent bis in die, niſi in caſibus ſupradictis, & quod loca ſua ſibi debito ſervitio non fraudentur.

Præcipimus autem decanis, quod ſi commode poſſint habere preſbyteros non beneficiatos, quod eos ponant in ſuccurſibus deſerviendis; & ſi preſbyteri in eccleſiis per archidiaconum inſtituti, voluerint perſonaliter in ſuis eccleſiis deſervire, volumus quod omnibus præponantur, pretium ſolitum & debitum recepturi.

Item, inhibemus quod preſbyteri & capellani non celebrent in capellaniis nondum confirmatis, niſi qui canonice fuerint ibi inſtituti, & in poſſeſſionem corporalem per loci archidiaconum miſſi: contra facientes autem, in excommunicationis ſententiam incidant, ipſo facto.

Item, ſtatuimus quod nullus apoſtata ſcienter ad celebrandum divina officia in aliqua eccleſia admittatur.

Nullus fidelis arcendus a communicatione, niſi excommunicatus vel interdictus, aut aliquo notorio crimine notatus, videlicet publicæ meretrices, mimi, hiſtriones.

Item, omnes qui faciunt ſortilegia de corpore Chriſti, vel de chriſmate, ſeu de quocumque alio ſacramento, excommunicamus, & a preſbyteris præcipimus excommunicatos nunciari.

Item, inhibemus ne preſbyter, ſi ſit notorius fornicator, videlicet ipſa rei evidentia concubinam domo, menſa & lecto tenens, vicinis hæc ſcientibus, ſeu filiis inde natis vagientibus, hæc atteſtantibus, miſſam celebrare audeat, cum ſit ſuſpenſus quoad ſe, & quoad alios celebrando irregularis efficiatur.

De Matrimonio.

Matrimonium cum honore & reverentia celebretur in facie eccleſiæ; non cum riſu vel jocoſe, ne contemnatur.

Inhibeant preſbyteri parochiales ſubditis ſuis, ne ſponſalia contrahant, aut dent fidem de matrimonio inter eos pariter contrahendo, niſi coram preſbytero ſaltem alterius contrahere volentium, vel illius in cujus ipſi contrahere volentes, vel eorum alter parochia commoratur; & hoc fiat in loco publico, eccleſia videlicet, cimiterio, vel capella, & coram pluribus aliis fide dignis. Et ſi aliter contraxerint ſponſalia, niſi infra octo dies ea iterent coram altero de preſbyteris ante-

*f. duplicem caſum tum.

dictis, non procedat presbyter ulterius ad bannorum proclamationes, nec matrimonii solemnisationem sine nostra & officialis nostri licentia speciali; & qui hoc scienter facere præsumserit, ipso facto se noverit suspensum.

Insuper excommunicamus, & denunciari in generali excommunicatos præcipimus omnes illos & illas, qui post affidationem, sive clandestinam, sive in manu presbyteri factam, ante solemnisationem matrimonii se carnaliter cognoverint, & illos qui clandestine nuptias fieri procuraverint, seu ipsis præsumserint interesse.

Item, excommunicamus omnes qui clandestinas nuptias contrahunt, & presbyteros qui hujusmodi clandestinas nuptias celebrant. Clandestinas autem nuptias vocamus, quibus non præcesserunt tres banni, in ecclesia propria infra missam solemniter tribus diebus solemnibus a se distantibus more solito proclamati, vel de quibus per nos vel per officialem nostrum non extitit dispensatum.

Item, excommunicamus omnes qui contra matrimonium falsa impedimenta proposuerunt, vel verba celaverunt scienter, amore, præcepto, odio vel favore, vel aliqua alia quacumque causa; & præcipimus eos excommunicatos propter hoc frequenter a presbyteris nunciari. Quod si nemo bannorum proclamationi se opposuerit, & loci presbyteri verisimilem, aut veram contra matrimonium habeant conjecturam, nobis aut officiali nostro Cameracensi inconsultis super hoc, ad solemnisationem matrimonii non procedant; & si contra hoc fecerint, excommunicationis sententiam se noverint incurrisse.

Impedimenta autem matrimonii sunt frigiditas, seu impossibilitas coeundi naturalis per defectum caloris; accidentalis, per maleficium; habitus religionis cum professione, ordo subdiaconatus & supra; cognatio consanguinitatis, affinitas, compaternitas, votum solemne factum in manu episcopi, vel alterius ex parte alterius ad hoc destinati; conditio servilis, dispar cultus paganismi vel judaïsmi, vis, coactio, violentia, error personæ, honestas, publicæ honestatis justitia, putà si unus fratrum desponsaverit aliquam puellam septennem & supra, eo mortuo, frater ejus vel consanguineus in quarto gradu, non potest eam habere in uxorem.

Presbyteri autem pro sacramento matrimonii, vel aliorum sacramentorum ecclesiasticorum nihil exigant vel recipiant, nisi forsan vel gratis offeratur, vel ex liberali & non onerosa consuetudine debeatur.

Item, statuimus quod matrimonium non celebretur nec solemnisetur, nisi de mandato nostro speciali, vel officialis nostri, in diebus qui sunt inter primum sabbatum adventus Domini, & crastinum Epiphaniæ; & inter sabbatum septuagesimæ, & crastinum octavarum Paschæ; & inter sabbatum immediate præcedens Dominicam in Rogationibus, & crastinum Trinitatis. In sabbato autem & in crastinis antedictis matrimonium licite celebratur.

Item, præcipimus quod nullus presbyter aliquam mulierem in die, qua inter ipsam & virum matrimonium fuerit solemnisatum, ad purificationem seu messiationem admittere præsumat, nisi de nostra aut officialis nostri licentia speciali.

Item, præcipimus omnibus presbyteris civitatis & diœcesis Cameracensis, ut ipsi in parochiis suis diligenter requirant si sint aliqui conjuncti matrimonialiter in casu illicito, & contra canonicas sanctiones; & si quos tales invenerint, nobis eorum nomina infra mensem, postquam ad eorum notitiam pervenerint, referant vel rescribant.

Item, inhibemus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis, decanis nostris Christianitatis, ne de causis matrimonialibus & aliis quibusvis se aliquatenus intromittant, nisi de speciali commissione nostra, vel officialis nostri Cameracensis; præcipientes omnibus presbyteris subditis nostris, ne decanis, nisi prius facta fide de speciali commissione hujusmodi, pareant vel intendant, salvis informationibus ex eorum officio faciendis, non in figura judicii inter partem & partem, sed ad litem cessandi, vel personas ecclesiasticas vel eorum bona repetendi, aut instructa negotia nobis vel officiali nostro referendi; super quibus nihil penitus immutamus. Decani contraria facientes, ipso facto se noverint suspensos; & nos nihilominus processus factos coram eis, & sententias hujusmodi ab eis super inhibitione latas, decernimus irritas & inanes.

Item, ne matrimonia clandestina debito effectu defraudentur propter testes excommunicatos, tam auctoritate concilii provinciæ Remensis, quam synodalis, pro eo quod illis matrimoniis clandestinis interfuerunt, statuimus, & statuendo declaramus, quod depositiones talium testium valeant, & robur obtineant firmitatis, dummodo a nobis vel officiali nostro Cameracensi, vel ejus locum tenente, ante depositiones eorum ad cautelam fuerint absoluti.

De sacris ordinationibus.

Præcipimus omnibus clericis habentibus ecclesias parochiales, capellanias, præposituras, vel alias animarum curas, ut ad singula sacrorum ordinum tempora se offerant ante dies ordinum, sic apto tempore examinandi, ut nos possimus inquirere de idoneitate & sufficientia eorumdem, & infra tempus debitum, secundum quod onus beneficii requirit, se faciant ad omnes ordines promoveri, & personaliter resideant in eodem, & ad hæc juramentis propriis se astringant.

Item,

Item, præcipimus ſacerdotibus parrochialibus, quod infra menſem a tempore ſuæ primæ reſidentiæ, curam animarum eccleſiarum ab epiſcopo recipere non poſtponant, & infra menſem alium ſuper hoc decanis ſuis faciant certam fidem; alioquin pro anno illo foranei reputentur.

Item, excommunicamus omnes qui illicentiati ab alienis epiſcopis, ſeu a nobis, ſe fecerint ad tonſuram clericalem & alios ordines promoveri.

Item, & illos qui per ſaltum in ſacris ordinibus fuerint promoti: inhibentes decanis noſtris, ne tales ponant in ſuccurſibus deſerviendis, nec ab archidiaconis in poſſeſſionem corporalem admittantur, licet a patronis præſentati, niſi cum eis ſuper hoc a nobis fuerit diſpenſatum.

Item, inhibemus ne parochialis eccleſia conferatur alicui, qui viceſimum quintum annum non attigerit, quoniam talis collatio nulla eſt ipſo jure.

Reſignationes curarum fiant in manus epiſcopi, & aliàs non valeant.

Item, præcipimus quod preſbyteri parochiales & capellani perpetui in eccleſiis & capellaniis ſuis continue perſonaliter reſideant, ſpatio duorum menſium, tam pro diebus continuis, quam interpolatis, numerando pro abſentia a dictis eccleſiis & capellaniis, eis dumtaxat indulto; alioquin foranei cenſeantur, & ſuarum eccleſiarum & capellaniarum fructus nobis & locorum archidiaconis applicentur.

De extrema unctione.

Cum reverentia, aquâ benedictâ & cruce præcedentibus, per ſacerdotem deferatur oleum ſacrum ad infirmos, & diligenter dicantur ſeptem pſalmi, letania & orationes ad hoc inſtitutæ. Ille autem qui inungit, inungendo reverenter & diſtincte proferat hæc verba ad oculos: *Per iſtam unctionem & ſuam ſanctam & piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum;* ad aures *per auditum;* ad nares *per odoratum;* ad os *per guſtum;* ad manus *per tactum*; ad pedes *per greſſum*, ſemper repetendo *Per iſtam unctionem*, ut ſupra.

Manus ſacerdotis deforis inungantur; manus autem aliorum deintus.

Ad ſacramentum extremæ unctionis ſæpe preſbyteri moneant ſubditos ſuos indifferenter a XIV. annis & ſupra, ut ſinguli, cum neceſſe fuerit, inungantur; nec pauperes pro egeſtate ſe excuſent. Si non poteſt infirmus habere multitudinem candelarum, vel indumenta linea, quæ cum reverentia in hoc ſacramento exhiberi ſolent, nec propter hoc dimittat ſacerdos inungere, ſed ſufficiat candela una.

Inuncti vero cum ſtupa diligenter in locis inunctis extergantur, & ſtupæ comburantur, & cinis in ſacro loco ponatur: docentes ſacerdotes, quod hoc ſacramentum licite iterari poteſt in qualibet gravi & periculoſa infirmitate.

Iſtud ſacramentum utile eſt ad tria, quæ notantur his verſibus:

Ungor in extremis, ut fiat gratia major;
Et morbus levior, & mea pœna minor.

Suſcepturi quodcumque ſacramentum, prius conſcientiâ mundentur: honor & reverentia a preſbyteris, clericis & laïcis ſacramentis ſupradictis omnibus impendantur.

[*De clericis.*]

Clerici tonſuram rotundam & competentem habeant, & eam ſaltem ſepties in anno radi faciant, veſtibuſque honeſtis utantur in forma & colore & pretio honeſtatem decentibus clericalem. Veſtibus regulatis & partitis ſub pœna ſententiæ latæ non utantur, niſi ſuper hoc a nobis fuerint diſpenſati. Deauratis frenis, pectoralibus, & calcaribus non utantur.

Clerici autem in ſacris ordinibus conſtituti, præcipue diaconi & preſbyteri, clauſum ferant indumentum & honeſtum; & ſi ſecus fecerint, ipſos in decem ſolidos Turonenſes, totiens quotiens contravenerint, teneri volumus, noſtram juriſdictionem exercenti & locorum archidiaconis applicandos.

Statuimus ſimiliter, quod preſbyteri curati civitatis & diœceſis Cameracenſis, pileos publice in capitibus ſuis deferant, ut ab aliis ſacerdotibus dinoſcantur.

Clerici in ſacris promoti, epiſtolam & evangelium in veſte eccleſiaſtica cantent ſive legant, nec ſe immiſceant officiis artificioſis, ſeu miniſteriis ſæcularibus, nec turpibus, illicitis & prohibitis quæſtibus, & negotiis ſimilibus; videlicet ne ſint campſores, tabernarii, carnifices, nec proxenetæ *, qui vulgariter dicuntur *curtiers* vel *ampliers* in curia laïcali, vel hujuſmodi, quæ ſine peccato vel ſcandalo modernis temporibus non exercentur; a quibus negociationibus vel quæſtibus niſi poſt tertiam monitionem, quam eis a locorum preſbytero fieri præcipimus, omnino deſtiterint, eos in talibus, vel etiam in veſte & habitu non clericali, eccleſia non defendet.

* *mſ.* Prozenetæ.

Diſtricte præcipiendo inhibemus, ne aliqui preſbyteri, tam curati quam alii, in domibus ſuis feminas habeant, exceptis dumtaxat matre, amita, ſorore; cum quibus, ſeu pro quibus nullas ſecum habeant pediſſequas, de quibus ſiniſtra poſſit ſuſpicio ſuboriri. Nec invitent parochianos ſuos cum uxoribus eorum ſecum ad prandium; nec invitati ad prandium vel cœnam, ad eorum declinent hoſpitia preſbyteri, ubi poſſet aliqua ſuper hoc infamia aut ſcandalum ſuboriri.

Non divertant etiam ad tabernas, nec inter ſcurnarias ſedeant, nec domunculas fre-

quentent, quæ ſcunæ vocantur ; nec interſint ludibriorum ſpectaculis, joculatoribus & choreis, nec talia in eccleſiis & cimiteriis fieri aut exerceri permittant ; eccleſiaſque frequentent, & præcipue diebus Dominicis & feſtivis eas frequentare, & in eis, prout eis eſt datum deſuper, cantare & legere non poſtponant.

Preſbyteri & capellani in domibus locorum beneficiorum ſuorum moram trahant, & eas retineant competenter ; alioquin decani de bonis beneficiorum, ſive vacent, ſive non, eas competenter faciant retineri, & ſemel in anno defectus hujuſmodi inveſtigent.

Item, preſbyteri decimas a laïcis non, niſi de noſtra licentia, recipiant ; nec grangias, ſeu terras alienas, aut bona ad cenſam ſeu firmam recipiant, cum id ſpecies negotiationis exiſtat.

Item, ſtatuimus quod ubicumque a præſidentibus juſtitiæ ſæcularis certa pœna pecuniaria ſtatuitur contra laïcos excedentes, clerici pro ſimilibus exceſſibus eadem pœna, & ultra in duobus ſolidis teneantur ; & alias, ſecundum conditionem delinquentis & perſonæ, cui injuria inferetur, ad qualitatem & quantitatem delicti punientur, prout officialis Cameracenſis, aut decanus loci in quo delinquentes moram trahunt, de hoc duxerint decernendum.

Item, decanis prædictis noſtram committimus poteſtatem, ut ubi inter laïcos ſuper inimicitiis treugæ datæ fuerint, compellant per cenſuram eccleſiaſticam, & invocando, ſi neceſſe fuerit, auxilium brachii ſæcularis, clericos de parentela, & quorum intereſt, ad conſentiendum dictis treugis, dandum & tenendum eaſdem.

Item, excommunicamus omnes preſbyteros & clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, qui bragentias intrabunt ſæcularium dominorum, & eos qui jam intraverunt eaſdem, niſi infra menſem exeant ab eiſdem ; qui & ſi per menſem in ſe ſuſtinuerint excommunicationis ſententiam antedictam, ex tunc pro illo anno beneficiorum ſuorum eccleſiaſticorum fructibus ſint privati.

Item, præcipimus quod in monaſteriis & prioratibus monachorum, debitus perſonarum numerus obſervetur ; & ſi hoc omiſſum fuerit, præſidentes ad quos pertinet, pœna canonica puniemus.

Item, ſtatuimus quod nulla perſona religioſa, ſola extra monaſterium, in curtibus commoretur.

Item, ſtatuimus ut omnes preſbyteri nobis ſubjecti, propter culpam ſuam excommunicati, durante excommunicatione ipſa, ſuorum beneficiorum eccleſiaſticorum fructus amittant, & nobis & locorum archidiaconis applicentur.

Item, quia intelleximus quod plures ſacerdotes furtive eccleſias parochiales in dioceſi Cameracenſi ſunt ingreſſi, abſque eo quod a nobis, vel vices noſtras gerente, ſeu prædeceſſoribus noſtris curam receperint eorumdem : item, aliqui per archidiaconum loci, vel auctoritate ſua non ſunt miſſi in poſſeſſionem eccleſiarum corporalem, quas obtinent ; præcipimus quod omnes decani Chriſtianitatis noſtræ diœceſis ſuper his diligenter inquirant, & quos tales invenerint, nobis eorum nomina infra menſem, poſtquam ad eorum notitiam pervenerint, referant & reſcribant.

Item, præcipimus quod preſbyteri parochiales, vel eorum vices exercentes, diebus dominicis & feſtivis ſolemnitatibus, præcedente campanarum pulſatione, divinum officium cantent ſolemniter die ac nocte. Item, & quod ſingulis diebus dominicis pro ſolemnitate diei intra eccleſiam, & qualibet feria ſecunda pro animabus in cimiterio ante miſſam cum clero & populo eis ſubditis, prout conſuetum eſt, proceſſionaliter incedant, dicendo diebus Dominicis unum reſponſorium de Trinitate, & ſi ſit feſtum, de ſancto cujus feſtum evenerit. Feria autem ſecunda *Miſerere mei Deus* & *De profundis*, cum omnibus aliis conſuetudinibus. Si vero feria ſecunda tempus nocivum vel aliud hujuſmodi [aut] cimiterium interdictum fuerit, fiat proceſſio intra eccleſiam ; & ſi feſtum ſolemne eadem feria evenerit, fiat proceſſio die immediate ſequenti.

Item, capellani perpetui in parochiis in quibus capellaniæ ſuæ conſiſtunt, reſidentiam corporalem faciant, & cum curatis locorum in eccleſiis parochialibus veſperis & matutinis miſſis diebus Dominicis & feſtivis interſint, ſecundum conſcientiam a Deo ſibi collatam cantando & legendo.

Nomina autem rebellium preſbyteri ſeu decani nobis vel officiali noſtro nuncient vel reſcribant.

Item, prohibemus ne laïci unà cum clericis in choro ſeu in cancello intereſſe præſumant, dum ibidem divina celebrantur, niſi nobiles exiſtant, & tales qui ibidem conſueverunt preſbyteros in divinis adjuvare.

De reverentia, juriſdictione & libertate eccleſiarum, cimiteriorum & perſonarum eccleſiaſticarum.

Inhibemus ne in cimiteriis & eccleſiis placita ſæcularia teneantur, nec exerceantur ludi joculatorum & hiſtrionum, forum rerum venalium, bannaque ſeu edicta juſtitiæ ſæcularis proclamentur.

Interdicti & excommunicati in eccleſiis, dum prædicatur, intereſſe ibidem poſſunt ; ſed prædicatione finita, incontinenti recedant.

Item, principimus preſbyteris parochialibus & capellanis, quatenus divinis officiis in eorum eccleſiis & capellis celebratis, tam

ante prandium quam poſt, eccleſias & capellas ſuas claudant, & clauſas ac mundas teneant, niſi cauſa honeſta, & inevitabilis ratio popoſcerit aperiri.

Item, ſtatuimus, quod in parochiis, in quibus oves vel arietes nutriri contingat, curatis eorumdem & patronis decimæ lanarum & vellerum pro rata temporis ſolvantur, non obſtantibus conſuetudinibus & ſtatuto contrariis quibuſcumque: fraudem vel dolum in eis perpetrantes, excommunicamus; a qua excommunicatione, niſi per nos aut officialem noſtrum dumtaxat, non poſſunt abſolvi.

Item, ſtatuimus, ut quicumque poſſeſſiones clericorum invadunt injuſte & bona mobilia ipſorum rapiunt, niſi infra quinque dies, poſt præſumptionem hujuſmodi, ea efficaciter reſtituerint cum integra ſatisfactione parati, & nobis condigna emenda, ex tunc ipſos, ipſo facto, excommunicamus.

Item, ſtatuimus, ut nullus laïcus excepto domino & patrono loci, niſi reliquerit eccleſiæ duos ſolidos annui reditus, in eccleſia ſepeliatur.

Item, ſtatuimus, quod ubicumque obſidentur eccleſiæ vel cimiteria adverſus eos qui ibidem refugii cauſa fugiunt, ita quod non poſſit acceſſus haberi pro deferente vitæ neceſſaria ad eoſdem, moneantur per locorum preſbyteros obſeſſores, ut recedant, & ab obſeſſione deſiſtant, & eos libere ire permittant, alioquin ceſſetur a divinis, & obſeſſores, ipſo facto, ex tunc excommunicamus, & propter præſentiam hujuſmodi ad eccleſiam confugientium, etiamſi majori excommunicatione innodati fuerint, preſbyteri ibidem celebrare non omittant.

Item, ſtatuimus ut quicumque maleficium perpetrat in cimiterio vel in eccleſia, per quod atrociter ſanguis effundatur in ipſis eccleſia vel cimiterio, ad x. libras Pariſienſes nobis pro pacta reconciliationis teneatur, & ſi dictas x. libras non poſſit ſolvere, id quod non poterit, parochiani loci teneantur ſolvere.

Item, intelleximus quod quidam prælati, preſbyteri, & beneficiati calices, libros & alia ornamenta ſeu utenſilia eccleſiarum beneficiorum ſuorum pro debitis ſuis debitoribus ſuis obligare præſumunt de facto, licet de jure talis obligatio non valeat, propter quod divinorum celebratio impeditur, in animarum ſuarum periculum, eccleſiarum & beneficiorum ſuorum præjudicium & gravamen, & in ſcandalum plurimorum: quare decanis noſtris mandamus, quatenus inhibeant ipſis ſub pœna ſuſpenſionis, ne quis eorum calices, libros & ornamenta ſeu utenſilia eccleſiarum, ex cauſa prædicta de facto accipere præſumat.

Denuntiamus inſuper obligationes tales, ſiquidem de calicibus ſacris, & ornamentis ſeu utenſilibus prædictis de facto fieri contigerit, non valere; & nihilominus talia facientes ſeu attentantes eſſe graviter puniendos.

Cum per juſtitiam laïcalem exceſſus puniri non debeant clericorum, nec ab eis levari emenda de eiſdem, cum hæc ad ſolos judices eccleſiaſticos, non ſæculares, pertinere noſcantur: Nos juxta tenorem provincialis concilii, & tam temporali quam noſtra auctoritate monemus omnes & ſingulos noſtræ dioceſis & civitatis Cameracenſis, juſtitiam ſæcularem exercentes, ne pro prædictis, ſeu occaſione eorumdem levent aliquid de bonis hujuſmodi, nec exquirant vel exigant quoquomodo; & ſi ſecus fecerint, ipſos excommunicationis ſententia auctoritate noſtra innodamus.

Cum nonnulli tam clerici quam laïci noſtræ dioceſis & civitatis Cameracenſis, conſpirationem, ſocietatem, caritatem, confraternitatem, & communitatem fecerint, ut intelleximus, aut facere nitantur, quod ſi aliquis de ſua ſocietate, caritate, confraternitate vel communitate ſeu de ſuis ſubditis aut de ſuo territorio conveniatur in foro eccleſiaſtico, aut contra eum procedatur, etiam in caſu in quo poterit de jure vel de conſuetudine ibidem conveniri, quod non ad ſumtus communes eorum defendantur, propter quod interdicta eccleſiaſtica non eſt dubium impediri: nos juxta tenorem dicti provincialis concilii, ac ipſius & noſtra autoritate, ut prius, monemus omnes & ſingulos, tam clericos quam laïcos, civitatis & dioceſis prædictarum, quod ſi talia fecerint, ea revocent infra menſem, & de cetero de talibus abſtineant; nec talia committant & talibus non utantur; alioquin ipſos excommunicamus ex tunc ipſo facto.

Item, præcipimus quod preſbyteri omnia bona & reditus tam ad ſe quam ad ſuas eccleſias pertinentia, in miſſalibus ſuis diſtincte conſcribant, alienata renovent, nec de dictis bonis quicquam vendere aut alienare ſine noſtra licentia præſumant, quoniam talis venditio & alienatio non valerent.

Item, præcipimus quod bona immobilia de bonis eccleſiarum acquiſita, eis eccleſiis remaneant, nec ea quiſquam filiis naturalibus, nepotibus & conſanguineis dare aut aſſignare præſumant, ſeu quicquam de bonis eccleſiaſticis acquirere, quod ſub aliquo colore vel mercimonio tranſeat ad velle; & quod ſecus factum fuerit decernimus irritum & inane.

Item, ſtatuimus quod cimiteria in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contigerit per præſumtionem propinquorum eorumdem, vel alias contra eccleſiaſticum interdictum, reconcilientur per appoſitionem aquæ ab epiſcopo benedictæ, ſicut in deliberationibus & reconciliationibus eccleſiarum vel cimiteriorum fieri conſuevit.

Item, ſi qui in cimiterio ſcienter ædificaverint, a preſbyteris excommunicentur.

Curati parochiales ſuos parochianos hortentur præcipue in principio ſuarum infirmitatum, ut confiteantur ſuo curato, & viaticum de conſilio ejus recipiant, ac ſua teſtamenta conficiant, debita ac forefacta faciendo ſolvi, & quædam piis locis erogari.

Item, ſtatuimus ut nullus executor intromittat ſe de bonis executionis ultimæ voluntatis cujuſvis defuncti, ſeu ſe immiſceat eiſdem, niſi prius facta littera in præſentia plurimorum, de inventariis bonorum defuncti, quæ videlicet quanta & qualia ſint: contra facientes ad pœnam condignam nobis ſolvendam teneri volumus.

Item, ſtatuimus quod executores teſtamentorum ſuper legatis & aliis ex parte defuncti in cauſam tracti, ſi in dolo, vel in culpa lapſi inveniantur manifeſte; de ſuo, non de bonis executionis adverſario litis expenſis refundere teneantur.

Concedimus preſbyteris, parochianis & capellanis perpetuis, qui in ſolo eccleſiæ vel capellaniæ ſuæ de bonis undecumque acquiſitis, nova ædificia conſtruxerint, quod pro modo valoris medietatis ædificiorum prædictorum poſſint ſuas ultimas voluntates ordinare, & quod ipſa ædificia uſque ad valorem prædictum valeant obligare æſtimatione valoris hujuſmodi tempore mortis eorumdem ſuper hoc faciendi.

Item, cum plures plura bona ad diverſas pecuniarum ſummas ex teſtamento fidelium datas, conceſſas & legatas ad opus capellaniarum ſeu beneficiorum eccleſiaſticorum inſtruendorum, & emolumenta quæ provenerunt ex illis, ſibi tenere præſumſerint & præſumunt: præcipimus quod preſbyteri tales & eorum nomina nobis nominent, & revelent ſeu officiali noſtro, qui per cenſuram eos compellat eccleſiaſticam, ſi neceſſe fuerit, ad reſtitutionem omnium prædictorum, ut in uſus ad quos deputata & ordinata ſunt, convertantur.

Item, præcipimus ut preſbyteri teſtamenta ſua non per laïcos, ſed ſaltem in præſentia alicujus preſbyteri ordinent ſub teſtimonio competenti, niſi neceſſitas ad hoc arceat aliter eos; & inſuper, ut laïci teſtamenta ſua ſine ſui præſentia ſacerdotis, ſi præſentia ipſius commode haberi poſſit, facere non præſumant. Quos laicos, & alios ſubditos ſuos preſbyteri admoneant, ut teſtamenta ſua, dum adhuc ſunt compotes & mentium & corporum, condere non omittant, & ad faciendas eleemoſynas tam fabricæ Cameracenſis, quam eccleſiis propriis & pauperibus, eos precibus & monitis inducant.

Item, ſtatuimus ut quilibet pro ſalute animæ ſuæ de rebus ſibi debitis, cauſa ſuæ ultimæ voluntatis, vel alias diſponere valeat libere & quiete. In omnes qui contra hujuſmodi teſtamentum fecerint, aut venerint directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, clam vel palam, vel ne hæc fiant conſilium & auxilium præbuerint vel favorem, in his ſcriptis excommunicationis ſententia proferetur.

Item, ſtatuimus quod ſinguli preſbyteri in ſuis parochiis moneant auctoritate ſynodali publice, in facie eccleſiarum ſuarum, omnes qui teſtamentum & diſpoſitiones & ultimas voluntates defuncti receperint exequendum, ut infra annum, ſi commode poſſit fieri, dictas executiones perficiant & compleant de conſilio proprii ſacerdotis, alioquin eos excommunicationis ſententia innodamus.

De exequiis mortuorum.

Statuimus ut ſi curati eccleſiaſtici decedant intra feſtum nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, & feſtum Magdelenæ, fructus maturos ſeparatos a ſolo ſuos faciant.

Item, ſi terris eccleſiæ ab ipſis excultis, decedant inter dicta feſta, volumus ut ſumtus culturæ earum reddantur mandato eorumdem; reſiduum vero fructuum eccleſiæ, cedant nobis & archidiacono loci, ſalvo ſemper ſervitio eccleſiæ. Si inter feſta beatæ Mariæ Magdalenæ & Purificationis B. Mariæ Virginis deceſſerint, omnes fructus pro tempore ſequenti cedant, ut ſupra; ita quod pro rata perceptorum & percipiendorum fructuum, ad deſerviendum eccleſiæ, uſque ad ſequens feſtum nativitatis B. Johannis Baptiſtæ, quælibet pars partem ſeu portionem eam tangentem apponat. Si autem inter feſtum Purificationis & feſtum nativitatis S. Johannis Baptiſtæ deceſſerint, omnes fructus faciant ſuos, ita quod de illis deſerviatur eccleſiæ per conſilium decani loci. Quod quidem ſtatutum & alia de materia hujuſmodi facientia mentionem, ad capellanos ſeu capellanias volumus extendi.

Item, ſtatuimus quod nullus preſbyter funus alienæ parochiæ defuncti ſepelire præſumat. Quod ſi ſecus fecerit, & oſſa defuncti & omne emolumentum; quod occaſione ſepulturæ recepiſſe cognoſcetur, reſtituere proprio curato tenebitur; & nihilominus eum graviter puniemus, niſi defunctus ſalvo jure parochiali ibidem elegerit ſepulturam, aut ſi fuerit de longinquis partibus peregrinus.

Diſtricte præcipimus ut preſbyteris & capellanis defunctis campanæ pulſentur ſolemniter & divinum officium celebretur; quod in craſtino octavarum paſchæ celebretur in omnibus eccleſiis parochialibus anniverſarium omnium confratrum eccleſiæ B. Mariæ Cameracenſis.

Item, ſtatuimus quod ſacerdotes audito obitu ſuorum parochianorum, abſolvant eos

cum pſalmo *De profundis* & collecta ; poſtmodum dicant vigilias, & alia quæ defunctis debentur ; & hoc quando ipſi parochiani excommunicati non deceſſerint, aut ſi excommuicatorum copiam non potuerint habere, per ſuos curatos in forma eccleſiæ abſoluti, ſed ſigna pœnitentiæ tantum apparuerint in eis pro abſolutione impetranda, etiam ad excommunicatum eumdum.

Corpora defunctorum de nocte in domibus cuſtodiantur ; ſed ſi ad eccleſiam deferantur, omnibus excluſis, oſtia claudantur.

Uſurarii niſi de uſuris, & excommunicati, niſi pro quo excommunicati fuerint ſatisfecerint nobis, & parti adverſæ, ſaltem per cautionem competentem, ab eis vel eorum heredibus receptam, per preſbyterum loci ſi ſatisfaciendum fuerit ; ſi vero non ſatisfaciendum fuerit, per receptum de ſtando mandato eccleſiæ juramentum, nullatenus abſolvantur, nec tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ ſi decedant. Volumus autem ut infra menſem, cum accepta fuerit, per ipſum curatum nobis hujuſmodi cautio remittatur.

Item, ſtatuimus quod capellani perpetui ſacramentum a curatis locorum ſuorum in infirmitatibus ſuis euchariſtiam accipiant ; & ſi decedant, in capellis ſuis ſepeliantur, niſi ex devotione, ſalvo jure parochiali, alibi elegerint ſepeliri.

Item, ſtatuimus ut nullus ſuſtinens ex culpa excommunicationem per annum & diem, latam in ipſum, auctoritate noſtra quacumque per preſbyterum abſolvatur, in morte non tradatur eccleſiaſticæ ſepulturæ ; alioquin contra faciens noverit ſe ſuſpenſum.

Quia nonnulli terras parochiæ, eccleſiarum & capellaniarum ſub melioratione ad cenſam recipere formidant a rectoribus & capellanis eorumdem, pro eo quod, ſi ipſos rectores & capellanos ante terminum cenſæ decedere & reſignare contingat, eorum ſucceſſores dictam cenſam & conventiones ſuper eis factas retractare poſſunt, ſi velint, & penitus annullare. Item, quod cenſuarius, melioratione dictarum terrarum, ſi quam fecerit, eſt ea omnino defraudatus, propter quod plures terræ beneficiorum eccleſiaſticorum quotidie pejorantur. Idcirco ſtatuimus quod ſi quis preſbyter & capellanus terras ſui beneficii in parte vel in toto alicui ad cenſam conceſſerit, ipſeque cenſuarius eas per ſuam induſtriam, laborem & expenſam melioraverit, ac ipſum concedentem ante terminum cenſæ decedere ac reſignare contingat, ſucceſſor ipſius decedentis vel reſignantis conventiones a ſuo prædeceſſore cum dicto cenſuario ſuper dicta cauſa habitas, tenere & adimplere, ac ipſam meliorationem ad decretum proborum, ab ipſis ſucceſſoribus & cenſuario eligendorum, eidem cenſatori reddere & reſtituere ante omnia teneatur, pro ut idem eligendi ſeu electi duxerint ordinandum.

De vigiliis & aliis jejuniis totius anni.

Dies immediate præcedentes feſtivitates jejunia habentes vocantur vigiliæ, quia antiquitus mariti cum uxoribus & filiabus ſuis ad eccleſiam illis diebus conveniebant, & ibi cum cereis & luminaribus per totam noctem vigilabant ; & quia contingebat in his vigiliis corrumpi virgines, & ad multa maleficia exercenda majorem opportunitatem haberi, ideo vigiliæ & jejunia ſunt tranſlata, & iſta jejunia adhuc vigiliæ nuncupantur, antiquum morem, & non nomen, variando.

Sunt autem XI. vigiliæ ſingulis annis in diœceſi Cameracenſi, ab univerſis ætatem habentibus jejunandæ ; ſcilicet Aſcenſio, Pentecoſtes, nativitas B. Johannis Baptiſtæ, Petri & Pauli apoſtolorum, Laurentii martyris, aſſumtio B. Mariæ, Matthæi apoſtoli, Simonis & Judæ apoſtolorum, Omnium Sanctorum, Andreæ apoſtoli, nativitas Domini.

Si vigiliæ Dominicis diebus evenerint, ſabbatis præcedentibus jejunantur.

Item, tenentur jejunare in die S. Marci evangeliſtæ, ſi dominica non fuerit ; ſi vero dominica fuerit, feria II. ſequenti, niſi aliud obſiſtat, ut habetur capitulo ſequenti de feſtis.

Item, tenentur jejunare feria II. feria III. & feria IV. ante aſcenſionem Domini.

Item, teneantur jejunare jejunia IV. temporum, quorum primum eſt feria IV. feria VI. & ſabbato inter Pentecoſten & Trinitatem, & fit in æſtate, quæ eſt fervida, ut ſimus ferventes in caritate. Secundum jejunium quatuor temporum fit feria IV. feria VI. & ſabbato poſt exaltationem S. Crucis & fit in autumno, in quo tempore eſt fructuoſum, ut in nobis proveniant & abundent bonorum operum fructus. Tertium jejunium quatuor temporum fit feria IV. feria VI. & ſabbato poſt feſtum Luciæ & Autberti, & fit in hieme, in quo cadunt folia & moriuntur herbæ, ut in nobis defluant vitia & moriantur. Quartum jejunium quatuor temporum fit feria IV. & feria VI. & ſabbato poſt diem Cinerum, & fit in vere, in quo omnia virent, ut in nobis vireant opera virtutum, ſine quibus nihil eſt perfectum.

Fiunt autem hæc jejunia per dies præfatos, quia magis pœnitentiales quam alii dies hebdomadæ ab eccleſia denotantur. Et tres ſunt dies, ut quicquid corde, ore & opere contra unum in ſubſtantia & trinum in perſonis deliquimus, per hæc jejunia quatuor temporum his tribus diebus expiemus. Quando A. E. F. G. ſunt litteræ dominicales, jejunium quadrageſimæ ante nativitatem Domini incipit VI. idus Novembris. Supereſt hujuſmodi quadrageſima, & a religioſis jejunatur. Item, omnes ætatem habentes te-

nentur jejunare ex præcepto eccleſiæ quadrageſima ante paſcha.

De feſtis.

Præcipimus majora feſta ab omnibus ſubditis noſtris diligenter obſervari ; in quibus non debent nec poſſunt preſbyteri licentiare ſubditos ſuos pro accomodatione carrucarum , vel equorum vel animalium ad hæc deputatorum pro ſe vel pro aliis quibuſcumque , videlicet omni die Dominica , in circumciſione Domini , in epiphania Domini, in purificatione B. MARIÆ , in annunciatione Dominica ; in paraſceve autem per totum divinum officium , in die paſchæ , feria II. in paſcha , in die Philippi & Jacobi, in inventione S. Crucis , in aſcenſione Domini , in die Pentecoſtes , feria II. ſequenti , in die ſanctæ Trinitatis , in die S. Sacramenti , in nativitate S. Johannis Baptiſtæ , in paſſione Petri & Pauli apoſtolorum , in die Magdalenes , in die Jacobi apoſtoli & Chriſtophori , in die Laurentii , in die aſſumtionis S. MARIÆ Virginis , in die Bartholomæi apoſtoli , in die nativitatis B. MARIÆ Virginis, in exaltatione S. Crucis , in die Matthæi apoſtoli , in die Michaelis Archangeli , in die Simonis & Judæ , in die Omnium Sanctorum, in die Martini epiſcopi hyemalis , in die Catherinæ virginis , in die S. Andreæ apoſtoli, in die Nicolai hyemalis , in die Thomæ apoſtoli , in die nativitatis Domini , in die Stephani prothomartyris, in die Johannis evangeliſtæ , in die patroni eccleſiæ , & in die dedicationis.

Feſta autem ſequentia vocamus minora, in quibus licet arare & carrucare , videlicet in converſione S. Pauli , in cathedra S. Petri , in die S. Lucæ evangeliſtæ , in die S. Nicaſii , in die ſanctorum Innocentium feria III. & feria IV. in Paſcha & Pentecoſte.

Statuimus autem quod ſi feſtum annunciationis Dominicæ ſabbato in Ramis palmarum occurrerit, ibidem feriatur & celebretur , ſed ultimæ veſperæ fient de tempore, & memoria tantum fiet de S. MARIA per antiphonam , verſum & collectam. Si vero dominica in Ramis palmarum vel deinceps uſque ad diem paſchæ evenerit , feriatur & celebretur feria III. poſt *quaſi modo* , niſi fuerit annotinum paſcha , quod tunc uſque ad feriam V. ſequentem differetur.

Item , feſtum Marci evangeliſtæ , ſi in die paſchæ vel deinceps uſque poſt octavas paſchæ occurrerit , ſtatuimus quod feriatur & celebretur feria IV. poſt *quaſi modo* , & fiat jejunium cum letania majore , proceſſio ipſa die. Si autem aliqua alia die evenerit , fiat feſtum evangeliſtæ ipſa die Dominica , & jejunium & proceſſio cum letania majore fiat feria II. ſequenti , quæ non feriatur.

Si feſtum B. Ambroſii in hebdomada paſchali evenerit , fiat officium ſancti feria III. poſt *quaſi modo* ; ſi autem Dominica in Ramis palmarum vel deinceps , uſque ad diem paſchæ evenerit , fiat feria VI. ante Ramos palmarum. Item, ſi aſcenſio Domini & inventio S. Crucis eodem die occurrant , officium feſti S. Crucis fiat feria VI. ſequenti , ſed non feriatur. Si feſtum B. Andreæ apoſtoli dominica prima adventus Domini evenerit , fiat feria II. ſequenti , & non feriatur , & vigilia ſive jejunium fiat ſabbato præcedenti , & feſtum B. Eligii feria III. ſequenti immediate.

Si feſtum Purificationis in Dominica ſeptuageſimæ evenerit , ibidem feriatur & celebretur & fiat ſabbato præcedenti ; & ſi feſtum B. Agnetis in ſeptuageſima evenerit , fiat feria VI. præcedenti. Eodem modo fiat de aliis ſanctis , ſi neceſſe fuerit.

Quinque ſunt feſta mobilia , videlicet ſeptuageſima , quadrageſima , paſcha , rogationes , & pentecoſtes , quæ ideo mobilia dicuntur , quia certum locum non habent in calendario , quorum notitia ſic habetur.

Dies paſchæ celebratur ſemper tertia Dominica primæ lunationis , quæ eſt poſt nonas Martii , accipiendo lunationes ſecundum veterem aureum numerum. Dominica decima præcedente diem paſchæ ſeptuageſima celebratur. Dominica ſeptima præcedente diem paſchæ prima dominica quadrageſimæ ſive dies Brandonum. Dominica ſexta ſequente diem paſchæ dominica in rogationibus celebratur , & ſequenti feria V. eſt aſcenſio domini ; dominica VIII. ſequenti diem paſchæ celebratur dies pentecoſtes ; intelligendum diem paſchæ & alios dies dominicos inclusive.

Adventus domini ſemper in dominica propinquiore feſto B. Andreæ apoſtoli , ſive dominica præcedat ſive ſequatur ; & ſi feſtum apoſtoli ſit die dominica , eadem die incipiant adventus domini , & debet tranſferri feſtum apoſtoli ſicut ſupra dictum eſt.

De minoribus feſtis duplicibus.

Præcipimus ut feſta beatorum apoſtolorum & evangeliſtarum , item SS. confeſſorum Gregorii , Auguſtini , Ambroſii epiſcoporum & Hieronymi preſbyteri , in ſingulis eccleſiis civitatis & diœceſis Cameracenſis , ſub officio duplici annis ſingulis celebrentur, ſecundum quod in nova conſtitutione ſummi Pontificis ſuper hoc edita plenius continetur.

De indulgentiis.

Nos omnibus vere pœnitentibus & confeſſis , qui matrem ſuam eccleſiam noſtram Cameracenſem devote viſitaverint , quadraginta dies , quotiens hoc fecerint , de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Item , ſtatuimus quod preſbyteri parochiales diligenter exprimant ſuis ſubditis in facie

ecclesiarum suarum, constitutionem provin- A cialem per quam benefactoribus pauperum parochialium suorum, tam à domino reverendo Remensi archiepiscopo, quam ab omnibus ejus suffraganeis XL. dies indulgentiarum conceduntur, qui dies faciunt summam quadringentorum & octoginta dierum.

Item, omnibus & singulis deferentibus funera, & maxime pauperum, de domibus ad ecclesiam, & de ecclesia ad fossam sive cimiterium; seu qui missæ & sepulturæ eorum intererint, x. dies indulgentiarum auctoritate synodali concedimus.

Item, omnibus & singulis flectentibus genua, & dicentibus *Pater noster*, dum in missa audierint nominare hoc nomen, JESU, seu hoc nomen, MARIA, seu hæc verba: *Verbum caro factum est*, auctoritate prædicta, x. dies indulgentiarum auctoritate nostra concedimus.

Item, statuimus quod concomitantes de die presbyterum corpus Christi deferentem eundo x. dies, & redeundo alios x. dies indulgentiarum auctoritate nostra concedimus; concomitantes autem, si de nocte, indulgentias volumus habere duplicatas.

Item, concomitanti presbyterum eumdem cum sacramento extremæ unctionis infirmorum, si de die concomitetur eundo v. dies, redeundo v. dies indulgentiarum concedimus auctoritate prædicta. Si autem de nocte taliter concomitati fuerint, eis indulgentiam concedimus duplicatam.

Item, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui officio & obsequiis presbyterorum & capellanorum intererint, x. dies indulgentiarum concedimus.

Item, omnibus qui processionibus devote faciendis diebus dominicis & die Lunæ intersesse voluerint, & aliis diebus in quibus processiones fieri consueverint in ecclesiis suis parochialibus, pro qualibet processione cujuslibet diei x. dies indulgentiarum concedimus.

Item, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ob reverentiam sacerdotii, nobis vel alicui sacerdoti insurgent, totiens quotiens hoc reverenter & devote fecerint, x. dies indulgentiarum concedimus auctoritate synodali.

Item, omnibus sacerdotibus, qui devote prædicationi in capitulo decanorum faciendæ interfuerint, xx. dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Item, omnibus subditis nostris vere pœnitentibus & confessis, qui primæ missæ novorum sacerdotum interfuerint, & pro nobis & pro nostris & ecclesiæ nostræ negotiis devote oraverint, xx. dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

De executoribus mandatorum Synodalium.

Constitutionem concilii Lugdunensis præ- A cipimus per presbyteros seu eorum vices gerentes, in facie ecclesiarum suarum saltem semel in mense coram populo in lingua materna publicari de verbo ad verbum, quam inferius duximus apponendam, quæ talis est.

Quicumque pro eo quod in reges & principes, barones, & nobiles, ballivos vel quoslibet ministros eorum, aut quoscumque alios excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu alias in personis aut bonis suis temporalibus vel suorum gravandi eos qui tales sententias tulerint, seu quo- B *rum occasione fuerint prolatæ, vel easdem sententias observantes, vel taliter excommunicatis communicare volentes, nisi licentiam ipsam re integra revocaverint, aut si ad bonorum captionem processum est, occasione ipsius licentiæ, nisi bona ipsa infra* VIII. *dierum spatium fuerint restituta, vel satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidunt, ipso facto; eademque sententia sint innodati omnes qui ausi fuerint prædicta sententia data uti, vel aliquo præmissorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibemus, alias committere suo motu. Qui autem in eadem* C *sententia permanserint duorum mensium spatio, ex tunc ab ea non possint, nisi per apostolicam sedem absolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni, calendas Novembris, pontificatus nostri anno* III.

Item, constitutiones SS. Patris domini Bonifacii VIII. eodem modo præcipimus ab omnibus presbyteris parochialibus vel eorum vices gerentibus, saltem quater in anno, in facie ecclesiarum suarum in lingua materna nunciari & exponi.

De pedagiis.

Quamquam pedagiorum exactiones tam « D
de jure canonico quam civili, regulariter & «
merito sint damnatæ: tanto tamen districtius, « ne ab ecclesiis & personis ecclesiasticis talia exigantur, prohiberi oportet, quanto, si fiat, major inde transgressionis reatus incurritur, & offensa evidentior comprobatur. Cum igitur ecclesiæ ecclesiasticæque personæ ad eos ipsarum non solum jure humano, quin immo & divino, sæcularium personarum exactionibus sint immunes: constitutiones felicis recordationis Alexandri papæ IV. prædecessoris nostri, qui statuit ecclesias & ecclesiasticas personas ad pedagia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum & solvendum talia pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, seu transmitti: volentes propter multorum abusum pœnæ adminiculo adjuvare; adjicimus districtius inhibendo contraria consuetudine quorumcumque, quæ dicenda est corruptela verius, non obstante, ut nec collegium, nec universitas, nec aliqua etiam singularis persona, cujus-

» cumque ſit dignitatis, conditionis aut ſta-
» tus, aut præfatis eccleſiis ſeu perſonis pro per-
» ſonis ipſis a rebus prædictis talia exigant vel
» extorqueant per ſe vel per alium, ſuo no-
» mine vel etiam alieno, aut eas ad hujuſmo-
» di perſolvenda compellat. Qui vero con-
» tra fecerint, ſi perſonæ fuerint ſingulares, ex-
» communicamus. Si autem fuerit collegium
» vel univerſitas civitatis vel caſtri, ſeu loci
» alterius cujuſcumque; ipſa civitas, caſtrum
» vel locus interdicti ſententias, ipſo facto, in-
» currant, nec ab excommunicatione hujuſ-
» modi abſolutionem vel interdicti relaxatio-
» nem obtineant, donec exacta plenarie re-
» ſtituerint, & de tranſgreſſione ſatisfecerint
» competenter.

Item alia de impedientibus juriſdictionem eccleſiaſticam.

» Quoniam, ut intelleximus, quorumdam
» juſtitiariorum, ballivorum, judicumve ſæcu-
» larium ac temporalium dominorum in qui-
» buſdam partibus præſumtuoſa temeritas ſic
» excrevit, ut terris eorum ſive diſtrictibus
» litteras apoſtolicas impetrantes, vel ad ju-
» dices ordinarios eccleſiaſticos recurrentes
» ſuper cauſis, negotiis ſeu quæſtionibus quæ
» ratione perſonarum aut rerum de jure vel
» de antiqua conſuetudine ad forum eccle-
» ſiaſticum pertinent, obtinere non poſſunt
» in eiſdem per eoſdem ordinarios judices,
» vel per apoſtolicas litteras juſtitiæ comple-
» mentum; quin potius ſuper illis retrahe-
» re ad judicium ſæculare, vel alite cauſa,
» ſeu quæſtione deſiſtere compelluntur: nos
» juſtitiam noſtram & noſtræ ſponſæ negligé-
» re nolentes, qui alios in ſua juſtitia confo-
» vemus obtinere, ſtatuimus ne quis impe-
» tratores litterarum noſtrarum, vel alios in
» foro eccleſiaſtico litigantes, ſeu litigare vo-
» lentes, ſive ambæ partes hoc voluerint, ſive
» una, actoris videlicet, aut rei, ſuper cauſis
» quæ ad forum eccleſiaſticum ſolum ſpectant,
» vel etiam ſolius actoris, in illis quæ ad utrum-
» que forum ratione perſonarum, negotio-
» rum vel rerum de jure vel de antiqua con-
» ſuetudine pertinere noſcantur, per ſe vel per
» alium ad deſiſtendum, vel in foro ſæculari
» de quæſtionibus hujuſmodi litigantium, per
» eorumdem judicum eccleſiaſticorum, vel
» impetrantium, aut litigantium, ſeu volen-
» tium litigare, aut propinquorum, nec non
» ipſarum rerum illorum, aut eccleſiarum ſua-
» rum captieon, modiſve aliis quibuſcum-
» que compellat, ſeu compelli faciat vel pro-
» curet; nec per ſe alioſve impediat, quomi-
» nus coram judicibus eccleſiaſticis delegatis
» ſeu ordinariis querelantes, de cauſis quæ, ut
» præmiſſum eſt, ad cognitionem pertinent
» eorumdem, poſſint libere obtinere juſtitiam,
» nec ad prædicta facienda det conſilium, au-
» xilium vel favorem. Si quis vero contra præ-
» ſumſerit, excommunicationi ſe, ipſo facto,
» noverit ſubjacere; a qua niſi cauſa tam ju-

A dici, cujus cognitio fuerit impedita, vel ju- «
riſdictio uſurpata, quam parti, quæ & tur- «
bata in proſecutione ſui juris fuerit, de juſti- «
tia damnis & expenſis & intereſſe prius per «
eumdem integre fuerit ſatisfactum, nulla- «
tenus abſolvatur. «

Conſtitutio.

Clericis laïcos infeſtos oppido tradit an- «
tiquitas, quod præſentium experimenta tem- «
porum manifeſte declarant, dum ſuis fini- «
bus non contenti, nituntur in vetitum, ad «
illicita frena relaxant, nec prudentes atten- «
dunt, quam ſit eis in clericos eccleſiaſticaſve «
perſonas & bona interdicta poteſtas, eccle- «
B ſiarum prælatis, eccleſiis eccleſiaſticiſque per- «
ſonis regularibus & ſæcularibus imponunt «
onera gravia, ipſoſque talliant, & eis colle- «
ctas imponunt, ab ipſis ſuorum proventuum «
vel bonorum dimidiam decimam, aut vice- «
ſimam, vel quamvis aliam portionem aut «
quotam exigunt vel extorquent, eoſque mo- «
liuntur multifarie ſubjicere ſervituti ſuæque «
ſubmittere ditioni; & quod dolentes referi- «
mus, nonnulli eccleſiarum prælati eccleſia- «
ſticæque perſonæ trepidant ubi trepidandum «
non eſt, tranſitoriam pacem quærentes, plus ti- «
C mentes majeſtatem temporalem offendere «
quam æternam, talium abuſibus non tam te- «
merarie quam improvide acquieſcunt, & apo- «
ſtolica auctoritate ſeu licentia non obtenta. «
Nos igitur talibus iniquis actibus obviare vo- «
lentes, de fratrum noſtrorum conſilio auctori- «
tate apoſtolica ſtatuimus, quod quicumque «
prælati, eccleſiaſticæque perſonæ, religioſæ vel «
ſæculares quorumcumque ordinum, condi- «
tionum, ſtatuum, collectas vel talliam, de- «
cimam, viceſimam ſeu centeſimam ſuorum «
& eccleſiarum proventuum vel bonorum «
D laïcis ſolverint vel promiſerint, vel ſe ſolutu- «
ros conceſſerint, vel quamvis aliam quanti- «
tatem, portionem aut quotam ipſorum pro- «
ventuum vel bonorum æſtimationis vel va- «
loris ipſorum ſubauditorii, mutui, con- «
ventionis, ſubſidii vel doni nomine, ſeu quo- «
vis alio titulo, modove quæſito colore, abſ- «
que auctoritate ſedis ejuſdem; necnon im- «
peratores, reges ſeu principes, duces, comi- «
tes vel barones, vel etiam poteſtates, capita- «
nei, vel officiales, vel rectores, quocumque «
nomine cenſeantur, civitatum, caſtrorum, «
E ſeu quorumcumque locorum, conſtitutorum «
ubilibet, & quivis alii cujuſcumque præemi- «
nentiæ, conditionis & ſtatus, qui talia impo- «
ſuerint, exegerint vel receperint, aut apud «
ædes ſacras depoſita eccleſiarum vel eccle- «
ſiaſticarum perſonarum ubilibet arreſtave- «
rint, ſaiſaverint ſeu occupare præſumſerint, «
vel arreſtari, ſaiſari vel occupari mandave- «
rint; aut occupata, ſaiſata, vel arreſtata rece- «
perint; necnon omnes qui ſcienter in prædi- «
ctis dederint auxilium, conſilium vel favo- «
rem, publice vel occulte, eo ipſo ſententiam «
excommunicationis incurrant.

Uni-

» Universitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, ecclesiastico supponimus interdicto; prælatis & personis ecclesiasticis supradictis in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna depositionis districte mandantes, ut talibus absque expressa licentia dictæ sedis, nullatenus acquiescant; quodque sub prætextu cujuscumque obligationis, promissionis & concessionis factarum hactenus vel faciendarum in antea, postquam hujusmodi constitutionis prohibitio seu præceptum ad notitiam ipsorum pervenerit; nihil solvant, nec supradicti sæculares quoquo modo recipiant; & si solverint, vel prædicta receperint, in excommunicationis sententiam incidunt, ipso facto. A supradictis autem excommunicationis & interdicti sententiis nullus absolvi valeat præterquam in mortis articulo, absque sedis apostolicæ auctoritate & licentia speciali; cum nostræ intentionis existat tam horrendum sæcularium potestatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire, non obstantibus quibuscumque privilegiis sub quibuscumque tenoribus, formis vel modis, aut verborum conceptione concessis imperatoribus, regibus, & aliis supradictis, quæ contra præmissa nullatenus volumus alicui vel aliquibus suffragari.

De judicibus delegatis & subdelegatis.

Statutum quod circa judices a sede apostolica deputatos nuper edidimus, cum quædam contenta in eo, quæ pro communi utilitate credebantur inducta, sicut experientia docuit, tendere dinoscantur ad noxam; sanctione præsenti, quam irrefragabiliter observari mandamus, suadente utilitate, in melius duximus reformandum. Statuimus igitur ut nullis, nisi dignitates prædictas aut personatus obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis Cameracensis diœcesis, auctoritate litterarum sedis apostolicæ, vel legatorum ejusdem, [causæ] committantur aut audiantur alibi quam in civitate vel locis singulis, ubi possit commode copia peritorum haberi. Cum vero ejusdem civitatis seu diœcesis fuerint actor & reus, extra ipsas causa non committatur, nec conveniatur aliquis eorumdem, qui ab ipso contra aliquem de sua diœcesi, vel ab aliquo contra eum aut ejus capitulum, seu contra universitatem civitatis, villæ, aut castri fuerit actio dirigenda, vel nisi actor eamdem civitatem seu diœcesim intrare non audeat, aut sui adversarii potentiam merito perhorrescens, cum infra ipsas nequeat invenire secure, in his quippe casibus * contra dictas civitatem vel diœcesim possit contra prædictos causa * omitti. Nullus tamen eorum ultra dietam unam a fine suæ diœcesis valeat conveniri, scilicet in duobus ultimis casibus, nisi impetrans de dicto terrore, quod in litteris commissionis exprimere teneatur, primo judici fidem faciat, saltem per proprium juramentum. Judex vero nullatenus in causa procedat, sed partes a sua jurisdictione dimittens, impetrantem eumdem in expensis legitimis alteri parti condemnet. Quando autem idem actor & reus civitatis & diœcesis fuerint diversarum; si autem in civitate vel diœcesi rei, judicem habere recusat, ipsum non in sua, sed in alia civitate vel diœcesi libere impetrare valeat, reumque trahere ultra unam dietam, sicut in casu alio præmittitur, minime sit remotus. In nullo quoque casuum prædictorum judex extra civitatem vel diœcesim, in quibus fuerit deputatus, citet partes, nec de causa sibi commissa cognoscat, nisi ad id expressius accesserit eorumdem assensus, neque alibi quam infra illos, & personis dumtaxat designatis superius committat quomodolibet vices suas.

Insuper ut gratis & cum omni puritate judicium coram ipso procedat, nullum munus vel quicquam aliud, nisi forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis possit consumi diebus, vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra domicilium suum proficisci, moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque præsumat, provisurus attente, quod in his expensis modum nequaquam excedat, nec plus ab una parte quam ex alia exigat, cum commune gerat negotium utriusque, quandoque causæ sibi commissæ utilitas vel necessitas non exegerit occasionem propter habendas expensas proficiscendi extra domunculam, non assumat: sed ubi notabiliter fuerint pauperes litigantes, tunc pro expensis nihil prorsus exigat ab eisdem.

De assessore assumendo.

Assessorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeant, quod conscientiæ relinquitur, eisdem, sibi nequaquam adjungant; alioquin de suo proprio teneatur providere eidem. Si quis autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, eidem de competenti salario providere, moderando ab eo faciant a partibus communiter provideri.

De notariis.

Notarius vel notarii in causis sibi commissis scribentur, qui ut plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt, ut [quod] ad ipsius spectat officia, prudenter refrenent, nec cum ipsis, aut cum assessore præfato lucrum participet ullo modo. Si quid autem contra constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem.

* *f.* extra.

* *f.* committi.

De teſtibus producendis.

Pro ferendo quoque teſtimonio, prætextu cujus aliqui aliquos fraudulenter interdum a judicibus vocari procurant, ut eos laboribus & expenſis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eiſdem, nullum ullatenus convocet, niſi quando conditio & ſtatus tunc requirent; ſed nec tunc, niſi quando a producendo competenter vocatis pro teſtimonio veniendo, ſtando, & redeundo faciat miniſtrari expenſas. Quidquid autem contra præmiſſa vel eorum aliquid contigerit attentari, ſit ipſo jure irritum & inane.

De gubernateriis impetrandis.

Hac conſtitutione perpetuo valitura ſtatuimus, ut conſervatores, qui aliquibus, ut a manifeſtis injuriis & violentiis tueantur, eiſdem plerumque a ſede apoſtolica conceduntur, de cetero deputari non poſſint, niſi epiſcopi vel eorum ſuperiores, vel abbates, dignitates & perſonatus in cathedralibus vel collegiatis eccleſiis obtinentes, nulluſque deputati ſibi conſervatoris eſſe valeat conſervator, niſi aliquis regibus & reginis, qui ſicuti dignitatis altitudine præeminent, ſic prærogativa gratiæ ipſos convenit anteferri, dumtaxat exceptis, deinceps conſervatorem habeant eum, qui ſub ipſius juriſdictione, dominio vel diſtrictu eccleſiaſtico vel temporali conſiſtat. Conſervatores autem hujuſmodi extra civitatem ſeu diœceſim, in quibus fuerunt deputati, vel alibi quam in civitate, ſeu locis inſignibus, ubi poſſit copia peritorum haberi, contra quoſcumque procedere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœceſum eorumdem trahere non præſumant. Vices quoque ſuas, citationibus & ſententiarum denuntiationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere, nulli committere poſſint, niſi hoc eis competierit ex beneficio litterarum; ſed nec tunc, niſi infra civitatem aut diœceſim, in quibus deputati fuerint, & perſonis tantum quæ ſuperius ſunt expreſſæ.

Ut autem conſervatores limites ſibi traditæ poteſtatis, quos frequenter excedunt, metu pœnæ diligenter obſervent, decrevimus ut ſi de aliis quam de manifeſtis injuriis & violentiis ſcienter ſe intromiſerint, ſeu ad alia quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam extenderint poteſtatem, eo ipſo per unum annum ab officio ſint ſuſpenſi: pars vero quæ hæc procuraverit fieri, ſententiam excommunicationis incurrat, a qua non poſſit abſolvi, niſi ei, quem ſic fatigavit indebite, prius ſatisfaciat integraliter de expenſis.

Officium autem quorumcumque conſervatorum ipſo jure quoad non cœpta negotia per obitum concedentis volumus expirare.

Circa munera vero & expenſas aſſeſſorum & notarios & perſonas teſtimonio convocandas, illa præcipimus in hujuſmodi conſervatoribus per omnia obſervari, quæ in delegatis judicibus conſtitutio a nobis ſuper hoc edita obſervanda decrevit. Quotquot autem contra præmiſſa vel eorum aliquid attentari contigerit, omnino decernimus irritum & inane.

Ne exhibeatur obſequium eccleſiaſticum perſonis.

Eos qui temporale dominium obtinent, cum ſuis ſubditis, ne prælatis aut eccleſiis ſeu perſonis eccleſiaſticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eis, neque ipſum bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibere præſumant, aliquando jura interdicunt, cum talia in derogationem libertatis eccleſiaſticæ facere præſumant, eo ipſo, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

Statutum concilii Remenſis provinciæ, anno Domini MCCCI. *ſecunda die Mercurii ante Clementem.*

In primis igitur ſtatuimus & decernimus auctoritate concilii, quod ſi in aliqua civitate vel in aliquo loco noſtræ Remenſis provinciæ contingat, quemquam clericum detineri per laïcalem juſtitiam, per quam dictus clericus fuerit ab epiſcopo loci illius, vel officiali, vel decano rurali, ſeu ex parte alicujus eorum legitime requiſitus, ceſſetur a divinis in loco captionis & detentionis, quouſque fuerit competenter reſtitutus.

Item, ſi clericus per juſtitiam laïcalem capiatur in aliqua diœceſi, & extrahatur ab ea, & ad aliam ducatur; ceſſetur ſimiliter a divinis, & in loco ubi fuerat captus, & in loco ipſius capientis, per quem fuit deductus, quouſque ad dictam diœceſim fuerit reductus & ſufficienter reſtitutus.

Item, cum per juſtitiam laïcalem non debeant puniri exceſſus clericorum, nec ab ea levari emenda de eiſdem, cùm hæc ad ſolos judices eccleſiaſticos, non ſæculares, pertinere noſcantur; monemus auctoritate prædicta omnes & ſingulos noſtræ provinciæ, ne pro dictis, ſeu occaſione eorumdem levent aliquid, vel recipiant, vel exigant, quoquo modo: alioquin contra facientes excommunicationis ſententia auctoritate prædicta innodamus.

Item, cum nonnulli ſcabini, rectores, gubernatores, judicatores communitatum, locorum, ſeu territoriorum noſtræ Remenſis provinciæ, prout intelleximus, conſpirationem aut conjurationem facere nitantur, quod ſi aliquis de ſua communitate, vel de ſuis ſubditis, ſeu de ſuo territorio, conveniatur in foro eccleſiaſtico, aut contra eum procedatur in caſu in quo poteſt de jure ſeu de conſuetudine ibidem conveniri, quod eum ad ſumtus communes defendant, propter quod juriſdictionem eccleſiaſticam non eſt dubium

impediri; monemus omnes & ſingulos jam dictæ provinciæ, quod ſi talia fecerint, revocent ea infra menſem, & quod de cetero a talibus abſtineant, nec talia committant, & talibus non utantur, alioquin excommunicationi ſubjaceant ipſo facto.

Item, cum nonnulli temporales domini ſuis inhibeant ſubditis, ne quis eorum alium trahat in foro eccleſiaſtico, in caſu a jure ſeu conſuetudine permiſſo, quin immo contra ſic facientem & contrahentem procedunt frequenter ad captionem perſonæ trahentis & bonorum ejuſdem amicorum trahentis, ac bonorum ipſorum; nos ne talia faciant prohibentes, contra facientes excommunicationis vinculo innodamus, & denunciamus a canone excommunicatos.

Item, cum nonnulli abbates hujuſmodi provinciæ inter ſe ordinaverint, & conſpirationem fecerint, quod ſi contingat aliquem epiſcopum contra abbatem aliquem velle procedere ſibi ſubditum, vel alias puniendum, quod ad defenſionem ejuſdem contribuent, & ad ſumtus communes omnium defendentur, quod non eſt dubium fore in præjudicium juriſdictionis ſui epiſcopi, & contra juramentum ſuæ profeſſionis, per quam ſuo epiſcopo eſt aſtrictus, & contra eccleſiaſticam libertatem; monemus tales, quod hæc revocent infra menſem, & a talibus ſe abſtineant; alioquin excommunicationi ſubjaceant ipſo facto.

Item, quod ſi excommunicati publica ſententia excommunicationis, per biennium & amplius animo ſuſtinuerint indurato, vocentur ad proximum concilium tamquam ſuſpecti de hæreſi, & in eodem concilio contra tales, ut juſtum fuerit, procedatur; quæ omnia redigi fecimus in ſcriptis, & in ipſo concilio ſolemniter promulgari. Præcipientes diſtrictius & mandantes auctoritate prædicti concilii, univerſis & ſingulis provinciæ Remenſis, quatenus quæ taliter pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ & ipſarum eccleſiarum ſtatu pacifico duximus ordinanda, prout ſuperius continetur, ſervent & teneant illibata.

Statutum concilii Remenſis provinciæ, anno Domini MCCCII. *ſancta die Veneris ante Circumciſionem.*

IN PRIMIS igitur ſtatuimus & decrevimus auctoritate concilii, ne quævis ſæculares & religioſæ, exemtæ & non exemtæ perſonæ excommunicatos & interdictos nominatim publice ad divina, neve corpora defunctorum talium ad eccleſiaſticam ſepulturam admittant; alioquin talibus ab ipſis canonibus eſt ingreſſus eccleſiæ interdictus. Ut tam ſalubria ſtatuta publicentur frequenter, adjicientes auctoritate præſentis concilii, quod omnes & ſinguli cujuſcumque ſtatus, dignitatis, profeſſionis aut conditionis exiſtant, qui talibus divinis celebrandis & ſepulturis faciendis intereſſe præſumſerint, vel qui opem in his auxiliumve præſtiterint & favorem, poſt menſem a tempore publicationis præſentis in ſingulis diœceſibus Remenſis provinciæ faciendæ, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto: ſimili ſententia percellentes omnes & ſingulos qui matrimonia clandeſtina fecerint, ſeu contraxerint, aut procuraverint fieri, ſeu ipſis præſumſerint intereſſe.

Quia nonnulli ſervientes temporalium dominorum & juſtitiæ laïcalis, aſſerentes pro ſuo libito, clericos tam non uxoratos quam uxoratos, qui tamen cum unica & virgine contraxerint, eſſe publicos mercatores, tallias & collectas imponunt eiſdem & extorquent ab invitis, quamquam clericaliter vivant, nullis ſe mercimoniis implicantes, ac moniti auctoritate ordinariorum locorum ut deſiſtant, recuſant parere, quamquam offeratur eiſdem, ut facta fide coram ipſis ordinariis, quod dicti clerici non ſint tales manifeſti mercatores, tallias & collectas hujuſmodi permittant levare, ipſi tamen judicis & partis officio fungentes cognitionem ſuper hoc ſibi vindicant & aſſumunt. Et quia de his, ut aſſerunt, ſibi conſtat, bona dictorum clericorum mobilia capiunt, vendunt, & detrahunt in magnum præjudicium & gravamen ipſorum. Pro modo etiam omnium facultatum ipſorum clericorum, licet in minimo ſolum eos aſſerant mercatores, tallias & collectas imponunt & extorquent ab eis: Nos vero attendentes præmiſſa fieri contra libertates & conſuetudines eccleſiaſticas novas, notorias & antiquas, talia amodo fieri prohibemus; alioquin poſt menſem a tempore publicationis prædictæ, omnes illos & ſingulos qui talia amodo fieri procurant, mandare, aut facta ſuo nomine rata habere, auxilium, conſilium, opem vel favorem clam vel palam præſtare præſumſerint, auctoritate prædicti concilii, monitione tamen competenti præmiſſa, excommunicamus in his ſcriptis.

Item, quia non caret nota hæreticæ pravitatis in contemtum poteſtatis & clavium ſanctæ matris eccleſiæ, excommunicationis ſententiam quamvis catholicam in ſe ſuſtinere, præſertim per annum & amplius: volens cancri huic vulneroſo ne ſui contagione corrumpat alios, & pernicioſo ſeducat exemplo, ignitum quod ſupereſt injicere ferrum; ſtatuimus auctoritate præſentis concilii, ut tales qui taliter excommunicationem in ſe latam ſuſtinuerint, careant eccleſiaſtica ſepultura, niſi ſaltem in extremis ſe pœnituerit, & ad condignam ſatisfactionem venerint & emendam.

Item, cum excommunicati per biennium & amplius ad præſens concilium ſint vocati, peremtorie & perſonaliter reſponſuri, ſuper tanto exceſſu, qui notam ſeu ſpeciem

hæresis non evadit; qui non venerint, nec apparuerint per idoneos responsales, ipsos omnes & singulos reputamus contumaces, purgationem eis omnibus & singulis, quos sic suspectos habemus de hæresi indicentes canonicam; ad quam præstandam secundum juris formam, ipsos & singulos eorum suis singulis diœcesanis termino super hoc competenti præfigendo eisdem ab ordinariis supradictis, decernimus teneri.

Diligenti deliberatione habita, honestate considerata, & ut superfluitatibus abstineatur, statuimus ut omnes & singulæ personæ ecclesiasticæ Remensis provinciæ in singulis conviviis sint contentæ potagio & duobus ferculis sine fraude, nisi magnitudo personarum supervenientium aliud requirat, & tunc cum prædictis poterunt uti aliquo intermedio ferculo; ita quod si in conviviis hujusmodi, reges, duces, comites, barones & alios excellentes contigerit interesse, præsenti statuto minime sint astricti. Si quis vero contra præmissa vel aliquod præmissorum attentaverit vel attentare præsumserit, pœna puniatur condigna. Quæ omnia redigi fecimus in scripturis, & in ipso concilio solemniter promulgari: præcipientes districtius & mandantes auctoritate dicti concilii universis & singulis personis provinciæ Remensis, quatenus quæ taliter pro defensione libertatis ecclesiasticæ, & ipsarum ecclesiarum statu pacifico duximus ordinanda, prout superius continentur, servent & teneant illibata.

De litteris curiæ differendis.

Sacerdotes superiorum suorum mandata sine dilatione & periculo portitorum ipsorum mandatorum diligenter & fideliter exequantur; & mandata nostra seu curiæ nostræ Cameracensis; & propria habeant sigilla & unica quæ appendeant in signum completæ executionis mandatis ipsis vel faciendis rescriptionibus ad eadem; nec aliquid exigant, nisi solum denarium in forti moneta pro sigillo. Nullum excommunicatum pro absoluto habeant, nisi eis de absolutione facta fuerit certa fides. Et cum aliquem absolverint, dicant: *Miserere mei Deus*, absolvendis coram eis ante ostium ecclesiæ flexis genibus constitutis. Cum vero missam celebraturi erunt, alta voce proclament quod omnes excommunicati ecclesiam exeant, donec missa fuerit celebrata. Et quia plerumque presbyteri & capellani propter metum proprii corporis, non audent nominatim monere singulariter personas hujusmodi quod exeant, statuimus quod singulis diebus Dominicis & festivis presbyteri in suis ecclesiis excommunicent & denuntient omnes & singulos excommunicatos illos auctoritate synodali, qui sciunt se esse ligatos sententia excommunicationis & publice denuntiatos, nisi post monitionem a presbyteris & capellanis ante missarum solemnia exierint ecclesiam, oratorium, vel capellanias; nec excommunicatos hujusmodi sacerdotes potestatem habeant absolvendi, sed eos remittant ad suos superiores absolvendos. Si autem tales nec sic ecclesiam vel oratorium aut capellanias exire renuerint, presbyteri vel capellani in eorum præsentia celebrare non præsumant, propter periculum quod ipsi incurrerent ipso facto, nisi forsan hujusmodi excommunicati ad ecclesiam confugerint, ut ab inimicis tuerentur, ut supradictum est titulo de libertate ecclesiarum. Sacerdotes autem semel saltem in mense in facie ecclesiarum suarum publice excommunicent & excommunicatos denuntient omnes qui directe vel indirecte, clam vel palam, publice vel occulte impediunt & perturbant jurisdictionem ecclesiasticam, & præcipue curiæ Cameracensis, minas inferendo, inhibendo, præcipiendo, bona capiendo & personas litigantes percutiendo, fratrum, consanguineorum, & amicorum, aut alias vexando, damnificando, factis etiam quæsitis fraudulenter, falsis executionibus quoquo modo: intimantes eisdem, quod nisi resipuerint, nos contra eos nominatim ad excommunicationis & aggravationis, ac interdicti sententias & subtractionem ecclesiasticorum sacramentorum procedere nullatenus omittemus.

Item, sacerdotes excommunicent & excommunicatos denuntient omnes illos & singulos, cujuscumque sint conditionis, dignitatis vel status, qui conspirationem faciunt contra suos prælatos & presbyteros, & eorum libertates & jura, verbo vel facto, publice vel occulte.

Item, statuimus quod ubicumque portitores litterarum nostræ curiæ Cameracensis, aut etiam ipsæ litteræ, & insuper ubicumque clerici tam beneficiati, quam non beneficiati, & ubicumque bona ecclesiastica clericorum beneficiatorum violenter capiuntur & detinentur, & ubicumque captores morantur, tam in locis ubi capiuntur personæ, portitores litterarum, vel bona hujusmodi; quam etiam in locis ubi detinentur seu auferuntur, omnino a divinis cessetur, nec sine nostra aut officialis nostri licentia organa reassumantur ibidem.

Item statuimus, ut cum portitor litterarum curiæ nostræ ad quemvis executorum ipsarum accedet; si ibidem executor videt periculum imminere, ipsum portitorem non offendat, nec procedat, nec alias revelet, seu revelari faciat parti adversæ: immo si sciat aut credat insidias poni, vel periculum imminere dicto portitori per partem adversam, seu ipse procurator litteras ipsas sibi præsentatas statim sigillet, & tradat sigillatas ipsi portitori, retento dicti mandati in suis tabellis aut pergameno breviculo seu tenore, nec mandatum ipsum parti adversæ insinuet vel

insinuari permittat, aut procuret, donec idem portitor poterit per duas vel per tres leucas post sigillationem & traditionem prædictam, esse reversus a dicto loco; alioquin contrafacientes ex tunc suspendimus ipso facto.

Item, statuimus quod nullatenus citatorum curiæ nostræ numerum octo personarum excedat.

Item, præcipimus omnibus subditis nostris, ne aliquam faciant citationem contra aliquem de mandato curiæ Cameracensis, nisi per competentem terminum ante diem citationis, secundum quod distantia locorum requirit.

Item, statuimus quod ubicumque publice per dominos temporales, ballivos, præpositos, majores servientes, aut laïcalem justitiam eorumdem proclamatur, & edicuntur expresse banna & præcepta, seu fuerint inhibitiones contra jurisdictionem curiæ nostræ Cameracensis & possessionem jurisdictionis ejusdem, cessetur a divinis.

Et si presbyteri pro executionibus mandatorum nostrorum aut curiæ nostræ Cameracensis, vel pro observatione seu executione præsentium statutorum, aut retentione seu defensione jurium suorum parochialium, nec a laïcis minis impetratis vel factis, quod justo metu, qui nunc in constantem virum cadit, perterriti, in propriis parochiis morari non audeant, personæ earumdem volumus ut apud Cameracum causa studiorum & securitatis, præmissis durantibus, moram faciant, ut scholares: & si alias non habeant unde vivant, si in præmissis culpa nec dolus processerit ab eisdem, per nos & locorum archidiaconos de vitæ necessariis providebitur competenter.

Item, inhibemus sacerdotibus & aliis ecclesiarum prælatis, ne mandata executorum, vel judicum a sede apostolica deputatorum, nisi prius diligenter viso authentico, etiam de falsitate non suspecto, aliquatenus exequantur mandata; nec etiam exequantur citando vel vocando in his subditos nostros, vel procedendo alias contra eos extra civitatem vel diœcesim Cameracensem, nisi in litteris domini papæ, virtute quarum processus tales petuntur fieri, hanc clausulam, *Non obstante tali constitutione*, expresse viderint contineri.

Item, præcipimus quod clerici, sive religiosi sive alii fuerint, foro & jurisdictioni seu cohercitioni dominorum temporalium nullatenus se supponant, in his specialiter quæ nos contra ad forum ecclesiasticum de jure, usu vel consuetudine pertinere: [judicamus] quod si secus fecerint, excommunicamus eosdem.

Item, statuimus quod ubicumque malitiose vel violenter impediatur synodus, seu capitulum decanorum, in locis ubi consueverunt fieri, cessetur a divinis, & impedientes, ipso facto, excommunicamus.

Item, præcipimus ut subditi nostri vel alii mandata curiæ Remensis, sine placito nostro aut officialis nostri Cameracensis, aut etiam ipsius consensu, prout in constitutione aliàs continetur, nullatenus exequantur.

Item, statuimus quod curati parochiales ad decanorum suorum evocationem venire & congregari teneantur sub pœna decem solidorum, quam pœnam a non venientibus ceteris de decanatu curatis venientibus volumus applicari; præcipientes decanis, quod ipsi tales ad solvendam dictam pecuniam, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam inducant & compellant.

Si quis clericus in nostra diœcesi aliquod crimen commiserit, occasione cujus bona mobilia ipsius clerici per nos pro emenda possint aut debeant arrestari, sequestrari, seu etiam confiscari: si laicalis justitia bona hujusmodi saisiverit seu levaverit, nisi ad nostrum vel officialis nostri, vel decani, aut presbyteri loci mandatum; nobis vel officiali nostro aut decano prædictis, vel alii ex nostra vel officialis nostri prædicti parte ibidem destinato, hæc nomine nostro deliberentur integre, ex tunc omnino cessetur a divinis ibidem. Et quia constat tales ipsa bona contra dictum mandatum in saisina seu sequestratione aut levata detineri facientes, nostram jurisdictionem ecclesiasticam impedire, ipsos auctoritate canonis excommunicationi decernimus subjacere, & nos volumus esse excommunicatos, & a presbyteris in facie ecclesiarum suarum publicari, a qua excommunicatione nisi per nos aut officialem nostrum non possint absolvi.

Præcipitur cuilibet presbytero, qui sciverit in sua parochia aliquem clericum tam grave delictum perpetrasse, ut incontinenti, quam cito poterit, bona mobilia talis clerici delinquentis in manu nostra ponat, quodque nobis & officiali nostro aut decano loci hæc, quam citius poterit, significare non postponat.

Item, præcipimus quod quæstuarii non permittantur quoquo modo in ecclesiis vel extra, in vicis & plateis prædicare, vel sua negotia exponere, nisi hoc ex nostrarum habeant beneficio litterarum; nec admittantur quæstuarii, qui litteras deferunt a nostra forma communi concessas quæstuariis deviantes. Ipsi autem presbyteri, vel eorum vices gerentes, exponant & promoveant eorum negotia bona fide.

Item, statuimus quod decani nostræ Christianitatis quæstuariis litteras ad quæstam faciendam concedere non præsumant, sub pœna suspensionis: quas si concesserint, eas irritas nunciamus.

Item, statuimus quod decani, seu presbyteri curati, vel eorum vices gerentes, futuros

proventus eorumdem quæſtuariorum in ecclesiis ſuis percipiendos, emere vel ad firmam recipere non præſumant.

Item, quæſtores quæſtas ſuas non faciant, nec eas preſbyteri recipiant diebus ſolemnibus, quibus populus communicare conſueverit, videlicet in feſto Paſchæ, Pentecoſtes, Omnium ſanctorum, Natalis Domini, dedicationis eccleſiæ, & patroni loci.

Item, præcipimus decanis noſtris, ut quæſtores cum litteris noſtris ſeu curiæ noſtræ Cameracenſis permittant ire libere per ſuos decanatus ad quærendum fidelium eleemoſynas, dum tamen non impediatur divinum officium per eoſdem: alioquin contrarium facientes graviter puniemus.

Item, quicumque decanorum noſtrorum ſeu preſbyterorum a modo leges nobis & archidiacono locorum debitas in ſuis decanatibus ſeu parochiis ſcienter occultaverint, ſeu fraudem fecerint in eiſdem, quominus integre & legitime perſolvantur nobis & archidiacono locorum, niſi infra menſem poſt occultationem & fraudem hujuſmodi ſatisfecerint, ſeu revelaverint, a nobis ſe ex tunc noverint ſuſpenſos.

Item, ut cenſura eccleſiaſtica magis timeatur, ſtatuimus ut omnes excommunicati a nobis & officiali noſtro, pro ſuis abſolutionibus obtinendis, ad nos vel ad curiam noſtram Cameracenſem accedant, aut procuratorem ſufficienter inſtructum mittant pro poteſtate abſolvendi eoſdem, præterquam in mortis articulo, nec a quibuſlibet aliis penitus admittentur.

Item, ſtatuimus ut quicumque excommunicatus a nobis aut officiali noſtro, abſolvatur a ſuo curato in articulo mortis; ſi convaluerit, niſi infra menſem poſt convaleſcentiam nobis & parti adverſæ ſatisfaciat de offenſa, in priſtinam ſententiam noverit ſe incurſurum, & ſacerdotes tales denuncient excommunicatos, ſecundum quod a partibus adverſis fuerint requiſiti.

Item, ſtatuimus & præcipimus omnibus preſbyteris, curatis, & eorum vices gerentibus, ut ipſi omnes & ſinguli ſtatutum contra impeditores libertatum, ſeu juriſdictionis eccleſiaſticæ, & præcipue civitatis noſtræ Cameracenſis, tam auctoritate ſynodi, quam provincialis concilii editum; nec non & conſtitutionem felicis recordationis domini Bonifacii papæ VIII. quæ ſic incipit: Quoniam, ut intelleximus, quorumdam juſtitiariorum, &c. *ut ſupra*, diebus Dominicis ſemel in ſingulo menſe, vel ſaltem ſexies in anno, in facie eccleſiarum eorumdem alta & intelligibili voce, coram clero & omni populo, in lingua materna publicent & exponant: alioquin ad pœnam decem ſolidorum Turonenſium, ad opus noſtrum & archidiaconi locorum ab ipſo deficiente infra annum ſuo decano ſub pœna ſuſpenſionis, quam, ſi hoc non impleverint, incurrant ipſo facto, ſolvendorum.

Item, fraudi aliquorum obviare cupientes, prohibemus ne quis preſbyter ſeu executor, mandatum noſtrum omni feria ſexta ante Paſcha, in vigilia vel in die Paſchæ, in vigilia & in die Pentecoſtes, in vigilia & in die nativitatis Domini, tunc poſt præſentatum de excommunicando aliquo, aliquatenus exequatur.

Item, revocamus omnes gratias & litteras generales non perpetuatas, cujuſcumque formæ ſeu tenoris exiſtant, quibuſcumque perſonis & ex quacumque cauſa a nobis vel officiali noſtro Cameracenſi conceſſas, etiam quantumcumque in eis contineatur: Non obſtante revocatione generali vel ſpeciali auctoritate noſtra facienda.

Item, revocamus omnes commiſſiones decanis noſtræ Chriſtianitatis, & preſbyteris civitatis & diœceſis Cameracenſis, & aliis ſubditis noſtris, a nobis cognoſcendi de cauſis matrimonii, & de ſponſalibus matrimonium tangentibus quoquo modo.

Item, revocamus omnem poteſtatem ſeu licentiam, ſi quam nos aut officialis noſter conceſſimus juſtitiariis ſæcularibus quibuſcumque laïcis, ſuper arreſtatione, captione & detentione clericorum & eccleſiaſticarum perſonarum, & bonorum eorumdem.

Item, pœnitentiarios a nobis ſeu auctoritate noſtra conſtitutos, & poteſtatem eis commiſſam revocamus.

Præſentia autem ſtatuta, præcepta, mandata & inhibitiones a ſubditis noſtris ſub pœna viginti ſolidorum Turonenſium, & aliis pœnis ad noſtrum arbitrium aut officialis noſtri Cameracenſis, ad opus noſtrum & archidiaconi locorum, quotienſcumque contra fecerint, præcipimus inviolabiliter obſervari.

Item, præcipimus ſub pœna viginti ſolid. Turonenſium, ut omnes decani noſtri Chriſtianitatis infra menſem, & preſbyter parochialis infra nativitatem Domini tunc immediate ſequentem, præſentia ſtatuta, præcepta & inhibitiones habeant, quibus eos ex toto uti volumus & mandamus ſub pœnis antedictis.

Preſbyteri parochiales ad capitula generalia decanorum ſuorum, & ad eorum convocationem veniant & interſint, & pareant ordinationibus eorumdem. Et decani in ſingulis capitulis ſuis partem de ſtatutis ſynodalibus legi faciant, & ſic de capitulo in capitulum, donec omnia in anno fuerint plene lecta.

HÆ SUNT ADDITIONES STATUTORUM SYNODALIUM SEDIS CAMERACENSIS.

Et additiones ſuper titulum notantur ordine alphabeti.

Anno Domini MCCCXI. ſabbato in feſto B. Remigii in capitulo Octobris, in ſynodo Cameracenſi celebrata in eccleſia B. Martini de Caſtello in Cameraceſio. Reverendus in Chriſto pater ac dominus P. Dei gratia Cameracenſis epiſcopus, de ſtatutis antiquis ſynodalibus diminuit, addidit & diſtraxit, ut ſequitur.

Primo, in titulo *de baptiſmo*, addimus poſt illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen:* Nec addantur, nec inſerantur aliqua verba alia.

Item, in eodem titulo in paragrapho *ad levandum puerum*, poſt illa verba: *In ſacris ordinibus conſtitutæ*, amovemus iſta verba: *Seu religioſæ in religione approbata profeſſæ.*

Item, in titulo *de confirmatione*, poſt illa verba: *Non pater, nec mater*, addimus iſta verba: *Iſtud ſacramentum non eſt iterandum.*

Item, titulo *de caſibus presbyteris parochialibus reſervatis*, in paragrapho *Sacerdotes confeſſionem*, poſt illud verbum: *Non audiant*, addimus iſta verba: *Niſi in articulo neceſſitatis.* Cetera verba dicti paragraphi uſque ad paragraphum amovemus.

Item, in eodem titulo in paragrapho qui incipit: *Item, ſtatuimus quod in quolibet decanatu, &c.* taliter amovemus ſtatuendo quod quilibet curatus poſſit eligere ſibi idoneum confeſſorem, qui ipſum abſolvat a peccatis ſibi confeſſis, exceptis caſibus nobis & pœnitentiariis noſtris reſervatis.

Item, in titulo *de euchariſtia*, in paragrapho: *Item, inhibemus ne aliquis ſacerdos, &c.* poſt illa verba, addimus iſta verba: *Sub pœna excommunicationis*; & de fine paragraphi prædicti amovemus verba quæ ſic incipiunt: *Illos autem qui bis in die*, &c. uſque ad finem dicti paragraphi.

Item, in eodem titulo in paragrapho qui ſic incipit: *Item, ſtatuimus quod nullus apoſtatam*, amovemus illa verba quæ ſic incipiunt: *Illi qui diebus dominicis & in ſolemnitatibus*, &c. uſque in finem dicti paragraphi.

Item, in titulo *de matrimonio*, in paragrapho: *Item, ſtatuimus quod matrimonium non celebretur*, &c. amovemus illa verba: *Niſi de mandato noſtro vel officialis noſtri ſpeciali.*

Item, in titulo *de vita & honeſtate clericorum*, in paragrapho *Veſtibus virgulatis*, volumus paragraphum ita eſſe: Veſtibus virgulatis pariter & aliis inhoneſtis clerici non utantur, niſi a nobis cum eiſdem fuerit diſpenſatum. quod ſi beneficiati fuerint, vel in ſacris ordinibus conſtituti, ſententiam excommunicationis incurrant ipſo facto. Alii vero clerici ad pœnam XL. ſolidorum Turonenſium nobis teneantur. Cetera vero dicti paragraphi amovemus totaliter.

Item, in titulo *de reverentia & juriſdictione eccleſiarum*, ſub paragrapho: *Item, ſtatuimus ut qui maleficium perpetrant*, &c. circa finem dicti paragraphi poſt illa verba: *Parochi eccleſiarum*, addimus iſta verba: *Si ſint in culpa.*

Item, in titulo *de teſtamentis*, in paragrapho: *Item, ſtatuimus quod ſinguli presbyteri*, &c. apponimus iſta verba: *De conſilio proprii ſacerdotis, juxta diſpoſitionem teſtatorum.*

Item, in eodem titulo in paragrapho: *Item, ſtatuimus omnibus presbyteris curatis*; in fine dicti ſtatuti amovemus iſta verba poſita: *Incurrunt ipſo facto in loco*; & loco illorum ponimus: *Graviter punientur.*

In titulo *de juriſdictione eccleſiarum & cimiteriorum*, ut ſupra in paragrapho: *Statuimus quod cimiteria excommunicatorum*, &c. amovemus illa verba: *Interdictorum & abortivorum.*

Cum laïcis diſponendi de rebus eccleſiæ nulla ſit tributa poteſtas, ſtatuimus quod ſi abbates, priores, conventus & perſonæ eccleſiaſticæ contingant poſſeſſiones, redditus perpetuo vel ad vitam aliquibus perſonis vendere, aut alio modo ordinare, vel alienare, quod pro hujuſmodi alienationibus tenendis & obſervandis, ſe coram dominis temporalibus, ſeu officiariis ſuis nullo modo ſe obligent, ſeu ſuper hoc ad eoſdem recurrant, nec ad dona vel ad pœnam quamcumque ſuper his, vel bonis ſuis capiendis vel levandis per dictos temporales ſe obligent, & etiam hujuſmodi alienationes faciant ſecundum canonicas ſanctiones, cum omni debita juris ſolemnitate, decreto & confirmatione noſtris intervenientibus: quod ſi ſecus attentare præſumſerint, declaramus alienationes irritas, & omnes contrarium facientes excommunicamus, & jam factas irritas nunciamus.

Item, ſtatuimus quod ſi aliqua eccleſia noſtræ diœceſis interdicto particulari ſit interdicta, quod in capella ejuſdem contigua interdictum hujuſmodi obſervetur.

Statuimus quod ſi contigua non exiſtat, intentio tamen noſtra eſt, quod ſi per ſtatuta ſynodalia in eccleſia parochiali ceſſetur, quod in omnibus eccleſiis & capellis ejuſdem parochiæ ceſſetur, etiamſi dictæ eccleſiæ vel capellæ ejuſdem contiguæ non exiſtant.

Item, ſtatuimus quod quotienſcumque continget ceſſari in noſtra diœceſi a divinis, cauſas ceſſationis, nomine eorum quorum cauſa ceſſatur, & alias circumſtantias curati, ſeu vices eorum gerentes locorum in quibus ceſſatur, infra octo dies decanis ſuis, & decani infra XV. dies nobis vel officiali noſtro referant vel reſcribant; alias ad pœnam XX. ſolid. Turon. quotienſcumque contra fe-

cerint, nobis ſolvere teneantur.

Item, ſtatuimus quod ſi in eccleſia noſtræ diœceſis contingat, quod abſit, aliquos exceſſus enormes & deteſtabiles committi, ſcilicet homicidia in eccleſiis, incendia eccleſiarum, vel ab immunitate eccleſiæ extrahere violenter, curati in quorum parochia talia acciderint, decano loci infra octo dies a tempore notitiæ, & decanis infra xv. dies poſtmodum nomina malefactorum, factum hujuſmodi, qualiter poſſimus informari, nobis vel officiali noſtro referant; quod ſi ſecus fecerint, ipſos graviter puniemus.

Item, in titulo *de matrimonio*. Quod ſi ſponſalibus & matrimoniis aliquis ſe oppoſuerit, curati locorum ſeu eorum vices gerentes, quibus oppoſitiones hujuſmodi fieri contigerit, opponentes & contrahere volentes coram officiali noſtro citent, pro hujuſmodi oppoſitionibus terminandis, & non coram decanis noſtris, alioquin contrarium facientes ſuſpendimus a divinis.

Item, titulo *de matrimonio*. Statuimus, quod ſi duo contrahere volentes matrimonium, ſint oriundi de diverſis decanatibus noſtræ diœceſis, curatus alterius eorum litteras teſtimoniales ſuper matrimonio celebrando ſcribat decano ſuo. Si vero ſint ejuſdem decanatus, curatus alii curato litteras prædictas mittere poterit. Quod ſi oriundus de diœceſi noſtra contrahere voluerit, cum aliqua perſona de diœceſi aliena, curatus dirigat litteras matrimoniales decano ſuo, & decanus officiali noſtro, pro quibus concedendis, curatus duos ſolidos Turonenſes, & decanus totidem recipient, & non ultra. Quod ſi ſecus fecerint, ad intereſſe pariter & reſtitutionem duplicem partibus teneantur.

Expliciunt ſtatuta

INCIPIUNT MONITIONES DICTI EPISCOPI CAMERACENSIS.

Cum tam ex nobilitate principali noſtri comitatus Cameracenſis, quam ex conceſſione imperatorum in ſolidum liceat nulli alii monetam infra limites noſtri comitatus Cameracenſis facere cudi vel fabricari: nos quoque pro noſtro tempore & prædeceſſoris noſtri ſoli & in ſolidum pro ſuis temporibus fuerimus in poſſeſſione pacifica a tempore cujus contrarii memoria non exiſtat, faciendi cudi & fabricari monetam hujuſmodi infra limites prædictos, monemus omnes & ſingulos nobis ſubditos cujuſcumque ſint ſtatus aut conditionis primo, ſecundo, & tertio, & peremtorie, ne monetam aliquam ſub nomine alio, quam ſub noſtro & caractere noſtro infra limites prædictos quomodolibet fabricent, aut fabricam recipiant ſeu approbent, aut utantur eadem qualicumque cauſa ejuſdem approbandæ; alioquin contrarium facientes excommunicamus, ipſo facto, in his ſcriptis; & nihilominus pœnas quas fabricantes monetam falſam & adulteram, ac utentes eadem debent incurrere, ſe noverint incurſuros.

De teſtamentis.

Item ſtatuimus, quod quilibet curatus nomina decedentium in parochia ſua, nomina executorum, & tempus deceſſus cujuſlibet ipſorum decano Chriſtianitatis dicti loci notificet competenter infra menſem a tempore deceſſus numerando, decani vero infra tres menſes a tempore quo certificati fuerint per curatum, nobis aut officiali noſtro ſeu ſigillifero, aut a nobis ſuper hoc deputando notificent competenter; alioquin omnes & ſinguli decani qui in præmiſſis aut præmiſſorum aliquibus negligentes fuerint & remiſſi, ipſo facto teneantur ſolvere pro emenda centum ſolidos Turonenſes, pro quolibet defectu. Curati vero xx. ſolidos ejuſdem monetæ, nobis & archidiacono loci applicandos.

Item, diſtricte præcipimus & injungimus omnibus decanis noſtris Chriſtianitatis, quod quilibet in decanatu ſuo diligenter inquirat, ſi ſint aliquæ capellæ minus ſufficienter dotatæ, aut non admortificatæ competenter; & ſi celebretur in capellis aliquibus per epiſcopum non confirmatis, & de nominibus eorum qui talibus deſerviunt contra inhibitionem ſynodalem, ut infra natalem Domini nos & officialem noſtrum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis certificare procurent, vel eos graviter puniemus.

Item ſtatuimus, quod nullus curatus capellanum mercenarium habeat de alia diœceſi, ſine noſtra, aut officialis noſtri licentia ſpeciali: aliter de factis & exceſſibus noverit ſe teneri.

Item, ſtatuta facta per capitulum noſtrum Cameracenſe, ſub quacumque forma verborum edita ſede vacante, auctoritate noſtra confirmamus, & ipſa præcipimus obſervari quamdiu noſtræ placuerit voluntati, abſolutionem ſententiarum in eiſdem latarum ſtatutis, reſervantes.

Item, revocamus omnes gratias & litteras generales non perpetuatas, cujuſcumque formæ ſeu tenoris exiſtant, a quibuſcumque pœnis, & ex quacumque cauſa, a prædeceſſoribus, a capitulo Cameracenſi ſede vacante, a nobis quoque & a vicariis noſtris ſeu officiali noſtro Cameracenſi conceſſas, etiam quantumcumque in eis teneatur, non obſtante revocatione generali vel ſpeciali, ſeu auctoritate noſtra facienda.

Item, revocamus omnes commiſſiones decanis noſtris Chriſtianitatis & preſbyteris civitatis & dioceſis Cameracenſis, & aliis ſubditis noſtris quomodolibet conceſſas, cognoſcendi de cauſis matrimonialibus, & ſponſalia ſeu matrimonialia tangentibus quoquomodo.

Item

Item, revocamus poteſtatem ſive licentiam, ſi quam nos aut officialis noſter conceſſit juſtitiariis ſæcularibus quibuſcumque laicis ſuper arreſtatione, captione & detentione clericorum & eccleſiaſticarum perſonarum & bonorum eorumdem.

Item, pœnitentiarios a nobis ſeu auctoritate noſtra conſtitutos & poteſtatem conceſſam revocamus. Præſentia autem ſtatuta, præcepta & mandata & prohibitiones a ſubditis noſtris ſub pœna viginti ſolidorum Turonenſium & aliis pœnis ad noſtrum arbitrium & officialis noſtri Cameracenſis, ad opus noſtrum & archidiaconi locorum, quotieſcumque contra fecerint, præcipimus inviolabiliter obſervari.

Item, præcipimus ſub pœna viginti ſolidorum Turonenſium, ut omnes decani noſtri Chriſtianitatis infra menſem, & preſbyteri parochiales civitatis & diœceſis Cameracenſis infra quindenam immediate ſequentem, præſentia ſtatuta, præcepta & inhibitiones habeant, quibus eos uti volumus, & ex toto mandamus ſub pœnis antedictis.

Additiones a reverendo patre Petro Cameracensi episcopo anno Domini mcccx.

Item, in titulo de reverentia & juriſdictione eccleſiarum & libertate eccleſiaſticarum perſonarum & cimiteriorum. Ut eccleſiæ, & cimiteria ſanguinis & ſeminis effuſione polluta, & ſi qua pollui contingeret in poſterum, diabolo inſtigante, ſub tanta diu non remaneant fœditate ſtatus, ut ſi ille ſeu illi quorum facto ſeu culpa polluta ſunt, vel fuerint in futuro, infra menſem reconciliationem dictam eccleſiarum vel cimiteriorum non procuraverint cum effectu, poſtquam fuerint ſuper hoc per curatum eccleſiarum prædictarum vel cimiteriorum legitime requiſiti, canonico tamen impedimento ceſſante, excommunicationis vinculo ſint innodati, & excommunicati publice & nominatim nominentur ſeu nuncientur. Verumtamen ſi ille, vel illi quorum facto ſeu culpa eſt dicta pollutio, vel contigerit fieri, noſtræ non ſint juriſdictioni ſpirituali ſubjecti, aut propter paupertatem ſuam dictam reconciliationem procurare non valeant cum effectu, parochi dictarum eccleſiarum & cimiteriorum teneantur reconciliationem ipſorum efficaciter procurare infra duos menſes, poſtquam ſuper hoc a ſuo curato fuerint legitime requiſiti. Et ſi negligentes fuerint vel remiſſi, ex tunc infra dictam parochiam ceſſetur a divinis; & ſi quos tunc de dictis parochianis mori contigerit, ſine noſtra vel officialis noſtri licentia non tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ, donec dictam reconciliationem procuraverint cum effectu: curati vero, in quorum parochia præmiſſa contigerit fieri, ſimiliter eiſdem cito provi-

A dendum & obſervandum, ſicut præmittitur, ſollicite, ne poſſint de negligentia reprehendi.

Titulo de pœnitentia.

Sacerdotes curati vel vices eorum gerentes, & alii qui vice noſtra confeſſiones audiunt, eos qui propoſitum non habent abſtinendi a peccatis, nequaquam abſolvant ſine pœnitentia, eos non relinquant tamen, ſed cum hoc eos moneant caritative, ut interim agant quicquid boni poſſunt, ut Deus eorum corda ad veram contritionem & pœ- B nitentiam illuſtret.

Titulo de matrimonio.

Propter ſimplicitatem quorumdam preſbyterorum, qui quandoque ſuos ſubditos, in ipſorum præſentia, & ipſis preſbyteris verba proferentibus, ad matrimonium contrahendum inducunt & admittunt per verba conſenſum exprimentia de præſenti, cum potius debeant admittere eos ad ſponſalia inter eos contrahenda per verba tantummodo de futuro. Ex qua ſimplicitate ple- C rumque multa incommoda, & animabus damnoſa provenire noſcuntur; ſtatuimus & præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus preſbyteris in noſtris civitate & diœceſi Cameracenſi conſtitutis, quod de cetero in ſponſalibus ſeu fidedationibus utantur dumtaxat verbis talibus vel conſimilibus: *D. Petre vis promittere per fidem tuam quod Bertam quæ hic eſt accipies in uxorem, ſi impedimentum canonicum non obſiſtat,* Et econverſo. his dictis accipiat manus contrahere volentium & dicat. *Tu promittis quod dictam Bertam accipies in uxorem, ſi impedimentum* D *canonicum non obſiſtat*, & ſic e contrario.

Item eodem titulo.

Statuimus ne quis preſbyter aut capellanus benedictionem in ſecundis nuptiis audeat celebrare; quodque ſacerdotes mulieres non purificent, præter quam in mortis articulo, niſi jacuerint per menſem poſt nativitatem ſui partus.

Item in eodem titulo.

Prohibemus ne ſacerdotes ſeu capellani aut vicarii eorumdem, mulieres jacentes de E partu damnato coitu nefario vel fornicario & manifeſto, ad purificationem recipiant, ſine noſtra vel officialis noſtri Cameracenſis, aut decanorum locorum civitatis Cameracenſis excepta licentia ſpeciali. Qui contra hoc facere præſumſerit, excommunicationis ſententiam, eo ipſo, incurrat; & nihilominus per officialem noſtrum aut decanum loci graviter, prout culpa ipſius exegerit, puniatur.

Item titulo de exequiis mortuorum.

Inhibemus preſbyteris parochialibus & ca-

pellanis sub pœna suspensionis & excommunicationis, ne quis eorum suspensos, excommunicatos seu interdicto ecclesiastico suspectos, aut alios in mortali peccato notorio existentes, tradant ecclesiasticæ sepulturæ, nisi in mortis articulo signa pœnitentiæ apparuerint in eisdem.

Item titulo de libertate ecclesiarum & cimiteriorum.

Ecclesiæ pollutæ sanguinis aut seminis effusione reconcilientur per nos vel de mandato nostro seu officialis nostri, sive ecclesiæ vel cimiteria fuerint dedicatæ, sive non; & quousque fuerint reconciliatæ nullus ibidem sepeliatur.

Item eodem titulo.

Si cimiterium fuerit pollutum sanguinis vel seminis effusione, propter hoc ecclesia non est polluta; sed si ecclesia fuerit polluta aliquo prædictorum, cimiterium erit pollutum, si ecclesiæ fuerit contiguum; non autem si ab ecclesia sit remotum: & quousque fuerit reconciliatum, nullus ibidem tumuletur.

Item eodem titulo.

Cum alias statuimus quod capellani perpetui sacramenta sua a curatis locorum suorum in infirmitatibus suis accipient; & si decesserint, in capellis suis sepelirentur, nisi quis ex devotione alibi, salvo jure parochiali, eligerent sepulturam. Statutum hujusmodi intelligimus & statuendo declaramus, quod si emolumentum ratione exequiarum talium capellanorum aliis quam curatis locorum ex consuetudine competat, per statutum dictum nolumus nec intendimus dictæ consuetudini in aliquo derogare.

De reverentia jurisdictionis & libertate ecclesiarum, cimiteriorum & ecclesiasticarum personarum.

Quia plerumque accidit, ut quando aliqui confugiunt ad ecclesias seu monasteria, aut cimiteria causa immunitatis ac libertatis ecclesiarum seu monasteriorum aut cimiteriorum hujusmodi inimici seu persecutores talium confugentium aut alibi ad certa dicta loca jurisdictionem exercentes quandoque violant ecclesias, monasteria seu cimiteria hujusmodi & ab eis ipsos confugientes extrahunt, quandoque verbo, per subtractionem victus & aliorum pro ipsis confugientibus necessariorum, aut modo alio, dictos confugientes inducunt seu compellunt ut exeant immunitatem seu libertatem hujusmodi. Statuimus una cum aliis pœnis super his statutis, ut in locis in quibus de cetero talia perpetrari contigerit, quocumque etiam colore quæsito, & ubi violatores & perpetratores hujusmodi moram traxerint cessetur a Divinis, nec sine nostra aut officialis nostri licentia organa resumantur ibidem.

Item, statuimus quod nulli extranei & ignoti tamquam mercenarii capellani, ad deserviendum in officio sacerdotii in civitate & diœcesi Cameracensi de cetero admittantur, nisi constet per litteras suorum ordinariorum ut alias legitime quod sunt vitæ laudabilis & honestæ conversationis, & quod in sacerdotii ordinem canonice sint promoti.

Item titulo libertatis ecclesiasticæ.

Cum aliqui justitiarii seu servientes aliquos bonis suis cedentes seu cedere volentes, aut alios fori ecclesiastici obligantes, super quorum cognitio ad forum ecclesiasticum pertinet de consuetudine vel de jure, per captionem bonorum suorum & corporum, adinvenientes quandoque non causam pro causa, compellunt ad desistendum a prosecutione suæ litis; & quandoque etiam occasione delictorum, pro quibus facta est cessio, cedentes hujusmodi capiunt & carceri mancipant, non obstante cessione facta, eaque spreta & contemta, in derogationem libertatis ecclesiasticæ sic excommunicationem a canone latæ sententiæ incurrendo ipso facto: nos omnes & singulos tales, ac dantes eis in hoc auxilium & juvamen, auctoritate canonis denuntiamus excommunicatos, mandantes omnibus & singulis ecclesiarum rectoribus & eorum vices gerentibus in nostro episcopatu constitutis, quatinus singulis diebus Dominicis & festis, campanis pulsatis, candelis accensis, ipsos denuntient excommunicatos, ad absolutionem talium, quorum absolutionem nobis seu officiali reservamus, nullatenus procedentes, nisi in mortis articulo, sine nostra licentia speciali.

Item titulo de executione mandatorum.

Inhibemus decanis nostris Christianitatis ne pro sigillo sui decanatus quibusque litteris apponendo, ultra sex denarios Turonenses fortis monetæ recipiant.

Item titulo de matrimonio.

Pro bannis proclamandis seu faciendis & suis litteris testimonialibus concedendis, tam decani quam sacerdotes non ultra tres solidos Turonenses recipiant.

Item, statuto ubi dicitur: nec aliquid presbyteri exigant, nisi solum denarium Turon. in forti moneta pro sigillo, addimus: & clerici parochiales similiter denarium Turonensem fortis monetæ pro pœna & labore in executione facienda, dumtaxat recipiant.

Titulo de executione mandatorum synodalium.

Cum ut censura ecclesiastica magis timeretur, statuimus ut omnes excommunicati

a nobis vel officiali noſtro, pro ſuis abſolu- A tionibus obtinendis, ad nos vel ad curiam noſtram Cameracenſem accedant, aut procuratorem ſufficienter inſtructum mittant poteſtatem abſolvendi habentem eoſdem, præter quam in mortis articulo, a quibuſlibet aliis adimentes, quia tum, ſicut intelleximus, nonnulli propter paupertatem & inopiam eorumdem excommunicati decedunt, ſtatuimus quod decani Chriſtianitatis locorum, in ſuis decanatibus Cameracenſis civitatis excepta de regiſtris, quæ ſibi mittuntur, & de aliis quæ ad ſuum officium ſpectant, dumtaxat... ex- B communicatos poſſint abſolvere eoſdem, decanis quoad hæc ex abundanti vices noſtras committentes.

Titulo de feſtis.

Statuimus & omnibus ſubditis noſtris eccleſiaſticis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, injungentes, ut cum apud eam exuberare debeat devotio fidelium, quæ noſtra eſt apud Deum mediatrix & impetratrix promtiſſima gratiarum; feſtum conceptionis glorioſſimæ Virginis MARIÆ octava die C menſis Decembris, cum matutinis & miſſa, ceteriſque divinis obſequiis devote celebrent. Et præcipimus dictum feſtum tamquam feſtivum & ſolemne, ſub pœna excommunicationis reverenter obſervari ab omnibus Chriſtianis.

STATUTA NOVA

Statuta hæc ſunt noviter facta in ſynodo Cameracenſi celebrata in majori eccleſia anno Domini MCCCXII. *die Mercurii in feſto S. Lucæ evangeliſtæ.* D

QUoniam legitur in canone: quicumque ex Deo eſſe videntur, arma militaria non ſumant, ſtatuimus ut nullus clericus cujuſcumque generis arma deferat, ſine noſtra aut officialis noſtri licentia ſpeciali, alias ad quinquaginta ſolidorum pœnam teneantur, & arma nihilominus amittant.

Item, ſtatuimus quod ſinguli preſbyteri in ſcripturis habeant nomina ſuorum parochianorum excommunicatorum, qua de E cauſa excommunicati ſunt, utrum pro judicato, vel contemtu, vel aliter; & nomina illorum ad quorum inſtantiam ſunt excommunicati, diem etiam quo primo denunciantur, & ſingulis annis per menſem ante ſynodum decanis referant parochianos ſuos excommunicatos per annum, vel ad pœnam xx. ſolidorum Pariſienſium teneantur, & decani ad ſynodum reportent ſecundum antiqua ſtatuta, alias nomine pœnæ ad XL. ſolidos Pariſienſes teneantur.

Item, ſtatuimus ut ſinguli preſbyteri alta voce & intelligibili in facie eccleſiarum ſuarum ſingulis diebus Dominicis & feſtivis parochianos ſuos excommunicatos denuncient nominatim & diſtincte, ut rubore confuſi, ad unitatem ſanctæ matris eccleſiæ citius revertantur, & eorum nomina habeant in cedula vel quaterno; alias quotiens omiſerint, in quinque ſolidis Turonenſibus teneantur.

Item, ſtatuimus quod decani in ſuis litteris abſolutionis nomina exprimant, a qua ſententia abſolvunt, & ad quorum inſtantiam tales abſoluti excommunicationis ſententiam incurrerunt; aliter preſbyteri decanorum litteras excommunicatorum nullatenus exſequantur.

Item, ſtatuimus quod ſi aliquem contigerit excommunicatum fore pluribus ſententiis, & ab una fuerit abſolutus, nihilominus pro alia excommunicatus nuncietur.

Item, in titulo primo in paragrapho *item prælatos*, poſt illa verba, *Et ſacerdotes*, addimus: capitula & collegia & quoſcumque alios, qui ad noſtram ſanctam ſynodum venire tenentur de conſuetudine vel de jure, *& ſequitur* ut tenentur non venientes.

Item, in titulo de exſequutione ſtatutorum ſynodalium in paragrapho *item ſtatuimus quod ubicumque portatores litterarum* poſt illa verba *organa reſumantur* ibidem addimus illa verba: ſi poſtquam a nobis ſeu officiali noſtro aut decano rurali vel deputato ab ipſis ſeu altero eorum requiſiti fuerint, non reſtituantur.

Item, quantumcumque contingit nos concedere licentiam ex certis cauſis aliquibus curatis ſeu capellanis de reſidendo in eccleſiis vel capellis ſuis, intentio noſtra eſt quod domus eorum ſubſtententur & directæ teneantur. Quod ſi non fecerint, volumus quod decani locorum de fructibus dictarum eccleſiarum aut capellaniarum faciant dictas domus & teneant directas, & quod in his faciendis vigilent diligenter.

STATUTA FACTA ANNO MCCCXVI. PRIMA DIE MENSIS OCTOBRIS IN ECCLESIA CAMERACENSI.

Quoniam pro funeralibus quæ in exequiis defunctorum apportantur, antequam fiant exequiæ, a nonnullis fiunt illicitæ pactiones, eccleſiis atque perſonis eccleſiaſticis damnoſæ, inhibemus præcipendo in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna excommunicationis, ne de cetero pactiones fiant de ipſis funeribus, antequam ipſæ exequiæ factæ fuerint, & corpus pro quo fiunt traditum ſit eccleſiaſticæ ſepulturæ.

Item, denunciamus excommunicatos a canone omnes illos qui ſervant & ſervari faciunt ſtatuta edita & conſuetudines intro-

ductas contra ecclesiæ libertatem.

Item, statuimus descriptores statutorum ipsorum, nec non scabinos, rectores, & consiliarios locorum, ubi de cetero hujusmodi statuta & consuetudines editæ fuerint & observatæ, nec non eos qui secundum ea præsumserint judicare [excommunicatos esse.]

ANNO DOMINI MCCCXVII.

DIE SABBATI IN FESTO B. REMIGII.

Reverendus in Christo pater P. Dei gratia Cameracensis episcopus tenens suam synodum in ecclesia sua Cameracensi fecit & addidit hoc statutum.

Quoniam sicut experientia docuit, nonnulli sacerdotes, immo verius deceptores, in alia messe falcem suam immittere non verentes, in nostris civitate & diœcesi sine nostra vel curatorum ipsorum civitatis & diœcesis licentia, in ejusdem ecclesiis & eorum parochiis præsumunt temeritate propria audire confessionem, & ministrare ecclesiastica sacramenta contra sacrum canonum institutum, cum sibi confitentes absolvere nequeant vel ligare, vel ipsa ecclesiastica ministrare. Nos tantæ temeritati & animarum periculis occurrere cupientes, statuendo prohibemus ne quicumque sacerdos sine nostra vel prædictorum curatorum licentia audire confessiones, vel ipsa sacramenta ministrare præsumat, nisi in mortis articulo, ubi non posset haberi copia curatorum. Si quis autem hoc facere præsumserit, excommunicationis vinculo sit ligatus, salvis autem auctoritatibus & privilegiis apostolicis, quorum volumus esse defensores.

Item, denuntiamus excommunicatos omnes hæreticos, credentes & fautores eorumdem, & omnes schismaticos.

Item, omnes illos qui jurisdictionem ecclesiasticam & libertatem ecclesiæ impediunt, & qui in his impediendis præstant auxilium, consilium, vel favorem.

Item, denuntiamus excommunicatos a canone omnes illos qui temporale dominium obtinentes, suis subditis interdicunt ne prælatis aut clericis seu personis ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque eis bladum molant, coquant panem, & alia obsequia exhibere præsumant.

Item, denuntiamus excommunicatos a canone synodali omnes illos qui civitatem nostram Cameracensem, castra, villas, nemora, prata, molendina, vinaria, & alia loca & jura ad nostram temporalem mensam pertinentia violenter invadunt, & injuriose occupant, & illos qui eisdem in præmissis, aut aliquo præmissorum auxilium, consilium, vel favorem præstant, & terras eorumdem subpositas ecclesiastico interdicto.

Item, denuntiamus excommunicatos a canone synodali omnes illos qui in nostro comitatu Cameracensi incendia domorum vel segetum faciunt, & omnes illos qui eisdem in præmissis præstant auxilium, consilium vel favorem, & eorum terras suppositas ecclesiastico interdicto.

Item, denuntiamus excommunicatos a canone synodali omnes illos qui in nostro comitatu Cameracensi agricultores euntes & redeuntes ad agriculturam, & in ipsa euntes, & animalia quibus arant, & semina quæ portant ad agrum, hostiliter capiunt, vulnerant, & interficiunt; & omnes qui eisdem in præmissis consentiunt, præstant auxilium, consilium vel favorem.

Præcipimus omnibus curatis in virtute sanctæ obedientiæ nostrarum civitatis & diœcesis, ut prædictas denuntiationes publice faciant in vulgari singulis diebus Dominicis & festis, cum ibi erit major populi multitudo. Negligentes pœna canonica feriantur.

Dignum esse dinoscitur, ut quos timor Dei a malo non revocat, ipsos tamen coërceat ecclesiasticæ severitas disciplinæ, præcipue clericos, quos ecclesia Dei sibi filios prout speciales, ipsos libertatibus, privilegio inter alios suos filios præmunivit, ac suis propriis insigniis voluit insigniri, si ipsam matrem contemnant, si ipsius immunitates infligant, si ipsius matris privilegio in contemtum ipsius uti volunt, per quæ amicorum, ac omni alio cessante subsidio, a morte etiam sæpissime liberantur; quid mirum si eos qui seipsos ab ejus immunitatibus exemerunt absque causa, a communione sua & suorum filiorum fidelium segreget & expellat? Cum igitur nonnulli clerici de suis excessibus & delictis, coram dominis & justitiariis temporalibus obligant & eligunt respondere, & absque sui judicii ecclesiastici licentia, eorum jurisdictioni & correctioni voluntarie se submittunt, & cum eis de delictis & excessibus transigunt & componunt, ut correctionem ecclesiasticam possint effugere, a qua misericordiam & veniam debent humiliter implorare, quod cadit in totius cleri vituperium & ecclesiasticæ libertatis præjudicium & contemtum, contra sanctiones canonicas noscitur esse factum. Nos super his occurrere prout debemus & possumus juris remediis cupientes, statuimus & firmiter inhibemus ne de cetero quivis clericus gaudere debens privilegio clericali, coram laïcali justitia, præcipue in delictis, respondeat, aut jurisdictioni temporali se voluntarie submittat. Qui vero contrarium fecerit, excommunicationis sententiam ipso facto se noverit incursurum.

Sunt nonnulli tam clerici quam laïci scienter coram officiali Cameracensi ex officio citati super suis excessibus & prævenți, qui cum decanis ruralibus post citationem & processum dictæ curiæ, transigunt vel componunt; & his non contenti litteras quitationis ab ipsis decanis sub anteriori data fraudulenter

impetrant, ſicque proceſſus inchoatus elidi- A tur, curia decipitur, & in præjudicium decani & archidiaconi ſumtibus inanibus & gravibus oneratur: Nos igitur prædictis decanis & partibus inhibemus, ne talia committere audeant vel præſumant. Qui autem contrarium ſcienter fecerint in præmiſſis, ſuſpenſionis preſbyteri, excommunicationis alii [pœnam] incurrant ipſo facto.

Licet per conſtitutionem Clementinam jam dudum fuerit inhibitum ne quis, niſi in eccleſiis, in quibus ſint fontes ad hoc ſpecialiter deputati, aliquem audeat baptizare, liberis regum & principum dumtaxat exceptis, B ut cum adjectione prædicta conſtitutio magis in reverentia teneatur, hæc eadem auctoritate ordinaria inhibemus, ſtatuentes ut qui de cetero contrarium fecerit, ſententiam excommunicationis incidat ipſo facto.

Item, excommunicatos a canone nuntiamus religioſos, cujuſcumque ordinis vel conditionis exiſtant, tam peremtorie quam non peremtorie, qui cum cathedralem vel matricem eccleſiam ſtatuta ſynodalia vel provincialia de ceſſando viderint aut ſciverint obſervare, contra tenorem illius Clementinæ conſtitutionis quæ incipit: *Ex frequentibus, &c.* in ſuis eccleſiis & monaſteriis publice ce- C lebrant, excepta moderatione illius conſtitutionis *Alma mater*.

Item, excommunicatos nuntiamus a canone, interdictos & excommunicatos, qui a celebrantibus moniti competenter ut exeant, exire noluerint, ſed ibidem remanere præſumſerint, per ſedem apoſtolicam abſolvendos.

Item, præcipimus omnibus curatis Cameracenſis diœceſis, ut ſtatuta & denuntiationes in præſenti ſynodo factas, legant ſingulis diebus Dominicis, cum ipſos divina celebrare contigerit in ſuis eccleſiis parochialibus, populo ibidem congregato publicent, D & in lingua materna exponant ſub pœna x. ſolidorum Pariſienſium, quotiens in negligentia de non publicando fuerint reprehenſi.

Ut abbates, priores, decani, preſbyteri, ac omnes alii, qui ad ſanctam ſynodum Cameracenſem venire tenentur, & pro temporibus tenebuntur, reddantur in poſterum certiores qua die debebunt ad dictam ſynodum comparere, ſicque cum deliberatione pleniori de ſibi ad hoc opportunis valeant providere, ſtatuimus, & in hac ſancta ſynodo ordinamus, ut de anno in annum in E feſto B. Remigii in capite Octobris dicta ſancta ſynodus de cetero teneatur: quam quidem diem omnibus & ſingulis tam de diœceſi quam extra, ad dictam ſynodum venire debentibus de jure, conſuetudine, vel alio quoquo modo præfingimus ad comparendum, præſentandum ſeu audiendum, conſentiendum ea quæ in dicta ſynodo ſtatuimus fieri, publicari, vel ordinari de anno in annum contigerit, pro terminis aſſignamus, ita quod aliis vocationibus vel citationibus de cetero non ſit opus, niſi per reverendum in Chriſto patrem dominum Cameracenſem epiſcopum, ſeu ejus vicarios, dictam ſynodum ad aliam diem aſſignari contigerit vel transferri.

Quia plerumque nonnulli curati Cameracenſis diœceſis vel vices eorum gerentes, & clerici variis ſigillis utuntur, nunc uno ſigillo nunc alio, executionem, reſcriptionem & alias litteras quas quandoque officiali aut ſigillifero curiæ Cameracenſis dirigunt ſigillando, propter quæ ſæpiſſime ſuper agnitione dictorum ſigillorum dubitationes & altercationes in dicta curia ſunt ſubortæ, ut ſic dictæ dubitationes & altercationes ad certitudinem reducantur, & in cauſis in dicta curia ventilandis, de cetero ſanius procedatur, ſtatuimus & ordinamus, ut unuſquiſque curatus proprium ſigillum ſub nomine ſuæ parochialis eccleſiæ habeat infra menſem, & eo ſolo utatur in prædictis executionibus, reſcriptionibus & aliis litteris ſigillandis, quas tam ſuper executionibus mandatorum curiæ Cameracenſis, quam ipſarum quas per ſe [vel] clericum ſuum vel aliter contigerit ſigillare. Si autem quemquam ipſorum eccleſiam ſuam contigerit ex cauſa permutationis vel alias dimittere, ſigillum hujuſmodi ſuo relinquat ſucceſſori. Quiſquis autem contrarium fecerit, pœnam xx. ſolidorum Pariſienſium eo ipſo ſe noverit incurſurum, domino Cameracenſi applicandorum & per decanum loci levandorum.

Præcipimus omnibus & ſingulis decanis Chriſtianitatis, diœceſis Cameracenſis, ſub pœna ſuſpenſionis firmiter injungentes ut impreſſionem omnium ſigillorum, quibus utuntur curati ſibi ſubditi in ſigillandis executionibus mandatorum dictæ curiæ Cameracenſis, ac aliis litteris, quas frequenter dictæ curiæ tranſmittunt officiali vel ſigillifero, infra inſtans feſtum B. Martini tranſmittere non omittant.

Querimonias quamplurimorum Cameracenſis diœceſis recepimus. Inter alia continent, quod nonnulli curati parochialium eccleſiarum, ac eorum vices gerentes prædictæ diœceſis pro executionibus mandatorum curiæ Cameracenſis, faciendis ſcripturis, ac ſigillis ſuis, non ad modum rationis, ſed ad libitum voluntatis, pecuniam majorem quam deceat indebite exigunt & extorquent, in ſcandalum dictæ curiæ & dictorum conquerentium præjudicium & gravamen. Nos vero talibus immoderatis exactionibus, prout poſſumus & debemus, viam concludere cupientes, ac eiſdem curatis & vicariis pro ſuis pœnis & laboribus, moderate tamen, ſubvenire volente, ſtatuimus & ordinamus, ut unuſquiſque eorumdem pro qualibet execu-

tione mandatorum dictæ curiæ, insita metas suæ parochialis ecclesiæ facienda, uno denario pro sigillis, uno denario pro rescriptione, si fiat, & per eum scribatur, duos denarios pro scriptura & unum pro sigillo; pro procuratione vero, si per eum sigilletur & scribatur, sex denarios. Si vero eidem scriptura tradatur sigillanda, pro sigillo duos denarios, pro receptione vero juramenti de calumnia vel decisorii, ut continetur affirmat & negat, vel confitetur dumtaxat in substantia, pro scriptura & sigillo VI. denarios, pro executione vero testimonii & scriptura super depositione eorumdem & aliis scripturis, super quibus non est imposita taxatio pro octo lineis, quarum quælibet octo vocabula integra contineat, monosyllabis in dicto vocabulorum numero minime computatis, inhibemus eisdem vel eorum cuilibet, ne ultra taxationem hujusmodi aliquid audeant de cetero recipere vel præsumant. Si quis vero eorumdem contra hoc facere præsumserit, totiens quotiens super hoc reprehensus fuerit, pœnam decem solid. Parisiensium incurrat, ipso facto, domino Cameracensi episcopo applicandorum.

Excommunicatos a canone nunciamus omnes, qui in tempore interdicti defunctorum corpora in cimiteriis, nisi in casibus a jure concessis, & qui excommunicatos publice vel nominatim interdictos, aut usurarios manifestos scienter præsumserint sepelire.

Item, excommunicatos a canone nuntiamus omnes qui a personis ecclesiasticis, quos non negotiandi causa deferunt, seu deferri faciunt, pedagia aliqua suo vel alieno nomine exigunt vel extorquent.

De causis, c. *Si.*

Item, excommunicatas a canone nunciamus omnes personas quæ scienter in gradibus a jure prohibitis, vel in sacris ordinibus constitutæ, aut in religionibus professæ contrahere non verentur.

De consanguinitate ac affin. c. 1.

Item, denunciamus excommunicatum a canone religiosum, tam exemtum quam non exemtum, qui in parochiis alienis sacramentum unctionis extremæ, aut matrimonium scienter solemnisare præsumserit, parochialis presbyteri non habita licentia speciali, per sedem apostolicam dumtaxat absolvendum. Eos vero qui hoc fieri procuraverint, aut in his auxilium vel consilium præstaverint, aut in his scienter interfuerint, excommunicationis sententia innodamus.

De privilegiis, cap. 1.

Item, excommunicatos a canone nunciamus omnes excommunicatos publice aut interdictos, [qui] dum missarum solemnia celebrantur, moniti ut de ecclesiis exeant, remanere præsumserint, per sedem apostolicam dumtaxat absolvendos.

De sent. excom. c. *Gravius.* c. *Qui excommunicati.*

Eadem vero sententia sint ligati, qui eis ut exeant inhibere præsumunt.

Præcipimus in virtute obedientiæ, & sub pœna excommunicationis omnibus & singulis presbyteris ecclesiarum nostrarum civitatis & diœcesis Cameracensis, ut statuta in hac sancta synodo facta, per denuntiatores in ecclesiis suis singulis diebus Dominicis, cum ibi fuerit major multitudo populi, publice facians promulgari; negligentes autem pœnam x. solid. Turonensium, quotiens negligentes fuerint, [incurrant] per decanos nostros levandorum.

In titulo de reverentia & jurisdictione & libertate ecclesiarum, anno Domini MCCCXIII.

Quia plerumque cum nonnulli domini, aut justitiarii sæcularium nostræ diœcesis, plus sectantur motum animi, quam judicium rationis, personas ecclesiasticas ad solvendum debita, super quibus coram illis contra ipsos eorum exhibentur litteræ vel probationes, quibus judicantur damnabili præsumtione compellunt per captionem dictorum vel alias, cum eis nulla competat jurisdictio in hac parte. Nos huic præsumtioni pestiferæ, quæ in nostra diœcesi nimium invalescit, occurrere cupientes, statuendo præcipimus, quod nulli domini aut justitiarii temporales talia præsumant facere de cetero. Si quis contra hoc salubre statutum personas ecclesiasticas ad solvenda debita contra statuta canonica compellere præsumserit, ipso facto, sententia excommunicationis sit ligatus.

Ex querelis lacrymabilibus personarum ecclesiasticarum, tam regularium, quam sæcularium nostræ diœcesis percepimus, quod nonnulli diabolico succensi spiritu, divinum judicium contemnunt, ecclesias frequenter destruunt, animalia interficiunt & rapiunt, & grangias & domos succendunt, & nonnumquam personas ecclesiasticas capiunt, & captas detinent pro suæ libito voluntatis; unde quia multum crescentibus non opus est exemplo, ne de cetero fiant talia inhibemus, statuentes quod si quis deinceps præmissa fecerit, vel fieri mandaverit, ipso facto excommunicationis vinculo cum omnibus illis qui in his ut fiant dabunt auxilium, consilium, favorem, sit ligatus. Is etenim cujus nomine præmissa fiunt, si postquam ad ejus notitiam pervenerit, rata habuerit eadem, sit ligatus sententia excommunicationis.

Præcipimus etiam in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna suspensionis & excommunicationis omnibus & singulis curiæ nostræ diœcesis, ut diebus Dominicis & festis, dum missarum solemnia celebrantur, inter offertorium & præfationem denuntient palam & publice excommunicatos omnes illos, qui litterarum nostrarum vel officialis nostri Cameracensis, vel alias ad forum ecclesiasticum recurrentes super causis quæ ad idem forum jure vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur, ad desistendum coram nobis ad judicium ecclesiasticum vel impetrantium aut litigantium, vel volentium litigare aut pro-

pinquorum ipſorum, ſeu rerum ipſarum, aut eccleſiarum ſuarum, & captionem, vel modis aliis quibuſcumque compellunt, ſeu compelli faciunt, vel procurant, per ſe ſeu per alios, quominus coram nobis vel officiali noſtro, vel judicibus eccleſiaſticis querelantur de cauſis, quæ, ut præmiſſum eſt, ad cognitionem noſtram pertinent vel officialis noſtri, poſſint libere juſteque obtinere; & qui ad præmiſſa facienda dant conſilium, auxilium vel favorem; a qua ſententia abſolvi non poſſunt, niſi nobis vel officiali noſtro ſeu judicibus, quorum cognitio fuerit impedita, vel juriſdictio uſurpata, quam parti quæ in proſecutione turbata fuerit ſui juris de injuriis, damnis vel expenſis & intereſſe prius per eumdem integre fuerit ſatisfactum, prout hoc in conſtitutione felicis recordationis domini Bonifacii papæ octavi plenius continetur.

Item, denuntiamus excommunicatos ut ſupra, qui equos & animalia perſonarum eccleſiaſticarum, tam regularium quam ſæcularium noſtræ diœceſis interficiunt, rapiunt & domos incendunt, & ipſas perſonas eccleſiaſticas capiunt, prout in noſtra conſtitutione quæ incipit: *Ex querelis lamentabilibus*, plenius continetur.

Item, denuntientur excommunicati diebus quibuſlibet Dominicis & feſtivis, ut ſupra, omnes judices ſæculares noſtræ diœceſis, qui perſonas eccleſiaſticas compellunt per litterarum ſuarum captionem vel aliter, ad ſolvendum debita, ſuper quibus coram illis contra ipſos exhibentur eorum litteræ vel probationes aliquæ inducuntur, prout in noſtra conſtitutione aliàs edita continetur.

Anno Domini MCCCXV. *titulo de executione ſtatutorum ſynodalium.*

Quia plerumque ex dilata executione mandatorum vel ſtatutorum noſtrorum ſynodalium ſcandala provenerunt, ſtatuimus, mandamus & præcipimus, ut ubicumque per ſtatuta noſtra ſynodalia ceſſandum fuerit a divinis, ceſſetur ibidem juxta ſtatuta prædicta, abſque alterius noſtri vel officialis noſtri Cameracenſis expectatione mandati.

In titulo de exequiis mortuorum, & ea tangentibus.

In paragrapho: *Sunt in terris eccleſiæ ab ipſis excultis*, &c. poſt verba, *Decedant inter feſta*, addimus iſta: *Vel in aliqua alia parte anni, dum tamen fructus aliquos non perceperint.*

Item, denuntiantur excommunicati auctoritate concilii provincialis...

Item, titulo de matrimonio.

Quia in quibuſdam partibus noſtræ Cameracenſis diœceſis, quod dolentes referimus, nonnulli tam viri quam uxores ſimul matrimonialiter copulati, ad ſuggeſtionem diaboli, qui ſemper in hoc mundo parat diſcordias, & non ceſſat zizanias ſeminare, Chriſtique fideles ab unitate fidei ſeparare, ex qua volunt diſplicentia ſeu diſcordia ſua temeritate propria & abſque eccleſiæ judicio contra præceptum Domini & apoſtolicas ſanctiones ſeſe ab invicem ſeparare & dividunt de facto, divortium inter ſe ad ſui libitum celebrando, viri ſcilicet dimiſſis ſuis uxoribus propriis alias uxores, etiam viris aliis conjugatas; & uxores alios viros ſibi damnabiliter aſſociant & conjungunt, alter alteri in domo, loco & aliis, quaſi vir & uxor conjugati, penitus adhærendo, & in Dei & eccleſiæ ſcandalum publice & luxurioſe vivendo. Nos ergo tantis in eccleſia Dei ſcandalis tantiſque erroribus & ſubditorum noſtrorum animarum periculis, prout ex debito tenemur officii, occurrere cupientes, ſtatuendo præcipimus, ne aliqui de cetero, tam viri quam uxores, abſque eccleſiæ judicio ſeſe ab invicem ſeparent aut dividant cauſa divortii inter eos faciendi. Qui vero contrarium fecerint, in excommunicationis ſententiam, quam in ipſos ferimus, incidant ipſo facto.

Item, titulo de teſtamentis.

Quia in quibuſdam villis noſtræ diœceſis Cameracenſis, ſunt nonnulli laïci, tam judices quam non judices, aſſerentes & ſuſtinere nitentes ultimas decedentium voluntates ac eorum teſtamenta non aliter valere, tenere aut habere roboris firmitatem, niſi in prædictorum confectione ſcabini loci, aut ſaltem duo de ipſis præſentes interfuerint ad hoc vocati ſpecialiter & rogati, aſſerentes ſecundum uſum ſuum, quem prætendunt, quod per alios teſtes quam ſcabinos probari non valeat ultima diſpoſitio teſtamentorum. Nos igitur attendentes, quod prædictus abuſus evidenter eſt contrarius rationi, quodque per prædictum abuſum, ſi non tolleretur, de cetero prædictas defunctorum voluntates ſæpe & ſæpius indebite contingeret irritari, ſtatuendo præcipimus & firmiter inhibemus, ne quis occaſione abuſus hujuſmodi prædicta defunctorum teſtamenta, aut eorum voluntates ultimas, aliter tamen rite factas, impedire aut impugnare præſumant. Qui vero contrarium fecerit, in excommunicationis ſententiam incidat ipſo facto.

Item, eodem titulo.

Item, quia in quibuſdam locis & villis noſtræ Cameracenſis diœceſis, nonnulli laïcalis juſtitiæ aſſerunt & ſuſtinere nituntur, quod ſecundum uſum ſuum legata & donationes cauſa mortis, quas faciunt decedentes, non valeant, nec habeant roboris firmitatem, niſi teſtator de lecto mortis conſurgens, extra domum in qua jacet, per XL. pe-

dum ſpatium pedes vadat, & ibidem de bonis ſuis ordinet & diſponat. Sunt etiam aliqui laici judices aſſerentes quod non valent, nec tenent legata, donationes & eleemoſynæ defunctorum, niſi de datis & relictis teſtator in vita ſua, propria manu legatorum & donatorum propriam poſſeſſionem tradiderit & ſaiſinam, ad iniquitatem ſuam & malitiam tollendam quemdam abuſum nefandiſſimum pro conſuetudine prærendentium. Nos igitur attendentes quam piæ, quam favorabiles ſunt ultimæ voluntates, ex quantoque cupiditatis & malitiæ fomite ſumſerit fundamentum, ſtatuimus ut legata, donationes & eleemoſynæ defunctorum valeant & teneant, ſive in lecto mortis, ſive in domo facta fuerint, etſi de prædictis datis & legatis legatorum & donatorum in vita ſua poſſeſſionem non tradiderit vel ſaiſinam, dicto abuſu contrario non obſtante, dum tamen non ſuperſit alia cauſa legitima, propter quam poſſint & debeant impugnari: inhibentes ne quicumque judices occaſione dictorum abuſuum vel alicujus eorumdem, dicta legata aut legationes fraudulenter impediant aut impugnare præſumant. Qui vero contrarium facere præſumſerint, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto.

Item, præcipimus & mandamus firmiter injungendo omnibus & ſingulis parochialium eccleſiarum curatis Cameracenſis [diœceſis,] ut hæc ſtatuta in hac ſancta ſynodo facta per nos, ſingulis diebus Dominicis in eccleſiis ſuis coram populo in materna lingua publicent & exponant. Qui vero in his exequendis repertus fuerit negligens vel remiſſus, pro ſua negligentia graviter ſe ſentiat puniendum.

Excommunicatos a canone nunciamus eos, qui exemti & non exemti interdicti tempore, in caſibus non conceſſis a jure, vel excommunicatos publice, vel nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter in cimiteriis fuerint auſi ſepelire.

Item, titulo de matrimonio.

Excommunicatos a canone nunciamus eos qui in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis ad matrimonii conſtitutionem canonice prohiberi ſcientes, contrahere non verentur, quorum nomina per curatos locorum ubi moram trahunt, cum ad ipſorum notitiam pervenerint, notificari volumus abſque mora, ut contra tales, prout juſtum fuerit, procedere valeamus.

Item, titulo de ſententia excommunicationis.

Excommunicatos a canone nunciamus omnes & ſingulos religioſos, tam exemtos quam non exemtos, qui in civitate Cameracenſi, villis aut caſtris noſtræ Cameracenſis diœceſis, in quibus cathedralem vel matricem loci eccleſiam auctoritate ſtatutorum provincialium vel ſynodalium interdictum ſeu ceſſationem ſciverint obſervari in ſuis...

Hic laceratum eſt unum folium.

... ab illo ſtatuto quod incipit. *Item, ſacerdotes excommunicent & nuntient excommunicatos omnes illos*, &c. illa verba *excommunicatos denuncient* ſubtrahimus, & poſt illa verba in fine dicti ſtatuti contenta: videlicet *publice vel occulte ſtatuendo* addimus hæc verba. Quos etiam extunc ipſo facto excommunicamus, nec non omnes & ſingulos conſilium, auxilium, mandatum, aut favorem dantes circa conſpirationem hujuſmodi, ſub qua & per quam intelligimus & declaramus contineri alligationes, confœderationes, ac durationes expenſarum ſeu caſuum contributiones.

Item titulo de execution ſtatutorum ſynodalium.

Nonnulli preſbyteri & capellani ſcientes ſeu ſcire debentes ſe teneri ad obſervationem ſtatutorum ſynodalium, ſtatuta hujuſmodi in cauſa ceſſationis non obſervant, ſed potius ſtatutis hujuſmodi ſpretis & contemtis, ignorantiam in hoc caſu affectantes ſeu fingentes, celebrare, ubi ceſſari debet; & aliter quam de jure eſt permiſſum, ſcienter præſumunt. Nos cupientes contra hæc ſtatuendo adhibere remedium optimum, tales ipſo facto, ex tunc a divinis ſuſpendimus; & ſi ſuſpenſi hujuſmodi per ſex dies non ſe abſtinuerint, excommunicamus eoſdem, & excommunicatos mandamus publice nunciari.

Item eodem titulo.

Abſolutionem ſeu relaxationem a ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis ſeu interdicti, in dictis ſtatutis antiquis vel novis contenta, ſi quis eas incurrerit, nobis aut epiſcopo Cameracenſi ſeu ejus locum tenenti aut officiali Cameracenſi ſpecialiter, præterquam in mortis articulo, reſervamus.

Anno MCCCXI.

Ad publicandum in eccleſiis parochialibus Dominicis diebus feſtis ſub pœna x. ſolidorum Pariſienſium a preſbytero negligente recipienda, quod procurator reſidens in civitate ſeu ſuburbiis Camerac. pro qualibet aſſignatione diei XII. Pariſienſes dumtaxat pro ſalario recipiat ſine fraude.

Item, procurator foraneus veniens eques de quindena in quindenam quinque ſolid. Pariſienſes, pedes XXX. denarios Pariſienſes.

Item, procurator veniens eques de ebdomada in ebdomadam tres ſolidos & ſex denarios Pariſienſes, nec conveniant de majori ſalario, niſi pro officiali vel ſigillifero, petita ſuper hoc licentia & obtenta.

Item, procuratores deferentes litteras contumaciales ad monachos contumaces, ut de contemtu ſatisfaciant officiali, ſi pars contumax

tumax citata ad instantiam partis adversæ ad videndum fieri taxationem expensarum velit satisfacere de expensis, non petantur nec recipiantur a personis sic monitis majores expensæ quam consuetum sit taxari in curia.

Officialis sedis Cameracensis vacantis omnibus decanis presbyteris & capellanis in civitate & diœcesi Cameracensi constitutis ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem in Domino. Olim felicis recordationis summus pontifex Gregorius decimus usurariorum voraginem qui animas detinent, qui animas devorant & facultates exhauriunt, salubriter cupiens refrenare, constitutionem Lateranensis concilii quinti contra usurarios editam, sub divinæ maledictionis interminatione præcepit inviolabiliter observari. Attendens itaque quod quominus fœneratoribus affutura foret fœnerandi commoditas, eo magis eis esset adimenda fœnus exercendi libertas, generali constitutione sancivit, ut nec collegium, nec alia universitas vel singula persona cujuscumque status aut dignitatis existat, alienigenas & alios non oriundos de terris ipsorum publice pecuniarum (fœnus) exercentes, aut exercere volentes, & ad hæc domos in terris suis conducere vel conductas habere, aut alias habitare permitterent, sed hujusmodi usurarios omnes infra tres menses de terris expellerent, numquam aliquos tales admitterent.

Sancivit etiam, ut nemo det illis ad fœnus exercendum in pœnam transgressorum, ut qui contrarium fecerit præmissorum, si personæ ecclesiasticæ, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi fuerint, suspensionis; minores vero sæculares personæ, excommunicationis; collegium autem seu alia universitas interdicti sententia ipso facto se noscent incursuros; quam si per mensem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum, quamdiu in eis iidem usurarii morarentur, ex tunc ecclesiastico subjaceant interdicto. Adjecitque ut laici per suos ordinarios ab hujusmodi excessu, cessante privilegio, per censuram ecclesiasticam compescantur. Quia vero nec sic quorumdam malitia contra Dei timorem conquievit, & parum sit jura condere, nisi sit qui ea teneat, vobis omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna suspensionis & excommunicationis, quas in vos ferimus in his scriptis, quod mandamus feceritis, firmiter duximus injungendum, quatenus dictam constitutionem, juxta quod superius scriptum est, nec non & prædictam Lateranensis concilii, qua cavetur ut usurarii manifesti, nec ad communicationem altaris admittantur, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Quodque eorum oblationes nullus accipiat in vestris ecclesiis, singulis diebus dominicis & festivis intra missarum vestrarum solemnia publicare, & pœnas in transgressores dictorum constitutas canonum, quas in dictos transgressores notorios, quantum in nobis est, tenore præsentium publicamus, palam & publice promulgari, & ad notitiam singulorum; quos de præmissis suspectos habebitis, proferre, & eorum auribus inculcare, ne causari possint, ignorantiam, vestra non omittat desidia, dictaque constitutiones observent, & in locis vestris per censuram ecclesiasticam faciatis firmiter observari, dictosque usuratios in locis vobis subditis commorantes, in generali nec non in speciali, & nominatim illos quos usurarum lucris (quos utriusque testamenti nimirum pagina detestatur,) aut per facti evidentiam, sive rei seu confessionem eorum, vel alterius notorie & manifeste vobis constiterit damnabiliter institisse, & ad hoc insistere, canonice moneri, ut infra xv. dies post receptam præsentationem, quorum quinque pro primo, alios quinque pro secundo & alios quinque pro tertio & peremtorio termino eisdem assignamus, ab his & similibus lucris detestabilibus & eorum exercitio cessent penitus & desistant, extortaque ab eisdem per usurarum pravitatem, eis a quibus talia sunt extorta, vel eorum heredibus integraliter restituant, & reddant sine fraude infra terminum supradictum, nobisque & ecclesiæ super his præstent emendam competentem, alioquin ipsos notos & manifestos, de quorum nominibus constiterit, quos ex tunc & ex nunc excommunicamus in his scriptis, in facie ecclesiarum vestrarum singulis diebus dominicis & festis nominatim, palam & publice & alios in generali excommunicatos nuncietis, sine alterius expectatione mandati, & sine representatione præsentium. Quod nisi feceritis, nomina dictorum collegiorum universitatum, singularium personarum, transgressorum, usurariorum seu fœneratorum, monitorum & excommunicatorum, si qui sint, in hoc instanti festo B. Remigii in capite Octobris Cameraci fideliter referentur, si canonicam volueritis effugere ultionem: ita quod in his exsequendis, unus vestrum alium seu alios non expecter. Datum anno Domini MCCCXCVI. feria III. post nativitatem B. Mariæ Virginis.

Item titulo de vita & honestate clericorum.

Statuimus quod omnes presbyteri curati sæculares civitatis & diœcesis Cameracensis pileos publice & continue in capitibus suis deferant, ut ab aliis sacerdotibus dinoscantur.

Item in eodem titulo.

Statuimus ut omnes curati parochialium ecclesiarum civitatis & diœcesis Cameracensis, dum in ipsa civitate fuerint, per vicos & plateas civitatis ejusdem incedentes cappam rotundam, seu honestum tabardum de super vestimenta deferant. Si autem secus fe-

cerint, poſt duos menſes a tempore ſtatutorum præſentium in iſta ſynodo promulgatorum, noverint ſe ſuſpenſos.

Item eodem titulo.

Statuimus quod nulli clerici veſtes deferant radiatas: alioquin ſi in maleficiis ſeu in aliquibus forefactis fuerint deprehenſi, non defendant eos, ſed erunt extorres omnino ab immunitate eccleſiæ, quæ ad clericorum cautelam, & laïcorum violentiam coërcendi [gratia] dinoſcitur inſtituta.

Item, ſtatuimus, ut omnes preſbyteri nobis ſubditi, propter ſuam culpam excommunicati, durante excommunicatione ipſa, ſuorum beneficiorum eccleſiaſticorum fructus amittant, & epiſcopo Cameracenſi & locorum archidiacono applicentur.

Item titulo de juriſdictione & libertate eccleſiarum & cimiteriorum.

Statuimus ut obſeſſores cimiteriorum & eccleſiarum, & obſidentes confugientes ad ipſas eccleſias ſeu cimiteria, niſi exeant, ipſo facto, excommunicationis ſententiam incurrant.

Item titulo de vita & honeſtate clericorum.

Alias ſtatutum fuit, quod omnes preſbyteri curati ſæculares civitatis & diœceſis Cameracenſis, pileos publice & continue in capitibus ſuis ac per vicos & plateas civitatis ejuſdem incedentes, cappam rotundam vel honeſtum tabardum deſuper veſtimenta ſua deferant, alioquin noverint ſe ſuſpenſos: nos cum eis mitius agere cupientes, a dicto ſtatuto detrahimus hæc vocabula *continue* & eidem ſtatuto adjicientes poſt verba illa *honeſtum tabardum*, hæc verba: *ſeu rotundum & honeſtum habitum.* Pœnam autem in dicto ſtatuto contentam, videlicet, *noverint ſe ſuſpenſos*, revocamus: loco illius pœnæ aliam pœnam ſubrogamus, videlicet ſi ſecus fecerint, ipſos in v. ſolidos Turonenſes totiens quotiens convenerint teneri volumus domino Cameracenſi epiſcopo & locorum archidiaconis applicandos.

Item eodem titulo.

Statuimus ne clerici mitras ſeu cucufas in capitibus ſuis in choro deferant, dum ibidem divina celebrantur.

Item de exſecutione ſtatutorum ſynodalium.

Statuimus ut preſbyter ſeu exſecutor quicumque alienum parochianum excommunicans, ſeu excommunicatum denuncians ejuſdem parochianum, proprium ſacerdotem infra octo dies ſub pœna ſuſpenſionis ſuper hoc certificare non omittat.

Item, cum alias ſtatutum fuerit, quod omnes preſbyteri nobis ſubjecti, propter ſuam culpam excommunicati, durante excommunicatione, ſuorum beneficiorum fructus amittant &c. huic ſtatuto adjicietur: Præcipimus univerſis decanis noſtris Chriſtianitatis, quod nomina dictorum excommunicatorum, & quantitatem dictorum fructuum nobis infra menſem a tempore notoriæ, juramento ab ipſis præſtito, intimare non omittant.

STATUTA EDITA PER R. PATREM DOMINUM PETRUM EPISCOPUM CAMERACENSEM ANNO DOMINI MCCCXXIV.

Licet uſurarum crimen utriuſque teſtamenti pagina deteſtetur, & in concilio Lateranenſi fuerit contra manifeſtos uſurarios ſalubriter inſtitutum, quod hujuſmodi uſurarii manifeſti, nec ad communionem altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam, nec etiam oblationes eorum quiſquam accipiat. Sintque contra uſurarios præcipue manifeſtos, & in eorum odium conſtitutiones & canones multiplices promulgati; nonnulli tamen noſtrarum civitatis & diœceſis Cameracenſis, prout ad noſtrum fide digna relatio perduxit auditum, tantæ ſunt inſolentiæ & avaritiæ reatibus excœcati, quod non ſolum uſurariorum crimen exercent, immo in ſuis malitiis & inſolentiis gloriantes, pro manifeſtis uſurariis cupientes haberi, quædam ſigna tenent & habent ante domos ſeu feneſtras eorum, per quas quod ſint uſurarii divulgatur & eſſe cognoſcitur, ad inſtar tabernariorum, qui ante tabernam pro ſigno tabernæ circulum dolii tenere ſolent appenſum, aut qui menſam fœnebrem exercent publice. Nos igitur cupientes per aggravationem pœnarum tales & conſimiles inſolentias & præſumtiones pernitioſas exemplo de civitate & diœceſi noſtris Cameracenſ. penitus exſtirpare, & uſurarios ipſos ab uſurarum voragine cohibere, præſenti ſynodali ſtatuto decernimus & declaramus omnes tales uſurarios hujuſmodi ſigna tenentes, aut menſam fœnebrem exercentes, manifeſtos uſurarios judicandos, & fore contra ipſos tamquam contra manifeſtos uſurarios procedendum, ipſos & omnes alios uſurarios manifeſtos in civitate & diœceſi prædictis noſtris manentes excommunicamus, & excommunicatos præcipimus publice nunciari, & tamquam excommunicatos ab omnibus evitari: injungentes omnibus preſbyteris & capellanis ſub pœnis ſuſpenſionis & excommunicationis, ut prædictos uſurarios manifeſtos auctoritate præſentis ſynodalis ſtatuti publice denuncient in eorum officiis excommunicatos, & contra ipſos pœnas prædictas concilii Lateranenſis diligenter obſervent.

Item, quia ſunt aliqui uſurarii, qui non ſunt omnino manifeſti, uſuras tamen, licet occultè, & uſurarios contractus indifferenter exercentes, quos publica fama uſurarios

esse demonstrat, eos ad ecclesiasticam sepulturam præcipimus non admitti.

Item titulo de testamentis.

Ad occurrendum negligentiis, fraudibus & malitiis quæ circa exequendas pias decedentium voluntates sæpius committuntur, hoc synodali statuto provida deliberatione duximus ordinandum, ut omnes & singuli nostrarum civitatis & diœcesis Cameracensis ultimarum voluntatum exsequutores, qui a testatoribus electi, onus exsecutionis duxerint assumendum, de bonis ad exsecutionem eis commissam pertinentibus, infra mens- a die obitus defuncti numerando, inventarium sub manu publica, vel per juratum loci, vel saltem sub fide dignorum testimonio fideliter facere teneantur, quibus omnia singula bona nominatim scribantur, & eorum valorem seu precia juxta æstimationem per æstimatores locorum, super hoc juratos plenarie declarent, & hujusmodi inventario sic confecto, præfati exsecutores, si bona exsecutionis hujusmodi ad centum librarum Turonensium valorem ascendant, per se vel per alium cum testamento seu ultima voluntate testatoris eorum officiali nostro Cameracensi vel ejus locum tenenti se infra mensem alium repræsentent, ac de ejusmodi testamento & inventario copiam faciant; quam copiam penes curiam nostram Cameracensem volumus remanere, ut per hujusmodi copiam informetur officialis prædictus super fidelitate & diligentia ipsorum exsecutorum circa executionem prædictam, & ut negligentias & defectus eorum melius corrigere valeat & supplere, ac ipsos exsequutores instruere, qualiter se habere debeant in exsecutione prædictarum; quia si minoris valoris extiterint, decani nostri Christianitatis præmissa facere & complere teneantur. Volumus & etiam statuendo præcipimus ut exsecutores ipsi infra annum a die mortis testatorum exsecutionem ipsam adimpleant, juxta ordinationem & voluntatem defuncti, ac officiali nostro prædicto aut illi vel illis quibus duxerit committendum, de bonis dictæ exsecutionis receptis, solutis & erogatis per ipsos ac de gestis & administratis per eos reddant fideliter rationem. Et ut præsens statutum firmius observetur, eadem duximus subjungenda, ut omnes & singuli presbyteri curati locorum, ubi testatores decedunt, vel eorum loca tenentes, exsequutores hujusmodi super dicto inventario, ut præmittitur, faciendo & ad curiam nostram cum testamento deferendo auctoritate nostra sub pœna excommunicationis moneant diligenter, ac domino officiali nostro per eorum litteras patentes insinuent ipsorum testatorum & executorum nomina, ipsos exsequutores monuerint, & utrum monitioni paruerint de ipso inventario faciendo.

Hoc igitur synodale statutum, quo ad providendum piis decedentium votis & animarum saluti, eorum creditoribus, legatoriis, piis locis, & pauperibus ac eorum heredibus, & omnibus qui in dispositione defuncti sunt emolumentum aliquod percepturi salubriter, & prout ad nos, de jure pertinet, duximus faciendum, præcipimus subditis nostris sub pœnis suspensionis & excommunicationis injungimus firmiter & inviolabiliter observandum.

Ceterum quod ex quorumdam fide dignorum miserabili relatione didicimus, quod nonnulli nostrarum civitatis & diœcesis tam curati quam capellani domos ecclesiarum, capellaniarumque suarum adeo male retineant, & sustentant, quod aliquæ ipsarum protinus corruerunt, aliæ proximæ sunt in ruinam, aliæ vero non modicum indigent in pluribus suis partibus reparatione festina. Idcirco tantis ecclesiarum incommoditatibus occurrere volentes, statuimus, ut omnes decani Christianitatis infra annum, ipsas domos quæ minantur ruinam, reparari faciant, alias vero quæ penitus corruerunt, reædificari modo utiliori quo potest, si & pro ut ultra salarium deservientium eisdem ecclesiis, ecclesiarum & capellaniarum ipsarum suppetunt facultates: quod nisi fecerint pro viribus, & in præmissis negligentes fuerint & remissi, contra ipsos juxta modum negligentiæ suæ & culpæ procedemus. Ad perpetuam rei memoriam & futurorum cautelam nos vicarii generales venerabilis capituli ecclesiæ Cameracensis, sede vacante, ex speciali commissione & potestate nobis super hoc concessa a dicto capitulo, nunc locum episcopi Cameracensis tenentibus, ratione sedis vacantis anno MCCCXXIIII. in die B. Remigii in capite Octobris, in dicta ecclesia sacram synodum celebrantes, statuimus, præcipimus, & ordinamus addimus & subtrahimus de consilio & assensu archidiaconi ecclesiæ prædictæ, seu vicariorum suorum in modum qui sequitur.

Primo cum aliàs fuit statutum, quod quilibet curatus civitatis & diœcesis Cameracensis statuta synodalia integraliter habeat, & nonnulli negligentes, immo verius inobedientes, dicta statuta non habuerint, nec adhuc habeant; præcipimus quod quilibet dictorum curatorum statuta synodalia habeat integraliter infra instans festum nativitatis Domini, & hoc sub pœna XL. solidorum Parisiensium, dicto capitulo vel futuro episcopo & archidiacono applicandorum & solvendorum.

Statuentes, quod si quempiam ipsorum curatorum ecclesiam suam ex causa permutationis, vel aliàs quoquo modo dimittere contigerit, statuta hujusmodi reservet successori. Si quis autem contrarium fecerit, pœnam LX. solidorum Parisiensium, ut su-

pra, applicandorum, & per decanos Chriſtianitatis levandorum, eo ipſo, ſe noverit incurſurum.

Item, in titulo de matrimonio.

A ſtatuto quod ſic incipit: *Statuimus quod ſi duo matrimonium contrahere volentes de diverſis decanatibus oriundi*, &c. ſubtrahimus iſta verba: *Uſque ad intereſſe partis, & reſtitutionem duplicem partium teneantur*; quorum loco ſubrogamus iſta verba, videlicet: Pœnam XL. ſolidorum Pariſienſium incurrant, medietatem, ut ſupra, & parti denuncianti aliam medietatem applicandam, & nihilominus ad intereſſe ipſius partis teneantur.

Item, ſtatuimus quod quicumque fecerit ſe ad ſacros ordines promoveri, ad titulum ſui patrimonii, ſecundum quod hactenus eſt conſuetum, quod de cetero, quamdiu idem promotus vixerit, vel donec competenter fuerit beneficiatus, non poſſit dictum patrimonium ad titulum cujus ordinatus fuerit, alienare, vendere, vel extra manus ſuas ponere, cum bona & emolumenta proveniencia ex dicto patrimonio habeat, levet & percipiat dictus promotus, & in ſuos proprios uſus ſine fraude convertat, niſi cauſam legitimam coram ſuo ordinario allegaverit, & per ipſum ordinarium cum ipſo diſpenſatum fuerit, quod dictum patrimonium vendere poſſit & alienare.

Item, ſtatuimus quod ſi contigerit domus curatorum & capellanorum impejorari propter negligentiam decanorum Chriſtianitatis, qui eos tenentur viſitare, dicti decani ob quorum defectum acciderit, & eorum beneficia teneantur dictas domos relevare vel reparari facere ſuis ſumtibus propriis & expenſis.

Item, ſequitur clauſula contenta in litteris felicis recordationis domini CLEMENTIS papæ V. ſuper reſtitutione comitatus & civitatis Cameracenſis facta epiſcopo, præpoſito, decano, cum capitulo Cameracenſi, adverſus commiſſiones, uſurpationes & occupationes prædictarum civitatis & comitatus, & annullationem & irritationem quorumcumque propterea conſequutorum, quæ ſequitur in hæc verba.

Item, inhibemus univerſis & ſingulis, cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, dignitatis, ordinis vel ſtatus exiſtant, ne contra hujuſmodi noſtram retractationem, revocationem, annullationem, reſtitutionem, depoſitionem & abſolutionem, quicquam attentare præſumant; nos enim omnes & ſingulos, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis vel conditionis exiſtant, qui contra hujuſmodi noſtram inhibitionem, revocationem, annullationem, detractionem, depoſitionem, reſtitutionem, abſolutionem attentare, nec non & omnes qui prædictas civitatem & diœceſim Cameracenſem quomodolibet in poſterum occupare præſumſerint, excommunicationis ſententiam, quam ex tunc prout ex nunc in contrarium facientes ferimus, incurrere volumus, ipſo facto, & in civitates & terras contrarium præſumentes, interdicti ſententias promulgamus; & nihilominus ex nunc decrevimus irritum & inane, ſi ſecus ſuper his contra hujuſmodi inhibitionem noſtram contigerit attentari, non obſtante ſi aliquibus a ſede apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Item, præcipimus quod omnes decani Chriſtianitatis, & curati eccleſiarum civitatis & diœceſis Cameracenſis, hæc prædicta nova ſtatuta, præcepta & mandata, ordinationes & additiones, ſubtractiones & clauſulam prædictam, dicti decani videlicet infra decem dies, & dicti curati infra inſtans feſtum Omnium-ſanctorum habeant: quibus ſtatutis unà cum aliis uti volumus & mandamus, dictaque ſtatuta nova, additiones & ſubtractiones, nec non & clauſulam prædictam ſingulis diebus Dominicis & feſtivis in eccleſiis ſuis, cum major ibidem aderit populi multitudo, in lingua materna, ſub pœnis antedictis inſinuare, exponere, notificare & publicare procurent.

Statuta expliciunt ſynodalia.

Deo gratias.

EXCERPTA EX STATUTIS ſynodalibus eccleſiæ Carnotenſis.

Ex ſchedis Mabillonii.

ANno Domini MCCCLXVIII. ſcripta fuerunt hæc præcepta ſynodalia per manum domni J. Jacquelini preſbyteri & rectoris eccleſiæ de Maceriis in Piſiaco.

I. Præcipimus ut ſacerdotes jejuni intrent ſynodum, ut omnes preſbyteri ſint induti albis & ſtolis in ſynodo, exceptis clericis de choro, qui poterunt in ſynodo intereſſe. Ut eundo & redeundo honeſta hoſpitia quærant.

II. Ut ſacerdos ſub hac & eadem forma in Romano doceat laïcos in neceſſitate baptizare, etiam mulieres.

III. Ut pueri nati ſine dilatione deferantur ad baptiſmum, niſi cauſa rationabili differantur.

IV. Ut pro baptiſmo nihil exigatur. Oblatum recipi poteſt.

V. Fontes, ſacrum oleum, chriſma & euchariſtia ſub clave cuſtodiantur propter ſortilegia.

VI. Ut laïci audiant aſſiſtentes, & dicant

alta voce : *Ego te baptizo*, &c. in Romano. Ut tres vel quatuor patrini recipiantur, tam masculi quam feminæ.

VII. Omnia illa quæ tangunt laïcos scribantur continue, & singulis mensibus publice in ecclesiis diebus Dominicis recitentur.

VIII. Ut confirmandi diu non expectent adventum episcopi, sed veniant & adducant pueros ad eum, ubi scierint eum esse prope. Et si velint, possunt eis nomina mutare; & inhibeant ne bis confirmentur.

IX. Sacerdotes non permittant pueros deferre coronam, nisi constet eis, quod habuerunt ab episcopo. Et si sint homines servilis conditionis, non habeant nisi de voluntate dominorum suorum.

X. Ut eucharistia ultra octo dies non reservetur. Ut calices unde infirmi communicent, decorentur & mundificentur, ut devotius communicent infirmi. Ut in ministerio altaris, si fieri potest, semper vinum rubeum ministretur, ne propter similitudinem vini albi ad aquam possit error contingere.

XI. Moneant presbyteri parochianos suos, ne accedant ad altare post elevationem. Ut sacerdotes deferant ad infirmos corpus Domini, non sub cappis, sed in calice & in pyxide munda.

XII. Ut non celebretur missa cum duplici vel multiplici introitu, nec duæ missæ nisi in necessitate, ut pote in maximis solemnitatibus, ubi unus solus sacerdos est, & populi multitudo, & parochia diffusa, vel comparente alicujus mortui corpore, proprium officium missæ celebrandum fuerit, & unus solus sacerdos præsens fuerit.

XIII. Ut in pulcriori parte ecclesiæ juxta altare cum summa reverentia corpus Domini reservetur, & pyxis in qua reservatum fuerit, ab alia pyxide separetur, ne error inde contingat.

XIV. Diaconi non præsumant infirmis eucharistiam dare, vel confessiones recipere, vel pueros baptizare, nisi presbytero absente vel infirmo, vel aliàs necessitate impedito.

XV. Ut sacerdotes ad audiendas confessiones communiorem locum ad ecclesiam eligant, ut communiter ab omnibus videri possint, non in locis abditis.

XVI. Nullus confessionem recipiat extra ecclesiam, nisi in necessitate vel infirmitate.

XVII. Ut majora peccata reserventur episcopo.

XVIII. Ut homicidia, votorum transgressus, sortilegia, stuprum virginum, injectiones manuum in parentes, oppressiones parvulorum, & perjuria de fide mentita, de falsariis litterarum judicibus interdicantur ordinariis ex communi auctoritate concilii provincialis, sed ad eos quibus pertinet remittantur.

XIX. Ut semper sacerdos interroget confitentem, utrum velit abstinere ab omni mortali peccato, aliter non absolvat, ne inde confidat; sed tamen eum moneat, ut interim bonum quod poterit agat, ut Deus eum emendet.

XX. Ut in furto, rapina, usura caveant, ne in fraudem injungant eleemosynas vel missas, ne capitale non reddatur. Et nullus missas quas injunxerit, celebret.

XXI. Ut pro vivis nullatenus annuale celebretur mortuorum.

XXII. Ut frequenter moneant populum, ut in principio quadragesimæ veniant ad confessionem.

XXIII. Ut sacerdos in ecclesiis publice sub excommunicatione prohibeat, ne alter conjugum ad religionem transeat, nisi de licentia & mandato episcopi.

XXIV. Prohibeant sacerdotes ne pro debitis corpora mortuorum teneantur extra terram, sub pœna suspensionis.

XXV. De ancillis vero & nutricibus Judæorum & servientibus eorumdem, ut publice excommunicentur, nisi infra terminum competentem ab eis recesserint.

XXVI. De prædicatoribus. Etiam nullatenus recipiantur dicti prædicatores, nisi de mandato dominorum papæ vel episcopi, & cum litteris.

XXVII. Ne decimæ novalium mittantur laïcis.

XXVIII. Mulier non dormiat cum parvulis.

XXIX. Sacerdos non appareat in publico, nisi in cappa clausa, vel in pallio, vel honesto indumento, & de cappis manicatis, vel super humeros crispatis non habendis, sub pœna suspensionis, nec caplatiis loco cappæ.

XXX. Sacerdos audito parochianorum suorum obitu, statim absolvat eos cum psalmis, vel ad minus cum *De profundis* & *Pater noster* & collecta, & residuum quam citius poterit faciat.

XXXI. Inhibetur ne fiant resignationes ecclesiarum in manibus abbatum vel quorumlibet patronorum, sed in manibus episcopi vel prælati sui.

XXXII. Exhortentur laïcos sæpe presbyteri ad discendum orationem Dominicam & *Credo in Deum*, & salutationem B. Mariæ Virginis.

XXXIII. Moneant presbyteri populum, & maxime mulieres, ne faciant vota, nisi cum magna deliberatione virorum suorum, & consilio sacerdotum.

XXXIV. Nullus sacerdos teneat in domo sua mulierem aliquam, nisi sit mater sua vel soror sua, ne occasione earum aliqua sit suspecta.

XXXV. Nullus clericus fidem jubeat Judæo, nec obliget pro pignore ornamenta vel libros ecclesiæ, nisi pro evidenti utilitate ecclesiæ & cum consilio parochianorum.

XXXVI. Nullus clericus faciat jusjurandum patronis antequam fuerit episcopo præ-

ſcratus, nec patronus ante recipiat.

XXXVII. De choreis & ludis quæ fuerint in vigiliis amovendis.

XXXVIII. Nullus regularis ad officium parochiale admittatur, niſi ſit ab epiſcopo receptus & inſtitutus ſicut alii curati.

XXXIX. Inhibeatur leproſis ne villas intrent.

XL. Ut tympana non portentur in eccleſia, & choreæ non fiant in eccleſia, nec in cimiterio pro quacumque ſolemnitate.

XLI. Prohibemus rectoribus eccleſiarum non preſbyteris, & etiam preſbyteris non reſidentibus perſonaliter ſub virtute juramenti de obediendo nobis præſtiti, & ſub pœna amiſſionis totius firmæ annuæ, ne tradant eccleſias ſuas ad firmam ſeu annuam penſionem.

XLII. Inhibemus ne aliquis ſacerdos recipiat ab aliquo confitenti ſibi juramentum de non recidendo in peccatum ſuum, quia ſatis eſt ſi promittat firmiter a peccato ſe abſtinere.

XLIII. Statuimus ut quilibet decanus ſcribi faciat ſacrum canonem ad exemplar eccleſiæ Carnotenſis, & quando viſitabit, illum ſecum deferat, & diligenter inſpiciat in qualibet eccleſia ſibi commiſſa, quod omnes ſacri canones in omnibus & per omnia ei concordent.

XLIV. Inhibemus ſub pœna excommunicationis & amiſſionis bonorum, ne ſacerdotes curati & non curati de domo propria filium vel filiam, aut nepotem teneant de cetero propter ſcandala laïcorum.

XLV. Inhibemus ne laïcus vel monachus in miſſa legere publice permittatur, qui non fuerit per epiſcopum tonſuratus.

XLVI. De Judæis quorum perfidia plerumque ſimplices Chriſtianos fraudulenter decipit, & malitioſe ſecum pertrahit in errorem, ſacro approbante concilio, duximus ordinandum, ut non niſi in civitatibus, caſtris & aliis locis inſignibus habitare præſumant.

XLVII. Inhibemus ne abbates vel monachi de cetero ſibi compatres vel commatres faciant, nec liceat eis ſuſcipere filiolos vel filiolas de baptiſmo.

XLVIII. Statuimus quod omnes rectores domorum Dei & leproſoriarum, quibus eſt cura animarum annexa ſeu commiſſa, teneantur venire ad ſynodum.

XLIX. Sacro approbante concilio, ſtatuimus ut canonicus regularis ad curam parochialis eccleſiæ inſtitutus, ſaltem unum alium canonicum regularem ſecum habeat, ſi ad hoc illius eccleſiæ ſufficiunt facultates, quas nos æſtimabimus, & abbates ſi in hoc fuerint negligentes, nos eos de mandato concilii puniemus.

L. Statuimus ne prior conventualis ultra ſummam ſexaginta ſolidorum ab aliquo A ſine licentia ſui abbatis vel noſtra, ſi abbas non fuerit, mutuo pecuniam recipiat; quod ſi forte fecerit, abjiciatur a prioratu, nec denuo valeat prioratum adipiſci, quouſque per nos fuerit reſtitutus. Eidem pœnæ ſubjaceat prior, qui quamcumque pecuniam receperit a Judæo.

LI. Statuimus ut in qualibet abbatia ſeu prioratu conventuali, monachos & novitios ac canonicos regulares, habitum religionis habentes, in arte grammatica minus ſufficienter inſtructos inſtruant juxta poſſe.

LII. Statuimus, quod mulier purificata, B ſumens poſt miſſam panem benedictum, non flectat genua in gradu altaris, nec tundat pectus, nec dicat *Confiteor*, nec ſacerdos illi panem conferat; ſed ipſa eumdem panem propria manu ſua ſumat ſuper altare vel ſeorſum eccleſiam, ne credat accipere corpus Domini.

LIII. Statuimus, ut nullus qui propter quæſtas veniet, recipiatur ad publicum ſermonem faciendum, nec reliquias exhibeat, ſine teſtimonio litterarum domini papæ, vel diœceſani provincialis.

LIV. Statuimus ut abbates & abbatiſſæ, priores & prioriſſæ, & alii obedientiarii de C ſingulis proventibus, reditibus & expenſis ſingulis annis computent in capitulo diligenter, & ſtatus abbatiarum vel prioratuum conventualium a tribus vel quatuor clauſtralibus cognoſcatur, & computum reducatur in ſcriptis, quod illi penes ſe habeant unum, & abbas vel prior alterum.

LV. Prohibemus ne quis in domibus vel in locis & terris eccleſiarum Lombardos vel alios advenas, qui vulgariter Cahourſini *(a)* dicuntur, manifeſtos uſurarios recipere præſumant, cum receptor hujuſmodi approbare D videatur uſuram, quam utriuſque teſtamenti pagina deteſtatur.

SEQUUNTUR STATUTA ET ACTA in ſynodo per nos R. (b) Dei permiſſione epiſcopum Carnotenſem celebrata anno Domini MCCCXXV. *die Mercurii poſt feſtum B. Lucæ evangeliſtæ.*

I. PArochiales eccleſias & alia quæcumque beneficia ad manum noſtram ex quacumque cauſa poſita dearreſtamus & de- E liberamus, volentes quod illi ad quos pertinent, ipſis juribus & poſſeſſionibus uti libere valeant, noſtro & alterius cujuſlibet jure ſalvo.

II. Monemus omnes & ſingulos nobis ſubditos, quod in eccleſiis ſuis reſideant, prout juraverunt & tenentur, gratias quaſcumque

(a) Cahourſini mercatores erant Italici, propter fœnerationem uſurarum in Gallia famoſi, unde non ſemel a principibus noſtris proſcripti ſunt.

(b) Robertum de Joigniaco qui anno 1326. diem clauſit extremum.

de non residendo in ecclesiis parochialibus, etiamsi ad plures annos, vel sub quacumque forma concesserimus, utilitate ipsarum ecclesiarum passatas, & alias quascumque gratias revocamus.

III. Non intendimus cum aliquo dispensare, si de non residentia in parochiali ecclesia per septennium fuerit dispensatum, nostræ intentionis existit, quod si contingat nos super non residentia in parochiali ecclesia cum aliquo dispensare, tamen curatus ecclesiæ a Dominica in Passione usque ad *Quasimodo*, teneatur exercendo curam ejusdem in ea parochia residere.

IV. Item, quod obedientia curatorum vel aliorum subditorum nostrorum & officiali nostro obedientium, ut tenentur, eis debet ad terminum cedere non ad noxam.

V. Statuimus & inhibemus, ne per archidiaconos Carnotenses vel eorum officiales contra dictos curatos & alios nobis subjectos, seu aliquem ex ipsis procedatu, citando, monendo, suspendendo, excommunicando, vel alio quovis modo, pro eo quod ipsi curati & alii nobis subditi præceptis & inhibitionibus synodalibus & mandatis nostris & officialis nostri obedierint & obedient in futurum. Et si contrarium a quoquam præsumtum fuerit, toties quoties illud ex tunc, prout ex nunc decernimus irritum & inane, & totaliter amovemus.

VI. Item, quia absentia curatorum & capellanorum curas regentium multum periculi esse existit; statuimus quod aliquis curatus vel capellanus curam regens parochiæ non citetur a quoquam, causa legitima clare & specifice in citatoriis non expressa.

VII. Item, nullus capellanus ad deserviendum parochiali ecclesiæ admittatur, nisi prius quoad illam ecclesiam per officialem nostrum fuerit approbatus.

VIII. Item, præcipimus, quod curati habeant constitutiones & statuta facta in concilio Senonensi provinciali ultimo celebrato.

IX. Item, præcipimus sub pœna LX. solidorum per nos in proprios usus convertendorum, & præcipimus magistris eleemosynarum & leprosariarum, ne ministrent ecclesiastica sacramenta, neve suscipiant publice excommunicatos & interdictos ad divina fingentes, quia nesciunt ipsos excommunicatos & interdictos, & possent super hoc certificari per breves sicut curati.

X. Item, præcipimus sub pœna prædicta fratribus & magistris hujusmodi, quod vestibus indecentibus & peperonis de cetero non utantur.

XI. Item, de presbyteris & clericis curatis qui tenent in hospitiis suis & alibi concubinas notorie, volumus quod antiqua statuta serventur.

XII. Item, monemus omnes illos qui non habent præcepta synodalia, quod ea procurent habere infra tres menses, alioquin graviter puniemus eosdem.

XIII. Item, de capellanis Britonibus, qui in multis indebite conversantes, sæcularibus negotiis involuti, una die sine causa rationabili pluries celebrantes, & concubinas seu adulteras tenere publice noscuntur, talia fieri prohibemus.

XIV. Item, præcipimus festum SS. Sacramenti altaris juxta provinciale concilium celebrari.

XV. Item, præcipimus ducem Bavariæ, qui se dicit regem Alamanniæ, & fautores suos, consiliarios, singulis diebus denuntiari excommunicatos & interdictos, & incurrisse pœnas in litteris apostolicis super hoc confectis contentas.

XVI. Item, statuimus quod illa statuta de publicandis præceptis synodalibus juxta illud statutum quod incipit: *Ut animarum periculo*. Item illud in quo fit mentio de illis qui malitiose deferunt litteras excommunicatis contra illud statutum quod incipit: *Item cum excommunicatis*. Item statutum etiam contra illos qui malitiose deferunt citationes, ut in statuto quod incipit: *Contra malitiam*, per bonæ memoriæ dominum J. prædecessorem nostrum edita publicentur & serventur, ut in eisdem communicentur, alioquin non servantes pœnas in eisdem contentas eo ipso incurrent.

XVII. Item statuimus, ne in leprosariis vel domibus Dei seu aliis capellaniis publice campanis pulsatis diebus Dominicis & festis aliquis celebrare præsumat, donec in ecclesia parochiali fuerit celebratum. Si quis tamen in secreto, exclusis extraneis, in locis prædictis celebrare voluerit hora præmissa, nobis placet.

XVIII. Item, prohibemus ne quæstores aliqui admittantur, nisi cum literis nostris.

XIX. Item, archidiaconis & decanis ruralibus, quod nullus eis procurationem ratione visitationis solvere præsumat, quin prius visitationis officio a nostro officiali impenso

STATUTA SYNODALIA LUDOVICI episcopi Carnotensis, edita anno MCCCLV.

Sequuntur statuta & synodalia præcepta anno Domini MCCCLV. *per dominum Ludovicum permissione divina episcopum Carnotensem edita.*

NOs vicarii & commissarii in hac parte a domino domino L. miseratione divina Carnotensi episcopo deputati in præsenti sancta synodo monitiones, inhibitiones, revocationes, & præcepta quæ sequuntur edidimus.

I. Quod frustra essent jura, nisi ea tenerentur, & eatenus a sanctis patribus nonnulla statuta provincialia & synodalia juri consona

fuerunt facta, per quæ tam ecclesiastici quam commissi eis habent regi. Quæ quidem statuta circa baptismata, matrimonium, & alia ecclesiastica sacramenta, necnon circa regimen & ordinationem status ecclesiastici & mundani plura sunt necessaria, quæ singuli abbates, decani rurales & ecclesiarum curati sub certis pœnis in eisdem contentis habere & servare tenentur; quæ etiam annis singulis ab omnibus haberi præcipimus & observari. Et quia experientia novimus, quod pauci ea habent & servant, ex quo plura illicita & inconvenientia committuntur, & debita omittuntur, non absque gravi culpa prædictorum: quin immo cum annis singulis sancta synodus celebratur, nonnulli abbates, decani rurales, & ecclesiarum curati ad eam venire non curant, & eorum qui veniunt secum ad ea quæ aguntur vacant, alii per ecclesiam colloquendo, alii per villam ad mercaturas, & alia opera illicita & inhonesta discurrunt, & illicentiati recedunt: nescientes nec curantes quid in synodo fuerit ordinatum, adeo quod magis confusio quam synodus dici possit, nec notitia haberi potest, qui præsentes fuerint vel absentes, nec parentibus obedientia prodesse, vel non parentibus contumacia potest obesse. Idcirco nos volentes talibus obviare & de remedio providere, monemus peremtorie in his scriptis omnes & singulos abbates, decanos rurales, & ecclesiarum curatos sub pœna contumaciæ, quod omnes & singuli coram nobis vel mandato nostro in curia nostra compareant personaliter antequam recedant, ut scire possimus qui venerint, & qui non; alioquin omnes & singulos qui recesserint, reputamus contumaces.

EXCERPTA EX COLECTIONE synodorum Carnotensium, anno MCCCLXVI. *a J. Jaquelino, de quo supra.*

I. PRæcipimus ut antequam verba sacrosancta, in quibus virtus sacramenti consistit, scilicet *Hoc est corpus meum*, completa fuerint & finita, non ita elevetur hostia, ut a populo videatur, ne forte purus panis a populo adoretur.

II. Ut nulli permittatur clerico altari deservire, nisi in superpelliciis vel cappa clausa.

III. Ut nullus sacerdos antequam matutinas dixerit canonicas & primam, missam celebrare præsumat.

IV. Ut in altari in quo tabula mota fuerit vel fracta non celebretur, nec super lapidem sine capsa.

V. Ut dicant tantummodo præfationes in canone expressas, scilicet de Nativitate, Apparitione, jejunio, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, sanctissima & individua Trinitate, S. Cruce, B. apostolis & de B. Virgine MARIA.

VI. Ut matrimonium cum reverentia celebretur, & nonnisi statutis temporibus; & præmissis tribus edictis in tribus festivis diebus, in quibus perquirant presbyteri sub excommunicatione a populo de legitimatione sponsi & sponsæ. Et si legitimi inveniantur, conjungantur sine alia licentia vel expectatione, propter pericula quæ contingunt multiplicia.

VII. Prohibemus, ne principales personæ quæ contrahere debent matrimonium, aliquam fidem dent vel juramentum interponant de contrahendo matrimonio sine sacerdote: & sacerdos qui præsens fuerit caveat & prohibeat, ne ibi consensus vel verba super matrimonium interveniant, nisi de futuro, donec bannis factis, veniant ad portam ecclesiæ ad matrimonium perficiendum; quod si aliter fecerint, suspendantur. Et recepturi nuptialem benedictionem prius confiteantur peccata sua, tam sponsus quam sponsa, & semper in nuptiis prohibeantur sortilegia fieri.

VIII. Ut nullus sacerdos audeat aliquid exigere ante benedictionem nuptiarum, sed celebrata benedictione ferculum recipiat, & exigat post si necesse fuerit.

IX. Ut cum summa reverentia sanctum oleum deferatur ad infirmos, & nihil pro mercede exigatur, sed gratis datum recipi potest.

X. Ut sacerdos ad sacramentum extremæunctionis omnes præcipue moneat a XIV. annis & supra, & doceat quod hoc sacramentum iterari potest sæpe in omni magna infirmitate, & quod post susceptionem potest redire ad commercium conjugale, & ad officia sæcularia.

XI. Excommunicentur singulis Dominicis diebus qui docent & faciunt sortilegia & usuratii.

XII. Præcipiatur publice in ecclesiis, ut omnes conjugati, & alii in competenti ætate constituti jejunii diebus jejunent, alioquin nisi se rationabiliter excusaverint, puniantur.

XIII. De confessionibus sacerdotum, curatorum, & aliorum clericorum, scilicet in quocumque decanatu, statuantur unus vel duo presbyteri discreti quibus confiteantur, cum non possint omnes episcopo confiteri. Illi tamen non absolvant de casibus episcopo reservatis.

XIV. Ut omnes parochiani diebus Dominicis a missa parochiali se non absentent: & si hoc in consuetudine habuerint, & bis vel ter admoniti se non emendaverint, interdicantur.

XV. In tabernis vero diebus Dominicis & festivis ante missam parochialem non admittantur, nisi transeuntes.

XVI. Presbyteri quam cito scierint aliquem decessisse intestatum, significent decanis & archidiaconis, & decani episcopo vel

vel archidiacono bis in anno, seu in festivis diebus Pentecostes & in synodo.

XVII. Habeatur in qualibet parochiali ecclesia sigillum, in quo hoc solum contineatur: *Sigillum presbyteri de tali loco*, & nominet locum & nomen presbyteri, & apponat sigillum suum in litteris, quæ ex parte episcopi vel archidiaconi mittentur in testimonium & certificationem quod litteras receperit, & mandatum fecerit; alias sigillum non apponat.

XVIII. Licet sacerdos imminente mortis articulo parochianos suos excommunicatos juxta formam ecclesiæ possit absolvere, ut non parvipendatur censura ecclesiastica, quæ consuevit a pluribus vilipendi, statuimus ut omnes excommunicati per nos aut officialem nostrum, seu alios ordinarios nostræ diœcesis post mortem, licet, sicut præmittitur, dum vivebant fuerint absoluti, nullatenus tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, absque suorum excommunicantium mandato seu licentia speciali.

XIX. Cum plures sint capellæ infra fines parochiarum, quæ tantum distant a parochialibus ecclesiis, quod tempore hiemis pluviis inundantibus, in Dominicis & aliis diebus non possunt parochiani sine magna difficultate in sua parochia congruo tempore divinis interesse; statuimus quod capellani ibidem deservientes, statuta synodalia habeant, & publicent, quibus continget eos divinum officium celebrare sub pœna prædicta, & in capellis existentibus in villis nullatenus publice celebretur diebus Dominicis & festivis, donec parochialis sacerdos præcepta denuntiaverit, ut moris est.

XX. Præcipimus sub pœna excommunicationis, quam ferimus, ne sæculares judices in ecclesiis, cimiteriis, aut aliis locis de cetero sua placita teneant, cum frequenter contingat ibidem causas sanguinis agitari, & absurdum sit crudele ibi judicium exerceri, ubi est tutela refugii constituta.

STATUTA SYNODALIA

ecclesiæ Cenomanensis anno MCCXLVII. emendata.

Ex veteri codice monasterii sancti Germani a Pratis.

INCIPIT LIBER SYNODI SECUNDUM USUM ECCLESIÆ CENOMANENSIS.

Die Dominica præcedenti synodum sacerdotes, qui capellanos non habent in suis parochiis, diligenter inquirant publice in ecclesia, si qui sint infirmi in parochia. Feria subsequenti, seu antequam iter arripiant, eos visitent etiam non requisiti, & quicquid necesse fuerit ad salutem animarum procurantes, nihilominus visitationem eorum.... quam facere solent per capellanos vicinos in aliis ecclesiis remanentes.

Præcipitur ut omnes veniant ad synodum, maxime curam animarum habentes; & si inevitabili necessitate detenti fuerint, mittant capellanum suum aut clericum loco sui; & in eundo & redeundo honeste ambulent, & honesta quærant hospitia, & in eis circumspecte se habeant, ne status clericorum vertatur in opprobrium populo & contemtum: & qui ex causa remanserit, eam decano, & decanus episcopo studeat intimare.

Præcipitur sacerdotibus sub pœna suspensionis, quod a tempore pulsationis synodi, omni occasione postposita, jejuni & induti superpelliciis & stola cum libro synodali majorem ecclesiam vel locum synodi intrare festinent: ceteri autem personatum habentes vel vicarium, superpelliciis tantum, & abbates cappis sint induti.

Incipit prima pars.

De Trinitate. De Incarnatione. De sacramentis, scilicet de baptismate cum particulis suis. De confirmatione. De pœnitentia cum particulis suis. De sacramento altaris cum particulis suis. De conjugio cum suis particulis. De extrema unctione. De ordinibus. Ne venalia prostituantur ecclesiæ sacramenta. De septem vitiis capitalibus. De sobrietate. De jejuniis. De feriis.

De Trinitate.

In fide Trinitatis & Incarnationis & septem sacramentorum, & in septem operibus misericordiæ, quæ septem vitiis capitalibus opponuntur, populum tam majorem quam minorem sacerdotes studeant instruere diligenter. De Trinitate docere tenentur ad minus, quod Pater & Filius & Spiritus-sanctus sunt tres personæ; & illæ tres personæ sunt unus Deus, & una persona non est alia.

Dicatur autem sæpe laïcis, ut citra istum vel alios articulos fidei, aut citra sacramenta non quærant rationem, vel quomodo, vel quare ita sit; quia tanta est subtilitas fidei, quod ea quæ subsunt fidei, non possunt intellectu comprehendi, nec expedit: quia fides non habet meritum, cum humana ratio probet experimentum. Credant igitur omnia firmiter sine hæsitatione, quæcumque catholica fides asserit, quamvis non intelligant, majorem fidem adhibentes testibus fidei, quam oculis carnis, qui possunt decipi. Testes fidei sunt apostoli, martyres, confessores, virgines, quorum plurimi pro testimonio fidei diversis cruciatibus sunt afflicti & probati inventi sunt; quia & in vita eorum & postea, propter eorum tormenta, divina potentia mortuos suscitavit, cæcos illuminavit, contractos erexit, & sanavit infirmos.

De Incarnatione.

Circa fidem Incarnationis docere debent presbyteri, & maxime infirmos quando communicant, veri Dei Filium pro redemtione humani generis carnem assumsisse in beata Virgine, de carne ejusdem Virginis non humana, sed sancti Spiritus operatione; & qui prius erat Deus tantum, factus est in ea verus homo & verus Deus: & eumdem de Virgine natum esse, virginitate integra manente in conceptione, partu, nativitate: unde propheta, *Descendet sicut pluvia in vellus.* Pluvia enim descendens in vellus, vel extracta a vellere, illud non corrumpit, sed mundius facit. Et eumdem consputum, alapis cæsum, flagellatum & multipliciter irrisum, in cruce mortem vilissimam sustinuisse. Eumdemque ad inferos in anima descendisse, ut animas sanctorum ibidem detentas educeret; & in corpore jacuisse in sepulcro; & eumdem in eadem carne glorificata tertia die a mortuis resurrexisse: per quem nos omnes in carne quam gerimus, resurgemus; boni in carne glorificata, mali in carne corrupta: unde Apostolus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et eumdem quadragesimo die ad cœlos ascendisse, & quinquagesimo Spiritum-sanctum apostolis, sicut prædixerat, misisse. Et eumdem venturum ad judicium, & redditurum unicuique secundum opera sua, bonis vitam æternam, malis autem ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.

De baptismo.

De baptismo docere debent presbyteri, quod in sacramento baptismi consistit salus omnium; in susceptione baptismi consistit salus puerorum, quia sine baptismo non salvantur. Qui vero habent usum liberi arbitrii, in proposito & ardenti voluntate suscipiendi illud, ad hoc laborando quantum in se est, sine susceptione salvari possunt adulti.

Baptismus cum omni reverentia & honore celebretur, & cum magna cautela, maxime in distincta prolatione verborum, in quibus virtus sacramenti consistit, scilicet: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.* Et in Romano sub hac forma doceant presbyteri frequenter laïcos debere pueros baptizare, etiam patrem & matrem pueri in summa necessitate. Laïci tamen puero non imponant nomen. Forma autem verborum prædicta ab eo qui baptizat integre, ordinate, continue, sine interpositione aliqua proferatur. Interrogetur autem laïcus, qui puerum baptizavit, diligenter a sacerdote, quid dixerit, quid fecerit; & si invenerit eum modo debito baptizasse, allato puero ad ecclesiæ fores, nomen ei imponatur & suppleatur quod deest; pabulum salis benedicti, & aurium linitio cum saliva: exorcismi tamen super puerum non dicantur. Super fontes autem fiant omnia quæ solent fieri, sola immersione excepta. Si vero dubium fuerit in qua forma verborum puer fuerit baptizatus, item * sacerdos omnia faciat, dum tamen immergens dicat: *Si tu non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris*, &c. Et istud ideo apponitur, ne baptismus, qui semel tantum recipi debet, videatur aliquatenus iterari. quod & de sacramento confirmationis tenendum est docendus. Ad elevandum vero puerum de sacro fonte tres tantum patrini recipiantur.

* *f.* iterum.

De confirmatione.

De confirmatione doceant sacerdotes, quod si digne recipiatur, in ea Spiritus-sanctus recipitur, in bono confirmans eum qui recipit, & roborans contra diabolum & peccata. Jejuni debent esse, & contriti de peccatis, & ea confiteri si tempus habent, vel postea quam cito poterint: aliter enim indigne suscipiunt, si prius erant in mortali.

Sacerdotes scientes venturum episcopum ad dedicationem ecclesiarum vel cimiteriorum, citra se usque ad duas leucas moneant populum suum diligenter, etiam per hospitia, si opus fuerit, ut omnes conveniant coram episcopo ad audiendum sermonem, maxime qui consilio episcopi indigent; & confirmandi bendellos secum deferant latos, mundos & satis longos. In crastino vero presbyteri veniant, populos cruce præcedente, & tunc celebrent summo mane.

De pœnitentia.

De pœnitentia, quæ consistit in contritione, confessione & satisfactione, doceant sacerdotes, quod sicut puero non est salus sine baptismo, ita adulto, qui fœdus baptismi violavit, non est salus sine pœnitentia ad minus contritionis. In proposito & ardenti voluntate confessionis & satisfactionis salvari possunt adulti: sed vera pœnitentia liberat hominem a diabolo, mundificat a peccato, & reconciliat Deo.

Præcipitur quod sacerdotes episcopo vel pœnitentiariis suis semel similiter in anno confiteantur: permittit & episcopus quod possint interim aliis sacerdotibus confiteri.

Clerici antequam ordines recipiant, episcopo vel pœnitentiariis discretis confiteantur, ne forte per simplicitatem confessoris irretiti irregularitate ordinentur.

Theodorus. Sacerdos autem quilibet si inebrietur per ignorantiam, septem dies pœniteat in pane & aqua: si per negligentiam, quindecim dies: si per contemtum, quadraginta dies. si diaconus, triginta dies pœniteat. Reliqui clerici ministri juxta ordinem sui sacerdotis puniantur judicio.

Beda. Si quis vero ea die qua eucharistiam sumsit, per voracitatem aut ebrietatem vo-

mitum fecerit, gravius puniatur.

Theodorus. Si quis in evangelio, vel psalterio, vel rebus aliis furta vel deperdita inquirere præsumserit, quadraginta dies pœniteat.

Ex concilio generali. Doceatur maxime ante quadragesimam, quod omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, a principio quadragesimæ, vel etiam ante, omnia peccata sua fideliter confiteatur, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere. Si quis autem alieno sacerdoti justa de causa sua voluerit confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille non possit eum solvere vel ligare. Sacerdos autem sit cautus & discretus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati.

De confessione & pœnitentia.

Ad audiendam confessionem eminentem locum eligant sacerdotes, ut communiter possint videri; nec in locis abditis extra ecclesiam recipiant confessiones, nec diaconis committant aliquorum confessiones, etiam parvulorum.

In confessione habeat sacerdos vultum humilem & oculos in terram, ne indiscrete vel frequentius respiciat faciem confitentis, maxime mulieris, & patienter audiat quod dixerit in spiritu lenitatis, & ei pro posse suo plurimis modis persuadeat, ut confiteatur integre, nude, vere & aperte, & dicat ei aliter non valere. In confessione sibi caveant sacerdotes, ne inquirant nomina personarum cum quibus peccaverunt confitentes, sed circumstantias tantum quæ possunt aggravare peccatum. Caveat sacerdos omnis, ne verbo aut signo aut alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumserit revelare, eum non solum a sacerdotali officio decrevimus deponendum, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arcto monasterio detrudendum.

Ex concilio generali. Quia per experientiam certam didicimus pro fornicatione, vel etiam pro majoribus peccatis fere nullam vel minimam pœnitentiam pœnitentibus injungi a sacerdotibus ignorantibus seu negligentibus canonica instituta, præcipimus quod sacerdotes studeant inquirere diligenter & peccata usitata & usitatas circumstantias peccati, maxime gulæ, luxuriæ & cupiditatis, quibus genus humanum corrumpitur frequentius & fœdatur.

De vitio gulæ.

Vitium autem gulæ in excessu juxta potum attenditur, quod maxime fit in quinque. Inquirant igitur a pœnitente utrum aliquando excessum fecerit, quærendo cibos nimium sumtuosos vel nimium delicatos, sicut dives qui epulabatur quotidie splendide, & Judæi qui carnes in deserto concupierunt. Item, utrum peccaverunt nimia ciborum & vilium sumtione, sicut Sodomitæ quorum peccatum fuit ex abundantia panis. Item, utrum sumendo convivio aviditate, sicut Esaü. Item, utrum cum nimio apparatu, sicut filii Heli. Item, utrum ante horam, sicut Jonathas: quod si fecerit, moneatur a talibus abstinere, & ut curare contratria contrariis studeat diligenter. Hi siquidem sunt satellites Nabuzardan, qui interpretatur princeps cocorum, qui Jerusalem, idest fidelem animam funditus destruxerunt.

Beda. Inquiratur utrum pœnitens aliquando ebriatus fuerit, & si per ebrietatem vomitum fecerit, tres dies pœnitere debet sine carne, vino & camisia. Si autem sine vomitu fuit ebrius, pro singulis ebrietatibus quæ turbant statum mentis, solent aliqui etiam periti in jure injungere singula ad minus jejunia in pane & aqua, etiam privatis personis.

Beda. Si quis per nequitiam alium inebriaverit, quadraginta dies pœniteat: quod si ex consuetudine habeat, communione privetur, donec digne pœniteat, & emendare promittat. Qui cogit hominem ut inebrietur humanitatis gratia, acerrime puniatur vel corrigatur, & septem dies pœniteat.

De peccato luxuriæ.

Circa peccatum luxuriæ quæratur utrum pœnitens accesserit ad prægnantes mulieres, seu viduas vel alias, & quæratur numerus illarum cum quibus peccavit: si nesciat numerum, saltem æstimationem dicat quam credit. Quæratur etiam de vicibus, & quanto tempore in peccato fuerit, & quo loco, sacro videlicet vel non sacro; puta in ecclesia vel in cimiterio. De persona, utrum sacerdos, diaconus, subdiaconus, vel monachus. De tempore, utrum in solemnitatibus præcipuis: quod si fecerit, honestum videtur ut in vigiliis sanctorum festorum quæ violavit, jejunet omnibus diebus vitæ suæ in pane & aqua, vel saltem redimat competenter.

Si solutus laicus eum soluta concubuerit, tres annos pœniteat secundum canonum rigorem, secunda, quarta & sexta feriis, cibis jejunando communibus; si cum vidua, quatuor annos. Sed quia fragilitas nostri corporis tanti rigoris non patitur manere censuram, hujus pœnam commutent vel temperent sacerdotes in orationibus vel eleemosynis, vel aliis satisfactionibus, quando & prout vide-

rint expedire : & quando ſæpius & negligentius ea peccata commiſerit, tanto majus tempus addatur ; & modus pœnitentiæ ſecundum hoc moderamen intelligatur in omnibus pœnitentiis pro quocumque crimine imponendis.

De proſtantibus pœnitenti periculum oſtendatur. Semper enim forte conjugatæ vel moniales vel a parentibus eorum cognitæ, vel leproſis ſæpius ſe ſupponunt ; per quod accedentes ad eas incurrunt ſæpius morbum lepræ. Si aliquis ad tales acceſſerit, maxime ignotas, tutum eſt ei infligere pœnam pro adulterio imponendam.

De adulterio.

Quæratur utrum ad conjugatas acceſſerit, cum quot, quo loco, quo tempore. Si conjugatus ſolutam cognoverit, ille ſeptem annis pœniteat, quia fœdus conjugii violavit, & illis quinque, ſecunda & quarta & ſexta feria jejunet, habito moderamine prænotato. Si autem conjugatus conjugatam cognoverit, cum conſtet majus eſſe peccatum, major ei pœnitentia injungatur.

De deflorațione virginum.

Quæratur de virginibus defloratis : quot autem defloravit, tot debet maritare ſi poteſt, vel alias pauperes mulieres loco earum, vel ſaltem ipſas corruptas, ſi indigeant, ſuſtentare, vel ingreſſum religionis, ſi voluerint, procurare, injuncta pœnitenti nihilominus pœnitentia, quæ pro ſimplici fornicatione eſt ſæpius annotata : ſin autem, quia eis viam aperuit ad pecandum, timeat quod omnibus peccatis quæ illæ per carnis lubrica perpetrabunt, communicabit.

De ſanctimonialibus.

Quæratur ſi cum ſanctimonialibus peccaverit, & eodem modo ut ſupra : quod ſi fecerit ad epiſcopum debet mitti.

De inceſtu ſpirituali.

Mulierem quæ a proprio ſacerdote cognita eſt, vel ab alio qui ejus confeſſionem audivit, vel eam baptizavit, propter enormitatem criminis, maxime ſi ſcandalum inde fuerit, ad epiſcopum eſſe mittendam. Sed volentes in hac parte linguas compeſcere detractorum, qui forte dicerent nos iſtud injungere in gravamen & odium ſacerdotum, pœnam injungendam volumus ſacerdotibus declarare. Femina ſoluta quæ cum ſpirituali fornicata fuerit, omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat, & converſa in monaſterio, Deo uſque ad mortem ſerviat. Cum autem per fragilitatem ſexus rigor ille non valeat animo obſervari, provideant ſacerdotes quibus tales confeſſæ ſunt, ut vino correptionis oleum diſcretæ miſericordiæ conjungentes, ſic temperent pœnitentiam, ne immenſitate ponderis pœnitentes obruantur ; neque pro relaxatione indebita igni purgatorio crudeliſſime relinquantur. Nobis autem videtur tutum eſſe, ut tales quamdiu vixerint, arctæ debeant pœnitentiæ ſubjacere. Si autem conjugata fuerit, gravius eſt peccatum, & gravius puniendum ; non jugum matrimonii impediret.

De inceſtu naturali & regulari.

Quæratur ſi ad conſanguineas ſuas acceſſerit vel uxores conſanguineorum ſuorum, vel ad cognitas ab eis, & in quo grada, proximo videlicet vel remoto, & de aliis ut ſupra : & tales ad epiſcopum mitti debent. Item, quæratur ſi mulierem indebito modo cognoverint, & ſi cognoverint, quæratur quomodo & quotiens, &c. Quæratur ſi in puerperio, ſi tempore menſtruorum, quod in lege prohibetur, mulierem cognoverint : eſt enim periculum corporale patris & matris, ſcilicet periculum elephantiæ menſtruorum tempore commiſceri : eſt & prolis periculum, quia ex corrupto ſemine corruptus naſcitur ſexus, & ſemper fere, ut aſſerunt phyſici, vel gibboſus vel contractus, vel hujuſmodi.

Ex Romano pœnitentiali.

Si quis cum muliere in puerperio concubuerit, decem dies pœniteat in pane & aqua. Eadem pœnitentia poteſt ei injungi qui modo indebito uxore ſua utitur : in uſu etiam naturali eadem pœna poteſt ei injungi, qui ſcienter ad mulierem menſtruatam accedit. Mulier vero ſi viro volenti accedere ad eam non revelaverit morbum ſuum, eamdem pœnitentiam ſubeat : & ſi revelaverit, & vir nihilominus acceſſerit ad eam, mulier minus eſt in culpa.

Item, quæratur ſi ad mulierem prægnantem acceſſerit, & utrum mulier cognita abortivum fecerit, & tunc ſi ob iſtam cauſam evenerit, ad epiſcopum tranſmittatur.

Item, quæratur ſi cum mulieribus tantum peccavit : ſi dicat cum alio ſe peccaſſe, quæratur cum qua re, & de aliis circumſtantiis ut ſupra.

De pollutione nocturna.

Quæratur utrum dormiendo aliquando contigit ei pollutio : quod ſi ex ebrietate vel præcedenti cogitatione illicita evenerit, magis eſt timendum.

De peccato mollitiei.

Quæratur utrum pollutio ei contigerit etiam vigilando per ſe ſolum : ſi dixerit ſic, quæratur utrum ei placuerit ; & ſi hoc, quæratur utrum aliquid fecerit, per quod hujuſmodi pollutio compleretur. Si dicat ſic, quæratur quid fecerit & quomodo. Cum autem peccatum mollitiei adulterium vincat, conſulimus quod cum ſeptem annis pœnitentiæ, ſingulis ſeptimanis ſingulæ diſciplinæ injungantur.

Item, quæratur utrum mulierem lascive aspexit, concupivit, tractavit, osculatus sit. nam secundum canones, si quis lingua lascivus fuerit, triduana ei pœnitentia injungatur.

Si quis obtractavit pectus puellæ vel turpitudinem, si laicus sit, tres dies pœniteat: si clericus vel diaconus, si monachus vel sacerdos, a divino officio suspensus viginti dies pœniteat. Scriptum est enim, *neque tetigeris vel obtractaveris pectus vel turpitudinem feminarum.*

Item, quæratur utrum aliquando pro aliquo sollicitavit, vel peccato alterius consensit, consilium, auxilium vel consensum impendit; utrum conjugatam vel aliam; utrum pro conjugato alio, quomodo & quando, ut supra. Sollicitatores mulierum pro alio, sive consentientes peccato aliorum, secundum quod magis vel minus peccaverint puniantur: & quandoque non minus peccant quam illi qui peccatum operantur.

Quomodo communiendi sunt pœnitentes contra peccatum carnis.

Contra peccatum carnis solent muniri pœnitentes sic, ut dicat ei sacerdos semper labora, & cogita vitare malam societatem & opportunitatem peccandi, quod est vitare loca & personas cum quibus vel per quas peccare possumus vel solemus, *quar l'aise fait le laron.*

De sortilegiis.

Quæratur utrum sortilegia fecerit: quod si fecerit, de sacramentis ecclesiæ vel dæmonibus immolans vel dæmonia invocans, ad episcopum mittatur. Si peccaverit ad fascinum, vel qualescumque præcantationes fecerit, excepto symbolo & oratione Dominica, vel alia oratione canonica, & qui cantat, & cui cantatur, tres quadragesimas pœniteat.

De cupiditate, & quomodo, & quibus facienda restitutio.

Quæratur a pœnitente utrum habuerit rem alienam injuste, videlicet per furtum, rapinam, usuram: & si hoc, caveat sacerdos ne missas vel eleemosynas pro restitutione injungat. Est enim regula, quod non nisi domino facienda est restitutio, si de facili possit inveniri. Ad hoc ut fur vel raptor possit absolvi, mortuo, vel non invento vero domino, restituendum est proximioribus personis, ut uxori, quod justum fuerit, vel filiis, vel patri, vel matri, & illis præcipue qui constituti sunt heredes testamenti, si qui sunt, vel eis qui ab intestato succedunt. Si vero verus dominus est, vel non possit inveniri cui debeat restitui, tunc demum ad consilium ecclesiæ eroganda sunt pro illis qui jus in rebus male habitis habuerunt; quod & similiter de inventis faciendum est. Non autem sufficit circa male habita restitutio sola, sed condigna injungi debet pœnitentia pro peccato. Quando certus est verus dominus & inventus, injungendum est læsori ut ei si potest satisfaciat immediate, si audeat revelare; sin autem, mediante sacerdote vel alio bono viro, nemine nominato; vel compenset læsor per servitia quæ poterit animo restituendi. Si vero grave sit damnum, & læsor non possit solvere, debet petere veniam personaliter a damnificato, si audeat; alioquin hoc faciat aliquo bono viro mediante, nemine nominato, & ipse satisfaciat jejuniis & orationibus & corporalibus disciplinis, habens in proposito quod omnia restituet, si ad fortunam venerit pinguiorem.

De eo qui alieno damno consensit.

Quæratur si alieno damno consensit, vel simplicitate vel negligentia, non impediens lædentem cum posset, vel lædendum non præmuniens. Quod si fecerit, distinguendus est: quod si consensit tantum, non videtur teneri ad restitutionem damni; sed ad satisfactionem pœnitentiæ pro negligentia: inducat tamen læsorem prout poterit ad satisfaciendum læso. Si vero præbuerit consilium vel auxilium vel favorem in damnum alterius, vel partem habuerit, damnum tenetur restituere in solidum, nisi quantum noverit ab aliis esse solutum.

Item, quæratur utrum illi qui injuste rem suam detinebat damnum intulerit: quod si fecerit, si æquale fuerit, poterit sustineri; de dolo tamen pœniteat; si majus est, quod supereſt reddat.

Item, quæratur utrum ille stupri causa aliquid habuerit ab conjugata; & si hoc, marito reddat; si a persona religiosa, ecclesiæ suæ reddat; si ab ancilla de rebus domini sui, ipsi domino est reddendum. Diligenter attendat sacerdos cujus officii sit pœnitens. nam si mercator vendens vel emens ad mensuram, prohibendus est ne habeat pondus & pondus, mensuram & mensuram; & si habuerit, vel falso mensuraverit, tenetur restituere, si sciat quibus. Similiter de omni male acquisito restitutio facienda est, ut dictum est. Si autem nesciat quibus propter minutias multas, satisfaciat ecclesiæ vel ecclesiasticis quorum illos credit parochianos, vel pauperibus, tamen ad consilium ecclesiæ. Similiter de aliis officiis faciendum est suo modo.

Theodorus. Si quis per necessitatem furatus fuerit pecus vel cibaria per famem, vel vestes per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres: si reddiderit, non cogatur jejunare. Si quis furtum capitale commiserit, videlicet quadrupedia tulerit, vel capsas effregerit, septem annos pœniteat secundum canones; & quod furatum est reddat. Si vero de minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat quod tulit, & unum annum pœniteat.

Quomodo familia usurarii possit uti male acquisitis.

Dicendum est filiis fœneratorum & omnium raptorum, quod de hujusmodi arctissime debent vivere prout possunt, & reddere damnificatis, etiam insciis dominis: & si pinguior eis obvenerit fortuna, reddere debent etiam de proprio quantum possunt & ad eos pervenerit. Consulatur militibus quod largas eleemosynas & spontaneas faciant, vestiendo pauperes, ecclesiis conferendo; quod sanctius videretur, si damnificatis daretur vel potius redderetur.

Item, quæratur utrum pro cupiditate aliqua peccaverit, vel fidem violaverit, vel ecclesiam vel cimiterium; quod si hoc, ad episcopum mittatur.

De ira.

Quæratur utrum ex ira alicui conviciatus fuerit, vel in tristitiam mentis inciderit, quæ mortem operatur æternam, vel aliquem odio habuerit: quod si fecerit, moneatur diligenter ut deponat rancorem. Debita vero vel querelam non tenetur remittere; sed petere potest pacato animo coram judice.

Ex concilio Rothomagensi. Si quis alium per iram percusserit & sanguinem effuderit; si laicus est, viginti dies pœniteat: si clericus, triginta. Illi autem qui gradum habuerint sublimiorem, amplius puniri debent; diaconus sex menses, presbyter unum annum.

De invidia.

Quæratur utrum per invidiam doleat vel doluit de utilitate proximi, vel de ejus infortunio lætus fuerit: vel utrum per invidiam alicui detraxerit, & maxime ei qui præest. Si quis detraxerit ei qui præest, septem dies pœniteat.

De acedia.

Quæratur utrum pœnitens otiosus fuerit in his quæ pertinent ad salutem, id est negligens & indevotus; & talis timeat illam sententiam: *Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter.*

De pœnitentia, quod sit portabilis.

Sacerdos debet esse sollicitus, ut pœnitenti onus importabile non ponat, licet recipere pœnitens sit paratus: sed sic pœnitentiam temperet, ut a studio non cogatur cessare scholaris, a fabrica faber, ab agro agricola, vel alius laboriosus ab opere licito & competenti, ut a cura domus seu familiæ, ut eis providere non possit, nec cursor a cursu, ut sequi dominum non possit. Item vero pro peccato occultò pœnitentiam publicam non injungat, nec peccatores occultos faciat publice pœnitere.

De compensatione pœnitentiarum.

Sciendum est quod omnibus qui ex justa causa viderentur non posse sine magno gravamine frequenter in arcta dieta jejunare, possunt redemtiones vel compensationes adhiberi per orationes, per eleemosynas, vel per abstinentiam a carnibus vel piscibus, per disciplinas vel hujusmodi secundum statum personarum, vel animo, vel in quadragesimalibus cibis: propter viam aut peregrinationes, facilius quam propter aliud est relaxatio indulgenda vel commutatio. Similiter propter societatem, non tamen quamlibet: sed si accedat ad mensam alienam, vel aliquis ad suam, cui debet se conformare; & si sine gravi damno vel scandalo nequiverit evitare, vel pro solemnitate diei, si divinis interfuerit. Consulimus & monemus ne sacerdos missas injungat confitentibus: sed ut cupiditatis notam fugiat in hac parte, fructus qui ex tali injunctione solet sacerdotibus provenire, consulatur pauperibus erogare.

De confessione & pœnitentia infirmorum.

Ab infirmis in mortis periculo constitutis pia est inquirenda peccatorum confessio, non pœnitentia injungenda est; tamen eis intimandum, ut convertantur & doleant de peccatis suis universis & singulis, non tantum timore pœnæ quam peccando meruerunt; sed quia Deum Patrem & creatorem & redemtorem suum offendere præsumserunt. Inducantur tamen infirmi ut acerbitates ægritudinis quas sustinent, quasi flagella pii patris, quamdiu ei placuerit, cum gaudio tolerare laborent. Si autem convaluerint, statim ad sacerdotem accedant, ut tunc eis pœnitentia competens injungatur.

De his qui mittendi sunt ad episcopum.

Sacerdotes in confessione majora majoribus reservantes, mittant ad episcopum pœnitentes de homicidio, de perjurio seu fide mentita. Item de injectione manuum in parentes, sive in clericos vel quoscumque religiosos. Item, de incendio, de simonia. Item de litterarum falsitate. Item de incestu tam naturali quam legali & spirituali, videlicet qui consanguineam suam cognovit, & consanguineam uxoris, vel consanguinei uxorem, & qui cognovit filiam spiritualem, scilicet filiolam, vel qui ejus confessionem audivit. Item de lapsu carnis cum monialibus. Item de violatione cimiteriorum vel ecclesiarum. Item de hæresi: item de schismate: item de sortilegiis factis de sacramentis ecclesiæ: & omnes etiam qui ad hoc consilium vel auxilium præstiterunt. Item, mittendi sunt ad episcopum qui abortivum coeundo vel alio modo facere præsumserunt, & qui ad hoc consilium vel auxilium

impenderunt. Item clerici qui furtum commiserunt. Item clerici quocumque modo irregulares facti sint, qui bis se permiserunt baptizari, vel qui interfuerunt. Item, qui sine prima tonsura aliquem ordinem susceperunt. Item, qui suscipiendis ordinibus saltum fecerunt. Item, qui quocumque modo per se vel per alium homicidium perpetraverunt, vel judicio sanguinis interfuerunt, & qui auctoritatem, consilium vel auxilium, vel consensum in aliquo præbuerunt, unde mors hominis vel membrorum mutilatio sequereetur, sive occasio fuerit aliqua, sive causa. Item, qui litteras scribit, dictat aut legit, vel aliquod adminiculum præstat ut aliquis mutiletur vel occidatur. Item, clerici seu presbyteri qui in suspensione vel excommunicatione promoti sunt, vel divina celebraverunt. Item, sacerdos vel minister cujus negligentia aliquid circa sacramentum altaris inhonestum quocumque modo evenerit, ad consilium episcopi sunt mittendi. Quia quidam presbyteri, quos conscientiæ reatus accusat, timentes quod si parochiani sui vel ipsi fratribus Prædicatoribus vel Minoribus confessi fuerunt peccata sua, fingentes mendaciter contra ipsos dicunt quod confessiones confitentium detegere non verentur, sub pœna emendæ vel alterius gravissimæ pœnæ districtius inhibemus ne dictos fratres super detectione confessionum audeant infamare.

Peccata notoria de quibus scandalum in populo generatur, decano significent sacerdotes, & decanus archidiacono vel episcopo, nisi forte per eos sint sopita, timentes ne pœnam incurrant, si per alios ad episcopum scandalum deferatur.

De sacramento altaris.

De sacramento altaris doceant sacerdotes, quod ex virtute verborum quæ Dominus dixit in cœna super panem & vinum, & ex virtute ordinis sacerdotalis, sive bonus sive malus sit sacerdos, cum debita materia contingit, quod per prolationem verborum super panem & vinum cum intentione conficiendi, ubi erat prius purus panis, est verum corpus Christi de Virgine natum, in cruce passum, ad dexteram Dei collocatum; impassibile vero quale fuit in via, sed glorificatum, quale est in patria: & ubi erat prius purum vinum, est verus sanguis Christi qui de latere ejus fluxit. Sub utraque forma tamen est totus Christus: quia nec vere corpus est sine sanguine, nec vere sanguis sine corpore, nec corpus sine anima, nec utrumque sine divinitate; & sacramentum hoc est cibus & refectio animæ viventis per gratiam, & damnatio animæ mortuæ in peccato: quia qui manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit.

Ut semel in die celebrare sufficit.

Innocentius papa. Nullus audeat bis in die missam celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate, sive corpore humano præsente in die solemni, vel quadragesimali, & in die paschæ; quibus casibus propter necessitatem bis poterit celebrare. Celebraturus autem missam secundam, vinum perfusionis non sumat, sed ministro bonam habenti conscientiam conferat.

De his quæ circa sacramentum altaris sunt attendenda.

Sacerdos vel minister qui in altaris ministrat officio, diligenter attendat, ut ad conficiendam eucharistiam ad missam, & ad communicandos infirmos, formas panis quam pulcras, quam decentes, quam honestas poterunt quærere non omittat, ne per informitatem formarum aliorum devotio minuatur. Attendat igitur quod hostia sit integra, & integrum habeat circulum: & quod vinum non sit acetosum, & quod aquam non omittat. Si autem aquam omiserit, quando advertit, apponat eam si fieri potest sine scandalo. Si vero per negligentiam evenerit quod perlecto canone & peracta consecratione corporis, nec vinum nec aqua reperiatur in calice, debet statim infundi utrumque, & hostia sic consecrata seorsum reverenter observetur: hostia autem nova, sicut fieri solet, ante calicem apponatur, & reincipiatur canon missæ *Te igitur*: post canonem vero prior hostia ab ipso sacerdote sumatur. Caveant sacerdotes ne panis vel vinum remaneat supra altare infra missam, præter ipsa quæ ab ipso sunt consecranda; & si quid forte remanserit, securius est propter fatuam quorumdam conscientiam, ut ab ipso sacerdote sumatur, vel ab alio aliquo mundam conscientiam habente. Unde non est tutum hostiam eligere super pallam, quia posset ibi aliqua fractio remanere, quam aliquis fatuus intelligeret consecratam. Quod autem ad illos qui sciunt consecrationem non fieri nisi communicetur intentio, non est de talibus disputandum.

Præcipitur presbyteris quod quando incipiunt canonem missæ *Qui pridie*, tenentes hostiam, nec elevent eam, sed ante pectus teneant donec dixerint, *Hoc est enim corpus meum*, & elevatam tamdiu eam teneant, quod ab omnibus possit videri, tunc pulsetur campana. Hoc autem dictum est ne purus panis adoretur a populo, si ante prolationem verborum hostia elevetur. Post totalem vero sumtionem corporis & sanguinis Domini, presbyter aliquantulum ab exspuendo abstineat; & si abstinere non possit, in loco mundo hoc faciat, quod non possit conculcari.

De periculis circa altaris ſacramentum.

Si quid de ſanguine Chriſti ceciderit ſuper corporale, ſugenda eſt pars intincta, & ipſum corporale panno aliquo involutum pro reliquiis eſt ſervandum. Si ſupra pallam vel ſuper aliquod ſacrum indumentum ceciderit, pars intincta ſugatur, & poſtea ſcindatur, & conſuta panno mundo ſervetur pro reliquiis, ita tamen quod ſuper pannum cedula conſuatur, continens: Super hoc linteamen ſtilla cecidit ſacramenti. Si ſupra aliquod commune veſtimentum ceciderit, pars intincta prius ſcindatur, & poſt ſugatur & comburatur, & cinis in ſacrario reponatur. Si autem ſuper lapidem, lignum, terram ceciderit, lingendus, tergendus & radendus eſt locus ille, & pulvis in ſacrario reponendus. Si autem de corpore Chriſti ſuper pallam ceciderit vel aliquod aliud ornamentum, pars ſuper quam ceciderit abluatur, & ablutio a ſacerdote ſumatur, vel ab alio bonæ conſcientiæ. Si vero ſuper lapidem vel terram ceciderit, locus radatur, & pulvis in ſacrario reponatur.

Bernardus. Si muſca vel aranea, vel aliquid tale in ipſum calicem ceciderit, quod ſine vomitu aliquando vel ſine periculo corporis ſumi poteſt, ſanguis ſumatur, & ſuperfuſo vino ipſum quod cecidit abluatur, & ablutio a ſacerdote ſumatur, vel ab alio bonæ conſcientiæ; & poſtea id quod cecidit in ſacrario comburatur. Quod ſi fides ipſa illud quod cecidit ſumere quempiam fecerit, Deo gratias.

Sacerdotes die octavo ſemper renovent ſacramenta, euchariſtiam & fontem benedictum, ne eorum vetuſtate aliqui ad indevotionem moveri valeant.

Ex concilio Lateranenſi. Inhibetur preſbyteris, ne hoſtias non ſacratas dent pueris, niſi loco panis benedicti die Paſchæ, & tunc ſtatim utantur, nec extra eccleſiam portent.

De communione Paſchæ.

Doceant ſacerdotes populum, ut tales ſe exhibere procurent, quod ſaltem in die Paſchæ digne communicare valeant & communicent. Legitur enim in libro Numerorum, quod ſi quis mundus fuerit, & non fecerit Paſcha, hoc eſt non communicaverit, animaperibit de populo. Et ſi hoc de mundo dicitur qui non communicat, multo fortius de immundo, qui tantum propter immunditiam ſuam abſtinere debet quamdiu talis eſt, & nullatenus communicaturus.

De communione infirmorum.

In eccleſiis ſuis dicant ſæpe preſbyteri, ut quam cito viderint aliquem infirmari, presbyterum incontinenti ad audiendam infirmi confeſſionem, & ad communicandum advocare procurent; nec expectent noctem ad vocandum preſbyterum, ſi de die contigerit aliquem infirmari.

Singuli ſacerdotes ſingulos habeant calices, in quibus communicentur infirmi, qui decori ſint & mundi, ne immunditia horrorem inducat infirmo, ſed potius in eis infirmi devotio excitetur.

Item, ſi quid de corpore Chriſti in ore infirmi remanſerit, vel inde exierit quod ab eo recipi non poſſit, aliquam formam panis habens, ab ipſo ſacerdote convenienter debet conſumi, vel comminutum in calice cum modico vino alicui habenti bonam conſcientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit coartatus, quod ſub magna forma corpus Domini recipere non poſſit, ſub minima forma detur ei in calice imminutum, & cum modico vino infirmi ſtilletur in ore, maxime ſi propter adſtantes timeatur, ne eis ſine viatico decedere videatur infirmus. Videtur tutum, ut quilibet ſacerdos infirmum in extremis laborantem abſolvat de omnibus quibus eum abſolvere poteſt.

Item, cum preſbyteros ad communicandum infirmos contigerit evocari, omni dilatione & occaſione poſtpoſitis, ad eos accedant, & corpus Chriſti cum magna reverentia & maturitate deferant in pyxide idonea & bene clauſa propter caſum, nec ad hoc diaconos mittant: ac eundo & redeundo ſeptem pſalmos pœnitentiales, vel ſaltem letaniam dicant. Moneant etiam parochianos, & diligenter inducant, ut cum preſbyterum deferre contigerit corpus Chriſti, creatori ſuo cum manuum junctione & genuum flexione dum tranſit, orantes devotius ſtudeant inclinare. Eis ſiquidem qui corde contrito preſbyterum cum corpore Chriſti devote duxerint & reduxerint, decem dies de condigna pœnitentia miſericorditer relaxamus, & hoc volumus in eccleſia ſæpius publicari.

Ex concilio generali. Statutum eſt in concilio generali, & diſtricte injunctum medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, quod medicos advocent animarum, ut poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur. Si quis autem medicorum conſtitutionis hujus tranſgreſſor extiterit, tamdiu ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, quouſque ſatisfecerit competenter. Ceterum cum anima corpore ſit multo potior, ſub anathemate prohibetur, ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in animæ periculum convertatur.

De conjugio.

De ſacramento conjugii doceant ſacerdotes, quod omnis voluntaria ſeminis emiſſio eſt mortale peccatum tam in mare, quam in femina, niſi per legitimum matrimonium excuſetur;

excuſetur: ſed fides habet coïtum inter marem & feminam legitimo conjugio excuſari, ſi tamen modo debito miſceantur.

Quomodo debent fieri ſponſalia.

Conjugii matrimonium affectantes fidem licite dare poſſunt de matrimonio contrahendo, ſi ſancta eccleſia poterit ſuſtinere: hoc tamen non fiat ſine præſentia ſacerdotis. Numquam tamen conſentiant contrahentes per verba de præſenti, donec ſint ante fores eccleſiæ, quando debet nuptialis benedictio celebrari. Excommunicent preſbyteri in eccleſiis ſuis illos, qui bannis tantumdem factis, per verba de præſenti ad invicem conſentiunt, antequam fieri debeat benedictio nuptialis, niſi ex permiſſu epiſcopi ſpecialiter concedatur alicui & cum cauſa.

Ex concilio generali. Cum pluries inhibitum fuerit, ne perſonæ matrimonium contrahentes per verba de præſenti conſentiant, antequam ad benedictionem nuptialem veniant ante portam eccleſiæ; & ex iis conſtitutionibus nullus aut rarus fructus hucuſque provenerit; ſtatuimus quod tam perſonæ ſic contrahentes, quam illi qui ad hoc conſilium præſtiterint & auxilium, excommunicationis emendam ſolvere teneantur.

De bannis. Ex concilio generali.

Clandeſtina conjugia penitus inhibemus, prohibentes ne quis ſacerdos talibus intereſſe præſumat: ac præcipimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, ea proponant preſbyteri in eccleſiis ſuis competenter, videlicet per tres dies dominicos vel feſtivos, ſub pœna excommunicationis indicentes, ut qui ſciunt legitimum impedimentum, opponere non differant vel omittant. Ipſi etiam preſbyteri per ſe nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura vel dubitatio contra carnalem copulam contrahendam, contractus impediatur expreſſe, donec per epiſcopum vel ejus alloçatorem, quid ſuper eo fieri debeat, fuerit diffinitum: ceteri autem de talibus nec cognoſcere poſſunt, nec judicare. Si quis vero clandeſtina matrimonia inire præſumſerit in gradu prohibito, etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium, cum illi taliter contrahentes, non expertes ſcientiæ, ſed affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima cenſeatur, ſi ambo parentes impedimentum ſcientes legitimum, præter omne interdictum, id eſt ſi bannis in conſpectu eccleſiæ factis, contrahere præſumſerint. Sane parochialis ſacerdos, qui conjunctiones prohibitas celebrare præſumſerit, aut quilibet preſbyter etiam regularis, qui eis præſumſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur, gravius puniendus, ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Eis etiam qui clam præſumſerint copulari, licet in gradu conceſſo, condigna pœnitentia injungatur.

De impedimentis matrimonii.

Copulam carnalem impediunt conſanguinitas & affinitas, diſpar cultus, publicæ honeſtatis juſtitia, votum ſolemne, coactio, error perſonæ, error conditionis, minor ætas, delicti enormitas, compaternitas, quæ tantum excludit ſex perſonas, compatrem videlicet & matrem, filiolum & filiolam, fratrem & ſororem ſpirituales. Sciendum tamen eſt, quod in quinto gradu conſanguinitatis & affinitatis, & ſupra, poſſunt ambo licite matrimonialiter copulari. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitioſum impedimentum objecerit, non effugiet eccleſiaſticam ultionem. Semper prohibeant ſacerdotes in nuptiis ſub pœna excommunicationis ſortilegia fieri: & alter conjugum ad religionem non tranſeat aut recipiatur, niſi per epiſcopum.

De concubinis.

Prohibeant ſacerdotes, ne laïci publice teneant concubinas. Et qui poſt admonitionem trinam præſumſerit retinere, tam ipſe quam ipſa ab ingreſſu eccleſiæ arceantur, gravius puniendi per majores, ſi perſeveraverint.

De extrema unctione.

De ſacramento extremæ unctionis doceant ſacerdotes, quod, ſicut dixit beatus Jacobus, per eam venialia dimittuntur, & quandoque alleviatur infirmus, quandoque etiam ad veram contritionem, & æterni gaudii conſiderationem per eam incitatur. Doceant ſacerdotes omnes hoc ſacramentum debere recipere tam divites quam pauperes, ſenes & juvenes, maxime poſtquam decimum quartum annum compleverint; & poſſe licite iterari ſine periculo operis conjugalis, quotiens infirmis metum contigerit imminere. Quando enim fuerit requiſitus ſacerdos, ſanctum oleum honeſte deferat, & cum reverentia illud impleat ſacramentum.

De ordinibus.

De ſacramento ordinis doceant, quod ſacramentum euchariſtiæ non conficit quis niſi ſacerdos, nec confert quis ſacrum ordinem niſi epiſcopus, & eam habent virtutem ordines quam eccleſia profitetur.

Cum quater in anno regulariter ſoleant ordines celebrari, ſcilicet in jejuniis ſolemniter inſtitutis, ſtatuimus, & perpetua ac peremtoria citatione diſtricte præcipimus, ut omnes parochialem habentes eccleſiam, quamdiu non ſunt preſbyteri, ad ordines ſaltem prædictis temporibus veniant ſucceſſive, ſeque præſentent idoneos & habiles cum ef-

fectu. Quod si quis jam plene receptus ad ecclesiam, hæc non fecerit, futuros ex tunc ecclesiæ suæ reditus & proventus ipsius ecclesiæ suæ necessitatibus applicamus, & suos in tantum efficimus, ut sint ei penitus alieni, pœna nihilominus perjurii remanente per episcopum infligenda, nisi quis legitime se doceat excusatum, vel episcopali injunctum licentia speciali.

Ne venalia prostituantur ecclesiæ sacramenta.

Ex concilio generali. Cum vitium pullulare novimus avaritiæ & vitium simoniæ, ut quidam presbyteri ecclesiastica sacramenta vendere videantur, confessionem, eucharistiam, benedictionem nuptialem, sepulturam subditis denegando tacite vel expresse, quousque super consuetudinibus parochialibus, vel debitis aliis ad voluntatem eorum sibi fuerit satisfactum; sub pœna magnæ emendæ districtius inhibemus, ne cum sacramenta imminent exhibenda, ante sacramentorum ipsorum exhibitionem plenariam aliquid exigant a subjectis, neque plegios petant; sed cum ea gratis exhibuerint, tunc jura parochialia & alia consueta & debita licite petant, & plegia accipiant, & pactiones faciant, prout justum fuerit, & viderint expedire.

De septem vitiis capitalibus, & operibus misericordiæ.

Suadeant sacerdotes omnibus septem principalia vitia fugere, & plusquam mortem timere temporalem, quæ solum corpus interimat, dicta vitia corpus & animam mittere in gehennam, videlicet gulositatem, luxuriam, vanam gloriam sive superbiam.... Suadeant etiam operibus misericordiæ inhærere, quæ sunt pascere esurientem, potare sitientem, nudum vestire, hospitem suscipere, visitare infirmum, consolari incarceratum, sepelire mortuum; quæ testatur Veritas in evangelio, qui ista facere neglexerint, venientes ad judicium audient terribilem vocem: *Ite maledicti in ignem æternum*, a quo liberemur per Filium Dei. Amen.

De fugienda prava jurandi consuetudine.

Item, cum blasphemias Redemtoris, quæ plus abundant in nostris quam alibi..... per ejus membra singula, tamquam porci, verisimile credi possit ut plus igne sacro nostri quam alii torreantur; frequenter moneant sacerdotes populum majorem & minimum, & maxime humiles ribaldos & rhedarios, qui morbo illo frequentius invaduntur, a juramentis hujusmodi & perjuriis maxime penitus abstinere.

De sobrietate.

Doceant populum sacerdotes verbo & exemplo sobrie vivere, ab ebrietate & crapula abstinere, invitationes fugere ad potandum: firmiter injungentes dominis tabernarum, ne in domibus suis vel locis circumadjacentibus vicinorum suorum vel aliorum de eadem parochia causâ potationis studeant conventicula congregari, ostendentes eis, quod potatio est innumerabilium occasio peccatorum. Si quis autem tertio admonitus, huic salubri statuto acquiescere noluerit, tam ipse quam familia ejus ab ingressu ecclesiæ arceantur.

De jejuniis.

Præcipiant sacerdotes omnibus adultam ætatem habentibus, instituta jejunia observare, ut jejunium quadragesimale, quatuor temporum, vigiliarum nativitatis Domini, assumtionis beatæ Mariæ, B. Johannis Baptistæ, apostolorum Petri & Pauli, Matthæi, Simonis & Judæ, B. Andreæ, B. Laurentii, vigilia Omnium sanctorum, & in letania majori, scilicet in festo S. Marci evangelistæ, & in tribus diebus Rogationum. Si qua de taxatis vigiliis die dominica evenerit, indicendum est jejunium die sabbati præcedenti. Sub pœna excommunicationis inhibeant sacerdotes, maxime in tempore quadragesimæ præcedenti, ne quis in dominica prima quadragesimæ carnes manducare præsumat, nec aliquid aliud, nisi ea quibus in quadragesima licite utuntur Catholici & fideles.

De feriis.

Pronuntiandum est laicis, ut sciant tempora feriandi per annum, scilicet omnem Dominicam a vespera usque ad vesperam. Feriandi vero per annum sunt isti dies: nativitatis Domini, S. Stephani, S. Johannis evangelistæ, Innocentium, S. Silvestri; octava Domini, epiphania Domini, nativitas B. Mariæ, Annuntiatio, Purificatio, Assumtio, dies parasceve, sanctum pascha cum duobus sequentibus diebus, nativitas Johannis Baptistæ & decollatio ejus, duodecim apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ; Laurentii, & præcipue sanctorum Gervasii & Prothasii, in quorum honore matrix ecclesia fundata est: Michaelis; dedicatio cujuslibet oratorii; omnium sanctorum, SS. pontificum Juliani, Martini, Nicolai, Mariæ Magdalenes, & illæ festivitates quas singulariter presbyteri in suis parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, quæ vicinis tantum circummorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas vere festivitates per annum non sunt cogendi ad feriandum, sed monendi ut juxta morem antiquum observent. Inhibeant presbyteri carnificibus in villis mediocribus, ne carnes lanient aut vendant die dominica a principio missæ usque ad finem.

De exhibitione evangelii.

Ex concilio apud S. Medardum.

Decernit ſancta ſynodus, ut a ſeptuageſima uſque ad octavam paſchæ, ab adventu uſque ad octavam epiphaniæ, necnon & jejuniis quatuor temporum, & letaniis majoribus, & in diebus dominicis, & in diebus rogationum, niſi de concordia & pacificatione, nullus ſuper ſancta evangelia jurare præſumat: & in iis diebus non debent ſacerdotes reliquias laicis exhibere, nec umquam pugilibus ad jurandum, cum monomachia ſecundum canones reprobetur: quibus etiam in ipſo duello ſine pœnitentia decedentibus negandum cimiterium: quod & de excommunicatis volumus obſervari, & de quibuſlibet mortuis in mortali.

INCIPIT SECUNDA PARS.

De devotione orantium. De canonicis horis. De libris eccleſiaſticis. De ornamentis altaris. De altari & ejus miniſterio. De præfationibus. De calice reponendo. De cuſtodia chriſmatis, ſacri fontis & reliquiarum eccleſiæ. De rebus eccleſiæ non alienandis. De cauſis eccleſiæ. Ne eccleſia aut cœmeterium aliqua deformitate vel profanatione ſordeſcant. De devotione orantium.

Cum cor quærat Deus non lequelam, ſive cantent, ſive legant preſbyteri, ſive pſalmos orando proferant, in mente ſemper habeant quod in conſpectu Dei ſemper aſſiſtentes, ſuum & ſibi commiſſum gerunt negotium, quod coram eo poſtulant, qui non exaudiet ora loquentium, ſi cogitationes alias evangentur, vel indigni fuerint poſtulantes.

De canonici horis.

Diſtricte præcipitur, ut ſacerdotes divinum officium nocturnum pariter & diurnum diſtincte & aperte, quantum Deus dederit, celebrent & devote. Honeſtum etiam eſſet, quod ſtantes canonicas horas dicerent, maxime in diebus feſtivis, ut alii videntes laborem & devotionem, glorificent Deum Patrem qui in cœlis eſt. Dicant preſbyteri, & abbates injungant monachis qui ſunt in prioratibus, ut quotidie dicant divinum officium, ſi duo ſunt aut plures. Et ſi ſolus eſt aliquando monachus, officio ſacerdotis intereſſe procuret: & ſi aliter fecerit, dicat preſbyter decano, & decanus cognita veritate ſubtrahat eis portionem quam percipiunt in eccleſia, donec per nos vel officialem noſtrum ſuper hoc ſit proviſum. Preſbyteri parochiales a feſto Remigii de nocte ſurgant, & ſummo ad matutinas mane miſſam celebrent uſque ad paſcha; maxime in eccleſiis in quibus adjacet parochianorum maxima multitudo, ut qui circa terrena negotia ſunt intenti, ante ingreſſum laboris miſſam poſſint audire, ſi voluerint. Nullus antequam matitunas canonicas & primam dixerit, miſſam celebrare præſumat aliqua neceſſitate.

De libris eccleſiaſticis.

Librum qui dicitur manuale habeant ſinguli preſbyteri parochiales, ubi continetur ordo ſervitii, baptiſmi, catechiſmi, extremæ unctionis & hujuſmodi, & libros alios in quibus poſſit competenter divinum officium tam diurnum quam nocturnum celebrari. Item, cum membra capiti ſe debeant conformare, volumus & mandamus, ut quilibet parochialis ſacerdos calendarium & ordinarium habeant Cenomanenſe, & in feſtis & officiis ſuis, & in aliis quibus poterunt, uſum matris eccleſiæ ſtudeant obſervare. Item, injungimus ut omnes parochiales preſbyteri librum habeant ſynodalem, & in eo frequenter & ſollicite inſpiciant & ſtudeant diligenter, ut ſuper officiis ſuis more debito exequendis, & in præceptis ſynodalibus notitiam habeant pleniorem.

De ornamentis altaris.

Linteamina altaris & veſtimenta ſacerdotalia munda & nitida conſerventur: nimis enim abſurdum videtur in ſacris hujuſmodi ſordes negligere, quæ dedecent etiam in parochianis: & cum lavanda fuerint, nonniſi per preſbyterum, vel diaconum, vel honeſtam matronam, vel virginem, ſine appoſitione aliorum pannorum, prout decuerit, abluantur.

De concilio Clementis papæ. Corporalia vero ſæpe preſbyter abluat, vel ſaltem diaconus indutus ſuperlicio, in vaſe mundo ad hoc ſpecialiter deputato, & omnes ablutiones, ſi fieri poteſt, in piſcina reponantur, vel ad minus prima; ceteræ in baptiſterio. Munda ſemper habeant ſecus altare manutergia, & ad minus tria, unum ad primam ablutionem, ſecundum poſt evangelium, tertium poſt ſacramenti ſuſceptionem, quartum pendeat in miſſali, vel potius in cervicali, ad tergendum os & nares ſacerdotis, & frequentius abluantur.

De altari & ejus miniſtris.

Præcipitur quod in altari in quo tabula mota fuerit, vel enormiter fracta, ſacerdos non celebret donec reconſolidetur altare, & iterum conſecretur; nec ſuper lapidem portabilem celebretur ſine capſa. Ampullæ ſcilicet vini & aquæ pro miniſterio altaris ſint mundæ, integræ, vitreæ vel ſtanneæ, ſive argenteæ. Ad ablutionem manuum vas grandius deputetur. Provideant etiam ſacerdotes quod piſcinas habeant juxta altaria decentes, mundas, ablutionibus curſum liberum exhibentes; nec ſine coopertorio relinquentur.

De præfationibus.

Invenimus decem præfationes ſequentes, in ſacro catalogo tantummodo recipiendas,

unam in paſcha quæ ſic incipit, *Te quidem omni tempore*, aliam in aſcenſione, ſcilicet: *Qui poſt reſurrectionem ſuam*; tertiam in pentecoſte, ſcilicet *Qui aſcendens ſuper omnes cœlos*; quartam de trinitate, ſcilicet *Qui cum unigenito*; quintam in feſtis B. Mariæ, ſcilicet *Et te in veneratione B. Mariæ*; ſextam in feſtis Crucis, ſcilicet *Qui ſalutem humani generis*; ſeptimam de apoſtolis, ſcilicet *Te Domine ſuppliciter exorare*; octavam, in nativitate Domini, ſcilicet *Quia per incarnati Verbi*; nonam in epiphania Domini, ſcilicet *Qui cum unigenito*; decimam in quadrageſima, ſcilicet *Qui corporali jejunio*.

De calice apponendo.

Calix poſt miſſam panno mundiſſimo involvatur, nec cum eo miniſtri calicem intus tergant, ſed alio ad hoc ſpecialiter deputato, qui cum ſatis decens non fuerit, vel vetuſtate attritus, in ſacrario comburatur.

De cuſtodia & chriſmatis cura.

Statuimus ut per omnes eccleſias fontes, oleum ſanctum & euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ut non poſſit ad illa temeraria manus extendi. Si vero is ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur; & ſi per ejus incuriam nefandum aliquid inde contigerit, gravius puniatur. In concilio *Lateranenſi* ſtatutum eſt, quod antiquæ reliquiæ a modo extra capſam nullatenus extendantur, nec exponantur venales: inventas autem de novo nemo publice venumdare præſumat, niſi prius auctoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Præcipitur ſacerdotibus, ut divino officio celebrato, populo regreſſo ad propria, eccleſias ſuas firmare ſtudeant diligenter.

Lateranenſi.

De rebus eccleſiæ non alienandis.

Præcipitur ſacerdotibus ut omnes reditus eccleſiæ ſcribant in miſſalibus ſuis, & de rebus eccleſiæ vel preſbyteri nihil alienetur niſi per epiſcopum. Statuitur quod ornamenta eccleſiæ non obligentur pignori, niſi pro neceſſitate eccleſiæ, vel conſilio parochianorum. Præcipitur preſbyteris ut immobilia de bonis eccleſiæ acquiſita ſuis tantummodo relinquant eccleſiis, de jure enim aliud facere non poſſunt. Domus autem utenſilia & ſupellectilia a preſbyteris ſucceſſoribus relinquentur. Nullus clericus vel laicus, vel religioſa perſona recipiat decimam de manu laicali, niſi per epiſcopum. Prohibetur diſtricte ne aliqua eccleſia domino terræ corvagium vel aliquid tale conferre præſumat, donec epiſcopi ſui ſuper hoc habeat conſilium, & ejus auctoritate fiat quod fuerit faciendum.

Ex concil. Turonenſi.

De recredentia rerum eccleſiæ.

Præcipitur ſacerdotibus, ut cum res eccleſiæ ab aliquo captæ violenter vel detentæ fuerint, moneant detentorem ut reddat vel recredat, & ſacerdos vel decanus captionem recipiat, niſi detentor coram officiali vel epicopo partibus aſſignet terminum competentem. Si vero recredere vel reddere noluerit, & de detentione conſtiterit, locus in quo res eccleſiæ detinetur interdicto ſupponatur, ſi locus eſt de dominio detentoris; alioquin compellat detentorem per cenſuram eccleſiaſticam, admonitione præmiſſa.

De eccleſiaſticis curiis.

Nullus abbas vel eccleſiaſtica perſona de perſonalibus injuriis vel eleemoſynis eccleſiæ factis audeat litigare, niſi de conſenſu epiſcopi, coram judice ſæculari. *Ex concilio Turonenſi.* Quia exemtionibus ſive ceſſionibus actionum, quæ in eluſionem ſæcularis juriſdictionis frequenter fiunt, multa ſolent ſcandala provenire, prohibemus diſtrictius ne de cetero fiat ceſſio vel venditio actionum, niſi ubi quis de jure tenetur alii cedere actiones: & hoc præcipimus ſæpius publicari.

De immunditia eccleſiæ.

Firmiter inhibetur ne ſupellectilia ſacerdotis propria ſeu aliena in eccleſiis admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias urgentes neceſſitates ad eas oporteat refugium haberi; ſic tamen, ut neceſſitate ceſſante, ad loca priſtina reportentur. Item, imagines vetuſtate deformatæ linteamina ſacra vetuſtate attrita ſacris uſibus inutilia comburantur in loco mundo, & pulvis juxta parietem eccleſiæ recondatur, qui poſſet intuentes in errorem.... Item, prohibeant ſacerdotes ſub pœna excommunicationis in cimiterio vel eccleſiis choreas duci. Moneant etiam ne aliter fiant quoniam ut dixit Auguſtinus: melius eſt diebus dominicis vel feſtivis fodere, quam choreas ducere. Quam grave peccatum ſit in loco ſacro choreas vel balationes ducere, perpendi poteſt ex pœnitentia ſecundum rigorem canonum talibus injungenda; de quibus Beda: ſi quis balationes ante eccleſias ſanctorum fecerit, emendatione pollicita, tribus annis pœniteat. Nullus de novo ædificare in cimiterio permittatur, nec domus aliqua ſi diſrupta fuerit per annum durante ruina, aliquatenus reparetur.

INCIPIT TERTIA PARS.

De vita & honeſtate presbyterorum cum ſuis particulariis. De inſtitutione perſonarum. De firmariis & capellanis. De quæſtis. De leproſis. De teſtamentis. De executionibus mandatorum. De excommunicatis. De abſolutione. De officio decanorum. De poteſtate presbyterorum. De vita & honeſtate presbyterorum.

Contineant, & ſancte vivere ſtudeant univerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti, cum voto continentiæ tacite ſint adſtricti: matrimonium enim contrahere nequeunt,

nec uti contracto; nec cuiquam licitum eſt fornicari. Specialius autem regulares expreſſo videlicet voto ad continentiam obligantur. Caveant igitur omnes ab omni libidinis vitio, & maxime illo propter quod ita Dei venit in filios diſſidentiæ; ut in conſpectu Dei puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare. Quocirca diſtrictius inhibemus, ne ullus clericus in ſacris conſtitutus, aliqua occaſione teneat in domo ſua vel alibi mulierem vel perſonam aliquam, de qua mala poſſit ſuſpicio ſuboriri, unde populus ſcandalizaretur. Qui vero poſt Galonis ſententiam inde latam, focariam vel mulierem aliquam cum ſcandalo publice retinere præſumſerit, ſciat ſe excommunicationis vinculo innodatum. Et ſi celebraverit ſic ligatus, irregularis effectus eſt, ut ſine diſpenſatione non poſſit a modo celebrare.

Si capellanus vel firmarius ſuper lapſu carnis fuerit de cetero diffamatus, adeo ut non poſſit innocentia legitime comprobari, omnia mobilia ejus epiſcopo remanebunt, & eo vivente in diœceſi remanebit; & perſona eccleſiæ ad arbitrium epiſcopi punietur.

Ex concil. Turonenſi. Prohibetur diſtricte ſacerdotibus ne ſecum prolem habeant quam in ſacro ordine genuerunt, ut ſcandalum evitetur.

De veſtitu & habitu clericorum.

Clerici beneficiati in ſactis ordinibus conſtituti, clauſa deſuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. *Ex concilio metropolitano.* Qui vero conſtitutionis hujus tranſgreſſor extiterit, per ſuperiorem puniatur; & veſtis aperta portata in publico pauperibus erogetur.

Item, inhibemus expreſſius ne preſbyteri indumentum ſcutatorium, quod dicitur herga, vel aliud laicale indumentum, deſuper deferre præſumant: & ſi quis contra hoc inventus fuerit facere, vel detectus, indumentum amittet, vel aliter puniemus graviter eumdem.

Ex concilio generali. In ſacerdotio conſtituti vel perſonatibus cappas clauſas deferant non manicatas, niſi forte ad tempus, juſti cauſa timoris frigoris: fibulas omnino non ferant clerici, nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis: pannis rubeis vel viridibus, necnon manicis aut ſotularibus conſutitiis, ſeu roſtratis, ſellis, frenis, pectoralibus & calcaribus deauratis non utantur,

Ex concilio Turonenſi. Statuimus ut condonati domus cujuſlibet religioſæ ſignum aliquod in eminenti loco deferant ad arbitrium epiſcopi, vel religioni congruentia indumenta, ut per hoc ab aliis diſtinguantur, & ſicut religioſi ab eccleſia defendantur, & ad hoc per ſuos preſbyteros compellantur.

Ex concil. Turonenſi. Diſtricte præcipitur ne preſbyteri vel clerici, neque religioſi cultellum portent cum cuſpide, niſi juſta cauſa timoris.

De ſobrietate clericorum.

A crapula & ebrietate omnes clerici ſe abſtineant diligenter: unde vinum ſibi temperent, & ſi vino.... nec ad bibendum quempiam invitent cum ebrietas inducat & mentis exſilium, & libidinis provocet incentivum. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi commonitus à ſuperiore ſe correxerit & ſatisfecerit competenter, ab officio & beneficio ſuſpendatur.

Item, cum in conviviis frequentibus & ſuperfluis quæ ſimul faciunt preſbyteri, ſcandalizentur laici, volumus, conſulimus & præcipimus, quod a talibus ſe temperent ſacerdotes; & ſi aliquem vel aliquos voluerint invitare, amicabiliter eum vel eos ſine ſtrepitu & ſine ſcandalo, ferculis non ſuperfluis ſtudeant procurare, & ſuperflue expendenda pauperibus erogare.

De clericis ſæcularibus.

Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant, maxime inhoneſta. Mimis, hiſtrionibus & joculatoribus non intendant, & tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec ea domibus ſuis habeant congruenter, & ſe in officiis eccleſiaſticis & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter.

Statutum Sidonii. Clerici beneficiati ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, non ſint advocati pro pretio ſeu in fraude pretii: in curia laicali, nec loco laicorum curiam teneant, nec eorum balliis illicitis vel ballivis aſſocientur. Nuſquam etiam contra parochianum ſuum advocatus exiſtat preſbyter, vel perſonam nec ullam partem chirurgiæ ſubdiaconus vel diaconus vel ſacerdos exerceat, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit: nec quiſquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ ſeu ferri candentis ritum cujuſlibet benedictionis aut conſecrationis impendat.

Ex concilio generali. Nullus clericus ſententiam ſanguinis dictet aut ſcribat aut proferat, nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur interſit: ne quiſquam clericus litteras ſcribat aut dictet pro vindicta ſanguinis deſtinandas.

Moneant parochianos ſuos preſbyteri diligenter, ut pueros ſuos tam mares quam feminas ad eccleſiam mittant, ubi prebyteri per ſeipſos vel per capellanos ſuos aut clericos doceant *Pater noſter*, *Ave Maria* & *Credo in Deum* ſi fieri poteſt. Suadeant item ſacerdotes, ut qui filios habent clericos, eos inſtrui faciant diligenter, & ſcholas attentius frequentare, quia illiterati non ſunt ad eccleſiaſtica beneficia admittendi.

De inſtitutionibus perſonarum.

Cum electio vel præſentatio pertineat ad

patronum, ad prælatum vero collatio; non conferat ecclesiam alicui patronus, sed præsentandum eligat & præsentet: Et bonum esset quod sub hac forma vel simili: *Cum ad ecclesiam talem liberam & vacantem, in qua jus patronatus habemus, talem clericum latorem præsentium elegerimus, vobis eum præsentamus ad eam.* Electum ad ecclesiam vel capellam præsentet loci patronus, archidiacono deinde episcopo: coram, si fuerit admittendus, tria jurare tenetur, quæ ut memoriter teneantur, hic insequuntur ad plenum. Primum est tale. *Ego N. ad ecclesiam talem electus & præsentatus, juro me nihil dedisse vel promisisse, per me vel per alium datum esse vel promissum, me sciente, pro ista ecclesia habenda; & si ad notitiam meam devenerit aliquid datum esse vel promissum propter hoc, statim ecclesiam resignabo: sic Deus me adjuvet & hæc sancta.* Et tunc ei dicatur: *Recipio te ad talem ecclesiam, in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti, amen.* Sequitur secundum. *Ego N. juro quod tibi, pater venerande, N. Dei gratia Cenomanensi episcopo, tuisque ministris & successoribus tuis canonice instituendis, fideliter obediam in omnibus quæ mihi legitime duxeritis injungenda: sic Deus me adjuvet & hæc sancta.* Tertium. *Ego N. juro quod bona & jura ecclesiæ talis quamdiu eam tenuero, pro posse meo defendam & servabo; & quæ sunt illicite alienata pro posse meo de bonorum consilio revocabo, sic Deus me adjuvet & hæc sancta.* Tunc ei dicitur: *Ego curam animarum talis ecclesiæ tibi committo, ut in die judicii pro me & pro te, quantum ad tuum pertinet officium, rationem reddere tenearis.* Iterum ei dicatur: *In virtute obedientiæ quam juraſti, tibi præcipio quod in ecclesia tua residentiam facias personalem continue; & si non es presbyter, ad ordines venias successive, nisi tecum aliter per episcopum fuerit ordinatum.*

Ex concilio Turonensi. Nullus clericus patronis faciat juramentum antequam episcopo sit præsentatus: præsentato autem dum receptus fuerit, districtius injungatur quod ad patronum redeat, & debitum faciat juramentum, quod tale est: *Juro super sancta Dei evangelia, quod præsentationem de me factam ad ecclesiam talem a te tali, & non ab alio, adoptabo; & si quas portiones habes, vel habere consueviſti in dicta ecclesia, nihil tibi de eis per me deperibit fraudulenter, nec per alium me consentiente: sic Deus me adjuvet & hæc sancta.* Sed ne resignationes fiant in manus abbatum vel quorumlibet patronorum, sed in manu episcopi tantum, districtius inhibetur.

Cum quis in minoribus ordinibus ad parochialem [præsentatur] ecclesiam, custodiat archidiaconus sicut ante; & dum promotus fuerit in subdiaconum, se instituendum, & consueta sacramenta facturum episcopo repræsentet.

De firmariis & capellanis.

Statuimus ut firmarii seu capellani quibus ecclesiæ committuntur, obedientiam juramento promittant, quamdiu ecclesiam rexerint, observandam: quod nisi fecerint, penitus expellantur. Quia vero nonnulli parochiales ecclesias assecuti præter conscientiam episcopi vel archidiaconi, a vicariis vel firmariis eorum adeo magnas [summas] exigunt, quod iidem vicarii vel firmarii non possunt de residuo sustentari; statuimus quod de cetero in tradendis ecclesiis ad firmam, & pensionibus imponendis episcopi vel archidiaconi, vel per bonos alios loco ejus, de redituum ecclesiæ quantitate, vocataque persona fiat firmæ taxatio, ut de residuo vicarius vel firmarius ad sui suorumque sustentationem quindecim libras Turonenses habeant præter firmam. Si autem talis fuerit parochia, quod propter sui diffusionem aut plebis multitudinem, duorum egeat officio sacerdotum, ad eorum sustentationem xxii. libras Turonenses dimittere teneatur: & si plures exegerit, juxta episcopi dispensationem eorum sustentationi congrue consulatur, & hoc salvis constitutionibus de veteribus non augendis, a nostris prædecessoribus promulgatis, nisi quantum probari poterit redditus excrevisse, duximus statuendum. Item, firmiter inhibemus ne firmariis committantur ecclesiæ, quarum redditus & proventus tam exiles existunt, ut earum augmentatio exigatur. Hoc idem dicimus de illis ecclesiis quarum fructus & proventus xv. libras Turonenses non excedunt, in quibus volumus proprias personas deservire, vel omnes fructus relinquere servienti. Nullus curam animarum habens vel non sacerdos ecclesiam ad firmam recipiat, nec sacerdos etiam nisi de licentia episcopi vel archidiaconi, dum tamen archidiaconus sollicitudinem super hoc adhibeat competentem, ut de ordinatione ipsius legitime constet ei: quod de quolibet ignoto volumus similiter observari, antequam in diœcesi Cenomanensi officium presbyteri exequatur.

De quæstis.

Ex concilio generali. Nullus recipiatur ad quærendas eleemosynas in ecclesiis sine litteris domini episcopi, nisi parochianus ecclesiæ vel de vicina natus. Nullus recipiatur ad prædicandum, nisi fuerit authentica persona, vel ad hoc ab episcopo destinata. Quæstores quoque eleemosynatum tantum ea dicant populo, quantum in litteris domini papæ vel episcopi continetur. Sacerdos loci populum sibi commissum diligenter inducat ad eleemosynas erogandas pietatis intuitu, non animo extorquendi.

Inhibemus decanis ne cartulas quæstarum mittant presbyteris, nisi sub forma quam sigillo nostro viderint sigillatam, nullo ad-

dito vel mutato : nec eos presbyteri recipiant, nisi sigillo nostro vel decani fuerint sigillatæ.

De leprosis.

Ut leprosis auferatur occasio evagandi, & scandalum de eorum frequentia inter sanos, eis inhibeant sacerdotes, ne leprosos extraneos ultra unam noctem suscipiant hospitio, nec villas intrent, castella, nec civitates: & qui eis injuriatus fuerit in præmissis, nullam inde justitiam reportabunt. Sacerdotes populum moneant diligenter, ut leprosis suis provideant secundum consuetudinem

& si necesse fuerit eos compelli, postulent per decanum.

De testamentis presbyterorum.

Præcipiatur sacerdotibus, ut testamentum suum, quod de mobilibus licet eis facere, rationabile tamen, numquam per manum faciant laïcalem; & ipsi frequenter prohibeant laïcis ne testamenta sua faciant [sine] præsentia sacerdotis. Utensilia quæ prius invenerint presbyteri in ecclesia vel capella, tamquam ecclesiæ propria successoribus, etsi nulla vel pauca invenerint, de iis quæ per eos undecumque fuerint acquisita relinquere tenentur. Ad sustentationem ipsius ecclesiæ tam de minimis quam de magnis inhibeant sacerdotes infirmis, & publice in ecclesia, ne quis plus quam tres gagiarios constituat, alioquin nihil capiet in ejus testamento qui neglexerit inhibere.

Statuimus quod infra decem dies a die obitus testatoris, ad nos vel officium nostrum decanum, gagiarii vel ii ad quos pertinent accedant, secum testamentum, si scriptum fuerit, delaturi; vel si scriptum non fuerit, per eorum sacramentum, quod testator deposuerit probaturi, ut tunc præfati testatoris voluntas in formam publicam redigatur: hoc autem de illis intelligimus, qui summam centum solidorum Cenomanensium excedunt.

Incipiant gagiarii defuncti exequi voluntatem infra mensem, & pro posse suo continue exequantur; & si circa hoc constiterint negligentes, decanis injungimus, ut diligenter & fideliter exequantur.

Item, quia quidam presbyteri cum amicis defunctorum paciscuntur, ut quartam vel quintam de bonis defuncti partem habeant, eis residuum relinquentes, nec curant in aliquo voluntatem exequi testatoris; firmiter injungimus & districte, ut ad exequenda defuncti rationabilia testamenta caritative procedant, benefactum sibi debitum tanta moderatione levantes, ut ex protervitate eorum seu cupiditate nullum scandalum oriatur.

De executionibus mandatorum.

Super citationibus coram ordinariis faciendis, credant presbyteri & decani his qui fidem dederunt de mandato, & judici de citatione certificare procurent. De excommunicationibus vel absolutionibus numquam sine litteris credant, sententias audaciter ferant, latas districte observent, nec timore parcant alicui, vel amore gratis antequam certificent, exequantur quæ in suis parochiis infra quartam partem longe fuerint exequenda, & qui rescribere non poterunt, sigilla sua litteris mandatoris apponant.

Quia nonnulli litteris apostolicis abutuntur, volentes ipsorum fraudibus obviare, statuimus ut qui mandatum alicujus delegati receperit de citando, non faciat quod mandatur, nisi in mandato contineantur expresse nomina judicis, locorum, diœcesis & personarum, & nisi authenticiter ostendatur, vel ejus transcriptum sub sigillo authentico & voto & facto sancto, vel locus in citatorio comprehensi ignoti fuerint citatori, nec de ipsis certificari possit inquisitione diligenti adhibita citare supersedeat, donec nobiscum vel officiali vel decano habuerit consilium, ad quod habendum præcipimus quod festinet: & ne exequi interim compellatur sedem appellet apostolicam, sciens [quod si] propter hujus incertitudinem percitantis incuriam citatos contigerit damnum aliquod incurrere, existimationem damni, prout justum fuerit, eis restitui faciemus.

Statuimus etiam ut judices in nostra diœcesi a sede apostolica non aliter in causis procedant, citando, vel aliquid faciendo, nisi authentico prius exhibito & inspecto ab ipso auctore, si præsens fuerit, jurante coram ipsis, vel coram allocato eorum, quod rescriptum de mandato ipsius exstit impetratum, & quod actionem, quam prosequi intendit, habet, ut credit & credebat, contra eum quem ad judicium postulat evocari, nec eum vexabit alias coram aliis judicibus, ista lite pendente; sicque commendat jus suum ut exequi valeat coram ipsis, honestis tamen personis & gravibus, de quibus nulla potest suspicio suboriri, remitti poterit hujusmodi juramentum. Item quod quibusdam a sede apostolica concessum est aliquid ad justitiam & pietatem, nonnulli in injustitiam convertentes, per litteras apostolicas parochianos suos vel alios coram remotis judicibus in causam malitiose trahendo vexare præsumunt, ut quod de jure non possunt, per fatigationes & expensas valeant extorquere, sub gravi pœna injungimus, quod tam presbyteri quam clerici ab hujusmodi molestationibus & malitiosis vexationibus desistant, sciturі pro certo, quod si contra hoc fecerint, malitiam eorum prout justum fuerit puniemus.

De excommunicatis.

Presbyteros excommunicatos a nobis vel officiali nostro, singulis diebus Dominicis de-

nuntient, & ab omnibus arctius evitari, exponentes populo periculum de participatione cum excommunicatis. Communicantes cum eis post denuntiationem diligenter inquirant, & eis de quibus constiterit quod communicaverunt, ingressum ecclesiæ interdicant. Rotulum etiam habeant, in quo excommunicatorum nomina suæ parochiæ conscribantur: & si ex diversis causis aliquis sit excommunicatus, hoc totum scribatur, & in denuntiatione dicatur. Quicumque jam latam excommunicationis sententiam impetrarit publicari, infra decem dies procuret eamdem publicari, & in signum factæ publicationis, litteram det singularem, ne si diutius suppressa fuerit, non possit postea opponi, sed eo invito absolvatur quandocumque petierit sic ligatus. Si quis vero per quadraginta dies excommunicari sustinuerit, renuntiet presbyter excommunicato, si sit de nostra diœcesi, vel per justitiam sæcularem ad gremium redire sanctæ matris ecclesiæ compellatur, etiamsi eo non absoluto compositum fuerit inter partes.

Item, constitutum est, ut postquam aliquis excommunicatus in sua malitia per viginti dies & amplius perseveraverit, ex tunc presbyter ejus interdicat familiam ejus, & eis divina deneget, donec de excommunicati absolutione liqueat manifeste. Et quia multi excommunicati sunt a canone vel concilio, vel episcopo ipso facto, qui ignorant & a pluribus ignorantur in casibus quos ignorare non debent, eos prima Dominica cujuslibet mensis præcipimus in ecclesia publicari.

Excommunicati sunt a canone, qui in clericos vel quoscumque religiosos manus injiciunt violentas; qui incendunt ecclesiam vel cimiterium; qui litteras domini papæ falsant, vel ad hoc adminiculum præstant, vel falsas scienter penes se ultra quindecim dies reservant; vel qui falsis utuntur, etiam ignoranter, si crassa sit eorum ignorantia & supina, & ad Galonis sententiam recurrunt, talium absolutio sedi apostolicæ reservatur; hoc excepto, quod de levi manuum injectione potest episcopus absolvere, & etiam incendiarios, antequam fuerint per ecclesiam publicati.

Item, excommunicati sunt auctoritate provincialis concilii omnes illi qui parochianos nostros jus suum in foro ecclesiæ prosequentes, vel prosequi intendentes, facto vel verbo impediunt, quominus id libere faciant; qui minas vel terrores seu vexationes eis vel eorum amicis inferunt, vel inferri faciunt, qui bona sua vel amicorum suorum

vel capiunt, vel aliquid in fraudem prædictorum attentant, & illi ad quorum instantiam talia fuerint attentata, & ipsi per episcopum sunt absolvendi.

Item, excommunicati sunt per episcopum in synodo qui jura minuunt episcopalia, vel libertates infringunt ecclesiæ, vel ad hoc consilium vel auxilium præbent; & publici usurarii, & sortilegia de sacramentis ecclesiæ facientes; qui malitiose procuraverunt abortum; qui ad conjungendum, vel disjungendum falso matrimonia, vel ad exheredandum aliquem scienter deponunt testimonium falsitatis; forbanniti qui personis ecclesiasticis mandant difficationes, receptores eorum, & qui eis consilium vel auxilium præbent. Qui in sacris ordinibus constituti & beneficiati in civitate vel diœcesi Cenomanensi ludunt cum deciis causa lucri: qui procurationem accipiunt, nisi causa visitationis ad locum accedant: & hi per episcopum possunt absolvi.

De absolutione.

Devote & cum gravitate est absolutio impendenda. Decani quibus hoc frequenter demandatur, caveant in primis quod plegios accipiant competentes de emenda, & eorum nomina penes se scripta retineant, providentes ne propter defectum plegiorum vel impotentiam, supplere de suo cogantur; & ad hoc idem attendant presbyteri, si sibi fuerit alicujus absolutio demandata. Sæpe contingit, ut excommunicationis littera, post obtentum absolutionis beneficium, remanente apud eum qui impetravit eamdem, fraudulenter objiciatur iterum excommunicatio jam sublata, & tamquam excommunicatus evitatur & repellitur absolutus. Contingit etiam in multorum perniciem ut penes creditorem post solutionem debiti, instrumento remanente, iterum petitur jam solutum quandoque scienter ab eo cui mutuatum extitit, & quandoque per ignorantiam ab herede. His perfidiæ actionibus occurrentes statuimus, ut in absolutionibus impendendis tam excommunicationum quam gravationum litteræ destruantur; nec aliter absolvendus, nec debitor satisfacere compellatur, nisi actor vel creditor solventem vel absolutum instrumento muniat competenti.

Cum aliquis excommunicatus pro defectu est ab ecclesia absolvendus, super hoc pars adversa certificetur, & tunc receptis plegiis de emenda & præstito juramento quod juri parebit, de causa illa propter quam fuit excommunicatus, solemniter absolvatur, verberando eum cum psalmo pœnitentiali, scilicet *Miserere mei Deus, &c.* in fine *Kyrie eleison, Pater noster, Et ne nos, Sed libera. Salvum fac servum tuum Domine, Domine exaudi, Dominus vobiscum.*

Oratio.

Præsta, quæsumus Domine, huic famulo tuo N. dignum pœnitentiæ fructum, ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando: admissorum reddatur innoxius, veniam consequendo. Per Christum, &c.

Et

Et ego auctoritate Dei Patris omnipotentis, & beatæ MARIÆ, *& beatorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum, & domini episcopi, vel officialis, vel decani, te absolvo ab ista excommunicatione, de qua satisfeciſti, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.*

Sciendum est quod excommunicatus etiam a domino papa, a quolibet sacerdote absolvi potest in articulo mortis, satisfactione præmissa, sibi pro offensa vel absoluto prius indicata, si pro re judicata fuerat excommunicatione innodatus; si tamen de hoc habeat facultatem, recepto ab eo juramento, quod quam cito habebit opportunitatem, excommunicatoris sui adibit præsentiam, mandato ipsius pariturus. Si autem infirmus offensam emendare non poterit, vel solvere judicatum, inducendus est heres, ut hoc faciat, & per judicem, non per pœnitentiarium compellendus.

De officio decanorum.

Statuimus ut decani quamlibet sibi subjectam ecclesiam visitent annuatim personaliter & prioratus: & si procurationes voluerint omittere, nullatenus tamen visitationem omittant. Et dum visitant, officium testium synodalium exercentes, inquirant summarie de notoriis criminibus & scandalis ejusdem loci, tam clericorum quam laicorum: & quod per se corrigere non poterunt, episcopo referant infra mensem, ut secundum eorum relationem ad plenam inquisitionem descendat episcopus & corrigat, ut viderit expedire. Inquirant etiam utrum ecclesiis vel prioratibus impositæ novæ fuerint provisiones ab abbate, vel aliquo alio, absque consensu episcopi; & quod invenerint, episcopo renuntient fideliter absque mora. Et hanc inquisitionem extendi volumus ad exemtos, de quorum privilegiis fuerit dubitatum: & qui ea ostendere noluerint sicut debent, pro exemtis nullatenus habeantur, nec inquisitionibus supradictis... vero aliis in judiciis.

Ad officium decanorum pertinere censemus, ut dominos sæculares, qui dominicis diebus & festis beatæ MARIÆ nundinas statuunt congregare, moneant & compellant, si necesse fuerit, monitione præmissa, ut eas ad dies alios studeant assignare, cum in diebus prædictis non possint sustineri sine periculo animarum. Universis decanis præcipimus, in virtute obedientiæ districtius injungentes, quatenus eorum quilibet presbyteros sibi subjectos quater in anno ad suam vocent præsentiam, ubi & quando viderint expedire, ut ibi singulos libros suos synodales perfectos & correctos afferant, & in eorum congregatione legat unusquisque aliquam libri particulam quam decanus jusserit injungendam; ita ut in quatuor vocationibus supradictis totus liber legi valeat & exponi. Eos autem qui ad vocationem decani cum libro non venerint synodali, remittat decanus episcopo suspensos ab officio, nisi legitime fuerint excusati.

De constitutione presbyterorum.

Sciant decani presbyteros parochiales interdicere posse, & arcere ab ingressu ecclesiæ tabernarios & eorum familiam, recipientes in tabernis conventicula potatorum de eadem parochia, & eos qui tenent publice concubinas, & condonatos religiosorum locorum, videlicet domus Dei & leprosariæ, qui signum condonationis deferre recusant; & communicantes excommunicatis, & familiam excommunicati, si plus quam per viginti dies in sententia fuerit obstinatus. Monere etiam possunt & excommunicare eam in casu recredentiæ, cum res vel homo ecclesiæ detinetur, prout hæc omnia colligi possunt ex prædictis, in locis de ista materia facientibus mentionem. Permittimus etiam ut interdicere possint ingressum ecclesiæ, & ecclesiastica sacramenta denegare per consequens post octavas paschæ omnibus illis, qui solvendo negligentes fuerint, & denarium beatissimi Juliani non reddiderint, vel alios paschales denarios, ne pro quatuor vel quinque denariis litigando incurrant ipsi grave dispendium vel subjecti: unde si quis presbyter aliquam talem sententiam tulerit, eam non revocet decanus neque superior, sed eam faciant usque ad satisfactionem condignam firmiter observari.

Nova constitutio.

Romana ecclesia, &c. . . . . nec appellationis articulo prætermisso, nec alias etiam cum minime appellatum constitit, Remensis archiepiscopus vel ejus officialis de causis clericorum tamquam judices laici in ipsos iidem clerici de facto consentiant absque diœcesanorum suorum voluntate cognoscant, neque suffraganeorum Remensis ecclesiæ subditos ipsorum delegationem suscipere, vel sententias & præcepta exequiant in causis per appellationem ad eos testimonium, nisi aliud in his tribus de consuetudine obtineat prohibere compellant. Nec etiam suffraganeorum ipsorum officiales vel archidiaconos, archipresbyteros, alioque inferiores prælatos suffraganeis eisdem subjectos suffraganeorum ipsorum super salariis advocatorum & procuratorum in causis quæ in Remensi ventilantur curia cogant querelantibus in sua præsentia respondere.. Contrahentes vero aliarum diœcesum super contractibus initis in diœcesi Remensi ab eisdem ubi inveniantur ibidem trahere coram se non debent invitos, licet in possessionem bonorum quæ ibi habent, etiam cum alibi copiam sui faciunt, si eorum auctoritate citati comparere contemnant, possunt missionem fa-

cere contra eos: vel ſi forte malitioſe ſeipſos occultent, ne citatio perveniat ad eoſdem, decernere faciendam impoſitionem bonorum, quæ in alia dioeceſi obtinere noſcuntur: ſed tunc loci dioeceſanus ad denuntiationem ipſorum faciet hujus remiſſionem. Nec clericos ſuos mittant ad ſuffraganeorum dioeceſium... promendis vel cognoſcendis contractibus coram ipſis, nec in eorumdem ſuffraganeorum ſubditos, pro eo quod vocati ab eo nolunt querelantibus in ſua reſpondere præſentia, eccleſiaſticam exercere cenſuram.

Sequuntur dies feriandi per annum in diœceſi Cenomanenſi.

Januarius. Circumciſio Domini. Epiphania Domini. Beatiſſimi Juliani.

Februarius. Purificatio B. Mariæ Virginis. Mathiæ apoſtoli.

Martius. Annuntiatio B. Mariæ Virginis.

Maius. Philippi & Jacobi. Inventio ſanctæ Crucis.

Junius. Gervaſii & Prothaſii. Nativitas B. Johannis-Baptiſtæ. Petri & Pauli apoſtolorum.

Julius. Viſitatio B. Mariæ Virginis. Mariæ Magdalenæ. Jacobi apoſtoli.

Auguſtus. Transfiguratio Domini. Laurentii martyris. Aſſumtio B. Mariæ Virginis. Bartholomæi apoſtoli. Decollatio B. Johannis-Baptiſtæ.

September. Nativitas B. Mariæ Virginis. Exaltatio S. Cruçis. Matthæi apoſtoli.

October. Michaëlis in monte Tumba. Simonis & Judæ apoſtolorum.

November. Feſtum Omnium-ſanctorum. Martini archiepiſcopi Turonenſis. Catharinæ Virginis. Andreæ apoſtoli.

December. Nicolai epiſcopi. Conceptio B. Mariæ Virginis. Thomæ apoſtoli. Nativitas Domini. Stephani protomartyris. Johannis Evangeliſtæ. Innocentium. S. Silveſtri.

Sequuntur feſta mobiliæ.

Dies paraſceves. Feſtum paſchæ cum tribus diebus ſequentibus. Dedicatio eccleſiæ, lunæ poſt Quaſimodo. Item, dedicatio cujuſlibet particularis eccleſiæ. Aſcenſio Domini. Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus ad minus. Feſtum conſecrationis corporis Chriſti. Item, in qualibet parochia feſtivitates ſanctorum in quorum honore eccleſia eſt fundata. Ceteræ feſtivitates ſanctorum non ſunt cogendæ, ſed monendæ, ſecundum morem antiquum obſervari.

Explicit.

CE SONT LES ESTATUTS ET CONCILES provinciaux & ſynodaux, qui ſont à lire ès ſix Dimanches ordonnés. Premierement, le Dimanche de l'Avent, le Dimanche après l'Epiphanie, le premier Dimanche de Carême, le Dimanche de la Paſſion, le Dimanche après la Pentecôte, le Dimanche après la mie-Aouſt.

PRemierement, nous admoneſtons par la vertu du concile provincial tenu à Chateau-Guntier, tous ceux, ſoient baillifs, lieutenans, ſénéchaux, ou autres officiers des ſeigneurs temporeux, qui ont fait publication & deffences, ou en apert ou en privé, que l'un ſubget ne traite l'autre en cour eccleſiaſtique, ou mettre aulcuns des cauſes dont l'Egliſe peut connoître, tant de droit que de couſtume; que dedens deux moys enſuivant après l'amonition, revoquent & annullent teles publications, inhibitions & deffences, aultrement ils ſeront denotez excommuniez. Et ſi aulcuns avoient ſoûtenus leſdites monitions autrefois faites, nous les publions pour excommuniez.

Item, nous ammoneſtons tous couſtumiers, leneurs, detrehuz paſſaiges & autres exactions, tant ſur mer que ſur terre, que ne mettent les mains en cleres; preſtres, ou aultres perſonnes eccleſiaſtiques pour aucune coutume, payage, ou autres actions, à cauſe de leurs biens, qui ſont menex par eau ou par terre. Et ſi aulcuns ne s'en ſont abſtinez, après les monitions autrefois faites, nous les denoncions pour excommuniez de l'autorité deſdits conciles provinciaux & ſynodaux.

Item, nous ammoneſtons tous juges ſeculiers, que ne connoiſſent des cauſes eſpirituelles, ſur peine d'excommunie; & ſi dedans un mois après l'ammonition faite, n'ont ceſſé, nous les denonçons pour excommuniez de l'autorité deſſuſdite.

Item, nous denonçons pour excommuniez tous ceulx & celles qui mettent les mains en preſtres & en cleres, tant de l'autorité du droit, que des ſaints conciles.

Item, nous deffendons à tous ceulx qui font citer frauduleuſement l'un l'autre, ou tranſportent leurs actions à privilaiges frauduleuſement, pour travailler leurs debteurs, attendu qu'ils ont bonne juſtice devant l'ordinaire, que doreſnavant ils ne facent tele abus; autrement s'il ne s'en ceſſent dedans un moys après la lecture de ce préſent concile, ils encourent ſentence, & les publions pour excommuniez.

Item, nous faiſons aſſavoir, que tous ceulx qui mettent les mains en eveſques, abbez, abbeſſes, ou ceulx qui ont mis le feu en leurs maiſons ſciemment, ſe ils ſont cleres bé-

neficiez, ils ſont privez de leurs benefices; s'ils ſont lays, leurs enfans ſont privez de prendre la premiere tonſure; & les enfans juſqu'au tiers degré, & de toutes ordres de preſtre & benefices par toute la province de Tours.

Item, nous denonçons pour excommuniez, tous ceulx & celles, qui ſe efforcent de mettre hors de lieu ſaint ceux qui ſe ſont rendus audit lieu pour franchiſes, & qui font aucune violence, tumultes, noiſes, ou ſcandales en l'egliſe ou lieu ſaint, par quoi le divin ſervice peut être empeſchié.

Item, nous denonçons pour excommuniez tous ceulx & celles, qui empêchent les oblations deuës aux curez, & qui deſtourbent les bons Chreſtiens à faire leur oblation ſelon leur devotion, où ils ont de coutume en leurs egliſes parochiales.

SUMMA
CONCILII CONSTANTIENSIS
addenda ad pag. 1225.

Ex mſ. illuſtriſſimi domini Jolli Floridi ſummi regii procuratoris.

CUm magnum & horrendum ſchiſma quod cœpit in Urbe poſt obitum Gregorii XI. anno 1378. jam annis triginta perduraſſet, & ſecundum opinionem Gallorum per tumultum & oppreſſionem Romanorum electus fuiſſet Bartholomæus archiepiſcopus Barrenſis, qui ſe URBANUM nominavit, & deinde per eoſdem cardinales, qui ab eo receſſerant, aſſerentes eum per metum electum, fuit electus Robertus cardinalis Gebennenſis, CLEMENS VII. dictus, originem ſumſit illud magnum & famoſum ſchiſma, cui nullum ſimile, neque temporis diuturnitate, neque cauſa, nec rei dubietate, neque regnorum & provinciarum poteſtate. Clementi obediebant omnis Gallia, ab Alpibus incluſive uſque ad oceanum Britannicum, præter Flandriam, Hannoniam, Brabantiam, & Leodium. Item omnes Hiſpani, præter Portugallenſes. Item Scotia, Cyprus, Rhodus, Majorica & inſulæ Hiſpaniarum, & tamdem Janua. Urbano verò cetera regna & provinciæ, ut pote Italia cum ſuis inſulis, omnis Allemannia, Hungaria, Polonia, & Anglia. Urbanus ſedit Romæ, Clemens Avenioni. In parte Romana uſque ad concilium, fuere quatuor, Urbanus VI. Bonifacius IX. Innocentius VII. & Gregorius XII. In parte Avenionenſi duo tantum, Clemens VII. qui ſedit fere annos XVI. & Petrus de Luna de Aragonia. Cum autem prædictum ſchiſma annis triginta duraſſet, & dicti Benedictus & Gregorius cedere promiſiſſent & juraſſent, aſſignato loco Savonæ ad conveniendum pro ceſſione, inſtante tempore conventionis tot & tantas præſtandarum ſecuritatum difficultates uterque per colluſionem invenit, quod non convenerunt: quibus per cardinales utriuſque obedientiæ conſideratis, ab eis receſſerunt. Et Petrus de Luna, dictus Benedictus, fugit in Aragoniam ad Perpinianum de Portu-Veneris propter metum regis Francorum, qui ei ſubtraxerat obedientiam. Angelus vero, dictus Gregorius, retroceſſit Senas. Tunc prædicti cardinales utriuſque obedientiæ convenerunt, & concorditer Piſanum concilium celebrarunt, in quo Benedictus & Gregorius depoſiti fuerunt, & electus in papam cardinalis Mediolanenſis PETRUS DE CANDIA ordinis Minorum, qui ALEXANDER V. eſt dictus. Verum Petro de Luna omnes Hiſpaniæ, præter Portugalliam; Angelo vero regnum Siciliæ, Neapolitanum, & Carolus Malateſta cum terris quas tenebat, & omnes duces Bavariæ, atque archiepiſcopus Trevirenſis & terræ illi ſubjectæ obediebant, dicta depoſitione non obſtante. Rex tamen Siciliæ LADISLAUS poſtea illum Gregorium repulit, & venit ad obedientiam Johannis XXIII. per certa pacta inter eos inita. Et quia electione Alexandri Piſis celebrata, aliud concilium fuit per Alexandrum, concilio approbante, continuatum per triennium in loco per pontificem declarando, prædictus Alexander anno nondum revoluto Bononiæ obiit. Electus fuit BALTHASAR COXA cardinalis S. Euſtachii, Bononiæ legatus, qui JOHANNES XXIII. eſt dictus: quam electionem fama eſt fuiſſe vitioſam, & quantum ad merita perſonæ certam. Qui Johannes ſubſecutus decretum Piſani concilii, inſtante tempore convocavit generale concilium Romæ ad calendas Aprilis MCCCCXI. Sed tam propter loci diſtantiam, quam propter viarum pericula, cum undique prope Romam bella eſſent, nec foret tutus acceſſus, nullus acceſſit. quæ impedimenta, ut dicebatur, idem Johannes procurabat & fovebat, ne fieret concilium. Demum Roma capta, curiaque repente fugata per Ladiſlaum Siciliæ regem, non ſine latiſſima culpa dicti Johannis papæ, ipſoque cum curia ſua exeunte, Florentiæ ſereniſſimus princeps SIGISMUNDUS Romanorum & Ungariæ rex, miſit ad eumdem papam legatos, poſtulans ſibi dari auctoritatem convocandi generale concilium, & eligendi locum & tempus.

Cardinales autem videntes quod ſolus papa refugiebat concilium generale, tantum inſtarunt apud eum, quod miſit ad curias in Italia cardinales de Chalanto & Florentinum, cum poteſtate eligendi locum & tempus concilium celebrandi de conſilio & conſenſu dicti regis; & ita die Lunæ penultima Octobris MCCCCXII. in eccleſia ſancti Stephani, loci qui dicitur Viglus aliàs Rumam Mediolanenſis diœceſis, poſt octodecim dierum conſultationem, civitatem Conſtantienſem provinciæ Moguntinæ, pro celebrando concilio

delegerunt, ad cujus initium declararunt futurum in calendis Novembris sequentis anni.

Et post idem Johannes XXIII. in civitate Laude cum rege Romanorum conveniens, hujusmodi loci electionem ratam habuit, & per litteras datas Laude VI. idus Decembris, anno quarto concilium indixit dicto loco & tempore inchoandum: in quibus litteris universos & singulos patriarchas, episcopos, electos, & ceteros ecclesiarum & monasteriorum prælatos requirit, hortatur & monet, in virtute & juramenti præstiti & sanctæ obedientiæ, mandando eisdem, quatenus personaliter, reges vero, principes, duces, marchiones, & reliquos, qui concilio interesse, vel qui prodesse debent quoquomodo per viscera caritatis J.C. intimatum fuerit, hortatur quatenus pro pace ecclesiæ & omnium Christianorum tranquillitate, etiam personaliter, vel si personaliter non possint, per solemnes oratores debito tempore in dicta civitate convenirent, ut sic congregata fidelium multitudine copiosa, quæ in dicto concilio agenda forent, Deo auctore & adjutore ordinarentur salubriter. Hanc concilii indictionem & loci electionem tam pontifex quam imperator prælatis & principibus intimarunt, & imperator in suis litteris dixit, *se cum apostolicæ sedis legatis locum concilii elegisse.*

Post decretam convocationem concilii, papa cum sua curia in principio quadragesimæ rediit Bononiam, & mense Augusto sequenti obiit LADISLAUS rex Siciliæ, qui Romam cum patrimonio & terras ecclesiæ, præsertim in Thuscia occupaverat. propter quod papa volebat adire Urbem, ad illam & terras ecclesiæ recipiendas. Sed cardinales timentes, quod si illuc venisset, non reverteretur ad concilium, & concilium non fieret, nec procuraretur unio & reformatio ecclesiæ; uni restitere, & omnes concordes institerunt verbis & scriptis, quod negotia ecclesiastica & spiritualia, videlicet concilium in persona ageret, temporalia vero per vicarios & legatos: quibus libenter annuit.

Die I. Octobris MCCCCXIV. Johannes XXIII. ex Bononia ad concilium venit, & Ferrariam navi delatus, cum Veronam perveniisset, N. S. Ceciliæ presbyterum, & P. SS. Cosmæ & Damiani diaconum, S. R. E. cardinales Constantiam præmisit, ut ea cum oratoribus regis Romanorum & civibus ordinarent, quæ pro receptione sanctissimi domini nostri, & celebratione concilii forent necessaria: qui XVIII. mensis Octobris Constantiam pervenere.

De licentia & mandato Romanorum regis, per Collossensem archiepiscopum ejus oratorem, Constantiæ publice convocato concilio, civitates, officiales civitatis promiserunt & juraverunt infrascripta capitula, Jo. de Prendebenis de Monte-Politiano, & Barth. de Sante de Pisis nomine papæ acceptantibus.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus-sancti. Primo magistratus & officiales & cives principales, eorum & totius universitatis civitatis Constantiensis nominibus, & syndici ad hoc eligendi, promittent & jurabunt, quod recipient S. D. N. papam cum honorificentia & cerimoniis consuetis Romano pontifici exhiberi, & eum tenebunt & tractabunt ut verum & unicum papam & summum pontificem, & defensabunt ipsum in libertate sua, ita quod semper & omni tempore licebit ei stare in dicta civitate & ab ea recedere, non obstante quocumque impedimento.

Item, promittent quod D. N. papa per se & suos officiales suam jurisdictionem libere exercebit: ita quod tam ipse, quam officiales sui ad hoc deputare libere poterunt, ministrare justitiam inter omnes & singulos curiam Romanam sequentes, tam in spiritualibus, quam in temporalibus.

Item, quod dicti magistratus reverenter recipient & tractabunt dominum papam, cardinales, & omnes alios curtisanos & Romanam curiam sequentes.

Item, promittent dicti magistratus, quod si aliquis eorum juridictioni subjectus contra aliquem ex curtisanis seu curiam Romanam sequentibus, vel qui essent ibi causa concilii, delinquerent vel excederent, ipsi facient vel fieri facient celerem justitiam, & similiter facient officiales D. N. papæ, si aliquis ex curtisanis seu Romanam curiam sequentibus excederet contra civem, vel aliquem eorum jurisdictioni subjectum.

Item, quod dicti magistratus observabunt & observari facient omnem salvum conductum, quem D. N. papa, aut ejus camerarius, seu apostolicam cameram regens faciet cuicumque personæ, nec illum infringent, aut violabunt aliqua causa vel occasione, seu quovis quæsito colore, dummodo non sit rebellis aut hostis civitatis.

Item, promittent dicti magistratus pro eorum posse per eorum territorium & obedientiam suam vias securas & apertas, ita quod omnes venientes ad concilium seu ad curiam, aut recedentes ab ea, libere & tute, absque alicujus offendiculo possint recedere vel venire, &c.

Die XVIII. papa ingressus monasterium prope mœnia urbis Constantiensis pervenit, & XXIX. urbem est ingressus.

Indicta prima sessione concilii ad diem tertiam Novembris, papa repentina quadam perturbatione & doloribus correptus, coactus est ad cameram redire, qua propter dilata est sessio ad diem XVI.

In prima sessione in primis celebrata missa de Spiritu sancto per Jo. episcopum Candidæ de Utsinis, & cantatis letaniis, & aliis orationibus specialiter ordinatis, papa habuit sermonem, sumens exordium *Verita-*

tem diligite Zachar. 8. & auctoritatibus novi & veteris teſtamenti hortatus eſt omnes ad meditandum & ſolerter inſiſtendum ſuper ordinandis his quæ ad eccleſiæ pacem & ſtatum pertinent; & deinde per F. SS. Coſmæ & Damiani cardinalem diaconum in eminenti thalamo, ubi papa ſedebat, lecta eſt cedula, continens quod alias pro executione eorum quæ decreta fuerant in concilio Piſano, convocatum fuerat generale concilium per litteras cujus tenor inſerebatur. Et lectus fuit. Et quod Dei adjutorio cum S. R. E. cardinalibus & curia venerat conſtituto tempore, & quia res ardua erat, nec propriis viribus aliquid præſumendum, ſed Dei adjutorio confidendum, ideo a cultu divino inchoantes, ordinatam fuiſſe miſſam ſpecialem, datæque indulgentiæ illam celebrantibus, exhortatique prælati, ut illam ſingulis hebdomadis celebrarent: exhortati etiam omnes habentes peritiam litterarum, ut diligenter conſiderarent quæ tractanda forent in concilio, & ſpecialiter contingentia errores Johannis Wiclef, necnon concernentia reformationem & optatam tranquillitatem eccleſiæ. ut etiam modus in proceſſu ſervandus notus foret, in eadem cedula erat inſertus & lectus fuit tenor canonis Toletani, quod incipit *In loco benedictionis* &c. Deputati etiam fuere in eadem cedula miniſtri & officiales concilii, videlicet quinque notarii, qui curam haberent ſpecialem videndi omnes ſcripturas, quæ in concilio fierent, & ordinatis ſe ſubſcriberent, & hi nomine papæ & alii quatuor nomine concilii, qui primis ſubalternarent, unum ex baronibus Romanis de Urſinis concilii cuſtodem, quatuor decretorum doctores votorum ſcrutatores, quorum unus fuit auditor cameræ, unus auditor Rotæ & unus ſcriptor apoſtolicus, alius vero canonicus Romanus, cum quibus duo ex notariis & duo ex ſcribis ſemper adeſſent; quatuor advocati concilii & fuerunt Petrus de Anchorano, Simon de Peruſio, Raphael Fulgoſius, & Ardiconus de Novaria. Duo procuratores & promotores concilii, & quatuor ordinatores ſedere debentium. Lecta ſchedula, & interrogati omnes per eumdem cardinalem an ſuprædictæ ſynodo placeret, & reſponſum *Placet*, & unus ex procuratoribus petiit per protonotarios deputatos de prædictis publica confici inſtrumenta.

Cum Joh. Dominici XIX. Novembris Gregorii XII. nomine ad concilium veniſſet, & inſignia Gregorii valvis hoſpitii ſui affixiſſet, his nocte amotis, diſceptatum eſt an reſtitui deberent, & variatis votis, demum reſolutum, niſi ipſe acceſſerit, non repetenda, nec affigenda in aliena obedientia.

In congregatione prælatorum fuit propoſitum quod confirmarentur acta concilii Piſani, in quo ejecti fuerunt pontificatu Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus Corrario Gregorius XII. in ſuis obedientiis nuncupati & omiſſum velut ſupervacaneum, ex quo illi non derogabatur, & quod poſſet afferre impedimentum unioni & reformationi. omiſſum etiam fuit propoſitum quod decerneretur non valere ea quæ papa facit die aſſumtionis ſuæ in officiorum & prærogativarum datione, ac beneficiorum collatione, & reducere officiales curiæ ad numerum & obſervandum ea quæ erant ante ſchiſma, & nihil deliberatum.

Prætendens archiepiſcopus Biſuntinus ex privilegio eccleſiæ ſuæ conceſſo, papam in prima viſitatione teneri ſibi per tres paſſus occurrere, papa id recuſans, Placentino & Aquileienſi cardinalibus cauſam commiſit.

Rex Romanorum qui die XXIV. Decembris Conſtantiam venerat, die XXIX. papa cardinalibus & prælatis congregatis, legi fecit per eum geſta pro unione eccleſiæ, quæ lectio ad tres horas duravit. Deinde propoſuit admittendos oratores & nuncios Benedicti & Gregorii; expectandos prælatos & oratores regum Franciæ, Angliæ, & aliorum principum; & deputandum aliquos ex cardinalibus, prælatis, doctoribus & magiſtris, cum quibus ea quæ ad reformationem ſtatus eccleſiæ & ſacri imperii valerent tractare, ſuper quibus papa ad deliberationem concilii ſe retulit.

Ex eo quod Romanorum rex quemdam Martinum oratorem ad concilium ducis Mediolani prænuncium obvium habens, verbis terruerat, dicens: *Quid hic agis Martine?* Et illo reſpondente: *Ad majeſtatem tuam venio.* Rex vero replicarit: Explorator adveniſti, niſi pontificis reverentia me teneret, *laqueo juberem te ſuſpendi*, & deinde eum carceribus mancipaverit; a multis reclamatum eſt, non fore liberum concilii locum, minuſque futura libera patrum vota. Qua propter multis ſe rex excuſavit, ſubjiciens hæc minora reformationem eccleſiæ & Romani imperii non impedire, propter quæ erat concilium congregatum, & demum conceſſa omnibus libertas veniendi, recedendi, & vota dandi, &c. etiam nonobſtante rebellione imperii Dei contemplatione, cujus res agebatur. Et quia omnes conquerebantur de domorum ac victualium caritate & penuria; quatuor per regem Romanorum, & quatuor per cives Conſtantienſes ſunt deputati, qui communi concilio domorum penſiones, & victualium pretia, prævia diſcretione, moderarentur.

Die XII. Januarii MCCCCXV. archiepiſcopus Moguntinus armatus & veſtitus veluti [coloris] rubei veſtibus, cum cc. armigeris præcedente vexillo cum ejus armis & de latere enſis ingreſſus eſt Conſtantiam, cui obviam occurrerunt cardinalis Barrenſis magiſter hoſpitii papæ, & Bertoldus de Urſinis.

Eadem die Fr. Johannes Dominici tituli S. Marci, a Gregorio ad concilium transmissus est Constantiam, altercantibus votis & variantibus, an admitti deberet ut cardinalis, ex eo quod a concilio Pisano fuerat depositus, & cum rex Romanorum ad eum extra urbem venisset, scisciturus an aliquid boni afferret pro unione ecclesiæ, cum diceret hac de causa venisse, & bonam spem daret, admissus est ut cardinalis.

Die Jovis VII. Februarii, dum in congregatione Gallicana proponeretur, an per nationes procedi deberet in agendis in concilio, an vero per voces sive capita, fuit obtentum quod per nationes, sicut fuerat determinatum per nationes Germanicam & Anglicanam, quod optimam spem dedit unionis ecclesiæ.

Per regem Romanum fuit promissum oratoribus Benedicti XIII. & regis Aragonum, quod arx Villæfrancæ, quo erant venturi Benedictus & rex, tractaturi cum rege Romanorum de unione ecclesiæ, traderetur per comitem Sabaudiæ in manus illorum & subditi, remisso eis juramento, eisdem Benedicto & regi Aragonum præstarent fidelitatis juramentum, dummodo oratores ipsi promitterent quod restitueretur & juramentum remitteretur.

Secunda sessio habita est die 2 Martii 1415. in qua Johannes XXIII. obtulit cessionem papatus, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus Corrario Gregorius XII. in suis obedientiis nominati, papatui quem prætendunt, simpliciter cedant.

Cum cardinalis S. Angeli XIV. Martii portam civitatis Constantiæ versus Italiam recreationis vel potius tentandi causa, an liber pateret exitus, egredi vellet, non est permissus egredi, quod occasionem dedit papæ reclamandi violatos salvos conductus, nec locum esse liberum. Cum rex Romanorum papæ excusasset custodiam portarum, ea ratione, ne illis intrati prælati recederent, non animo violandi salvum conductum, cum rex ipse nec prædecessores sui umquam proditores fuerint, idque factum de consilio & assensu plurimorum ex patribus concilii, Salisberiensis & Rigensis episcopi professi sunt se ex his fore quorum consilio id factum fuerat. Excanduit papa quod tales deliberationes eo inscio fierent.

Cum in congregationibus disceptaretur an prælatis pauperibus danda esset licentia recedendi, fuit conclusum, quod his qui forent in concilio opportuni non daretur licentia; sed de communi eis provideretur, non opportunis daretur licentia.

Cum per tres nationes Germanicam, Italicam & Gallicam, decretum fuisset non dissolvendum nec transferendum concilium, constituendosque per papam procuratores ad renunciandum; timens papa se ab his cogi, nocte quæ secuta est diem Jovis XXI. Martii, mutato habitu, navi per Rhenum Scaffusam se contulit. Cum per nationes ordinandum fuisset habendam sessionem absente pontifice, domini Cameracensis & Florentinus cardinales statuerunt, interesse sub spe quod papa grata & rata habiturus foret quæ in ea rite & recte gesta forent. Venetiarum vero & Aquilegiensis negarunt se interfuturos, nonnulli excusarunt infirmitatem; De Columna vero, S. Angeli, & de Comitibus, clara luce de Constantia Scaffusam venerunt.

Post recessum papæ habita est III. sessio die 25 Martii & in ea decretum ac declaratum synodum esse rite & recte convocatam, initiatam, & celebratam: quod per recessum papæ & prælatorum non censeretur dissoluta, quod non deberet dissolvi usque ad exstirpationem schismatis, ecclesiæ reformationem in fide & moribus, in capite & in membris, quod concilium non transferatur ad alium locum, nisi ex causa deliberanda in concilio, quod prælati non recedant, nisi ex causa examinanda per deputatos & de illorum licentia.

Cum papa ex Scaffusa *Brisach* se contulisset post fugam ex *Brisach*, & Burgundiam frustra tentatam, fuit ex *Brisach* sub custodia de mandato concilii ad *Friburg* reductus.

In congregatione pro parte cardinalium fuit petitum, quod ipsi pro una natione computarentur, & quod in litteris quæ pro parte concilii scriberentur, fieret de ipsis mentio, quod minime impetrarunt.

Rex Romanorum in concilio sedebat dalmatica & pluviali vestitus, diademate coronatus, sceptrum, pomum aureum, ac ensem per tres proceres gestari faciens.

Die XXX. Martii habita est sessio IV. in qua decretum fuit quod synodus in Spiritu-sancto legitime congregata concilium faciens, ecclesiam catholicam repræsentat, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiam papalis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad exstirpationem schismatis, & reformationem generalem ecclesiæ in capite & in membris; quod papa, Romana curia, & officia publica, vel eorum officiarios de civitate Constantiæ non transferet, cum decreto irritante, quod translationes prælatorum, privationes, monitiones, censuræ & alia quæcumque contra adhærentes concilio in illius præjudicium, sunt nulla & irrita ipso jure; quod eligerentur tres qui cognoscerent de causis recedere volentium, quod non creentur novi cardinales, nec pro cardinalibus habeantur, qui non essent cardinales publice reputati & tenti in recessu papæ e Constantia.

Quinta sessio habita fuit die sabbati VI. Aprilis, & in ea repetita decreta prioris sessionis, aliquibus verbis additis. Cum enim di-

cebatur quod omnes obedire tenentur in his quæ pertinent ad exſtirpationem ſchiſmatis, &c. additum eſt, quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus ſeu præceptis hujus ſacræ ſynodi, & cujuſcumque alterius generalis concilii legitime congregati, ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contemſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo. Item, declaravit quod Johannes papa & omnes prælati & alii ad concilium vocati, & in eo exiſtentes in plenaria libertate fuerunt & erant, & id teſtificari dictum ſacrum concilium coram Deo & hominibus.

Sexta ſeſſio habita eſt xvii. Aprilis, & in ea approbatum procuratorium ſuper ceſſione papatus per Johannem XXIII. faciendum, & decretum dictum papam teneri ad faciendum dictum procuratorium, & per concilium denominati, qui deberent procuratores conſtitui. Deputati legati ad requirendum papam ſuper procuratorio faciendo, & requirendum quod veniret ad concilium, & offerrent ſecuritates debitas, & quod ſuper ſederetur a proceſſu, donec haberetur reſponſio, & a citatione ceſſaretur, ſi promiſſa impleret. Quod vicecancellarius ſignet ſupplicationes conſiſtoriales de juſtitia, partibus auditis; alias procederetur contra eum, prout juris fuerit. Dati commiſſarii contra Johannem *Hus*, qui etiam reciperent relationem dominorum cardinalium Cameracenſis, S. Marci, & Florentini de proceſſu facto ſuper condemnatione librorum & articulorum tam 45. in Pariſienſi & Pragenſi, quam 260. in Oxonienſi ſtudiis facta, necnon ſuper condemnatione memoriæ Jo. *Wicleff*, ac confirmanda ſententia lata in concilio Romæ ſuper condemnatione & combuſtione librorum ejuſdem, ac decreta citatio contra Hieronymum de Praga, & cum dictus Hieronymus per cedulas valvis eccleſiarum affixas ſe obtuliſſet, obtrectatoribus crimen hæreſis ſibi objicientibus publice reſponſurum, dummodo advenienti ſibi ſalvus conductus daretur, in citatione datus eſt ſalvus conductus ſub his verbis: A violentia, juſtitia ſemper ſalva, omnem tibi ſalvum conductum noſtrum, quantum in nobis eſt & fides exigit orthodoxa, tenore præſentium offerimus, & plenius aſſignamus. Facientibus famoſos libellos contra exiſtentes in ſacro concilio indicta eſt pœna excommunicationis & carceris, litteræ inſuper decretæ principibus & aliis referentes geſta & acta concilii.

Septima ſeſſio habita eſt die Jovis 2. Maii & eſt decreta citatio contra Johannem XXIII. quæ ſubſcripta fuit per quatuor notarios quatuor nationum, & ſigillis quatuor prælatorum dictarum quatuor nationum munita.

Cum rex Romanorum bellum indixiſſet Federico Auſtriæ duci, ex eo quod noctis tempore abduxiſſet papam a concilio, & per eum non ſtetiſſet, quin per talem fugam fuiſſet diſſolutum concilium; & ex eo quod multos epiſcopos, abbates, eccleſiaſticos, ac etiam dominos temporales nobiles, viduas, orphanos hæreditariis bonis ſpoliaſſet; cumque juraſſet rex ſe numquam facturum pacem vel treugam cum eo, fuit diſceptatum, an ſi dictus Fedéricus peteret veniam & ſtare vellet judicio & ſimplici verbo regis & concilii, rex eſſet perjurus, ſi eum ea forma reciperet in gratiam, & concluſum quod non, quia his verbis ſimpliciter reciperet eum ad miſericordiam, & tamquam hominem captivum & dominum ejus captivum; & ſic his conditionibus Federicus receptus eſt in gratiam regis. Formula vero concordiæ talis eſt.

Nos Federicus, *&c. recognoſcimus, quod cum in ſereniſſimi principis* Sigismundi *indignationem inciderimus, venimus propria in perſona ad conſpectum dicti domini regis Conſtantiam, & nos, perſonam noſtram, territoria, homines, civitates, fortalitia, & quidquid habemus & tenemus, nihil excepto, ad ſuam regalem gratiam dedimus, & poſuimus, & damus & ponimus taliter, quod ipſe nobiſcum cum eiſdem facere & dimittere poſſit pro ſuo regalis debito voluntatis; quodque etiam ſi quælibet perſona vel perſonæ eccleſiaſticæ vel ſaculares, nobiles & ignobiles in quacumque dignitate vel gradu conſtitutæ, nemine excepto, contra nos habent occaſiones pro quacumque cauſa, nulla excepta, hoc totaliter poſuimus & dedimus in arbitrio dicti domini regis, ſic & taliter quod quidquid ipſe dominus rex juſſerit, dictaverit, aut ordinaverit pro ſua voluntate per nos erga quemlibet faciendi, quod illud facere, adimplere, & finire debemus, & volumus abſque omni dilatione & contradictione. Debemus etiam facere & procurare papam Johannem ad Conſtantiam, aut alibi quo dominus rex voluerit, præſentare, aut facere præſentari ad manus & poteſtatem dicti domini regis & ſacri concilii quod præſentialiter Conſtantiæ celebratur. Speramus juxta verbum regium deſuper nobis factum, quod dictus papa Johannes & omnes qui ſecum Conſtantiam aut alium locum deputandum venerint, ſuarum vitæ & rerum ad eos pertinentium, quas ſecum ad locum hujuſmodi duxerunt, ſint ſecuri. Et ſi dictus dominus papa Johannes depoſitus fuerit vel ceſſerit, tunc in voluntate prædicti concilii ſtabit, quomodo eidem de ſuo ſtatu provideatur. Nos enim volumus & debemus in oſtagio Conſtantiæ manere, quouſque dictus Johannes papa Conſtantiam, aut alibi, quo prædictus D. N. rex deputaverit, pervenerit, ut ſupradictum eſt, & quouſque Johannes & ſinguli officiales, cives, incolæ, munitiones civitatum & territoriorum in Sue-*

via, partibus Rheni, civitatibus Tyrolis, circa Atheſim & valle dicta in Tal prædicto domino regi & imperio ſacro fidelitatem promiſerint & juraverint ad ſancta Dei evangelia ipſum reſpicere, etiam ſibi obedire, donec omnia & ſingula præmiſſa per nos totaliter & effectualiter perfecta fuerint & adimpleta; in quo etiam prædicti D. N. regis ſimplicibus litteris, verbis, aut intimationi, abſque alia probatione debent contentari, aut quouſque idem D. N. rex eoſdem fidelitatum, promiſſionum, & juramentorum hujuſmodi per ſe vel per ſuas litteras nunciaverit abſolutos; & in caſu quo præmiſſa in toto vel in parte non fecerimus vel adimpleverimus, ſeu quomodolibet contravenerimus, quod Deus avertat, ex nunc prædictæ civitates, munitiones, territoria & homines prædicto D. N. regi & ſacro imperio totaliter devolvantur, & deinceps eidem tamquam juſto ordinario & naturali domino ſuo ſubjicientur & obedient, noſtri & cujuſlibet alterius contradictione non obſtante, omnibus dolo & fraude totaliter ceſſantibus.

Octava ſeſſio habita eſt die ſabbati IV. Maii, in qua damnata eſt doctrina Johannis *Wicleff*, & articulorum ejus 45. aliquos ſcilicet tamquam notorie hæreticos & a ſanctis patribus reprobatos, alios non catholicos, ſed erroneos; alios ſcandaloſos & blaſphemos, quoſdam piarum aurium offenſivos, nonnullos ut temerarios & ſeditioſos. Declaratum cum fuiſſe hæreticum, damnata ejus memoria, & prohibitum ſub cenſuris, ne illius libri legerentur, mandatumque illos cremari.

Nona ſeſſio die lunæ XIII. Maii, & in ea reproducta citatio contra Johannem papam decreta, & dati commiſſarii in cauſa inquiſitionis contra eum numero XI. inter quos erant duo cardinales & tres rotæ auditores, alii prælati. Deputati etiam fuerunt commiſſarii ad audiendum cauſas ad ſynodum per appellationem vel querelam deductas uſque ad ſententiam excluſive.

FEDERICUS burgravius Nurembergenſis, & Rigenſis ac Biſuntinus archiepiſcopi, cum DC. armigeris miſſi ſunt XVII. Maii ad deducendum JOHANNEM papam ex Friburgo ad caſtrum Cell[illegible] per duo milliaria a Conſtantienſi civitate diſtante, a rege Romanorum & concilio. Et deinde quatuor prælati, unus ex ſingulis nationibus, ad cuſtodiendum eum. Qui ad eum pervenientes, non exhibita ei reverentia ut papæ, cum jam per concilium ſuſpenſus fuiſſet a juriſdictione, fecerunt ſibi conſignari ſigillum annuli piſcatoris, & regiſtra ſupplicationum, & cum vellent ſibi adimere omnes familiares, ipſeque cœlum ſuſpiciens ingemuiſſet & lacrymaſſet, rogavit ut dimitterent ei nonnullos, quos etiam ſtudens Bononiæ habuerat ſibi inſervientes, ægre obtinuit ſibi aliquos dimitti.

Miſſi ſunt etiam ad eum quinque cardinales, qui denuntiarent & ei intimarent, quod ſi acquieſceret ſententiæ concilii, abſtineret ab examine ſuper vituperoſis & ſcandaloſis articulis, nedum papæ, ſed etiam apoſtolicæ ſedi, ſi ſuper illis reciperentur teſtes. Qui ſe acquieturum obtulit omni concilii determinationi. Hi non permiſſi ſunt a cuſtodibus, ut deoſcularentur pedes, ſed tantum manus & os.

Decima ſeſſio habita eſt ſubſequenti die poſt nonam, videlicet die Martis XIV. Maii, & in ea lata ſententia ſuſpenſionis a juriſdictione papali contra Johannem XXIII. his verbis: *In nomine, &c. Quia nobis legitime conſtat dominum Johannem papam XXIII. a tempore quo fuit aſſumtus ad papatum uſque nunc, papatum ipſum & politiam eccleſiæ in ſcandalum notorium ipſius eccleſiæ male adminiſtraſſe, rexiſſe, & gubernaſſe, vitaque ſua damnabili, ejuſque nefandis moribus, populis exemplum malæ vitæ præbuiſſe & præbere, & & inſuper eccleſias cathedrales, monaſteria, prioratus conventuales, & cetera beneficia eccleſiaſtica pretio appretiato ſimoniace & notorie diſtribuiſſe, bonaque & jura Romanæ & aliarum eccleſiarum plurium notorie dilapidaſſe: quodque caritative monitus a præmiſſis deſiſtere noluit, ſed continuo perſeveravit, eccleſiam Dei in præmiſſis notorie ſcandalizando. Ea propter per hanc noſtram ſententiam pronuntiamus, decernimus, declaramus dictum dominum Johannem papam ab omni adminiſtratione papali ſpirituali & temporali cauſis præmiſſis fore ſuſpendendum, & ſuſpendimus, criminaque præmiſſa contra eum ſuper mala adminiſtratione ſimoniaca, & dilapidatione notoria, ac ejus mala vita eccleſiam ipſam ſcandalizante, prout præmittitur, propoſita notoria exiſtere, ac de & ſuper eis tamquam de & ſuper notoriis procedendum fore & procedi debere ad finem ejiciendi eum a papatu, prout jure fuerit, declaramus. Quocirca vos & quemlibet veſtrum, &c.*

Undecima ſeſſio fuit die ſabbati XXV. Maii, & in ea deputati quatuor protonotarii, unus ſcilicet pro ſingula natione, & octo notarii, duo ſcilicet pro natione: quibus data eſt facultas redigendi in publicam formam quæcumque dicenda, agenda, actitanda, petenda, & quæcumque ad ſacrum concilium pertinentia, conſcripta, decreta, ordinata, pronuntiata, & quomodolibet diffinita, &c.

Intimato Johanni papæ termino ad proferendam ſententiam, reſpondit ſe pro Dei eccleſia & ejus unione plura feciſſe, etiam antequam fuiſſet in papam electus, & ante concilii inchoationem, in quo etiam obtulit liberam papatus ſui ceſſionem, & quod turpiter inde receſſerat recognoſcebat, maluiſſetque illa die ſine animæ ſuæ præjudicio mortuus eſſe, quam ita turpiter receſſiſſe; quod contra proceſſum ſacri concilii nullam defenſionem facere volebat, ſed prout cedula

manu

manu ſua, &c. *Vide inſtrumentum integrum in conciliis editis.*

Duodecima ſeſſio fuit die Mercurii XXIX. Maii, in quo facta eſt relatio per commiſſarios, & lata ſententia depoſitionis contra Johannem papam XXIII. facto prius decreto, quod non procedatur ad electionem papæ, ſi contingeret ſedem vacare; & deinde poſt ſententiæ decretum, quod nemo contendentium reeligatur ad papam, & quod quatuor generales judices deputati deberent vocare prælatos abſentes ad ſynodum, & punire non venientes, prout eis de jure & ſecundum Deum videretur expedire.

Decima tertia ſeſſio fuit XV. Junii die ſabbati. In ea promulgatum decretum, quod nullus preſbyter ſub pœna excommunicationis, communicet populum ſub utraque ſpecie panis & vini.

Decima quarta ſeſſio fuit die Jovis quarta Julii, in cujus principio rex Romanorum veſtitus regalibus, receſſit de ſua ſolita ſede, & tranſivit ad aliam ſedem poſitam in fronte aliarum, prout præſidens pro tunc in concilio, Jo. Dominic. tit. S. Sixti cardinali Raguſino & Carolo de Malateſtis domicello Ariminenſi, procuratoribus Gregorii XII. ſedentibus juxta regem, & in quodam banco reſpiciente verſus congregationem ſynodi.

Lectæ fuerunt litteræ Gregorii XII. ſub data Arimini 3. idus Martii anno 9. quibus data eſt facultas JOHANNI tituli S. Sixti presbytero cardinali, apoſtolicæ ſedis legato, JOHANNI patriarchæ Conſtantinopolitano, WERNERO archiepiſcopo Trevirenſi, ejuſdem ſedis nuncio, necnon LUDOVICO comiti Palatino Rheni, & CAROLO de Malateſtis domicello Ariminenſi connotantibus & auctoriſantibus generale concilium, in quantum congregatum per regiam majeſtatem, non autem per Balthaſarum Coxam, Johannem XXIII. in ſua obedientia nuncupatum.

Item, aliæ litteræ ſub eadem data, quibus data eſt facultas Carolo de Malateſtis conveniendi, aut illis cum quibus ſ æ providentiæ videretur expedire, modis congruis tractandi, practicandi, & concludendi quæ ſibi viſa forent utilia & neceſſaria pro canonica & certa electione unici futuri pontificis.

Quarum litterarum vigore per Johannem Dominici cardinalem, cui Carolus Malateſta demandaverat vices ſuas, lecta eſt cedula admiſſionis dictæ approbationis, quia abundans cautela pro bono ad certitudinem nemini nocet, ac decretum ac declaratum duas obedientias unitas & conjunctas fore in uno corpore, & ſucceſſive abolitæ & caſſatæ cenſuræ hinc inde latæ, decretæ & promulgatæ, ac proceſſus quicumque, omnes quoque & ſingulas perſonas dictarum obedientiarum in ſtantibus dignitatibus & officiis, quæ alias canonice ſeu rationabiliter tenerent, poſſi-

A derent & exercerent, ad abundantem cautelam concilium habilitavit, & cum eis quatenus opportunum foret diſpenſavit.

Lecto deinde mandato Gregorii in perſonam Caroli Malateſtæ ad cedendum papatui, ſub data 6. idus Martii anno 9. & petenti Carolo declarari a ſacro concilio, utrum pro unione eccleſiæ Dei expediens videretur, pro nomine prædicti papæ fieret Conſtantiæ ceſſio antequam Nicæam accederet, & experiretur an Petrus de Luna cedere vellet an non. Fuit determinatum utile fore ceſſionem Conſtantiæ fieri.

B Decrevit deinde ſynodus, quod ſede vacante, non procederetur ad electionem Romani pontificis, nec electo obediendum ſine conſenſu concilii, irritam decernendo, &c. ſuſpendendo pro bono unionis eccleſiæ omnia jura poſitiva in conciliis generalibus edita, in quantum hujuſmodi decretum impediret, & quod electio ſummi pontificis fieret modo & forma per concilium ordinandis, & quod concilium non diſſolveretur donec facta eſſet electio.

C Declaratum etiam fuit quod ordinatio facta, quod Gregorius XII. reeligi non poſſet in papam, non fuit facta propter ejus inhabilitatem, ſed pro bono pacis eccleſiæ, & futuris ſcandalis evitandis, ac ratificata quæcumque per Gregorium XII. in ſua obedientia canonice geſta: reſervans concilium quod providebit, ubi duo vel plures in eodem titulo diverſis in obedientiis concurrunt recepti & admiſſi in cardinales ſex cardinales Gregorii XII. inter quos fuit Gabriel tituli S. Clementis, qui poſtea fuit Eugenius papa IV. Statutum quoque fuit quod officiales Gregorii gauderent eorum officiis, & ordinatum quod nullus ſine licentia diſcederet.

D Quibus peractis, Carolus Malateſta procurator Gregorii exordiens: *Facta eſt cum Angelo multi.udo*, & nomine Gregorii renunciavit papatui, & concilium approbavit renuntiationem. Deinde ordinatum quod requireretur auctoritate concilii PETRUS DE LUNA ad cedendum: quod ſi non fecerit, ſynodus eumdem Petrum declaravit eſſe notorium ſchiſmaticum, antiqui ſchiſmatis fautorem, approbatorem & pertinacem hæreticum, a catholica fide devium, promiſſionum & juramentorum ſuorum tranſgreſſorem, & eccleſiam Dei ſcandalizantem, &c. *Vide in editis concilii Conſtantienſis, ſine hujus ſeſſionis.*

E Decima quinta ſeſſio fuit die ſabbati VI. Julii, & in ea damnatus Johannes *Hus* tamquam hæreticus & traditus curiæ ſæculari. Damnata eſt etiam illa propoſitio, *Quilibet tyrannus poteſt & debet licite & meritorie occidi, &c.*

Edita etiam conſtitutio contra invaſores & ſpoliatores accedentium & recedentium a concilio.

Decima ſexta ſeſſio die Jovis xi. Julii, & in ea quatuor judicibus alias deputatis fuit data poteſtas citandi ſub pœna privationis illos qui clandeſtine receſſerunt a concilio.

Quod litteræ juſtitiæ expedirentur per vice-cancellarium nomine & ſigillo ſynodi. Quod præſidentes nationum haberent poteſtatem dandi licentiam recedentibus. Mandatum camerario, quod cardinalibus ceteriſque indigentibus de bonis cameræ provideret. Mandavit etiam regiſtrari inſtrumenta de ratificatione ſententiæ contra Johannem *Hus*.

Decima ſeptima ſeſſio fuit die lunæ xv. Julii. SIGISMUNDUS rex poſt miſſam ſtetit ante altare, genibus flexis, in veſte non imperiali, &c. *ut in editis in recitatione letaniæ.* In ea ſeſſione expedita bulla legationis Angeli Corarii vel Gregorii XII.

Decima octava ſeſſio fuit die ſabbati xvii. Auguſti, & in ea data facultas judicibus deputatis cauſas decidendi cathedralium, majoribus tantum exceptis. Decretum quod adhiberetur fides bullæ concilii, & quod committentes falſam contra bullam concilii, puniantur ſicut falſarii litterarum apoſtolicarum.

Fuerunt etiam deputati ambaſſiatores in Italiam ad Gregorium olim papam, & ad principes Italiæ ſuper factis & negotiis eccleſiæ.

Decima nona ſeſſio xxiii. Septembris, in qua plurima decreta facta.

Vigeſima ſeſſio die Jovis xxi. Novembris, & in ea decretum monitorium contra FEDERICUM ducem Auſtriæ, quod epiſcopum Tridentinum ſpoliaſſet.

MCCCCXVI. die xxx. Januarii fuit congregatio ad audiendum relationem ambaſſiatorum miſſorum ad Petrum de Luna & regem Aragonum. Fuerunt recitata & jurata capitula concordatorum.

Die penultima Maii fuit ſeſſio xxi. in qua habito ſermone per epiſcopum Laudenſem contra Hieronymum de Praga, cui Hieronymus aſcendens quemdam bancum replicavit. Quo audito, lata eſt ſententia condemnatoria contra eum tamquam relapſum.

Die Jovis 15. Octobris fuit ſeſſio xxii. & in primis decretum quod advenientibus oratoribus regis Caſtellæ, oratores regis Aragonum cederent locum, & irent ad ſiniſtram, poſt oratores regis Angliæ.

Deinde lectæ litteræ convocationis concilii juxta conventionem & capitula quæ prius fuerant miſſa ſub data 2. nonas Februarii 1416. Quibus lectis, per oratores regis Aragonum facta eſt unio & adhæſio patribus prius in concilio Conſtantienſi congregatis, fuit decretum quod dicti oratores & alii venturi oratores ejuſdem regis, durante concilio, haberent vocem tantæ auctoritatis, quantæ eſſent voces omnium prælatorum, eccleſiaſticarum perſonarum regnorum ipſius regis.

Item, quod reges Caſtellæ, Portugalliæ, Navarræ haberent eamdem gratiam, ſi voluerint, ipſis tamen ſervantibus capitula concordata Narbonæ, & deinde per oratorem & patres concilii fuerunt acceptata & jurata dicta capitula.

Seſſio xxiii. v. Novembris contra Petrum de Luna.

Seſſio xxiv. xxviii. Novembris contra Petrum de Luna.

Seſſio xxv. xiv. Decembris, oratores comitis Fuxi.

Seſſio xxvi. xxiv. Decembris, oratores regis Navarræ.

Seſſio xxvii. xx. Februarii anni MCCCCXVII. in FEDERICUM ducem Auſtriæ.

Seſſio xxviii. iii. Martii in eumdem ducem.

Seſſio xxix. viii. Martii in Petrum de Luna.

Seſſio xxx. x. Martii in Petrum de Luna.

Seſſio xxxi. ultima Martii contra Philippum comitem Virtutum, & de eccleſia Bayonenſi.

Seſſio xxxii. contra Petrum de Luna.

Seſſio xxxiii. xii. Maii contra Petrum de Luna.

Seſſio xxxiv. contra Petrum de Luna.

Seſſio xxxv. idem. Seſſio xxxvi. idem.

Seſſio xxxvii. xxvi. Julii in Petrum de Luna.

Seſſio xxxviii. xxviii. Julii plura decreta.

Seſſio xxxix. varia decreta.

Seſſio xl. de futuro pontifice.

Seſſio xli. electio Martini V. papæ, & alia.

Seſſio xlii. xliii. xliv. xlv. ultima.

ADDENDA

ad ſtatuta (*a*) ſynodalia Odonis epiſcopi Pariſienſis, edita apud Labbeum concil. tom. 10.

Ex mſ. S. Victoris.

I. PRohibeant ſacerdotes publice laïcis ſub anathemate, cum Judæis commercia facere, mutuo ab eis pecuniam ad uſuram vel aliquid accipere, eis vendere vel mutuo dare, vel ab ipſis emere; quorum enim diſpar eſt cultus, nullus debet eſſe animorum conſenſus.

II. Inſuper laïcis prohibeatur ſub pœna excommunicationis, ne præſumant diſputare cum Judæis de fidei Chriſtianæ articulis.

(*a*) In veteri codice Pariſienſi S. Victoris 994. continentur Odonis epiſcopi Pariſienſis ſtatuta ſynodalia, abſque auctoris nomine, in quibus poſt hæc verba: *Nullus clericus faciat juſjurandum patronis, antequam fuerit epiſcopo præſentatus*, adduntur omiſſa in editis ſequentia ſtatuta, & nihil amplius.

III. Item, omnes illos Christianos, qui cum Judæis cohabitant, & annua stipendia ab eis accipiunt, ipsis in domibus eorum serviunt, excommunicatos haberi, & a sacra communione arceri præcipimus.

IV. Item, confessor non debet ad singula peccata terrere confitentem, sed elicere aspidem de caverna, persuadendo per exempla David, S. Petri, Magdalenæ & Latronis, & hujusmodi, tandem terreat & injuncta pœnitentia spem spondeat, si tamen vitaverit residuum, ad quod juxta Augustinum necesse est fugere occasiones & opportunitates peccatorum.

V. Non respiciat confessor vultum pœnitentis, præsertim mulieris, nisi forte in transitu, sed cito & verecunde, ut percipiat signa contritionis, nec requirat nomina personarum, cum quibus confitens peccavit, nisi forte in casu, ut possit suum parochianum obstinatum, vel suam parochianam per se vel per alios sui criminis comites ab obstinatione peccati deterrere; ita tamen quod personam sibi confessam in nullo reddat notabilem. Ita etiam quærat si confitens voluerit, sponte alium nominare; de alieno parochiano forsan debet aliquas circumstantias ejus ordinario intimare.

VI. Non dicantur duo introitus sub uno canone, quia in nullo officio ecclesiastico fit talis monstruosa mixtura, sed celebrata integra missa una, potest sacerdos extracta clausula* addere plures, prout tempus exigit, vel ipsius devotio vel audientium.

*f. casula.

VII. Item, nullus bis in die missam audeat celebrare, nisi grandi necessitate, ut in Natali Domini, ubi non est sacerdos alius; nam si tres sunt, singuli debent singulas celebrare. Tamen dominus papa & episcopi non sic.

VIII. Item, quando celebrata missa, supervenit ex inopinato cadaver, si desit coadjutor, debet idem pro defuncto celebrare: quia non est corpus humanum sepulturæ sine missa tradendum, si sit congrua celebrandi hora, & nisi post communionem receperit sacerdos ablutionem seu explanationem. Nam post receptionem ablationis, nullus debet celebrare, quia ibi purum vinum est vel aqua, sed non in piscina projici, sed ab alio jejuno sumi debet prima ablutio, quia ibi remanet aliquid de sanguine.

IX. Si sit sacerdos celebraturus (nam si festum habens propriam missam supervenit in die inofficiata, id est habente proprium officium) debet unam missam integram decantare, illam scilicet quæ celebrior videbitur, considerata loci & temporis ratione; postmodum subjungere officium alterius missæ. Tertius casus vel deinceps bis in die celebrandi nobis interim non occurrit, nisi forte aliquis habeat ecclesiam simul & capellam, quod non est diu de facili tolerandum, nisi habeat coadjutorem. Item in defectu Viatici potest bis celebrare aliquis.

STATUTA EDITA PRO ECCLESIA Bituricensi.

M. Domini gratia Aurelianensis, & Willelmus Altissiodorensis episcopi, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Cum ad nos super quibusdam negotiis Bituricensis ecclesiæ mandatum apostolicum descendisset, in fine litterarum ipsarum fuit hoc capitulum sub hoc tenore annexum: *Corrigentes & reformantes auctoritate nostra in eadem ecclesia quæ correctionis & reformationis officio inveneritis indigere, contradictores censura ecclesiastica, appellatione postposita, compescendo.* Nos ergo secundum formam capituli auctoritate apostolica procedentes super his, quæ corrigenda & reformanda invenimus, ordinavimus in hunc modum.

I. Clericus succentoris injungat omni die invitatorium in vesperis. Cancellarius vel qui loco ejus fuerit more solito lectiones similiter injungat. Ille cui injunctum fuerit necesse habebit recipere & exequi per se vel per alium. Si contra venerit, si canonicus fuerit, solvat pœnam duorum denariorum Parisiensium, vicarius unum denarium Parisiensem, minor clericus unum denarium Parisiensem, vel stabit ante altare retro aquilam tamdiu donec a cantore vel ejus mandato ad locum suum revocetur.

II. Universis & solis canonicis qui matutinis intererunt dabuntur duo Parisienses distribuendi ad *Benedictus*. Quicumque fecerit in missa defectum, si sacerdos fuerit, puniatur in duodecim Parisiensibus, diaconus in sex, subdiaconus in quatuor.

III. Nullus canonicus suam residentiam feciſſe computetur in die in qua non interfuerit matutinis aut missæ majori aut vesperis, nisi forte infirmus fuerit, aut valetudinarius, aut minutus, aut nisi eadem die intraverit civitatem, aut exierit non reversurus eadem die; hoc non mutato quod archiepiscopus habebit unum canonicum qui facit residentiam secum per diœcesim, & duos cum visitat provinciam, vel cum vadit Romam.

IV. De blado quadragesimæ nullus percipiat, nisi per viginti unum diem fuerit residens, sicut superius dictum est.

V. Omnibus horis tractim cantentur psalmi, & cum pausationibus debitis, nullusque rideat inhoneste in choro, vel signa, vel nutus faciat inhonestos, neque ita loquatur cum socio, quod a tertio possit audiri quamdiu horæ cantantur.

VI. Omnes tam canonici quam vicarii,

& alii clerici de choro, cappas habeant usque ad terram, & numquam sine superlitio sint in ecclesia, si cappam apertam habuerint; si vero cappas clausas habuerint, non poterunt esse sine rochetis, vel superlitiis, & omnes habeant honestas tonsuras.

VII. Illi qui censas habent, jurent quod illis reddant terminis assignatis in domibus quæ sunt de ecclesia locandis, canonicus præferatur laïco vel clerico qui non erit de choro, si tantum velit dare quantum alius bona fide, & nullo modo locentur personæ inhonestæ in claustro vel extra claustrum. Inhonestæ mulieres ejiciantur de claustro.

VIII. Quamdiu horæ cantantur in choro, non cantetur in circuitu chori cum nota. Item cum cantatur major missa in choro, nullo modo celebretur in circuitu, nec post majorem missam.

IX. Item, nullus vicarius, vel etiam clericus canonice induat se ad missam celebrandam cum cantatur prima in choro, donec psalmus, *Quicumque vult*, fuerit terminatus.

X. Quater in anno celebretur generale capitulum. In crastino apostolorum Philippi & Jacobi, in crastino Inventionis S. Stephani, & in die anniversarii S. Guillelmi, & in crastino Dominicæ qua cantatur *Reminiscere*; & quidquid ibi canonice statutum fuerit, de eis quæ possunt statui, inviolabiliter observetur, non obstante absentia alicujus vel aliquorum.

XI. Incipiantur psalmi per unam septimanam in una parte chori, & in altera parte per aliam.

XII. Nullus poterit intrare chorum in vigiliis anniversariorum post primum psalmum completum, neque ad missam post epistolam. Item canonicus tenebitur esse in choro ad totas vigilias, vel ad totam missam defunctorum.

XIII. Nullus audeat astare vel ire per claustrum absque indumentis ad chorum pertinentibus a matutinis usque ad majorem missam, & ab hora nona usque post completorium, nisi in quadragesima, vel nisi equitando, vel nisi transeundo & exeundo claustrum.

XIV. Hebdomadarii recipiant denarios qui pro pœnis superius statutis levabuntur, ita quod unusquisque recipiet eos in sua septimana, & ponentur in pixide quadam distribuendi post annum clericis de choro. Retinuimus enim omnimodam potestatem interpretandi verba obscure dicta, omissa supplendi, & coërcendi eos qui contra præscripta venient institutа. Actum in capitulo Bituricensi, anno ab incarnatione Domini MCCXIV.

STATUTA

ecclesiæ Biterrensis, anno 1297. edita in capitulo generali.

Ex schedis Colbertinis.

ANno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, in generali capitulo kalendis Maii, capitulum Biterrense fecit infrascripta statuta, quæ perpetuo voluit inviolabiliter observari.

I. In primis quia propter servitores altarium aliqua scandala in Biterrensi ecclesia contigerunt; idcirco præfatum capitulum ordinavit & statuit, quod de cetero prædicti servitores altarium in propriis personis serviant: quod si non fecerint, distributionibus vini & denariorum illa die qua defecerint, priventur, nisi justa de causa abstineant de licentia præpositorum vel alterius eorumdem. Unus tamen servitor possit pro servitore alio, si voluerit, deservire.

II. Item, ordinavit & statuit quod cum missa major in altari majori celebrabitur, in elevationibus Corporis Domini quæ fiunt in aliis altaribus, campanæ non pulsentur.

III. Item, ordinavit & statuit, quod cum missarum majorum solemnis *Sanctus* cantatur aut *Agnus*; cantentur similiter versus sicut in Biterrensi ecclesia olim fieri consuevit.

IV. Item, ordinavit & statuit, quod nullus beneficiatus ipsius ecclesiæ discalciatus & sine caligis de cetero intret chorum.

V. Item, ordinavit & statuit, quod in festis novem lectionum duo choreatii regant chorum.

VI. Item, ordinavit & statuit, quod in festo Purificationis B. Mariæ fiat processio cum cappis sericis.

VII. Item, ordinavit & statuit, quod hebdomadarii & alii sacerdotes ad servitium ecclesiæ deputati non celebrent de cetero in civitate Biterrensi extra ecclesiam cathedralem, nisi de licentia præpositorum, vel alterius eorumdem. Quod si fecerint, distributionibus denariorum & vini illa die priventur.

VIII. Item, ordinavit & statuit, quod in festo paschæ Domini usque ad festum Omnium-sanctorum scopetur ecclesia singulis septimanis.

IX. Item, abluantur vestes sacerdotales & manutergia, exceptis ablutionibus, quas debet facere fieri dominus sacrista per operarium in festo B. Johannis-Baptistæ, & in [illegible]ntione B. Mariæ.

BIBLIOTHEQUE ROYALE

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
HUJUS VOLUMINIS.

A.

ABbatibus ad concilium venientibus quatuor permiſſæ equitaturæ, 577. c.
Abbates & monachos decet humilitas, ne excedant *in ſumtibus*, 100. c. *Habitus* inhoneſtos ferentes, ipſos perdant pauperibus erogandos, 1227. b. Veſtibus ordini ſuo congruis utantur, 140. c.
Abbates obſervent ſtatuta, 131. c. In dormitorio dormiant, 120. c. Nec pannis aut coopertoriis coloratis utantur, 120. c.
Abbates monachis neceſſaria miniſtrent, 120. c. Mutuum non accipiant, 140. c. Computa faciant coram tribus aut quatuor monachis, 1364. c. 401. c.
Abbates non poſſunt fieri in baptiſmo patrini, 1363. d.
Abbates in Epiſcopi jura conſpirantes excommunicantur, 1325. b. Prohibita eis venatio & joci, 8. b. Indigni abjiciendi & digni eligendi, 8. b. Negligentes deponantur, 100. d.
Abbatiſſæ religioſum habitum habeant, 121. d. Sæcularem ornatum vitent, 121. c. 122. a. Reſideant, 6. b. Claves monaſterii apud ſe ſervent. 122. b.
Abbatiæ minores per ordinarios confirmentur, 1130. c.
Ablutio calicis in miſſa non cuilibet danda, 109. b.
Abortus mulieris ut puniendus, 33. c.
Abortivum voluntarie facientis pœnitentia, 39. c.
Abortum potionibus procurantes decem annis jejunent, 36. a.
Abortivi in cimeterio non ſepeliendi, 420. c.
Abrincenſis epiſcopus Johannes *Hautfrint*, 414. b.
Abſarenſis epiſcopus Lamfredus, 83. b.
Abſolutionis in confeſſione forma, 395. c. d. 396. a. an danda infirmo obmutescenti, 15. c.
Abſolutiones quædam epiſcopo reſervatæ, 1242. b. & ſeqq. Corrigi nolentibus non ſunt impendendæ, 1361. c. Per vim extortæ, ſunt irritæ, 302. b. Eas vi & metu obtinentes excommunicati, 1265. d. Abſolutio ab excommunicatione à quo debeat fieri, 1352. d. Et quomodo. d. 1227. d. 1400. b. & ſeqq.
Abſoluti in mortis articulo ab excommunicatione, eccleſiaſticæ non tradantur ſepulturæ abſque licentia excommunicantium 1369. b. Abſolutionis excommunicatorum litteræ nomina excommunicatorum & cauſas excommunicationis enuncient, 1342. a.
Abſolutio generalis in Paſcha, 418. c.
Abſolutio defunctorum, 1250. a. 1313. a.
Abſolutio mortuorum, ſtatim ab obitu audito, 1182. d. 1362. d.
Abſolutiones in cœmeteriis non faciendæ antequam presbyter parochianus ſuam fecerit abſolutionem, 1343. d.
Abulenſis epiſcopus Sancius, 85. d.
Acacius epiſcopus C. P. excommunicatur, 192. a. b.
Acceptabilis epiſcopus Camerinus, 79. a.
Accuſatio ſuſpecti de crimine non recipienda, 409. c.
Accuſatio frequenter litigantis ægre recipienda, 49. c.
Accuſanti falſis criminibus epiſcopum aut presbyterum aut diaconum, nec in fine danda communio, 49. b.
Aceranus epiſcopus Bartholomæus, 80. a.
Achinus epiſcopus Aſſiſinus, 61. d.
Acolytus quotidie officium B. Mariæ recitet, 1297. a.
Aconenſis epiſcopus Jocius, 312. c.
Actanenſis epiſcopus Gregorius, 312. c.
S. Adalardus abbas Corbeienſis, 11. c. 12. c.
Adam quando peccavit, 331. a. b. Guſtum fructus veriti jejunio quadraginta diebus *purgavit*, 321. c. *Fuit ſalvatus*, 321. c.
Adam epiſcopus de ſancto Aſaph. 86. b.
Adam de Bandribos licentiatus in utroque jure, 884. a.
Adarenſis epiſcopus Johannes, 82. b.
Ademaderius epiſcopus Oſcenſis, 289. c.
Ademarus Epiſcopus Baionenſis. 84. b.
Ademarus epiſcopus Sanctonenſis, 84. b.
Adrienſes epiſcopi Gabriel, 82. d. Jacobus, 1219. c.
Adventus Domini quo die incipiat, 1316. c.
Adulfinus epiſcopus, 63. b.
Adulfi epiſcopi Leodienſis ſtatutum. 308. a.
Adulteri pœnitentia, 30. d. 37. c.
Adulteri pœnitentiam publicam agant, 130. c. Ad epiſcopum mittendi, 26. a.
Advocati uſurariorum & hæreticorum cauſas non defendant, 102. b.
Advocati non ſint clerici beneficiati in curia laïcali, 1394. c.
Advocatus non ſit presbyter contra ſuum advocatum, 1394. c.
Advocatus eccleſiæ imperator, 1202. a.
Æduenſis epiſcopus deſignatus ad concilium Piſanum, 884. d.
Æduenſis epiſcopus Ageno, 61. b.
Ægidius epiſcopus Avenionenſis Benedicti XIII. ad regem Carolum nuntius. 486. c. 488. d.
Ægidius epiſcopus Ebroicenſis, 83. d.
S. Ægidii abbas deſignatus ad concilium Piſanum, 886. b.
Ægidius de Campis ſacræ paginæ profeſſor, regis ad Papam legatus, 461. b. 487. c. 505. c. 521. c. 525. a. 557. c. 633. d. 636. c. 637. a. 641. d. 650. b. 652. c. 653. a. 654. a. 657. a. 661. c. 668. c. 670. a. 671. c. Coram papa & ducibus perorat de viis ad pacem eccleſiæ procurandam, 492. & ſeqq. Ejus ad Benedictum XIII. oratio, 489. a. & ſeqq. Benedicti ad eum reſponſio, 489. c. & ſeqq.
Ægidius Petri canonicus Colimbrienſis & procurator epiſcopi Colimbrienſis in concilio Conſtantienſi, 1221. c.
Æneenſis epiſcopus Petrus, 89. b.
Africam occupant Saraceni, in qua fuerunt olim 444. epiſcopi, 376. c.
Agapitus papa deponit C. P. epiſc. 192. b.
Agathenſes epiſcopi Bernardus, 61. c. Gerardus, 50. d. Stephanus, 57. c.
Aginnenſis epiſcopus deſignatus ad concilium Piſanum, 885. c.
Aginnenſes epiſcopi Remundus, 69. b. 70. c. 159. W. d. 161. a. d. 167. a.
Aglardus epiſcopus Nemauſenſis, 50. d.
Agricultores qui invadunt, excommunicantur, 1344. a.
Agtior Abbas Johannes, 313. c.
Aimericus archiepiſcopus Rotomagenſis, 414. b.
Aimericus Arvernorum epiſcopus, 67. d.
Aimericus abbas S. Saturnini Toloſani, 753. b.
Aimericus de Arciis procurator abbatis Savig in concilio Conſtantienſi, 1222. a.
Aimo archiepiſcopus Tarentaſienſis, 85. a.
Alamannus archiepiſcopus Piſarum, 940. c.
Alardus epiſcopus & abbas S. Pauli Romæ, 61. a. 62. d.
Alarſius ſeu Alaſius epiſcopus Gardanus, 80. c.
Alathenenſis epiſc. J. 63. c.
Alatrinenſis epiſcopus Johannes, 61. e.
Albanenſis cardinalis altercatur cum Pampelonenſi, 504. d. e.
Albanenſis epiſcopus creatur legatus ad tractandum de reconciliatione Græcorum, 209. d. 212. d. 215. c.
Albanenſes epiſcopi Bonifacius, 60. c. 62. a. Henricus, 87. a. Nicolaus, 536. a. 644. b. 751. a. 801. b. 818. b. 819. a. 915. b. 981. c.
Albenſis archiepiſcopus Andreas, 83. b.
Albenſis epiſcopus Benzo, 61. e.
Albericus epiſcopus Laudenſis, 83. a.
Albericus epiſcopus Reginus, 82. c.
Aibero epiſcopus Virdunenſis, 73. d.
Albertus epiſc. Bethleem, 82. b.
Albertus epiſcopus Narnianenſis, 61. b.
Albertus Ferentrarum procur. archiepiſcopi Pragenſis, in concilio Conſtantienſi, 1224. c.
Albertus de Nuremburga procurator epiſcopi Bambergenſis in concilio Conſtantienſi, 1224. b.
Albertus primicerius Virdunenſis, 73. e.
Albertus de Albicis magiſter ord. Prædicat. 941. a. b.
Alberrus comes Chiniacenſis, 74. b.
Albienſis epiſcopus deſignatus ad concilium Piſanum, 885. d.
Albienſis epiſcopus Amelius, 57. c.
Albiganenſis epiſcopus Lauterius, 83. a.
Albigenſes dicti Piphili, 74. c. Matrimonium damnant, 74. d. Quomodo puniendi, 75. a.
S. Albini abbas deſignatus ad concilium Piſanum, 885. c.
Aldiones & *libellarii*, 9. d. Ad aleas non ludant clerici, 1394. c.
Alericus epiſcopus Bobienſis, 82. d.
Alermus electus Meldenſis, 144. d. 146. c.
Alerienſis epiſcopus Bartholomæus, 1080. c.

Alettrinus episcopus Leo, 78. d.
Alexander Papa III. 87. b. 90. c. 91. c. 285. c. 923. b. Concilium Romæ celebrat, 78. a.
Alexander papa IV. 161. a. 162. d. Hortatur archiepiscopum Burdigalensem, ut concilium convocet, in quo de modo resistendi Tartaris, deliberetur, 168. d.
Alexandri V. electio 1113. c. e. & seqq. 1115. a. 1188. d. A toto collegio & toto concilio facta, 1140. c. Publice declaratur, 1103. c. Papatum nec ambivit nec concupivit, 1141. a. Ante suam creationem Gregorio si vellet cedere, obtulit & ipse cedere cardinalatui, & se cedere cum ipso ad S. Nicolaum *de Littore*, 1138. c. 1140. d. Electionis ejus decretum legitur in ecclesia Pisana, 1120. b. Ejus coronatio, 1105. d. Ei Judæi offerunt legem suam, 1106. a. Gratulantur Florentini & Senenses. 1106. c. d. Perorat in concilio Pisano, 1104. d. 1119. d. Semper vixit cum magna laude, 1139. a. Reformationem ecclesiæ in capite & in membris meditatur, 1105. b. Annulat omnes processus & sententias per duos contendentes de Papatu & eorum prædecessores latas in alterutram partem, 1107. b. & seqq. Item confirmat dispensationes super matrimoniis concessas, 1108. b. Confirmat etiam collationes & provisiones beneficiorum & ordinationes factas per contendentes de Papatu & eorum prædecessores, 1109. a. b. Novum generale concilium indicit ad annum MCCCCXII. 1110. c. Eum hortatur Carolus de Malatestis ad cedendum, 1139. b. & seqq. Ejus obitus, 1162. c. 1163. b. 1189. a. 1406. c.
Alexander archiepisc. Viennensis, 52. a. e.
Alexander episcopus Jurensis, 82. c.
Alexandrinus patriarcha Simon *de Cramaus*, 771. c. 773. d. 867. c 880. e.
Alfanus archiepiscopus Salernitanus, 60. c. 62. d.
Alphanus episcopus Capuanus, 79. c.
Algerius secretarius Ludovici VI. Regis, 70. b.
Algisus archiepiscopus Mediolan. 82. d.
Algrinus cancellarius Ludovici VII. 71. d.
Alienationes bonorum ecclesiæ prohibitæ, 287. b. & seqq. 307. a. 1129. c. Et nullæ, 1334. c. Etiam bonorum ecclesiæ Romanæ, 1111. a.
Alienatio in gratiam ecclesiæ potest fieri, 125. b.
Alienordis filia Willelmi ducis Aquitaniæ data uxor Ludovico juniori. 69. d.
Aliphanæ archiepiscopus Erasmus, 63. b.
Aliphonæ episcopus Archis, 61. c.
Alizanus episcopus Balduinus, 80. b.
Alloderius episcopus Callensis, 79. a.
Almaricus de Ordeo-monte, 466. c.
Almaricus de Ordeo-monte cancellarius ducis Aurelianensis, 523. d. 524. a.
Almoravius episc. Calagurritanus; 289. e.
De Alode, 11. c.
Aloisius rex 1164. a. 1167. c.
Altaria non sint nimis parva, 112. d. His debitus honor impendatur, 1248. b. Altare sit integrum, 418. d. nec celebretur in eo, cujus tabula fracta est, 1390. d. mundis linteis sit coopertum 2. a. Super *illud poni possunt* reliquiæ & sacra evangelia & sacra pixis, 2. a. Super altare sit imago Sancti cujus in honore est consecrata ecclesia, 1238. c.
Altaris ad celebrandum missam ornamenta, 1298. c. Sint munda, 1275. d. Uti & vasa, 112. b. Et loca vicina, 1298. d.
Altaria portatilia qualia esse debeant, 1234. c.
Alverricus archiepisc. Bituricensis, 71. c.
Alvicius episcopus Gebennensis, 85. a.
Amalfitanus archiepisc. Dionysius, 80. a.
Amalricus Cardinalis, 62. c.
Amalricus de Ordeo-monte, 491. c. 505. c.
Amandus episcopus Vigiliensis, 80. d.
Amantius diaconus Cardinalis, 68. d.
Amatus episcopus Narniensis, 79. b.
Amatus episcopus Olorensis, 88. c. 90. b.
Ambaxiata Caroli de Malatestis ad Johannem XXIII. ad procurandam per episcopum Cervicnsem ecclesiæ unionem, 1174. a. & seqq.
Ambianensis ecclesiæ fabrica eleemosynis fidelium commendanda, 1272. d.
Ambianensis cardinalis accusatus apud Regem de via cessionis ab eo dimissa purgatur, 531. c. 533. c. 540. a. 543. d.
Ambianenses episcopi Fulco, 69. a. Godefridus, 61. b. 67. d. Johannes *Avantages*, 1225. a. Theobaldus, 83. c.
Ambianensis ecclesiæ statuta synodalia, 1225. a.
Ambianensis capituli statuta synodalia, 1269. b.
Ambitio quantum malum, 628. a. Vitiorum est origo, 697. a. 699. c.
S. Ambrosii festum, 1315. c.
Amedeus Cardinalis, 981. c.
Amedeus cardinalis S. Mariæ novæ, 751. a.
Amedeus de Saluciis cardinalis, 801. c. 915. b. 930. d.
Amelinus episcopus Petrus, 79. b.
Amelius archiepiscopus Turonensis, 773. d.
Amelius episcopus Albiensis, 57. c.
Amelius episcopus Uceticnsis, 50. d.
Amelius de Brolio auditor sacri palatii, 461. d.
Amictus super camisiam aut albam imponatur, 1247. c.
Amici non sunt qui blandimentis adulantibus palpant, sed qui fortiori consilio redarguunt, 709. a.
Amiternus episcopus Lodoicus, 62. d. e.
Amoris illiciti pœnitentia, 31. a.
Ampuriensis episcopus Cometa, 82. b.
Anagninus episcopus Asael, 7. d. e.
Ananatsensis archiepisc. Stephanus, 312. d.
Anconitanæ marchiæ administratio commissa Petro cardinali XII. Apostolorum, 858. b. & seqq.
Anconitanus episcopus Willelmus de Vineis, 430. b.
S. Andreæ festum, 1316. a.
S. Andreæ abbas Henricus, 753. c.
Andreas archiepiscopus Albensis, 83. b.
Andreas Bahasiensis archiepiscopus, 86. d.
Andreas episcopus Bosanensis, 80. c.
Andreas episcopus Nucerinus, 1220. a.
Andreas electus Poznanienſis, 1220. a.
Andreas Thomæ theologiæ professor, 941. b.
Andreas Grangerii causarum patronus, 461.
Audegavensis episcopus Radulfus, 84. a.
Andrensis episcopus Richardus, 80. d.
Andronicus primogenitus Palæologi, 252. c. 253. d. 257. b. 259. e. Eum hortatur Gregorius X. ad antiqui schismatis reliquias abolendas, 239. d. e. Atque ut ad solidandam unionem Latinorum & Græcorum promtus existat, 251. b. & seqq. Eumdem hortatur Nicolaus papa III. ut consolidandæ unioni Græcorum & Latinorum operam navet, 263. a. & seqq.
Andulfus episcopus Ferrranensis, 61. e.
Angeli quando creati, 330. a. b. creati fuere boni, ibid. c. Horum casus, 330. d. e.
S. Angeli cardinalis Petrus, 644. b.
Angelus Corrarii cardinalis creatus ab Innocentio VII. 834. e. Eligitur papa Gregorius XII. 722. d. e. 725. a. b. 756. e. Electus renovavit *juramentum* de cessione factum ante electionem, 432. c. 783. c. Sed recalcitrat, 432. a. Et Saonam convenire recusat. 783. c. Exosos omnes habet de cessione ei loquentes, 433. a. Ab omnibus deseritur, 433. b. A paucis dictus Gregorius, A multis Errorius, 850. d. Increpatur, 851. a. Hypocrita dicitur, 850. e. Invitatur ad Concilium Pisanum, 855. c. In quo ipse & Petrus de Luna declarantur contumaces, 1079. b. & seq. A patriarcha Aquilegiensi & à Venetis rejicitur, 1118. a. b. *Vid.* Gregorius XII.
Angelus de Viterbio secretarius Aquilegiensis cardinalis 806. d.
Angelus cardinalis S. Potentianæ, 803. c. 805. c. 1170. b.
Angelus Acciaiolus cardinalis episcopus Florentinus, 816. e.
Angelus abbas de Runa, 1221. a.
Angelus provincialis minister ord. Minorum, nuncius apostolicus ad Palæologum, 248. b. 249. c. 205. c. 253. a. 260. b. 262. d. 263. e. 265. b. d. 267. e.
Angelus de Reate secretarius uniri collegii, 1060. a.
Angliæ regina Johanna, 1223. a.
Angliæ regis nuncii ad Benedictum XIII. ut se gesserint, 556. d.
Anglici episcopi & doctores accedunt ad concilium Pisanum, 884. d.
Anglonensis episcopus Robuam, 81. e.
Aniane abbas Guillelmus, 1220. c.
Anianæ abbas designatus ad concilium Pisanum, 886. e.
Aniciensis episcopus papæ pœnitentiarius, 115. e.
Anicicnsis episcopus designatus ad concilium Pisanum, 886. b. Aniciensis episc. P. 915. b.
Anima à Deo creatur, non propagatur ex alia anima. 320. e.
Animæ quem locum occupabunt post extremum judicium, 408. e.
Anniversaria, 1230. a & seqq. Quibus diebus non facienda. 1230. c.
Anniversarium confratrum B. Mariæ Cameracensis, 1312. e.
Annuale mortuorum pro vivis non celebretur, 1362. a.
Annunciationis B. Mariæ festum, 1315. d.
Annus Domini gratiæ revocatur, 131. e.
Anselmus episcopus Cumanus, 83. a.
Anselmus episcopus Melitensis, 79. c.
Anselmus episcopus Lucicnsis, 61. c. 63. a.
Antiochenus patriarcha CLIII. episcopos sub se habet, 189. e.
Antiphonale, 2. a.
Antipolitani episcopi Fulco, 84. d. Mainfridus, 67. e.
S. Antonii [de Padua] festum, 132. d.
Antonius Corrarii papæ camerarius Fratricellorum patriarcha, 829. a. b.
Antonius cardinalis & camerarius nepos Gregorii XII. 1061. e.
Antonius episcopus Penestrinensis cardinalis, 801. a. 946. d.
Antonius cardinalis Tudertinus, 1179. c.
Antonius cardinalis S. Mariæ in via lata, 751. a.
Antonius de Chalanco, cardinalis, 1179. d.
Antonius episcopus Cajetanus, 312. a.
Antonius episcopus Monthonensis, 433. a. 746. a. 750. c. 752. b. e. 757. c.
Antonius Spalatinus, 968. e.
Antonius abbas S. Facundi, 686. b. e.
Antonius abbas S. Pauli de Razulo, 941. b.
Antonius *Nicosi*, seu Moesii pro episcopo Gratianopolitano in Concilio Constantiensi, 1221. a.
Antonii de Luca, secretarii apostolici epistola ad Cardinalem Mediolanensem qui à Gregorio defecerat, 808. b.
Antonius Petri prior generalis Armenorum, 940. d.
Antonius de Pecto generalis ord. Minorum, 940. d.
Antonius de Perotto generalis ordinis Minorum, 1221. b.
Antonius *Coste* procurator generalis ordinis Prædicat. 503. d.
Antonius de Alexandris Theologiæ professor, 942. a.
Antonius de Butrio, doctor utriusque juris, 737. b. c. 750. c. 752. c. e. 757. c.
Antonius Massa theologiæ professor, 941. d.
Antonius de Panisseriis legum doctor, 647. a.
Antonius de Passignano professor, 941. e.
Antonius Salvi de Florentia baccalaureus, 941. e.
Antonius Simonis baccalaureus, 942. b.
Antonius de Zwavenarde procurator capituli Habebacensis in concilio Constan-

tiensi, 1223. c.
Apamiensis episcopus designâtus ad concilium Pisanum, 886, a.
Apicrensis episcopus P. 63. a.
Apollonius varias peragravit provincias amore scientiæ, 974. d.
Apostata ad celebrandum non admittatur, 1302. e. Sed expellant eum à sua parochia decani & presbyteri, 1249. c.
Apostoli falsi compescendi, 294. c.
Appellationes non fiant omisso medio, 1128. d. e.
Appellatio à judice suspecto, 49. d.
Appellatio B. de Monticulo sacræ pœnitentiæ scriptoris a sententia Gregoriana, 875. b.
Aprutini episcopi Martinus, 1223. b. Petrus. 61. c.
Aptenses episc. Leodegarius, 67. c. Petrus, 84. d. Stephanus, 87. d.
Aqua semper in calice misceatur, 15. d.
Aquam in sacrificio ponunt Græci, 354. a.
Aquam in calice non ponunt aliqui Armeni, 257. d.
Aqua benedicta fiat diebus dominicis, 3. b.
Aquæ ferventis aut frigidæ judicium non fiat, 1394. d.
Aquensis archiepiscopus Bernardus, 84. d.
Aquenses episc. Hubertus, 83. a. W. 84. b.
Aquilegiensis cardinalis Antonius, 945. d.
Aquilegiensis cardinalis invitat cardinales Benedicti ad unionem ecclesiæ, 723. c. & seqq.
Aquinas episcopus Rainaldus, 80. a.
Ar. episcopus Barchinonensis, 173. a.
Aragonum regis Jacobi constitutio adversus Hæreticos, 123. a.
Aragonum reges Ildephonsus, 125. a. Martinus, 633. c. 641. c. 670. d. Petit creari duos cardinales regni sui, 631. c. 632. c. Cessionis viam papæ non audet proponere, 632. b. Benedictum XIII. urget tandem ut cedat, 1215. a. b.
Aragonum regis tractatus in curia Romana pro pace ecclesiæ, 630. d. & seqq. Ejus Ambassiatores in concilio Pisano petorant, 1101. c. & seqq. Recedunt hospite insalutato, 1119. c.
Aranea, si in calicem ceciderit, quid faciendum, 1284. b. 1300. c. 1383. c.
Arbitrium liberum, 361. d.
Archidiaconi ordinentur diaconi, 67. b. 68. d.
Archipresbyteri ordinentur presbyteri, 67. b. 68. d.
Ardenna, 16. e.
Arditio episcopus Mutinensis, 82. c.
Arduicus episcopus Agustensis, 85. d.
Arduinus episcopus Fanensis, 61 d. 63. b.
Arduinus episc. Tudertinus, 62. d.
Arechis episc. Aliphonæ, 61. c.
Arelatenses archiepiscopi Raimbaldus, 56. c. 57. b. Raimundus 84. c.
Aretinam obsidionem solvit Lancelottus, 1118. b.
Aretinus episcopus Petrus 940. c.
Aretinus S. Floræ abbas Johannes, 941. a.
Argentinensis episcopus Guillelmus comes Diestensis, 907. b.
Argentinæ quomodo exceptus fuit Ludovicus cardinalis Barensis 905. c. & seqq.
Arianorum hæresis, 339. e. 346. b.
Aribertus abbas Romanensis, 82. c.
Ariminensis episc. Joscelinus, 77. b.
Ariminum se recipit Gregorius XII. 969. c.
Ariminum Benedicto offert Gregorius XII. ad tractandum de unione ecclesiæ, 1135. c.
Ariolorum pœnitentia, 32. c.
Arma non deferant clerici, 1341. d. Multo minus presbyteri, 14. d.
Armachanus archiepisc. Michaël, 1222. a.
Armenorum catholicon Mekquitar, 312. c.
Armenorum prior generalis Antonius Petri, 941. d.
Armenorum reges Chertdalius, 383. a. Constantinus, 312. c. Elyn, 315. b. Hecon, 315. b. Johannes, 351. c. Leo, 310. d.
Armenorum fides, 412. c.
Armenorum fides de Incarnatione Christi, 334. a. & seq. 336. c. & seqq. 339. b. & seqq. De Christi descensu in infernum, 341. c. & seqq. 343. b. & seqq. De processione Spiritus - Sancti. 314. b. quam quomodo in symbolo enunciant, 315. d. e. Fides de peccato originali, 318. c. De pueris sine baptismo decedentibus, 321. a. b. 325. a.
Armenorum fides de animis defunctorum, 321. d. & seqq. 323, d. De statu animarum post mortem, 325. c. 327. c. De inferno, 322. c. 326. c. 334. c. De dæmonibus, 329. c. De Purgatorio, 331. c. & seqq. De peccato Sodomiæ in sacerdote, 368. c.
Armenis negat auxilium Benedictus XII. nisi abjurent errores, 310. d. Errorum Armenorum libellus, 311. a.
Armeni congregant concilium & respondent libello errorum, ipsis objectorum, 311. a.
Armenorum errores continentes libri, 410. a. & seqq.
Armenorum error de Baptismo, 378. b. An agnoscant baptismum ecclesiæ Latinæ, 390. a. & seqq. An credant Deum mendacem, 411. c. d. e. Dioscorum habent pro sancto, 318. a. Non recipiunt S. Leonem, 316. e. 318. a. Iis varii errores falso attributi, 391. a. & seqq. 392. a. & seqq. Eos excusat Daniel monachus, 311. a. Accipiunt à Latinis sacramenta, 393. c. Communicant in Epiphania, cœna Domini, Sabbato sancto & in paschate, 394. d. Eorum jejunia, 393. b. d.
Arnaldus archiepiscopus Trevirensis, 85. d.
Arnaldus episcopus Barcinonensis, 280. c.
Arnaldus episcopus Bigoritanus, 44. b.
Arnaldus episc. Cæsar-Augustanus, 172. d.
Arnaldus episc. Magalonensis, 57. d.
Arnaldus episc. Tolosanus. 57. d.
Arnaldus episcopus Valentinus, 172. d.
Arnaldus episcopus Urgellensis, 85. b.
Arnaldus Trencardi abbas S. Crucis Burdigalensis, 87. a. 90. b.
Arnaldus abbas S. Petri vivi obtinet privilegium, 66. c.
Arnaldus de Castro-novo magister Templi in Aragonia, 278. d.
Arnaldus *de Corbie*, miles regis cancellarius, 459. b.
Arnoldus *Foricheim*, litterarum apostolicarum scriptor, procurator electi Getensis in Concilio Constantiensi, 1224. c.
Arnolfus dux. 53. a.
Arnulfus Caputaquensis episcopus, 80. b.
Arnulfus episcopus Cusentinus, 61. d.
Arnulfus de Fonte ordinis Minorum professor, 867. c.
Arnustus archiepiscopus Narbonensis, 49. c. 50. b. c.
Arpinus episcopus Paliniacensis, 81. a.
Arraldus episcopus Carnotensis, 64. b.
Arranensis episcopus Bartholomæus, 80. c.
Arsius episcopus Convenarum, 84. b.
Artmannus episcopus Tolosensis, 50. d.
Arturius episcopus Gebennensis, 85. a.
Aruspices, 25. a. Eorum pœnitentia, 32. c.
Asael episcopus Agninus, 74. d.
S. Asaph episcopus Adam, 86. b.
Asculensis episcopus Johannes, 80. c.
Assisini episc. Achinus, 61. d. Nicolaus 122. a. Rufinus, 69. a.
Astorgius electus Melicensis, 1220. b.
Atestensis episcopus Rofredus, 61. b.
Atiminus Tolonensis episc. 67. c.
Atrebatensis episcopus Lambertus, 65. e.
Atrebatensis episcopus missus Januam à concilio Pisano, 1090. c.
Ato cardinalis S. Marci, 64. c.
Atto episc. Novariensis, 63. c.
Atto episcopus Reatensis, 61. a. 62. d.
Avari pœnitentia, 32. c.
Audientes pœnitentium gradus, 33. b. 36. c.
Avellanenses episcopi Gottefridus, 62. c. R. 80. a.
Avenionenses episcopi Ægidius, 486. c. Petrus, 84. c.
Avenionensis episcopus missus ad Carolum regem à papa, 458. d.
Avenionensis *civitas interdicta*, 675. a.
Avenionensis villa securitatem dat Benedicto XIII. 647. & seqq.
Augerius episc. Regensis, 67. d.
Augurtensis episcopus Basilius, 312. e.
Augurtiorum pœnitentia, 43. a. 45. c.
Augustensis episcopus Arduicus, 85. d.
